SC.U.Pl.4

37
3 E
9

Ad lectorem præfatio.

Guidonis Cauliaci Chirurgice.

CHIRVRGICEN Guidonis Cauliaci, abhinc centum & ſeptuaginta annis, tanto apud medicos iuxtà ac chirurgos in precio habitam, ſeptennium ferè eius artis candidatis prælegi. Quam, cum tot paſsim errorum ac mendarum portentis ſcatentem, tamq; incuria, ſqualenti, atq; impura barbarie conſperſam, ne dicam conſpurcatam, reperiſſem: tum in animum induxi meum, opus eiuſmodi, ab illis, quibus ita refertum erat, erroribus repurgare, & à uocabulis illis ſordidioribus, atq; ex intima ferè plebeij ſermonis fæce acceptis, ſi quando per ocium liceret, pro mea uirili parte, uindicare. Videbam enim pleroſq; omnes, qui in diſciplinis humanioribus, & elegantioribus literis probè erant inſtituti, fœdam eiuſmodi, atq; impuro nimis ſermone traditam chirurgiam auerſari, ab eiuſq; lectione, uel in ipſo ueſtibulo aditúque, perterritos, ſtatim ſe ſubducere: nimirum exiſtimantes (nec abs re quidem) diſciplinam omnem detracto cultu orationis ſordeſcere. Contrà autem conſiderabam, chirurgicos hoſce commentarios, remedia quàm plurima, ad eos affectus, quæ manus operam deſyderant, longè optima & efficaciſsima continere: ac methodo, tum ad rectè docendum, tum ad facilè diſcendum aptiſsima conſcriptos eſſe. Itaq; operis huius non pœnitendi, nec uſq; adeò (ut exiſtimo) aſpernandi prouinciam, eo conſilio ſubiui, ut ipſum à mendis, quibus ſcatebat, fœdioribus uindicatum, uelut reformarem, & quanta maxima poſſem diligentia ac fide recognitum in luçem proferrem.
Plurima igitur ex Galeno & Hippocrate à Guidone ipſo deſumpta, deprauatè ac perperam ex uetere illo barbaro interprete citata, uel ex doctis & fidelibus Latinis interpretibus in ſenſum germanum reſtituimus, uel ad fidem Græci exemplaris in Romanum ſermonem fœlicius conuertimus: eáque non rarò, ſi quando obſcuriora apparebant, ſermone magis dilucido explicuimus: quæ uerò breuitas ſuppreſſerat, aut ambigua effecerat, ſic expreſsimus, ut omnis ambiguitas tolleretur. Corruptas morborum penè omnium, de quibus diſſerebat, & remediorum præſertim ſimplicium uoces propè innumeras abiecimus, & alias magis germanas, lectas, & proprias tum Græcas, tum Latinas in locum illarum ſuffecimus. Ad hæc, locos quamplurimos denſiſsimis obſcuritatis tenebris obductos, penitúſque retruſos in lucem clariſsimam, non mediocri labore & diligentia reuocauimus. Græcas item dictiones, & Latinas ſanè multas cum barbaris, & Arabicis aliud longè ſignificantibus turpiſsimo errore confuſas diſtinximus, & explicuimus. Romanas quoq; etymologias, Græcis uocibus ineptiſsimè attributas, reiecimus: & ueram illis interpretationem exprobatis authoribus iuxta linguæ utriuſq; proprietatem adiecimus. Quæ falſò erant ab eo polita, (erant autem non parum multa) emendauimus, & rationibus firmiſsimis, adiectis etiámnum claſsicorum authorum ſententijs ad rem uel maximè facientibus, refutauimus. In reliquis, quæ craſſam nimis ſupinámque barbariem reſipiebant, ea paulò terſius, ac nitidius, ne lectori ſordeſcerent, expreſsimus. Deniq; Guidonis commentarios de chirurgia conſcriptos, ex puriſsimis Græcorum, uidelicet Hippocratis, Galeni, Pauli Aeginetæ, & Aëtij Amideni fontibus, ac longè erudiṫiſsimis, atq; elegantiſsimis Cornelij Celſi de re medica libris, ita locupletauimus, & illuſtrauimus, à mendíſque illis ſordidioribus, ac portentoſis erroribus, quibus paſsim deformati erant, expurgauimus, ut non iam amplius Cauliaci illius opus, ſed noſtrum meritò ab omnibus dici & æſtimari poſsit. Quod & me etiam tacente facilè uidebunt, ac (niſi iniqui fuerint æſtimatores) ingenuè fatebuntur, quicunq; noſtras has inſtitutiones chirurgicas accuratius perluſtrauerint, & eas cum ſcriptis

Ordo. Guidonis conferre non fuerint grauati. In quibus (fateor) ordinem illum à Guidone conſtitutum (quòd nobis, ut ſuprà diximus, longè optimus uideretur) ubiq; ferè obſeruauimus. De quo nonnihil modò, quando id præſens locus poſtulare uidetur, obiter dicemus. Itaq; à definitione eius ipſius de quo agitur, iuxta Philoſophorum præceptum, ſemper auſpicamur. Mox quod iam definitione explicatum eſt, in ſuas differentias diuidimus. Poſt hæc cauſas, ſigna, & iudicia cuiuſq; ſubijcimus. Deniq; uniuerſalem curandi rationem apponimus. Iis ſic abſolutis, differentiæ illæ primæ ac (ut ita dicam) genericæ, propria etiam definitione circumſcribuntur, & deinceps in ſuas ueluti fibras ſinduntur, quæ notis cuiq; peculiaribus ſcitè deſignantur: præſagia deinceps cuiuſq; propria notantur, poſtremò curandi methodus particularis deſcribitur. Quo ſanè ordine uix alius (meo quidem iudicio) ſtatui, aut excogitari melior potuiſſet. Cæterùm nos tantum uniuerſalem methodum eorum affectuum, qui chirurgiæ ſubiecti ſunt, hic ſequuti ſumus: quòd hæc abundè ſatis ſit, ijs qui in rationali medicina probè ſunt inſtituti, & corporum ægrotantium, ac ſingularum partium affectarum temperaturam, ſitum, connexum, ſubſtantiam, figuram, actionem, uſum, & ſi quæ ſunt alia ex ſcriptis medicorum, ſed Galeni maximè, didicerunt. Itaq; ſuperuacaneum iudicaui de ijs rurſus affectibus, quatenus in ſingulis partibus incidere conſueuerunt, diſſerere.

Anatome. Anatomen quoque (cuius cognitio in primis chirurgo eſt neceſſaria) prætermiſimus, quòd hæc in longè eruditiſsimis ac propè diuinis Galeni commentarijs de uſu partium corporis humani, & libris eiuſdem de anatomicis adminiſtrationibus, ac quibuſdam etiam alijs, ſumma tum arte, tum eloquentia, conſcriptos (ut reliquos taceam, qui hac de re noſtra memoria ſcripſerunt) ampliſsimè, ac fideliſsimè doceatur, & exponatur. Verùm enimuerò cum in eiuſmodi libris plurima ſint, quæ ualdè multis ſubobſcura, quædam uerò alijs prolixè nimis dicta, & parum ad chirurgum pertinentia uidentur, ſi in poſterum cognouerimus noſtros hoſce commentarios ab huius artis chirurgicæ ſtudioſis hominibus probari, atq; ut his accedat anatome (quod iam ſubodorati ſumus) deſyderari quæ iam ante annos aliquot, ea, qua fieri potuit breuitate & facilitate in hanc rem, quantum ſatis eſt chirurgo, conſcripſimus, alia æditione ſuperis benè fauentibus, ne quid huic operi deſit, in publicum emittemus.

Stylus. Quod autem ad ſtylum attinet, quo in hoc opere, quod totum ad docendum res, eáſque non indignas cognitu, eſt accommodatum, uſus ſum: non tam religioſus fui, ut illum tam anxium uerborum delectum, támque ſplendidum orationis cultum, & ornatum ubiq; obſeruarem, qualem ab omnibus, qui in communem utilitatem aliquid ſcribunt, exigere ſolent delicatuli iſti lautioris eloquentiæ inſtitores, qui omnem dictionem atq; orationem ut putridam auerſantur, ac reſpuunt, quæ ex Tulliana officina deprompta non ſit: cùm tamen Tullius ipſe non requirat eloquentiam à philoſopho: quam etiam neq; Seneca uſquam deſyderat, niſi cum paruo conſtat, cumq; ultrò adeſt, ut res magnas (inquit) magnificè proſequatur. „ Cæterùm & ſi res ipſæ etiam, quas hic tractamus, orationis „ cultum, & ornamenta dicendi admitterent, ne uacabat quidem, dum hæc horis ſucciſiuis commentabamur, ut ſingulas tum uoces, tum ſententias ita ſuperſtitioſe expenderem, & adeò curioſe perſequerer. Sed nec licet nobis etiam eſſe tam diſertis, qui ſeueriores Muſas colimus: quíque non ad ingenij oſtentationem ſcribimus, aut ut uberem famæ meſſem nobis comparemus, ſed publicam duntaxat ſtudioſorum utilitatem ſpectamus. Atq; huius ſanè rei nos

Iacobus Sylvius. ſubinde admonuit Iacobus Syluius, arctiſsima conſuetudine, uel ab ipſa ferè ſtatim ineunte adoleſcentia mihi ſemper coniunctiſsimus: uir cum omni arte ingenua, liberalíque doctrina, tum medicinæ ſcientia præſtantiſsimus, ut copioſæ

pioſæ & eruditæ eius lucubrationes abundè teſtantur. Itaq;, ſi rectè iudico, effeci, ut ſtylus noſter neq; nimis neglectus, neq; anxiè nimis & ambitioſe elaboratus, ſed temperatus & mediocriter cultus uideri poſsit: quanquam duobus poſtremis libris, & paulò cultior ſit, & æquabilior, quippe quod in eis aliquantum plus laboris, & diligentiæ quàm in reliquis adhibuerimus, & quos ſe queremur authores optimos habuerimus. Cæterùm alia æditione, ſi detur interim nobis ocium, hoc, qualecunq; eſt, opus acrius recoquendi, & diligentius caſtigandi, futurum confidimus, ut in eo ſtyli diſparitas nulla, ſed eadem ubiq;, quoad fieri poterit, æquabilitas (quod artis benè dicendi, atq; etiam interpretandi primum caput eſt) reperiatur. Sed iam ſatis multa de præſenti operis materia, & methodo, déque toto labore noſtro dictum ſit: qui an à nobis fruſtrà, uel rectè ſuſceptus ſit, ac perfectus, aliorum eſto iudicium. Reſtat ut paucis dicamus, cur liber ſextus, ad quem toties lectorem quinque noſtris prioribus remittimus, noſtro nomine nó fuerit euulgatus. Id fuit in cauſa, quòd dum importunis amicorum efflagitationibus urgerer, ut quæ de re chirurgica ſcripſeram, ea ederem, non putabam ſextum librum adiungendum: propterea quòd rudem duntaxat, & impolitam quandam ſyluam congeſtam habebam eorum, quæ ibi tractanda erant: quam negocijs plurimis, & familiaribus, & publicis occupatus, haudquaquam recognoſcere poteram. Itaq; id oneris Iacobo Hollerio, lectiſsimo medico, doctiſsimoq; philoſopho, & arte dicendi inſtructiſsimo, dedimus, qui ſic opus rude & inchoatum à me limauit, expoliuit, locupletauit, & conſummauit, ſicq; totum immutauit, ut cùm ad me rediret, meum eſſe nequaquam agnoſcerem. Quocirca ſub illius nomine, potius quàm noſtro, quicquid id erat cenſuimus euulgandum: ne hominem mihi amiciſsimum debita laude, meritaq; gloria fraudaremus. Tu Lector utriuſque labore fruere,

& Vale.

Libri duo poſtremi.

Liber ſextus.

Iac. Hollerius.

PETRI CRVSELII MEDICI
in operis huius commendationem Hendecaſyllabum.

ARS chirurga diu malis magiſtris,
Lanfranco, Albucaſi, Guidone, Bruno,
Rolando, Rogero, Vigonióque,
Indignam malè paſſa ſeruitutem
Cæcis delituit gemens tenebris,
Olim iam medicas duas ſorores
Emerſiſſe uidens: gradu citato
Ad claros ſtudijs uiros, & uſu
Illuſtres medico Lutetianos
Tendit ſuppetias petens, opemq́;.
Cunctantur reliqui: Tagaultus unus
Afflictæ lachrymas, dolens, uicemq́;,
Et ſordes, habitúmque non herilem,
Ornatu decorat nouo, reducens
Denſis è tenebris, ut æmulari
Germanas meritò queat ſorores.
Sic putres Arabum lacus repurgat.
Nam quod Cous habet ſenex, quod ipſe
Huc ſpectans tot habet libris Galenus:
Hic totum poteris uidere Lector
Deſcriptum methodo breui. Proinde,
Summo (iudice me) eſt honore dignus
Vindex Pæoniæ Tagaultus artis.
Quo chirurgia tam bono magiſtro,
Et doctore tibi expolita prodit.

GENERALIS ET COMPENDIARIA CHIRVRGI INSTITVTIO, FACILI ET ARTIFICIOSA METHODO TRADITA.

IN PERITO, AC RATIONALI CHIRVRGO, duo potiſsimùm deſyderantur. Duo in chirurgo deſyderantur.

1 Exacta cognitio eius partis tertiæ therapeutices medicinæ: quæ, quia manu medetur χειρουργικὴ Græcis nominatur. Quatuor ad chirurgiæ cognitioné neceſſaria.

2 Peritia, ac ſolers promptitudo, ſeu prompta quædam dexteritas exequendi ea omnia, quæ ad affectus Chirurgiæ ſubiectos attinent.

1 *Vt exactè cognoſcatur ſcientia, ſiue ars, quæ Chirurgica dicitur, ſcire oportet.*

(1) Quid ſit Chirurgia.
(2) Quæ ſit ſubiecta Chirurgię materia, ſubiectum attributionis nominant.
(3) Quis ſit finis Chirurgiæ.
(4) Quis ordo ſeruandus ſit, in addiſcenda Chirurgia: ſeu quis ſit modus procedendi in diſcenda Chirurgia.

2 *Vt peritè, promptè, ac dextrè exequatur Chirurgus, quæ ad artem quam exercet, pertinent: eum cognoſcere oportet:*

[1] Quodnam ſit hominis chirurgici officium, hoc eſt, quas nam operationes in uniuerſum chirurgicus exercere debeat in humano corpore.
[2] Quomodo manuales ſuas operationes hic artifex exequi debeat.
[3] Methodum, ac media, quibus deuenire poſſit in cognitiones ſingularum operationum, quas exercere debet in humanis corporibus.
[4] Conditiones requiſitas ut probè fiant huiuſmodi manuum operationes.

(1) *Porrò cognoſcimus quid ſit chirurgia, per* Quibus cognoſcatur quid chirurgia.
Rationem nominis, quam etymologiam Græci uocant.
Diuiſionem, quæ & partitio dicitur, ac diſtributio, diductióue,
Definitionem: quę oratio eſt, eius ipſius, quod definitur, naturam breuiter, & apertè oſtendens atque explicans.

CHIRVRGIA, quod ad rationem nominis attinet, idem ſonat quod manuum operatio. Dicta enim eſt ἀπὸ τῆς χειρὸς καὶ τοῦ ἔργου, id eſt, à manu & opere, uel ἀπὸ τῆς ἐργίας, id eſt, ab operatione. Si quidem hæc ars manuum opere exercetur. Hinc chirurgus, & chirurgicus manualis operator, χειρουργος enim quaſi χειρόεργος, & χειρουργία quaſi χειροεργία dicitur. Ratio nominis.

Eſt igitur chirurgia, ſi nominis rationem ſpectes, manualis operatio, uel ars quæ docet rectum uſum operationum, quæ in humano corpore manu exercentur.

Chirurgia bifariam diuiditur: Nempe in ſuas Diuiſio chirurgię duplex.
Significationes diuerſas.
Partes.

Diuiſio chirurgiæ in diuerſas ſignificationes.
Prima.
Secunda.

Prima diuiſio chirurgiæ in diuerſas ſignificationes.
Chirurgia generaliter accepta.
Chirurgia ſpeciatim ſumpta.

Chirurgia generatim accepta, & conſyderata, eſt Variæ definitiones chirurgiæ.
Ars, quæ manus opera morbos, & eorum ſymptomata profligat.

Chirurgia uerò preſſiore uocabulo, ac ſpecialiter ſumpta, eſt

Tertium therapeutices, id eſt, facultatis curandi, ſeu medicinæ curatricis inſtrumentum, uel ſi mauis, pars tertia therapeutices, quæ morbis medetur incidendo, urendo, artus luxatos, & oſſa ſuis ſedibus mota in natiuum locum reducendo, atque id genus alio conatu chirurgico, & manuum artificio.

Hæc definitio communiter ſolet chirurgiæ aſsignari, & eſſentialis nominari.

Sed aliter quoque, ab omnibus ferè recentioribus, tum medicis, tum chirurgis definitur, Nempe hoc modo:

Chirurgia eſt ſcientia, quæ docet modum, & qualitatem operandi, præſertim adglutinando, ſeu conſolidando, incidendo, & alias id genus, quę manu fiunt, operationes exercendo: Homines quatenus licet ſanitati reſtituens.

In Introductorio uerò medicorum hoc pacto diffinitur:

Alia definitio.

Chirurgia eſt alieni, ut propriè uocant, per diuiſiones compoſitioneſquè cum uia quadam ratione ablatio: adhæc uulnerum, atque ulcerum humano corpori accidentium curatio.

Nos autem ex ipſius ſubiecto, & fine (ex quibus finitio omnis ſuſcipitur) breuem, apertam, & eſſentialem ſic illi nunc definitionem accommodamus:

Propria & eſſentialis chirurgiæ definitio.

Chirurgia, eſt ars, quæ ad humani corporis (cuius præcipuè curam habet) aduerſam ualetudinem, manus præſertim opera, & adminiſtratione, profligandam, comparata eſt. Vel ſic: Chirurgia eſt ars, quę præcipuè manus opera, & artificio corporis humani morbos, ac uita propellit.

Secunda diuiſio chirurgiæ in ſua ſignificata.

Secunda diuiſio Chirurgiæ, quantùm ad illius ſignificata attinet, cõmuniter talis ſolet aſsignari.

Chirurgia theorica.
Chirurgia practica.

Chirurgia theorica eſt:

Scientia.

Quæ docet, & ſcientia dicitur.

Hęc enim per demonſtrationem acquiritur, & per cognitionem principiorum artis. Hanc autem quis habere poteſt, tametſi nulla unquam artis opera exercuerit, ut peritus medicus, qui ad unguem tenet pręceptiones artis chirurgiæ.

Chirurgia practica, ea eſt,

Ars

Quæ per ſcientiam, & rationem inuēta ſunt, manuali opera rectè, ac promptè nouit perficere. Et hæc inter artes mechanicas annumeratur. In qua quidem nemo unquam abſolutus eſſe poteſt, niſi qui in ea frequenter ſe exercuerit, & alios artis huius peritos, ſępiſsimè uiderit operari, ac quæ uiderit, diligenter obſeruarit. Hanc nonulli uſualem etiam appellarunt.

Diuiſio chirurgiæ in ſuas partes.

Diuiſio chirurgiæ in ſuas partes,

Generales,
Speciales.

Chirurgia quantùm ad illius partes generales, gemina eſt:

1 Exercens operationes in membris, ſeu particulis mollioribus.
2 Exercens operationes in particulis durioribus.

Partes chirurgiæ ſpeciales, ſunt ſcientia, quæ docet recta cum ratione operari, circa

Tumores præternaturam.
Plagas, ſeu uulnera [ad huc cruenta.]
Vlcera
Fracturas
Luxationes, ſeu dislocationes.
Et circa alia id genus, quæ manus operam deſyderant.

Subiecta chirurgiæ materia.

(2) *Subiectum attributionis chirurgiæ, id eſt, id quod maximè, ac præcipuè conſyderatur in ſcientia chirurgica, & circa quod tota eius verſatur intentio, eſt*

Corpus humanum ſanitati, & ægritudini obnoxium, manus operam expoſtulans: omnia enim, quæ ratione perluſtrat chirurgia, & manu facere docet, ad

ipſius

ipſius utilitatem refert,&accomodat,Alia uerò ratione conſyderatum,ſubiectum eſt alterius ſcientiæ.

(3)*Finis, ſeu intentio chirurgiæ, eſt* — Finis ſeu ſcopus chirurgię

Manus opera,& adminiſtratione,humani corporis morbos curatu poſsibiles profligare:Hunc autem ſcopum non ſemper aſſequitur, ut poſtea dicetur.

(4)*Modus procedendi in diſcenda chirurgia,* — Modus procedendi in chirurgia.

A communioribus ad particularia, ſiue ab uniuerſalioribus ad minus uniuerſalia.

A rebus notioribus ad obſcuriores, & minus notas, quod & in alijs ſimiliter diſciplinis obſeruari ſolet.

Hactenus de ijs,quæ ad cognitionem chirurgiæ attinent. Nunc de ijs,quæ ad eius exequutionem requiruntur: Et primùm de operationibus.

(1)*Operationes, quas exequi debet chirurgus ut aſſequatur intentionem, ſeu ſcopum, aut finē, quem ſibi proponit, ſunt tres: Nempe* — Operationes ad ſcopū ſciētiæ chirurgicę aſſequendū neceſſarię

1 Continuum diuidere,ſeu ſeparare.
2 Diuiſum ſeu diſiunctum coniungere,atque in probam unionem reducere.
3 Superfluum demere.

Porrò continuum ſeparamus: — Continui diuortium.

Incidendo,& excidendo.
Phlebotomando,hoc eſt uenam ſecando.
Scarificando.

Diſiunctum ac diuiſum coniungimus. — Coīnnctio diuortij continui.

Vulnera glutinando(ſeu ut dicunt) conſolidando.
Luxata in locum ſuum adducendo.
Fracturas curando.

Superuacaneum adimimus, — Superflui ablatio.

Tumores,qui præter naturam conſiſtunt, auferendo:
Ganglia,carcinomata,nodos,ſtrumas, myrmecias, & id genus alia radicitùs extirpando:
Seorſum humorem ex uentre hydropicorum educendo:
Sextum in manu,aut pede,digitum reſecando.

[2] *Manuales huiuſmodi operationes obire, atque exequi debet chirurgus:* — Modus exercendi manuales operationes.

Citò, Tutò,
Iucundè,id eſt,citra dolorem,
Sine ulla fallacia,aut impoſtura:
Non lucri,aut corradendæ pecuniæ cupiditate, ſed pia quadam erga proximum affectione.
Sine uanis promiſsionibus de curandis morbis,qui prorſus inexpugnabiles ſunt,atque inſanabiles, cuiuſmodi ſunt cancri occulti & exulcerati, uel elephantiaſis,quę iam inueterauit.

Rurſus ut tutò curet chirurgus, tria ſunt propria, quibus intentus ſit oportet:

1 Vnum,primumq́, ut omninò abſolutionem operis conſequatur.
2 Alterum,ut ſicubi hunc non conſequatur,ſaltem cubantem non lædat. Lib. 4. Metho. med.
3 Tertium,ut uitium non facile reuertatur.

[3] *Media, quibus chirurgus deueniet in cognitionem eorum, quæ illi agenda ſunt, tria ſtatuuntur à Galeno.*

1 Prima
2 Secunda } indicatio
3 Tertia

Prima iodicatio quid ſit.

1 *Prima indicatio (quæ inſinuatio eſt eorum, quæ agenda ſunt) ſumpta ex natura rei, cuius finis intentio dicitur.*

Conſeruatio eius, quod ſecundum naturam eſt. Expulſio eorum, quæ præter naturam ſunt.

Enumeratio eorũ, quę ſecundum naturam ſunt.

Secundum naturam ſunt,

1 Sanitas, id eſt, affectus ſecundum naturam ad efficiendum actionem idoneus:
2 Cauſæ ſanitatis.
3 Effectus ſanitatis, id eſt, actiones, quæ ſecundum naturam ſunt.
4 Vires, id eſt, natura quæ præſens eſt, & aduerſus morbum certat.
5 Conſuetudo, quę uelut altera eſt natura.
6 Temperatura. Quæ omnia ſimilibus conſeruantur.

Quę dicãtur præter naturam.

Præter naturam ſunt:

1 Morbos, id eſt, affectus præter naturam per ſe, ac primò actionem lædens.

Lib. de ſymptoma. diffe.

2 Morbi cauſa. Quæ non per ſe, ac primò, ſed per accidens, ac ſecundo (morbo interueniente) actionem lædit, & impedit.

3 Symptωma ſpeciatim ſumpto nomine, id eſt, accidens quod morbum ſequitur, uelut umbra corpus.

Hæc autem per contraria expelluntur.

Expulſio morbi (cui propriè debetur curatio)

Simplicis,
Compoſiti, & implexi.

Expulſio morbi ſimplicis, fit

Per applicationem eius, quod morbo contrarium eſt.

Prima indicatio ſumpta à re præter naturam unde inſinuetur.

Prima igitur indicatio, à re præter naturam ſumpta, nobis inſinuatur ab ipſa contrarietate, ut

Vnitio	à ſoluta continuitate.
Refrigeratio	à caliditate.
Calefactio	à frigiditate.
Humectatio	à ſiccitate.
Deſiccatio	ab humiditate.
Minutio	à quantitate excedente.
Auctio	à quantitate minuta.
Ablatio	à numero excedente.
Productio	à numero deficiente.
Apertio	ab obſtructione.
Ampliatio	ab anguſtia.
Aſtrictio	ab ampliatione.

Reductio in propriam figuram, à figura mutata. Repoſitio in proprium locum à poſitu uariato, ut membro luxato, inteſtino in ſcrotum delapſo, et ita de aljis.

In morbo cõpoſito quę cõſyderanda.

In propulſione morbi compoſiti conſyderare oportet,

Cuiuſque morbi contrarietatem,
Ordinem contrarietatis cuiuſqꝫ applicandæ.

Vt ordo debitus contrarietatis admouendæ ſeruetur, cognoſcere oportet.

Quis affectus primùm curari debeat.

Affectus, qui primùm curari debet, is eſt,

Cuius curatio cauſa eſt curationis alterius,
Sine quo, alter curari non poteſt,
Qui magis urget, & periculoſior eſt.

2 Secunda

2 *Secunda indicatio, eſt, quæ nobis inſinuat, an id quò tendimus, & prima poſtulat indicatio, ſperari poſſit, ut,* — Secunda indicatio quid inſinuet.

An ſeruare poſſimus, quæ ſecundum naturam ſunt.
An, quæ præter naturam ſunt, expellere ualeamus.

Secunda igitur indicatio, à re ſecundum naturam ſumpta: diſquirit, an

Sanitatis recuperatio ſperanda ſit,
Vires ad uitam ſeruari poſſint,
Cauſæ ſanitatis ſeruari poſſint?
Et ita de cæteris.

A re uero præter naturam ſumpta hæc indicatio ſecunda, inſinuat, an

Morbi, aut ſymptomatis expulſio, ſperari poſſit,
Cauſis poſſimus præcauere.

Porrò nos cognoſcimus morbi expulſionem fieri non poſſe: — Modis tribus potiſsimum cognoſcimus morbum non poſſe propelli, & incurabilem eſſe.

1 Quando morbus ex ſua natura, ſeu eſſentia incurabilis eſt, ut elephantiaſis iam abſoluta, & [ut dicunt] confirmata.

2 Quando laborans renuit auxilia, ad morbi alioqui ex ſe ſanabilis curationem neceſſaria, ut exempli gratia, exciſionem in cancro membrum aliquod particulare occupante. Aut in hydrope paracenteſim, id eſt, pertuſionem, & ita de alijs.

3 Quando curatio morbi nobis propoſiti occaſionem præbet maioris mali: ut ſi malum mortuum (quod uocant) inueteratum, curetur. Aut diuturnæ hæmorrhoides omninò tollantur. Si enim una ex ijs non ſeruetur, periculum eſt, aquam intercutem [maniam] uel tabem aduenire.

Morbum autem ex ſe, ſiue ex ſua natura incurabilem eſſe deprehendimus, ex læſæ partis — Hipp. apho. 22. lib. 6.

Subſtantia, Actione,
Vſu, Situ.

Indicatio à ſubſtantia ſumitur, uel — Morbus ex ſua eſſentia incurabilis à quibus deprehendatur. Subſtantia.

A miſtione in { Calido / Frigido / Humido / Sicco.

A primordio, unde formata ſit ſubſtantia, & eiuſdem conſiſtentia.

Indicatio à miſtione, in calido, frigido, humido, & ſicco,

Aequaliter uitiata, Inſinuat id non poſſe præſtari, quò tendimus.
Inæqualiter uitiata, Inſinuat id præſtari poſſe, quò tendimus.

Indicatio à primordio, ex quo formata eſt partis ſubſtantia, & eiuſdem conſiſtentia,

A ſubſtantia { Solida læſa — Inſinuat non poſſe præſtari id quò tendimus.
Carnoſa uitiata / Spirituali oblæſa. } Inſinuat id poſſe præſtari, quod prima indicatio poſtulat.

Indicatio ſecunda ab actione partis — Actio.

Per quam eſt uita / Sine qua uita eſſe non poteſt } Inſinuat ſi perierit præſtari non poſſe quò tendimus

Per quam melior eſt uita } Inſinuat ſi perierit aliquo modo, præſtari poſſe quò tendimus, ſed tamẽ noxam ſucceſſu temporis maiorem futuram.
Per quam conſeruatur uita

Vſus. *Indicatio ab uſu, ſeu commoditate, ad alterius aſſequutionem, à natura inſita.*

Partis — Neceſſaria ad uitam — Inſinuat ſi perierit præſtari non poſſe id quò tendimus.

Actionis — Non neceſſaria ad uitam — Inſinuat ſi perierit præſtari poſſe quò tendimus.

Situs. *Indicatio ſecunda à ſitu partis ſumpta*

Ad quam medicamenta pertingere,
- Poſſunt, poſſe
- Non poſſunt, non poſſe

} obtineri quod prima indicatio poſtulat, inſinuat.

Tertia indicatio. 3 *Tertia indicatio (quæ remedia inuenit, quibus aſſequi poſſumus id quod prima indicatio poſtulat & ſecunda fieri poſſe ſperat) nobis inſinuat*

Auxilia opportuna, ad finem quo tendimus aſſequendum.
Vſum remediorum conuenientium.

Auxilia conuenientia, quæ & inſtrumenta dicuntur,

Communia.
Propria.

Inſtrumenta, ſiue remedia cõmunia dicta, hoc eſt, quæ omnib. corporis partib. applicari poſſunt,

Medicinalia:
Ferrea.

Inſtrumenta medicinalia

Bona uiuendi ratio, ſiue (quod aiunt) bonum regimen, in rebus ſex non naturalibus,

Pharmacia
Phlebotomia
Emplaſtra
Vnguenta
Pulueres, & ſimilia:

} In ijs tribus primis applicandis, chirurgus debet peritum aliquem medicum conſulere.

Vnguenta. *Vnguenta, quibus munitus eſſe debet chirurgus, ut communioribus ſuæ artis intentionibus ſatiſfaciat numero ſunt quinque,*

Baſilicum	ad maturandum, & pus mouendum.
Apoſtolicum	ad detergendum ſiue purgandum.
Aureum	ad implendum, ſeu (ut dicunt) incarnandum.
Album	ad glutinandum ſeu conſolidandum.
Dialthęum	ad demulcendum, mitigandumúe

Ferrea inſtrumenta communia. *Inſtrumenta ferrea communia, quibus utitur chirurgus, ſunt*

Forfices
Nouacula, ſeu culter raſorius
Scalpellum chirurgicum quod phlebotomon appellant,

} Ad incidendum & excindendum.

Cauterium,

Cauterium, ad urendum

Forcipes, uulgo tenaculæ
Vulſellæ,ſeu uolſellæ.
Hamus recuruus
Ferramentum,quod Diocleum graphiſcum Græci uocant. Cuius deſcriptionem, & uſum uide apud Cor. Cel. lib. 7. cap. 5. } Ad extrahendum.

Specillum, Ad explorandum.

Acus
Cannulæ } Ad ſuendum.

Ex ijs magis neceſſaria, & quæ in uſum veniunt quotidianum, atque ideo ſemper à chirurgo circunferri debent, ſunt,

1 Forfices, Ciſeauls Gallice.
2 Volſellæ ſeu Vulſellæ, *Pincettes.*
3 Nouacula,
4 Specillum, *Eſprouuette.*
5 Scalpellum, *Lancette.*
6 Acus, — Inſtrumenta ferrea chirurgo magis neceſſaria. 6.

Inſtrumenta propria ferrea, id eſt, quæ alicui particulari membro dicata ſunt.

Modiolus, quem χοινίκιον Græci uocant. capiti falx, ſeu falceolus: ſedi ſiue ano: — Ferrea inſtrumenta propria.
Speculum oris, Speculum matricis.

* *Vſus remediorum conuenientium ad finem propoſitum aſſequendum, ex ſingulis tractatibus habetur, iuxta uarietatem rerum (vt vocant)* — Vſus remediorum.

Naturalium,
Non naturalium,
Et præter naturam, } Item eorum quæ illis annexa dicuntur.

Res naturales dicuntur, quæ corporis noſtri conſtitutionem ingrediuntur. Et hæ numero ſunt ſeptem: — Res naturales.

1 Elementa, ignis, aër, aqua, terra.
2 Temperamentum, calidum, frigidum, humidum, ſiccum, & c.
3 Humores, ſanguis, pituita, utraque bilis.
4 Membra {
Principalia. cereb. cor, hepar, teſtes.
Potentias ſortita inſitas, & manantes à principibus, pulmo, uentriculus, renes.
Principib. ſubminiſtrantia, arteriæ, uenæ, nerui, uaſa ſpermatica.
Ab inſitis ſibi à natura facultatibus gubernata, os, chartilagines ligamenta, &c. }

His annexa ſunt, Aetas, Sexus, Vitæ induſtria.

5 Virtutes
6 Operationes
7 Spiritus } Animales, uitales, naturales.

Res non naturales, ſunt, quæ corpus humanum, ſi rectè adhibentur, conſeruāt incolume: ſi verò haud rectè accomodantur corpori, tunc idem deſtruunt. Sunt autem numero ſex: — Res non naturales.

1 Aër, ſiue ambientis aëris adhæſus.
2 Cibus & potus, ſiue ea quæ aſſumuntur.
3 Motus & quies, & totius corporis, & partium ſingularum.
4 Somnus & uigilia.
5 Inanitio, & repletio: ſiue ea quæ excernuntur, & retinentur.
6 Animi affectus.

Annexa ſunt, tēpus, regio, ueti, balneæ, coitus, conſuetudo.

Res præter naturam. *Res contra naturam, ſeu præter naturam dicuntur, quæ humanæ naturæ contrariæ ſunt, ipſamquè demoliuntur, uel lædunt, aut ægrotare faciunt. Et hæ tres ſunt numero, ut ſuprà dictum eſt.*

1 Morbus
2 Cauſa morbi
3 Accidens morbum ſequens
} Quorum diffinitiones ſuprà deſcriptæ ſunt: horum differentias Gal. peculiari lib. explicuit.

Morborum tria genera. *Morborum in uniuerſum tria ſunt genera,*

1 Intemperies ſiue mala complexio, In ſimiliaribus partibus
2 Mala conſtitutio, ſeu compoſitio, In partibus inſtrumentarijs.
3 Vnionis diſſolutio, In utriſque,
Diuiſio perficienda ex lib. de diffe. morbo.

Cauſæ morborum genericæ, recentioribus tres ſolent aſsignari,

Morborũ cauſæ 3.
1 Prægreſſæ ſiue euidentes, quæ & primitiuæ dicuntur uulgò. Græcis autem προκαταρκτικαὶ, quæ extrinſecus corporis deueniunt.
2 Antecedentes ſeu præcedentes. Græcè προηγούμεναι, quæ paratæ ſunt ſtatĩ morbos efficere.
3 Coniunctæ, ſiue continentes. Græcè συνεκτικαὶ, quæ iam morbum excitarunt.

Symptoma ſpeciatim dictum triplex. *Symptoma, ſiue accidens morbum ſequens, trifariàm diſtinguitur. Aliud enim eſt*

1 Actio læſa ſiue functionis noxa.
2 Qualitas mutata, ut caliditas uehemens in phlegmone.
3 Exiens mutatum, ut immodicæ excrementorum { Excretiones, Suppreſsiones.

Actio læditur trifariam.

Ablatè ſiue abolitè	ut	Cæcitas	in oculis
Diminutè ſeu debiliter		Viſus hebes	
Corruptè, ſiue deprauatè		Deprauata uiſio	

[4] *Conditiones requiſitæ ad manuales operationes probè exercendas, variæ ſunt, ac multiplices. Aliæ enim ſpectant ad*

Chirurgicos ipſos, Aſsidentes,
Laborantes, Exteriora.

Boni chirurgi conditiones. *Quatuor conditiones in vniuerſum requiruntur in bono chirurgo: Nempe vt ſit,*

1 Doctus, & diſciplinarum gnarus, earum præſertim, quæ ad ſuam artem pertinent.
2 Multis experimentis exercitus.
3 Ingenioſus.
4 Bonis moribus præditus.

Doctrina. *Doctrina, atq; eruditio boni chirurgi, conſiſtit, In*

Theoria, ſeu ſpeculatione, cognoſcendo res { Naturales. Non naturales. Præter naturam.

Praxi { Exercendo probè, celeriter, concinnè & expeditè operationes manuales. Conſulendo medicum in ijs, quæ ad pharmaceuticẽ attinent, & diæteticẽ.

Ex rebus naturalibus, præcipuè illi cognoſcenda ſunt,

Corporum temperamenta. Singularum partium. { Subſtantia. Temperamentum. Conformatio. Compoſitio. } Ab his enim curandi indicationes deſumuntur.

Experientia

2 *Experientia chirurgi, conſiſtit* — Experientia.

In ijs quæ certa ratione excogitata ſunt, & frequenti uſu confirmata:
Alias empiricus, & temerarius cenſendus erit, niſi ſcilicet experientiã habuerit rationi coniunctam.

Ad Chirurgi ingenium pertinent, — Ingenium.

Bona, ac prompta appræhenſio,
Tenax memoria, Reminiſcentia facilis,
Rectum iudicium, Operandi dexteritas,
Solertia, ac promptitudo in remedijs inueniendis.

Ad operandi dexteritatem, ac promptitndinem, hæc requiruntur, — Ex Cor. Celſo. & Hippocrati, libr. qui κατ᾽ ἰητρεῖον inſcribitur.

1 Acris oculorum acies, claraq́;
2 Manus ſtrenua, ſtabilis, nec unquam intremiſcens.
3 Vt non minus ſiniſtra, quàm dextra ſit promptus.
4 Optima corporis conformatio, atque habitudo.

4 *Mores qui decent chirurgum ſunt, vt ſit* — Mores.

Audax, & animus intrepidus, in rebus tutis, & neceſſarijs.
In rebus dubijs, ac periculoſis non admodum præceps.
Comis, & affabilis erga laborantes.
Manſuetus, ac facilis erga ſuæ factionis homines, & ut græcè dicam φιλέταιρος, id eſt, amator ſociorum.
Prudens, ac circunſpectus in præſagiendo.
Caſtus, ac temperans. Miſericors erga pauperes. Pecuniæ non nimis cupidus, nec exactor iniquus.

Conditiones quæ ad laborantem attinent, tres ſunt præcipuæ, vt — Laborantis conditiones.

1 Pareat medico, non ſecus, ac ſeruus domino, & in nullo propriæ indulgeat uoluptati.
2 Confidat in medicum, & chirurgum.
3 Patienter ferat omnia, quæ fiunt à chirurgo rationali, experto, gratia recuperandæ ſanitatis.

Qui aſſident ægro, debent eſſe — Aſsidentes.

Prudentes. Pacifici. Fideles.

Exteriora omnia apparata eſſe debent:

In utilitatem laborantis,
Et ut morbus deſyderat.

Nomine exteriorum comprehenduntur:

Habitationes uel { idoneæ & omni turba uacantes. / parum commodæ, & turbarum plenæ. }
Quæ nunciantur, aut aguntur.
Quæ iram, triſtitiam, aut aliquem alium affectum infligunt ægrotanti.
Quæ ſomnum abrumpunt & interturbant.

Finis Compendij chirurgiæ.

GENERALIS DIVISIO

TVMORVM, QVI PRAETER NATVRAM *CONSISTVNT GENERALIS DIVISIO,*

In primum Librum Chirurgicarum institutionum Ioannis Tagaultij medici.

Primæ ac generales tumorum præter naturam differentiæ:

1 Phlegm., 2 Eryſipe., 3 Oedema, 4 Scirrhus — Sanguinea fluxione, Bilioſa fluxione, Tenuis, & pituitæ ſubſtantia, Limoſo, & fęculento ſanguine — exuperante procreatur.

5 Inflatio ſeu Flatuoſus tumor — Ex flatuoſo ſpiritu collecto naſcitur.

Abſceſſus, quod Græci apoſtema nominant.

φλεγμονή. 1. *Phlegmone duplex eſt,*

1 Ex ſanguine ſyncero: Vera phlegmone uulgò appellatur.

2 Ex ſanguine optimo alijs humoribus commiſto: — Recentioribus chirurgis phlegmone non uera nominatur.

Ex ſanguine optimo alijs humoribus commiſto, fit

Phlegmone — Eryſipelatodes, Oedematodes, Scirrhodes.

Phlegmonoſi affectus ſunt:

Dothiennes — Furunculi Cel. Auicen. Aldemurenul. Tuberculum acutum cum inflam. & dolore.

Bubo, Simplex laxarum partium inflammmatio.

Phygethlum. — Panus uocatur Celſo. Græcis phlegmone eryſipelatodes, uel eryſipelas phlegmonodes. In inguinibus & alijs naſcitur.

Phyma — Inflammatio glandularum, quæ citò augetur, & ad ſuppurationem accelerat. Celſo tuberculum dicitur.

Carbunculus. Græcis anthrax — Cum puſtulis, Sine puſtulis.

Nil aliud quoque quàm phlegmonæ ſunt,

Vuæ, — Gurgulionis, qui Græcè γαργαρεών & σταφυλή dicitur, Latinis etiam columella.

Tonſillæ — Glandularum, quæ in faucium principio ſibi opponuntur, amygdalas uulgò appellitant.

Pariſthmia corporum, quæ in pharynge conſiſtunt.

Hæc morborum & partium ſunt nomina.

Phlegmonem ſequuntur, atque eius proles ſunt

Abſceſſus — Qui etiam fiunt aliquando protinus ab initio, nulla inflammatione præcedente.

Sinus, — Græci κόλπον nominant, recentiores chirurgi ulcus profundum & cauernoſum, quod nondum occalluit.

Fiſtula, — Græcis σύριγξ dicitur. Hæc nihil aliud eſt, quàm ſinus arctus & oblongus, qui non ſtatim curatus, temporis progreſſu obduruit, & callo obductus eſt.

Gangræna. Partis affectæ mortificatio, non tamen abſoluta.

Sphacelus { Latinis ſyderatio. Abſoluta atque omnimoda partium etiam ſolidarum mortificatio & corruptela.

Eryſipelas bilioſæ fluxionis ſoboles, geminum eſt, ἐρυσίπελας

1 Verum ac legitimum { Solius cutis paſsio eſt, & abſque ulceratione incidit.

2 Non exquiſitum ſeu illegitimum: { Non ſolam cutim, ſed etiam ſubiectam carnem occupat, ac moleſtat.

Eryſipelas non legitimũ, duplex eſt:

1 Ex bile craſsiore, & acriore, exacta tamen & ſyncera, { Nominatur eryſipelas cum ulceratione.

2 Ex bile alijs humoribus permiſta, alios tamẽ ſuccos exuperante: { Dicitur eryſipelas { Phlegmonoſum, Oedematoſum, Scirrhoſum

Eryſipilati ſimilis eſt herpes: Qui geminus eſt Galeno,

1 Herpes exedens ſiue depaſcens, { Græce ἑσθιόμενος. A bile fit acriore & exacta totam cutim uſque ad ſubiectam carnem exulcerante. Eiuſdem generis eſt cum exulcerato eryſipelate.

2 Herpes miliaris ſiue puſtuloſus { Cenchrias Græcè. Ex bile fit tenuiore, & dilutiore, proinde & minus acri calidaq́.

Ad eryſipelas etiam pertinent,

Bullæ ſimiles jis, quæ in corpore à feruida aqua terrefacta contingunt, Phlictenæ à Græcis uocatæ.

3 *Oedema bifariam conſyderatur.* οἴδημα

1 Vt ſymptoma. { Tumor rarus, & ſine doloris ſenſu: ex pituita, uel flatulento ſpiritu, periculoſos quoſdam affectus ſequens, ut tabem, cachexiam, hydropem.

2 Vt morbus.

Oedema morbus duplicem habet originem.

1 Ex pituita ſola. { Tumor etiam laxus, fungoſus, & abſque doloris ſenſu, ex tenuis pituitæ influxu ortum habens, quod uerum ac legitimum œdema nominant. Oedema morbus.

2 Ex pituita alijs humoribus permiſta, ſed tamen illis præpollente. { Recentioribus œdema non uerum atq; illegitimum appellatur.

Oedma morbus ex pituita alijs humoribus commiſta, in treis differentias ſindi ſolet: Nempe in

1 Oedema phlegmonodes,

2 Odema eryſipelatodes,

3 Oedema ſcirrhodes

Ad Oedema referuntur, Tumores œdematoſi.

Hydrocele { Vulgò hernia aquoſa. Quum humor aqueus in teſtium tunicis cógregatur.

Aſcites { Aquoſus hydrops. Quum ſeroſus humor in membrana abdominis interiore continetur.

Leucophlegmatia. { Hypoſarca, & anaſarca, etiam dicitur. Quum corpus inæquale eſt, tumoribus aliter, aliterq́ per totum id (ut Celſus ait) orientibus.

σκιῤῥωμα. σκίῤῥος. 4 *Scirrhus, tumor durus ſine vllo dolore.*
1 Exquiſitus. Senſu caret, nec curationem admittit.
2 Non exquiſitus. Non omninò eſt ſine ſenſu, ægrè tamen admodum ſentit.

Scirrhus tam exquiſitus, quàm non exquiſitus,
1 Statim ab initio paulatim concreſcens, & augeſcens.
2 Ex coincidentia creatus.

Scirrhi qui à principio paulatim concreſcunt, & augentur:
1 Ex pituita lenta, craſſaq́; tenuiore eius ſubſtantia reſoluta,
2 Ex atra bile, ſeu melancholia.

Scirrhi ex atra bile, ſeu melancholia (vt vocant) naturali,
1 Sola, & alijs humoribꝰ impermiſta. — Legitimi, & ueri ſcirrhi noſtræ ætatis chirurgis appellantur.
2 Alijs humoribus commiſta, dominium tamen ſuper illos obtinente. — Illegitimi cenſentur.

Scirrhus ex atra bile alijs permiſta humoribus,
1 Phlegmonodes,
2 Oedematodes,
3 Eryſipelatodes.

Scirrhi ex coincidentia, vel tranſmutatione, fiunt
Phlegmone, Eryſipelate, Oedemate, — impendiò refrigeratis.

Melancholici, ac ſcirrhoſi tumores cenſentur,
Cancer, Græcè carcinωma. Fit ab atra bile, ſine ebullitione.
Phagedæna cum tumore. — Cum cute pariter ſubiecta attingit, & depaſcitur. In quo differt ab herpete.
Vlcera cacoëthe, id eſt maligna, cū tumore: ut ſunt Chironia & Telephia.
Pſora, Lepra, — Cutis tantùm affectus ſunt.
Elephas, ſeu elephantiaſis. — Ex ſanguine melancholico ducit originem. tempore uerò bilis atra ſanguine copioſior redditur, id eſt, elephas incipiens.
Satyriaſmus, id eſt, elephas incipiens.

Vicina ſcirrho ſunt,
Enchymomata, Melaſmata, — Senibus ex uenarum contuſione accidentia, ſanguine ex uenis effuſo ob extremas earum adapertiones & interdum ob tunicarum contuſiones.
Ancuriſma — Arteriæ adapertę affectus, ex quo interdum, grumo ſcilicet inna to, ſphacelus gignitur.
Varices, Id eſt uenæ dilatatæ in cruribus à ſanguine craſſo.

Scirrhi ſunt à parte affecta nomina ſortiti.
Chœrades, Id eſt ſtrumæ glandularum.
Sarcocelæ, Id eſt ramex teſtium, uulgò hernia carnoſa, fit cum caro inter tunicas teſtium increſcit.

Inflatio. 5 *Ex inflationum genere ſunt,*
Tympanias ſeu tympanites, — Hippocrati aqua inter cutem ſicca uocatur.

Priapiſmus

Priapiſmus, qui & ſatyriaſmus quibuſdam dicitur { Pudendorum intentiones non remittentes, à ſpiritu halituoſo cauernoſum neruum (qui propriam colis ſubſtantiam conſtituit) implente.

Sunt & parui quidem tumores in cute naſcentes, qui ad prædicta genera referuntur, ut Parui tumores in cute naſcentes.

Achores, { Pituitæ ſalſæ, & aluminoſæ ſoboles. / Parua in cute capitis ulcera, cum tumore modico.

Faui, { Ex his humor melleus effluit. Cum tumore quodam, & foraminibus plurimis eueniunt.

Ad ſcirrhũ pertinent { Myrmeciæ, { Verrucæ, quæ latiore ſunt baſi, & quaſi ſeſſiles. Latini formicãtes uerrucas appellãt. / Acrochordones, Penſiles uerrucæ, & anguſtiore baſi.

Pſydraces, ſeu pſydracia, { Tumores parum ſupra ſummam cutem eminentes, phlyctenis, hoc eſt, bullis, quæ ab igne excitantur, ſimiles.

epynictides { Liuentes puſtulæ, fabæ magnitudinẽ non excedentes, noctu quidem magis, quam interdiu infeſtantes.

Tumores etiam ſunt, ſed non ex humoribus:

Epiplocele, Cum omentum in ſcrotum deſcendit.

Enterocele, { Inteſtinorum ramex, / Hernia inteſtinalis uulgò.

Enteroëpiplocele, Cum inteſtinum ſimul cum omento in ſcrotum delabitur.

Cirſocele, { Vulgò hernia uaricoſa. Fit cùm teſtium integris tunicis ramex inaſcitur.

Bubonocele, id eſt, inguinis ramex. { Fit rupto peritonæo, aut uulnerato iuxta inguen. Ad obliquos uentris muſculos pertinet, & ad nerueam illorum tenuitatem.

Exomphalorum eminentia, cum umbilicus indecore prominet. { Hic affectus ad trãſuerſos muſculos pertinet, & nerueam eorum tenuitatem.

Ex carne ſupercreſcente fiunt

Sarcocelæ, Tumor teſtium, Cùm caro inter tunicas ipſorum increſcit. Tumores ex carne ſupercreſcentes.

Epulides, { Superfluæ carnes ex inflammatione in extremo molari dente, cui dolor quandoque, & febris iungitur.

Parulides, Abſceſſuli circa gingiuas facti, qui niſi ſoluti fuerint ſuppurantur.

Thymi, thymia, uel thyma. { Verruculæ infrà tenues, ſuprà latiores, capituli, id eſt, cacuminis floris thymi fruticis ſurculoſi, figuram uerius quàm colorem repræſentantes.

Polypi, uel polypodes, id eſt, multipedes.
In naribus.

6 *Abſceſſus fiunt, vel* Abſceſſus.

Natura fluorem uincente,
Natura à fluore uicta. Hi toto genere præter naturam ſunt.

Abſceſſuum, qui toto genere præter naturam ſunt, materia,

Humores, Solida corpora.

Vniuerſa hæc, tunica quædam membranoſa cóprehendit.

Humor qui in abſceßibus toto genere præter naturam continetur, alius eſt, veluti

Lutum, Cœnum,
Olei limus,
Vini fex, Vrina,

Melleus mucoſuſqúe ſuccus.

Solida corpora in abſceſſibus inuenta ſunt, veluti

Vngues, Lapides,
Pili, Pori,
Oſſa, Teſtæ,

Animalcula, propè omnibus, quę ex putredine generationem habent, ſimillima.

Frequentißima abſceſſuum genera ſunt tria, quorum natura ex nominibus conſtat,

Atheroma, In eo pulticulæ quid ſimile inuenitur.
Meliceris, In quo melli quid ſimile reperitur.
Steatoma, In eo aliquid ſimile ſeuo uiſitur.

FINIS.

CATALOGVS LIBRORVM.

Primus liber tradit tumores præter naturam.
Secundus liber generatim de plagis, ſeu cruentis vulneribus tractat.
Tertius liber eſt de vlceribus curandis.
Quartus liber fracturas tradit, & curat.
Quintus liber luxata oſſa diſtinguit, & reponit.
Sextus liber materiam chirurgicam docet.

INSTITVTIONVM CHI RVRGICARVM IOANNIS TAGAVLTII

Medici, De tumoribus præter naturam, in uniuerſum,

LIBER PRIMVS.

Quid ſit tumor præter naturam, qui vulgò generali nomine apoſtema dicitur, & multiplicis eiuſdem definitionis examinatio. *Cap. I.*

TVMORES OMNES QVI PRAETER NAturam conſiſtunt, recentiores tum medici, tum chirurgi, atque etiam uulgus ipſum, ſub nomine apoſtematis comprehẽderunt. Cùm tamẽ *ἀπόστημα* Galeno, & Græcis omnibus, una ſit ſpecies tumorum præter naturam incidentium, quam Latini appoſitè abſceſſum nominauerunt, & iuniorum turba, accepto ab Auicēnæ interprete uocabulo, exituram, de qua in ſequentibus fuſius, atque accuratius dicetur. Sed & apoſtema nõnunquam ſpeciem, ſeu differentiam faciunt tumoris præter naturam, cùm ſcilicet ipſum diuerſum faciunt ab exitura quã uocant, & puſtulis, de quibus etiam ſuo loco copioſius diſſeremus. Nomine enim apoſtematis gregarij iſti medici, ac chirurgi, ferè eos tumores paſsim intelligũt, qui & in magnam ſatis molem attolluntur, & ex humorum (ut loquuntur) naturalium influxu procreantur, atque ideo etiam uera apoſtemata uocant. Itaque cùm apoſtema generis nomen eſt, omnes pręter naturam tumores ſub ſe complectens, Auicennę, & eius ſequacibus ita communiter definitur. „ Apoſtema, eſt „ ægritudo compoſita ex triplici genere morborum, in unam magnitudinem aggregatorum. Quam definitionem eſſentialem eſſe contendunt. Quippe quæ genere conſtet, & differentia, naturámque ipſius definiti ſufficienter explicet. Porrò, generis definiti locum in ea obtinet ægritudinis uocabulum. Reliqua uerò appoſita ſunt ad differentiam aliorum morborum, qui in compoſitione, ſeu cõſtructione inſtrumentorum contingunt, quorum differentias Galenus recenſet libro primo de morbo, & ſymptomate. Tria autem illa morborum genera, quæ in tumore hoc præter naturam, apoſtemate uulgò nuncupato, reperiuntur, unius morbi eſſentiam conſtituentia, ſunt, intemperies, quam, & malam complexionem appellant: incommoderatio, quæ etiam mala compoſitio dicitur: & continui, ſeu continuitatis, aut unitatis ſolutio: Graijs autem uocibus dicũtur *δυσκρασία, ἀμετρία, καὶ συνεχείας λύσις.* Cæterùm alias multas apoſtematis uulgariter dicti deſcriptiones afferunt, uerius quàm definitiones, quę neque cum ipſo definito conuertuntur, neque eius naturam ſatis explicant, aut eius eſſentiam ſufficiẽter conſtituunt: proinde & accidentales eas uocant. Cuiuſmodi eſt hæc, ex initio libri de tumoribus præter naturam à Galeno conſcripti, ab eis deſumpta, apoſtema ſeu tumor pręter naturam unum aliquid eorum eſt, quæ corporibus accidunt, partem quam occupat, ſecundum omnem dimenſionem, diſtendens. Quæ deſcriptio ex ijs Galeni uerbis decerpta eſt: *ἕν τι τῶν συμβεβηκότων τοῖς σώμασιν ὑπάρχει, τὸ δηλούμενον πρᾶγμα πρὸς τῆς ὄγκου φωνῆς. τὴν γὰρ εἰς μῆκος, καὶ πλάτος, καὶ βάθος* „ *διάστασιν οὕτως ὀνομάζουσιν ἕλληνες.* Hoc eſt: quod tumoris uocabulo ſignificatur, id „ eorum quæ corpori accidunt, unum eſſe conſtat. Sic enim diſtenſionem in lon„ gum, latum, & profundum, nominant: uel ſi ita dixeris, apoſtema, incrementum „ eſt, naturalem ſtatum excedens. Item & quæ ſequitur, ex lib. 13. Therapeutices „ methodi deprompta. Apoſtema tumor eſt, in quo partes à naturali habitu in

Margin notes: *ἀπόστημα.* — Abſceſſus. — Apoſtematis definitio uulgaris. — Definitionis examinatio. — Tria morbo rum genera, tumoris præter naturã eſſentiam conſtituentia. — Definitiones accidentales. — Lib. 13. Therapeu.

quantitate,ſeu magnitudine receſſerunt. Sic autem apud Galenum legitur: ἐν δὲ τῷδε τῷ τρισκαιδεκάτῳ τῆς ὅλης πραγματείας ὄντι, περὶ τῶν παρὰ φύσιν ὄγκων ἀρξόμεθα λέγειν, ἐν οἷς δηλονότι κατὰ μέγεθος ἐξίσταται τὰ μέλη τοῦ κατὰ φύσιν: id eſt, In hoc uerò to- „
tius operis tertiodecimo de tumoribus, qui præter naturam incidunt, diſſe- „
rere incipiemus, in quib. ſcilicet partes à naturali habitu in quãtitate receſſerũt. „

Itaque niſi his definitionibus particulam hanc addideris, actiones lædens, ſeu euidentem actionis noxam inducens, nequaquam abſolutæ, & eſſentiales erunt. Non enim tumor omnis, diſtenſionem in longum, latum, & profundum, ultra naturæ habitum, in toto corpore, aut particula aliqua efficiens, uel incrementum quodcunque, naturalem ſtatum excedens, iuxta uulgarem acceptionem, apoſtema, aut tumor præter naturam, ſtatim dici debet. Siquidem (ut libro de tumoribus prȩter naturam, Galenus ait.)

Gal. li. de tu. præter naturã

Incrementum eiuſmodi naturalem ſtatum excedens, non ægris modò, ſed & ſanis etiam, tam in toto corpore, quàm in qualibet particula accidere poteſt. Obeſi nanque tametſi ultra naturæ habitum, in latum, & profundũ diſtenti ſint, „
non tamen iam præter naturam ſe habent, ſed ſolùm (inquit) non naturaliter. „
Nondum enim naturæ limites ſunt egreſsi, neq; in eis adhuc eſt actionis læſio: „
qui terminus eſt exceſſuũ, qui præter naturam dicuntur. Tumores quoque illi, qui in particulis adhuc ſanis exiſtentibus, & citra omnem ſenſum doloris conſiſtunt, rectè quidem ſupra, ſeu ultra naturam, non tamen præter naturam dicentur. Vt ſi utraque mamma, uel altera duntaxat immodicè increuerit, ita tamen, ut ipſa partis eſſentia ab omni noxa uideatur immunis, nequaquam appoſitè præter naturam, hic tumor dicetur, ſed ultra naturam duntaxat. Ergo ſi abſolutam magis, & eſſentialem tumoris præter naturam definitionem ex Galeni ſententia placet colligere, hoc pacto definies. Tumor prȩter naturam, incrementũ eſt naturalem ſtatum in corpore excedẽs, & læſionem actionis inducens.

Abſoluta tu. præter naturã definitio, ex Gal. ſcriptis deſumpta Haly Abb.

Cæterùm, aliam quoque ipſius apoſtematis impropriè licet ita appellati, definitionem, ex Haly Abb. medico, nominis inter Arabes percelebris, afferunt, quam abſolutiſsimam, & perfectiſsimam eſſe adfirmant: habet autem ſe ad hunc modum. Apoſtema eſt tumor præter naturam, in quo aliqua materia „
replens, & diſtendens eſt aggregata. In qua definitione tumor, generis lo- „
cum occupat, utpote pluribus communis. Præter naturam deinde in ea adiectum eſt, propter incrementum illud, uel corporis totius, uel particulæ alicuius, naturalem ſymmetriam, ſeu naturæ habitum excedens, quod ſupra, uel ultra naturam, cum Galeno appellauimus. Item propter tumores naturales capitis uentris, & iuncturarum. Cùm autem adijcitur, in quo eſt materia aliqua, ſubaudire oportet, ſuperflua, utputa humoralis, uel quæ ad humorem (ut loquuntur) ſit reducibilis. Adiecta præterea eſt particula hæc, aggregata, propter tumores, qui in fracturis, & luxationibus conſpiciuntur, in quibus non humor, aut ſubſtantia aliqua, quæ ad humorem reduci poſsit, tumorem committit, ſed oſſa, quæ extant. Poſtremò appoſitæ ſunt hæ duæ particulæ, replens, & diſtendens, quibus oſtenderet, tria morborum genera ſupra poſita (nempe intemperiem, prauam, compoſitionem, & unionis diuortium) in unum eſſe congregata, atque unius morbi eſſentiam conſtituere.

Tumor.

Præter naturam.

Materia humoralis.

Replẽs et diſtendens.

Tumores autem eiuſmodi, qui præter naturam dicuntur, in tria genera, ſeu tres ſpecies, Guidoni, & ſuæ ætatis ſcriptioribus, ſolent diuidi, in apoſtemata ſcilicet, puſtulas, & exituras. Apoſtemata itaque tunc illi nominant, tumores maiores, in quibus materia, ex qua creantur, magis (ut dicunt) quantitate peccat, quàm qualitate. Puſtulas uerò, exiguas quaſdam eminentias, ſeu minutiores tumores, quos & Bothor appellant, in quibus ſubſtantia ex qua naſcuntur, qualitate magis, quàm copia, moleſtia eſſe ſolet, imò, & plerunque in eis (ut uolunt) uenenoſitas ſubeſt. At exituras, eos tumores uocant, quos Latinis

Tumoris prȩter naturã diuiſio, in ſuas ſpecies iuxta recentiorum ſententiam.

Apoſtemata.

Puſtulæ.

Exituræ.

Latinis abſceſſus,& Græcis ἀποστήματα rectè nominari iam ſupra diximus. Sed liceat cuiq; nominibus quibus uelit, uti, modo à rerum natura (ut Gal. ait) non diſcedat.

De differentijs tumorum, qui præter naturam incidunt. *Cap. II.*

TVMORVM præter naturam, qui uulgò generali nomine apoſtemata dicuntur, uarię ac multiplices ſunt differentiæ. Quæ omnes recentioribus chirurgis ſumuntur, uel à ſubſtantia rei (ut uocant) uel à materia, uel ab accidentibus, uel à membris ſeu partibus affectis, uel à cauſis efficientibus. Itaque differentiæ tumorum, quæ à ſubſtantia ipſius affectus deſumuntur, his & eorum principi Auicennę, ſunt, tumor magnus, tumor paruus. Magna quidem apoſtemata illis cenſentur, Phlegmonôſi tumores, qui in carnoſis particulis tumidioribus fiunt: item œdematôſi eryſipelatôſi, & ſcirrhôſi, qui in molem effatu dignam attolluntur. Parua uerò apoſtemata eiſdem dicuntur, minutæ eminentiæ, (quas puſtulas & bothor appellant) in cute, ac corporis ſuperficie non infrequentius apparentes: cuiuſmodi ſunt lepræ Græcorum, pſωræ.i.ſcabies, impetigines, & id genus alia, de quibus in ſequentibus latius dicemus. Porrò materia tumorum præter naturam, ſunt humores quatuor tam naturales (ut uocant) quàm non naturales, ſanguis ſcilicet, pituita, & utraque bilis, nempe flaua, & atra: item humores, qui toto genere præter naturam ſunt, & ſolida aliquando quædam corpora, flatus quoque, & ſeroſus humor: à quibus omnibus, aliæ ſumuntur tumorum præter naturam differentiæ, ut in ſequentibus amplius declarabitur. Symptomata, ſeu accidentia, quæ communiter ipſis tumoribus ſuperuenire ſolent, ſunt ueluti dolor, calor, mollities, durities, & id genus alia, à quibus etiam, & differentias ſumendas eſſe uolunt. A membris quoque, ſeu particulis ipſis laborantibus: quædam ſumuntur differentiæ tumorum, qui præter naturam conſiſtunt, ut ſunt, ophthalmia, oculi inflammatio: ſynanche, guturis phlegmone: phymata, phygethla, partium laxarum, quas glandulas uocamus, inflammationes, item & bubones.

Diuiſio tumorũ in ſuas diſferentias. A quibus ſumantur differẽtię tumorũ præter naturam recentioribus. Subſtantia. Materia. Accidentia. Pars affecta.

Cauſæ efficientes, à quibus & differentiæ quædam accipiuntur, ſunt, congeſtio, & deriuatio, ſeu fluxio, quod & rheuma Græcis dicitur: criſis, id eſt, iudicium, quod in morbis fit: ac quædam aliæ, tum interiores, tum exteriores cauſæ, de quibus copioſius atque accuratius in ſequentibus edilleremus. Cauſę efficientes.

Verùmenimuerò, tumorum huiuſmodi pręter naturam incidentium, uarietatis, ac differentiæ omnes, ex eius, quod influit, natura, & ſubſtantia, tumorem committente, naſcuntur Galeno lib. quem de tumoribus præter naturam inſcripſit. Item ſecundo libro ad Glauconem, & 13. methodi medendi, ubi
» ubi ad hunc modum ſcribit, ſi ſaltem Græca Latina redduntur. Quinetiam om-
» nium tumorum, qui præter naturam ſunt, uarietas, ex eius, quod influit, natu-
» ra, enaſcitur. Vbi enim flatulenta materia copioſior acceſſit, flatuoſi magis
» tumores fiunt. Phlegmone uerò magis ſimiles, ubi ſanguis: ſicut eryſipelati,
» ubi flaua bilis: & œdematôſi magis, ubi pituita: ſimiliter ſcirrhôſi, ubi uel
» craſſus, uel uehementer lentus humor eſt, qui parti eſt infixus. Itaque tumores omnes præter naturam ipſi Galeno eò loci fiunt, aut ab humoribus, aut à flatuoſo ſpiritu, qui quandoque ſub cute, quandoque ſub circumoſſalibus membranis, quandoque in uentre, quandoque in inteſtinis, nonnunquam in medio horum, & peritonæi colligitur: Greci emphyſema, Auicenna apoſtema uentoſum uocat. Si ab humoribus tumores eiuſmodi fiant, aut calidi, aut frigidi ſunt aut miſti.

Tumorũ præter naturã differentiæ unde naſcantur Galeno. Gal. 13. Meth. Emphyſema

Calidi autem fiunt à ſanguine optimo, ideſt, adamuſſim rubente, & conſiſtentia mediocri: ac moderata qualitate, & tunc phlegmonem Græci, La- Calidi tumores

tini inflamationem uocant. Aut à flaua bile, uel à ſanguine feruenti, ac tenui, uel ſanguine & bile calidioribus, eryſipelas illi, hi ignem ſacrum appellant.

Tumores frigidi.

Frigidi uel à tenui pituita ſuſcitantur, atque hos Græci œdema, noſtri laxum tumorem uocare poſſunt. Auicennna undimiam appellat, aut ab humore atræ bilis, uel craſſa, & lenta, tenaciq́ue pituita, ſcirrhon illi, Latini duritiem, Arabes ſephiros uocant. Ex ſeroſo quoque ſanguinis recremento quandoque tumores fiunt, ut in ſequentibus dicetur.

Tumores complicati.

Cæterùm miſcentur aliquando ſimul eiuſmodi humores, atque tunc ſi alter alteri dominetur, ab eo qui in miſtura exuperat, nomen ipſi tumori inditur. Vt ſanguine bili dominante, phlegmonem dicemus eryſipelatôdem, ſeu eryſipelatôſam. Sicuti ob flauam bilem præpollentem, eryſipelas phlegmonôſum, ſeu phlegmonodes. Iam uerò aliarum miſtionum, ſimilis eſt interpretatio: flegmone ſcirrhôſa, & ſcirrhus phlegmonôſus: œdema phlegmonôſum, & phlegmone œdematôſa. Atque ad hoc exempli, reliquos quoque tumores, etiam ſi trium, uel quatuor humorum inuicem commiſtio ſit, nominabis. Porrò ſi pares ſint, atque ex æquo miſti humores, ita ut alter alteri non præpolleat, tunc per copulam eorum, quos excitant, tumorum nomina coniungemus. Vt ſi ſanguis bili æqualiter miſceatur, uitium illud per coniunctionem, phlegmône, & eryſipelas dicetur, uel cum Galeno, phlegmônes, eryſipelatoſq́ue ſpecie, & natura medium. Et hi quidem ſunt præcipui tumores, qui ex humorum influxione fiunt, ut Galeno placet: Phlegmone inquam eryſipelas, œdema, ſcirrhus. Ad quos innumeri alij naturæ modum excedentes tumores, reducuntur, ac ſub eis comprehenduntur, tametſi uarijs ex cauſis diuerſa ſortiti ſint nomina.

Tumores præcipui qui ex influxu humorum fiunt.

Tumores ad phlegmonem pertinentes.

Itaque ad phlegmonarum genus pertinent, phygethlon quod panus, Celſo authore, à noſtris uocatur. Phyma, tuberculum eidem Celſo nuncupatum. Terminthon, phymatis ſpecies Oribaſio, ſed Aetio phygethli. Dothienes, quos Celſus furunculos uocat. Item gangræna, & ſphacelus, qui à Latinis ſyderatio, & à principe Auicenna aſcachilos, dicitur. Carbunculus quoque, Græcis anthrax nominatus: de quo ſcribit Auicenna capite de pruna & igne perſico.

ERYSIpelatoſi tumores.

Ad eryſipelata uerò quodammodò referri uidentur, herpetes, qui ſpecie ſunt duplices, miliares ſcilicet, & exedentes, quos ἐσθιομένους Gręci appellant. Vtranque ſpeciem Auicennę interpres formicas uocauit, ſed eas cum uerrucis illis, quas Gręci myrmecias, Latini formicas uocant, nominis ſimilitudine deceptus, eodem capite turpiſſimo errore commiſcuit. Has bilioſas inflammationes: herpetas à Græcis nuncupatas Celſus ſub ignis ſacri nomine uidetur comprehendiſſe. Recẽtiores eas inter puſtulas (ut loquuntur) cholericas adnumerant. A bile etiam ferè proueniunt, atque ideò ad eryſipelas pertinent, phlyctænæ à Græcis uocatæ, de quibus agit Auicenna capite de ueſicis: & inflammationibus.

PITVITOſi tumores

Ad tumores pituitæ, hoc eſt, œdemata, referuntur nonnulli tumores ſub apoſtematis nomine à Græcis comprehenſi qui ab Auicenna nodi, ab Haly Abbate ſelaa, & dubeleta phlegmatica dicti ſunt, Latini abſceſſus uocant. Quorum iuxta diuerſas materias in eis contentas, diuerſæ etiam ſunt ſpecies. Nihil autem refert, ſi & genera, uel differentias hoc loco dixeris.

84. Thera.

Porrò tria ſunt Galeno eiuſmodi abſceſſuum genera frequentiſſima, quorum ſingula propriam appellationem Græcè ſunt ſortita, ea ſunt atherωmata, ſteatωmata, melicerides, à ſimilitudine quidẽ contentorũ in his corporũ dicta: ut amplius in ſequentibus declarabimus. Eſt & apoſtematum, hoc eſt abſceſſuũ genus, in quo res aliæ continentur, quæ non humorum modò, ſed & ſolidorum quorundam corporum proprietates repræſentãt: uerùm hæc (inquit Galenus) rarius. Ac de ijs quidem etiã in ſequẽtibus, cùm de abſceſſib. ſermonẽ faciemus.

Ad hæc autem modò dicta abſceſſuum genera pertinent, tumorum quædam nomina

nomina, à recentioribus excogitata, & nuſquam apud antiquos ſcriptores reperta, ut teſtudo, mollis tumor caluariæ inhærens, & talpa: hæc ad atherωma, illa ad meliceridem magis ſpectare uidetur. Ad ſteatωma uerò ferè pertinent, tumor dolore carens, quam Natam, uel Naptam appellant, de quibus ſuo loco dicemus. Huc quoque, hoc eſt, ad tumores pituitæ, ſpectant, uocata à Græcis ganglia, ab Auicenna glandulæ, quæ à uocatis nodis differunt. Scroffulæ quoque à uulgo uocatæ, à pituita fiunt, proinde & ad œdemata reducuntur: hæ Græcis chærades, Latinis ſtrumæ: dicuntur. Galenus tamen alicubi inter ſcirrhos, ob duritiem annumerat. Ad œdema etiam refertur Galeno ea hydropis ſpecies, quæ leucophlegmatias Græcis, & hypoſarca nuncupatur.

Tumorū noua quędam apud recentiores medicos nomina. Teſtudo. Talpa. Nata. Ganglium. Strumæ. Leucophlegmatias.

Cæterùm tumores, qui ad atram bilem ſpectant, & ſub uocato ſcirrho continentur, ſunt. Cancri, qui à Græcis carcini, & carcinωmata dicuntur, Celſus tamen cancrum à carcinωmate ſeiungit, ut illum ab his quæ extrinſecus incidunt, oriri dicat, & ſerpere, hoc corrupta interius aliqua parte innaſci. Idem cancrum in multas ſpecies diducit, eryſipelas ſcilicet, gangrænam, & ulcus nigrum. Huius quoque ſarinæ eſt elephantis, ſeu elephantiaſis, à uuulgo medicorum lepra uocata, & quibuſdam ſancti Lazari morbus. Itaque lepræ nomen Auicennæ, & imperitæ multitudini, morborum grauiſsimum, ac perniciosiſsimum ſignificat: cùm tamen Galeno, Paulo Aeginetæ, ac reliquis Græcis, leuis ſit morbus, non multum à ſcabie differens, quæ pſωra eiſdem dicitur. Ex ſcirrhoſo etiam tumorum genere cenſentur, uerrucæ ab Auicennæ interprete uocatę Latina uoce, quæ tumores ſunt inſtar monticulorū quorundam in cute eminentes, unde & nomen illis factum eſt, à uulgo porra dicuntur.

SCIRRHOſi tumores. Cancer. Carcinoma. Elephantiaſis. Verrucæ. Porra.

Huius autem generis ſunt, myrmecia, ac ſi formiculas diceres, & acrochordones, quæ noſtris penſiles uerrucæ dicuntur. Clauus, qui callus eſt figura teres, Græcis ἧλος uocatur Auicennæ almiſmar. Thymion uel thymon uerrucula thymi herbæ capita repræſentans, Auicenna uidetur tuſium, uel ut alia habet lectio, tarſecum nominaſſe. Ex uerrucarum quoque genere ſunt, uocata ab Auicenna cornua, ita quidem dicta quòd cum oblonga ſint, inſtar cornuum recuruantur. Item & calli, quos Græci τύλους uocant: hi ex labore obdurata cute gignuntur. Ad atram quoque bilem ſpectare uidetur morbus, quem dracontion Græci appellant, Latini dracunculum ab eius nominis animalis ſimilitudine, Auicenna uenam medeni, Haly Abbas uenam ſanioſam uocauit. De quo Paulus capite ultimo libri quarti. Hic morbus apud nos parum eſt frequens.

Myrmecia. Acrochordones. Clauus. Thymion. Cornua. Calli. Dracunculi.

Præter hoſce, quos iam recenſuimus tumores, accidunt & alij, corporis ſuperficiem non rarò occupantes, nempe paruæ quædam eminentiæ, quas puſtulas, & bothor appellant. Quæ licet, & inter ſe, & ab ijs tumoribus quos ſupra commemorauimus, differant: ab ijſdem tamen humoribus fiunt, à quibus & magni iam dicti tumores. Proinde maioris, minoríſue ratione ab illis tantùm diſtare uidentur. Cæterum, ut eiuſmodi minuti tumores (quos ſanè ignorare non debet chirurgus) notiores, ac peruij magis cuique euaderent, operæpretium me facturum putaui, ſi nomina tum Græca, tum Latina, tum etiam Barbara, ac rudem quandam (ut de alijs maioribus fecimus) deſcriptionem hoc loco ſubiecerimus. Ergo, ut rem ipſam aggrediamur, ex puſtularum genere ſunt, lepræ Græcorum, & pſωræ, Latinis ſcabies appellatæ, affectus quidem inter ſe admodùm affines: cutis enim ſunt aſpredines, cum pruritu & corporis colliquatione, ab eodem humore progeniti, nempe atra bile. In hoc tamen differunt, quòd lepra cum manifeſtis ſquāmis cutem profundius in orbē depaſcitur. Pſωra uerò ſuperficiē tantū uarijs figuris lædit, & furfuracea quædā corpuſcula remittit. Itē ea leuis cutis infectio, quæ Gręcis lichen, Latinis impetigo, & uulgo q̃buſdā (ut Manard. refert) uolatica nominat̃. Hæc frequēter, ac facilè in prędictos af-

PVSTVLAE. Lepræ. Pſoræ. Lichen.

fectus, lepram ſcilicet & ſcabiem, quam pſωram uocant, Galeno authore degenerat. Sunt tamen qui Græcorum lepram, impetiginem uocari à Celſo (qui eius genera quatuor facit) contendant.

Quatuor impetiginis ſpecies.

Fiunt autem lichenes teſtibus Galeno, & Paulo Aegineta, miſtis ſaniebus tenuibus, & acribus, cum alijs craſſis. Verùm enimuerò cùm Celſus (ut diximus) quatuor impetiginis ſpecies faciat libro quinto ſuæ medicinæ, euidenti argumento conuincitur, eum aliam rem per impetiginem intellexiſſe, quam Græcorum lichenas. Quandoquidem nullus author Græcus legitur, qui tot genera in lichenis unquam agnouerit.

Impetigo.

Cæterùm, quando cùm ſola leuiori cutis aſpredine, & pruritu manent lichenes, impetiginis nomen retinent. Dum autem peiores fiunt, nomen ſicuti & formam mutant. Si enim manifeſtas ſquammas lichene, id eſt, impetigo excitat, atque altius cutem depaſcitur, lepra propriè dicitur.

Lepra.

Si uerò per extimam tantùm ſuperficiem extenditur, & corpora furfuracea emittit, pſωra à Græcis, à nobis propriè ſcabies uocatur.

Pſora.

Quanquam ſcabiei nomen uulgò & medicis multis, latius longè pateat, qui omne cutis uitium, ſcabiem nominant.

Scabies.

Itaque pura ac uera ſcabies Latinis, is procul dubio affectus eſt, qui Græcis pſωra uocatur, ab Auicennę etiam albara, & morphea (contra quorundam opinionem) diuerſus.

Albara. Leuce.

Porrò quod ipſi Auicennæ & punicis ferè omnibus albara dicitur, à Græcis & Celſo leuce nuncupatur.

Lib. ulti. de cauſis ſymptomatum. Alphi.

Illorum uerò morpheam Græci alphon uocant: in quo quidem affectu non tota quidem caro afficitur, ſed corporis duntaxat ſuperficies, ueluti (inquit Galenus) ſquammis quibuſdam inſpergitur. Sunt autem alphi ipſi Galeno genere duplices, nempe albi, qui ex pituita: & nigri, qui ex melancholico humore prodeunt. Sed hæc à rerum conſequentia tracti diximus. Neque enim leucæ, neque alphi ipſi, inter tumores præter naturam adnumerandi ueniunt, ſed potius inter cutis maculas, ſeu defœdationes. Quæ licet minime lædant, quia tamen dehoneſtant, maiori plęrunque tędio (pręſertim mulieribus) eſſe conſueuerunt, quàm multi alij lædentes quidem, ſed latentes morbi. Vtrunque autem hunc affectum, leucam inquam & alphon, uitiliginis nomine Celſus (qui tres eius ſpecies facit) complexus eſt: quamuis alij medicinæ interpretes, Gręca Latina facientes, leucam paſſim uitiliginem conuertant.

Vitiligo.

Itaque uitiligo, ſi genere quodam comprehendatur, fœdus cutis color eſt, ex malo particulæ alicuius habitu proueniens, quæ nutrimentum probè ſibi aſsimilare non potuit. Maximo enim facultatis alteratricis errore, uitium hoc contingit: cuius duplicem ſpeciem alij cnnſtituunt. Vnam quidem, quę ſolam cutim inficit: alteram, quę altius deſcendit, adeo ut carnem quoque ipſam attingat, ac pilos coloret. Vtraque autem albo, uel nigro præcipuè colore comaculat. Prior ſpecies, ſiue alba, ſiue nigra ſit, Græcis eadem uoce alphos dicitur, & Auicennæ morphea: Altera uerò ſpecies, quam profundiorem diximus, Celſo & Græcis leuce, Auicennæ albara, Haly Abb. lepra nuncupatur, fœdus quidem, & difficile curabilis affectus, non tamen pernicioſus.

Parũ nominibus fidẽdum eſſe.

Ex quibus intelligi poteſt, quòd parum nominibus ſit fidendum, niſi res (inquit ille) adamuſsim fuerit explorata. Eadem enim uox ſæpe apud uarios authores diuerſam, ac longè diſsidentem habet ſignificationem, ut paſsim in ijs commentarijs demonſtratur. Hæc autem obiter, de eiuſmodi maculis, & cutis defœdationibus adnotauimus, ut rerum confuſio, quæ ex perperam intellectis nominibus ſequi ſolet, effugeretur. His igitur omiſsis, ad inſtitutum reuertamur, ac reliquas puſtulas, breuiter (quantùm fieri poteſt) percurramus. Ex quarum etiam genere, præter iam enumeratas, cenſentur Græcorum iönthi, epinyctides, hydrωa, pſydraces, exanthemata, Celſi papulæ, & Plinij mentagra.

Iônthi,parui ſunt,& duri in uultu, ſeu cute faciei tumores, Galeno & Paulo, à craſſo humore progeniti, qui uel reſoluuntur,uel exiguo ingenito pure mat urantur:Latinis uari dicuntur. Meminit Galenus libro quinto de medicamentis ſecundum locos, iônthoſi cuiuſdam affectus, quem principium eſſe dicit elephantiaſis: ſub quo affectu uidetur tertium,& quartum genus impetiginis Celſi comprehendiſſe. Iônthi.

Epinyctides Celſo puſtulæ ſunt peſsimæ, colore uel ſubliuido, uel ſubnigro, uel albo,fabæ magnitudinem non excedentes,in eminentibus partibus,ut tibijs & pedibus maximè,naſcentes. Circa has uehemens inflammatio eſt, & cum ad apertæ ſunt, reperitur intus exulceratio mucoſa: color eſt humori ſuo ſimilis: dolor uerò ex eis ſupra magnitudinem earum eſt.Neque enim (ut diximus) faba maiores ſunt.Nomen à nocte acceperunt, uel quòd noctu grauiori dolore torqueant,uel(ut Celſus uoluit)quòd noctu ferè oriantur. Plinius eas, puſtulas liuentes,ac noctibus inquietantes nominat:Arabes uerò,eſſere, ſere,uel ſaire eiuſmodi puſtulas ſic noctu infeſtantes, uocauerunt. Epinyctides. Vnde dicta epinyctis.

Quod Græcis ſunt hidrωa,Latinis quibuſdam ſudamina,& Plinio papulæ ſudorum dicuntur: Auicennæ uerò, planta noctis: & Almanſori, alhaſaphum. Quò fit,ut epinyctis à planta noctis ipſius Auicennæ plurimùm differat, tametſi uox ipſa Græca epinyctis(ut modò dicebamus) à nocte etiam originem trahat. Sunt autem ſudamina hæc Galeno teſte libro tertio aphoriſmorum, comment. xxi.ex genere puſtularum,in ſumma corporis parte hærentium, quæ inſtar ulcerum cutem exaſperant:proueniuntq́ue,ut & nomen ipſum (inquit) indicat, ob multos ſudores,uel bilioſiores, uel mordaciores,qui cutem mordent, & pruriginoſam reddunt,ac per modum ulcerum exaſperant. Porrò hæc affectio, puerulis,atque iuuenibus,ſed his præcipuè, qui natura ſunt bilioſi, æſtus tempore communis eſt,adeoq́ue facilis curationis,ut per ſe abſque ullo præſidio albicãtibus quibusdam ſquammulis dimiſsis ſaneſcat. Auicennæ autem deſudationes (ut ex earum conſtat deſcriptione) potius exanthematibus Celſi quàm ſudaminibus Galeni,reſpondere uidentur. Sudamina. Planta noctis. Gal. de ſudaminibus. Deſudationes Auicennæ.

Si quis tamen nomina attendat, deſudationes ipſas principis Auicennæ,putabit Græcorum hidrωa, quæ Latini ſudamina uo cant. Verum enimuerò, non tam nomina ipſa,apud Barbaros & Arabicæ ſectæ authores,ſequẽda ſunt, quàm ipſæ rerum deſcriptiones.

Pſydraces,ſeu pſydracia,puſtulæ ſunt,parũ ſupra ſummã cutẽ eminẽtes,phlyctænis,hoc eſt,bullis,quæ ab igne excitãtur, perſimiles.Hæ in capite præcipuè naſcuntur.Pſyzacion corruptè legitur apud Celſum propſydracion. Pſydraces.

Puſtulæ illæ in cute florentes, quæ uulgò morbilli, & uariolæ nuncupantur, Galeno exanthemata,Hippocrati ecthymata dicuntur. Plinius papulas & interdum pituitæ eruptiones uo cat.Porrò uariolæ,& ſcopuli uocati, à materia fiunt craſsiore,morbilli à tenuiore. Papulæ tamen ſcopuli uulgò dictæ, maiores ſunt uariolis.Hæ minora,illi magna ecthymata ſunt Hippocrati,lib.3. Epid. Morbilli uerò eidem herpetes magni nominantur. Magnos autem (ait Galenus) herpetas dixit Hippocrates, uel quia magnum occupant locum, uel quia cum maligna contingunt eroſione.Morbilli nanque,quandoque altero tantùm, quandoque utroque modo magni uiſuntur. Morbilli. Variolæ. Exãthemata. Ecthymata. Scopuli.

Cornelius Celſus libro quinto ſuæ medicinę, poſt tractatum de impetigine,meminit duplicis papulæ:unius quidem leuioris, quæ ſi ieiuna ſaliua quotidiè defricatur, ſaneſcit: alterius maioris, in qua magis cutis exaſperatur,exulcaraturq́ue,ac uehementius & rodit,& rubet, difficiliusq́ue ſaneſcit. Hanc agriam, id eſt, feram dicit à Græcis appellari. In utroque tamen genere, minus uitij, quàm in impetiginibus agnoſcit, adeò ut id quod difficilius ſaneſcit,niſi ſublatum ſit,in impetiginem uerti,ac tranſire,affirmet. Galli(ſi quid iu- Papulæ Celſi.

Dartræ Gallicæ. dico (genus utrunque, ſed prius maximè, dartras appellant.

Id enim uitium maximè rotundum incipit, eademquè ratione in orbem procedit, ac tarde ſerpit. Quæ omnia papulæ primi generis Celſi conueniunt. Has autem Celſi papulas, nihil à Græcorum lichenis differre, nonnuli conſtanter affeuerant: eumquè ſolum authorem inter Latinos lichenas, papulas uertiſſe legimus.

Mentagra. Mentagra, Latina uox eſt Plinio, qua rem omninò aliam ab impetigine, in principio libri. xxvi. uiſus eſt ſignificaſſe, longequè peiorem affectum, quàm quem Græci lichenis nomine intellexerunt: licet in medicinis quandoque Græcorum lichenas impetiginem ſit interpretatus, & morbum eiuſmodi mentagram appellatum, eo loco etiam lichenas uocet. Porrò refert idem Plin. lib. 26. Plinius, malum hoc Tiberij Cæſaris principatu, primùm in Italiam irrepſiſſe, omniquè æuo priore uniuerſæ Europæ, nedum Italiæ, incognitum: tanta quidem fœditate, ut quæcunque mors huic præferenda eſſet, tanta etiam contagione, ut oſculo ſolo ueloci tranſitu inficeret, ſed proceres maximè. Hæc lues, à mento ferè oriebatur, unde & nomen illi factum eſt mentagra.

Mentagram agnouit Gal. Cæterùm morbum hunc agnouiſſe uidetur Galenus. Quinto enim libro de medicamentis compoſitis ſecundum locos, meminit fœdiſsimę cuiuſdam menti impetiginis, quę pruritum (ut ex Critone refert) excitat: & affligit patientes, atque in diſcrimen non mediocre adducit. Nam interdum per uniuerſam faciē ſerpit, et ad oculos uſque procedit, et ferè ſupremæ deformitatis cauſa efficitur. Quæ impetiginis deſcriptio, per omnia mentagræ Plinij conuenit. Errant autem uehementer, qui fœdiſsimum hunc lichenem, mentagram à Plinio appellatum, morbum eum eſſe exiſtimant, quem hodie uulgò quidam Gallicum, alij Neapolitanum, alij citra odium & iniuriam nationum, Venereum appellant. Hic enim ueteribus, & priore ſæculo omninò ignotus fuit, primumquè apud Neapolim irrepſit anno à Chriſto nato 1493. Quo tempore Carolus Gallorum Rex inuictiſsimus, alpes ſuperabat, Italiam petiturus, quāuis antea non longè per Hiſpanias (ut quidam referunt) ſerpſiſſet: quapropter tanquam inde tracta origine, lues Hiſpanica cœpit appellari. Quę peſtis diuina ueluti ultione (ut par eſt credere) ob fœdos, illicitos, atque à Deo uetitos concubitus, in terras immiſſa, magnam generis humani partem ſua contagione, fœdauit, & proſtrauit. Id enim malum ſenſere magiſtratus, ſenſere mancipia ſenſere proceres, ſenſit humilis plebs, ueloci unius ad alterum tranſitu: iamquè per Hiſpanias, Gallias, Italiam, totamquè Europam magno mortalium diſpendio uagatur.

Morbus Neapolitanus. Morbus uenereus quando primū in orbem irrepſit.

Puſtulæ glandoſæ. Sunt & puſtulæ quædam, præter has modò enumeratas, apud Auicennam lib. quarto glandoſæ dictæ, quæ nihil à ganglio differrere uidentur, niſi minoris tantùm, maioriſuè ratione. Mentio quoque eſt apud eundem Auicennam lib. 3. de quibuſdam poſtulis, quas iuncturarum bothores uocat, & libro quarto almatim, quas cùm nigras eſſe dicat, & uiridibus granis ſimiles, Græcorum proculdubio terminthi erunt, quos ſupra inter phymatis ſpecies enumerauimus. Has uidetur Celſus ſimiles uaris facere, & putare à Græcis helcodes dici, id eſt ulceroſas.

Terminthi.

Puſtulę albæ Puſtulæ albæ, uel lacteæ Raſis & Serapionis & bothor leues Auicennę, ſi earum deſcriptiones penitus inſpiciantur, ad iönthos Græcorum, quos Latinè uaros nomiuauimus, pertinere uidebuntur, quanquam eadem remedia, quæ ad illas ſcribit Auicenna, à Dioſcoride ad ephelidas præcipiantur.

Hactenùs de differentijs tumorum præter naturam, qui præcipuè foris in corpore fiunt.

De cauſis tumorum præter naturam, extrinſecus apperentium, in uniuerſum. *Cap. III.*

Cauſæ

C*AVSAE* tumorum prȩter naturam, recentioribus medicis & chi- Cauſæ tumorum prȩter naturam.
rurgis, geminæ ſtatuuntur, generales ſcilicet, & ſpeciales. Generales
cauſæ ſunt, fluxio, quod Grȩci ῥεῦμα uocant, et congeſtio.
Rurſus fluxionis cauſȩ ijſdem ſex numero conſtituuntur. Nem- Fluxionis cauſæ 6.
pe membri propellentis robur, excipientis imbecillitas, materiæ copia ſeu mul-
titudo, meatuum deferentium (id eſt, per quos fit fluxio) laxitas ſiue amplitudo,
propellentium anguſtia ſiue ſtrictura, & loci fluxionem excipientis ſitus infe-
rior. Hæ aurem ad quatuor reduci poſſunt, utpote ad membrum propellens,
particulam ſuſcipientem, humoris fluentis conditionem, & ſpacium per quod
fit defluxio.
Cæterùm fluxio concitatur ratione membri expellentis, uel propter robur Pars propellens.
facultatis expultricis ipſius, uel propter connexum naturalem, quem habet
cum membro excipiente, uel propter propriorum meatuum anguſtiam. Pars Praticula excipiens.
uerò aliqua fluxionem excipit, quia uel dolens, aut calida, uel imbecillior, uel
rarior, atque ignobilior, uel in inferiori loco ſita. Porrò ratione humoris fit Humor fluēs.
defluxus in partem aliquam, quia fit copia ſuperuacuus, qualitate moleſtus, Spacium.
ſubſtantia tenuis: ſpacium autem fluxionis cauſa exiſtit, ob meatuum amplitu-
dinem, utpote uenarum, arteriarum, & pororum.
Congeſtionis uerò (quæ altera eſt cauſa generalis tumorum, qui præter na- Cōgeſtionis cauſæ.
turam incidunt) cauſæ geminȩ aſſignantur: nempe error uirtutis, quæ altera-
trix & altrix dicitur, & imbecillitas expultricis. Ex quibus colligitur, quòd tu-
mores calidi, magna ex parte fiunt à defluxu humorum: frigidi uerò eorundem
congeſtione potius excitantur.
Quomodò autem calida fluxio tumorem excitet, apertè ac ſcitè demon-
» ſtrat Galenus, libello illo, cui titulum fecit de inæquali intemperie, adhunc
» modum ſcribens: Statim defluxione calida ad muſculum decumbente, primùm Quomodo calida defluxio tumorem creet.
» arterięmaiores, uenæquè opplentur, ac diſtenduntur: ab ijs uerò minores, at-
» que ita res procedit, donec ad minimas ſit peruentum. In ijs ubi ualenter im-
» pacta fluxio eſt, & amplius contineri non poteſt, pars eius per ipſarum orificia
» egreditur, pars per tunicarum foramina percolatur ad exteriora, atque exin-
» de fluxione implentur ſpacia uacua, atque intermedia primorum corpo-
» rum. Sic omnia ab humore, omniquè ex parte incaleſcunt, ac perfunduntur.
» Sunt autem hæc, nerui, ligamenta, membranæ, caro ipſa, & ante hæc arterię
» & uenæ: quæ ſcilicet & primæ, & præter cætera uario dolore afficiuntur.
» Quippe interius à fluxione tum excalfiunt, tum diſtenduntur, ac diuelluntur,
» diſtrahunturùe. Exterius non modò excalfiunt, ſed etiam premùntur, ac
» degrauantur. Reliquæ uerò particulæ, aliæ quidem calfiunt tantúm, uel com-
» primuntur, aliæ utroque modo laborant. Atque hic morbus phlegmone
» nominantur. Hactenus Galenus. Itaque in eiuſmodi tumoribus præter natu-
» ram, qui ex humorum influxu fiunt, aliquid iam (per initia ſaltem, & antequam
reſtiterit fluxio) factum, ac generatum eſt, & aliquid ad huc futurum, atq;
in generatione eſt: hoc fiens, illud factum eſſe, uulgò dicunt. Quod adhuc fit,
ſiue fiens, materia eſt antecedens, quæ adhuc in fluxu eſt: factum uerò, materia
coniuncta, quæ iam influxit, & in parte laborante impacta eſt. Hinc non
ſimplex, ſed compoſita, in eiuſmodi phlegmone, quæ in generatione ad huc eſt) Omniū morborū qui adhuc in gignēdo ſunt, duplicē eſſe indicationem.
ueluti in reliquis alijs tumoribus, ac morbis etiam omnibus, qui in gignen-
do adhuc ſunt, necdum abſolutionem ſunt nacti) medentis ſolicitudo eſt Ga-
leno, ex ea ſcilicet quæ ꝓuidet, & ea q̃ curat: ſed hæc alterius ſunt cōtēplationis.
Cæterùm tempeſtiuum eſt, ut ſpeciales (quas uocant) tumorum, qui præter
naturam ſunr, cauſas ſubijciamus. Hæ autem tres uulgò aſſignantur: Pri- Cauſæ ſpeciales tumorum præter naturam.
mitiuæ, quæ & prægreſſæ, & euidentes nobis dicuntur: antecedentes, & con-
iunctæ. Græcis dicuntur προκαταρκτικαὶ, προηγούμεναι, συνεκτικαί. Prægreſſæ, ſeu

Prægreſſæ.

primitiuæ cauſæ dicuntur, quę dum aduerſam ualetudinem, ſeu morboſos af-
fectus crearunt, ſeparantur, ut caſus, percuſio, fractura, diſtenſio, luxatio, aut er-

Antecedẽtes.

ror qui in uictus ratione committitur. Antecedentes, ſeu præcedentes cauſæ di-
cuntur, quæ paratæ ſunt morbos efficere, ut ſunt humores quatuor tam natura-

Naturales humores qui dicantur.

les (ut loquuntur) quàm nõ naturales. Naturales humores ſunt, qui ad corporis
nutritionem ſunt idonei, & in maſſa ſanguinaria, continentur: proinde & una
ſanguinis appellatione continentur. Qui ſi ex uenis, aut arterijs effundantur ſu-
bitò concreſcunt, ſiue extra corpus maneant, & profluant, ſiue in ipſo adhuc
quocunque loco contenti, remaneant.

Humores nõ naturales qui dicantur.

Non naturales uerò eos appellant, qui à ſanguine, quo partes nutriuntur, hoc
eſt, maſſa ſanguinaria, ſeparati inueniuntur, & ob ſuam prauitatem, uel corrupte
lam, ex ſeipſis, hoc eſt, ex natura ſua, inepti ſunt ad corporis nutricationem, & ad
alimoniam illi præſtandum: qui quantumuis etiam in aëre nos ambiente per-
maneant, nunquàm concreſcunt. Hi autem uel quadam naturæ prouidentia,
certi alicuius uſus gratia, in conceptacula quædam relegantur, aut foràs ad cor-
poris extima propulſi, tumores non ueros, ac illegitimos appellatos, abſceſſus
inquã, puſtulas, & cutis defœdationes generant. Interdum uerò inſenſibili per-
ſpiratu, uel ſenſibiliter per ſudores, digerũtur, atque exhalant. Nonnunquam in-
trinſecus putreſcunt, & febres excitant. Atque hi (inquiunt) æquiuocè, & impro

Qui ſucci proprie humores dicãtur.

priè humores dicuntur, naturaliumquè nomina ſibi uſurpant. Solùm enim eos
ſuccos, qui ab hepate in ſanguinea generatione, nutritionis, ac fluoris noſtri cor
poris reparandi gratia conficiuntur, propriè humores cenſent appellandos. Cu-
iuſmodi eſt ſanguis uerus, ac purus, bilioſus, pituitoſus, & melancholicus, quo
ſingulæ noſtri corporis partes nutriuntur, inſtauranturquè. Aliæ quidem purio
re, & (ut ita dicam) magis ſanguineo, aliæ uerò bilioſiore, aliæ pituitoſo magis,
aliæ melancholico, prout cuiuſque natura expoſtulat.

Itaque humores, uniuerſi in uenis & arterijs, continentur, quod & coloris ip-
ſius, & conſiſtentiæ uarietas indicat, ut libro de atra bile Galenus expreſſit.

Ex quatuor humoribus naturalibus, quatuor fiũt legitimi ac præcipui tumores.

Porrò ex ijs quatuor humoribus naturalibus dictis, quatuor præcipui, ac le-
gitimi tumores præter naturam fiunt, quæ uulgò apoſtemata uera nominare ſo-
lent. In quib. ſcilicet tumor ad ſenſum magnus eſt, et materia, unde procreantur,
magis quantitate peccat, quàm qualitate. Hi autem proprijs nominibus dicun-
tur phlegmone, eryſipelas, œdema, ſcirrhus. Ex non naturalibus uerò (ut uulga-

Ex humoribus non naturalibus qui tumores fiant.

ribus medicis placet) abſceſſus, quas exituras uocant, & poſtulæ oriuntur, de
quibus in præcedentibus abundè diximus. Atque hos tumores, abſceſſus inquã
& puſtulæ, apoſtemata non uera eiſdem cenſentur. At quę, et alia duo tumorum
genera reduci uolunt, flatuoſos ſcilicet (quas & inflationes uocamus) & aquo-
ſos, qui ex ſeorſa ſubſtantia procreantur, uulgò apoſtemata uentoſa, & aquoſa
nuncupant. Itaque ſex ſunt nomina ſimplicium (ut loquuntur) apoſtematum:
nempe apoſtema phlegmonoſum, eryſipelatoſum, œdematoſum, ſcirrhoſum,
flatuoſum, & aquoſum. Compoſitis uerò (quoniam horum infinita propemo-
dùm turba eſt) non omnib. propria ſunt indita nomina, ſed illis duntaxat, in qui-
bus humor aliquis ſupra cæteros dominium obtinere euidenti ratione deprehẽ-
ditur, ut iam ex præcedentibus ſatis innotuit, & rurſus in ſequentibus ſuo loco
plenius oſtendemus.

Cauſæ coniunctæ tumorũ præter naturam.

Cæterùm cauſæ coniunctæ, ſeu continentes tumorum præter naturam, quos
apoſtemata, puſtulas, & exituras, uocant, ſunt materiæ, quæ in particula ipſa la-
borante, aggregatæ & infarctæ reperiuntur, quæquè adhuc permanent, poſtquã
tumorem excitarunt: ac dum increſcunt, tumores ipſi augentur: cùm decreſcũt,
minuuntur: & cùm deſinunt, finiuntur. Cauſa enim coniuncta, ſiue continens,
morborum omnium, ac diſpoſitionum, quę in corpore ſunt (in uniuerſum ita ab

Cõtinens cauſa quæ dicatur.

Auicenna, & uniuerſo iuniorum medicorum cœtu definitur) Quę cùm præſens
eſt, eius

» eſt,eius quoq; morbus adeſt:cùm uerò tollitur,etiam morbus euaneſcit.

» Verumenimuerò quidam huius ętatis medici non uulgariter eruditi,duas tantùm eſſe morborum cauſas Galeno cõtendunt,externam uidelicet,& internam, ſiue(ut nunc loquuntur)primitiuam,& antecedentem. Itaq; primitiuam, atque externam cauſam(inquiunt) appellat Galenus, quæ extrinſecus, corpori aduenit,ipſumq; uehementer alterat,atq; immutat, quæq; cum aduerſam ualetudinẽ creauit,ſeparatur:ueluti calor,frigus, ſcorpio pungens,Græci(ut diximus) eam προκαταρκτικὴν uocant:internam uerò ſiue antecedentem nominat Galenus,quę in ipſo animalis corpore conſiſtit,& iam morbum facit. Eam autem, quam coniunctam appellant, ne(inquiunt) ſomniauit quidem, cùm ſecundum huius ſententiam,affectus actionem impediens,aut uitians,morbus ſit,& non morbi cauſa.Coniuncta autem illa cauſa,quam Auicenna eiusq; ſequaces ſomniarũt (ut ex data ab ipſis deſcriptione conſtat) affectus ſit actionem lædens, quæ propria eſt morbi definitio.Nihil igitur cauſa illa coniuncta,à recentioribus medicis,& eorum principe Auicenna introducta, à morbo prorſus differt, à quo primùm ea, quæ ſecundum naturam eſt actio,læditur. Cæterùm cùm hæc de triplici cauſarũ morbificarum genere opinio iam inueterauerit, & apud omnes ferè noſtræ etiamnùm ætatis medicos robur inuenerit,non abſurdum uidebitur, ſi eas morboſas cauſas paſsim in hoc opere,dilucidioris doctrinæ gratia, huiuſmodi nominibus diſtinguamus:nempe primitiua,antecedente & coniuncta. Atq; hæc de cauſis tumorum præter naturam dicta ſufficiant:nunc poſtulat ordo,ac orationis ſeries,ut eorum ſigna,& iudicia ſubijciamus,modo tamẽ pauca de abſceſſuum natura,& generatione præmiſerimus.

Coniunctam cauſam nihil à morbo differre, quorundã opinione.

Itaq; abſceſſus,qui græcis ἀποστήματα,& uulgò exituræ dicuntur,Galeno libro
» de tumoribus præter naturam,& ſecundo ad Glauconem, diſpoſitiones ſunt, in
» quibus abſcedunt,atq; inuicem diſtant,quæ prius ſe contingebant,corpora. Ma
» teria enim quæ eiuſmodi tumores excitat,extra carnem muſculi propulſa, conti
» nentia à ſubiectis diducit,& abſcedere facit.Spacium igitur (inquit Galenus) ua
» cuùm in medio fieri oportet, quod aliquam ſubſtantiam ſpirituoſam, uel humi-
» dam, uel miſtam ex utriſq; comprehendit, quæ temporis diuturnitate in multiformes,& uarias ſubſtantias alterantur.

Abſceſſus qui dicantur Galeno.

Duplex autem eſt eiuſmodi abſceſſuum genus:unum,cùm inflammatio in pus uerſa,pus ipſum tanquàm in ſinu aliquo eſt collectum:alterum,cùm nulla præcedente inflammatione humor aliquis,isq; aliàs ſpecie alius,uel ſpiritus aliquis uaporoſus,aut ſubſtantia ex utriſq; miſta,in parte aliqua colligitur.Quod bifariam accidit:nam uel in ſpacio ipſo,quod abſcedentes interiacet partes,eiuſmodi ſubſtantia,ſine præuia defluxione generatur,aut aliunde in ipſam laborantem particulam confluit,uel ſtatim quidem ab initio,uel ea ratione,qua fiunt illa quę ἀποσκήμματα uocantur. Nominant uerò (inquit Galenus) ſic huiuſmodi depoſitionem, cùm qui prius unum membrum infeſtant humores, eo relicto,ad alterum tranſmutãtur. Spacium autem ſibi molitur eiuſmodi ſubſtantia, quæ abſceſſum creat,uel inter duas tunicas,uel ſub quibuſdam membranis. Porrò excoriat tandem circũpoſita corpora, uel quia omnino acris, aut omninò ipſa copia diſtendens,aut putredinem quandam tempore contrahens: ſed & iam tunc acris eſt. Quòd ſi humiditates ipſæ, quibus ſpacium, quod abſcedentes interiacet partes, completur,& abſceſſus excitatur,longo interdum tempore perdurauerint,plures(ut ſupra diximus)habent alterationes,atq; in uarias ſubſtantias tranſmutantur,quæ non humorũ modò,ſed etiam ſolidorũ quorundam corporum proprietates repræſentãt.Nam & lapidibus,& arenis, & teſtis, & lignis atq; carbonibus, & luto,& olei limo,& uini fęci,& ſtipulæ,ac multis alijs talibus, ſimilia corpora, in abſceſsibus contineri inueniuntur, ut iam ſupra de differentijs tumorum explicuimus.

Duplex genus abſceſſuũ. Galenus lib. 24. therap. meth. & libro 2. ad Glauconẽ.

ἀποσκήμματα.

Quæ in abſceſſibus inueniantur.

De ſignis tumorum præter naturam extrinſecus apparentium, in uniuerſum, & eorundem indicijs. *Cap. III.*

Notæ tumorũ præter naturã uniuerſales.

NOTAE tumorum præter naturam ſumma corporis occupantium (quorum duntaxat ſpeculatio ad chirurgum pertinet) ſenſuum organis, ac cuiuſque particulæ laborantis præſentia, facilè deprehenduntur. Vbicunq; enim incrementum apparet, naturalem ſtatum excedens, ac præter naturæ modum particulam, quam occupat diſtendens, eiusq; actionem lædens, quod uel humor aliquis, uel ſubſtantia ex humore procreata, aut quæ ad humorem (ut loquũtur) ſit reducibilis, uel uaporoſus ſpiritus gignit, ibi & tumorem præter naturam, ſeu (ut dicunt) apoſtema generaliter loquendo, eſſe neceſſe eſt.

Cæterùm tumores, quæ uera apoſtemata appellant, tumore, dolore, & calore, magis uel minus intenſis, dignoſcuntur. Non uera autem, quę puſtulas & abſceſſus nominauimus præter tumorem, malignitate quoq;, ſe (ut eorum uerbis utar) mala morigeratione, & ſequeſtratione etiam maiore, uel minore, hoc eſt, ſecundum magis & minus (ut ab eorum uocibus nõ recedam) determinata, deprehenduntur & ſignificantur. Signa autem particularis cuiuſq; differentiæ, & materierum ex quibus fiunt, in ſequentibus ſuo loco dicentur, dum ſcilicet de ſimplicibus ipſorum, qui præter naturam conſiſtunt tumorum differentijs tractabitur. Ex quibus & compoſitæ facilè dignoſcentur. Verumenimuerò nõ prius ad particularia eſt accedendum, quàm de uniuerſalibus ſermo fuerit abſolutus: is enim ordo in diſciplinis obſeruari ſolet: nec immeritò ſanè. Nam uniuerſalia ipſa, atq; cõmunia manifeſtiora ſunt nobis, quàm particularia: quippe quæ magis promiſcua, cõfuſioraq; ſint, quàm particularia, ut primo cap. lib. I. phyſicorũ docet Ariſtoteles. Nemo igitur miretur, ſi paſsim in hoc opere chirurgico, à communioribus, & plura cõprehendentibus, ſemper inceperimus, tum ob nuper adductam rationem, tum quòd ſecundum naturam generalitas, ſpecialitatem antecedit, ut idem teſtatur philoſophus.

Ariſtot. lib. I. Phyſicorum.

Generalitas ſpecialitatem antecedit.

I. Indicia.

Sed ad propoſitum reuertamur, & indicia tumorum præter naturam conſiſtentium perſequamur. Circa quæ primùm aduertendum eſt, omnes eos tumores, quæ uera apoſtemata uocantur, ſi Galeno & Auicennæ credimus, inuicem magna ex parte complicari, neque facilè aliquem eorum ſyncerum, & purum inueniri.

Lib. de differ. morborum.

Nam (ut Galenus inquit) phlegmonæ, hoc eſt, inflammationi ex ſanguine, magna ex parte miſcetur aliquid, quod uel eryſipelatis, uel œdematis, aut ſcirrhi naturam ſeruet. Eryſipelati autẽ, quod phlegmones, aut œdematis, aut ſcirrhi ſpeciem referat. Et ita in reliquis omnibus ſimiliter perpendi. At uerò ij præter naturam tumores, quæ non uera apoſtemata appellitant, ut plurimùm ſynceri, ac puri reperiuntur. Cæterùm ſimplicium ac ſyncerorũ curationes in ſequentibus per ſequemur, ex quibus & compoſitorum & implexorum curatio facilè intelligetur. Nam omnes & perſequi, & componere, ſuperuacaneum mihi uidetur. Si enim ſimplices ipſos tumores omnes cognoueris, deinde, quo pacto inter ſeſe cõponãtur, didiceris, ſatis idoneus eris, qui in reliquis particulatim te exerceas. Sed iã reliqua quę in uniuerſum de tumorib. ipſis ſumũtur iudicia perſequamur.

2. Periodi, paroxyſmi, & criſes tumorum qui pręter naturam ſunt, humorum, ex quibus conſtantur, analogiam (inquit Guido) ſequuntur. Analogiam autem hîc interpretamur proprietatem, ſeu proportionem, naturam, ac ſubſtantiæ ſimili-
3. tudinem, quam formam ſpecificam, & occultam appellant. Tumores eiuſmodi præſertim ſalubres, & qui per humorum influxum fiunt, quatuor temporibus diſtinguuntur, principio, augmento, ſtatu, & inclinatione. Principij nota eſt, cùm particula incipit diſtendi, & fluxionis adeſt initium, cum dolore adhuc exiguo.

Quatuor tempora tumorũ præter naturã

exiguo. Incrementum adeſſe iudicabis, cum uideris tumoris molem attolli, lo cumq́ affectum impleri, & in ſublime efferri, ac ſymptomata, quæ unumquemque tumorem, ſequi ſolent, manifeſtè augeri. Status uerò iudicium eſt, cùm prædicta omnia, tumor ſcilicet & ſymptomata cuiuſque tumoris differentiæ, proprium uigorem ſuum obtinent: nec amplius poſſunt incrementa aſſumere, quin materia faciens tumorem, in aliam formam ſeu ſubſtantiam alteretur, & tranſmutetur. Declinatio autem tunc adeſſe cognoſcitur, cùm tumoris moles, & propria ipſius ſymptomata, imminuuntur, uel materia quæ tumorem facit, in aliam ſubſtantiam incipit tranſmutari. Itaque tempora hæc (ut inquit Guido) penes tria potiſsimùm diſtinguuntur: nempe penes ipſius tumoris eſſentiam, hoc eſt, magnitudinem, uel paruitatem, penes materiæ diſpoſitionem, & accidentia, quæ curandi indicationem plurimùm immutant. Cæterùm quatuor hæc tempora ſimul aliquandò coincidere uidentur, propter breuem ſcilicet, ac penè imperceptibilem uniuſcuiuſque durationem, ut contingit in uenenoſis inflammationibus non letalibus, quæ ſtatim uigent ac florent. Porrò tumores huiuſmodi, qui ex humorum præſertim fiunt influxione, niſi retrocedant (hoc eſt, fieri prohibeantur, per repreſsionem ſcilicet fluentis materiæ) uel ſponte, & citra ullam rationalem cauſam, intrò recurrente fluxione, minimè deliteſcant, altero iſtorum quatuor modorum terminantur: nempe uel inſenſibili exhalatione, ſeu reſolutione, uel facta ſuppuratione, uel corruptione, uel induratione. Omnium autem iſtorum modorum optimus, & magis expetendus, is eſt, qui per ſenſu imperceptibilem fit diſſolutionem: poſt illum uerò, qui per ſuppurationem. At quæ per indurationem fit tumoris præter naturam terminatio, ſimpliciter atque abſolutè mala dicitur. Quæ autem fit ad corruptionem particulæ laborantis, omnium peſsima cenſenda eſt, ut apertè nobis Galenus inſinuat, libello de inæquali temperie, ad hunc modum ſcribens, poſtquam docuit, quomodo fiat phlegmone, ex calida defluxione in muſculum » decumbente. Itaque (inquit) duorum alterum ſequi eſt neceſſarium, uel ſu» perante fluxione, corporum quæ ſuccubuere, ſequi corruptionem, uel ea de» uicta, muſculum ad naturalem habitum reuerti. Subijciamus igitur ipſam pri» mùm fluxionem ſuperari: rectius enim à melioribus incipitur. Duplex hîc in» cidit curationis modus: quòd ſcilicet uel digeretur, ſeu diſſoluetur, quicquid » humoris in particulam procumbit, uel concoquetur: uerùm diſſolutio opta» bilior exiſtit. Ad concoctionem autem hæc duo neceſſariò conſequuntur: nem» pe puris generatio, & eius in aliquod ſpacium abſceſsio. Et paucis interiectis » ſubiungit, At ſi uictæ à fluxione particulæ fuerint, in tantam hæ deuenient in» temperiem, quòd eorum operatio deſtruetur, & ipſæ temporis proceſſu corrum» pentur. Hactenus Galenus.

Diſſolutionis autem ſeu reſolutionis indicia ſunt, leuitas membri & deficiens pulſatio. Signa, tumorem uerti in ſuppurationem, indicantia, ſunt, dolor intrinſecus, pulſatio, & caloris incrementum. Fluxionem uictricem eſſe, & particulæ laborantis corruptelam, teſtantur, nigror, & liuiditas, quibus nonnunquam & graueolentia accedit. Tumorem lapideſcere, hoc eſt, in lapideam abire duritiem, apertè demonſtrat, tumoris imminutio, & cum hac, durities remanens.

Regreſsionis uel deliteſcentiæ notæ ſunt, ſubita tumoris diminutio, quæ interdum propter nimiam refrigerationem, nonnunquam uerò propter ueneno ſitatem (nullis forinſecus admotis reprimentibus) accidit. Ad hanc autem ſubitam atque affatim factam tumoris imminutionem, febris ſtatim conſequitur, ac multa alia praua ſymptomata. Hactenus de ſignis & indicijs eorum tumorum, quos uulgò apoſtematis nomine propriè cenſent appellandos. Puſtularum autē uulgò nuncupatarū notæ & indicia ſuo loco, cùm de illis tractabimus,

1. Principium. 2. Augmentū. 3. Status. 4. Declinatio. Tempora tumorum præter naturam à 4.) tribus potiſsimum ſuū diſcrimē aſſumunt. 5. Tumores præter naturā quatuor modis terminantur. Gal. lib. de inæquali intemperie. Diſſolutionis indicia. Suppurationis notæ. Corruptionis ſigna. Indurationis notæ. Regreſsionis & deliteſcentiæ indicia.

dicentur. Abſceſſuũ uerò (quas exituras uocant) iudicia, ac ſigna, quæ uel ſtatim eos futuros denunciant, uel iam præſentes adeſſe demonſtrant, hæc ſunt.

Signa mox futuri abſceſſus, ex Auicenna.

Cùm uideris (inquit Auicẽna) pulſationem aut duritiem, in longum iam tempus productam, uel caliditatem, aut dolorem increſcentem, tunc exiſtima quòd apoſtema proximum eſt, ut in ſuppurationem uertatur, & fiat exitura, id eſt, abſceſſus. Cùm autem conſpexeris, ac deprehenderis leuitatem quandam affectæ particulæ, & doloris ſedationẽ, ac remiſſum calorem, quodq; tumẽtis loci pars aliqua cæteris emineat, atque in mucronem ſubducatur: ad hæc cùm premendo digitis inundationem (ut loquuntur) perceperis, uiderisq; gibbi illius, ſeu mucronis colorem iam albeſcere, tunc certò credere oportet, pus eo loci ſubeſſe, & tumorem iam abſceſsiſſe. Vnde & ab Hippocrate rectè eſt iudicatum, Quòd dum pus conficitur, dolores, ac febres magis accidunt, quàm iam confecto pure. Porrò notæ eiuſmodi tum iam facti abſceſſus, tum mox futuri, uulgaribus ijs uerſiculis communiter exprimuntur.

Notæ abſceſſus iam facti.

Aph. 47. lib. 2.

Durities longa, pulſus, dolor, & calor aucti
Signant pus fieri: ſed factum, dicta remiſſa,
Sub digitis undans, albeſcens pars, & acuta.

Cęterùm, in pure ipſo cognoſcendo ac dijudicando, maximè te attentum eſſe conuenit. Quandoquidem ſuppuratio ipſa, ſeu puris in loco aliquo comprehenſi notitia, ſæpe occultatur, nec ſatis medico innoteſcit, ob loci ſcilicet, & puris craſsitudinem, ut hac aphoriſtica ſententia nobis expreſsit Hippocrates: Quibuſcunq; ſuppuratio in corpore exiſtens, non innoteſcit, his ob craſsitudinem puris, aut loci non innoteſcit. Atq; hæc de ſignis abſceſſuum, quas exituras uocant, dicta ſufficiant. Porrò de horum iudicijs. hæc ab Auicenna & recentioribus chirurgis ſcriptis tradita ſunt.

Aph. 42. lib. 6.

Iudicia abſceſſuum.

Abſceſſus uulgò exitura dictus, qui iuxta membrum aliquod nobile, uel prope iuncturas fit, atq; adeo in uenoſis, aut neruoſis ipſis partibus, quiq; in debili particula, & natiuo calore propemodum deſtituta, prædura quoque, & denſa cute obiecta, conſiſtit: Ad hæc qui craſsiore materia, & admodum tardiore cõſtat: Planus etiam ſeu æquabilis, & in coni formulam non ſubductus, ſuſpectus admodum eſt, ægreq; ac tarde maturatur. Quocirca maturantibus, & pus mouentibus, auxilijs, ac celeri maturáue apertione indiget. Qui uerò huic ex aduerſo reſpondet, boni moris eſt, & laudabilis. Citò enim & facilè maturatur, & in ſuppurationem uertitur, ſæpiusq; nullo forinſecus adhibito auxilio, per ſe dehiſcit, aperitúrue. Itaque, ſi abſceſſus tendit in acutiem, & puris ſubſtantia tenuis fuerit & acris, nec prædura, aut denſa cutis extiterit, natura ſeipſa, hoc eſt, ſua facultate alienorum expultrice, & citra aduentitium aliquod ſubſidium conceptum humorem foràs propellet: niſi quis facta inciſione protinus ipſam ſpontaneam apertionem anteuertat. Cæterùm, abſceſſus ipſi nonnũquam per halitum digeruntur, hoc eſt, per reſolutionem terminantur, nulla tunc in cute facta continui ſolutione, ubi ſcilicet pus & modicum eſt, & bonum, tenue quoque & nõ in alto deliteſcens. Sæpius tamen facto à natura, uel arte emiſſario, conceptus humor profunditur, quàm digeratur, reſoluatúrue. Quæ autem à natura fit apertio, multò tutior eſt, quàm quæ arte tentatur: quòd ſi arte fiat, ſecurius adhuc & melius ſcalpello, aut candenti ferro illam moliemur, quàm adurente medicamento, quod ruptorium appellant. Ideò autem ea ſectio, quam in abſceſsibus manu & arte molimur, deterior eſt ea apertione quæ naturæ beneficio accedit, quoniam (ut inquit Auicenna) generatiua fit ſaniei (quam uirus & uirulentiam appellant) ſordiciei quoque & fiſtularum. Vbi tamen urget neceſsitas, nec alio datur uti meliori, & præſentiore auxilio, ea intrepidè aggrediunda eſt. Hæc autẽ modò commemorata incommoda uitabis, ſi facta (cùm res expoſtulat) ſectione & continui ſolutione, pus mouẽtia, ad reliquiarũ concoctionẽ, ſeu maturationem

Qui abſceſſus facile concoquantur.

Qui abſceſſus per reſolutionem maxime terminentur.

Melius ac tutius ſcalpello, quàm ruptorio abſceſſus aperiuntur.

rationem & detergentia, prout res exigit, laboranti particulæ mox adhibueris. Cæterùm puris optimi, ac deterrimi notas, oraculo ultimo libri primi præſagiorum nobis expreſsit Hippocrates, ad hunc modum inquiens: „ Pus illud optimũ „ cenſetur, quod album, æquale, [id eſt, ſibi undiq; ſimile] leueq́; [tangēti] & quàm „ minimè fœtidum eſt: Quod uerò huic maximè contrarium apparet, peſsimum eſt. Porrò reliquorum aliorum, tum humorum, tum ſolidorum corporum, quę in abſceſsibus continētur, ſigna & indicia in particularibus capitibus ſubſequētibus explicabuntur.

Puris optimi & deterrimi notæ, ex Hippocrate.

De curatione tumorum præter naturam in uniuerſum (eorum maximè, qui ex influxu humorum fiunt, utraque apoſtemata uulgò dicuntur) & abſceſſuum, quas exituras uocant. Caput V.

TVMORVM omnium, qui præter naturam ſunt, iam factorum & qui non adhuc in generatione ſunt, communis, ac prima curandi indicatio una eſt Galeno lib. 13. & 14. meth. med. nempe, ut quod præter naturam in particula eſt, & eam in tumorem attollit, totum uacuetur. Qui uerò adhuc in generatione ſunt, in his prior uacuatione eſt, confluentis ad affectum locum humoris inhibitio. Proinde in illis non ſimplex, ſed compoſita eſt, medentis ſollicitudo, ac curandi indicatio. Hæ autem communes indicationes pro tumoris ipſius differentia, & particulæ laborantis natura, ac ratione, plurimùm uariant, & immutantur. Siquidem in omnibus iam factis tumoribus, & qualibet corporis parte, eius quod infeſtat uacuatio, haud quaquam ſimiliter administratur, ut libro ſecundo ad Glauconem, & locis nuper citatis docet Galenus: quod ex ſequentibus etiam euadet manifeſtum. Sed neq; iiſdem ſemper auxilijs, quibuſcunq; incipientibus adhuc tumoribus, & quamlibet particulam occupantibus, occurrimus, & præcauemus, aut quod in illis iam factum eſt, uacuamus: ſed alijs atq; alijs prout tumoris genus, ſeu differentia, & partis affectæ natura, poſtulat, inhibentibus fluxionem, & uacuantibus, quod generatum eſt, præſidijs uti nimirùm cogimur, ſi rectam ſaltem agēdorum rationem ſequimur. Itaq; ab ijs duobus, nempe ab ipſa diſpoſitione, ſeu morbi eſſentia, & partis affectæ natura, tumorũ qui præter naturā ſunt, cūrādi indicationes potiſsimùm deſumuntur Galeno.

Tumorum omnium curandorum cōmunis indicatio.

Cōmunes curandorum tumorum indicationes, pro tumoris differentia, & laborante particula uariari.

Curandorum tumorum indicationes à duobus potiſſimũ deſumũ.

Porrò diſpoſitio ipſa, de qua nunc agimus, ſeu morbi eſſentia, tria in ſe iuxta recentiorum placita complectitur. Nempe quantitatē, qualitatē, & materiam, ſeu ſubſtantiam, quæ tumorem efficit. Quorũ ratione, prima illa & communis indicatio immutatur, atq; ab ijs etiamnũ particulares curandi indicationes deſumũtur. Aliter enim tumor magnus, aliter paruus curatur. Siquidem magnitudo, & paruitas tumoris (ut exiſtimant) differentiam conſtituant. Alia enim ratione ingens phlegmone, alia minutus herpes curatur. Aliter quoq;, qui per defluxionem fit, & adhuc in gignendo eſt, quàm, qui per congeſtionem procreatur, aut iam factus eſt. Sed & calidus tumor, ut eryſipelas alia ratione quàm frigidus, ut eſt œdema, uel ſcirrhus, curatur. Quantitas igitur, in tumore præter naturā curationem euarians, eſt, magna, parua. Qualitas, fluxio, ſeu, (ut loquuntur) deriuatio, & congeſtio. Materia, humor calidus, frigidus.

Tumoris eſſentiā tria in ſe continere.

Cæterùm in partium laborantium natura, quatuor potiſsimùm ſpectanda ſunt: temperatura, formatio, ſitus, uirtus, ſeu potentia. Quibus & quintum addi poteſt, facilitas ſcilicet, ac difficultas ſentiendi. Niſi mauis iſtud cum Galeno, ſub uirtute comprehendi atq; includi. Hæc itaq; communem etiam illam, quæ per ſingula diſpoſitionis ipſius, id eſt, tumoris præter naturam, genera obſeruantur, curationem plurimùm euariant. Proinde & has omnes, quæ ab ipſis ſumuntur indicationes, in curandis ijs, qui præter naturam incidunt, tumoribus, me-

In indicatiōe, quæ à natura partium deſumitur 4. potiſſimũ ſpectanda eſſe.

moria tenere oportet. Aliter nanqꝫ curatur phlegmone, aut quiuis alius tumor, in carnoſis partibus, quàm in neruoſis: aliter in oculo, quàm in genu, uel collo: aliter in adenibus, quàm in alijs partibus non glandoſis. Breuiter particulæ ipſius laborantis, ac tumore obſeſſæ, temperatura, & formatio, & ſitus, & uirtus ſeu potentia, ſingulas quas ipſi in morbo curando molimur operationes, cómutant: cómuni etiamnùm intentione ſeruata, quàm ſemper à morbo aſſumendam eſſe Galenus edocuit.

Li. 2. ad Glauconem. Ordo tractandorum in ſequentibus.

Itaque communem curandorum tumorum præter naturam methodum, eorum præſertim, qui ex humorum influxu procreantur, ſumpta ab ipſo affectu indicatione, nulla partis ipſius affectæ habita ratione, tradere hîc primùm inſtituimus. Deinceps eorundem, ſed maximè inflammationé, cùm in abſceſſum degenerauerint, uniuerſalé curationem ſubijciemus. Poſt hæc uerò particularem ſingularum differentiarum, ſimplicium præſertim (ex quarum analogia compoſitorum curatio facilè addiſcetur) curandi rationem perſequemur. Atqꝫ interim ubi locus expoſtulabit, nonnulla de curandi indicationibus, quæ à laborantibus & tumore obſeſsis particulis aſſumuntur, ex Galeno proferemus. Quibus rectè intellectis, facilè erit cuiqꝫ rationali medico, ac chirurgo, tumores quoſcunque, quibuſuis partibus inſidentes, certa methodo, ac ratione curare.

Inuentio occaſionis, principium eſt curationis tumorũ præter naturam.

Galenum igitur imitantes, principium curationis tumorum, qui præter naturam dicuntur, ex humorũ influxu procreatorum, ab inuentione occaſionis ipſius affectus, deſumemus, ut ſcilicet; quæ eum excitant, ac faciunt cauſæ abſcindantur: quod uerò in eo iam factum eſt, tollatur, ſanetúrue. Itaqꝫ ut unius differentiæ tumorum, qui per defluxionem fiunt (de ijs enim duntaxat modò hîc agimus) exemplo, atqꝫ analogia, cæteras etiam differentias, quæ ex influxu humorum naſcuntur, intelligamus, unius phlegmones breuem, ac compendioſam curationem, hîc ſubijciemus. Hæc namqꝫ, & frequentiſsimè incidit, & febres aliaqꝫ ſymptωmata periculoſiſsima excitat. Nomine autem phlegmones hoc loco, non omnem calidam, ac ueluti flammeam diſpoſitionem, quàm Græci etiam phlogoſin appellant, intelligi uolumus, ſed eam duntaxat, quæ fluxionis ſanguineæ ſoboles eſt, in carnoſa corpora maximè incidens, in qua dolor eſt uehemens, rubor per ſumma uigens, calor ueluti deurens, tenſio, renixus', & cùm malum increuerit, pulſationis ſenſus.

Phlegmone quid.

Hanc enim inflammationem cum Galeno, & alijs, qui eum tanquam ducem optimum ſequuti ſunt, Græcis ſcriptoribus, ut Paulo Aëtio, & Oribaſio, propriè phlegmonem appellamus.

Galen. lib. 13. meth. med.

Communis omnium phlegmonarum generatio.

Vt igitur rem ipſam aggrediamur: Communis omniũ phlegmonarum generatio, »
ex ſanguinis influxu eſt, copioſioris ſcilicet, quàm ſit parti ex uſu. Influit autem »
copioſior ſanguis, alia quapiam alijsúe particulis eum aliquando mittentibus, »
ac ea quæ phlegmone laborare incipit, recipiente: aliquando uerò particula, »
quæ affligitur, hunc ad ſe trahente. Partes autem quæ mittunt, uel ut copia ſu- »
peruacuum, uel ut qualitate moleſtum, uel utroqꝫ nomine ſuccum perſequun- »
tur. Quæ uerò attrahunt, hæ morboſo calore, uel dolore trahunt.

Cauſæ adiutrices fluxionis.

Sed & his coadiutrices cauſæ ſunt, particulæ imbecillitas & ignobilitas canalium ſeu uiarum, per quas fit defluxio, amplitudo, meatuum quoqꝫ partiũ expellentium anguſtia, & ſitus inferior, ut iam ſuprà dictum fuerat.

TRES ſcopi in curandis tumoribus, qui ex humorũ influxu fiunt, chirurgo proponuntur.

Itaqꝫ ex omnibus his, tres colligunt recentiorũ chirurgicorum turbæ, curandorum tumorũ, qui ex defluxione ortũ habent, intentiones.

Prima eſt, fluxionem auertere, ac eam omninò intercipere.

Secunda eſt, dolorem demulcere, atqꝫ eam occaſionem, propter quã particula fluxionem excipit, uel etiam attrahit, in totũ ſummouere.

Tertia eſt, id totum quod iam factũ eſt curare, id eſt, totũ eum humorem, qui in partem affectam confluxit, uacuare.

Cæterùm quomodo prima intentio perfici debeat, appoſitè docuit Galenus

libro

PRIMVS ſcopus.
Li.13. Therap.

libro decimotertio methodi medendi, ubi modos omnes auertendæ fluxionis, methodumq́ ac rationem inhibendæ phlegmones, quæ adhuc in generatione
„ eſt, nobis expreſsit, ad hunc modum, ſi Græca Latina faciamus, ſcribens: Vbi
„ æqualiter ſucci inter ſe ſunt adaucti (quod Græci plethoram uocant) imò etiam Plethora quid
„ ubi purum ab excrementis totum corpus eſt, & ſuccorum mediocritatem con-
„ tinet, dolore, & membri, in quo phlegmone ſedet, calore fluxionem excitante:
„ ſanguinis miſsione incipienti adhuc phlegmone ſuccurrimus. Curatur etiam ple
„ thora, tum frequenti balneo, tum exercitatione, tum multa frictione. Præterea
„ digerentibus medicamentis, modò febris non adſit, & præter hæc omnia, ine-
„ dia, ac proba uictus ratione, etiam ſi febricitet æger. Cùm uerò flaua bile, uel a-
„ tra, pituitáue, aut ſeroſis humoribus refertum corpus eſt (eum habitum Græci
„ cacochymiam nominant) purgatione quæ cuiq; ſuppuranti ſucco ſit accommo Cacochymia.
da, uacuatio molienda eſt. Ac de ijs quidem in particularibus capitibus diffuſius tractabitur. Cæterùm antiſpaſis, id eſt, in contrarium reuulſio, commune eſt in omnibus huiuſmodi tumoribus auxilium, dum fluxio adhuc ualenter irruit, utpote in principio morbi, & in augmento: in fine uerò ſtatus, & in ipſa declinatione, dũ ſcilicet iam fluxio reſtitit, atq; in membro inhæſit, & corpus totũ abundè uacuatum eſt: uel ab ipſa quæ affligitur particula, uel à maximè uicina uacuatio amolienda eſt.

Antiſpaſis.

SECVNDVS ſcopus.

Secunda intentio completur anodynis remedijs, id eſt, ſedantibus dolorem, & (ut cõmuniter loquũtur) rectificantibus malam qualitatem: item adſtringentibus, & intercipientibus fluxionem. Ad hæc relaxantibus naturales meatus, per quos membrũ affectũ conſueuerat repurgari.

TERTIVS ſcopus.

Tertiam uerò intentionem aſſequemur, ijs quæ materiam, tumorem excitantem, à loco affecto euacuant. Euacuatur autem contenta iam in loco materia, non ſolùm diaphoreticis, id eſt, euaporantibus ſeu reſoluentibus medicamentis, ſed etiam repellentibus ſeu repercutientibus. Itaque incipientibus phlegmonoſis tumoribus, atque etiam alijs quibuſcunque, qui ex humorum influxu procreantur, magis utendum eſt reprimentibus, quàm euaporantibus, quibuſdam exceptis caſibus: ex quibus (inquit Guido) Galenus uiſus eſt quatuor poſuiſſe.

Caſus in quibus non licet repellere ſiue repercutere.

Primus eſt, quando tumor eiuſmodi ſit in emunctorijs. Secundus, quando ſit à materia uenenoſa. Tertius, quando materia eſt craſſa & repulſioni inobediens. Quartus, quando uehementer eſt impacta. Auicenna duos duntaxat caſus excipit: nempe cùm tumor eſt in emunctorijs, aut loco aliquo, ex quo ſit timendus refluxus, ſeu reditus materiæ ad membrum aliquod præcipuũ & nobile. Alij unicum tantùm caſum eximunt, alij ſex, alij decem, alij 19. alij 23. Ego autem (inquit Guido) diſtinguendo de repercuſsiuis, dico, quòd quædam ſunt repercuſsiua propriè dicta, ut oxycratũ, quod conſtat ex aqua, & aceto: plantago, ſolanum: bolus Armena, abſynthium, cinnamomum, & alia id genus, quæ repellunt materiam, cui occurſant, ad profundum. Alia uerò ſunt repercutientia communia, ſeu communiter dicta: cuiuſmodi ſunt, oui candidũ, quod albumen nominant: malua, oleum roſaceũ, oleum chamæmalinũ, & maſtichinum: item collyria alba, & eius generis alia, quæ alterando membrũ ipſum à ſuperfluitatum receptione uindicant ac tuentur. His ſuppoſitis duo proloquia ſubiungit Guido.

Repellentia proprie dicta

Repellentia communia.

Primũ Guidonis proloquium de repercutientibus.

Primùm (inquit) dico, quòd in principio omnium tumorum, qui ex humorum influxu fiunt, & maximè phlegmonoſorum, conferunt reprimentia propriè dicta, ijs decem caſibus ſolùm exceptis. Primus eſt, quando materia eſt in e-
munctorio. Secundus, quando tumor ſit ex materia uenenoſa. Tertius, quan 1. 2. 3.
do ex materia ſit admodum craſſa, & ad motum inepta. Quartus, quando ma 4.
teria particulæ laboranti uehementer eſt impacta. Quintus, quando tumor cri 5.
ticus eſt. Sextus, quando excitatus eſt à cauſa primitiua. Septimus, quando 6. 7.

8. in corpore eſt plethorico,& admodum pleno. Octauus, quando imbecillum,
9. & uiribus penè deſtitutum corpus occupat. Nonus, quando ſedem habet,iu-
10. xta principem aliquam particulam. Decimus, quando cum uehementi dolore incidit tumor:tunc enim mitigatorijs auxilijs, & non repellentibus propriè dictis opus eſt. Secundum proloquium ad hunc modũ habet. In principio omniũ tumorum phlegmonoſorum conducunt reprimentia communia, & largius (ut dicitur) ſumpta tribus duntaxat exceptis caſibus. Primus, quando eſt in emunctorio. Secundus, quando per criſim excitatus eſt. Tertius, quando ex materia uenenoſa procreatur. Cæterũ in omnibus iſtis caſibus, præcipuè uerò quan do ferè iam cõſtitit fluxio,& tumor iam factus eſt,ſeu (ut loquũtur) in facto eſſe, ita ut materia in parte aliqua ſit relicta,oportet materiam ipſam reſoluere, ac diſcutere,admotis ipſi tumenti particulæ diaphoreticis, id eſt, per halitũ digerentibus,ſeu euaporantibus,nõ quidem mordacibus,& acribus ualde, ſed potius domeſticis ac familiaribus,modicè quidẽ,ceu mediocriter calidis & humidis:maximè uerò in tribus ultimis caſibus,in quibus ſtudere debemus,materiam attrahere ad locũ tumore obſeſſum,ipſumq́ tumorem augere, & materiæ iam fluxæ, ac cõiunctæ refluxum prohibere. Quod interdũ quidem facimus emplaſtris attrahentibus:nõnunquam uerò cucurbitulis dolenti loco affixis,ut docet Auicéna.

Galen. 2. ad Glauconem. Secundũ Guidonis proloquium.

Si tumor iam factus eſt.

Sit ergo regula ſeu canõ artis generalis, quòd in principio omniũ tumorum, qui ex humorum influxu creātur,exceptis paulò antè memoratis caſibus,ſola ac pura reprimentia ſunt adhibenda. In augmento uerò ipſis repellentibus,nonnihil ex ijs quæ diſcutiunt,admiſcendo.At in ſtatu & paulò antè ſtatum,æquis portionibus miſcenda ſunt reprimentia diſcutiẽtibus. Cùm autem declinatio, uel finis ſtatus affuerit, ſolis reſoluentibus & relaxantibus uti licet. Quibus uerbis nihil aliud innuitur,niſi quòd perſeuerante adhuc fluxione,repellendum eſt:ubi uerò iam conſtiterit,digerendum,ſeu reſoluendũ. Verùm ſi medio modo res habeat, id eſt,partim iam aliquid fluxerit, & loco inhæſerit, partim uerò aliquid adhuc influat,miſtis auxilijs uti oportebit,hoc eſt,partim reſoluẽtibus, partim regerentibus,quæ & repercuſsiua uocant.

Artis canon generalis.

Coeuntibus enim unà contrarijs indicationibus,compoſitum quoq; eſſe præſidium oportet, ut 13. Therapeu. Galenus ait. Porrò hæc omnia ſanè intelligenda ſunt, utpote ſi tumor præter naturam reſolutione ſeu (ut communiter dicunt) uia reſolutionis terminari debeat. Auxilia autem, quibus ſingulæ modò dictæ intentiones complentur pro ratione diuerſitatis materiæ tumorem excitantis, in ſequentibus particularibus capitibus, & in antidotario deſcribentur.

De curatione abſceſſuum in uniuerſum.

CAEterùm ſi phlegmone, aut quiuis alius tumor degeneret in abſceſſum (quam exituram uocant)eius curatio per initia præſtatur.Galenus lib.2. ad Glauconem, per mitigatoria ſeu indoloroſa auxilia, quæ Græci chalaſtica uocant,id eſt relaxantia,ſiue remittentia, cuiuſmodi eſt medicamentũ, quod à Galeno tetrapharmacum appellatur, molle quidem & anodynũ, id eſt, mitigatorium. Cui ex ſententia eiuſdem 13.Therap.mellis paululùm admiſtum ſit, oportet. Conſtat autem tetrapharmacum,ex ceræ,reſinæ,colophoniæ picis, ſeu taurini, pari portione. Procedente uerò tempore, ad ea quæ concoquendi,ſeu maturandi,ac ſuppurandi uim habent, tranſire oportet. Quæ aũt in aliam ſpeciem, hoc eſt, in alienam ſubſtantiam, & toto genere præter naturam degenerauerũt, ea per chirurgiã ſummouenda ſunt.Porro in ijs amouendis iuxta Galeni conſiliũ 14.Therap.id agere oportebit,ut rationibus, quibus id fiat, quod intendis,pen-ſitatis, optimam ſemper earum deligas. Sanè optimæ rationes tripliciter indi- „ cantur: nempe ex temporis curandi breuitate, ex curando citra dolorem, & „ ex

Curatio tumorum in abſceſſum degenerantium.

Tetrapharmacum.

Galen.lib.14. meth. med.

Optimã curãdi rationẽ tripliciter indicari.

» ex maximè tutè curando. Rurſus ut tutò cures, tria propria ſunt quibus intentus 1.
» ſis oportet. Vnum primumq́, ut omninò abſolutionem operis conſequaris. 2.
» Alterum, ut ſicubi hunc non conſequaris, ſaltem cubantem non lædas. Ter- 3.
» tium, ut uitium non facilè reuertatur. His conſyderationibus, ſi optimam curationis uiam indicaueris, inuenietur quidem in omnibus modò propoſitis tumoribus, quando potius chirurgiæ, & quando potius medicamentorum ope ſit curandum. At chirurgiæ quidem ſtudium in ijs præſertim, quæ nunc ſunt propoſita (hoc eſt, in ijs tumoribus, qui toto genere ſunt præter naturam) ad interemptionē eorū feſtinat, utq́ prorſus tollantur ſibi proponit. Quòd ſi perficere nequeat, proximum illud conſilium habet, ut uitium transferat, ueluti in hypochymatis, id eſt, ſuffuſionibus. Quod uerò ex medicamentis petitur, primùm hûc tēdit, ut quod præter naturam eſt, tum in pus uertat, tum putrefaciat: hoc uerò ſecundo loco deſtinat. Hæc Galenus. Itaq́, ubi partes, quæ phlegmone infeſtantur, uehementius pulſant, ſic ut iam deſperetur de horum, citra pus, curatione, ueteres omnes (inquit Galenus 4. Thera.) eiuſmodi applicant medicamenta, quæ celerrimè pus mouent: antè uerò nequaquam.

Ex lib. 4. The. meth.

Cæterùm ſicubi cataplaſmate quod calfaciat, humectetq́ (& ad ſuppurationem perducat) illinuntur quæ phlegmone infeſtantur, id nequaquam ex prima » ratione fit, hoc eſt, ut remedium affectus, ſed ut ſymptomatis mitigatio, utpote » doloris. Siquidem ipſius phlegmones remedia ſicciorum ſunt uirium. Et paucis » interiectis ſubdit. Compendioſa obſeſſarum phlegmone partium curatio, per » id genus præſidia (hoc eſt, perſiccantia & reſoluentia) obitur, ac perficitur, quæ » ſanè uel affectum prorſus ſummouent: uel ſi quid exiguum quod ſuppuret, reli» querint, alterum medicamentum acre, quod educere pus queat, requiritur: uel » ſi tenuis circumpoſita cutis ſit, uelisq́ celerius explicatum ægrū, ſectione, ſeu in» ciſione opus eſt. Et hoc ſanè eſt, quod dicebat Auicēna: nempe quòd curatio apoſtematis, quatenus apoſtema eſt, extractio eſt materiæ extraneæ, quæ excitat apoſtema. Auxilia autē quib. mouere pus expedit, & alia quę ſupra dicta ſunt perficere, in particularibus capitibus, & in antidotario dicentur ſuo loco. Porrò ſuppurato iam abſceſſu, aut tranſmutato, uel ualenter impacto, ſi pus, aut alia quæuis materia ibi contēta non diſcutiatur, uel ſi tempore conuenienti, & dum iam tempeſtiua adeſt occaſio, ſponte, hoc eſt, citra manus operā, non aperiatur: ſecare exitū ei, quod digeſtioni, ſeu reſolutioni nō ceſsit, oportet. Potiſsimè uerò id moliēdū erit, ſi timeatur futura aliqua eroſio, uel aliud quoduis nocumentū: imò ſi neceſsitas urget, ex aduerſo etiamnū aperiri debet, & quàm prōptiſsimè, ac tutiſsimè fieri poterit, materia extrahi, ob cauſam ſuperiùs adductam.

Auicenna.

Quando potiſsimū ſecādi ſunt abſceſſus

Tutius autem ferro, quàm medicamentis cauſticis, & adurentibus aperitur, ut amplius docebitur in antidotario. Communiter autē phlegmonoſi eiuſmodi tumores, iam in ſuppurationem uerſi, ſcalpello inciduntur. Porrò apertio ipſa, ſeu puris emiſſarium fieri debet pro ratione, tùm quantitatis, ſeu copiæ materiæ ibi collectæ: tum etiam ipſius loci affecti. Quòd ſi computruiſſe portio aliqua ſuppurantis partis uidebitur, excîdi eam eſt neceſſe, ad formam, ſeu ſimilitudinē folij oliuæ, uel myrti, quò facilius ſaneſcat. Cæterùm Galenus maximas ſectiones ſemper uitandas præcepit, ſanabatq́ huiuſmodi ſuppuratas particulas, etiam inguina, & axillas ſola, ut plurimùm inciſione, & medicamentis ualenter ſiccantibus. Quòd ſi aliquandò excidere aliquid propter multitudinē, non puris modò, ſed etiam corruptarum partium fuit opus, contentus erat ſectione, quæ myrti folium imitatur, planè (ut inquit) non magna. Ex amplis enim ſectionibus, ubi ad cicatricē perducta eſt particula, præterquàm quòd turpiſsima redditur, fit etiam imbecillior, & ad motum ineptior. Fiunt autē huiuſmodi ſectiones, myrtaceū folium imitantes, in ijs potiſsimùm tumoribus, qui in axillis, & bubonib. ſuppurāt. Et in ijs quidē lōgitudo per trāſuerſum ducta eſſe de-

Tutius ferro quàm medicamentis adurentibus ſuppuratus tumor aperitur. 13. Therap. Sectio oliuæ aut myrti folium imitans.

Noxæ ex amplis ſectionib. Sectio in ſuppuratis bubonibus cur fiat per tranſuerſum. Septē attendēda in apertione iam ſuppurati abſceſſus.

bet, non autem per cruris, aut corporis rectitudinem. Quippe ita cùm crus, aut brachium inflectimus, naturaliter cutis ſibi applicatur. In alijs uerò locis inciſione ſimplici ferè ſemper utimur. In ipſa autem apertione, ſiue inciſione, ſe-
1. ptem potiſsimùm ſunt attendenda, iuxta iuniorum ſententiam. Primum, ut ſe-
2. ctio fiat eo loco, quo materia continetur. Secundum, ut fiat in loco inferiori,
3. quò melius purulenta illa colluuies uacuari poſsit. Tertium, ut fiat ſecundum rugas & proceſſum muſculorum
4. 5. Quartum, ut uitentur nerui, uenæ, & arteriæ, quoad fieri poterit. Quintum, ut non tota materia ſemel atque affatim educatur, præſertim in magnis abſceſſibus, ne ſcilicet ex nimia ſubitaq; inanitione, & ſpirituum reſolutione, uirtu-
6. tis ſequatur proſtratio. Sextum, ut blandius, & minimo quàm fieri poteſt do-
7. lore, locus tractetur. Septimum, ut facta apertione locus detergatur, carne impleatur, & ad cicatricem more aliorum ulcerum perducatur.

Duo ſpectantur Galeno in apertione ſuppurati abſceſſus.

Galenus autem lib. 13. Therap. duo potiſsimùm monet eſſe attendenda in ſectione ſuppurati abſceſſus, ad hunc modum ſcribens: Sin aliquando puris copia medicamenta ſuperet, nec ea uideantur tibi totum digerere poſſe, ſecare exitum ei quod digeſtioni non ceſsit, eò potiſsimùm loco oportet, quo eſt ęditiſsi-
1. mum. Quippe tenuiſsimam etiam illic inuenies cutem. Memineris prætereà in
2. ſectione, & alterius indicationis, quæ ad effluxum pertinet, atque ad ambo reſpiciés, ita quod ſuppurauit, incîde: ac deinceps medicamentũ aliquod eorum, quę ſine eroſione ſiccent, impone.

Detergentia.

Hic uariant exemplaria.

Auxilia auté deterſiora ſunt Guidoni linamenta, ſtupæ, emplaſtra, & unguenta, quæ in particularibus capitibus, & in antidotario recenſebuntur. In primis tamen diebus (inquit Guido) ſufficit uitellus oui cum albumine, alumine zuccharino inſpiſſatus, ut facere (ait) ſolebat Guillelmus à Saliceto. Poſtea uerò tranſeundum eſt ad mel roſarum, & mundificatiuũ ex apio: & poſtremò ad unguentum Apoſtolorũ, & Aegyptiacum ſi res ita deſyderet.

Vnguenta ſuper tumorem iam apertum applicanda.

Supra uerò admouenda unguenta, baſilicon, diachylon, & diapalma uulgò nuncupata, atque alia id genus quæ ad ulcera inſtituuntur. Poſt apertionem enim, exituræ, ſiue abſceſſus, excreſcentiæ, & puſtulæ (inquit ille) ad ulcerum cu rationem reducuntur. Galenus libro 13. Therap. poſt exciſam cutim in phlegmonis axillarum, & inguinum, medicamento quod Gręci mannam, id eſt, thuris purgamentum uocant, affectam partem implebat. Hæc autem leui adſtrictione prædita eſt. Sed & mitigare (inquit) prius inciſam partem, quantum poſcere uidebitur, oportebit, fomentis primùm, dein cataplaſmatis, mox humectante aliquo medicamento, aut non ſiccante, ſingulis ſcilicet extrinſecus impoſitis. Nam in ipſo ulcere, tum manna (ut dictũ eſt) tum ex præſidijs, quæ linteolis excipiunt: primùm quidem ea, quæ pus citant, dein ea, quę expurgant, ſunt imponẽda. Poſt quæ, ſi cauitas etiam manſit, quæ impleant, adhibenda ſunt: ſin aliter, ea quę cicatricem inducũt. Porrò ſi laborás nec ferro candente, nec ſcalpello, fieri ſectionẽ

Mannæ & thuris uſus poſt inciſionem, & eorum uires. Partẽ inciſam prius mitigandam eſſe. Quæ in ulcere ponenda.

Auicenna in fine tract. 2. ſen. 3. libri 4.

præ mollicie admiſerit, medicamentis adurantibus erit molienda apertio. Ad hoc autẽ laudat Auicẽna ſemen lini, fermentũ, & ſtercus columbinũ. Et ſi incorporarentur (inquit Guido) cũ ſapone molli, aut mucilagine ſeminis ſinapis, bonum eſſet. Cæterùm ruptoriũ ſeu cauſticum, quod fit ex calce, & ſapone, in hac re principatũ obtinet. Hactenus de tumoribus præter naturam in uniuerſum ac deinceps de particularibus eorum differentijs.

De phlegmone uera, & alijs à ſanguine procreatis tumoribus. Cap. VI.

ABSOLVTO iam in uniuerſum ſermone de tumoribus, qui præter naturam conſiſtunt, tempeſtiuum eſt, de ſingulis eorum differentijs particulatim diſſeramus, à phegmone ſumentes exordiũ, ut quæ

& frequentiſsimè incidat, & ſymptomata (ut Galenus ait) periculoſiſsima excitet. Itaq; phlegmone Galeno libro primo de morbis & ſymptomatis, bifariam accipitur. Vno modo communiter, ueterum, qui ante illum fuerunt, more, pro omni partium ueluti inflammatione, & quadam efferueſcentia, hoc eſt, pro omni calida, ac ueluti flammea quadam diſpoſitione, quam Græci propriè phlogoſin appellant.

Duplex acceptio phlegmones.

1. Phlegmone pro phlogoſi.

Altero modo à Galeno & iunioribus accipitur pro tumore ex ſanguine uero, ac puro, hoc eſt optimo, ac mediocrem craſsitiem obtinente procreato. Et hæc quidem generis ſortitur appellationem: atque inflammatio æquiuocè generi Latinis nominatur, Græcis uerò abſolutè phlegmone. Ea autem recentioribus duplex eſt: uera ſcilicet, & non uera. Vera phlegmone fit à ſanguine benigno, hoc eſt, qualitate, & ſubſtantia, ſeu conſiſtentia optimo, ſed copioſiore quàm ſit parti ex uſu. Non uera & illegitima phlegmone, ex prauo & non naturali ſanguine efficitur. Eſt autem ſanguis, humor calidus & humidus ex temperatiori parte ipſius chyli progenitus. Et hic quidem duplex eſt, naturalis, & non naturalis. Naturalis, eſt humor calidus & humidus, ſubſtantia quidem mediocris, colore uerò multùm rubens, odore autem & ſapore dulcis, mitis, ac benignus. Verùm non naturalis ille dicitur, qui ab iſto nuper deſcripto deflexit, degenerauitq; intra tamen ſuæ latitudinis terminos, quos ſi tranſgreditur, nó iam ſanguis, ſed alius humor uenit appellandus. Hoc autem (ſanguinem inquam degenerare à propria ſua natura) contingit dupliciter. Vno modo (ut aiunt) in ſe, hoc eſt, ratione ſui, permutata propria eius ſubſtantia, citra alterius admiſtionem. Altero modo, per alium, ſeu ratione alterius. Et per ſe quidem adhuc bifariam: nempe, uel quia eius ſubſtantia craſsior eſt, aut tenuior quàm debeat: uel quia aduritur, & quod ex eo tenuius eſt, in flauam bilem mutatur: quod uerò craſsius, in atram, idq; abſque ſeparatione. Alterius uerò ratione ſanguis fit non naturalis, quando alius humor illi permiſcetur. Quod multifariam contingere poteſt, prout ſcilicet uariæ ſpecies bilis, pituitæ, aut melancholiæ, cum ipſo ſanguine miſceri poſſunt. Ex quibus liquet, quòd ex ſanguine quatuor ſpecies ſeu differentiæ tumorum præter naturam procreantur. Primùm ex ſanguine naturali & benigno generatur uera phlegmone. Ex ſanguine uerò illaudabili facto per admiſtionem aliorum humorum, tres enaſcuntur differentiæ phlegmones non ueræ, atque illegitimæ: quippe quòd tres alij humores (pituita inquam & utraque bilis) ipſi ſanguini permiſceri poſſunt. Itaque ſi flaua bilis ſanguini commiſceatur, quod ex ambobus tum eſt conflatum, uocatur phlegmone eryſipelatodes: ſi pituita, phlegmone œdematodes: ſi atra bilis ſeu melancholia, phlegmone ſcirrhodes. At ex ſanguine illudabili & maligno per aduſtionem & corruptionem propriæ ſubſtantiæ, pro ratione tenuitatis aut craſsitiei ipſius, generantur uel carbunculi, qui Græcis anthraces dicuntur, uel gangræna, uel ſphacelus. De quibus in ſequentibus dicemus.

2. Phlegmone pro inflammatione ex ſanguine optimo

Phlegmone duplex.

1. Vera.

2. Non uera.

Sanguis quid & quotuplex.

Sanguis bifariam degenerat à propria ſua natura. 1. 2.

Quatuor differentiæ tumorum ex ſanguine.

De cauſis, ſignis, & indicijs phlegmones.

PHlegmones cauſæ ſunt tres, ut & aliorum omnium tumorum præter naturam qui per defluxionem fiunt. Primitiua ſcilicet, quam & prægreſſam, & euidentem appellauimus: antecedens, & coniuncta. Euidentes cauſæ inflammationis, ſunt occaſiones externæ: ut contuſio, diſruptio, conuulſio, fractura, uulnus, ulcus ſpontaneum, luxatio, & alia id genus, quæ quatenus dolorem in laborante particula excitant, fluxionem acceſſunt. Antecedens, ut ſanguis exuberantia, probi quidem & inculpati, ut cum ad immoderatam uenarum repletionem uenæ pertingunt. Tunc enim cogitur ſanguis (ueluti quid ſuperfluum) ad partem aliquam, uel imbecillam, uel plus iuſto excalfactam, uel dolore affectam, effundi ac defluere. Vbi tandé cópingitur, atq; impactus manet, niſi

Cauſæ phlegmones 3. 1. Prægreſſa.

2. Antecedens

protinus ab initio reprimatur, ut iam ſupra in capite uniuerſali dictum eſt. Ad quod ſubinde recurrendum tibi eſt, ut abſolutam magis particularium tumorũ, de quibus nunc agimus, intelligentiam conſequaris.

Cõiuncta. 3. Cõiuncta cauſa ſeu cõtinens, eſt ipſe ſanguis, qui iam loco affecto infartus eſt.

NOTAE ueræ ac legitimæ phlegmones. Lib. de tumorib. præt. nat. & 13. metho. Phlegmones notæ ſunt, tumor, ſeu incrementum partis ſupra naturalem habitum. Calor uehemens, adeò, ut membrum comburi uideatur. Robur per ſumma uigens, qualis ex balneis, uel igne, aut quouis alio modo calfactis aduenit. Dolor uehemens, niſi membrum difficilem omninò ſenſum habuerit. Pulſus, ſeu pulſationis ſenſus in profundo moleſtus. Tenſio ſeu extenſio membri, quam non modò ipſi tantùm deprehendimus, ſed etiam ipſe æger proprio ſenſu aduertit. Renixus partis tangenti eam, pro tenſionis modo: et ſi quæ ſint alia, quæ præſentem ſanguinis abundãtiam in parte aliqua teſtantur. Phlegmone quatuor habet tempora, principium, augmentum, ſtatum: & declinationem: niſi ſaltem fluxio intrò recurrat, uel repellentibus medicamentis ſtatim reprimatur, ac retrocedat. Vbi autem hæc quatuor tempora percurrerit, neceſſe eſt terminetur, uel per exhalationem: ſeu reſolutionem (quam diaphoreſin Græci uocant) uel per ſuppurationem, uel per corruptionem, quam & putrefactionem nominant, uel per indurationem, dum ſcilicet reſoluto tenui, in ſcirrhi abit duritiem. Et horũ quidem omnium ſigna ex capite uniuerſali ſunt requirenda: ubi explicatæ ſunt notæ omniũ temporum, & modorum terminationis tumorum præter naturam, quæ uulgò apoſtemata uocant. Cæterùm phlegmonem plerunq; mala comitantur ſymptomata, quæ eius curandi rationem interpellant, immutantq́. Cuiuſmodi ſunt, dolor uehemens, partem admodum ſenſibilem occupans: recurſus materiæ ex glandulis (quas Græci adenas & uulgò emunctoria uocant) ad partes internas: item partis affectæ mortificatio (quam corruptionem eſthiomenicam appellãt) ex nimia ſcilicet refrigeratione & ualido infartu, ipſius materiæ (quæ inflammationẽ committebat) proueniens. Durities quoq; lapidea & penè indiſſolubilis, uulgò ſcliroticа nuncupata, ex perperam ac temerè facta tenuioris humoris diſſolutione. Quocircà diligenter, ac ſæpius quidem obſeruare oportet, in curandis tumoribus, qui præter naturam conſiſtunt, quò quiſque tandem ſit euaſurus, & quæ inopinatè ſuperuenerint accidentia, ut circa id quod apparet, & urgens eſt, maximè inſiſtamus. Quod nos probè Galenus admonuit libro ſecundo ad Glauconem, & 13. Therap. ad hunc modum inquiens: In morbis quidem, qui difficulter » reſoluuntur, uerendum eſt, ne eorum reliquiæ præduræ relinquantur. Quare in » ſingulis reſolutionibus attendere oportet, ad quid trãſmutetur omnis, cuius cu » ratio ſuſcipitur, tumor. Nam ea, quæ cum fortiter exſiccantibus agitur, reliquias » præduras operatur. Hæc Galenus. Sed tempeſtiuum eſt ut ipſius phlegmones curationem aggrediamur.

Symptomata quæ phlegmones curationẽ interpellant.

Phlegmones tempora 4.

Galenus.

Ratio curandæ phlegmones ex defluxione concitatæ, corporis ſumma occupantis.

Methodus curandæ phlegmones quæ adhuc in generatione eſt. CVm inflammatio, quæ Græcis peculiariter phlegmone dicitur, ex influxu ſanguinis, copioſioris ſcilicet, quàm ſit parti ex uſu, naſcatur: fluxio autem incipiente adhuc phlegmone, partim fiat, partim iam facta ſit: geminus ſanè erit curationis ipſius adhuc incipientis phlegmones ſcopus, nempe uacuandi quod influxit, & prohibendi quod influit.

Fluxio quib. prohibeatur. 1. Retractio. Porrò fluxionem inhibebimus, ſi humorem influentem retraxerimus, ac repulerimus, ſi afflictæ parti robur addiderimus, & ſi quid fluxionem accerſit, ſummouerimus. Retrahemus autem atque in contrarium humorum defluxũ reuocabimus, uenæ ſectione, ſi quidem uires ualeant, & ætas permiſerit. Sin minus, admotis cucurbitulis, uel ligaturis, uel frictionibus, uel calfactis partibus, directè affecto loco reſpondẽtibus.

2. Repulſio. Regeremus autem repellemúſue, admotis medicamentis, quæ hac facultate prædita ſint, hoc eſt, quæ aliò fluxionẽ propellere, ac tranſmittere

mittere poſsint. Cauſas uerò defluxionem ad partem iam phlegmone obſeſſam 3. Cauſæ ſummotio.
accerſentes ſummouemus, particulã ipſam, ſi imbecilla ſit, confirmantes, roborantéſue: ſi laxa nimis, adſtringentes: ſi calida eſt, ut eſſe ſolet, refrigerantes: & dolorem, ſi diſcruciat, demulcentes: ac corpus uniuerſum, ſi ſanguine abundet, & parti contagium tranſmittat, uenæ ſectione uacuantes: de quibus omnibus mox dicetur.

Vacuamus autem quod iam influxit, & in partem affectam ſe recepit, nõ mo- 2. Vacuatio eius quod iam influxit.
dò medicamentis ijs quæ digerunt, hoc eſt, diſcutiunt, ac reſoluũt, ſed etiam quæ
adſtringunt, & refrigerant. Magiſq; profectò (inquit Galenus) ad incipientes Gal. 13. Ther.
phlegmonas, frigidis, aſtringentibuſq;, quàm ijs, quæ digerunt eſt utendũ. Atq; etiam magis, ubi craſſum quod confluit non eſt. Sed ſi ſanguis in particula, quam phlegmone prehendit, uehementer eſt impactus, non eſt amplius repercutientibus utendũ: ut in præcedentibus dictũ eſt, ſed tum digerere eſt tempeſtiuũ: inueteraſcente quoq; inflãmatione, quæ poſt totius corporis uacuationem, aliamq; idoneam curationẽ, duritiem quandã, ac nigrorem in partibus reliquit, ſangui-
nem ſcarificationibus auferre (Galeno etiã authore) non eſt incõmodum. Atq; Scarificatio.
hæc ſummatim, ac uniuerſali quadã methodo dicta ſint de curatione inflammationum, quas Græci peculiariter phlegmonas appellare conſueuerunt, ex humorum defluxu incidentiũ. Quæ certè rationali medico, & in artis operibus exercitato, ſatis eſſe poſſent. Verumenimuerò quoniã chirurgiæ candidatis, & non ita eruditis, hæc ſcribenda ſuſcepimus, non ab re, neq; alienũ à noſtro inſtituto factũ uidebitur, ſi quæ de phlegmonarum curatione ſcriptis ſuis nõ modò ueteres medici, ſed & recentiores chirurgi nobis ſcripta reliquerunt, poſt hãc uniuerſalem ac compendiariã methodum ſermone magis peculiari, & uulgari ſubijciamus.

Itaq; rationẽ curandi phlegmonẽ, præter regimen (ut uocant) uniuerſale, in qua- 4. intentiones curationis phlegmones.
tuor ſcopos, ſeu intentiones, particulares, reuocare ſolẽt poſterioris huius ſecu-
li chirurgi: nempe in debitã uitæ rationis obſeruationem: influxionis inhibitio- 1.
nem, ſeu materiæ (quod aiunt) antecedentis auerſionẽ: in humoris, qui iam ſe in 2.
parte recepit (quam materiã coniunctam uocant) uacuationem: & in ſymptωma 3. 4.
tum ſeu accidentiũ correctionem. Prima itaq; intentio perficitur debita ſex re
rum (ut uocant) non naturaliũ, & eorum quæ illis annexa dicũtur administratio
ne. Sunt autẽ res nõ naturales à medicis dictæ numero ſex, ut ſtatim ab initio hu 1. Prima intentio quę eſt uitæ inſtitutio.
ius operis dictũ eſt, aër, cibus & potus, motus & quies, ſomnus & uigilia, inanitio
& repletio, animi affectus, ſeu accidentia. Quæ omnia (quoniã phlegmone ſubin Res non naturales.
dè febres accendit) ad frigiditatem, & moderatam humiditatẽ ſpectare debent.
Pro quibus ſequentia ſubiecimus præcepta.

Aërem ſyncerũ, & clarum, eundemq; frigidiuſculum deligito. Aër.

Victum tenuem, frigidũ, & humidum ſeruato. Cibus.

Vinum debile, & pauciferũ, id eſt, quod in temperando haud multã aquæ mi- Potus.
ſtionem ſuſtinet (Græci oligophoron uocant) aſſumito. Quòd ſi febris uehemẽs Vinum oligophoron.
(ut ſæpè aſſolet) acceſſerit, abſtemius eſto.

Partem phlegmone obſeſſam ne exercitato. Motus.

Quietem quantum potes, præſertim ſi plurima ſuccorum abundantia ſit ſeruato. Quies.

In ſomno, & uigilijs modum teneto. Somnum diurnum, & præſertim meridianum: Somnus.

A crapula, & ingluuie ſummoperè caueto. Repletio.

Aluus fuſa, & mollis tibi ſemper eſto, atq; eam interdum, ſi opus eſt, clyſteribus ſubducito. Inanitio.

Iram, clamorẽ, contentionem, ut inimica, fugito. Animi pathemata.

A ueneris uſu, ſeu concubitu, uelut ab hoſte infeſtiſsimo, te ſubtrahito. Venus.

Secundus ſcopus curandæ phlegmones, qui eſt fluxionis auerſio, perficitur 2.

Auerſio fluxionis, quæ ſecunda intentio.

Vena ſemper è directo ſecanda.

uenæ ſectione, ſi uires, & ætas ferant. Semper autem in omnibus membris è regione, ſiue è directo (quod Græcè κατ' ἴξιν dicitur) ſiue reuellere, id eſt, in cõtrarium retrahere uelis, ſiue ad latus deriuare. Vena ſecanda eſt, etiam ſi plethora adſit. E directo autem ſunt dextra dextris, & ſiniſtra ſiniſtris. Ergo ſi ophthalmia oculum dextrum infeſtet, uel ſynanche partem gutturis dextram occupet, humeralis uena, uel eius loco (ſi non appareat) alia, ſtatim per initia fluxionis, in brachio dextro incidenda eſt. At ſi humor in genu confluat, ſecanda eſt cubiti uena, uel interna, uel media, niſi alterum crus malis ſcarificare, aut in eo uenam pertundere, ut alicubi Galenus conſuluit.

Venæ ſecandę electio à laborante particula indicatur.

Itaq; uenæ ſecandæ electio, & auerſionis in contrarium (quæ ab Hippocrate antiſpaſis dicitur) inuentio, à laborante particula, & curandi membri poſitu præſtatur, indicaturq́;, ut 13. & 14. meth. medend. ac ſæpè alibi Galenus docet. Cæterùm corpus ipſum, quod phlegmone occupatur, non modò cùm plethoricum eſt, ſed etiã ubi morbi magnitudo ſuadet, cùm mediocritatẽ ſuccorum continet, ſanguinis emiſsione uacuamus, ſi ſaltem Galeni conſiliũ ſequamur, qui lib. 13. meth. medẽdi ita fieri præcipit, inquiẽs:

Galen. lib. 13. Therap.

» Dolor ſiquidẽ, & membri, in quo phlegmone ſedet, calor, etiamſi purũ ab excrementis totum corpus ſit, fluxionis cauſa fiunt. Expedit autẽ tunc parcius id efficere [hoc eſt, ſanguinem detrahere] ac uacuare quidẽ, prout maximè tum ætati laborantis, tum naturæ cõgruit. Aeſtimatis præterea tum anni tempore, tum regione, tum hominis ipſius conſuetudine. Conferunt etiam non parùm ad retractionẽ ſanguinis in partẽ affectam confluẽtis, motus, frictio, & ligatura partis oppoſitæ, ſed maximè celebrata prius (ut dictum eſt) ſanguinis detractione. Itaq; ſi in manibus phlegmone eſt orta, crura exercitanda ſunt, uincienda, fricanda. Sin in cruribus, manus. Sed hæc magis ad medicum quàm chirurgum pertinent.

3.

Tertius ſcopus, qui eſt humoris iam in parte recepti uacuatio.

Tertium ſcopum aſſequimur ſolis, per initia phlegmones, repellentibus (exceptis prius memoratis caſibus) parti inflammatione laboranti admotis. Vacuatur enim (ut Galenus ait) quod impletum eſt, non modò medicamentis ijs, quæ digerunt, ſed etiam quæ adſtringunt & refrigerant: cuius generis ſunt, quæ repellentia & regerentia dicuntur. In augmento autem ad præſentem intentionem, id eſt, ad uacuandum quod iam influxit, ſimul & prohibendum nę deinceps amplius aliquid confluat, miſcenda ſunt digerentibus reprimentia: ita tamen ut horum copia ac potentia, illis adhuc præpolleat.

Reprimentia in augmento prępollere debent digerentibus.

In ſtatu uerò æquis portionibus inuicem commiſcenda ſunt, ac mitigatoria (cùm uehementiſsimi tunc dolores adſint) applicanda. At in fine ſtatus, & in declinatione, ſolis digerentibus quod impactum eſt, uacuare oportet, ſi ſaltem ipſa phlegmone reſolutione ſeu diſcuſsione terminari debeat.

Si phlegmone in abſceſſum degeneret.

Si uerò degeneret in abſceſſum, & fieri non poſsit, ut puris collectio, ac eruptio impediatur, tum ſuppurantibus, aperientibus, ac detergentibus medicamentis uti licebit. Porrò exſiccantia conferunt in fine ùtriuſq; affectus, hoc eſt, phlegmones, & abſceſſus. Hæc enim, quod reliquum humoris eſt, prorſus abſumunt. Verùm facta ſectione in abſceſſu iam ſuppurato, medicamentum quod ſine eroſione ſiccet, imponendum eſt, ut in ſequentibus dicetur.

Repellentia circa initium phlegmones admouenda.

1.

Oxycraton.

Porrò ad incipientes phlegmonas repellendo aptiſsimum auxilium eſt Galeno oxycraton, quod Latini puſcam aquoſam nominant. Eſt autem miſtura ex aqua & aceto, ita quidem temperata, ut adhuc bibi poſsit: ſpongia ergo hoc ipſo oxycrato perfuſa atq; imbuta, parti, in qua phlegmone reſidet, imponenda eſt. Loco autem oxycrati, Galeni ipſius conſilio, ſumi poteſt uinum aliquod auſterum, uel frigida ſolum in particulis ſcilicet, quæ circa artus ſunt. Galeni uerba hæc ſunt (ſi Romano ſermone loquatur.)

Lib. 13. meth. med.

2.

Galeni cataplaſma lib. 2. ad Glauconẽ.

» In particulis, quæ circa artus ſunt, ſat fuerit [per initia phlegmones] etiam ſpongiam, uel ex frigida aqua, cui paululũ aceti ſit immiſtũ, uel aqua ſola imponere, ſicut etiam ex uino aliquo auſtero. Ad idem ſummè efficax eſt eiuſdẽ Galeni cataplaſma, ex ſemperuiuo, & malicorio,

in uino

in uino decoctis,rhu.i.ſumach.& polenta.Repellit enim quod influit ſtringẽdo, atq; id quod continetur exſiccando uacuat,affectasq; partes utroq; nomine cõfirmat,& corroborat.Hoc remedium à recentioribus,ex Auicenna, ſub hac for-
» mula poſteà deſcriptũ eſt: Recipe ſucci ſemper uiui libram unã, uini quod craſ- Fen.3.lib.4. tract.1.cap.3.
» ſæ ſit ſubſtantiæ,& ſaporis acerbi lib.ſemiſſem,farinæ hordei quart.unum,corti-
» cis malorum granatorũ: & ſumach puluériſatorum ana unciam ſemis, coquan-
» tur,& fiat linimentum. Aliud quod ad idem efficaciter auxiliatur,ex Haly Abb. 3.
» Santali albi & rubri ſingulorum drach.tres,memithæ, id eſt,glaucij drach.duas, Haly Abb. linimentum.
» terræ cimoliæ,boli Armenæ,ſingulorum drach.unam & ſemis:omnia in tenuiſsi
» mum pollinem terantur, & diligenter cribrentur, poſtea diſſoluantur in ſucco
ſemperuiui,aut portalucæ,uel lactucæ,& fiat linimentum. Aliud ad incipientes 4.
etiam inflammationes phlegmonoſas,tritũ,& uulgare, quod & recentibus uulneribus,& nuper acceptis cõtuſionibus,ualde utile eſt. Conſtat oui candido liquore,roſaceo,& ſtillaticia roſa,hoc eſt,aqua roſarum. Pãniculi hoc imbuũtur, parti inflammatæ apponuntur & ſubindè mutantur.Cæterùm plurima alia, tum ſimplicia,tum compoſita medicamenta, ad incipientes phlegmonas ſtringẽdo, & fluxionem reprimendo cõferunt,quæ partim ex libro ſexto(quem antidotarium uocauimus) partim ex alijs authoribus,qui de hac re ſcripſerunt,requirenda ſunt.Sed hæc,ad præſens,nobis uiſa ſunt ſufficere.

Remedia in phlegmonarũ incremento admouẽda. Lib.3. de ſimplic. medic.

INTER REMEDIA,quæ phlegmonarum incremento forinſecus,admota ſubueniunt,efficaciter auxiliatur roſaceum,Græci rhodinon uocant.Hoc enim (ut Galeno uiſum eſt) partim repellit, partim per halitum digerit: quippe quod olei roſæq; mediam ad unguem naturam obtineat.Itaq; roſaceo paucula quædã ineſt adſtrictio, quæ tenues ipſius particulas præuertere quidem (inquit Galenus)nequit: ſed ubi illæ altius penetrauerint,in ipſam iam ſuperficiem agere incipit,pro uiribus cõſtipando,cõtrahendo,ac cõdenſando. Proindè fit ut roſaceũ phlegmonarum augmentis optimum ſit,& aptiſsimum præſidium. Aliud Auicennę phlegmonarum incremento ualdè efficax.Cõcipit foliorũ malueę M.unũ, abſynthij,roſarum ana.unciam ſemis, farinæ hordei unciam unam, olei chamæmalini quart.ſemis:coquantur,& pinſantur,ac in formam emplaſtri mollis redigantur.Aliud eiuſdem,habet uini ad dimidias,uel tertias cocti (hoc ſapam illud defrutũ appellamus)quart.unũ,aquę roſaceę,aceti ana.qua.ſemis,croci, drach. duas:moderato igne parùm ferueant,poſteà colentur, & panni eo liquore imbuti,parti phlegmone obſeſſæ applicentur,epithematis more. Porrò eiuſmodi præſidia,quæ in augmento inflammationis adhibentur, miſtasq; ex reprimentibus, & digerentibus facultates habent,tardius amoueri,& mutari debent, quàm pura repellentia,initiò ipſius phlegmones accommoda.

Roſaceum in phlegmonarũ augmento optimum eſſe præſidium.

AVXILIA,in uigore,ſeu ſtatu phlegmones,& cùm in ea uehementes urgent dolores,idonea ſunt Aëtio,malua priuatim,& cum modico pane, & roſaceo illita.Melilotum quoq; in paſſo decoctum,& cum pane admotum. Idem poſſunt (inquit)& palmulæ in paſſo elixatæ, & cum pane & roſaceo confectæ, & miſtæ. Aliud quod per halitum digerit,in uigore phlegmones ſummè efficax. Perdicij, id eſt,parietariæ,maluæ ana.M.unũ, furfuris, ſubtilis farinæ uolatilis, ana.P.unũ, fœnigræci,anethi,ana.unciam ſemis.olei chamæmalini quart.ſemis.coquantur in uino,& exactè ſubigantur,donec in unitatem coëant,& fiat emplaſtrum. Aliud ex Gal.deſumptum lib.13. Therap.Recipit medullæ panis fermentacei lib.unã,maceratur ſpacio unius horæ in aqua feruenti,poſteà exprimitur, & huic admiſcetur mellis optimi quar.unam,formaturq; emplaſtrum molle. Hoc diſcutit & dolores mulcet. Vnguentum baſilicon, & quod è ſuccis conficitur, diachylõ nominatur,in uigore phlegmones admouenda eſſe conſuluit Arabs ille Auicenna:uerùm hoc remolliendo,illud uerò maturando magis eſt idoneum:quanquã tamen utrumq; ui aliqua etiam digerente polleat. Horum autem deſcriptiones

Quæ in ſtatu phlegmones conueniant.

Emplaſtrum Galeni.

ex antidotario requirendę ſunt, ubi ualdè multa diſcutientia, tum ſimplicia, tum compoſita recenſentur, quæ in ſtatu eiuſmodi inflammationum efficaciter auxiliantur. Cæterùm hæc & ſimilia, quæ ad diſcutiendum, quod iam influxit, & ad dolores mitigandos, præſidia afferuntur, cùm multa humiditate participent, tardiſsimè mutanda erunt. Porrò cum ex admotis nuper memoratis auxilijs, humor in particulam phlegmone obſeſſam delapſus diſcutitur, tumorq; & extenſio minuuntur, doloresq; mitiores fiunt: tunc inflammationis declinationem adeſſe putato, quo tempore ſolis diſcutientibus utendum eſt. Cuiuſmodi ſunt, agreſtis malua illita, & paſſulæ exemptis acinis cum pane, & modico melle, & hordei farina cum melle applicata. Item lana ſuccida, ſtupæ, ſpongia, aut quid ſimile, uino calente imbuta, poſteà expreſſa & appoſita: hæc enim omnia diſcutiendi ui pollent, & dolorem non excitant. Cæterùm ſi ob morbi pertinaciam, & difficultatem locus affectus nimis multam, & reſolutioni contumacem materiã continuerit, non ideò protinus, ut quidam faciunt, ad chirurgiam, id eſt, ſectionem, aut uſtionem, prorumpere oportet, ſed eniti, ut collectus humor diſcuſſorijs medicamentis per halitum digeratur. Moliri enim prius digeſtionem oportet, medicamentis ad id conducentibus, quam inflammationem incidere. Quòd ſi tumor digerentibus medicamentis non cedat: nullaq; amplius diſcutiendi quod in eo continetur, ſpes relinquatur: ſed uideatur potius materia ad ſuppurationẽ ſpectare, ad ea, quæ maturant, & pus mouent, tranſeundum erit. Speramus autem tumorem (etiam ſi iam in abſceſſum degenerauerit) per halitum digeri poſſe, ſi materia, quæ eum excitauit, tenuis, & pauca, reſoluiq; idonea fuerit: ſi & in loco minimè profundo delitefcat, cutisq; particulæ laborantis rara extiterit. Si uerò humor multus ſit, & craſſus, atque in alto ſinu reconditus, cutis uerò denſa, exhalatio, ſeu reſolutio nequamquàm ſperanda eſt.

Quibus ſit utendum auxilijs in declinatione phlegmones.

Quando ſperanda reſolutio.

Pus mouẽtia.

Proinde ad maturantia, & pus mouentia ueniendum erit: cuiuſmodi eſt cataplaſma, quod ex farina triticea, in aqua, & oleo temperatè ac mediocriter cocta, conſtat: hoc enim celeriter inflammationes, quæ digeſtioni nõ ceſſerunt, ad ſuppurationem perducit, ut etiam Galenus nobis author extitit. Siquidem & calorem habet noſtro calori perſimilem, nempe temperatũ, ac mediocrem, & ratione farinæ, & olei (quæ lentoris quippiam habent, quo meatus obſtruendo partis calorem natiuum digeri prohibent) ut emplaſtica præditum eſt. Quæ duo maximè in maturantibus, & pus mouentibus medicamentis deſyderantur. Sunt qui huic cataplaſmati croci momentũ, coloris gratia adijciãt. Cæterùm ſi tumor, ob infartos in eo craſſos, & uiſcoſos humores, ęgrè ad ſuppurationẽ ducitur, eximiè ſubueniet cataplaſma ex radicum althęæ, & caricarum dulciũ, ac pinguiũ decocto, quod mellis craſsitudinem repræſentet, & farina triticea compoſitum. Ergo accipite prædicti decocti lib. unam, farinæ triticeæ ſelibram, incoquantur ſimul, & in formam cataplaſmatis reducantur. Si autem loco farinę triticeæ hordeacea apponatur, uel cibarius panis, quem Græci ſyncomiſtum uocant, diſcutiendę inflammationi magis, quàm ſuppurandæ cõueniet, ut libro ad Glauconem ſecundo Galenus annotauit. Aliud in declinatione phlegmones puri mouendo apprimè idoneũ, quod à uulgaribus chirurgis cõmuniter uſurpatur. Habet autem corticis radicis maluauiſci, id eſt, althęæ radicis lilij, ſenecionis, Græcis erigeron dicitur, & foliorum maluæ ſingulorum M. unum, farinæ triticeæ quart. unum farinæ ſem. lini unciam unam, axungiæ ſuillæ recentis lib. ſemis: coquantur herbæ in aqua quantum ſatis eſſe uidebitur, & tundatur cum reliquis in mortario, fiatq; cataplaſma. Pleraque alia puri mouendo accommoda, libro ſexto deſcripta ſunt, ex quibus peritus quiſque chirurgus, & in artis huius, quam docemus, operibus exercitatus, præſtantiora, & naturæ laborantis, ac particulæ cui medetur, magis idonea ſeligere atque in uſum præſentem aſſumere poterit. Cæterùm ſi collecto, ac iam confecto pure abſceſſus in quem phlegmone degenerauit, ſpontè

Lib. 2. ad Glauconem.

Huius cataplaſmatis meminit Haly Abb.

Cataplaſma commune.

ſpontè nō aperiatur, ſcalpello uel cauterio, aut medicamento quopiam erodente (liberis iam ab inflammatione partibus) molienda puri, quod digeri non potuit, euacuatio eſt. Deinde ulcus ad cicatricem, ſimiliter reliquis ulceribus, perducendum eſt, nempe detergendo, carne implendo, glutinando, & demum cicatricem inducendo. Porrò ſi materia, quæ tumorem parit, craſſa eſt, & reſolutioni, atque etiam concoctioni contumax, uehementerque carnis meatibus impacta (qualis eſſe ſolet in diuturnis inflammationibus malè curatis, reſoluta ſcilicet tenuiori humoris parte, & craſsiore in meatibus relicta) ſcarificatio timenda nō eſt, præſertim (ut ſecundo lib. ad Glau. Galenus admonuit) ubi durities, liuor, ac nigror apparuerit.

QVARTVS ſcopus, qui in curanda phlegmone chirurgo ac medico proponebatur, eſt ſymptomatum, ſeu accidentium, quæ ipſi inflammationi ſuperueniunt, correctio, & ſummotio. Ea autem ferè ſunt, dolor, regreſſus materiæ, ex qua tumor excitatur, ad interiora, putredo & corruptela partis ſuppurātis, & ueluti lapidea quædam durities, ex ualenter exſiccantibus & digerentibus relicta. Ergo ſi uehemens dolor inflammationi acceſſerit, modis omnibus laborādum eſt, ut ſtatim mitigetur. Quandoquidem præterquàm quòd uires proſternit, & legitimas actiones impedit: fluxiones quoque accerſit, & ſanguinem ad ſe allicit. Itaque ſi dolor acrius urget in phlegmone, confeſtim imponenda medicamenta ſunt, quæ doloris uehementiam citra ullam noxam leuent, & demulceant. Quale eſt, quod ex paſſo, oleo roſaceo, & paucula cera, cum his ambobus liquata conficitur Galeno: hoc autem lana ſuccida, quæ plurimùm habet œſypi, excipiendū eſt, & æſtate quidem frigidum: hyeme uerò, tepidum apponendum. Itaque medicamentum eiuſmodi, ſic (ut dictum eſt) attemperatum, & admotum: rarefacit, extenuat, digerit, euacuat: humorem acrem, lentum, craſſum, aut multum, partibus dolentibus hærentem, æquabilem reddit, uaporemque craſſum, cōmodum exitū non habentem, diſcutit, atque dolorem mulcet: nullam uerò ſua caliditate noxam inuehit: roſaceum nanque, calorem retundit, & infrenat. Quo fit, ut hoc remedium citra noxam ullam dolorem mitiget, & affectui non incōmodet, ut aqua calida, oleum, & triticea farina, quæ in inflammatione cum dolore incidente, ſui eſſe non poſſunt, ut teſtis eſt Galenus. Hæc enim calfaciendo ac humectando relaxant, ac robur partis reſoluunt, unde & imbecillior redditur, & ad fluxionem excipiendam pronior. Ad eundem uſum (nempe ad mitigationem doloris in phlegmone) efficaciter apponuntur, roſaceum, ouorum lutea, quæ & uitellos appellant, mica panis albi, in aqua calente macerata, poſteà expreſſa, & roſaceo permiſta. Præſenti etiam auxilio ſunt, maluæ in aqua decoctæ, miſtæ cum furfure, & roſaceo, uel oleo uiolaceo. Crocum aūt in omnibus ſedandis doloribus aſſumitur Auicennæ, atque alijs anodynis, id eſt, dolorem mitigantibus, utiliter cō miſcetur. Porrò ſi tanta, tamque uehemens ſit doloris acerbitas, ut ijs quæ à ſedando, leniendoque dolore quaſi ſuppetijs latis naturæ, propriè anodyna, & paregorica dicta ſunt, demulceri non poſsit, ad narcotica, id eſt, ſtupefacientia, tranſeundum erit. Inter quæ hyoſcyamum admirandam opem ſæpe contuliſſe, quorundam ſcriptis prædicatur, & à nobis, alijsque ualde multis frequenti experimento comprobatum eſt. Itaque folia eius ſub calidis cineribus coquito, recenti axungiæ miſceto, & admoueto. Hoc uehementes dolores mulcet, & phlegmonoſos tumores ad ſuppurationem perducit. Cauēda autem ſemper eſt, dum hoc moliris, nimia humectatio: quippe quæ, per initia inflammationum, cum magno dolore fluxu incidente, pernicioſa ſit, ut paulò antè diximus. Cæterùm ſi metus adſit recurſus materiæ phlegmonem excitantis ad loca penitiora, & maximè uerſus principes partes, trahentibus medicamentis (de quibus libro ſexto fuſiſsimè egimus) uel etiā admotis cucurbitulis, quæ uehementius & ex penitioribus partibus trahunt, eam foras euocare oportet. Si uerò à uehementer exſiccantibus,

Symptomatū correctio.

1. Dolor.

Dolorem in phlegmone lenientia.

Lib. 2. ad Glauconem.

Crocum.

Nota de hyoſcyamo.

2. Recurſus materiæ ad interiora.

3. Durities relicta.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ac digerentibus inflammationi temerè admotis, reliquiæ tumoris in ſcirrhum abierint, radices cucumeris agreſtis (qui uulgò herbarijs, & officinis cucumer aſininus dicitur) aut bryoniæ, aut aſari, in aqua incoques: ſæpe quidem (ut præcepit Galenus) has ſolas, nonnunquã uerò, & caricas pingues adijciens. Deinde farinã cum aqua miſceto, cui & aliquid adipis, præſertim anſerini, aut gallinacei, adijcito. Quod ſi horum copia non ſit, ſuillum addito, & cataplaſma conficito. Hoc ſcirrhoſum affectũ, ex ualentius exſiccantibus & digerentibus medicamentis in parte, quæ phlegmone occupabatur, relictũ, efficaciter ſanat. Prædictarũ quoq; herbarum, & cum his althææ radices, poſt moderatam decoctionem cum pane, & adipe contritæ, & admotæ, eiuſmodi induratos tumores diſcutiunt, ut libro ſecundo ad Glauconẽ luculenter docet Galenus. Itaq; ſi phlegmonoſos tumores, qui ægrè per halitũ digerũtur, nec facilè cõcoquuntur, in ſcirrhum mutari timuerimus, ualenter digerentibus ſemper emollientia miſcebimus. Sed de ijs iterùm libro ſexto, cui nomen fecimus antidotarium, locupletius dicemus.

Galeni cataplaſma, ad induratos tumores.

4. Putrefactio *PORRO* ſi portio aliqua ſuppurantis particulæ computruerit, eam protinus excidere oportet, uel plurimis ſcarificationibus profundis incidere: dein aqua ſalſa perfundere: & demum emplaſtrũ apponere, ex fabarum, aut orobi farina cocta in oxymelite. Reliqua quoq; tibi molienda erunt, quæ in curatione gangrænæ mox ſubijciemus. Sed melius fuerit capita curationis eiuſmodi phlegmonoſi affectus, breuibus quibuſdam ſententijs complecti.

Capita curationis rheumaticæ, id eſt ex humorum influxu factæ phlegmones adhuc incipientis, & cum dolore non uſque adeo magno, affligentis.

Ex Galeno lib. 2. ad Glauconem.

1. CORpus uniuerſum cõgruis uacuationibus, ſed præſertim uenæ ſectione, modò nihil obſtiterit, inanito.

2. Partem inflammatã his, quæ influentis humoris repellendi uim habeant, perfundito, ac illinito.

3. Humorem qui in affecto loco continetur, admotis exſiccantibus, ac digerentibus medicamentis, uacuato.

4. Robur, ac uirtutem affectæ parti, & eam circunſtantibus addito.

Capita curationis eiuſdem phlegmones, quando cum grauiore dolore affligit.

1. VBi inflãmatio ex defluxione orta, grauiore cum dolore affligit, doloris uehementiam citra ullam noxam leuato, mitigatóue.

2. Ergo quæ uehementer ſtringunt, aut quæ calfaciendo, & humectãdo relaxãt, ac robur reſoluunt, ne admoueto.

3. Sed quæ quod influit, mediocriter ſtringendo, repellunt, & quod iam affectã partem obſidet, uacuant, inflammato loco adhibeto.

4. Spongiam acerbo uino, aut poſcã imbutam, ut fluenti humori uia præcludatur, applicato.

5. Si hæc profecerint, & nuſquã adhuc pus appareat, mollibus, & ijs quæ aduerſus fluxiones temperantur emplaſtris, utitor.

6. Ex ijs autem, quæ exiccare, & fluentem ſanguinem repellere citra dolorẽ poſſint, tanquã optima deligito. Quale eſt, quod chalcite conſtat roſaceo reſolutũ. Deinde lanã puram, ex uino acerbo madentem, ſuperponito.

7. Vbi uerò pus in parte ipſa apparuerit, ſemel atq; iterum ſupra dictum cataplaſma, aut potius quod ex hordei farina conſtat, admoueto.

8. Si puris, eiuſq; craſſi copia, medicamenta ſuperet, adeò ut nulla exhalationis, ſeu reſolutionis ſpes habeatur, exitum ei quod digeſtioni non ceſſit, eo potiſſimum loco, quo eſt editiſſimum, parato.

Poſt

Poſt ſectioně,niſi dolor urgeat,uulnus exiccato,ac citra dolorē detergito. 9.

Si poſt ſectioně dolor urgeat,eum fomentis primū,deinde cataplaſmate,mox humectante aliquo medicamento,aut ſaltem non ſiccante,mitigato. 10.

Si uerò pars adhuc inflammata ſit,cataplaſmo ex lenticula,quod uacuat,& repellit,imponito. 11.

De carbunculo,gangræna, & ſphacelo,quas ſanguineas puſtulas uocant. *Cap. VII.*

POSTQVAM de phlegmone prima inflammationum differentia, & noſtris corporibus frequentiſsimè incidēte, abundè ſatis, quantum ad chirurgum attinet,diſſeruimus:conſequens uiſum eſt,ut primùm de carbone ſeu carbunculo,qui Græcis ἄνθραξ dicitur: dein de gangræna,& ſphacelo(quem uulgò cùm Auicennæ interprete eſthiomenon appellant)dicamus.Ille enim ex ſanguinea fluxione,uti & phlegmone,ortum habet,ſebremq; acutiſsimam infert.Hæc uerò magnas phlegmonas ſubindè concomitari ſolent:ut libello de tumoribus præter naturam, & plęriſq; alijs locis Galenus annotauit. Itaq; carbo ex influente ſanguine, nigro, craſſoq;, ac feculento, eodemq; feruente,atq; impenſe calido,naſcitur.Cui ſi tenues quędam humiditates admiſtæ fuerint,puſtulæ quædam ambuſtis conſimiles, per ſumma cutis excitantur,appellaturq; tunc hæc inflammatio, carbunculus cum puſtula. Quod uitiū ſanè frequentiſsimè incidit.Interim tamen (licet rarò) & citra puſtulam, puſtuláſue incipit:uerùm omnibus cruſtoſam ulcus fit. Dixi autem, circa puſtulā puſtuláſue.Quoniam una duntaxat aliquando puſtula maiuſcula cum hoc morbo exoritur,qua rupta,ulcus cum cruſta gignitur. Sæpè uerò non una tantùm puſtula erumpit,ſed multæ exiles, ueluti milij ſemina, crebræ in particula reſidentes: quibus præruptis,ſimiliter cruſtaceū ulcus prouenit, quale ferramenta candentia excitant.Cæterùm inter initia priuſquam puſtulæ enaſcātur, ſcabunt particulam omninò.Cruſta autē ipſa modò cinereū colorem, modò nigrorē præ ſe fert, eoq; loco leuari cutis non poteſt, ſed inferiori carni quaſi affixa. Circumiacens caro in ſummā,ac feruidam peruenit inflammationem, quam Græci phlogoſin appellant,& colore nigreſcit, ſplendetq; bituminis, & picis modò, uelut ſi pluſculo rubro, minus miſceas nigri. Talis autem eſt color bilis exactæ atræ. Ethæ quidem notæ ſunt carbunculi ex ipſo affectu deſumptæ. Quibus accedit grauis & moleſtus admodum laborantis particulæ dolor, perindè ac ſi uinculis eſſet uehementer conſtricta. Neceſſariò quoq; qui ita ſunt affecti, febricitant, idq; etiam magis, quàm illi, quibus eryſipelatoſa eſt phlegmone. Quòd ſi uenenoſitas aliqua ſubſit (ut ferè ſemper aſſolet) nauſea quoq;, & frequenti uomitu, unà cum omnimoda appetitus proſtratione miſerè torquentur laborantes. Sed & cordis tremor,& palpitatio, & frequens animi defectio illis adſunt. Quod uitium tunc huius ætatis chirurgis peculiari nomine anthrax appellatur,à carbunculo quidē malignitate,& uenenoſitate (ut uolunt) differens. Cùm tamen ἄνθραξ Græcis ſit idem,quod carbo, uel carbunculus Latinis. Proindè ſuperuacaneum eſt,eorum ſigna,& curationem (quod ferè omnes chirurgi faciunt) diſtinguere, & in diuerſis capitibus de ijs pertractare. Cæterū carbunculi ipſi, ex cauſis populatim graſſantibus, magna ex parte oriuntur, & peſtiferā luem conſequūtur. Quocirca diligenti animaduerſione circa eos opus eſt, tantum abeſt, ut negligi debeant.

De carbunculo.
ἄνθραξ.
γάγγραινα.
σφάκελος.
Gangræna & ſphacelus magnas cõſequūtur phlegmonas.
Carbũculi generatio & deſcriptio.
Carbunculus duplex.
NOTAE carbunculi.
1. Vlcus cruſtoſum.
2. Puſtula una maiuſcula uel plures exiguæ
3. Cruſtæ color cinereus aut niger.
4. Carnis circũpoſitæ inflãmatio cum nigrore.
5. Dolor grauis.
6. Febris uehemens.
7. Nauſea.
8. Vomitus.
9. Proſtratio appetentiæ.
10. Cordis tremor.
11. Animi deliquium.
Carbunculi luem peſtiferam ferè ſemper conſequũtur.

Porrò tametſi ἄνθραξ,ſeu carbunculus omnis, morbus ſit acutus, periculoſus, & contagione inficiens,omnium tamen peſsimus eſt Auicennæ,& maximè letalis, qui in emunctorijs, & propè membra principalia enaſcitur. Timendum enim eſt, ne ad interiora, & partem aliquam principem, materia hæc uenenoſa, quæ carbunculum excitauit, ſubitò recurrat. Quod ſi acciderit, in maximo uitæ diſcrimine æger eſt, prę ſertim ſi mala aliquot ſigna ſe prodiderint. Quin ſola

IVDICIA.
1. Carbunculus quãdo maxime letalis, ſumpto a loco affecto iudicio.

a. Aliud iudicium à loco affecto.
3. Iudicium à colore.
4. Iudiciũ ab accidentibus.

illius putida, & pluſquam lerneo tincta ueneno, exhalatio, ſufficiens eſt hominem enecare. Si circa ſtomachum, ſiue œſophagum, faucesúe incidat carbunculus, ſubitò (ut ait Celſus) ſpiritum ſæpe elidit. Minus letalis eſt carbunculus, Auicennæ, qui primùm ruber, deindè citrinus apparet. Qui uerò liueſcit, aut nigricat, neminem ferè nõ iugulat. Nullus tamẽ ex ſua natura nõ periculoſiſsimus cenſetur. Si accidentia quæ morbũ hunc comitari ſolent, plurimùn remittantur, ſpes aliqua nobis promittitur: Si uerò magis, atq; magis ſemper intendantur, & uehementiora fiant, tum planè eſt deſperandum.

De curatione Carbunculi.

Carbunculi curatio à ſanguinis miſsione ſtatim auſpicanda.
Vena è directo ſecanda.

C*ARBVNCVLI* curationem (ſuppoſita conuenienti uictus ratione) ſtatim ab initio (ſi nihil obſtiterit ex ijs, quæ uenam incîdi uetant) auſpicandã eſſe à ſectione uenæ Galen. præcipit lib. meth, med. 14. & ſecundo ad Glauconẽ: uultq́; ſanguinis uacuationem, ad animi defectionem uſq; fieri. Quippe quæ plurimum cõmodi hoc uitio laborantibus ſit allatura: idq́; perpetuò eſt obſeruandum, ut uena è directo pertundatur. Venæ autem ſecandæ electio ex laborante particula (ut in curatione phlegmones dictũ eſt) nobis indicatur. Quocircà ea in re conſulendus eſt à chirurgo peritus aliquis medicus, qui undè, & quatenus ſanguis mittendus ſit, probè nouerit definire. Secta (ut decet) uena, ſi nihil (ut dixi) prohibuerit, alienum non fuerit eiuſmodi tumorem ſcarificare, plagis quidem (ob infeſtantis ſucci craſsitudinem) ſatis profundis: nempe quæ mediocribus (ut Galeno uiſum eſt) ſint altiores. Sunt qui præcipiant, ipſos ſcarificatus in cruſtaceo ulcere duntaxat eſſe faciendos. Ipſas uerò inciſiones aqua ſalſa calente ſtatim perfundunt, ne in illis ſanguis coëat, cõcreſcát ue, ſed foras egrediatur. Interdùm etiam erodens aliquod medicamentum imponunt, cuiuſmodi eſt arſenicum, quod in ea re inter cætera primatum obtinet. Quidam uerò loco ſcarificato ſanguiſugas admouent. Cæterùm laboranti particulæ (tametſi quod ad inflammationem ſpectat, refrigerantia deſyderet) ualidè repellentia, haudquaquã admoueri debẽt. Nec enim eiuſmodi fluxionẽ, propter humoris craſsitiem, atq; etiam malitiam auertere poteris. Et ſi quando id feceris, aliud quippiã (ut Galenus ait) quod in alto ſit corpore offendes. Atqui nec affatim affluere is humor, ipſo Galeno authore, permittendus eſt. Inquirenda igitur remedia ſunt, quæ modicè reprimendo, etiam digerere, ſeu diſsipare poſsint. Tale profectò eſt cataplaſma, tum quod ex plantagine conficitur, tum quod ex bis cocta lente cõſtat. Sed hîc admiſcenda nobis erit mica panis, qui furno ſit coctus. Eſto autem panis (ex Galeni conſilio) nec omninò furfuris purus, nec nimiũ eo refertus. Huiuſmodi autẽ cataplaſma recentioribus appellatur emplaſtrum de arnogloſſa, cuius forma apud eos eſt talis. Recipe arnogloſsi, lentiũ, panis furnacei, ſingulorũ partes æquales, coquãtur in aqua. His gallas addidit Auicenna, qui & ad eandẽ intentionem probat emplaſtrũ, quod cõſtat duobus malis granatis, coctis in aceto, aut aqua acetoſæ. Et hæc quidẽ tum parti ipſi laboranti, tum circumiacentibus imponunt. Huic ſententiæ accedit & Paulus Aegineta, inquiens: Vt radicitus carbunculos diuellas, dirimasq́; ab adiacentiũ commercio, malum Punicũ acidum minutatim cõciſum in aceto coques: ubi autem intabuerit, in læuorem deteres, linteoq́; illitum induces: cum ſicceſsit, aceto humectabis. Item nucis auellanæ ueteris, uel etiam non ueteris medulla, carbunculos maturat, rumpitq́;. Optimũ autem etiam fuerit perpetuò circumiacentibus ipſis partibus unguentum ex bolo Armena, roſaceo, uel myrtaceo oleo, & aceto confectum, inducere: ne ſcilicet intrò, qui iam fluxit humor, recurrat. Sunt qui uirus ipſum, & malignũ humorem in peſtilenti carbunculo, ſuctu, cucurbitulis, & medicamentis attrahentibus ad locum carbone obſeſſum euocent & alliciant. Quod ſanè, & faciendum conſuluerim, ſi artus, & minoris notæ partes ἄνθραξ occupet, & pigré moueatur fluxio.

Perfuſio ex aqua ſalſa calente.
Arſenicum.
Sanguiſugæ.
Fluxionem in carbunculo nec auerti poſſe, nec debere. lib. 14. Ther.
Cataplaſmata carbunculo idonea.
Emplaſtrũ de arnogloſſa.
Emplaſtrum ex malis Punicis.
Paulus.
Medulla nucis auellanæ carbunculos maturat, & rumpit.
Auxilia attrahentia uirus.

Si uerò

Si uerò ualidè, atq; affatim ualde irruat, modicè reprimentibus (ut modò ex Galeno adductum eſt) infrenandus utcunq; eſt fluxionis impetus, ne ſcilicet ingens nimis dolor ex fluxione tam ualenter irruente in laborante particula excitetur, atq; ita malum exaſperetur. Super ipſum uerò ulcus cruſtoſum, ubi præcipuè membrum putreſcit, ualens aliquod medicamentum, & quod uehementer exſiccet, non autem quod concoquat, & pus moueat (quando ita putredinem particulæ foueris) imponendum eſt. Cuiuſmodi eſt Andronis Muſæ, Paſionis, uel Polyidæ: diluiq; id uino aliquo dulci, uel ſapa, ad ſordium craſsitudinem debebit. Cataplaſma etiam, quod ex orobi farina, & oxymelite conſtat Galeno, rectè apponitur, ubi ulcus malignum, & cum putredine fuerit. In communi autem uſu eſt unguentum uulgò Aegyptiacum nominatum. Quòd ſi hæc parum proficiant, ad acriora, & quæ ignis uires habeant, deueniendum erit.

Quid ſuper ulcus cruſtoſum imponendū.

Cataplaſma ex orobi farina & oxymelite.

Vnguentum Aegyptiacū.

Cuius generis ſunt, radix dracunculi, uel ariſtolochiæ: ex aceto trita, & impoſita, calx, arſenicum, & ſandaracha, & alia huiuſmodi, quæ non aliter, quàm ignis adurunt. Hæc proficiunt ſatis, ſi protinus à uiua corruptam partem reſoluant. Quo facto, quicquid corruptum eſt, & emortuum, protinus auellere & radicitus extirpare oportet. Cùm aũt ſub ipſis erodentibus medicamẽtis ſequatur cruſta, undiq; à uiua carne diducta, uulnus quidem, quod ex eis excitatur, ut cætera aduſta curandũ eſt. Cæterùm cum extremis morbis (ut inquit Hippoc.) exquiſitè extrema remedia optima ſint, cogimur aliquando (uictis ſcilicet malo medicamentis) malignum carbunculum, cauterio (ut uocant) actuali, hoc eſt, candente ferro extirpare. Finis autem adurendi eſt, dum ex omni parte ſenſus doloris eſt, ut rectè Celſus admonuit. Poſt hæc cruſta ulceribus inducta, auxilijs ad id accommodis, reſoluenda eſt. Quòd ſi aduſtionem laborãs pati recuſauerit, aliquis ex humili plebe adhibendus eſt, qui carbonem ipſum mordicus apprehenſum radicitus euellat. Quales olim erant Pſylli in Italia nominati, qui uulnera ex morſu ſerpentum illata, innocuè exugebant. Porrò auulſio ſic, uel quomodocunq; abſumpto carbunculo, ſinus, ceſſante iam inflammatione, primùm detergi: deindè iam purus factus, implentibus medicamentis (quæ Græci ſynulotica uocant) curari debet. Vbi uerò iam penitus fuerit impletus, nec amplius quicquàm illi cauum remanſerit, ea quæ cicatricem inducunt, ſimiliter reliquis ulceribus adhibere fuerit tempeſtiuũ. Horum autem omnium materia ex antidotario, & tractatu de ulceribus requirenda eſt. Cæterùm ſi non admodùm ſæuiat malum, nobiſq; aliquas dederit inducias, maturatur, & aperitur Auicennæ, admotis ficubus, fermento, & ſale adinuicem miſtis. Vbi autem bis, uel ter appoſitum fuerit huiuſmodi emplaſtrum, locus omninò niger, & dehiſcens apparere ſolet. Atq; tunc mundificatiuo ex apio locus detergendus erit. Medicamen quoq; ex uitellis ouorum & ſale confectum, ſi ſæpius admoueatur, maturat & aperit carbunculum, ut ſcribit Theodoricus. Ad eundem finem in communi uſu eſt hodiè emplaſtrum ex melle, ſale, triticea farina, & ouorum luteis compoſitum. Cõſolida maior (quod Græci ſymphyron appellant) inter duos lapides contrita, diuino quodam (ut referunt) miraculo anthracem ſanat, & ex toto intra diem unum interimit, ita ut nulla amplius deinceps curatione egeat, præterquàm ea, quæ communis eſt alijs uulneribus. Miranda etiam narrant alij de ſcabioſa: nempe quòd comeſta, uel ex uino pota, internos tumores ad exteriora protrudit, & inſenſibiliter diſſoluit, diſcutitq;.

Adurentia medicamenta.

Quãdo ad uſtionem properandum.

Finis adurẽdi.

Pſylli.

Auulſio uel abſumpto carbũculo, quid poſtea agendum.

Maturatiuum Auicennæ.

Mundificatiuum ex apio.

Emplaſtrum uulgare optimum, quod uſurpatur in Pariſiorũ Noſocomio.

Cõſolida maior.

Scabioſa.

Quæ cruſtas ulceribus reſoluunt.

CRVSTAS huiuſmodi carbunculi ulceribus reſoluunt, butyrum recẽns, axungia porci, & alia id genus pinguia. Ad id etiam mirè proficit ſubſequens emplaſtrum. Nam præterquàm quòd eſcharã, id eſt cruſtam, citius multò quàm prædicta reſoluit, dolorem etiã ab acribus & adurẽtibus medicamẽtis, uel

candente ferro excitatum, demulcet: atque malignum ipſum ſuccum, qui carbunculum creabat, potenter diſcutit. Habet autem farinæ triticiæ, & hordeaceæ, ſingulorum uncias tres. Ex quibus cum decocto maluarum, uiolarum & radicum altheæ fit ſolidum emplaſtrum, addendo butyri, & axungiæ ſuillæ liquefactæ ſingulorum uncias duas, uitellos quoq; duorum ouorum, qui adijci debent, quando ab igne remouentur: atque hæc omnia rurſus cum radice & folijs prænominatis, diligenter contuſis, & ſubactis, ac per incerniculum cretis, adinuicem miſcenda ſunt. Victus ratio, epithemata opiata, & alia id genus, quæ cordi roborando dicata ſunt: Item uacuationes, ſi quæ neceſſariæ ſint, ad diæteticen, & pharmaceuticen omninò pertinent. Quare in ijs adminiſtrandis peritus aliquis medicus erit cõſulendus. In cõmuni autem uſu eſt apud omnes theriace, quę ad fabæ magnitudinem exhiberi ſolet, ex aqua ſcabioſę, uel ſi febris adſit admodùm acuta, & uehemens, ex aqua roſacea, uel bugloſsi: debetq; à laborante aſſumi ſex horis à paſtu. Cæterùm quoniam ſuperius facta eſt mentio de trochiſcis Andronis, Polyidæ, Paſionis, & Muſæ, quos tantoperè celebrat Galenus, non alienũ fuerit eorum deſcriptionem hîc ſubijcere.

Emplaſtrum eſcharam reſoluens.

Theriace.

Andronis trochiſcus hæc recipit.

CYTRINORVM, id eſt, florum, ſeu capitulorum mali Granati, drachmas decem, aluminis ſciſsilis drachmas quatuor, chalcanthi drach. duodecim, myrrhæ drachmas quatuor, thuris, ariſtolochiæ, gallæ, ſingulorum drachmas octo, ſalis ammoniaci drachmas quatuor.

Polyidæ ſphagis paſtillus hæc continet.

MALICORII * pondo ſex, myrrhæ * pondo octo, aluminis ſciſsilis * pondo quinq;, thuris * pondo quatuor, chalcanthi * pondo trium, fellis taurini * pondo ſex: uino dulci excipiuntur.

Quod ſic * ſtellatum decuſſatur, nota eſt denarij, quæ pro drachma hic ponitur.

Polyidæ paſtillus alius.

ALVMINIS fiſsi pondo denariûm trium, thuris pondo denariûm quatuor, myrrhæ tantundem, chalcanthi pondo denariûm duûm, cytrinorum pondo denariûm duodecim, fellis taurini pondo denariûm ſex, aloës pondo denariûm octo: uino auſtero excipiuntur.

Muſæ trochiſcus hæc habet.

ALVMINIS ſciſsi, aloës, myrrhæ, chalcanthi, ſingulorum pondo * ſex, croci, crocomagmatis, ſingulorum pondo * tres, cytini pondo * quatuor mulſo ex falerno facto aſſumuntur.

De gangræna, & ſphacelo.

GANGRAENAS nominat Galenus libro 2. ad Glauconem, eas, quę ex magnitudine inflammationis fiunt mortificationes, nódùm tamen integrè factæ ſunt, & iam confirmatæ. Eius mali tanta uis eſt, ac tyrannis, ut niſi celerrimè ſuccurras, facilè affecta pars mortis habitum repræſentet, hoc eſt, promptiſsimè, uitæ ſenſus & motus extinctionem contrahat. Vbi uerò membrum ſic uitiatum, & languens, omninò ſenſu fuerit deſtitutũ, ac omninò emortuum, ita ut percuſſum, uel ſectum, uel aduſtũ, non ſentiat quæ patitur, affectũ hunc nõ iam amplius gangrænam, ſed ſphacelon Græci nominãt. Latini uerò ſyderationẽ, recentiores eſthiomenon appellãt: quod nomen etiã ad gangrænã extendunt. Auicenna aũt eſthiomenon uocauit, quando ad partes continuas tranſit corruptio, quo nomine in re alia utuntur Græci. Quidam affectum hunc modò herpeta eſthiomenõ, modò cancrum ulceratum nominant. Accidit autem hic affectus etiam oſsibus, cùm

Gangræna quid, & unde ortũ habeat.

Gangręna peſsimus tyrãnus

Sphacelus.

Oſsium ſyderatio.

cùm caro ipſis circundata ac circumfuſa tetros gignens ichoras, id eſt, deprauatam ſaniem generant, hoc tetro uiru ea imbuerit, ac fœtidiſsima putrilagine con ſumpſerit.

Cùm itaq; membrum ita ex toto, uita, ſenſu, motuq; priuatum apparuerit, confeſtim ad uiuum uſq;, quàm proximè ſanæ parti erit reſecandum. Itaq; differt ſphacelus à gangræna, quòd ille oſsibus etiam (ut dictum eſt) innaſcatur, nedum carni, & uaſis: hæc uerò oſsibus non adueniat: una tamen ſpecies ſphaceli eſt, ſed proprium nomen, & ſingulare præter commune ſortita. Huiuſmodi abſolutam partis affectæ corruptionem, ſenſum penitus auferentem, uulgus Gallicum appellat ignem Sancti Antonij, aliàs Sancti Martialis. Alij uerò (ut diximus) herpeta, eſthiomenum: alij cancrum ulceratū uocant. Accidit autem trifariàm eiuſmodi membrorū mortificatio, ſeu uitæ in membris extinctio, ac deſtructio. Vno modo, quando membrum non amplius poteſt recipere uitam ſibi à corde per arterias tranſmiſſam, propter diſsipationem, ſeu diſſolutionem miſtionis, atq; harmoniæ ipſius laborantis membri. Diſſoluitur autem ac deperit miſtio, atq; harmonia partis, uel ob nimiam frigiditatem, ut aliquando cōtingit per hyemem ualidam, atq; aſperam: uel ab immoderata, & inconſultè ac temerè molita inflammationum refrigeratione: aut ab excedenti, ac ſupra modum uehementi calidita te, & uenenoſitate inflammationū, ac malignarum (ut uocant) puſtularū. Altero modo gangrænam, & ſphacelum fieri contingit, quādo uita in membro recepta præfocatur, atq; extinguitur, ut nonnunquā euenit in magnis inflāmationibus, quæ ita interdū uenas, arterias, & poros cutis obdurant, conſtipantq;, ut ſpiritus ibidem, prohibita in totum effluuij uaporoſi tranſpiratione, & aeris externi attra ctione, ſtranguletur, ſuffoceturq;. Tertio modo, hę mortificationes, & uitę extin ctiones fiunt in membris, quando prohibetur tranſitus, atque influxus uitalis ſpi ritus, à corde ad membrum aliquod: idq; uel propter uehementem ligaturam, uel contuſionem aliquam in uijs, ac meatibus ipſis, per quos defertur ſpiritus, factam. In ſumma, gangræna & ſyderatio, quam Græci necroſin, & ſphacelum uocant, noſtris corporibus accidunt, uel denegata parti uitali facultate, uel natiuo eius corporis calore, ac temperie pereunte.

Syderatū mē-brū cōfeſtim reſecandum.
Ignis ſancti Antonij.
Mortificatio-nis cauſæ 3.
1.
Quæ membri miſtionē diſ-ſoluunt.
2.
3.

Cæterùm ſigna gangrenæ, & ſyderationis, Galeno in opuſculo de tumoribus præter naturam ſunt hæc. Primum quidem illud coloris floridum, quod phleg monis, id eſt, inflammationibus aſſuerat, in ipſis extinguitur. Deinde dolor, & pulſus ſeu pulſatio, hoc eſt, arteriarum motus ipſi ægro ſenſibilis, recedunt, non finita adhuc diſpoſitione, uerùm ſenſu iam emortuo. Vnde membrum mox nigrum conſpicitur, molle quoque, & putridum, fœtoremq; expirans, cadaueroſum efficitur. Quo fit, ut cùm premitur digitis, facilè cedat in profundū, nec poſtea reuertitur, aut reſilit, imò apparet cutis à carne ſeiuncta. Hęc autem partis affectæ mortificatio, quam Græci gangrænā appellant, tantæ eſt (inquit Paulus) ferocitatis, ut niſi quis rupta omni mora præſentiſsimas tulerit ſuppetias, laborans particula facilè emoriat, & uicinas ſedes inuadat, ac hominē ipſum iugulet. At ſi (ut refert Celſus) nondū planè tenet, ſed adhuc incipit, eā curare nō difficillimū eſt, utiq; in corpore iuuenili, & magis etiā, ſi muſculi integri ſunt, ſi nerui, uel læſi nō ſunt, uel leuiter affecti ſunt. Vbi uerò penitus inſedit hoc malū, & iam in ſphacelum abijt, inſanabile eſt, plurimiq; ſub frigido ſudore moriuntur.

SIGNA gangrænæ & ſphaceli. 1.
2.
4.
IVDICIA.
Lib. 4.
Lib. 5.

De curatione gangrænæ ex magnis inflammationibus genitæ, & ſphaceli ex gangræna creati extirpatione.

CVm ſanguinis copia gangrænam generet, eius curandi ratio ſtatim auſpicanda eſt à copioſa corrupti ſanguinis, qui in membro laborante compin gitur, uacuatione. Sed interim negligi non debent, quæ ad diæteticam, pharma ceuticā, uenæ ſectionē (ſi neceſſaria fuerit) & cordis tutelā pertinere uidebūtur,

Corrupti ſanguinis uacuatio.

pro quibus conſulendus erit chirurgo peritus aliquis medicus, qui omnia probè, & ut res exigit, norit inſtituere. Fit autē larga illa ſanguinis ita impacti (cuius occaſione fiunt mortificationes) ex parte affecta emiſsio, uel uena inciſa, ſi quæ amplior, ac turgens circa eandē partem conſpicitur, uel cute uniuerſa partis affectæ, unà cum ſubiecta ſubſtantia, exciſa, uel pluribus, & altis ſcarificationibus diuiſa. Alij ad eundem finē ſanguiſugas admouent, & uenas minores proximas aperiūt. Verùm profundæ illæ, ac frequentes ſectiones, aut ſcarificationes, multò ſunt ad eius mali curationē efficaciores. Cæterùm pro affectus magnitudine, uel maximæ ſectiones fiunt, uel inciſuræ (quas ſcarificationes appellamus) utrq; frequentes: illa, ubi putredini uicinius malū eſt: hæ, ubi tantùm putreſcere incipit.

Poſt ſcarificationem locus aqua ſalſa abluendus.

Quo enim uitium maius eſt, eo maiore remedio, ut cuiq; cōſtat, indiget. Vbi autem abundè ſanguinē ex altis illis plagis emanare permiſeris, locus aqua ſalſa abluendus erit, ut ſanguis craſsior, & qui alioqui ibidem cōcreſceret, foràs egrediatur.

Medicamenta putridis conſecrata.

Deinde medicamentū aliquod putridis conſecratum, id eſt, quod putrefactionē prohibeat, ac reſoluat, induci debet, quale eſt farina orobi, aut lolij (quod Franci iuraîam, quòd uini modo temulentiam cōcitet, appellant) aut ſi harum facultas non ſit, fabacea ex oxymelite, uel ſyrupo acetoſo. Vtile etiā fuerit, locū ſcarificatum bis in die, aceto calente, ſed mulſo præſertim lauare. Hæc enim ſua ſiccitate ſaniē, & putrilaginem abſumunt, eamq; detergunt: frigiditate uerò, quod nōdum uitiatū, ac corruptum eſt, à putredine uindicāt. Vbi uerò iam ipſe ueluti feruor ſubſederit, ac mali furia ſeſe remiſerit,

Vnguenti Aegyptiaci uis.

unguentū id, quod uulgò Aegyptiacū appellatur, ex flore æris, alumine, melle, & aceto, ad æquas portiōes miſtis, & coctis compoſitum, ſuperimponendū erit. Hoc enim putrefactionem prohibet, ac reſoluit: putrefactum quoque, ac corruptū ab integro, & ſano adhuc dirimit, & decidere cogit. Denique cruſtam inducendo, quod ſanū eſt, cōſeruat, ac tuetur. Quòd ſi ualentius, atque efficacius medicamen uelis apponere, ſalem prædictis

Trochiſci cauſtici.

adijce: aut ſi malum magis adhuc increuerit, aliquē ex trochiſcis paulò antè memoratis exquiſitiſsimè tritum aceto, & uino dilutū, utpote uel Andronis, uel Polyide, uel Muſæ, uel Paſionis, uel unum ex ijs, qui in antidotario dicuntur, calidicon, aldaron, & ex aſphodelo, qui ob ſuā uim cauſticam corruptum à ſano dirimunt.

Arſenicon ſublimatum.

Probatur in ea re ante omnia arſenicon, quod uocāt ſublimatum, purum, aut correctū, idq;, uel in puluere, uel ex uino diſſolutum, & linamento, aut xylo, quod Galli cotonem appellant, exceptū, inter ſanum & corruptum applicatū. Hoc enim confeſtim malum ſiſtit, & id quidē ſine dolore. Quòd ſi neceſsitas exigat, ſpathula, uel ſpecillo ſeparandum eſt ſanum à corrupto. In eiuſmodi autem medicamētis adhibendis, ut res ſecurius tractetur, attentos ſedulò nos eſſe oportet circa naturam corporis ægroti, ſicuti rectè nos Galenus admonuit, inquiens:

Lib. 2. ad Glauconem.

Si corpus ruſticum fuerit, & durū natura, uehementiora deſyderat medicamenta: fœmineum uerò, & mollem carnem habens, imbecilliora. Infantes quoque, uel pueri, & quicunq; inter uiros, & balneas amant, & in ocio degunt, mollia exigunt medicamina. Conſyderādaeſt partiū, quæ malè affectæ ſunt, nedum corporis totius natura, quādo abſcindis, aut circūcindis id, quod iam cōputruit. Quædam enim ſunt, quæ citiſsimè ad putredinē ueniunt, ſi negligēter curētur: aliæ uerò tardiuſculè. Quædam item medicaminū uires, ac beneficia tardius ſentiunt, aliæ citius.

Vſtio quando adhibenda. Si gangræna in ſphacelum abierit.

Porrò ſi nihilo magis malum his cauſticis medicamentis cōſtiterit, uri id, quod eſt inter integrum, ac uitiatum locum, debet. Solent uerò hæc auxilia omnia, nihil interdùm proficere, atque tunc unicum: tametſi (ut Celſus ait) miſerū auxilium eſt, membrum, quod paulatim emoritur, abſcindere, ut cętera pars corporis tuta ſit. Nam quod computruit, ueneni in modum ſuo contactu, quod adhuc ſanum, & integrum eſt, inficit, & corrumpit. Si quando autem putrefactam huiuſmodi, atque emortuam partem abſcideris, uel quod in membro quopiam computruit uſque ad ſanum corpus concideris, eam, quæ ueluti quædam radix

eſt,

eſt,ſanæ atq; integræ parti adiunctam,ob maiorem ſecuritatem,ex Galeni conſilio,candenti ferro adurere conuenit. Ita enim celeriter ſanguinis profluuiū compeſces,& putredinem arcebis. Facta uerò aduſtione, pôrri ſucco, uel (ut Paulus ait) ſale cum porro utendum eſt,uel aliquo ex ijs, quæ paulò antè diximus. Hæc enim ſiccant,& ſtringunt putredinem,atq; humorum affluxum prohibent. Vbi uerò tibi uidebitur,his remedijs adhibitis,ceſſare putredo, ut cruſtæ citius decidant,cataplaſmate utendum eſt ex pane,uel hordeacea farina, uel triticea ex hydrelæo incocta. Item medicamento,quod cephalicum uocant,ex melle illitum. Hæc enim detergendo,cruſtam à ſubiecta carne reſoluunt. Quinetiam medicamentum,quod tetrapharmacum dicitur:præterea & Macedonicū, pus mouendo, ac emolliendo,cruſtas à ſubiectis corporibus diducunt. Quemadmodum & reliqua omnia quæ ad ſuppurationem perducunt. Hæc enim præterquàm quòd emolliunt,pus ſub cruſta conficiunt,quod eam reſoluit, ſcilicet inter carnē ſubiectam,& cruſtam ipſam interiacens. Panis quoq; cum apio tritus, aut ocymo, optimè cruſtas à ſanis partibus citra eroſionem detergendo,detrahit. Sic & iris, uel radix panacis, uel ariſtolochiæ, uel acori cum melle. Solent autem uulgò ad cruſtas reſoluendas uti butyro,aut alio quouis unctuoſo. Vbi uerò cruſta exciderit,locum aceto abluunt,poſtea ſequens emplaſtrū admouent,quod ad Guillelmum à Saliceto refertur. Recipit autem mellis ſelibram uitellos ouorum crudos tres,aut quatuor numero,farinæ hordei ſelibram:hæc miſcentur in formam emplaſtri. Poſt biduum uerò,uel triduum,ut melior fiat mundificatio, huic emplaſtro addi poſſunt drachmæ decem myrrhæ electæ. In teneris autem corporibus ad eſcharæ ſeparationem, & ſordium deterſionem, abundè ſufficit Galeno orobi farina cum melle,uel thure. His ritè peractis, huiuſmodi ulcera ad ſanitatem perducenda ſunt medicamentis, quæ carnem producant, & cicatricem inducant:ſynulotica,& epulotica Græci uocant.

Lib. 2. ad Glauconem. Lib. 4. Cruſtas à partibus exuſtis ſoluenda. Butyrum. Emplaſtrum Guillelmi à Saliceto. Lib. 2. ad Glauconem.

Capita curationis gangrænæ, & ſphaceli.

VItiatum ſanguinem in affecta parte impactum affatim uacuato. 1.
Poſt ſcarificatus,aut ſectiones,locum affectum aqua ſalſa abluito. Dein 2.
de medicamentum putridis conſecratum inducito.
Vbi mali furia ſe remiſerit, ungentum Aegyptiacum ſuperimponito. 3.
Si malum ijs remedijs non ceſſerit, id quod inter uitiatum & integrum eſt,ferro candente adurito. 4.
Quòd ſi hæc omnia nihil profecerint, & iam gangræna in ſphacelum degenerauerit,membrum quod ſic planè emortuum fuerit,uſq; ad partem ſanam, ita ut nihil prorſus putridi relinquatur,ocyſsimè abſcindito. 5.
Vbi quod computruit reſecueris,uel amputaueris, quò ſecurius mali radicem euellas,ferramenta igne flagrantia adigito. 6.
Poſt exuſtionem porri ſuccum,atq; alia id genus,quæ ſiccant, ſtringunt,& fluxionem arcent,admoueto. 7.
Cruſtam,uel medicamentis aduretibus, uel ignito ferro inductam, à ſubiectis corporibus reſoluere (ſolet enim inde ſanguinis profluuiū ſequi) ne properato. 8.
Cùm putredo ceſſauerit, nec amplius ſanguinis profluuium reformidaueris, ea quæ cruſtam detrahunt,applicato. 9.
Vbi cruſtæ exciderint,curationem reliquis ulceribus communem adhibeto. 10.

Qui ſequuntur aphoriſmi, ad medicum pertinent.

V*ICTVM* tenuem,& refrigerantem,gangræna,& ſyderatione,id eſt, ſphacelo laborantibus inſtituito. 1.
Fluxionem ſanguinis miſsione,ſi nihil obſtiterit,auertito:atq; eadem plenitudinem (ſi affuerit) uacuato. 2.

E

3. Medicamento quod catholicōn appellatur, uel nigra caſsiæ fiſtularis medulla, ad hæc tamarindorum, lupuli, ac fumariæ decocto, ſanguinem mundificato, depuratoq́.

4. Theriacam, atq; id genus alia, quæ cor, uitæ fontem, ac principium, à putridis, & graueolentibus illis, à parte uitiata ſublatis effluuijs, tuentur, laboranti ſumenda exhibeto.

De eryſipelate, & alijs tumoribus à bile creatis. Cap. VIII.

Pituita in humorum generatiōe ſanguini proxima.

TAMETSI phlegma, quod Latini pituitam uocant, in generatione humorum, ſanguinem conſequatur, maiorq́ eius humoris portio fit in corpore ſecundum ſanguinem, quàm aliorum humorum: quia tamen tumores præter naturam à bile procreati (quæ apoſtemata cholerica communiter uocant) in ualde multis conſpirant cum ſanguineis: conſequens eſt, poſt determinationem phlegmones, & aliorum qui à ſanguine fiunt, tumorum præter naturam conſiſtentium, de ijs nunc dicamus, qui à bile excitantur, & nomine quidem cōmuni eryſipelata uocantur Græcis, Latinis uerò antiquioribus ignes ſacri. Eſt igitur eryſipelas biliosæ fluxionis germen, circa cutim utramq; maximè conſiſtens, & eam ſcilicet, quæ foris eſt, omnium partium commune tegumentū, & membranoſam illam, ac tenuem, quæ ſingulis internarū eſt circundata. Nonnunquam uerò & aliquid quoq; ſubiectæ ſibi carnis occupat, ſi cuti & phlegmone (quæ fluxionis ſanguineæ ſoboles eſt, in carnoſa corpora maximè incidens) etiam cutis aliquid apprehendit. Itaq; cùm flaua bilis uerè tenuis uel ſanguis feruens & conſiſtentia tenuis (qui recentioribus cholera dicitur naturalis, Galeno uerò χολὴ ξανθή) per ſolam cutem diffuſus fuerit, nihil inferiorem carnem moleſtans: particulam tamen in tumoribus aliquantum attollens, cum inflammatione & rubore in flauum elangueſcente, ac protinus ad tactū euaneſcente: affectus hic priuatim, ac propriè Galeno uerum atq; exquiſitum eryſipelas nuncupatur. Hoc autem unius rationis eſt, ſeu (ut dicunt) uniforme, & abſq; ulceratione incidit. Auicēna ſpinam uocauit. Cùm uerò amaræ bilis ſuccus craſſior, acriorq́, quàm pro naturæ modo redditus fuerit, ſummam cuticulam (quā epidermida Græci uocant) exulcerat, excoriátue, atq; aliquando cutis exulceratio ſpacio temporis ad profundum peruenit, ita ut inferiorē ſeu ſubiectā carnem attingat. Nuncupaturq; tunc eiuſmodi affectus etiam eryſipelas, ſed cum ulceratione, quod (Galeno authore) eiuſdem generis eſt cum herpete. Verùm enimuerò, ſi nec planè biliosa, nec ſanguinea fluxio ſit, ſed ex ambabus miſta, nō iam tantùm eryſipelas, ſed diſpoſitio permiſta eryſipelate atq; inflammatione nominatur Galeno. Ab eo autem quod in miſtura exuperat, nomen uitio indetur. Etenim ubi ſanguis præcellit, phlegmone eryſipelatoſa dicetur. Vbi uerò flaua bilis præpollet, eryſipelas phlegmonoſum appellabitur. Verùm ubi neutrum uincit, & æqualia utriuſq; apparuerint accidentia, tunc uitiū id phlegmones eryſipelatoſq́, medium uocabitur. Iam uerò & aliarum miſtionum ſimilis utiq; erit interpretatio: nempe ſi multa bilis, pauco humori pituitoſo, aut atrabilario cōmiſceatur, eryſipelas œdematoſum, uel ſcirrhoſum dicetur. Porrò cùm ſimpliciter bilē dicimus, uel biliosum humorem, more Galeni & aliorum Medicorum, nos pallidam bilem, ſeu flauam, & amaram, nō autem acidam, & nigram, inaudimus. Hæc autem naturalis cholera, & certa alijs nominatur ex ſanguine quidē tenui, & feruente generationem obtinens. Atram uerò bilem nunquàm abſolutè bilem nominamus, ſed ſemper cum adiectione humoris, appellationi colorem adiungentes. Eſt igitur bilis, quæ χολὴ Græcis dicitur, uulgò autem cholera, humor calidus & ſiccus, ex tenuiori & calidiori parte chyli, uel ex ſanguine tenui & feruente (ut modò diximus) procreatus. Hęc aūt duplex eſt iuxta neotericorum diuiſionem, naturalis

Eryſipelas quid.

Eryſipelas exquiſitum.

Spina.

Eryſipelas cū ulceratione.

Eryſipelas nō legitimum & eius ſpecies.

Phlegmone eryſipelatodes.

Eryſi. phlegmonodes.

Mediū uitiū.

Bilis.

Bilis flaua duplex.

naturalis ſcilicet,& non naturalis. Naturalis, eſt humor calidus & ſiccus poteſta- 1.
te: ſubſtantia quidem tenuis, colore uerò flauus, aut ruber, declinans ad quandã Naturalis.
citrinitatem, ſeu flauitiem: ſapore uerò exactè amarus, non autem acutus, ſiue a-
cris, ut quidam malè affirmauerunt. Non naturalis uerò, bilis dicitur, quæ à præ- 2.
dicto humore uerè borioſo degenerant, intra terminos tamen ſuæ latitudinis con- Nõ naturalis.
tinetur, quos ſi egrediatur, nõ iam bilis, ſed alius humor reputabitur. Hoc autem Bilis duobus
(bilem inquam egredi limites ſuæ latitudinis) contingit bifariam: uno modo (ut modis deficit
ſic dicatur) per ſe, & in ſe: Altero modo, per admiſtionem. Per ſe, & in ſe adhuc du- à ſua natura.
pliciter: Vno modo, quando bilis illa naturalis putreſcit, & aduritur, & talis di- Vitellina ex
citur aduſta per putrefactionem. Altero modo, quando bilis non naturalis uitel- meraca bile.
lina dicta, igneo calore percoquitur in hepate, aut in uentriculo, aut in uenis, & Bilis porracea
efficitur porracea, quam etiam praſsinam uocãt, uel eruginoſa, quæ extremè qui- Aeruginoſa.
dem malæ ſunt. Per admiſtionem uerò bilis efficitur non naturalis, ſeu præter na- Crocea bilis.
turam, cùm alius humor illi extrinſecus accedit. Et hoc quidem fit multifariam.
Nempe ſi phlegma tenue, & aquoſum illi admiſceatur, citrina, ſeu crocea effici- Vitellina ex
tur, ſi craſſum, & uiſcoſum, uitellina: ſi uerò melencholia aduſta illi permiſcetur, admiſtione pituitæ.
efficitur bilis aduſta per admiſtionem. Et ſic iuxta Auicennæ placitum, ſex ſunt Auicenna.
ſpecies bilis non naturalis. Apud Haly Abb. uerò quatuor duntaxat. Nullam e- Haly.
nim prorſus mentionem fecit de duabus ſpeciebus aduſtis. Galeno autem lib. 2.
de uirtutibus naturalibus, nulla bilis præter naturam eſſe dicitur, præter uitelli-
nam, quæ ouorum uitellis, tum colore, tum craſsitudine eſt adſimilis. Siquidem Porracea bilis
porraceam, & æruginoſam ex prauis, ac corruptis humoribus, propter quorun- quomodo gignatur.
dam eſculentorum, aut olerum cruditatem, qualia ſunt, beta, cepa, braſsica, ſæpe-
numerò in uentriculo ait generari. Atq; etiam interdùm talibus nequaquã inge-
ſtis, ratione ægritudinis, aut malæ alicuius diſpoſitionis in uenis ipſis generatur.
Ex ijs itaq; colligitur quatuor ſpecies, ſeu differentias inflammationum (quę uul- Quatuor in-
gus cholerica apoſtemata uocat) ex bile ipſa generari. Nempe ex bile uera, ſynce- flammationũ
ra, & laudabili (quam tenuem feruentemq; ſanguinem appellamus) procreatur differẽtiæ, ex
ea ſpecies inflammationis, quæ Galeno uerum atq; exquiſitum eryſipelas appel- flaua bile oriuntur.
latur, lib. 2. ad Glaucon. quod tanquàm cutis ſolius paſsio eſt. Græcè autem ἀ- Verum Eryſipelas.
κριβὲς ἐρυσίπελας nominatur. Ex bile uerò non naturali, & alijs humoribus permi- Tria eryſipela
ſta, tres aliæ naſcuntur differentiæ, utpote eryſipelas phlegmonôdes, eryſipelas illegitima.
œdematôdes, & eryſipelas ſcirrhôdes, ſeu ſcirrhoſum. Ex bile autem, quæ præ-
ter naturam ex aduſtione facta eſt, pro ratione tenuitatis, aut craſsitiei, ſubſtan-
tiæ ipſius generantur, uel herpetes eſthiomeni, id eſt, exedentes (qui eiuſdem Herpes exedens.
generis ſunt cum eryſipelatis, quæ cum exulceratione incidunt) uel phagedæ- Phagedænæ.
næ (quæ cum cute pariter ſubiectam carnem altius erodunt) & exulcerati can- Cancri exulcerati.
cri, aliaq; eiuſmodi erodentia, & cacoëthæ, id eſt, maligna ulcera, quæ puſtulæ
corroſiuæ recentioribus chirurgis dicuntur. Itaq; tenuiſsimus quidem in eiuſ-
modi humoribus, eſt is, qui exulceratum herpetem excitat: craſiſsimus, qui can-
crum. Proximum deinceps locum occupat, quod ad craſsitudinem attinet, qui
phagedænas creat, ut libro 14. methodi medendi Galenus annotauit. Cauſæ ue- Cauſæ ueri
ri eryſipelatis uti, & phlegmones ueræ, ſunt tres. Prægreſſæ, quæ & primitiuæ di- eryſipelatis.
cuntur: antecedentes, & coniunctæ. Cæterùm rarò fit eryſipelas à cauſa prægreſ-
ſa, frictiones tamen uiolentæ, inſolatio, & admotio medicaminum attrahentiũ
ipſum nonnunquàm excitant.

De ſignis, & indicijs veri eryſipelatis.

SIgna & indicia ueri atque exquiſiti eryſipelatis ſumuntur ex collatione ipſi- NOTAE
us ad phlegmonem iuxta Galeni doctrinam 14. Therap. & 2. ad Glauconem: eryſipelatis.
ex quo apertè colligitur uerum, ac legitimum eryſipelas ueluti quandam ſpeci-
em eſſe phlegmones, id eſt, inflammationis generaliter acceptæ. Notæ igitur

1. Rubor flaueſcēs, ad tactum ſubterfugiens. eryſipelatis ſunt, color aſpectu rubidus, in flauū elangueſcens, qui (rubor inquā) flaueſcens, ad tactum, hoc eſt, digitorum appreſſu facilè ſubterfugit, rurſusq; illabitur.

2. Tumor paruus. Tumor exiguus, in cute potius conſiſtens, quàm altè deſcendens.

3. Calor uehemens. Calor uehemens febrem excitās maiorem ea, quæ ex phlegmone accenditur. Siquidem calidius multò eſt eryſipelas, quàm phlegmone.

4. Pulſatio exigua. 5. Dolor punctorius. Pulſatio (quæ magnæ phlegmones proprium eſt ſymptωma) non admodùm fortis. Dolor mordicans, & pungens nullam (ut in phlegmone contingit) inuehens tenſionem, & ſi quæ ſunt alia bilis dominium ſignificantia. Quod autem

IVDICIA. ad iudicia pertinet, eryſipelas ut plurimùm faciem prehendit, incipitq; maximè

1. in ea naſi parte quæ uulgò lepus appellatur. Deinde mox in faciem totam expanditur, gemina quidem occaſione: nempe ob faciei raritatem, & ipſius bilis leuitatem.

2. In oſsis autem exutione, ſeu denudatione, eryſipelas ſuperueniens, malo eſt, ut ſcribit Hippocrates Aph. 19. lib. 7. hoc eſt, ſymptωma prauum eſt, ſi oſſe nu-

In com. prædicti Aph. dato caro circunſtans ab eryſipelate occupari uideatur. Hoc autem Galeno teſte, rariſsimè accidit. Rurſus ſequenti aphoriſmo ſcribitur ab eodem Hippocra-

3. te, quòd eryſipelate putredo, aut ſuppuratio, malū. Hæc enim (inquit Galenus)

4. nunquam eryſipelatis ſuperueniunt, niſi ualde malignis. Verum, ac legitimum eryſipelas quatuor habet tempora, uti & alij præter naturam tumores. Horū au-

5. tem ſigna ex præcedentibus ſunt requirenda. Exquiſitum eryſipelas rarò terminatur ſuppuratione, ſed magna ex parte inſenſibili tranſpiratione, ſeu reſolutio-

6. ne. In eryſipelate quædam interdùm contingunt accidentia, ſeu (ut Græci dicūt)

7. ſymptωmata, quæ nōnunquàm magnitudine ipſius morbi cauſam exuperant, atque ideo curandi rationem interpellant, hoc eſt, curationis ordinem euariant, peruertuntq;, ut etiam ſuperius de phlegmone dictum eſt.

Eryſipelas motū ſequitur tertianæ febris. Ad hæc eryſipelas motum ſequitur tertianæ febris, nam ad eius materiam quandam habet analogiam. Vtriuſque enim materia, humor eſt bilioſus. Cæte-

8. Eryſipelata circa caput curatu difficillima. rùm eryſipelas ab exterioribus uerti ad interiora non eſt bonum: ab interioribus autem ad exteriora, bonum, ut ab Hippocrate ſcriptum eſt Aph. 25. lib. 6. Eryſipelata uerò, quæ capiti oboriuntur, plus faceſſunt negotij, adeoq; (ut Paulus

9. 10. ait) periculoſa eſſe ſolēt, ut niſi efficax conſequatur auxilium, interdùm affectos

Eryſipelas in utero prægnātis fœtum enecat. ſtrangulent. Scribit etiam Hippo. letale eſſe, ſi eryſipelas ſit in utero mulieris prægnantis. Facto enim ſic in utero eryſipelate, fœtus ex neceſsitate moritur. Siquidem acuta febris (ut Galenus ait in commentario) ſæpe eum citra inflammationem interimit.

Eryſipelatis curatio.

Curationis eryſipelatis ſcopi uniuerſales duo. CVm eryſipelas, ſicuti & phlegmone, de qua paulò antè egimus, affectus calidus ſit, & ex humorum defluxione fiat, geminus etiam erit totius curationis ipſius ſcopus, nempe refrigeratio, & uacuatio. At ueluti uacuationis indicatio in phlegmone, refrigerationis indicationem uincebat: ita refrigerationis indicatio in eryſipelate, magis urget, quàm uacuationis. Illa enim quantitate, hoc uerò qualitate magis premit & cruciat. Itaque eryſipelas magis refrigerari, & minus uacuari: Inflammatio cōtra magis uacuari, & minus refrigerari debet. Quanquam utriuſque affectus curandi (ut inquit Galenus) commune caput ſit, infeſtantis ſcilicet humoris uacuatio. Ideoq; poſtquam refrigeratum eryſipelas fuerit, ad ea, quæ digerunt, ſeu diſcutiunt, medicamenta conuertimur. Porrò ut geminum hunc ſcopum uniuerſalem, refrigerationem inquā, & humoris infeſtan-

Particulares curandi eryſipelatis ſcopi 4. tis uacuationem, aſſequamur, quatuor alijs ſcopis particularibus iuxta poſterioris ætatis chirurgorum placita, eſt opus.

1. 1. Primus ſcopus, cōſiſtit in recta uitæ inſtitutione, atq; obſeruatione. Secundus, humoris

humoris ad partem affectam confluentis,quem antecedentem materiam appel-
lant,auerſionem concernit. Tertius in humoris,qui iam in partem ægram influ 3.
xit(quem materiam coniunctam dicunt) uacuatione conſiſtit. Quartus uerò 4.
& poſtremus circa ſymptωmatum correctionem, ac propulſionem uerſatur.
Primum ſcopum facilè aſſequemur, ſi rerum omnium, quas non naturales uo- 1.
cant,adminiſtratio,ad humiditatem,& frigiditatem(ut in febre tertiana) ſpecta- Primus ſcop°.
uerit.Quandoquidem eryſipelas ex flaua bile ortum habet,quæ temperaturæ eſt
calidæ & ſiccæ.

Ergo aërem,atq; habitationem,quoad fieri poteſt,qualem eſſe expedit, id eſt, Aeris delect°.
frigidiorem & humidiorem deligito,præparatoq;.

Aeſtate igitur ſubterraneas domos,frigidiſsimasq; maximè perflatas,& ad ar- Ambientis
ctum uerſas,tibi deligito.Si loci huiuſmodi occaſio non datur, & calidior aër ex præparatio.
titerit,ipſum ſic præparato.

Aquam frigidam ex uaſis in uaſa ſubinde transfundito.

Pauimenta domus aſsiduè aqua,quæ prorſus gelida ſit,aſpergito.

Roſas,& uiolas plurimas,uitium folia,& capreolos,ſalicis quoq; ramulos, &
reliquos flores, ac germina, quæ frigidæ humidæq; facultatis ſint,humi ſpargito,
ac in aërem proijcito.

Turbam hominum conclaue laborantis ingredi prohibeto.

Pinguia,dulcia,acria,calidaq; omnia uitato. Cibus.

Lactuca,cucurbita,portulaca,oxalide,(quá acetoſam uocant) hordeato,ory
za,& alijs id genus,quæ ſanguinem incraſſant,& refrigerant,lubens ueſcitor.

A uino in totum abſtineto. Potus.

Cremor ptiſſanæ,aut aqua hordei tibi potus eſto.

Victus temperantiam ſeruato. Repletio.

Aluus tibi ſemper mollis eſto. Inanitio.

Ab omni motu,præſertim uehementi,atq; immoderato abſtineto. Motus.

Iram, contentionem, atq; omnem animi uehementiorem motum, aut animi Animi affect°.
commotionem,tanquàm aduerſiſsima fugito.

Nitida,ac munda circa te omnia ſunto.

Venerem ne exerceto. Venus.

Atq; hæc de primo ſcopo dicta ſufficiant.

Secundum autem ſcopum curationis eryſipelatis conſequemur, ſi ſuccum in 2.
corpore delinquentem commoda uacuatione ademerimus. Ergo in uero,ac le- Secundus ſco
gitimo eryſipelate non neceſſario,ut in phlegmone,ſanguinem ex uena detrahe- pus.
mus: ſed medicamento quod flauam bilem exigat (cholagωgon Græci uocant)
uentrem per inferiora expurgabimus,ſi ſaltem affectus magnus ſit, & corpus bi-
le abundare uideatur. Itaq; cum eryſipelas febres accendat, & eas uehementio-
res,quàm phlegmone,medicamenta,quæ impenſe calida ſunt,& ſcammonij ſuc
cum,quod recentior Græcia dacrydion uocat,recipiunt: (cuiuſmodi eſt, quod
uulgò in officinis electuarium de ſucco roſarum appellatur) huic affectui mini-
mè idonea ſunt.Ergo uel rhabarbarum offerendum eſt,uel potio,quæ Raſi aqua
tamarindorum dicitur. Recipit autem pruna Damaſcena 24. tamarindorum re-
centium drachmas decem,ſacchari uiolati quart.ſemis. Cui ut efficacior redda-
tur,aliquid diluti rhabarbari adijci poteſt. Quòd ſi exigua ſit affectio,ne hæc qui
dem cholagωga medicamenta neceſſaria erũt,ſed abundè fuerit, tunc acri clyſte
re uti,ut Galeno uiſum eſt.At in eryſipelate phlegmonoſo non ab re feceris (mo Lib.2.ad Glau
dò nihil obſtiterit) ſi curationẽ à ſanguinis miſsione auſpicatus fueris. Tale au- conem.
tem ſæpius faciem apprehendit, unde & Paulus protinus ab initio uenam in cu- In eryſipelate phlegmono-
bito præſertim humeralem in eo incîdi iubet.Sin autem hæc non appareat, eam ſo competit
quæ ſe cõſpectui magis obijcit.Si quid uerò ſanguinis detractionẽ impediat,pur phlebotomia

gatione ex medicaméto, quod bili ducendæ dicatū eſt, utendū præcipit. Non pugnat tamen Paulus cum Galeno. Nempe cùm Paulus ſecundam eſſe uenam præcepit in eryſipelate, quod capiti, ſeu faciei oboritur, de phlegmonoſo eryſipelate intellexit, quòd ſæpiſsimè faciem apprehendit: Galenus uerò de legitimo eryſipelate loquutus eſt, in quo ſanguinem non mittit. At in œdematoſo, aut ſcirrhoſo eryſipelate, purgatione utendum eſt, quæ miſtas habeat facultates, hoc eſt, partim flauam bilem, partim uerò pituitoſum, aut melancholicum ſuccum educat. Atque in ijs quidem omnibus conſulendus eſt doctus aliquis, ac prudens medicus, à cuius conſilio, & decretis ne tranſuerſum quidem unguem diſcedere debet chirurgus. Sitq; hoc ſatis ſemel monuiſſe, quòd chirurgus nihil unquàm in ijs, quæ ad purgationem, & ſanguinis miſsionem per phlebotomiam, attinet, attentare debet, citra periti alicuius medici conſilium, niſi forſan ſi quando urgeat neceſsitas, & ubi nullus præſtò adeſt medicus.

Chirurgus in ijs quę ad phlebotomiam & purgationē attinent, nihil attentare debet, citra periti alicuius medici conſilium.

3.
Tertia intẽtio

Tertiam intentionem complent refrigerantia, & reprimentia, in principio fluxionis, exceptis caſibus in capite uniuerſali commemoratis. Tranſacto uerò principio, & ſtata iam fluxione, quod membro inhæſit, & impactum eſt, digerentibus, ſeu euaporantibus medicamentis extrinſecus admotis, uacuandum eſt, per occultam ſcilicet ſenſui tranſpirationem. Omnium ſiquidem huiuſmodi tumorum ſic præter naturam conſiſtentium, uacuatio duplex eſt Galeno decimoquarto Therap. Vna quidem repellentium ad alias partes: altera foràs digerentium, per eum qui ſenſum fugiat halitum. At quoniam eryſipelas non quantitate modò affligit, ſed etiam, ex uehementi ſcilicet inflammatione, qualitate ipſa cruciat, ampliorem refrigerationem, quàm phlegmone requirit. Poſt totius igitur corporis (ut paulò antè dictum eſt) uacuationem, reprimentibus auxilijs utemur, afflictam particulam, ſeu ipſam, quæ patitur, cutem (ut decet) refrigerantes, præſertim cùm ſine manifeſta aliqua occaſione factum fuerit eryſipelas.

Hic Guido deprauate citat Galenum.

Quatenus refrigerandū in eryſipelate.

Eſt autem refrigerationis terminus, ipſa coloris mutatio. Etenim quod purum eryſipelas eſt, ſtatim cum hoc quieſcit. Quod non purum eſt, ſed iam quodammodo phlegmonôdes, ſi pluſculum refrigeres, liuidam cutim præfert. Sin ne ſic quidem quis deſiſtat, nigricat, potiſsimum in ſenili corpore: ſic ut quædam ita refrigeratorum, ne digerentibus quidem poſteà medicamentis ad perfectionem poſsint ſanari: ſed ſcirrhoſus quidem tumor in particula derelinquatur. Ergo ſatius eſt (inquit Galenus) ubi laborantis particulæ alteratum colorem uideris, à refrigerantibus retundentibusq; ad contraria, id eſt, diſsipantia, ſeu digerentia, & exſiccantia, tranſire, priuſquàm, uel liuida, uel nigra prorſus fiat. Adhibenda autem ſemper cura eſt, ut quæ illinuntur, perliquida ſint, atque humida, eaq; ſæpius commutentur, ac per ſpongias frigido aliquo liquore imbutas, ſubinde quæ admota ſunt, abluantur. Siquidem multus particulæ feruor celeriter in uaporem erumpens, hæc deſiccat. Cæterùm inter ea, quæ refrigerandi, atque repellendi facultatem obtinent, in hoc affectu conuenientem, laudat in primis Auicenna ex ſimplicibus, perfuſionem aquæ frigidæ. Galenus uerò commendat ſuccum ſolani, ſemperuiui, portulacæ, pſylij, alterci, id eſt, hyoſcyami, lactucæ, umbilici Veneris (quæ herbula Græcis cotylidon appellatur) intybi, id eſt, cichorij, & lenticulæ paluſtris, atque alia id genus, quæ ultra hæc à Paulo adduntur. Cuiuſmodi eſt cucurbita, glaucium, apium (quod uulgi eſt petroſelinum) & rhamni folia, per ſe, uel cum pane cataplaſmatis modo illita. Ceratum quoque ex aqua admodùm frigida, quod recipiat quadruplum roſacei ad ceram albam. Sit autem roſaceum ex oleo omphacino, id eſt, immaturo, ſine ſale confecto, quibus in pila emollitis, aquæ frigidæ ſuperfunditur, quantum poteſt recipi. Si uerò aceti tenuis, & pellucidi momentum

Lib. 14. Ther.

Materia refrigerantium ex Galeno.
Adiecta ex Paulo.

Ceratum.

tum admiſcueris, præſtantius atque efficacius medicamentum reddideris. Porrò hæc omnia actu frigida ſunt admouenda, & ſubindè mutanda, priuſquàm manifeſtè incaleant, aut areſcant. Conducit etiam plurimùm ad rem præſentem, ſi pars eryſipelate obſeſſa, illinatur ceruſa ſola, uel miſta cum aceto, & lycio, uel terra cimolia, aut figulari cum ſolano, aut argenti ſpuma cum roſaceo, item acacia cum aceto. Ad idem confert plurimum, & ſequens compoſitio. Succi plantaginis uncia una, roſacei, unciæ tres, lithargyri nutriti, uncia una, ceruſæ lotæ drachmæ tres, lactis muliebris ſemuncia, miſcentur omnia ſimul in mortario plumbeo, & fit linimentum. Teri debent primùm lithargyrum, & ceruſa: deindè oleum, & ſuccus paulatim, & ſenſim affundi debent, donec exactè miſceantur. Quod ſi ampliorem refrigerationem deſydetes, his & alijs prius enumeratis (ex Pauli ſententia) admiſceri poteſt, opij aliquid, uel cicutę, uel mandragoræ. Verùm ab ijs, & ſimilibus, quæ ſtupefaciendi uim habent, abſtinendum eſſe cenſeo, niſi maxima urgeat neceſsitas. Cæterùm ubi inflammatio ægrotantis membri iam deſijt, ac feruore eryſipelatis ſeſe remiſit, Galenus humorem in particula receptum, quam coniunctam materiam uocant, priuſquàm ex refrigeratione liuor appareat, diſcutit, hoc eſt, reſoluit, impoſito cataplaſmate, ex hordei farina, ſeu ex cruda polenta, ἀμὴν λύσιν Græcè uocant, & alijs in ratione phlegmonę ſuperius dictis. Quemadmodum enim ſigna eryſipelatis ſumebantur ex analogia ſignorum phlegmones, ita & curationis ipſius eryſipelatis auxilia, ex analogia remediorum curationis phlegmones ſumenda ſunt. Porrò talia medicamenta, quæ diſſoluendi, ſeu euaporandi facultatem obtinent, in hoc affectu conuenientem plurima tum ſimplicia, tum compoſita referuntur à Paulo Aegineta libro quarto, capite 21. Item ab Aetio libro de re medica decimoquarto. Satis autem fuerit, nunc unum ex multis recenſere, quod omnium mihi præſtantiſsimum uiſum eſt. Althææ nouellæ foliorum pondo, id eſt, libra aſſumitur, concoquuntur in hydrelæo: coctæ uerò probè teruntur, adiectoq; roſacei triente, id eſt, uncijs quatuor, argenti ſpumæ, & ceruſæ, ſingulorum uncijs duabus, & ſemiſſe, id eſt, dimidia: iterum læuigantur cum ſucco coriani, aut ſemperuiui, aut ſolani: deindè micis panis adiunctis, ut emplaſtri formam induat, illinitur. Quod ſi fortè liuor iam locum occuparit, inciſa ante cute, cataplaſma ſuperponendum eſt, perfundendusq; locus, plurimùm quidem (ut Galenus præcepit) aqua calida, digerit enim, & plagas abluit: ſed & aqua, & muria interim conducet locum fouere, cum ſcilicet craſsior eſt. Hæc enim craſsitudinem incidunt, ac detergunt. Quarta intentio curationis eryſipelatis, quæ eſt accidentium correctio, perficitur, ut in curatione phlegmones dictum eſt, cùm agebatur de reditu materiæ, de induratione, & corruptione. Item de dolore, & ardore. Hæc enim ſymptomata etiam eryſipelati, uti & phlegmone accidere ſolent.

Compoſitum medicamentū

Euacuatiò cōiunctę materiæ, per euaporantia.

ἀμὴ λύσις.

Hydrelæū eſt miſtura ex aqua & oleo, ſeu oleum dilutum.

Si liuor iam locum occuparit.

4. Quarta intentio.

Porrò optimum doloris, ac uehementis ardoris mitigatorium auxilium fit, ex folijs, & radicibus hyoſcyami, inuolutis in ſtupis, & coctis ſub prunis: deinde miſtis cum unguento, quod populeon uulgò appellatur, uel cum axungia, ut ſuperius dictum eſt in curatione phlegmones.

Doloris & ardoris mitigatorium.

Si uerò contingeret ipſum eryſipelas exulcerari, curetur admotione unguenti albi, aut unguenti de lithargyro, quorum deſcriptiones ex antidotario requirendæ ſunt. Quòd ſi illis adderetur aliquid ſcoriæ, hoc eſt, recrementi plumbi, optimum ſanè, atque efficaciſsimum foret remedium. Sed præſtat ut totam curandi eryſipelatis rationem, breuibus quibuſdam ſententijs in modum epilogi complectamur, ut quæ diffuſius à nobis ſuprà dicta ſunt, memoriæ tenacius hæreant.

Si eryſipelas exulceretur.

Septem de eryſipelate aphoriſmi, totam ipſius curationem ſummatim complectentes ex Galeno.

1. IN exquiſito, ſeu legitimo eryſipelate, ſanguinem ne detrahito.

2. Si bile corpus abundet, & affectus magnus ſit, uentrem medicamento cholagogo, id eſt, bilem exigente, per inferiora purgato.

3. Quòd ſi exiguus morbus ſit, & corpus bile uacuum, à medicamento flauá bilem per aluum ducente, abſtineto, & acri clyſtere contentus eſto.

4. Vniuerſo, ut oportet, corpore purgato, partem affectam per initia moderatè reprimentibus medicamentis, & abundè refrigerantibus, uſq; ad coloris mutationem, perfundito, atq; illinito.

5. Vbi laborantis particulæ alteratum colorem uideris, & feruorem eryſipelatis iam remiſſum, ac inflammationem deſiiſſe, à refrigerantibus, aſtringentibusq;, priuſquam uel liuida, uel nigra proſus particula fiat, ad contraria, hoc eſt, digerentia, ſeu diſcutientia, & exiccantia, tranſito.

6. Quæ ex ulceribus, alijsq; euidentibus cauſis fiunt eryſipelata, primùm ſcarificato, deindè cataplaſma ex hordeacea farina imponito.

7. Si eryſipelas non exquiſitum fuerit, ſed phlegmonôdes, id eſt, quodammodo, ad inflammationis naturam uergens, præſertim ubi ſanguis in corpore exuberat intrepidè ſanguinem mittito.

De tumoribus, qui cum eryſipelate ſocietatem habent, hoc eſt, de herpete miliari, & exedente, quæ puſtulæ cholericæ receutioribus chirurgis dicuntur.

De Herpete.

TVmores illos præter naturam, qui cum ſuprà comprehenſo eryſipelate ſocietatem habent, atque ad ipſum quodammodò pertinere ac referri uidentur: ex bile autem non naturali, & ſecreta, id eſt, alijs humoribus, minimè permiſta, generationem obtinent, recentiores tum medici, tum chirurgi, puſtulas malas cholericas appellant: Græci uerò, (ut Hippocrat. Galen. & Paulus) herpetas uocant. Quæ uox Latinis ferè ſonat, malú quod ſerpit, ἕρπω enim idem quod ſerpo, unde ἕρπης ſerpens dicitur. Herpes tamen abſolutè malum quod ſerpit, ſignificat apud medicos, ſed certum morbi genus, de quo nunc agitur. Itaq; malú quod ſerpit, latius patet, quàm herpes. Ná & phagedænæ ſerpentia etiá ulcera dicuntur. Huiuſmodi autem uniuerſas puſtulas Auicenna formicas appellauit: Galenus uerò eas inter inflammationes adnumerauit, ſed Celſus ſub ignis ſacri nomine has intellexiſſe uidetur lib. 5. cap. 28. Fit igitur herpes, quando flaua bilis, nó naturalis, ſola, & ſecreta, id eſt, nullo alio illi (ſaltem ſenſus iudicio) admiſto humore, in particulam aliquam confluit, decumbitúe, atq; ibidem conſiſtit: quæ ſi conſiſtentia ſua craſsior ſit, acriorq;, totam exulcerat cutem, uſq; ad carnem ſuppoſitam, uocaturq; tunc uitiú huiuſmodi Hippocrati & Gręcis ἕρπης ἐσθιόμενος, Latinis uerò herpes exedens, uel depaſcés: & decimoquarto Therap. Galeno abſoluto nomine herpes. Si uerò tenuior & minus acris, calidaq; fuerit bilis, puſtulas exiguas per ſummá cutem, id eſt, in ſola ſuperficie cutis (hanc enim tantùm ueluti deurit) milio, hoc eſt, milij ſeminibus, ſimiles excitat: ob quá ſimilitudiné affectus tunc Latinis miliaris herpes nominatur: Græcis uerò quibuſdam poſt Hippocratis ætatem κεγχρίας ob eandem rationé dictus eſt: κέγχρος enim Græcis, miliú nobis dicitur. Atq; hæc ſpecies Galeno authore lib. 2. ad Glauconem Hippocrati generis ſortitur appellationem, cùm ſimpliciter, & ſine additione illi herpes uocetur. Alibi tamen herpetis nomine, Galenus herpetem eſthiomenum, id eſt, exedentem intelligit, ut paulò pòſt dicetur. Hic autem non protinus ulcus facit, ut alter qui exedens dicitur, ſed ut dictum eſt, admodum exiguas puſtulas ad ſpeciem

Puſtulæ malæ & cholericæ uulgo dictæ. Herpes.

Formicæ Auicennæ.

Herpes quando fiat.

Herpetis ſpecies duæ.

1. ἕρπης ἐσθιόμενος, id eſt exedens, uel depaſcens.

Herpes miliaris, ſiue cenchria.

Lib. 14. Ther.

adſpeciem milij, quæ & ipſæ interpoſito ſpacio, ac procedēte tempore, cùm diſrumpuntur ſcilicet in ulcus abeunt. Proindè non ſine ratione Oribaſio, & quibuſdam alijs uiſum eſt, in eiuſmodi uitio, bili eſſe aliquid pituitæ tenuis admiſtum, quæ puſtulas illas minutulas procreat. Vndè & nonnullis puſtuloſus herpes dictus eſt.

Ex Paulo & Galeno.

Alter uerò, qui eſthiomenos appellatur, non ita pituitæ commiſtus eſt, ſed exactæ bilis, ac nullo alio humore infectæ, eſſe uidetur: ideoq; cum eroſione accidit, affectu cutis continuitatem prehendente, undè & nomen illi impoſitum eſt. Eſthiomenos enim idem eſt quod erodens uel exedens. Atque hic affectus quidem eiuſdem generis eſt cum puſtuloſo atq; exulcerato eryſipelate: à quo tamen differt humoris ipſius bilioſi (ex quo uitium utrumq; ortum habet) tenuitate. Id quod teſtatur Galenus his uerbis: Eſt enim (inquit) admodùm tenuis humor qui herpetem excitat, adeò profectò, ut non ſolùm omnes interiores partes, quæ utique carnoſæ ſubſtantia ſunt, tranſeat, ſed etiam cutim ipſam ad ſummam uſque cuticulam (epidermida Græci uocant) quam ſolam, propterea quòd ab ea remoratur, tum erodit, tum exedit: quando ſi hanc quoq; ſudoris uice tranſiret, haudquaquam ulcus excitaret. Quippe id ulcerum quę ex mordente humore oriuntur, quæ nimirùm ſpontanea uocant: cōmune eſt, quod humor, qui ea facit, ſiſtitur in exitu, ac tardat. Hactenus Gal. ubi nomine herpetis ſimpliciter, & ſine additione, intelligit herpetē eſthiomenum, ut ex ipſo cōteſtu, ſignis, & curatione facilè eſt deprehendere. Atq; ita illo in loco generis ſortitur appellationem, cùm ſimpliciter, & abſolutè herpes nominetur: quemadmodū & in libello, de tumoribus præter naturā, ubi de eo ſic idē Gal. ad uerbum ſcribit: Depaſcitur quidē & herpes, uicina, id eſt, ea quæ in circuitu ſunt, erodens: uerū ſolius cutis eſt exulceratio. Cęterùm utramq; herpetis ſpeciem, id eſt, tam miliarem, quàm exedentem, ſub nomine formicæ Barbari ferè omnes neoterici comprehendunt. Quibus ea in re, ut in multis alijs, erroris occaſionem primus præbuit Auicenna, qui nominis ſimilitudine deceptus, quoniam Græci myrmecias, id eſt, formicas, genus quoddam uerrucarum uocant, eodem capite uerrucas illas cum herpetibus errore fœdiſsimo cōmiſcuit. Guido tamen diſcrimen ponit, inter herpetem, & formicam, confunditq; nomen formicæ modò cum uerrucis (quas myrmecias & acrochordonas Græci uocant) modò cum herpete exedente: qui (comedens inquam herpes) modò etiam illi herpeſtem, modò herpes abſolutè nominatur: putaturq; eidem nihil aliud eſſe, quàm eryſipelas puſtuloſum, & ulceratum. Cùm tamen ille (ut ex Galeno adductum eſt) ab hoc differat humoris tenuitate. Tenuior eſt, & bilis quæ herpeta creat, quàm quæ ulceratum eryſipelas. Ad hoc eryſipelas quod cum exulceratione incidit, non tantùm cutem, ſed cum ea etiam aliquid ſubiectæ carnis occupat. Herpes uerò, quo de hîc agitur, ſolam cutim apprehendit, exulceratq;. Itaq; tametſi hæc eiuſdem ſunt generis (ut Galeno uiſum eſt) non tamen omninò ſunt idem.

Lib. de tum. præter natur.

Lib. 14. meth. med.

Humor bilioſus qui herpetem excitat, admodum tenuis eſt.

Herpes ſolius cutis eſt exulceratio.

Auicēna myrmecias cōfundit cum herpetibus.

Guidonis error maximus.

Herpetem eſthiomenum & eryſipelas ulceratum non omnino idem eſſe.

Porrò puſtulas illas, quæ Auicennæ interpreti, & imperitę medicorum turbę, morbilli appellātur, ſub herpete comprehendiſſe uidetur Hippocrates lib. 3. Epidemiarum. Fiunt autem morbilli huiuſmodi à tenuiore materia, quàm puſtulæ illæ, quæ uulgò uariolæ dicuntur. Hæ enim (ut uoluit Auicenna) ex ſanguine, illi uerò ex bilis ſanguiniſq; fiunt miſtione. Si quis autem deſyderat, quo nomine eiuſmodi puſtulæ apud antiquiores dictæ ſint, diximus latinè à Plinio uocari papularum, & interdùm pituitę eruptiones: Gręcè uerò Hippocrati ecthymata lib. 3. Epidemiarum: Galeno autem exanthemata. Cæterùm utriuſq; herpetis notæ, iudicia, & cauſæ, ex præcedentibus ſatis innoteſcunt. Supereſt igitur, ut eorum curationem ſubijciamus.

Morbilli ex herpetū ſunt genere.

Variolæ.

Papularum eruptiones.

Ecthymata.

Exanthemata

Herpetis curatio.

Herpetis curatio tres habet ſcopos ſiue intentiones.

IN curandis herpetibus, ſicut & in alijs eiuſmodi ſpontaneis ulceribus, quæ ex mordenti, & acri humòre oriuntur, tres ſcopi communes ſunt obſeruandi.

1. Primus eſt, ut humoris in partem affectam confluxio inhibeatur.

2. Secundus, ut quicquid in laborantem particulam confluxit, & eidem inhęſit, uacuetur.

3. Tertius, ut ſanetur ulcus.

Primus ſcop⁹.

1. Primum ſcopum, ſeu primam intentionem aſſequimur, totum corpus, medicamine, humorem unde uitium enaſcitur, educente, expurgando. Mox repurgato corpore humorem influentem reprimendo, regerendóque. Ergo in herpete exedente, medicamento utendum eſt, quod flauam bilem per aluum exigit. Hunc enim purus, ac ſyncerus (uti diximus) biliosus procreat ſuccus. Proindè fit, ut quantum ad totius corporis euacuationem attinet, comedentes herpetas ſimiliter ut eryſipelata curare oporteat. Itaque quoniam tenuis humor eſt, qui id uitium creat, abundè eſt Galeno, etiam aluum leniter ſoluiſſe, uel urinas, per ea quæ id modicè efficiunt, citaſſe. In altero uerò herpetum genere, quem à ſimilitudine, quam habet cum milio, miliarem & cenchriam Græcè appellari diximus: medicamento opus eſt, quod miſtæ ſit facultatis, hoc eſt, quod bilem ſimul & pituitam educat. Quibuſdam enim non ſine ratione (ut Galenus ait) uiſum eſt in eiuſmodi uitio bili eſſe aliquid pituitæ admiſtum. Porrò uacuato, ut decet, eo, qui in corpore redundat, ac uitium committit, humore: medicamentis utendum eſt, quæ influentem humorem reprimant, regerantq́ꝫ. Tutior nanque ac conuenientior tunc fuerit eorum uſus. Quandoquidem (inquit Galenus) ſi quis exiguum uitioſi humoris, poſt ritè factam purgationem adhuc in corpore remanens ad uiſcera, & magnas uenas retrudat: nullum profectò quod ſenſu percipiatur malum committet. At ſi (inquit ille) eius non leuis quantitas ſit, in princeps aliquod membrum aliquando procumbit. Vbi ſcilicet prius naturæ uiribus totum corpus expurgantis, non ſit, uel per deiectionem, uel urinas, uel cutim, quæ totũ corpus includit, uacuatus. Cæterùm reprimunt quidẽ regeruntq́ꝫ non ſolùm ea, quæ adſtringunt, ſed etiam quæ ſine adſtrictione refrigerãt. Cuiuſmodi ſunt lactuca, poligonion, ex ſtagnis lens, portulaca, ſeris, ſemperuiuum, & id genus alia, quę eryſipelatibus ualde erant opportuna. Verùm eiuſmodi medicamenta, quæ ſcilicet præter id quod refrigerãt, etiam humectare natura apta ſunt, herpetes præſertim depaſcentes, minimè deſyderant, ſed ſola ea admittunt refrigerantia, quæ etiam maximè poſſunt exſiccare. Quę enim refrigerandi, atq; unà exſiccandi uim habent, ſed mediocrem (cuiuſmodi eſt ſolanum) non ſatis illis conueniunt. Apponere igitur ipſis oportet ex Galeni conſilio, ab initio quidem, ex uite capreolos, & folia rubi, & rubi canini, & arnogloſsi. Poſt hæc uerò & lenticulam his adiungere oportet, & aliquando mel, & farinam hordeaceam. Item cataplaſma, ſine ſemperuiuo, quod ad phlegmonas, quæ ex fluxione eueniunt, inſcribitur. Repellit enim quod influit, atq; id quod in parte affecta continetur, exſiccat, & membra corroborat. Proindè trãſacto morbi principio efficax erit remedium. Itaque fiet huiuſmodi cataplaſma, ex corticibus malorum Punicorum in uino decoctis, & Rhu, ſiue Rhoë, id eſt, ſemine coriarij fruticis (quod poſteriori medicinæ Sumach appellatur) & farina hordei. Cæterùm hoc cataplaſmate ſecundam intentionem, ſeu ſcopum curandi herpetis probè aſſequeris: Quippe cùm ſufficienter digerere poſsit, quod iam in affectum locum confluxerit. Conſtat autem, quòd in generatione ulceris exuperare debebunt, quæ reprimendi facultatem habent: ubi uerò non amplius cõfluit in ægrotantem particulam uitioſus humor, quæ digerunt. Quod ad tertiũ ſcopum attinet, qui ulcus ſanandum proponit, ſummatim hæc te cognoſcere oportet.

Margin notes beside the paragraph above, in order:

Herpes exedens medicamentũ exigit cholagogon.

Herpes miliaris medicamẽtũ deſyderat, quod bilem ſimul & pituitã educat.

Reprimendi tempus. Lib. 14. Ther.

Non eſſe reprimendũ ſi multus ſit uitioſus ſuccus.

Regerentium materia.

Quæ refrigerant pariter & humectãt, nõ cõueniũt herpetibus exedẽtibus.

Reprimentia herpetibus exedentibus accommoda.

2\. Hæc complẽt ſecundam intentionem.

Cataplaſma.

Sumach.

3\. Vlceris curatio in herpete quę tertius eſt ſcopus.

oportet. Nempe quod omne ulcus, ſiue ex accidenti factum fuerit, exſiccari de- Vlcus omne exſiccari deſyderat.
ſyderat medicamento (ut inquit Hippoc.) non aſpero, hoc eſt, non mordente, ne
que uehementer irritante, præterquàm ubi malignũ, & cum putrilagine fuerit. Lib. 2. ad Glauconem.
Talia enim (inquit Galenus) acriora expetunt medicamina, & quæ ignis uires ha
beant: quale eſt myſi, & chalcitis, & arſenicum, & calx, & ſandaracha, atq; id ge-
nus alia, quæ non aliter, quàm ignis adurunt. Loca igitur exulcerata in herpete Loca exulcerata quibus inungenda.
exedente, inungenda ſunt paſtillis, ſeu trochiſcis, in libris, qui pharmaceutici di-
cuntur, ad herpetas inſcriptis. Qui, cùm res exigit, ut illis utamur, paſſo, uel uino
aliquo dulci, uel ſi dulce non affuerit, uino tenui, & ſubauſtero non nimis ueteri
(hoc eſt, quod non aliquam in guſtu ob antiquitatem contraxerit acritudinem)
aut poſca aquoſa (quod oxycratum uocant) diluuntur, ſeu (quod dicunt) eliquã Poſca uel puſca.
tur, diſſoluunturúe. Paulus his utitur remedijs, ad herpetem, qui ſub cute affligit.
Retrimentum plumbi, rutæ leuigatæ ſucco excipitur, aut ceratum myrteum in Remedia ex Paulo ſũpta.
uicem rutæ. Aliud, Lanæ ueteris illotæ, circa tedam combuſtæ, drachmæ duode-
cim & ſemiſsis.i. dimidia, ceræ drachmæ uiginti quinq;, recrementi plumbi dra-
chma, ſeui caprilli curati lotiq; ex aqua, drachmæ uiginti quinq;, myrtei uncia
quinq;. Ad herpetas uerò acutè, ſeu acriter depaſcentes, hoc remedium iubet Ad herpetas depaſcentes.
admoueri. Corij mali Punici dulcis drachmæ ſex, argenti ſpumæ tantundem, la-
næ illotæ, tedæ ſeu tedaceo ligno adhærentis, & combuſtæ drachmæ tres, ceræ
drachmæ duodecim, ceruſæ drachmæ octo, thuris, aluminis ſciſsi, ſingulorum
drachma, uino, aut myrteo excipiuntur. Iam uerò in longum tempus protra- Ad inueterata iam ulcera.
ctis ulceribus, neque uino dulci, circuli parui, id eſt, trochiſci, & huiuſmodi alia
medicamenta, quæ ad herpetas ſcribuntur, dilui debent: ſed neque puſca adhuc
aquoſa, quin potius uino ſatis auſtero, præcipuè uerò nigro, & ſi non affuerit, al
bo. Medicamenta autem in hoc tempore, hoc eſt, inueteratis iam ulceribus, effi-
cacia, & maximè accommoda ſunt, paſtilli, ſeu trochiſci Muſæ, & Andronis, &
Polyidæ: quorum deſcriptiones in fine curationis carbunculi poſitæ ſunt. Item
trochiſci, qui calidicon & aldaron dicuntur Auicennæ, & recentioribus, quorũ
deſcriptiones ex antidotario requirẽda ſunt. Herpetas uerò, qui tantùm ſummã Si puſtulæ miliares in ulcus abeunt quid agendum.
cutem exulcerant, ut ſunt, quos miliares diximus, nullo horum medicamento-
rum ſuperius commemoratorũ (ſi ſaltem Galeno credimus) inungere oportet.
Vehementia enim ſunt, ac ualidè exſiccant: uerùm iſtis ſufficiunt quæcunq; uim Lib. 2. ad Glauconem.
glaucij, id eſt, memithæ habent, eaq; diluere oportet, maximè quidem aqua.
Quòd ſi hæc nihil profecerint, etiam acetum miſcendum eſt. Quòd ſi etiam ſola-
ni ſucco intinxeris, aut arnogloſsi, magis adhuc iuueris. Hactenus de herpete. Cæ
terùm quoniam de formicis nonnihil obiter in ſuperioribus attigimus, quas tur
piter (ut diximus) recentiores, & Arabes cum herpetibus confundunt, præſens
locus expoſtulat, ut de ijs, & alijs in cute eminentibus excreſcentijs, quas Latini
uerrucas uocant, paucula annotemus.

De formicis, & alijs verrucarum differentijs. *Cap. IX.*

TVMORES illos exiguos, ſeu humiles illas excreſcentias, quæ inſtar
monticulorum quorundam in cute eminentes conſpiciuntur, Latini
appoſitè uerrucas appellarunt: uerruca enim propriè editiorem mon Verrucæ.
tis partẽ ſignificat. Vulgus aũt porra nuncupat. Quia quandoq; intra Porra.
ſe fila quædã continent porrorũ radicibus nõ diſsimilia. Græci nomẽ non habẽt,
quo omnia eiuſmodi uerrucarũ, ſeu porrorum genera cõplectantur, ſed quamq;
proprio nomine ſpeciem nuncupant. Hæ autem ferè ſunt, μυρμηκία, ἀκροχορδόνες, Verrucarũ diuerſa genera.
ἧλος, θύμιον. Itaq; Myrmecia illis dicuntur uerrucæ, quæ latiore ſunt baſi, & quaſi Myrmecia.
ſeſsiles, ſimilem uellicantis, ſeu mordentis formicæ ſenſum, dũ attrectantur, indu
centes: unde & nomen illis factum eſt. Græci enim μύρμηκα formicam nominant.

Sesſiles uerrucæ.

Quare Latini eas (nomine quidem ad Græcum uocabulum ſeſe accommodante) formicas, uerrucas dixerunt. A figura uerò & formatione, ſeſsiles uerrucas.

Libro 5.

Hæ naſcuntur Celſo, aut in palmis, aut in inferioribus partibus pedum: radices autem altius exigunt, ac humiliores ſunt thymio durioresq;, maioremq; dolorem mouent: ſed minus ſanguinis mittunt, uixq; unquã magnitudine lupini modum excedunt.

Acrochordõ penſilis uerruca.

Acrochordon uerò penſilis, & anguſtiore baſi uerruca eſt, hoc eſt, rotunda quædam in cute eminentia, ſeu excreſcentia, quæ baſim, id eſt, partẽ imam ad cutem anguſtam habet: ſic quidem dicta, quòd chordæ nexu ſuſpenſa pendere uideatur.

Myrmecię & acrochordones quibus inuicem diſsideant.

Itaq; hoc diſcrimine acrochordones à myrmecijs dirimuntur, quòd illi ima parte ad cutem anguſtiores ſint, ſupremà uerò latiores: myrmeciæ contrà, baſi ſint (ut dictum eſt) latiore, ſuper autem tenues. Sed & hæ nonnunquàm cum ſumma cute prorſus ſunt æquales. Acrochordones uerò ſemper à cute extant, ut libro decimoquarto de morbis curandis Galenus ſcriptum reliquit. Ad hæc acrochordones Celſo ferè plures naſcuntur, pueros maximè infeſtant, nonnunquàm ſubito deſinunt: quandoq; uerò mediocrem inflammationem excitant. Sunt quæ etiam in pus conuertuntur. Raro autem fabæ magnitudinẽ excedunt:

Claui.

Auicennæ claui dicuntur. Verùm Latinis claui appellantur uerrucæ albæ, rotundæ, clauorum capiti ſimiles. Hi in digitis, plantiſq; pedum maximè contingunt, ubi dolorem ſi non aliàs, tamen ingredienti mouẽt.

ἧλοι. Almiſmar

Hos Græci ἥλους uocant, Auicenna uerò almiſmar. Ex contuſo ſæpius naſcuntur, interdùm etiam aliter.

Thymion.

At thymion, uel thymon Celſo & Græcis, uerrucula eſt, ſuper corpus eminens, infrà, ſeu ima parte ad cutem, & ipſa (ut acrochordon) tenuis ſuprà uerò latior: ſub dura quoq;, & in ſummo peraſpera. Idq; ſummum, colorem floris thymi repræſentat, unde ei nomen eſt, ibiq; facilè finditur, & cruentatur. Nonnũquàm & aliquantum ſanguinis fundit,

Thymij magnitudo.

fereq; circa magnitudinem fabæ Aegyptiæ eſt, rarò maius, interdùm perexiguum: modò unum, modò autem plura naſcuntur, uel in talis, uel palmis, uel inferioribus pedum partibus, hoc eſt, in plantis.

Thymia in obſcœnis peſſima.

Peſsima tamen in obſcœnis ſunt, maximeq; ubi ſanguinem fundunt. Auicenna uidetur huiuſmodi uerrucæ genus tuſium, uel, ut alia habet lectio, tarſecum nominaſſe.

Cornua.

Ex uerrucarum quoq; genere ſunt, uocata ab Auicenna cornua non alio à cæteris diſtantia, quàm quòd oblonga ſunt, & inſtar cornuum recuruantur.

Calli.

A clauis nõ magnoperè differunt calli, quos Græci uocant τύλλους, niſi quòd per ſe indolorosi ſunt, eodem quo cutis colore, neque ſpontè, ſed ex labore obdurata cute gignuntur.

Verrucarum indicia, & curatio.

Acrochordõ. Thymion. Libro 5. Myrmecia. Claui.

EX his acrochordon, & thymion ſæpe etiam per ſe (ut retulit Celſus) finiuntur, & quo minora ſunt, eò magis. Myrmecia, & claui ſine curatione uix unquam deſinunt. Acrochordon, ſi exciſa eſt, nullam radiculam relinquit, ideoq; ne renaſcitur quidem. Thymo, clauoq; exciſis, ſubter rotunda radicula naſcitur, quæ penitus deſcendit ad carnem, eaq; relicta idem rurſus exigit. Myrmeciæ latiſsimis radicibus inhærẽt: ideoq;, ne excidi quidem ſine ulceratione magna poſſunt. Clauum ſubindè deradere, commodiſsimum eſt, & aqua tepida perfundere. Nam ſine ulla ui ſic emolleſcit. Ac ſi ſanguinis quoq; aliquid emiſſum eſt, ſæpe emoritur. Tollitur etiam, ſi quis eum circumpurgat, deindè imponat reſinam, cui miſcuit pulueris paulùm, quem ex lapide molari contrito fecit. Cætera uerò genera, ut ab eodem Celſo traditur, medicamẽtis aduranda ſunt. Alijſq; id quod ex fece uini:

Myrmeciæ.

myrmecijs, id quod ex alumine, & ſandaracha fit, aptiſsimum. Paulus Aegineta, lib. 4. cap. 15. plurima enumerat, quæ uerrucas huiuſmodi, præſertim ſeſsiles, & penſiles tollunt, exteruntq;.

Verrucarum per medicamenta curatio ex Paulo.

Cuius generis ſunt, elaterium (quod ſuccus eſt fructus cucumeris agreſtis) cum ſale infricatum, thuris cortex cum aceto, groſsi, id eſt, primitiuæ ficus, quæ uelut pręcoces nõ matureſcunt, cũ aceto, farina,

ſarina,& nitro.Idem quoq; illi præſtat ſuccus,ſeu liquor fici arboris illitus, tithy
mali,ſmaridis piſcis caput ſalſum concrematum,ærugo cum ſulphure uiuo, hoc
eſt,ignem non experto cóbuſta,ocymi folia cum atramento ſutorio,quod Græ-
ci chalcanthum uocant,ſarmentorum adhuc uiridium uſtorum , quod diſtillat, Aqua ex ſarmentis diſtillans.
fimus ouillus cum aceto,hircinum fel illitum , heliotropij magni fructus per ſe il
litus,uel cum uino applicatus,ruta cum nitro,& pipere, nitrum cum urina pue-
ri impubis & nondùm uenerem experti,ſtercus bouis gregarij, ſeu armentarij ad Stercus bubulum.
hibitum in aceto. Cæterùm hæc quæ ad myrmecias , & acrochordonas exteren-
das commemorata ſunt,ferè omnia & ad clauos, & thymia etiam magnoperè cõ
ducunt. Tradunt etiam lacertæ caput myrmecias,acrochordonas, & clauos tol Lacertæ caput
lere.Sunt qui decoquant capita ſalſorum piſcium in aqua illa,quæ diſtillat ex ſar
mentis uiridibus,dum comburuntur:idq; præſtantiſsimum ad prædicta uitia re-
medium eſſe prædicant.Alij ad eadem exterenda linimentum conficiunt ex æru Aerugo quid.
gine(quæ recentioribus uiride æris,& flos æris dicitur)ſulphure, & aqua, ſeu in-
ſtillatione illa ſarmentorum.Atq; hic unus eſt curandi modus, quo uti ſolent ad
uerrucas è medio tollendas, per medicamenta ſcilicet erodentia,adurentiaq;. Id
autem unum ſumma cura obſeruandum eſt, in eiuſmodi medicamentis admini-
ſtrandis,quod Celſus monet libro quinto:nempe quòd ea quæ circà ſunt , folijs
contegi debent,ne ipſa quoq; exulcerentur. Alij ob eandẽ cauſam circumiacen- Hoc Haly Abb. & Guido probant.
tes partes illinunt,unguento ex bolo Armena,terra ſigillata,aqua roſacea,& ace
to.Porrò acrochordonas,myrmecia,& thymia non ſolùm præſcriptis hiſce adu
rentibus medicamentis abolemus: ſed & ignis flamma , uel candente ferro , hoc Aliæ curandi rationes.
eſt,cauterio(ut dicunt)actuali,illis ritè admoto.Ea quoq; nonnunquam excidi-
mus . Interdùm uerò ligatura ſcitè illis coaptata (ut fit in uero ficu) uel primori-
bus dentibus,ut quidam Romæ Galeni tempore facere ſolebat,euellimus,ac ra-
dicitus extirpamus.Cæterùm ſi ignem,aut candens aliquod ferrum uerrucæ ad- Quomodo urendæ ſint tuto uerrucæ.
moueris,lamina quædam ferrea pertuſa,uel ſimile quippiam,ita uerrucæ aduren
dæ coaptari debet,ut foramen eam exactè comprehendat,adeò , ut nihil circum
poſitę cutis appareat:facta uerò aduſtione,cruſta butyro,uel aliquo alio unctuo
ſo illito reſoluenda eſt.Deinde ulcus ſimiliter reliquis ulceribus curandum erit. Myrmeciarũ cum ſumma cute æqualiũ curatio.
Quo pacto autem myrmeciæ quæ à cute nõ extant,ſed illi prorſus ſunt æquales,
educi debeant,atq; excidi,pulchrè docet Galenus libro decimoquarto metho-
di medendi: ubi refert quendam fuiſſe Romæ ſuo tempore,qui nouam huiuſmo- Myrmeciarũ noua curatio ex Galeno.
di uerrucarum curationem excogitauit.Nimirùm has certa primùm labiorũ ap-
plicatione, ceu ſuctu ad ſe trahebat,atq;(quod mirum uidebatur)à radice euelle Alia curatio myrmeciarũ 14.met. med.
bat.Deinde primoribus apprehenſis dentibus,totas ſimul eximebat.Acrochor-
donas uerò utpote à cute extantes ſtatim mordicus prehendebat , & ita proti-
nus educebat.Harum quoq; , & geminam aliam curandi rationem mox ſubiun-
„ git Galenus,inquiens: Sed & ſcalpro ad myrtacei folij ſpeciem formato, & fer-
„ ramento eo,quod ſcolopomachęrion Græci uocant,quiſpiam manibus exerci- Scolopomachęrion.
„ tatus,facilè eas excidat:cùm proprijs lineamentis à circumpoſita cute circũſcri-
„ ptæ diſcernantur.Aeque uerò & ualente aliqua pinna,circulo myrmeciæ impo- Alia curatio per pinnam.
„ ſita ipſam educimus.Debebit porrò pinnę fiſtula eſſe myrmecię craſsitudini par,
„ ut eam undiq; prorſus conſtringat.Quę poſteà circumacta,ac ſimul deorſum im
„ pulſa,celerrimè ita myrmeciam etiam cum ipſa radice totam educet. Conſtat ue
„ rò,& quòd finis ipſe pinnæ,quæ eam circulo ſecabit,non tenuis modò,ſed etiam
„ acutus & firmus eſſe debebit.Itaq; tum galli ueteris pinna,tum uel magis aquilæ,
„ adhunc uſum eſt accommoda. Abſcindere uerò ab his tantùm radicem uerſus
„ oportet,quatenus reliquæ partis fiſtula complecti myrmeciam poſsit. Sanè ex Pinna ſcite radicem uerſus abſcindenda.
„ ipſa ſtatim abſciſione,ſi modò ſcitè fiat,etiam acumen ipſi comparabis.Hæc Ga-
lenus hactenus. Vlcus uerò quod relinquitur ſic auulſa uerruca, ſimiliter reli-
quis ulceribus impleri debet,& ad cicatricem perduci.

De œdemate, & tumoribus frigidis, pituitoſis, & flatuoſis. Cap. X.

CVM de tumoribus, qui ſuccis calidioribus procreantur, ſatis diſputatum ſit, de iis quæ à materia frigida ortum habent, nunc tractare inſtituimus: principium quidem ab eo quod οἴδημα Græcis dicitur, ſumentes. Quemadmodum enim ex biliosa fluxione eryſipelas, ita ex pituitoſi humoris confluxu œdema excitatur. Eſt autem œdema (definitore Galeno) laxus quidam atque indolens tumor, ſeu rara quædã atque expers doloris moles, ex pituitoſo humore in particulam aliquam influente exurgens. Ita quidẽ Galenus cenſuit lib. 14. Therap. de œdemate, quod morbus eſt, nõ ſymptωma. Equidem ſcimus (inquit) aliter quoque [quàm ex pituitoſi ſcilicet humoris fluxione] œdemata prouenire. Nẽpe ex pituitoſo humore aut ſpiritu uaporoſo, ut in cruribus & pedibus eorũ, qui aqua ſubter cutem affectu laborant. Et phthoë, id eſt, corporis habitu contabeſcente: & cachexia, hoc eſt malo habitu corporis. In illis quippe periculoſis diſpoſitionibus, œdema affectus eius qui hominem premit, ſymptωma eſt, hoc eſt accidens neceſſariò conſequens nullam ſeorſum propriam, præcipuamque curationẽ poſtulans, ut in ſequentibus dicetur.

Oedema quid

14. Therap. & Lib. 2. ad Glauconem.

Oedema ut ſymptoma eſt

Quibus maxime accidat.

OEdema, uti & phlegmone, atque eryſipelas, in duas chirurgis ſinditur differentias, in uerum ſcilicet œdema, & non uerum, ſeu illegitimum. Verum œdema fit ex pituita naturali, quæ certè nihil aliud eſt, quàm ſanguis crudus, aut diminutè coctus: qui in maſſa quidem ſanguinaria inuenitur, membris pituitoſis enutriendis accommodus. Non uerum, ſeu illegitimum œdema, fit ex pituita non naturali. Eſt autem pituita naturalis (ne quid obſcurũ relinquamus) humor frigidus & humidus ſubſtantia crudus, colore uergens, ad quandam albedinem: ſapore uerò, & (ſi fas ſit dicere) odore ad dulcedinem. Non naturalis pituita, ea eſt, quæ à modo deſcripta degenerat, intra tamen ſuæ latitudinis terminos, quos ſi forſan pertranſeat, non iam amplius phlegma pituitáue, ſed alius humor, dici debet. Contingit autem bifariam pituitam ipſam à propria ſua natura degenerare: Vno quidem modo (ut loquuntur) in ſe, quando ſcilicet in propria ſui ipſius ſubſtantia citra alterius admiſtionem permutatur. Quod ſanè multifariam accidit. Aut enim in ſubſtantiam aquoſam conuertitur, aut in flatuoſam, aut in admodum tenuem. Diciturque tunc phlegma aquoſum, flatuoſum, aut tenue, aut craſsius, ac uiſcoſius redditur: idque tunc phlegma craſſum, & micilaginoſum efficitur, & per maiorem, ſeu (ut dicitur) ulteriorem indurationẽ, gypſeũ, ſeu uitreũ. Aut ipſum putreſcit, & alteratur, efficiturque tunc ſalſum nitroſum, & corroſiuũ. Altero modo pituita efficitur non naturalis, per admiſtionem. Quando ſcilicet alius quiſpiam humor illi extrinſecus accedit, uerbi gratia, uel ſanguis, uel bilis flaua, aut atra. Si ſanguis pituitæ permiſceatur, hæc dulcis efficitur: ſi flaua bilis, ſalſa: ſi melancholia, pontica, & acida. Sunt ergo octo ſpecies phlegmatis non naturalis iuxta Auicennæ placita. Haly Abbas tamen quatuor tantùm conſtituit. Galenus autem (inquit Guido) uidetur duo ſolùm genera aſsignare, nempe ſalſum & acidum. Tametſi libro ſecundo de differentijs febriũ, & lib. 2. de locis affectis, atque in multis alijs locis, mentionem faciat de uitreo, quod ſubindè ſub acido (propter eam, quam cum eo habet affinitatem, ac conuenientiã) reponit. Ex ijs igitur colligitur, quod ex pituita generantur octo ſpecies, ſeu differentiæ tumorum præter naturam. Primo enim ex pituita ſeu phlegmate naturali, fit œdema uerum, ac certum, ſeu legitimum. Secundò ex pituita non naturali per admiſtionem generantur tres aliæ differentiæ tumorũ: quippe quòd tres alij humores cum ea poſſunt commiſceri. Nominantur autem, œdema phlegmonôdes, œdema eryſipelatôdes, & œdema ſcirrhôdes. Tertiò ex phlegmate non naturali, per alterationẽ in propria ſubſtantia quatuor aliæ exurgũt differentiæ. Primò nanque ex flatuoſo, & uaporoſo phlegmate fit tumor, is, qui propriè Latinis inflatio, uulgo autem medicorum

Oedema duplex.

1. Verum.

2. Illegitimum.

Pituita quid.

Pituita quando & quomodo à propria ſua natura degenerat.

Galenus duo tantum pituitæ genera poſuit.

Octo differentiæ tumorum præter naturã ex pituita.

dicorum apoſtema uentoſum dicitur. Secundò, ex aquoſo, aquoſum. Tertiò, ex crudo phlegmate, craſſo, & de mucilaginoſo, procreantur tumores illi, qui leues nodi quibuſdam dicuntur, & abſceſſus pituitoſi, quos uulgò exituras phlegmaticas appellant. Auicennæ uerò interpreti dubelet frigida nominantur. Cuiuſmodi ſunt ſteatomata, acheromata, & melicerides. Ganglia quoq; (quæ Auicennæ glandulæ dicuntur) & id genus alia, quæ in ſequentibus declarabuntur. Ex duro uerò, ſeu magis indurato, & (ut ſic dicatur) gypſeo phlegmate, fiunt nodi omnes duri, qui in iunctūris maximè reperiuntur, & ſtrumæ, quæ uulgò ſcrofulæ nominantur. Quartò ex corrupta & putrefacta pituita generantur fiſtulę, & ulcera, quæ ſcrofuloſa uocant. Cauſæ œdematis, ut & aliorũ tumorum præter naturam, ſunt triplices. Primitiuæ, ut ſunt caſus ab alto, percuſsio, deprauata uiuendi ratio, ſeu (ut dicunt) malum regimen. Antecedentes, ut exuberantia humoris pituitoſi in partem aliquam decurrentis. Coniunctæ, ipſa pituita, in membro tumore obſeſſo, iam infarta, & accumulata. Signa œdematis hęc ſunt, tumor laxus & mollis, qui prementi digito cedit, & foueæ modo cauatūr, nec amoto digito reſilit, ſed prementis ueſtigium retinet. Dolor aut exiguus, aut ferè nullus. Calor modicus. Color uergens ad albedinem, hoc eſt, ſubalbidus, ſeu (ut uolunt alij) inter album & pallidum medius. Et alia id genus, quæ pituitæ dominium teſtantur. Oedema, ut & cæteri tumores, quatuor habet tempora: principium, augmentum, ſtatum, & declinationem. Hoc genus tumoris (ut plurimùm) terminatur per reſolutionem, ſeu exhalationem, rarò per ſuppurationẽ, ſæpiſsimè per cõuerſionem, ſeu permutationem in nodos, & alias (ut uocant) excreſcentias, quæ Græcis apoſtemata, Latinis uerò abſceſſus dicuntur. Harum aũt terminationum notæ, & agnitiones, ſuperius in tractatu uniuerſali dictæ ſunt. Tumores hi œdematoſi hyeme magis, quàm alijs temporibus, excitantur. Plurima enim tunc in corporibus colligitur pituita. Senes quoq;, & crapulæ deditos magis, ac ſæpius infeſtant.

CAVSAE œdematis tres.

SIGNA œdematis 1.) 2. 3. 4.

IVDICIA. 1. 2. 3. 4.

Oedematis, ex pituitoſo humore in particulam aliquam confluente, curatio.

QVoniam œdemata, ex humorum in aliquam partem fluxione, aliorum tumorum more ſuſcitantur, duplex etiam eorum curandi ſcopus erit, ut lib. 2. ad Glauconem Galenus annotauit. Alter, ut horum humorum, qui iam partem occupant, ſubſtantia diſſoluatur: alter, ut fluxio cogatur, reſtringaturq;. Atque prout alter ſcopus alterum ſuperat, remedia ſunt miſcenda, alterum quidem cum altero copioſius, aut parcius. Vbi igitur reſtringendi indicatio, eam, quæ uacuandum, ſeu digerendum eſſe ſuadet, ſuperabit, augenda reſtringentium uis erit. Vbi uerò plus uacuandum quàm reſtringendum erit, digerentium, ſeu diſcutientium, ac exſiccantium materia, & facultas præpollere in miſtione debebit. Porrò maiorem reſtringentium uim miſcendam eſſe oſtendit, tum copioſior fluxio, tum parcior in affecta parte materia. Contrà, exſiccantiũ, ac digerentium uberiorem modum adhibere oportet, ubi copioſior materia locum obſidet, & fluxio minor eſt. In inueterato autem œdemate, & quod nõ adhuc in gignendo eſt, non amplius hac curandi ratione, miſtã facultatem, quaſi ſcopũ habente, ſed ad digerendam diſſecandamq; materiam declinante, utendum erit. Quod & in omnibus ferè diuturnis affectibus obſeruandum eſt. Cæterùm œdema quod ſymptoma eſt periculoſos affectus ſequens, ut tabem, aquam intercutem, & uitiatum corporis habitum, quem Græci cachexiã uocant, nullam ſeorſum (ut ſupra diximus) propriã, præcipuamq; curationẽ deſyderat. Curari enim, niſi affectu ex quo naſcitur, profligato, non poteſt. Aliquid tamen ex eo remittendũ eſt, ſi quidẽ uires demoliatur, aut primariũ affectum augeat, aut curationẽ impediat. Satis ergo fuerit, ſiquidem curatione egebit, ipſum tumentẽ locum perfricare, aliàs oxyrhodino, aliàs oleo cũ ſale, aut etiã oxyrhodino ſalẽ habente. Eiuſmodi enim frictio

Curandi œdematis ſcopus duplex eſt ad hoc gignitur.

Oedematis inueterati curandi ratio.

Oedematis ut ſymptoma eſt curatio.

tumorem remittit,& dolorem, ſi ex nimia diſtenſione (ut aliquando contingit) excitetur,demulcet.Oxyrhodinon fluxionem arcet,oleũ cum ſale uim habet digerendi,& uacuandi quod impactũ eſt:oxyrhodinon uerò, cui ſal admiſtum eſt, partim digerit,& exſiccat, partim reſtringit, & humorũ affluxum prohibet. Sed præmiſſa hac uniuerſali methodo, ad propriam ipſius legitimi œdematis, quod ex tenuis pituitæ influxu ortum habet, curandi rationem, ſermonem conuertamus.Hæc autem in rebus quatuor(ſicuti de phlegmone, & eryſipelate dictũ eſt) poſterioris huius ætatis chirurgis conſiſtit.Nempe,in debita uiuendi ratione,in pituitoſi humoris præparatione, quam æquationem uocant, & eiuſdem expurgatione:influxi & iam particulam occupantis humoris, repreſsione, diſſolutione,& exſiccatione:& poſtremò in ſymptomatum, ſeu accidentiũ ipſum œdema conſequentiũ correctione, & ſummotione. Hæ itaq; ſunt quatuor intentiones particulares, quibus duas illas generales ſuprapoſitas indicationes aſſequimur.

Quatuor ſcopi particulares in curando legitimo œdemate obſeruandi. 1. 2. 3. 4.

1. Prima intẽtio

Prima igitur intentio perficitur, debita, ac congrua ſex rerum non naturalium adminiſtratione. Porrò ritè ac commodè, res ipſæ non naturales corpori laboranti adhibebuntur, ſi ad caliditatem, & ſiccitatem, cum quadam attenuatione, declinauerint uniuerſæ. Ergo tenuem & ſiccum aerem deligito, præparatóue. Vinum defecatum, pellucidũ, album, uel ſubrubellum (quod claretũ uocant) in ſuo genere optimum, & modicè aqua dilutum, in potu aſſumito. Panis probè coctus, & ritè præparatus eſto. Carnibus ouillis, aut ex montanis, & campeſtribus auiculis lubens ueſcitor, iiſq; aſsis potius, quàm elixis. Iuſculis, oleribus, & oſſis parcè utitor. Ab azymis, id eſt, non fermentatis, crudis quoq;, & præhumidis, abſtineto. Legumina, caſeum, fructus præſertim horarios & immaturos, piſces quoq; (niſi forſan ſaxatiles, eosq; uel aſſos, uel uino incoctos) ne guſtato. Aſſa in uniuerſum meliora ſunt elixis, & iis quæ piſtoris induſtria præparantur. Parùm comedito, ac minus bibito. Breuiter uitæ luxum, atq; ingluuiem fugito. Si aluus non reſpondet, eam ficubus, & carthamo ſoluito. Ergo ficus aridas quinq;, uel ſex numero accipito, easq; medulla ſeminis carthami impleto, & manè, uel prima menſa comedito. Corpus moderatè exerceto, ſi tamen particula laborans citra noxam id admiſerit. Somnus breuis eſto. Balneum atq; omnia humectantia prorſus uitato.

Aer. Potus. Cibus. Repletio. Inanitio. Motus. Somnus. Balneum

2. Secunda intentio.

Secunda intentio completur præparantibus, ſeu æquantibus (quæ uulgò digeſtiua uocant) & uacuantibus materiam illam pituitoſam, qua ſcatet corpus laborantis. Ergo genus aliquod oxymelitis offerendum eſt, quod pituitam in corpore deliteſcentẽ poſsit incidere, & detergere. Deinde præparata hoc modo expulſioni antecedens materia, medicamento aliquo phlegmagogo, id eſt, pituitã expurgante, ex periti alicuius medici præſcripto uacuanda eſt. Quod ſi (inquit Guido à Cauliaco) plethora adeſſet, tutò uena aperiri poſſet: non citra tamen periti alicuius etiam medici conſiliũ. At uix unquàm in corpore plethorico uiſuntur œdemata ſaltem legitima. Nam in eo non magis pituita, quàm cæteri humores abundant. Proindè uix ſola, & non aliis humoribus permiſta, in particulam aliquam corporis plethorici influere poteſt. Quare uenæ ſectio in œdemate ſaltem legitimo nequaquàm ex uſu eſſe uidetur. Tertia intentio perficitur in principio admotis repercutientibus: non iis quidem quæ natiua ſua frigiditate uehementer ſtringendo repellũt, ſed quæ non inualidè ſiccandi, & modicè digerendi uim habeant: ea aggregantia exſiccationẽ, & reſolutionẽ uocãt. In augmento uerò diſcutientibus paulò fortioribus. At in ſtatu, circa eius finem præſertim, & ſtata iam fluxione, puris, iiſq; fortiſsimis digerentibus, ſeu reſoluentibus. In declinatione aũt abſumentibus ſeu (ut dicunt) conſumptiuis, & exſiccantibus, ſi reſolutione ſaltem terminari debeat. Si uerò degeneret in abſceſſum, quem exiturã uocant, maturantibus, & reliquis quæ in curandis abſceſsibus propoſita ſunt auxiliis, curabit. Porrò auxilia reprimẽtia, ſiccãdi ſimul & digerẽdi facultate prędita, quæ

3. Tertia intẽtio

Auxilia in principio œdematis admouenda.

quæ competunt initio œdematis ex pituitoſi humoris influxu creati,tribus præ-
ſertim formulis comprehenduntur.Prima eſt Galeni lib.14.Therapeutices, & ſe 1.
„ cundo ad Glauconem:ubi inquit:At ſi ex pituitoſo humore in particulã influen
„ te œdema conſtitit, abundè aliquando ſatisfacit ſpongia, quæ ex aqua,in qua ſit Poſca aquoſa.
„ aceti aliquid,maduerit. Porrò hæc ita attemperabuntur, ut uel bibi poſsint, uel
„ ut non multùm ſupra hoc aceti habeant.Deligare uerò ſpongiam debebis,ab in-
„ feriore parte incipiens,ac ſupra finiens. Eſto autem ſpongia (modò conductura
„ ſit)omninò noua.Huius ſi occaſio non eſt[hoc eſt,ſi nouæ copia non ſit]hanc de
„ tergebis,expurgabisq́;,exquiſitè abluendo nitro,& aphronitro, & aqua lixiua.
Auicenna iubet ut loco ſpongię aliquãdo admoueatur pannus linteus duplex,
aut quid ſimile. Secunda formula eſt ipſius Auicennæ. Recipit aũt aquæ deco- 2.
ctionis baurach,id eſt,nitri uel ſpumæ nitri,& cinerũ,& aceti,ana,quantũ ſatis eſ
ſe uidebitur. Tertia formula eſt à Raze deſcripta ad hunc modũ. Recipit aloës, 3.
myrrhæ,lycij,acaciæ,ſief memithæ,id eſt,de glaucio, cyperi, croci oriẽtalis, boli Emplaſtrum Razis.
armenæ,ſingulorũ partes æquales:pulueriz ẽtur,& cũ ſucco cauliũ,hoc eſt,braſ-
ſicarũ,& aceto miſceantur,& fiat emplaſtrũ.Porrò eadem nuper commemorata Remedia incremẽti tẽpore admouẽda
auxilia,in huius œdematoſi tumoris incremento,etiam benè faciunt, adiecto ſal
tem illis aceto copioſiore, uel modico alumine,in corporibus præſertim robu-
ſtiorib.& cutẽ durã habẽtibus,atq; ubi aquoſior poſca nõ profuerit. Ergo ſi ſub
his paulò antè memoratis auxilijs œdema nõ ſubſidat, quieſcátue: ubi rurſus de
ligabis,paulò plus aceti miſcebis,ut poſca ualentior ſit, uel puſillũ aliquid alumi
nis cõijcies,ac nouã ſpongiã admouebis. Hæc enim & copioſum medicamentũ
excipit,diuq́; continet,& ſua ſubſtantia affectã partẽ exſiccat. Si nouæ copia nõ
ſit,melius eſt,inquit Galenus,eo,quod uulgus uocat,elychnion,utare.Id uerò an Lib.14. Ther. & 2.ad Glauc.
te omnia molle eſto:quod genus Tarſicũ eſt,cuius ſi facultas eſt,audacter utitor:
utilius enim experiere,quàm ſpongiam.Madeat uerò ex puſca,quæ & aliquid ha
beat aluminis.Tum(ut præſcriptum eſt)deligetur,ab inferiore ſurſum: hoc eſt,li
gatura incipiat in imis partibus, & deſinat in altioribus. Sit autem arctatio me-
diocris,uelut in oſsis fractura. Ac primæ quidem iniectiones faſciæ, quæ ſcilicet
inferire incipiunt,magis arctandæ:quæ deinceps ſunt, ſenſim remittendæ: cæte-
rùm non adeò,ut laxa ſit aliqua deligationis pars. Remedia autem, quæ poſt ui-
gorem ſtatus,ubi iam conſtitit fluxio, & in declinatione uniuerſali admouenda
ſunt,ſi œdema tendat ad reſolutionem,ſub triplici etiam formula deſcribi ſolẽt.
Prima eſt Auicennæ,nempe ſpongia imbuta aqua lixiua,ex cinere fici,utilis,& ilì 1. Status & declinationis remedia.
cis,quæ ſpecies eſt quercus,& particulæ admota: ſiquidem huic magna uis ineſt
exſiccandi,ac detergendi. Secunda eſt Bruni, quam & uſurpauit Theodoricus. Spongia lixiuio imbuta.
Recipit autem aluminis,ſulphuris,myrrhæ,& ſalis,ſingulorum pares portiones:
miſcentur hæc omnia cum roſaceo,& aceto,& fit linimentum,quod præceden- 2. Linimentum.
ti remedio potentius adhuc exſiccat. Tertia rurſus eſt Auicennæ, cuius deſcri-
ptio eſt talis:Recipit ſtercoris uaccini,lib.ſemis,olibani,ſtyracis,uſneę,id eſt,mu 3. Emplaſtrum Auicennæ.
ſci arborũ,qui Græcis bryon dicitur:calami aromatici,ſpicæ,abſynthij, ſingulo- Vſnea quid.
rum ſemunciã:cõfice omnia cũ aceto,& decocto cauliũ,ſiue braſsicæ,& fiat em-
plaſtrum.Atq; hæc quidem ratio eſt curandi œdematis, quod reſolutione termi
natur.Si uerò digeſtioni non cedat,ſed ad ſuppurationẽ ſpectet,unguentũ è ſuc- Concoquẽtia ſeu maturãtia
cis diachylon nominatũ,atq; id maximè,quod à Rogerio compoſitũ eſt, perquã
utiliter apponitur.Ad id etiam confert,uel magnoperè, & ſequens emplaſtrum,
quod recipit maluam,brancam urſinam,(uel ſi mauis dicere hircinam, quæ & a-
chantus,& achanta dicitur)radicem althęæ,radicem lilij,cepas aſſas,limaces,fer
mentum,& ſemen lini:cocta,& ſubacta,& cum axũgia,uel butyro miſta, redigũ-
tur in formam emplaſtri. Aliud ad idem ſummè efficax. Accipe ſucci ebuli,ſam Hoc ad Theodoricum refertur.
bucci,oxylapathi, quod noſtrates officinæ lapatium acutum nominant: leuiſti-
ci,ſeu liguſtici,& marathri:ex horum ſingulis quantũ lubet,pari tamen pondere:

deinde(ut oportet)coquito,una cum dialthea, melle, oleo, & butyro, atq; ex ijs
emplaſtrum conficito. Maturato apoſtemate, non expectetur, donec ſpontè a-
periatur: quoniam tardè admodùm, uel fortaſſe nunquàm id contingeret: ſed fer
ro candente, aut cauſtico aliquo medicamento fiat apertio, qua pus excernatur,
Apertio. Vnguentum mundificatiuum quod ad Dinum refertur. iuxta modum, & formam ſuperius expreſſam. Deindè ſordes detergantur, un-
guento uulgò Apoſtolorum dicto, uel mundificatiuo ex apio, & ſucco abſyn-
thij, uel unguento ſubſcripto, quod pus craſsioris ſubſtantiæ attrahit, & mundi-
ficat. Accipit autem id galbani, ammoniaci, reſinæ terebinthinæ, picis, ſepi uacci
ni, olei antiqui, ana partes æquales: diſſoluuntur gummi ex aceto, & liquefiũt ad
ignem cum reliquis, & fit unguentum. Poſt hæc uerò ſimiliter reliquis ulceribus
4. ſordidis curetur. Cæterùm quartam intentionem aſſequimur, pro ratione & na
Quarta intentio. tura accidentium ſuperuenientium, ut ſi accidat dolor, in primis ſedandus erit,
admota(iuxta Auicennæ doctrinam)œſypo humida, uel uino cocto, uel cerato
compoſito ex oleo chamæmalino, oleo de abſynthio, oleo de ſpica, & cera. Si ue
rò durities affuerit diſſoluenda, atq; emollienda eſt medulla bubula, uel ceruina,
Lib. 2. ad Glauconem. uel quapiam alia ſimili, ut in ſequẽtibus dicetur. Galenus autem in diuturno œ-
Oedemati inueterato. demate partem oleo linens, ſpongiam ex lixiuio apponebat, atq; ſtringens arcti-
us, affectum perfectè curabat.

Capita curationis œdematis.

1. Oedema morbi accidens. OEdema quod ſymptωma eſt, hoc eſt, accidens alijs morbis ſuperueniens, ut
aquæ inter cutem, tabi, & cachexiæ medicamenta, quę diſcutiũt, & ſine mo
leſtia deſiccant, adhibeto.

2. Ergo tumentem locum oxymelitæ, uel oxyrhodino, aut oleo cum ſale, aut eti-
am oxyrhodino ſalem habẽte perfricato. Hac enim frixione, & dolorem (ſi quis
ex diſtenſione excitetur) mitigabis, & tumorem remittes.

3. Oedemati uerò ex tenuis pituitæ influxu excitato, ſi nondũ reſtitit fluxio, me-
dicamenta, quæ partim digerãt, partim uerò cogãt, reſtringantq;, admoueto.

4 Ergo ſpongiam nouam, uel aliam lixiuio ablutã, initio poſca dilutiore in mol
lioribus præſertim corporibus madentem alligato, uinculaq;(ſi artus tumor oc-
cupet) ab inferiori parte ad ſuperiorem, ut in fracturis, ducito, & mediocriter cõ
ſtringito.

5. Quòd ſi per hæc tumor non remittitur, ſubſidiatúe, poſcæ, id eſt, oxycrato, a-
luminis momentum adijcito.

6. Oedema inueteratum. At ſi iam in uetuſtatem affectus inciderit, non amplius remedia miſtam hanc
facultatem (digerentem ſcilicet, & reſtringentem) habentia, ſed digerentia, ac diſ
ſecantia potius adhibeto.

7. Igitur, parte oleo prius inuncta, ſpongiã qualẽ ſuprà diximus, lixiuio delibutã,
imponito, ac faſcias arctius deligato.

De tumoribus præter naturam, qui inflationes dicuntur Latinis, vulgò autem apoſtemata ventoſa. Cap. XI.

Inflationis & œdematis differentia. NVNC tempeſtiuum eſt, ut de inflammationibus diſſeramus, quibus
diuerſa ab œdematis curatio eſt. Illa namq;, ut Galenus ait lib. 14. The
rap. ex pituitoſo ſucco ortum habent: proindè prementibus nobis
cedunt, digitiq; admodum altè in ipſa deſcendunt. Inflationes uerò,
ex flatuoſo ſpiritu collecto naſcuntur, aliâs ſub cute, aliàs ſub membranis, quæ
oſsibus circundantur, aut muſculos, uiſcerumúe aliquod includunt. Porrò colli
gitur aliquando non parum etiam in uentriculo, & inteſtinis: itemq; in medio
Libro 4. ſpatio horum, & peritonei, ut in aquæ (inquit Paulus) ſubter cutem genere, cui
nomen eſt tympanias. Differunt quoq; hæ ab œdematis, quòd & prægreſſæ digi-
tis non

tis non retinent ueſtigiũ,& ſonitum ueluti tympanũ reddunt:itemq; quòd in cauitate ſenſibili ſubinde cõtinentur,atq; hæc nonnunquã maxima. Cauſa huiuſce modi inflationũ Galen.lib.6.de morbis & ſymptomatis, eſt caloris natiui imbecillitas,in materia pituitoſa,ad flatus excitandos diſpoſita. Calor nanq; eiuſmodi ſuſcitare quidẽ uaporẽ ex humida materia poteſt,ſed non diſcutere, uti aſſerit Galenus his uerbis: Quemadmodũ enim (inquit) in externis rebus uidemus, ut frigidiſsima conſtitutio, maximè ſpirante Borea, aërem ſerenior ẽ reddit, ac calidiſsima per æſtatem conſtitutio ambientẽ nos aërem purũ efficit, mediæ uerò cõſtitutiones nebulas pariunt: ita in animãtibus accidit. Neq; enim calor per extremam imbecillitatem, neq; cùm uehemẽtes ſunt ei uires: ſed cùm mediũ inter has affectiones obtinet, flatum gignere poteſt. Retinetur autem flatus eiuſmodi in loco quopiam (ut dicit Auicenna) uel propter denſitatem, ſeu (ut dicunt) ſpiſsitudinem membri, uel propter ipſius uaporis, ſeu ſpiritus craſsitiẽ. Quod & ijs uerbis Paulus ex Galeni ſententia teſtatus eſt. Membrorũ (inquit) denſitas, cum ſpiritus ſimul craſsities efficit, ut idem ſpiritus non diſsipetur.

Inflationum cauſa.

Lib. 6. de morbis & ſympto.

Lib. 4.

De ſignis, & iudicijs inflationum.

SIgna inflationum ſunt, tumor renitẽs tactui, cum lucido quodam ſplendore, ſonum ut uter, uel tympanum, dum percutitur, reddens. Adhæc perſæpè ſentitur flatus per totum corpus, modò huc, modò illuc diſcurrens, ac dolorem extenſiuum pariens. Quod autem ad iudicia pertinet, flãtulentus, ſeu uaporoſus ſpiritus, qui non diſcutitur, multa parit incommoda. Halituoſus uerò huc atque illuc per corpus diſcurrens, cum dolore, & anxietatibus magnoperè uerendus eſt. Quippe qui à materia aliqua uenenoſa attolli uideatur.

Inflationum notæ.

Inflationum prognoſtica.

De inflationum, ſeu flatulentorum tumorum curatione.

CVm tria hæc, materia humida, caloris imbecillitas, & meatuum denſitas, ad inflationis generationem (ut in præcedentibus oſtenſum eſt) cõcurrant: curationis ipſius ſcopus erit, caloris ſubſtantiam roborare, uaporem ſeu flatulentã materiam extenuare, & meatus corporum (in quibus uaporoſus ille ſpiritus collectus continetur) denſitatem recludere. Porrò poſteriora duò, nempe denſi corporis rarefactionem, & craſsi ſpiritus extenuationem, iiſdem omninò auxilijs aſſequimur, medicamentis ſcilicet tenuitate partium pollentibus, ſiue extenuantibus, & calfacientibus, magis, aut minus, pro partium inflatione afflictarum denſitate, uel raritate, & uaporũ quoq; craſsitudine, uel tenuitate. Pro horũ nanq; differentia facultas medicamentorum, quæ admouentur, intendi ac remitti debet. Itaq; raræ partes, & uapor, ſeu ſpiritus non admodùm craſſus, minus: denſæ uerò, & uapor multa craſsitie præditus, magis extenuantibus, & calidis egent. Caloris autem ſubſtantia, ſi perijt, aut imminuta eſt, pro ratione iacturæ eius, reſarcienda erit. Si uerò alterata fuerit, ad mediocritatem reducenda. Quòd ſi unà dolor excruciet, ad anodyna tranſeundum erit. Non abſurdè igitur, inflationum (quas uentoſa apoſtemata uocant) curationem tribus intentionibus perfici dixerunt poſterioris noſtræ ætatis chirurgi: prima in debita uiuendi ratione, ſecunda in proba concoctione, & tertia in flatulenti ſpiritus, qui in particula collectus eſt, diſcuſsione, ſeu (ut aiunt) in materiæ coniunctæ extirpatione conſiſtit. Itaque uitæ inſtitutio talis erit. Abſtinendum in primis ab omnibus craſsis, uiſcoſis, crudis, pituitoſis, & flatuoſis. Cuiuſmodi ſunt, dulcia, ſubſtantia leguminum fructus, rapum, caſtaneæ, & alia id genus: quæ ſpiritum flatuoſum procreant. Vtendum autem calidis, & ſiccis: item attenuantibus, & flatum diſcutientibus, ut eſt panis hordeaceus, qui aliquid ſalis, & cumini receperit. Laborantis potus ſit uinũ albũ, uel ſubrubellũ (quod clairetũ uocant) aut uinum Græcũ. Vtatur decocto cicerum alterato cum cepis, apio hortenſi, quod uulgo petroſelinum

Inflationum curatio.

Tres ſcopi curandarum inflationum.

I. Prima intẽtio

Cibus.

Potus.

appellatur,calamintha, ruta, & cumino. Carnes ſint aſſæ potius, quàm elixæ, &
2. Secunda intentio. præſertim ex uolatilibus, ut in præcedenti capite dictum eſt. Vt autem ſecundam intentionem aſſequaris, roboranda tibi eſt uirtus concoctrix bonis quibuſdam ſpeciebus aromaticis,& confectionibus,atq;(ut uocant) electuarijs ad hoc dicatis, ut ſunt, diacuminum, diacalaminthe, aromaticum roſatum, & ſequens
Drageta coctionem adiuuans. confectio,quam dragetam appellant.Recipe aniſi, maratri, carui, dauci,cymini, baccarum lauri,tritorum, ſingulorum unciam unam,glycyrhizæ, quam liquiritiam uocant,galangæ,zinziberis albi,ſingulorum ſemunciam, charyophyllorũ, cubebarum,piperis longi,ſeminis rutæ,ſingulorum drachmas duas, aniſi ſaccharo incruſtati,quadrantem,id eſt,uncias tres, ſacchari ſelibram, id eſt, libram ſemis, fiat puluis.Extrinſecus uerò inungatur uentriculus oleis de ſpica, de coſto, & ruta:uel fiat epithema, quod ea recipiat, quæ & flatus diſcutiunt, & iuuandæ coctioni dicata ſunt,atq; hoc ſtomacho admoueatur.Sed hęc ad medicinam magis,quàm chirurgiam pertinent.

3. Tertia intẽtio Tertia intentio completur medicamento, cui miſta facultas ſit, hoc eſt, quod ſimul concoquat, digerat,& modicè adſtringat,nec dolorem augeat. Ad hæc autem conſequenda inſtituuntur tres formulæ auxiliorum,lib.14. Therap. Prima
1. ad hunc modum poſita eſt à Galeno: In artubus(inquit)& muſculis, qui ſub cu ,,
Ad inflationẽ ex cõtuſione in artubus muſculis & membranis,quæ oſſa contegũt te, aut etiam membranis,quæ oſſa ueſtiunt, inflatione orta,ſi citra dolorem ſit, li ,,
quor aliquis tenuiſsimarum,cuiuſmodi eſt lixiuium noua ſpongia exceptum, ſa ,,
tis fecerit.Sin dolor quoq; urget, ungenda pars eſt oleo, quod relaxandi, remit- ,,
tendiq; uim habeat.Incidunt porrò ex percuſsionibus eiuſmodi affectus,ubi uel ,,
muſculus, uel membrana quæ os circuit, eſt contuſa.Ac ſuper membranam qui ,,
2. dem, quæ os ambit, antedicta imponenda eſt ſpongia. Secunda formula ibidẽ ,,
Ad muſculos cum inflatione dolẽtes ex contuſione. ita deſcripta eſt. Ad muſculos uerò (nanque hi aliquando dolent) medicamen- ,,
tum quod magis mitiget, eſt adhibendum. Quò fit, ut ad hos ſolo lixiuio non ,,
Sapa. utantur, ſed immiſſa ei tum ſapa, tum pauculo oleo. Satius autem fuerit in prin- ,,
cipio, non addidiſſe lixiuium, ſed ſapa cum uino, & exiguo aceto uti, ac quod ,,
mediocre ſit, olei adijcere. Vbi miſta ſunt, modicè excalfacere, ac lanam non lo ,,
Lana ſuccida. tam,quam ſuccidam uocant,ipſis imbutam imponere. Quòd ſi eiuſmodi lanæ ,,
Oeſipus. facultas non ſit,ipſius œſypus, miſcellæ ſupradictæ eſt inijciendus. Vbi uerò œſy ,,
Ceratum ex œſipo. pus præſtò non eſt, aliquid cerati, quod ex œſypo componitur, rectè admiſcue- ,,
ris. Debent enim contuſi muſculi leniri medicamento,cui miſta facultas ſit,quip ,,
pe quæ ſimul cõcoquat,digerat, & modicè adſtringat. Quando ſi nihil habet ad ,,
ſtrictionis,auget aliquando phlegmonas,ac maximè in ijs corporibus, quæ ſunt ,,
plethorica. Ergo trium iam comprehenſarũ indicationũ[concoquendi ſcilicet, ,,
digerendi,& modicè adſtringendi]in inflatis ex plaga muſculis memor, ubi do- ,,
lor maior urget,mitigatiua magis ratione uteris[plus olei & uini adijciendo]ubi ,,
abeſt,maiore ui inſtabis.Maiorem uim intelligo,cùm breui uia properatur ad fi- ,,
Aceti,uini,& lixiuij collatio. nem.Porrò breuis uia fit,per ea quæ ualentes habent uires. Hæ autem maximè in ,,
lixiuio,& aceto habentur,poſt hæc in uino. Quoties igitur de mitigando non la ,,
boras,horum[lixiuij inquam & aceti]plus in miſturam conijcies.Rurſus ubi re- ,,
pellere ſtudes,uini plus quàm horum immittes. Porrò id optimum in hũc uſum ,,
fuerit,ſi nigrũ auſterumq; ſit.At ſi digerere malles, lixiuij plus indes. Acetũ uerò ,,
ſi his miſcebis,ad ambo utilis erit miſtura, propterea quòd acetum miſtas habet ,,
facultates. Vbi uerò muſculus ſine dolore eſt, licet ſanè in lixiuij penuria, pro ea ,,
Pro lixiuio aphronitrũ. aphronitrum immittere. Eſto autem id minimè lapidoſum, ſed magis ſpumo- ,,
3. ſum. Tertia formula eſt emplaſticum,quod fit ex ſtrigmẽtis gymnaſiorũ, id eſt, ,,
ſordibus, quæ à corporibus luctantium detergebantur, & calce uiua ex aqua & ,,
Si inueterauerit ratio. uino ſimul coctis.Galeni uerba hæc ſunt,libro decimoquarto Therap. Quæ ue- ,,
rò huius generis inflationes neglectæ inueterauerunt,primo quidem loco his,ea ,,
quæ ex lixiuio componuntur(ut prædictum eſt)adhibeas. Secundo loco empla ,,

ſticum

„ ſticum aliquod. Dicam autem & horum exemplum. Strigmenta gymnaſiorũ feruefacta, percola primùm, ſicut pura ſint: deinde rurſum in cacabum immiſsis, calcem uiuam in farinæ ſpeciem tuſam inſperge, ad luti uſq; craſsitudinem. Salutare his eſt, & medicamen, quod ex ſycomoro componitur, aliaq; id genus. Cæterùm ſi huiuſmodi flatuoſus ſpiritus, qui inflationem cõmittit, fumoſus fuerit, malus, corruptus, à materiaq; uenenoſa excitatus, cum dolore intolerabili, & uehementi calore, per membra diſcurrens, nullum tutius, ac melius conſilium dari poteſt, quàm quod ubi in parte quapiam ſubſtiterit, pars ipſa protinus infra ſupraq; deligetur, ac in medio nouacula, uel ferro candente tumor aperiatur, ita ut facilè uapor ille uenenoſus egredi poſsit. Deinde hians plaga, implenda erit aloë & bolo Armena, ex roſaceo, & aceto diſſolutis. Tranſactis uerò diebus tribus, aut quatuor, uulnus carne opplendum erit, & ad cicatricem perducendum. Porrò in uenenoſis eiuſmodi inflationib. uictus ratio tenuior eſſe debet, egetq; corpus medicamento purgatorio. Quòd ſi theriace ſumenda daretur laboranti recte conſultum eſſet.

Si flatuoſus ſpiritus uenenatus fuerit.

Victus ratio.

Theriaca.

Capita curationis tumoris flatulenti.

IMbecillam caloris affectæ partis ſubſtantiam roborato, deperditam inſtaurato, alteratam ad mediocritatem reducito. 1.

Vaporoſum, ſeu flatulentum ſpiritũ craſsiorem, unde tumor eiuſmodi ſuſcitatus eſt, extenuato. 2.

Denſatos cutis, ac totius laborantis particulæ, meatus, medicamentis tenuitate partiũ pollentibus, recludito: deindè flatuoſum ſpiritũ diſcutito. 3.

Pro locorum aũt affectorum differentia, & uaporis ipſius flatuoſi craſsitudine, uel tenuitate medicamentorũ, quæ admouentur, tum materiam, tum facultatem intendito, ac remittito. 4.

Porrò ſi cum dolore, & inflammatione tumor eiuſmodi flatulentus inciderit (ut contingit in muſculis ob contuſionem flatu repletis) mitigatoria initio admoueto: procedente uerò tempore, quæ diſcutiendi ui polleant, eorũ copiã paulatim augendo, adhibeto. 5.

Inflationes quę ob negligentiã antiquatę fuerint, primò quidẽ lixiuio foueto, deinde emplaſtrũ quodpiã ex his, quæ molliunt, & diſcutiunt, admoueto. 6.

De tumore è ſeroſa ſubſtantia creato, quod aquoſum apoſtema nominant. *Cap. XII.*

PITVITAM, ſi per uniuerſum corpus increuerit, ea ſpecies aquæ intercutis, quam leucophlegmatiam uocant, comitatur, ut Galenus annotauit libro ſexto de ſymptomatum cauſis. Cùm uerò in una duntaxat parte pituitoſa hæc ſubſtantia redundat, œdema enaſcitur: ita enim appellant tumorem laxum, ac doloris expertem. Seroſa autem excrementa ſi abundant, aquam intercutem (quã aſcitem nominant) generare ſolent. Quæ ſi unam aliquam partem incubuerint, in ea phlyctænas, id eſt, puſtulas excitant. Porrò ſeroſum eiuſmodi recrementum, recentiores aquoſum phlegma nominare conſueuerunt. Quemadmodum etiam, & pituitam illam, quæ reperitur in pedibus & cruribus eorum, quos aqua intercutem uexat, & in tabidis, & alijs, qui malo habitu (Græci cachexiam uocant) laborãt. Adhæc, tumores ex huiuſmodi aquoſo phlegmate, aut ſeroſo iam dicto recremẽto procreatos, illegitima, ac nõ uera œdemata uocitant. Cæterùm in periculoſis illis diſpoſitionibus, ſeu affectibus, tabe inquã, hydrope, & cachexia: œdema (ut ſuperius ex Galeni ſententia dictum eſt) ſymptomatis, ſeu accidentis rationem obtinet, non morbi: nulla quidem propria præcipuaq; curatione indigens. Sola enim frictio ex oxyrhodino, aut nonnunquàm ex ſale, & oleo, uel etiam ex ſale, & oxyrhodino, ſiſtit ipſum,

Leucophlegmatia.

Oedema.

Seroſum recrementum.

Phlyctænæ.

Lib. 2. ad Glauconem, & 14. Therap.

Cauſæ tumorum aquoſorum. aliaq́ huiuſmodi multa. Horum aũt tumorum cauſæ ſunt, alteratrix facultas, fri-
gida intemperie uitiata, & alimentorum prauitas, ad aquoſitatem declinans, ut
ex libro ſexto de ſymptomatũ cauſis facilè eſt colligere. Signa, & iudicia ferè ea-
Aquoſorũ tumorum notę. dem ſunt, quæ & ueri œdematis. Hoc tamen differunt, quòd in iſtis aquoſis tu-
moribus laxus magis tumor eſt, quàm in œdemate legitimo: atq; ideò non tantũ
renititur tactui, ſonatq; nõ ut flatus uentúsue, ſed ut aqua potius. Ad hæc aliquo
IVDICIA. modo ſplendere uidetur, cùm ad lucem quis ipſum intuetur. Quòd uerò ad hu
1. iuſcemodi tumoris iudicia attinet, aquoſus haud dubiè tumor à maiori enaſci-
tur frigiditate, quàm flatuoſus, ut Galen. author eſt, commentario undecimo li-
bri quarti aphoriſmorũ, ſuper hunc aphoriſmũ: Quibus tormina, & circa umbili
Aſcites à maiore frigiditate generatur, quàm tympanites. cum labores &c. Videtur autem (inquit) à maiori frigiditate generari aquoſus hy
drops, quem aſcitem uocant: à minore uerò tympanias, quæ ab Hippocrate a-
qua inter cutem ſicca nominatur. Neq; enim humida ſubſtantia in flatuoſum aë-
2. rem, ſine colore aliquo poteſt tranſmutari. Tumores præterea aquoſi ſæpius in
Quas partes maxime prehendat aquoſi tumores. pedibus, teſticulis, ſcroto, capite, & iuncturis accidunt, quàm in alijs quibuſuis
corporis partibus: tum quòd humor eiuſmodi in eas partes promptius irruat, tũ
quòd caliditas in ipſis modica ſit: quippe quæ procul à calidiſsimis abſunt parti
3. bus, ut ſecundo Progn. ait Galenus. Quemadmodùm etiam flatuoſus ſpiritus ra
rò inuenitur abſq; humore aquoſo, ita uix unquam aquoſus ſiue ſeroſus humor
in particula aliqua concluditur abſq; flatu. Hactenus de generatione, cauſis, ſig-
nis, & iudicijs aquoſi tumoris, nunc de curatione.

Aquoſi tumoris curatio.

CVm aquoſi tumores, ex ſeroſi (uti diximus) recrementi fluxione excitentur,
non alia certè curandi uia, & ratione, ſaltem uniuerſali, in illis profligandis
utendum eſt, quàm ea, quæ in alijs ſupra memoratis tumoribus, qui ex humo-
rum in partem aliquam influxu procreantur, perſanandis, à nobis ſupra expli-
Curãdi aquoſi tumoris duplex indicatio cata eſt. Duplex igitur curandi indicatio per initia in eiuſmodi tumoribus e-
rit: nempe uacuandi quod influxit, & fluxionem inhibendi. Quocirca & com-
poſita fuerit de talibus affectibus, ueluti, & de reliquis morbis omnibus, qui-
cunque in generatione adhuc ſunt, medendis ſollicitudo, ex ea ſcilicet, quæ
curat, & ea quæ prouidet. Itaque prima indicatio ei medicinæ artis parti ſub-
ijcitur, quæ morbos curat: ſecunda uerò ei parti ſubiacet, quæ futurum mor-
Quinq; particulares intentiones curandi aquoſi tumoris. bum præcauet. Porrò ut geminum hunc ſcopum uniuerſalem aſſequamur, alijs
quinq; particularibus intentionibus eſt opus, à noſtro Guidone à Cauliaco in
curatione tumoris aquoſi hoc ordine, & modo qui ſequitur expreſsis. Prima in
1. 2. probæ uitæ inſtitutione, atq; obſeruatione conſiſtit. Secunda in concoctionis
3. emendatione, ſeu (ut ait) rectificatione. Tertia in aquoſi humoris per aluũ ex-
4. purgatione. Quarta, in eiuſdem ſeroſi recrementi per urinarios meatus educti-
5. one. Quinta & ultima, in coniunctæ (ut loquuntur) ſeu contentæ in particula
humiditatis aquoſæ, euaporatione, atq; exſiccatione. Cæterùm cùm primæ qua-
tuor intentiones magis ad medicũ ſpectent, quàm ad chirurgũ, quem hoc opere
inſtituendum ſuſcepimus, atq; etiam ex ijs, quæ in pręcedentibus dicta ſunt, ſatis
innoteſcant: conſiliũ fuit, tantùm de poſtrema, quę topica deſyderat auxilia, hoc
loco agere. Quinta igitur intentio perficitur cum exſiccãtibus, & reſoluentibus
huiuſmodi aquoſas, ac ſeroſas humiditates, quę in particula laborante continen
1. tur. Horum aũt tres cõmuniter formulæ ſtatuuntur. Prima eſt Galeni libro 2. ad
Glauconem, & decimoquarto methodi medendi: nempe quæ conſtat oxyrho
2. dino & ſale, ut ſuperius dictum eſt. Secunda eſt eiuſdem: ſpongia ſcilicet no-
ua, lixiuio perfuſa, & reliqua alia auxilia, quæ ſuprà ad œdemata ſcripta ſunt.
Quibus ut potentius exſiccent, & diſcutiant, addenda ſunt, aphronytrum, a-
3. lumen, & ſulphur. Tertia formula eſt cuiuſdam emplaſtri, ab Auicenna
deſcripti

deſcripti in curatione ſcrofularum, quod Galeno attribuit in libro de compoſitione medicamentorum κατὰ γένη, id eſt, ſecundũ genera. Hoc autem (ut ille prædicat) intra hebdomadam unam ad ſummum: plerunq; uerò intra triduum omnem duritiem reſoluit. Porrò tametſi emplaſtrum hoc apud Galenũ libro nuper citato non reperiatur, eo tamen commodè uti poſſumus ad aquoſam, & flatuoſam duritiem diſſoluendam: eius tamen deſcriptio talis eſt Auicennæ: Recipit ſeminis ſinapis, ſeminis urticæ, ſulphuris, ſpumæ maris, ariſtolochiæ [rotundæ] & bdellij ana unciam unã, ammoniaci, olei antiqui, & ceræ, ana uncias duas. Quòd ſi hoc emplaſtro non diſcutitur, non aliud auxilium melius, ac præſentius excogitari poteſt, quàm ut ferro aperiatur, deinde detergatur, & aliorum ſordidorum ulcerum more curetur. Emplaſtrum Auicennæ diſcutiens aquoſos tumores.

Capita curationis aquoſi tumoris.

Victum attenuantem, calfactoriũ, & deſiccatoriũ laboranti inſtituito. 1.

Vt corpus moderatè exerceat, parcè edat, & bibat, non multũ dormiat, uentremq;, & ueſicam ſæpius ad excretionem exuſcitet, imperato. 2.

Vt probè alimenta concoquat, & flatus minimè gignat, curato. 3.

Seroſas humiditates, quibus laborantis corpus ſcatet uniuerſum, per aluũ, & urinarios meatus expurgato. 4.

Seroſum illud recrementum, quod in affecta parte continetur, deſiccato, & per halitum digerito. 5.

Quòd ſi diſcuti non poſſit, ſcalpellũ, uel potius igne candens ferramentum, in tumorem, ſi artus occupet, adigito, atq; eum parte procliuiore (quo facilius inde humor emanet) reſerato. 6.

Humore qui tumorem committebat, per emiſſarium uacuato, reliqua quæ ad ſordidorum, & aliorum conſimilis naturæ ulcerum, curationem pertinent, ſine mora perficito. 7.

De glandulis, nodis, ſtrumis, & cæteris abſceſſibus, quas excreſcentias phlegmaticas uocant. Cap. XIII.

HAEC CORVM ganglia, chœrades, id eſt, ſtrumæ, quas etiam ſcrofulas uocant, brunchocele, quod bocium, & herniam gutturis nominant, meleerides, ſteatomata, & atheromata: ad hæc teſtudo, talpa, & nata, ſiue napta, tumorum nomina à recentioribus medicis inuenta, & nuſquàm apud antiquos reperta: item fugille Auicennæ: nodi quoq; & uulgaris bubo, aliaq; id genus multa, quacunq; corporis parte naſcantur, ferè ex pituita generationem habent: atq; ob id ad pituitoſos tumores meritò referuntur. Cæterùm tametſi nonnulli ex ijs nuper memoratis abſceſsibus in tophaceam duritiem, & ſcirrhoſos affectus aliquando degenerent: radix tamen & origo illorũ parte maiore pituita extitit, ut uoluit Auicen. Quanquã non imus inficias, quin & alius humor ipſi pituitæ, cuius eiuſmodi abſceſſus propriè ſoboles ſunt, interdùm admiſceatur: atq; ita compoſiti, & heterogenei naſcãtur abſceſſus. Verùm de ſimplicibus ſolùm nobis hic ſermo erit, ex quorũ analogia compoſitorum etiam cognitio facilè habebitur. Hæc enim ad illa, ueluti ad quoſdã certos canones, ſemper adigenda ſunt, ut alibi quoq; diximus. Itaq; prædicti omnes tumores ſub genere abſceſſuum pituitoſorum, ſeu (ut uulgarium chirurgicorum more loquar) excreſcentiarum phlegmaticarum, reponuntur, habentq; ſpeciales quaſdam inter ſe differentias, ut ex ſequentibus patebit. Glandula enim (ut Guido putauit) à glandis forma, quam præ ſe ferre uidetur, nomenclaturam accepit: eſtq; (inquit) utcunq; mollis, unica, mobilis, & ſeparata à partibus circumiacentibus: in emunctorijs plerunque naſcens. Auicennæ autem glandulæ naſcuntur, uel in

Enumeratio abſceſſuum pituitoſorum.

Simplicia ſunt regula compoſitorum.

Glandula Guidonis.

Glandulæ Auicēnę quæ eędem ſunt cum ganglijs Græcorum.

manu,uel in pede,uel in loco aliquo neruis,& tendinibus coniuncto,& has quidem tum uetat extirpari,ne ſcilicet laborans in ſpaſmum incidat.Eueniunt quoque,ait,ſummæ uolæ manus,& fronti, uocatq́ eas modò apoſtemata glanduloſa,modò nodos. De ijs enim inconſyderatè tractat in diuerſis capitibus, utpote

Glādula Guidonis diſsidet à glandula Auicennæ.

in capite de nodis ad finem,& capite de glandulis. Itaq; uidentur glandulæ Auicennæ diuerſæ eſſe à glandulis Guidonis, & Græcorum ganglia illis (Auicennæ inquam glandulis)eadem eſſe.Quod ſequentia Pauli uerba apertè teſtātur: Gan

Cap.16 lib. 4.
Gangliū quid

glium neruorum concretio eſt,ex ictu aut laſsitudine oboriens,in pluribus quidem corporis partibus, præcipuè motui dicatis: nempe manu ſumma, & pedibus.Rarius cubitum,& caput occupat Aëtio,ac rarò eidem ſponte prouenit. Et rurſus idem Paulus lib.6.cap.39.quid ſit ganglium,unde naſcatur, in quibus maximè partibus proueniat,quæ deniq; notæ ipſum comitentur,aperiens: idipſum quod diximus,confirmat,inquiens: Ganglium nerui eſt concretio, ex ictu, aut labore proficiſcens,plerunq; uerò in manus iunctura, qua cum brachio cōmittitur,talo & articulamentis abſoluitur: quanquàm in alijs quoq; partibus proue-

Ganglij notæ tumor etiā eſt inæqualis Philagr. & Aetio.

niat.Hæ comites ſunt notæ,tumor concolor,renitens,indolensq́. At ſi uiolēter premas,ſtuporis ſenſum exhibet,non in alto,ſed ipſa ſub cute radices agens,&ad latera ſpectans:ſin autem ui adigas,tum antè,tum pòſt,nequaquam id facit. Hactenus Paulus Aegineta de ganglijs,nūc ad reliquos pituitoſos abſceſſus, ſeu (ut

Scrofulæ.

eorum more loquar)excreſcentias phlegmaticas,ſermonem cōuertamus. Scrofulæ à uulgo uocatæ,nihil aliud ſunt,quàm indurati, & intra membranulam contenti adenes,id eſt,glandulæ: in collo, axillis, & inguinibus præcipuè conſiſtentes, ubi glandulæ uaſis ſubſtratæ collocantur. Nonnunquam tamen, quamuis rarò ex carne eorundem locorum fiunt, quæ affinitate quadam ad ſtrumarū naturam uertitur,& materiæ adiectione adaugetur,ut uiſum eſt Leonidæ. Has Lati

Chœrades Græcorū.

ni ſtrumas uocarunt.A Gręcis uerò chœrades dicuntur,uel à chœradibus quidē petris per maritimas aquas tranſparentibus, uel à ſuibus multiparis animalibus (numeroſæ enim ſobolis exiſtunt,ut ſues)& eo morbo frequenter affectis.Scro-

Strumæ Cor. Celſi.

fæ etenim,id eſt,ſues,colla habent glanduloſa,& magna ex parte ſtrumoſa. Struma autem Celſo tumor eſt,in quo ſubter concreta quædam ex pure, & ſanguine quaſi glandulæ oriuntur.Naſcuntur eidem maximè in ceruice, ſed etiam in alis, & inguinibus,& in lateribus. In mammis quoq; fœminarū ſe reperiſſe chirurgus

Libro 6.

Meges author eſt.De ijs etiam Paulus in eum modum: Oriuntur(inquit)ſtrumæ in priori ceruicis parte,aut in altera,aut utrinq; una,aut duæ,aut plures. Omnes autem ſuis membranis includuntur,quemadmodùm ſteatωmata,atherωmata,&

Lupia.

melicerides. Lupia(inquit Guido)ueluti lupulus,mollis, rotunda,in locis duris,& ſiccis ſuam ſedem pręcipuè deligit,ut in palpebris & locis neruoſis:uulgus *vne loupe*.Itaq; ſi eius deſcriptio, atq; etiam curatio, quæ in ſequentibus habetur cum ganglij Græcorum deſcriptione,& curatione conferatur,affectus tibi uidebuntur non admodū inter ſe diſsimiles.Verùm magno errore tenentur,qui eiuſmodi lupulam eandem faciunt cum affectu, quem recentiores lupum appellāt.

Lupus morbus.

Eſt enim lupus malignum ulcus,partes inferiores, ſed præcipuè crura infeſtans, celerrimè depaſcens,& quaſi lupus (à quo nomen accepiſſe uidetur) famelicus, proximas ſibi carnes exedens:quod uitium dubio procul de genere eſt phagædęnarum.Proindè affectus ſunt longè inter ſe diuerſi, quanquàm in nomine quan-

Nodus.

dam affinitatem habeāt. Nodus tanquàm funis nodus eidem Guidoni dicitur, rotundus,durus,& eodem in loco permanens,circa loca neruoſa maximè appa-

Nodi Auicen.

rens.Auicenna autem nodos definit alicubi dubelęta frigida,facitq́ hoc nomen genus ad ſteωmata(quæ à noſtris adipoſi,& adipini nodi nominantur) ad melice ridas,id eſt,mellitios nodos,& atherωmata, quæ materia conſtant, pulti (quam Græci ǎtharam uocant)ſimili.Cæterùm cùm hæc tria abſceſſuum genera,ſteatωma inquam,meliceris,& atherωma,frequentiſsimè incidāt,ac locis ualde multis

Galenus

Galenus eorum meminerit:non ab re factum putauimus,ſi(nacta hoc loco de ijs
diſſerendi occaſione)eorum naturam,notas quibus agnoſcãtur: in quibus item
inuicem diſsideant,& conſpirent,latius aperuimus. Atherωma igitur,tumor eſt Atheroma.
concolor & indolens,in membrana,ſeu neruoſa tunica humorem lentum conti
nens,atharæ,id eſt,pulti ſimilem,quæ ex farina decocta cóficitur.Interdùm quo-
que in atherωmatibus ſimul cú humore pultaceo,lapidoſa quædam, duraq́ȝ cor-
pora,& alia tanquàm ſulphuris ramenta inueniuntur, nonnunquàm ueluti man
ſa gallinarum oſsicula ſæpe etiam tanquàm pili complicati tactui occurrunt. Cę
terùm tumor atherωmatis,ſpecie & figura oblongus, & aliquantum ſublatus ui-
ſitur: qui digitorum appreſſu ob humoris lentorem, & craſsitudinem tardè re-
trocedit,& amotis digitis,tardè quoqȝ regreditur.Meliceris autem tumor eſt, ſi- Meliceris.
mili modo dolore carens,ſed rotundus, in quo neruoſa etiam tunica, quam cy-
ſtim appellant,incluſus humor reperitur tenuis, & mellis ſubſtantiam repręſen-
tans:unde & mellifauium Latinè quibuſdam dicitur.Itaqȝ meliceris ab atherωma
te differt figura,& humoris ſubſtantia. Nam & figura rotundior eſt, & humoris
ſubſtantia tenuior.Proinde melleus hic tumor magis, quàm atherωma extendi-
tur,preſſusq́ȝ digitorum celerrimè cedit,&amotis digitis pari celeritate ad ſitum
priſtinum redit. Steatωma uerò, tumor etiam eſt præternaturam, concolor, & Steatoma.
tactu lenis,in principio quidé exiguus,ſed temporis progreſſu augeſcens, & am-
plior factus:in quo humor ſeuo perſimilis, membranula ſimiliter incluſus, ſub-
eſt. Hoc à meliceride,& atherωmate diſtinguitur,duritie.Nam plenum,ac ſolidú
eſt, tactuiq́ȝ renititur, adeò, ut digitis prementibus minimè cedat. Sed reliqua
nunc apoſtemata perſequamur,quæ ferè ad hæc tria,de quibus modò egimus,re
ducuntur. Teſtudo ipſi Guidoni abſceſſus eſt magnus,humoralis, mollis, latio Teſtudo.
re forma,in modum teſtudinis,unde nomen accepit.Quæ ſi in capite(inquit)na-
ſcatur,talparia,uel talpa dicitur:in collo,bocium: in teſticulis,hernia: interdùm
autem cum pure,uel ſquammis,uel fiſtulis reperitur. Cæterùm teſtudines,& tal-
pa,apud antiquos,neqȝ proprium nomen, neqȝ tractatum inuenerunt. Recentio
res autem teſtudinem uocant tumorem mollem, uel non ualde durum, ſatis au-
tem magnum,in quo pinguis materia,tunica quadam obtecta, continetur, quæ
caluariæ ita hæret(eſt enim cutis capitis affectus) ut ipſam plerunqȝ uitiet. Hanc
non dubium eſt de numero eſſe abſceſſuum, & ſub meliceride, uel atherωmate
contineri:uidetur tamen ad melicéridem magis inclinare. Talpa uerò cùm albá Talpa.
materiam contineat,ad atherωmata potius, quàm ad melicéridem refertur. Gui-
do tamen teſtudinis ſpeciem:imò uerò teſtudinem ipſam eſſe affirmat, quemad-
modum & herniam,& bocium,quod uocat: ſed uaria hæc nomina ſortiri,pro ua
rietate locorum,in quibus reperiuntur. Cæterùm quod uulgus bocium, Græci Bocium.
propriè inuento ab interiore parte nomine bronchocelen appellant,noſtri uerò Bronchocele.
herniam gutturis,& gutturoſos,qui eo morbo dehoneſtãtur.Eſt autem colli tu-
mor grandis, & rotundus inter cutem, & aſperam arteriam, in quo modò caro
hebes,modò humor aliquis,melli,adipi,pulti,aquæue ſimilis includitur.Interdú
etiam,ut ait Celſus, in eiuſmodi tumore pili minutis oſsibus immiſti reperiútur.
Nata(ut ſcribit Guido)excreſcentia eſt magna, carnoſa, ueluti caro natium, uel Nata.
ancharum diuerſarum quidem formarum & magnitudinum: cuiuſmodi ſunt
melopepon & cucurbita.Itaqȝ diuerſa ſortitur nomina,pro formæ,& membri in
quo eſt,uarietate.Porrò tumor hic qui nata,uel napta recentiorum turbæ appel
latur, dolore caret, niſi fortè adeò magnus exiſtat, ut partes membri trahendo,
ſoluta continuitate,aliquem dolorem circunſtantibus inferat. Eſt autem & de Nata uel napta ad ſteatomata ſpectat.
numero abſceſſuú,& ad ſteatωmata (ut ſupra in enumeratione tumorum præter
naturam diximus)ferè ſpectat.

Bubo Galeno authore, laxarum partium, ſeu glandularum (quas Græci ade- Bubo.
nas uocant)eſt affectus: nempe ſimplex inflammatio. Quare, uel male hìc inter

abſceſſus pituitoſos à Guidone annumeratur, uel aliud eſſe putat quàm Gale-
nus. Porrò bubones, qui prolapſu, aut alijs ulceribus, aut doloribus contrahun-
tur, periculo uacant. At qui in febribus peſtilentialibus incidere conſueuerunt,
Fugille.
deterrimi ſunt, ſiue femora, ſiue alas, aut ceruicem inuaſerint. Fugille (inquit in
terpres Auicennæ) eſt de genere apoſtematum glanduloſorũ, & quaſi hoc nomi
ne (ait) appropriatur illud, quod fit poſt aurem. Ex qua deſcriptione nõ leuis eſt
coniectura, fugille Auicennæ, eum tumorem eſſe, qui Gręcis parotis dicitur, affe
ctus quidem glandularum ſub ipſis auribus. Quibuſdam autem idem eſſe puta-
tur fugille, quod bubo: uerùm tunc illis aliud erit bubo, quàm Galeno & Paulo:
nempe excreſcentia multùm (ut dicunt) infiltrata, & radicata, ut plurimùm ſine
cyſti, id eſt, folliculo, ſeu membrana eam inuoluente, dura in morem ſcrofularũ:
Bubo quid apud Guidonẽ & alios recentiores.
& in eo ſignificatu (ut puto) ſumitur bubo à Guidone, quando bubonem fugilli
num numerat inter abſceſſus pituitoſos. Cæterùm longè adhuc plura nomina pi
tuitoſorum huiuſmodi abſceſſuum reperiuntur. Verùm de nominibus ipſis non
magna cura habẽda eſt, modò id unũ de ijs cognoſcamus, & intelligamus, quòd
propter eiuſmodi nominum diuerſitatem, curationem & iudicium euariari con
Differentię abſceſſuum pituitoſorum.
tingit. Itaq; eiuſmodi abſceſſuum, ſeu excreſcentiarum phlegmaticarum, aliæ
quidem peculiari quadam membrana, ſeu tunica (quam cyſtin uocant) includũ-
tur, aliæ uerò in carne ſunt uaſis implexæ, & inſertæ. Quædam baſim, ſeu radicem
habent gracilem:. quædam uerò latiorem. Quædam item ſunt reſolubiles, quæ-
dam uerò minimè. Quædam magnæ, quędam paruæ. Aliquæ ad ſuppurationem
ſpectant, aliquæ non. Aliæ etiam ſunt ſquammoſæ, fiſtuloſæ, & canceroſæ: alię ue
rò nihil horum prorſus recipiunt: & ita de alijs.

De cauſis, ſignis, & iudicijs prædictorum abſceſſuum.

Cauſæ abſceſſuum quæ ad pituitam pertinent.
CAuſæ huiuſmodi abſceſſuum ſunt triplices. Nempe primitiuæ, ut caſus, per-
cuſsio, uitæ luxus, ſiue intemperantia, ac deprauata uiuendi ratio. Antece-
dentes, ut ſunt humores non naturales, præſertim pituitoſi, & uera œdemata,
quæ in abſceſſus degenerant. Et coniunctæ, quę ſunt uariæ ſubſtantiæ, & proprię
Materia pituitoſorum abſceſſuum.
cuiuſque abſceſſus materiæ, in parte affecta contentæ. Continentur autem in
huiuſmodi abſceſsibus, quandoque quidem humores, uel ſeroſi, cuiuſmodi eſt
urina, uel putridi & corrupti, uel cœnoſi, uel muſcoſi, ſeu (ut aiunt) mucilagino-
ſi, uel melli, pulti, aut adipi ſimiles. Quandoq; uerò carnes phlegmaticæ, & ſpon
gioſæ, atque glanduloſæ. Interdùm quoq; lapides, arenæ, oſtraca, ligna, carbo-
nes, & id genus alia ſolida corpora. Frequentiſsima autem ſunt (ut paulò antè di-
ximus) horum abſceſſuũ tria genera, quorum ſingula propriã appellationẽ Græ
14. Therap.
cè ſunt ſortita. Ea ſunt, atherωma, ſteatωma, & meliceris, à ſimilitudine contento
rum in his corporũ dicta. Eſt enim aliud eorum ueluti ſeuum, aut pingue quid-
SIGNA.
dam: aliud ueluti mel: aliud pulticulæ tenui, quã atharam uocant, ſimile. Signa
& iudicia eiuſmodi abſceſſuum, quæ ad pituitam pertinent, ex eorum deſcriptio
NOTAE abſceſſus uelamẽto incluſi.
nibus, & differentijs ſupra poſitis facilè deprehenduntur. Indicium autem quòd
uelamento includantur, hoc eſt, cyſti ſeu pellicula, quam & antiqui tunicam no-
IVDICIA abſceſſuum pituitoſorum.
minabant, eſt mobilitas, & cutis ſeparatio. Quando uerò fixæ ſunt, id eſt, eodem
in loco permanentes, & carni adhærentes, nulla eas inuolui membranula indici-
1.
um eſt. Porrò recẽtes, & tractabiles, diſcuti, ſeu reſolui poſſunt: duræ uerò, & iam
2.
inueteratæ, nequaquàm. Rubor autem, dolor, & caloris incrementum, oſtendũt
ipſos abſceſſus terminandos, uel per ſuppurationem, uel per fiſtulas, uel per can-
3.
crum. Numeroſæ ſtrumæ partes externas occupantes, & ſede ſubinde mutata,
huc atq; illuc per corpus uagantes, cum aduentitia quadam caliditate, planè te-
ſtantur, ac indicant, eaſdem germina eſſe, ac ſobolem chæradum internarum, ut
Arnaldus à uilla noua.
Arnaldus à uilla noua quodã in loco annotauit. Proinde quæ forinſecus illis ad-
Auicenna.
mouentur auxilia, parùm aut nihil proficiũt. Hæ autem, ut putauit Auicenna, ex

cafu

caſu,& offenſione,ſeu alliſione ita in noſtris corporibus multiplicantur. Condu
cũt uerò, uel magnoperè ſtrumoſis ipſis,medicamenta purgantia, potiones diu-
reticæ, atq; electuaria(ut uocant)reſiccantia:item ætatis mutatio in paruulis. Cę 4
terùm pueri ipſi propter uoracitatem,& gulæ intemperantiam,ac corporis rari- Quæ ętates na
tatem,ſtrumis frequentius corripiũtur. Senes uerò ob cauſas contrarias,rarius. turæ,& corpo ris conſtructi-
Ad hæc qui breui, atq; anguſta ſunt fronte,& compreſſa habent tempora, ac ma ones, ſtrumis magis ſiut ex-
xillas amplas, ſtrumis ſunt obnoxij. In talibus enim materia promptè deriuatur politæ.
ad collum,ut ex recentioribus chirurgis annotauit Henricus. Strumæ uerò præ- 5.
cipuè (ut Celſus ait) fatigare medicos ſolent, quoniam & febres mouent,nec un Celſus.
quam facilè matureſcũt: & ſiue ferro, ſiue medicamentis curentur, plerunq; ite- 6.
rum iuxta cicatrices ipſas reſurgũt, multoq; poſt, medicamento eſt opus. Qui- 7.
bus quoq; accedit, quòd longo ſpatio detinent. Inciſio eiuſmodi abſceſſuũ, iti-
dem & corroſio, magnoperè uerenda eſt, circa uentrem, collũ & commiſſuras,
propter propinquitatem uenarũ, arteriarum, & neruorũ, ac internæ etiam capa
citatis. In inciſione quoq; magnarũ glandularum, ſummoperè uitare oportet
uenam, quæ ad radicem earum ſita eſt, & illis alimoniam defert. Sæpe enim ma-
gnam hæmorrhagiam, id eſt, ſanguinis profuſionem, excitat: unde non medio-
cre tandem ſequitur periculũ. Strumæ inter ſe differũt, magnitudine, natura,lo- 8.
co,ortu, multitudine, & uaſorũ complicatione, ut ex Leonida annotauit Aeti-
us. Itaq; paruæ ſtrumæ maioribus facilius curantur,ſicut mites inflammatiis. Ma 9.
leficæ ſanari non poſsũt. Cùm enim omnes eiuſmodi ſtrumæ canceroſæ, ac uaſis Magnitudo. 10.
refertæ ſint, dũ curantur, erũpendi ſanguinis periculũ afferũt: præterquàm quòd Natura.
cùm plerũq; penitiores inueniantur, minimè abſcindi poſſunt. Vaſa enim nobi-
lia, uenas inquam iugulares,& arterias, quæ carωtides appellantur, malefica ſtru-
ma tanquàm radices habet.

Pro loci ratione, ſuperficiariæ quidẽ ſtrumæ profundis curatu faciliores ſunt, 11.
deinde quæ in collo eueniũt: ubi tamen uocales neruos diligenter uitari opor- Locus.
tet. Multi enim ſtrumas circa aſperam cannam incidendo, uocalibus neruis ſi-
mul exciſis, reliquo deinceps uitæ tempore ægrum ſine uoce reddiderũt. Nam
præter eius nerui exciſionem, uocalia inſtrumenta denudata, & inter curandum
refrigerata, uocis functionem uiolarunt. Pro multitudine ſtrumarum, conſtat 12.
unam pluribus facilius curari poſſe. Sicut, quantum ad ortus rationem attinet, Multitudo. 13.
longè citius ſaneſcũt ſuſpenſæ, quàm quæ inſertæ fuerint. Hæc de ſtrumis ex Leo Ortus.
nida, memoriæ prodidit Aetius.

Curatio abſceſſuum ex materia pituitam referente creatorum, quas excreſcentias phlegmaticas vocant.

CVratio eiuſmodi abſceſſuum, qui ex pituita ferè ortum habent, gemina eſt Duplex abſceſſuum pituitoſorum curandi ratio.
recentioribus chirurgis: Vniuerſalis ſcilicet, atq; omnibus ex æquo commu
nis: & particularis, hoc eſt, ſingulis differentijs propria. Itaque uniuerſalis curan
di ratio erit, talem, tamq; accommodam laboranti uitam inſtituere, ut materia, 1. Vniuerſalis.
quæ tales abſceſſus committit, in corpore minimè coaceruetur: & materiam, ut 2 Particularis.
uocant, antecedentem, & iam in ægroto corpore collectam, modis omnibus a-
uertere, ne tandem uniatur coniunctæ, hoc eſt, ei quæ iam morbum creat. Por- Vitę ratio qualis eſſe debeat in abſceſsibus pituitoſis.
rò priorem huius uniuerſalis curationis intentionem aſſequemur, ſi laborantes
eam uiuendi rationem diligenter obſeruent, quæ in præcedentibus capitibus
præſcripta eſt: hoc uno dempto, quòd paulò tenuiorem uictum, & qui inciden
dis humoribus craſsis magis ſit accommodus, amplecti debent. Proinde ſi A-
uicennæ conſilium ſequantur, cibos omnes pachychymos, id eſt, craſsioris ſuc-
ci uitabunt, frigidæ item potionem, nimiam ſatietatem, immoderatám ue reple

tionem, & quæ nauſeam pariat. Toleranda autem illis eſt, quàm maximè fieri poterit, inedia. Bona coctio in primis erit procuranda, uitanda habitatio humida, in uallibus ſita, palludoſa, & uitiatis aquis irrigata. Potus, ſit uinum aliquod generoſum, atq; optimum, uel aqua aluminoſa aut ſulphurata. Aquæ enim eiuſmodi minerales, præſertim quæ uini fęculam ſapore repræſentant, non ſolū internos hoſce ſtrumoſos ac pituitoſos abſceſſus, ſed externos quoq;, & ſumma corporis occupantes, imminuunt, ac diſcutiunt: ut Arnaldus affirmauit.

Aquæ aluminoſæ uis.

Vacuatio materiæ antecedentis.

Cęterùm alteram partem prioris proceſſus, nempe materiā antecedentem auertere, ne tandem addatur coniunctæ, quadruplici genere euacuationum aſſequimur, utpote medicamento per aluum pituitam expurgante, & quando q; uenæ ſectione. Item ijs, quę urinam cient, & demùm ijs, quæ collectum in alto corpore humorem, tum in halitum reſoluant, tum digerant.

Vacuantia per aluum.

Puluis turbith.

Ad uacuationem, quæ fit per aluum, laudatur, à ualdè multis puluis turbith, qui apud Auicennam recipit, turbith, zingiberis, & ſacchari ſingulorum pares portiones. Ex eo autem exhibet drachmas duas, aſſeritq;, quod præter hoc, quod reſoluit pituitam craſſam, nequaquàm calfacit, neque abradit inteſtina.

Razes.

Razes autem qui audacior fuit in purgantibus medicamentis exhibendis, huiuſmodi puluerem conficit, capite de doloribus uentris in nono ad Almanſorem, ex uiginti partibus turbith, decem zingiberis, & triginta ſacchari, offertq; ex eo uice una drachmas tres.

Hiera picra.

Benedicta quoq;, & hiera picra: item pillulæ agarico, & de hermodactylis maiores appellatæ, eiuſmodi affectibus magnoperè conueniunt.

Quæ urinam cieant.

Potio Guidonis à Cauliaco urinam ciens in abſceſsibus pituitoſis.

Ad ciendam urinam, uti conſueuerat Guido à Cauliaco ſequenti potione, quam ex ſcriptis multorum ſe decerpſiſſe ait. Concipit autem, ſcrofulariæ partes tres, phylipendulæ partes duas, pinpinellæ, ſeu bipinellæ, piloſellæ, tanaceti, caulium rubrorum, qui nonnullis braſsica marucina creduntur, rubiæ maioris, ſingulorum partem unam: radicis ariſtolochiæ, ſpathulæ fœtidæ, radicis raphani, ana partem dimidiam: conquaſſentur & decoquantur in uino albo & melle, uſq; ad conſumptioné medietatis, & fiat colatura, ex qua tertio quoq; die, hora matutina ſumat æger quadrantem, id eſt, uncias tres, & potio ſit tepida. Cæterùm pro omnibus his auxilijs, ſicuti & pro uenæ ſectione (ſi aliquando fieri debeat) cōſulendus erit peritus aliquis medicus, qui & qualitaté, & quantitatem, ac modum uſus eorum præſcribat.

Quæ per halitū digerant.

Ad reſoluendum autem per halitum & digerendum humorem, qui in alto corpore collectus eſt, & internas glandulas (quæ externarū ſunt cauſæ) excitat, Galen. lib. 14. Therap. conſulit theriacen, athanaſiam, ambroſiam, & medicamentum, quod ex Cretica calaminthe eſt compoſitum. Græci diacalaminthem uocant. Cuius cōpoſitio requirenda eſt ex lib. 4. de ſanit. tuend. Multa alia auxilia ad huiuſmodi affectus inſtituuntur: nempe potiones, electuaria, & etiam olea, quæ in aures inijciuntur. Empirica quoq; permulta, à ueteribus deſcripta, & celebrata ſunt, quorum uſus mihi non probatur. Proinde non duxi illa noſtris commentarijs eſſe inſerenda.

Galliarum reges diuino quodam munere ſtrumas curare.

Hoc unum tamen cōfidenter affirmo, Chriſtianiſsimo *FRANCORVM* regi, diuinitus peculiari dono eſſe indultum, ut quàm plurimos ſtrumoſos ſeu (ut uocant) ſcrofularios, ſolo manuum attactu, integræ ſanitati reſtituat. Rex etiā Edoardus (ut referunt hiſtoriæ) ſolebat diuinitus ſolo tactu ſanare ſtrumoſos. Quod immortale munus iure ueluti hæreditario ad reges poſteriores manauit. Nam reges Angliæ etiam nunc tactu, ac quibuſdam hymnis, non ſine cæremonijs prius recitatis, ſtrumoſos ſanant. Atque hæc quidem in omnibus ſuprà dictis abſceſsibus communia ſunt.

Quæ particularem pituitoſorum abſceſſuum curationem cuarient.

Quæ uerò ſequuntur, particularem, ac propriam cuiuſque differentiæ curandi rationem concernunt. Hanc autem curandi rationem propriam ac particularem, in hiſce abſceſsibus diuerſarum efficiunt, atque immutant, tum materiæ, ex qua ortum habent ſubſtantia: tum uerò eorum quantitas, uel minutula, uel quæ in molé ualde magnā excreuit. Ad hæc, partis ipſius laborantis, atq; etiam totius

corporis natura. Temporis autem duratio licet nõ indicet curationem: indicat *Tempus quid inſinuet.*
tamen nobis aliquando, atq; inſinuat, qualis ſit ipſa diſpoſitio, ut Galenus anno-
tauit lib. 4. de morbis curandis. Itaq; tametſi à prædictis multæ ſumi poſsint cu-
randi indicationes, ac intentiones: eas tamen quantũ ad rem præſentem attinet,
ad ſex reduximus, quas & ijs ſex ſequẽtibus ueluti canonibus expreſsimus. Quo 1.
rum primus ad hunc modum habet: Pituitoſos abſceſſus, molles, & paruos, quæ
lupiæ uulgò, & Arabicæ factionis principi Auicennæ, glandulæ appellantur, ſi in
particulis firmioribus cõſtiterint, & (quia nondum inueterauerunt) tenellam ad
huc cyſtim, id eſt, membranã qua includuntur, habuerint, comprimito, & atteri-
to, poſtea deſiccato. Secundus: Maiores nõ multùm duros, neq; inueteratos, mo 2.
re tumorum œdematoſorum (de quibus ſuprà egimus) emollito, diſcutito, con-
ſumito. Tertius: Pituitoſas eiuſmodi excreſcentias, ſanioſas, & apoſtematoſas, 3.
hoc eſt, quæ in ſuppurationem ſpectant, maturato, aperito, detergito. Quartus: 4.
Strumas, quæ ex prædictis auxilijs curationem non recipiunt, & mobiles ſunt,
blandæ, morigeræ, ac tractabiles, incidito, atq; extrahito. Quintus: Immobiles, 5.
inſertas, irretitasúe, ſeu (ut loquuntur) infiltratas, hoc eſt, uenis, & arterijs multũ
implicatas, ad radicem, & intus latas, corrodito, digeritoq;. Sextus: tenui, ac gra- 6.
cili radice innixas, deligato, ac euellito.

PRIMVS canon, iuxta Auicennæ ſententiam abſoluetur, ſi ubi molles, ac mi 1. *Compreſsio & attritio.*
nutos eiuſmodi abſceſſus, quos Auicenna glandulas, & recentiores lupias appel
lant, cõtriueris, ac uehementer compreſſeris, laminam plumbeam tumori æqua-
lem ſuperponas, & ne hinc inde labatur, arctis uinculis in medio cõſtringas. Hæc
enim (ut ille ait) huiuſmodi excreſcentias digerit. Primùm igitur lupia tamdiu *Lupię curatio*
manu molliter perfricetur, uſq; dum aliquantulum incaleſcat, & ſeipſa mollior
quodammodo fiat: poſteà, laborans particula firmiter manibus apprehẽdatur,
& fundo ſcutellæ, aut re aliqua ſolida lignea, toties, ac tam uehementer percutia
tur, ut diſpareat, & interior eius cyſtis, id eſt, membrana qua includitur, dilacere-
tur, diſrumpatúrue, atq; ita materia ibi cõtenta diſpergatur. Quo facto protinus
lamina plũbea ſuprà locũ applicetur, & faſcia duarũ extremitatũ, ſeu (ut dicunt) *Lamina plumbea.*
duorum capitũ, arctiſsimè deligetur, nec ammoueatur ante nouẽ, aut decẽ dies.
Lamina aũt, ea ſit magnitudine (ut modò dicebatur) quæ proportione reſponde
at lupiæ. Sunt tamen qui ante laminæ eiuſmodi plumbeæ applicationẽ, unguen- *Vnguentum Rogerii.*
tum admouent ex plumbo uſto, fuligine ſambuci, aut ficus arboris, oleo, & ace-
to. Alij prius utuntur emplaſtro cõpoſito ex aloe, acacia, myrrha, olybano, ſarco
colla, adiecto aceto, uel oui candido, quantũ ad alia excipienda ſatis eſſe uidebi-
tur. Henricus ſuperponere ſolebat paruas (ut ipſe, & alij eiuſdem farinæ chirurgi
loquuntur) plagellas, ex ſtupis confectas, oui candido liquore, ſale, & alumine
zuccharino inſpiſſato delibutas. Porrò Philagrius ratione non admodũ diſsimi-
li, apud Aëtiũ ganglia (qui nerui, ut ſuprà diximus, tumores ſunt inæquales) cura *Ganglij curatio ex Philagrio.*
re ſolebat: inquit enim ad hũc modũ: à ganglijs chirurgicũ opus [id eſt, ſectionẽ]
" arcemus, præſertim ſi in manibus, aut pedibus euenerint: ſed medicamentis tan-
" tùm curabimus. Ammoniacũ enim prope ignẽ, ad emplaſtri conſiſtentiã emolli
" tum illinimus: deinde laminam plumbeam tumori æqualem ſuperponimus, &
" ne hinc inde labatur, arctis uinculis in medio conſtringimus. Iam uerò diebus ali
" quot tranſactis, ubi prius ganglium emollitũ nouerimus: nihil ægro præfati ſta-
" tim ſublatis uinculis, dum adhuc locus incaleſcit, pollicem dextræ manus gan-
" glio infigimus, ac reliquis quatuor digitis membro innitentibus uehementiſsi-
" me comprimimus, & ganglium confeſtim diſſoluitur. Hactenus Philagrius. Itaq; *Lupiã & ganglion eundem eſſe affectum.*
ex hac curandi ratione facilè eſt colligere, recentiorum lupiam, Auicennæ glan-
dulam, & Græcorum ganglion, eundem omninò affectum eſſe: quod & præce-
dentes etiã eorũ deſcriptiones apertè ſatis oſtendũt. Archigenes in hoc uitio cal *Archigenes libro 4.*
cem, unà cũ adipe anſerino, & terebinthina reſina, apponi iuſsit. Idẽ uerò & medi

Oribaſij medicamentū mollitorum ad ganglia.

camine,quod lapidē achatem recipit,ſępius utebatur, ut refert Paulus. At Oribaſius,eo frequenter uſus eſt,quod recipit ceruſæ,reſinæ piceæ,olei ueteris ſingulorum unciā unam,ammoniaci thymiamatis,galbani,ſingulorum parem modū,ceræ uncias quatuor. Extat idem medicamentū apud Aëtiū,ſed in quibuſdam pondera euariant:habet enim ceruſæ,olei antiqui,& reſinæ piceæ, ſingulorū lib. unā, ceræ uncias duas,ammoniaci thymiamatis, chalbanæ [id eſt,galbani] ſingulorū unciam unam,ceruſam cum oleo decoquito, quouſq; inquinandi finem fecerit, deinde tritum ammoniacum,poſtea reſinam piceam,& cerā, poſtremò galbanū præmonitum conijcito. Porrò inſignis ille Græcæ familiæ medicus,Oribaſius in

Verticillum plumbeum.

quam,non laminā plumbeam,ut Philagrius,Auicēna,& recētiores chirurgi, ſed plumbeum orbiculum craſsiorem,ad inſtar ſpondylorū,id eſt,uerticillorū, quæ fuſis mulierum appenduntur. ganglio ipſo ampliorem imponebat, deligabatq;. Si quidem (inquit) pondere ſuo longiori temporis ſpatio,ipſum diſſoluit. Itaq; ſatius eſt multò eiuſmodi emollientibus, & diſcutientibus medicamentis uti in ganglijs,ſeu (ut communiter loquuntur) lupijs curandis, quàm chirurgico opere,id eſt,excisione præſertim cum in cruribus,aut brachijs, aut ſummis partibus oriuntur. Periculum enim eſt, ſi ea excindantur,ne particula mutila reddatur. At quæ caput,aut frontem occupant,manu tutò curari poſſunt,hoc eſt pręcidi aut

Gangliorum per chirurgiā curatio.

euelli. Ergo ſummam cutem ſcalpello diuidito, deinde ſi parua ſunt, uolſcella comprehenſa ex baſi,hoc eſt,à radice excindito: ſi maiora,hamis transfixa,& ſublata, circumcirca diducito,excoriatoq;,& extrahito: poſtremò ſuturis oras coniungito,medicamentoq; utitor, quod cruentis uulneribus adaptatur. Sed hæc ad quartum canonem pertinent.

2. Diſcuſsio per digerentia medicamenta.

SECVNDVS canon completur (ut interim taceam medicamenta pituitoſis, hoc eſt,œdematoſis tumoribus,dicata,quæ ſuprà poſuimus ad hos etiam,de quibus nūc agimus,abſceſſus,& herniarum omne genus,apprimè, unà cum ſequentibus remedijs utilia) admotione cuiuſdam emplaſtri, quod à Galeno deſcriptū eſt lib. ſexto de compoſitione medicamentorum *κατὰ γένη*: hoc enim ut ipſe teſtatur,per halitum digerit,& phlegmonas propulſat,ualet ad ſtrumas,panos,parotidas. Confert etiā podagricis,& multis alijs uitijs benefacit. Recipit aūt olei ue- »

Gal. hanc cōpoſitionē acceptam refert Heræ.

teris denariûm pondo centū,argenti ſpumæ denariûm pondo quinquaginta,pi- »
cis ſiccæ denariûm pondo quinquaginta, ladani denariûm pondo uiginti quin- »
que,æruginis raſæ denariûm pondo octo,galbani denariûm pondo quatuor. Ar »
genti ſpuma (quod lithagyrum uocant) ex oleo trita coquitur. Cùm autem coë- »
unt, id eſt,inſpiſſata ſunt, pix & ærugo immittuntur: deinde ladanum,galbanūq; »
atq; ſic in mortarium transfuſa ſubiguntur,& molliuntur, atq; uſui reſeruantur. »
Quidam, ut boni coloris ſit,& fuſcum, miſcent etiam ſquammæ denariûm pon »
do octo: nam alioqui fit nigerrimum. Aliter inuenitur deſcriptum in Guidonis »
commentarijs: nempe ſub hac forma. Recipit olei antiqui unc. 12. uiridis æris, ſiue ęruginis,drach. 14. picis ſiccæ unc. 6. ladani unc. 3. lithargyri unc. 12. galbani uncias 3.

Diachylon.

Ad idęm bene facit diachylon cōmune, & ireatum nominatum, quorū formulæ & cōpoſitiones in antidotario infra deſcribentur. In diachyli autem ire

Razes.

ati libra una malaxanda eſt uncia 1. pulueris radicis ireos. Idem efficit diachylon magnum Meſues,cuius deſcriptio etiam infra habetur. Sunt qui conſulant, ad di

Stercus caprillum uetus.

gerendos eiuſmodi abſceſſus antiquum ſtercus caprillum, cum melle & aceto ſupra ignem in unitatem ad formā emplaſtri redactum, dolenti loco eſſe admouendum. Item emplaſtrū ex fœnogræco: ſemine lini & braſsicæ,cum uiſcillagine radicis althęæ confectū. Hoc etiā ſi ſuppurationis ſpes affuerit, pulchrè maturat.

Haly Abb. emplaſtrum.

Haly Abbas quoq; ſubſequens emplaſtrum ad eundem uſum plurimùm cōmendat. Recipit farinæ fabarum,& hordei,ana drach. 10. radicis glycyrrhizæ, radicis althææ & picis ſingulorū drach. 5. ceræ albæ,adipis anſerini,cuiuſq; drach. 10. terantur, & in unum redigantur ex oleo ueteri, & urina pueri nondum uenerem

experti

experti,& ſupra moderatum ignem fiat emplaſtrum. Aliud Auicennæ,quo Gui-
do utitur.Recipit ſtercoris bubuli unc.2.radicis caulium,id eſt, braſsicæ,radicis
capparũ,ſquillæ,ficuum pinguiũ,ſingulorum ſemunciã,lupinorum, bdellij, ana
drach.2.aceti,mellis,axungiæ ſuillæ,fecis olei antiqui,ana,quod ſatis eſt, fiat em-
plaſtrũ. In omnibus duris tumoribus Brunus hoc ſequens remedium approba-
uit,cuius ſententiã ſecutus eſt & Theodoricus.Sume ammoniaci,bdellij, galba-
ni,ſingulorum partes æquales:macerentur triduo in aceto: quibus diſſolutis, &
igni iam appoſitis,addatur furfuris ſubtilis, quantum ſatis eſſe uidebitur, & fiat
emplaſtrum. Rogerius hoc auxilio utebatur ad ſtrumas, quas uulgò ſcrofulas
appellant.Accipe radicis filicis,aſphodeli,& ſi uis ebulorũ, ana quantum lubet,
coquantur in uino optimo, & tundantur in mortario, addendo ſulphuris uiui
momentum,& fiat emplaſtrũ. Qui Guidoni contigit præceptor in Monte Peſſu
lano,efficacisſimum ſæpe expertus eſt emplaſtrum,quod cõſtabat ex duodecim
cochleis(quos & limaces uocãt)uino incoctis,aut lixiuio cinerum,dictorũ uul-
gò clauelatorum,aut ex capitello,ut dicunt.Imò (quod ualentius erat) quotidie
cochleam unam uel ſiccã,uel aliter præparatam,& (ut loquuntur) confectam,ip
ſis laborantibus per os ſumendam offerebat. Probè etiam ſtrumas diſcutit Pau-
lo,calx uiua,id eſt,aqua non extincta,melle, uel gymnaſiorum ſordibus, ſeu bal-
neorum ſtrigmento excepta,uel oleo,uel adipe ſuillo.Idem pręſtat Aetio ſola pa
leſtræ ſordes à parietibus deraſa,& probè ſubacta, ſuper linteolo extenſa,& em-
plaſtri modo applicata.Ad id etiam efficaciter auxiliatur, calcis, nitriq; par mo-
dus,cardamomi,& fœnugræci quadruplus cum melle,malagmatis modo impo
ſitus.Strumas quoq; diſcutit, lupinorum amarorum farina ex oxymelite cocta,
& illita.Ad idem præclarè facit bubulum ſtercus aceto incoctum, & delinitum:
id enim tumores ſcirrhoſos omnes inſtar cataplaſmatis oppoſitum,mirificè diſ-
ſipat.Groſsi etiam præcipuè caprifici cum axungia appoſiti, omnem tumorẽ di-
ſcutiunt.Hac igitur curandi ratione ſtrumis inchoantibus,& nondũ inueteratis
medeberis:tum in pueris,tum in his,qui manuũ opus refugiunt,medicamẽtis ſci
licet diſſoluentibus ac perhalitum diſcutientibus. Verùm primò mollire,deinde
diſcutere oportet,uel utrunq; ſimul,medicamentis miſtam facultatem habenti-
bus,efficere.Eius autẽ generis ferè ſunt auxilia omnia ſuperius deſcripta. Porrò
ſi digerẽtia medicamina,nihil in eiuſmodi abſceſsibus profecerint,uel ad ſuppu-
rationem ducendi erunt,uel exedendi,uel manu curandi, ut in ſequentibus dice
tur.Cæterùm ſilentio præteriri nõ debet, quòd à quibuſdã memoriæ proditum
eſt,nempe ſtrumis laborantes,ſicuti & elephantiaſi,uiperarum, ac ſerpentum u-
ſu mirificè adiuuari.Item ſi laſerem ad ciceris quantitatem ſingulis diebus ieiuni
potauerint. Ergo ſerpentem extinctum in ollam conijcito, eamq; gypſo probè
oblitam,ac circummunitam in fornacem mittito,concremati cinerẽ æquali fœ-
nugræci pondere miſceto, & melle excepto utitor. Hoc enim ſtrumoſis eximiè
ſubuenit.Aluum etiã facilem reddi, tenuemq; uictum adhiberi oportet ſtrumis
laborantibus,uomitumq; aſsidue prouocare,& per os pituitam ducere,caputq;
deſiccare, ac cataplaſmata ſyncipiti applicare, quæ mediocres poſtulas in cute
excitare poſsint,ueluti capparis radix cum polenta,ac reliqua huiuſmodi,ſmeg-
matisq; eiuſdem facultatis,& puluiſculis uti.

Emplaſtrum Auicennæ.

Bruni & Theodorici emplaſtrum ad ſtrumas.

Rogerij emplaſtrum.

Emplaſtrum præceptoris Guidonis ex limacibus.

Viperarum ac ſerpentum uſus,mire ſtrumoſos iuuat.

TERTII canonis intentionem communiter etiam aſſequimur, uſu auxilio-
rum præcedentium.Omnia enim mollientia,& reſoluentia, ſi locum aut materi
am inueniant reſolutioni contumacem,ac repugnantem, materiam ipſam haud
dubiè maturant,& ad ſuppurationem perducunt:præſertim ſi mitis, ac benigna
ſatis fuerit,aut ſanguini permiſta.Haly Abbas autẽ ad maturãdos huiuſmodi ab
ſceſſus,admouet emplaſtrum compoſitum ex farina hordei, pice, & olibano,ex
pueri impuberis urina,in unum corpus redactis.Auicen.uerò ad infrenandã ca-
liditatis uehementiam, conſuluit decoctum coriandri præfatæ farinæ eſſe remi-

3. Tertij canonis declaratio.

Suppurantia ſeu maturantia.

ſcendum.Quòd ſi parùm hæc proficiunt,& fortius, atq; efficacius medicamentum deſyderes:accipe myrrhæ partem unam,licij partes duas,& miſce cum prædicto decocto.Strumas ad ſuppurationem perducit, aut diffundit ſubſcriptum medicamentũ,à Paulo Aegineta lib.4.relatum.Myrrhæ drach. decem,ammoniaci,thymiamatis drach.ſeptẽ,uiſci quercini drachmæ octo,galbani drachmę quatuor,propolis drachma,in pila cõtunduntur.Cæterùm ipſis iam maturatis,& ad ſuppurationem perductis(quod ex notis ipſius puris facilè deprehendes) aperiri debebunt,& detergi.Deterſio autem optimè fiet admoto unguento Apoſtolorum uulgò nuncupato,quod ad Chriſtianos (ut putant) relatum eſt. Hoc enim magnæ eſt efficaciæ in ſtrumis malignis,& ulceratis. Ad idem multum efficacia ſunt, unguentum Aegyptiacum Raſis,emplaſtrũ de ſuccis, diachylon nominãt, & diapalma, quod Grecis φοινίκινον appellatur,quorum deſcriptiones ex antidotario ſunt requirendæ.Quòd ſi huiuſmodi abſceſſus locum aliquem occupauerint,in quo caries,& quędam corruptela oſsium ſubſit,aut prauum aliquod ſymptωma illis acceſſerit,ea ulcerum curandi ratione tractentur, cum quibus affinitatem,& commercium habent.

Pauli medicamentũ ad ſtrumas maturandas.

Detergentia. Vnguentũ Apoſtolorum.

Vnguentũ Aegyptiacum. Diachylon. Diapalma.

4 Modus incidẽdi,& euellendi ſtrumas ex Albucaſi & Leonida.

QVOD ad quartum canonem attinet,blandas,morigeras,ſuperficiarias,&ſanabiles ſtrumas,manuum artificio,& chirurgico conatu,ita optimè,ac breuiſsimè tractabis. Aegrũ in primis proſtratũ,recumbere iubeto:ſedẽs enim,animi deliquio facillimè corriperetur. Vbi laborãs ſic decubuerit cruribus inter ſe inuicẽ & ad lecti fulcra innixis,caput à miniſtris firmiter detineri imperato. Deinde cutim tumori adiacentẽ,recta,uel ſubobliqua ſectione incidito.Quę enim in collo per tranſuerſum fit ſectio, prorſus inutilis eſt.In eo ſiquidẽ uaſa,& nerui recta porrigũtur.Cæterũ nõ affatim,neq; unico impetu,totã cutis craſsitudinẽ ſecabis: nihil enim uiolẽter in hoc opere fieri uolumus. Atq; in paruis quidẽ tumorib. hoc eſt,ſtrumis minutioribus,ſimplicẽ ſectionẽ facito,hoc eſt, ſimplici linea cutẽ diuidito:in maioribus uerò,cutim ad myrtei folij figuram abſcindito: tum uaſa, id eſt,uenas,& arterias,paulatim,& blãdè denudata ſeponito. Poſt hæc uerò ſectionis labra,ſeu oras cutis inciſæ,uulſellis,ſeu hamulis diſtendito,ac dilatato,ac mẽbranas digitis,& ſcalpri capulo,uel ſpathula excoriato, ſtrumãq;, ubi nudata & explicata membranis apparebit,paulatim eximito.Cęterùm ſi ſtruma inſerta,ſeu uaſis implexa fuerit,ſumma attentione opus tractandum eſt, ne per incuriam copioſa ſanguinis profuſio ſequatur.Propterea in agendo, unum duntaxat ſectionis labiũ uulſella protrahatur,& ita ſenſum à connexis corporibus ſcalpelli acie ſeparetur:Cumq; ab uno latere cõnexio diuulſa, ac ſoluta fuerit, in altero idem penitus repetatur:deinde tota baſis propter neruos, & ſubiecta uaſa excidatur. In ſtrumis uerò,quæ circa alas & inguina contingunt, ob cũtis reduplicationẽ, ſectio tranſuerſa ducitur.Porrò in ſectione quæ fit in ſtrumis collum occupantibus,ſumma cura adhibenda eſt,ne uel arteriæ,quas carotidas uocant, uel recurrentes nerui attingãtur uiolẽturq;. Si aũt uaſe aliquo inter ſecandũ diuiſo,ſanguinis profuſio tuũ opus remoretur, ac obturbet, uas ipſum funiculo excipito, uel niſi magnũ admodùm fuerit,penitus(ut Paulus conſulit)abſcindito,uel prę ſidia ſiſtendo ſanguini(ſi nõ magno impetu prorumpat)dicata,applicato. Deinde ad inceptum opus reuertitor.Itaq; ubi in arctum ſtrumæ baſis uenerit, dextrè ac perite ipſam præcidito,immiſſoq; indice, locum pertractato, ac diligenter ſcrutator,nũ & aliæ ſint ſtrumæ adiectæ,quas & eodẽ,quo ſupra diximus,modò,ſi quæ inuentæ fuerint,extrahito. Porrò modicũ ſanguinis fluorẽ facilè compeſces, admotis ijs,quæ facultatem habent exſiccandi,ut ſtupis,ſpongia,aut linamentis ex xylo,id eſt,cotone factis in aquã frigidã,uel acetũ, aut in miſcellã ex utroq; (quã oxyceraton uocant) infuſis, & poſtea expreſsis. Sin ſectio incruenta perſtiterit, thuris polline eam repleto,linamentaq; imponito, ac pro linamentorum cuſtodia,lanam uino madentem alligato. Quòd ſi uena aliqua amplior,& effatu digna

cum

Si uena ſtrumæ ſit annexa quid faciendũ

cum radice,ſeu fundo glandulæ,uel ſtrumæ,aut conſimilis excreſcentiæ pituitoſæ, connexa ſit,non ex baſi ipſam excindere,ſed funiculo excipere, ac conſtringere conuenit,quò particulatim citra periculum ſua ſponte excidat. Quo in caſu per linamenta poſtmodùm curatio adhibenda erit. Eſto autem uinculum ex materia aliqua non facilè putreſcibili,cuiuſmodi ſunt fila,quę ſerica nuncupantur, aut graciles chordæ teſtudinum,aut aliorum inſtrumentorum muſicorum.Quę enim facilè putreſcunt,ea citò ab ijs quæ exceperunt,decidunt. Cæterùm ſi peracto opere,aliquid ex folliculo,ſeu membrana materiam prædictorum abſceſſuũ obuoluente,uel aliud extraneũ quippiam remanſerit,iubet Albucaſis illud aſſumendũ eſſe,implendo uulnus primis diebus xylo,id eſt,cotone, uel alio conſimili, aqua ſalſa imbuto. Guido autem ut reliquias illas aſſumeret, hiantem ſinum implebat,primùm quidem oui candido, alumine reſperſo, & inſpiſſato. Poſtea uerò unguento Aegyptiaco, uel aliquo ex erodentibus, quæ in antidotario deſcribentur. Porrò in omnibus huiuſmodi operationibus apponenda ſunt, quæ dolorem leniunt. Inter cætera autem communiter admouent ſtupas oui cãdido liquore,& roſaceo imbutas.

Albucaſis.

9.

Corroſio & mundificatio.

QVINTI canonis ſcopum ita aſſequeris:cutim cauſtico,id eſt,urente aliquo medicamine pro ratione magnitudinis excreſcentiæ abrumpito. Verùm dum id moliris, ſumma cura obſeruandum eſt, ne partes alias circumiacentes medicamen adurens attingat. Perbellè autem opus hoc abſolues, admoto cauſtico ex calce, aut ſapone. Hæc enim effectum ſuum intra duodecim horarum ſpatium feliciter adimplent. Quòd ſi diutius permanſerint,nihil inde tamen periculi aut incommodi ſequetur. Itaque cauſtico iam abrupta cute, & inducta eo in loco eſchara, id eſt,cruſta,per medium ipſius cruſtæ, abſceſſum recta linea in longum diuidito(incìdes autem uerſus profundum, ferè ad uiuum uſq;) & in ſectionem, ſeu hians uulnus, linamentum,aliquo exedente medicamento (cuius generis eſt puluis aſphodelorum) reſperſum, imponito. Porrò tametſi pleriq; ualde multa admoueant, quæ poſtea in antidotario recenſebuntur: arſenicum tamen in hac re primatum obtinet, modò quis nouerit eo rectè uti: uſus autem ipſius certus modus deſcribi non poteſt,ut lib.3.Therap.Galenus annotauit.Proinde non temerè eo utendum eſt. Quandoquidem medicamentum eſt ſupra modum uehemens, ac uiolentum, febres excitans,& multa alia praua ſymptωmata inducens. Adde quòd minima etiam quantitate adhibitum,mirum, & ferè incredibilem effectum præſtat. Communis tamen eius modus, ſeu quantitas eſt, medietas grani unius frumenti triticei, in corpore quidem robuſto, & particulis à principibus membris longè ſemotis:in debilibus uerò naturis,& locis iuxta principes partes ſitis, minor quantitas admouenda erit. Vt autem in uniuerſum pronuncietur, melius ac tutius eſt,parùm & ſæpius ex eo offerre, quàm ſemel, & uice una quantitatem immodicam. Eius autem operatio, ſeu effectus durat,tres dies integros. Quare toto eo tempore,laborans uictum febricitantium ſeruare debet. Membrum uerò affectum,& partes circumiacentes,ad tutelam ſui,& fluxionem(quá immoderatus calor excitare poſſet) prohibendam unguento quod populeon appellatur, aqua quoq; uel ſucco ſolani,&aceto,alijsq; id genus refrigerantibus illini,ac perfundi debent.Quando autem certò tibi conſtabit,glandulã iam corruptam eſſe, atq; aſſumptam (quod ex duritie & tumore cruſtæ inductæ deprehendes) tunc cruſta à uiuo reſoluenda erit, admoto ſcilicet butyro loto,& momento farinæ triticeæ inſpiſſato, uel aliquo alio pingui, & unctuoſo non ſalito, ut axungia ſuilla:ubi uerò cruſta exciderit, ſi quicquam adhuc ex glãdula,lupia, aut ſtruma remanſerit, id aſſumendum erit erodente medicamento, ut puluere aſphodelorum,aut unguento Aegyptiaco.At ſi nihil amplius ſuperſit,more aliorum ulcerum ad cicatricem perducetur.

Cauſticum ex calce & ſapone.

Arſenicum.

Quantitas arſenici.

Quando cruſta a uiuo reſoluenda.

6. Ligatura & euulſio.

VT SEXTI canonis ſcopũ aſſequaris, uinculo ſerico, aut crinib. equinis deligandi ſunt, huiuſmodi abſceſſus, qui baſes, ſeu radices habent in anguſtum uenientes, atq; indies magis ac magis prioribus uinculis, aut nouis adhibitis, ſtringendi, donec ſcilicet reſiccati appareant, & ſponte ſua (ut de inſertis, ac maioribus uaſis implexis diximus) excidant. Adiuuandum autem erit uinculum aliquo exedente medicamento & deſiccante. Demulcendus quoq; erit dolor oui candido liquore, roſaceo, unguento populeo, aut quouis alio doloris mitigatorio. Vbi autem ſponte deciderint funiculi, modo quem ſuprà explicuimus, perſanentur. Atq; hæc in uniuerſum de abſceſsibus toto genere prçter naturam conſiſtentibus, à pituita præſertim ortum ducentibus, dicta ſufficiant. Poſt quæ, non ab re factum putauimus, ſi propriam, ac peculiarem meliceridum, ſteatωmatum, ac atherωmatum curandi rationem ſubiecerimus: hæc enim & frequentiſsimè noſtris corporibus incidunt, & alias quaſdam ſub ſe tumorum præter naturam ſpecies, ſeu differentias, nouis quibuſdam, atq; apud ueteres prorſus inauditis nominibus, à neotericis appellatas, complectuntur, ut talpam, teſtudinem, natam, & id genus alia, quæ in præcedentibus à nobis explicata ſunt.

De curatione atherωmatis, ſteatωmatis, & meliceridis.

Quot, & quibus modis curentur prædicti abſceſſus.

IN ijſce tribus abſceſſuum generibus, quæ frequentiſsimè incidunt, ſteatωmate inquam, atherωmate, & meliceride, unum commune curationis conſilium eſt, ut quod tunica illa, quam cyſtim appellant, continet, diſcutiatur, aut medicamẽtis totum unà cum tunica ipſa exedatur, aut ſectione auferatur. Quidam autem ex ijs tumoribus triplici hac ratione curantur, ij nimirum qui liquidiorem humorem cõtinent, qualis eſt meliceris: aliqui duplici tantum, ut atherωma, quod & ſectione tollitur, & medicamentis exeditur. Steatωma uerò nec diſcuti nec exedi poteſt, ſed ſola manus opera, hoc eſt, ſectione dũtaxat, curatur. Porrò medicamentorũ, quæ diſcutiendi, ac diſsipãdi uim habent in huiuſmodi affectibus, materiã, inter hæc, quæ de ſtrumis ſupra edocuimus, reperies. Priuatim uerò ac propriè meliceridas diſsipat Paulus, quod cõtinet uuas paſſas exemptis acinis uiginti, ſquãmæ drachmas quatuor, parte fomẽtis prius nutrita imponitur. Aliud emplaſtrum ad meliceridas, quod ad Leonidã retulit Aëtius: accipit paſſularũ detractis uinaceis: libram unam, cumini minutiſsimè triti, uncias ſex, nitri uncias tres, omnia ſimul in mortario ſubacta conficito, & alligato. Aliud eiuſdem diſcuſſorium ad meliceridas: cõcipit ſalis ammoniaci, ſpumæ argenti, ceruſæ, ſingulorum lib. I. ceræ, terebinthinæ, chalbanæ, opopanacis, ſingulorum unciam unam: rubricæ ſinopicæ uncias ſex, aceti heminam [hoc eſt, uncias ſeptem & ſemiſſem] ſpumam argenti, ceruſam, & ſal ad exactum leuorem tritum, ſimul decoquito, deinde rubricam prius ex aceto tritam inijcito, & cum uniuerſis liquabilia, poſtremò omnibus ſimul confectis, & refrigeratis, opopanacem & chalbanũ aceto ſoluta admiſceto, & utere. Cæterùm ſi medicamentis exedentibus, quæ Græci ſeptica uocant, humorem in eiuſmodi abſceſsibus aſſumere uolueris, eos ſicuti etiam, & ſtrumas, medicamentis adurentibus cute ſuperpoſita prius denudare expedit: è quorum numero (inquit Paulus) ſimplicius quidem eſt, quod conſtat calce uiua id eſt, aqua non extincta, ſapone, & cinere lixiuij ſtillatitio. Aliud uarium magis, quodq; reconditum diu ſeruari poteſt: capit calcis uiuæ drac. quatuor, ſphecles, id eſt, feculæ uini combuſtæ, nitri liquidi toſti, ſingulorum drachmas duas, minij ſeu rubricæ ſinopicæ drach. unam cinere lixiuij ſtillatitio teruntur: ubi ad mellis liquidioris craſsitudinẽ reducta fuerint, ter feruefacito, ut mediocrẽ cõſiſtentiã habeat, & pixide plũbea reponito, lixiuiũ ſuper diſtillãs, ne cito nimis exareſcat. Ergo circunfuſam cutem eiuſmodi medicamentis cruſtã inducentibus, primùm

Curatio per digerentia. Libro 4.

Libro 15.

Curatio per exedentia.

Lib. quarto.

Medicamentũ ualde exedẽs abſq; morſu.

abrumpito

abrumpito: poſtquàm uerò cruſta deciderit, exedentia adhibeto. Erodit autem ualidè citra uellicationem, & morſum, quod habet ſquammæ æris drachmas quatuor, ſandarachæ [id eſt, arſenici rubri] drachmas duas, hellebori nigri tantundem cum roſaceo utitor. Aliud ad idem ualde efficax: erynaceorum combuſtorum, teſtæ ſepiæ, auripigmenti, ſingulorum æquale pondus, roſaceo miſcentur. Sed quæ adiacent, atq; in ambitu ſunt partes omnes, prius ceruſa cum oleo delinito. Verùm enimuerò ſi tales abſceſſus chirurgico conatu, hoc eſt, ſectione curare uoluerimus, in ea quidem curandi ratione, ſiue pultaceus, ſiue melleus, ſiue adipoſus, ſiue cuiuſdam alterius ſubſtantiæ humor, in eis contentus fuerit: una nobis intentio perpetua eſt, ut ſcilicet tunicam, qua humor concluditur, auferamus. Sed dum hoc molimur, impenſo ſtudio cauendum eſt, ut de ſtrumis ſuprà diximus, ne temerè membrana uulneretur, aut dilaceretur, unde humor, qui in ea continebatur effuſus, operationem impediat, & portio ipſius relinquatur. Si enim diſſecta tunica, ac humore profuſo, tumor ſubſederit, difficulter admodum tunica excoriari curariq; poterit. Si uerò humoris aliquid relictum ſit, periculum eſt, ne morbus reuiuiſcat, & renaſcatur, quemadmodum & ſtruma, cum portio ipſius relicta eſt. Quod ſi tale quid incidit, melius eſt, non conſuere, & exedentibus medicamentis ſuprà poſitis, aut conſimilibus reliquias aſſumere. Cæterùm ſi ſteatoma latiore ſit apice, baſi uerò anguſtiſsima tenuiſsimaq;, omiſsis reliquis alijs ſuperuacaneis auxilijs, totum à radice ipſa amputandum eſt. Ita enim (inquit Aetius) chirurgicum opus expeditiſsimum erit, & ulcus paruiſsimum, planumq; reddetur, & curatio breuiſsimè abſoluetur.

Curatio per chirurgiam.

Lib. 15.

De ſcirrhoſis tumoribus, ex atra bile creatis. Cap. XIIII.

DIXIMVS de tumoribus ex ſanguine, flaua bile, & pituita excitatis, de uerrucis quoq;, & ijs, quos ſeroſus humor, aut flatulentus ſpiritus procreauit: adhæc, de abſceſsibus qui ex pituitoſa ſubſtantia maximè ortum habent, atq; alijs toto genere præter naturam conſiſtentibus. Proinde reliquum eſt, ut de ijs tumoribus agamus, quibus atra bilis, ſeu melancholicus ſuccus generationis materiam præſtat, cuiuſmodi ſunt ſcirrhoſi, id eſt, indurati tumores, & canceroſi, quos cancros apoſtemoſos uocant. Itaq; ſcirrhi ſicuti & phlegmones, eryſipelatis, & œdematis, gemina eſt recentioribus chirurgis differentia, uno ſcirrhi nomine comprehenſa, nempe ſcirrhus uerus ſeu legitimus, & non uerus atq; illegitimus. Porrò uerus ſcirrhus ſeu legitimus illis appellatur, qui ex melancholia naturali procreatur. Eſt aũt melancholia naturalis, boni ſanguinis fex, ac ueluti limoſa quædam ſuperfluitas, hoc eſt, craſsior quidẽ ſanguis, cuius color niger eſt, ſapor uerò acerbus, uel acidus, ut uomentibus eum non rarò innoteſcit: in maſſa quidẽ ſanguinaria (in qua humores uniuerſi continentur) exiſtens, alendis partibus melancholicis à natura factus. Scirrhus uerò non legitimus, iuxta neotericorum placita, is eſt, qui ex melancholia non naturali procreatur. Eſt aũt melancholia non naturalis, quæ à modò deſcripta naturali degenerat, intra tamen limites ſuæ latitudinis permanens: quos ſi prætergrediatur, non iam amplius (inquiunt) melancholia, ſed alius humor dicetur. Verùm melancholia, ſi in uniuerſum definiatur, humor eſt frigidus, & ſiccus, ex craſsiore (ut ait Guido) ipſius chyli portione progenitus. Cæterùm non naturalis melancholiæ quatuor differentiæ communiter ſtatuuntur. Prima eſt, quando humor ipſe melancholicus, qui naturalis dictus eſt, & quotidie gignitur in corpore dum animal ſanitate fruitur, in propria ſua eſſentia torretur, aduritũr ue, & putreſcit, fitq; bilis atra exquiſitè. Talis enim (ut ait Galenus) ex humore atro ſupra modum aduſto conflatur, habetq; ſplendidum aliquid, ueluti bitumen, & pix. Hæc autem (uerè inquam atq; exquiſitè atra bilis nominata) acida eſt

Scirrhus duplex.

Scirrhus legitimus.

Melancholia naturalis.

Scirrhus illegitimus.

Melancholia no naturalis.

Nõ naturalis melãcholiæ 4 differentiæ.

1 Bilis atra exquiſite. Ex immodice aſſato ſanguine melancholico ſit bilẽ exquiſite nigra. Lib. 14. ther. & lib. de atra bile. Gal. com. 22. Lib. 4. Aph.

& in terram effuſa uelut acetum feruet, & ipſam fermenti ritu eleuat, tum omni animanti iniucunda, adeò, ut ne mures quidem ipſi, aut muſcæ eam guſtauerint: non magis quidem, quàm copioſum ſalem, in quo nullum animans uitam peragit, ut mare quod mortuum appellatur, indicat. Porrò tum gignitur huiuſmodi nigra bilis, cùm ille ueluti ſanguinis limus (quam melancholiam naturalem diximus) diutius moratur in corpore, & neq; per aliquem ſenſibilem effluxum, neq; occultum excernitur: uerùm tranſmutatur, corrumpitur, & putreſcit. Siquidem

Lib. 14. Ther.

(inquit Galenus) hic humor ubi amplius incaluerit, aut propter putredinem, aut febrem inflammantem, nigram efficit bilem. Quæ quidem frigida eſt, quia terreſtris, ſed tamē caloris, non expers, quemadmodum & cinis, & acetum, apparetq; dum per aluū (ut contingit aliquādo dyſentericis) excernitur, ſplendidior, ac nigrior ipſo ſanguine craſsiore, & nigriore, quem humorem melancholicum appellamus. Splendet enim ueluti mortui maris bitumen, quod Iudaicum uocant.

2. Bilis atra ex aduſtione aliorum humorum.

Secunda ſpecies, ſeu differentia bilis atræ non naturalis eſt, quæ ex aduſtione aliorum humorum naſcitur, ut illa quæ fit ex flaua bile uehementer uſta. Quæ etiā num tantæ eſt malitiæ, ut & terram radat, & eam, more bilis exquiſitè atræ, in altū attollat. Sed & muſcæ ipſam, non ſecus, quàm uerè nigram bilem, refugiunt. Si ſanguis quoq;, aut pituita in corpore uehementer incaluerint, & exurantur, efficitur etiam melancholicus humor, non naturalis per aduſtionem dictus, ut uoluit Auicenna. Verùm duæ iſtæ poſtremæ ſpecies (quæ ſcilicet per ſanguinis, aut

Com. 29. lib. 3 Prædictionū Hippocratis.

pituitæ aſſationem fiunt) Auicennæ mitiores ſunt. Scribit autem Galenus illam bilis atræ ſpeciem, quæ ex flaua bile uehementer aſſata generatur, deteriorem eſſe, quàm ea, quæ ex craſsiore ſanguine generationem habet: qui ſubſidenti in dolio uini feculæ, aut amurcæ, hoc eſt, fæci olei proportione reſpondet. Hæc enim mitior eſt, ſed potiſsimùm, quoties nondùm traxit in animali morā, cum aliquo calore abundanti præter naturam. Verùm priuſquàm in exactam atram bilem tranſmutetur, primò in uitellinam, ſecundò in porraceam, tertiò in æruginoſam

3. Bilis atra per congelationē (ut uocant) & indurationem.

tranſit. Tertia ſpecies melancholiæ non naturalis eſt, quæ originem ſortitur à lapidoſa quadam concretione, ut cùm ab imperitis medicis, uel chirurgis, eryſipelata, & inflammationes (quas Græci phlegmonas uocant) aut quiuis alij tumores ex naturalibus humoribus procreati, admotis extrinſecus præſidijs, nimis uehementer refrigerantur, aſtringunturq;: uel cum iiſdem tumoribus, ea quæ ualenter nimis trahunt, digeruntq; medicamenta, applicantur. Tunc enim toto, quod in eis ſubtiliſsimum erat, diſsipato, id quod reliquum eſt (nempe craſsius) plus iuſto deſiccatum, lapidis duritiem cōſequetur, atq; in melancholicum humorem

4. Bilis atra ex admiſtiōe.

uertetur. Quarta melancholiæ non naturalis differentia exurgit, quando alius humor ipſi melancholiæ naturali permiſcetur. Quod dum fit, dulcoratur, ac miteſcit magis, niſi dum alterutra bilis aduſta, huic cōmiſcetur. Siquidem tunc uel

Quatuor tumorum differentias fieri ex melancholia.

aceſcit, uel amareſcit, & eroſionis non modicè particeps efficitur. Ex præcedentibus igitur colligere licet, quatuor tumorum præter naturam differentias naſci ex melancholia, ſeu atrabilario humore. Primò nanq; ex melancholia naturali

1. Verus ſcirrhus nō exquiſitus

(quam quotidie gigni in ſanis diximus) fit uerus, ac legitimus ſcirrhus, apud Arabes ſephiros nominatus, Græcis uerò σκίῤῥος, & σκληρὸς ὐκ ἀκριβὴς, hoc eſt, ſcirrhus non exactus, ſeu non exquiſitus, qui tumor quidem eſt prædurus, & doloris expers, non omninò tamen inſenſibilis. Auicennæ impurus appellatur. Galenus tamen libro decimoquarto meth. med. tumorem ex humore melancholico conflatum, tunc propriè ſcirrhum, his qui de nominibus contendunt, condonat eſſe appellandum, cùm omninò ſenſus eſt expers. Cùm uerò nondùm omninò factus eſt inſenſibilis, ſcirrhoſum potius tumorem, quàm ſcirrhum (ſi uelint) nominari.

2. Scirrhus phlegmonodes, œdematodes, eryſipelatodes

Secundò ex melancholia non naturali dicta per admiſtionem, tres aliæ tumorum differentiæ enaſcuntur: nempe ſcirrhus phlegmonodes, œdematodes, & eryſipelatodes, quæ pro una tantùm differentia, hîc numerantur. Tertiò ex

melancholia non naturali facta per lapidoſam quandam concretionem, gene-
ratur σκληρὸς ἀκριβὴς, id eſt, ſcirrhus exquiſitus uel exactus, durus quidem, & om Scirrhus exquiſitus.
ninò ſenſus atque doloris expers. Ab Auicenna purus nominatus, qui curatio-
nem non admittit. Quartò ex melancholia non naturali per deuſtionem o- 4.
mnes cancrorum ſpecies procreantur, tam ulcerati ſcilicet, quàm non ulcera-
ti, de quorum genere eſt ſcirrhus cancroſus nominatus. Itaque ſcirrhus pro- Scirrhus cancroſus.
priè dictus, tumor eſt durus, & indolens: non tamen omnino ſine ſenſu, ab hu- Scirrhus propriè dictus quid?
more melancholico naturali, & minimè corrupto procreatus, ut recentiores
definiunt chirurgi.

De cauſis, ſignis, & iudicijs, ſcirrhi legitimi.

CAVSAE ſcirrhi, ut & aliorum tumorum præternaturam, triplices ſunt. CAVSAE ſcirrhi legitimi tres.
Primitiua ſcilicet, ut eſt praua uiuendi ratio, craſſum, & melancholicum
ſanguinem generans, coaceruansque. Antecedens, ut ſuccus melancholicus in 1.
corpore collectus, à liene (cuius officium eſt hepar à craſſo illo, & lutoſo ſan- 2.
guine expurgare) malè attractus, & extra corpus minimè, ut debebat, expulſus.
Coniunctæ, humor ipſe melancholicus in laborante particula impactus. Signa 3.
ipſius ſcirrhi præſentis, Guidoni ſunt tumor durus, & ualenter renitens, co- NOTAE ſcirrhi.
lor inter rubrum & nigrum medius: cuiuſmodi color fuſcus eſt. Hunc cùm in
corporis partibus ſæpe incidat, plærique medicorum (ut Galenus inquit) pe- 14. meth. medendi.
lidnon, hoc eſt, liuidum uocant. Ad hæc, ſi uenas euidentiores membrum labo
rans habet, exaltatas eas à craſſo, & nigriore quodammodò ſanguine, cuiuſmo
di per aluum aliquando nó paucis hepaticorum excernitur, uidere licebit. Sed
iam ſcirrhus impurus, & cancroſus erit. Hæ enim notæ, quas hîc ad ſcirrhum Guido notas cancri tribuit ſcirrho.
accommodat Guido, cancri propriè ſunt notæ apud Galenum libro decimo-
quarto methodi: Non ineptè tamen ſcirrho adaptari poſſunt, hoc uno dem-
pto, quòd uenas tumentes & exaltatas non habet ſcirrhus, ut cancer, niſi ſcirr-
hus fuerit (ut diximus) cancroſus. Quippe non raró ſcirrhus in cancrum dege-
nerat, cùm ab eadem fiant materia, ſucco ſcilicet melancholico. Propriè igitur
ſcirrhi legitimi notæ ſunt, tumor durus, pertinaxque, ac tactui reſiſtens, in quo &
hebes ſenſus adeſt. Adde, quòd & aliæ notę apparent, quæ melancholicum hu- IVDICIA ſcirrhi.
morem in corpore ſubeſſe teſtantur. Tumores uerè ſcirrhoſi ab initio, & dum 1.
adhuc prima rudimenta concipiunt, magna ex parte exigui apparere ſolent:
procedente uerò tempore paulatim augentur, & maiores fiunt. Ex ijs quidam 2.
unum duntaxat membrum occupant. Alij uerò eo membro, quo prius infeſta-
bant, relicto, ad aliud poſtea transferuntur, Quod dum fit, nominatur tunc ui-
tium ferinos Auicennæ. Præterea huiuſmodi tumores melancholici, ut pluri- Ferinos.
mũ ſi ritè tractentur, reſolutione terminantur, nonnunquam indurata manent, 3.
& non raró in cancrum (quod peſſimum eſt) degenerant, ac tranſmutantur.

Veri ac legitimi ſcirrhi, non tamen exquiſiti, & in tophaceam duritiem omnino inſenſibilem concreti curatio.

CAETERVM abſolutam induratorum huiuſmodi tumorum præter natu Tres intentiones in curatione ſcirrhi legitimi obſeruandæ.
ram, qui ueri ſcirrhi, non tamen exquiſiti, nominantur, curationem tribus
intentionibus aſſequemur. Prima conuenientem uiuendi normam præſcribit.
Secunda materiam antecedentem, ſeu præcedentem (id eſt, quæ parata eſt ſta- 1.
tim morbum efficere) tollendam monet. Tertia coniunctæ (ut uocant) mate- 2.
riæ, & morbum iam cõmittentis uacuationem moliendam eſſe nobis inſinuat. 3.
Itaque (ut in uniuerſum dicatur) uitam eorum qui ſcirrho laborant, ſobriam, & 1.
moderatam, & quæ ad calidum & humidum declinet, in rebus ſeu (ut dicunt) Viuẽdi ratio.
non naturalibus inſtituito. Ergo alimenta euchyma, id eſt, boni ſucci, & probũ Euchyma.

Panis optimus. ſanguinem generantia exhibeto. Panem igitur triticeum, probè ſubactum, & moderato igne in furno coctum, quiq; fermenti aliquid habeat, & ſalis quod ſatis eſt, præſcribito.
Vinum. Vinum ſubſtantia tenue, & odoratum deligito: craſſum uerò, nigrumq́ue uitato.
Oua. Oua ſorbilia, pullos, capos, gallinas, & eorum iura præbeto.
Carnes. Perdices, phaſiani, coturnices, capreoli iuuenes, uituli lactantes, & anniculi ueruece s, laboranti in delitijs ſunto.
Olera. Ex oleribus, id quod Arabes aſpanar, nos uerò nomine paulùm mutato, ſpinacium dicimus, lactucas item, lupulum, boraginem, & bugloſſum, atque id genus alia, quæ ſanguinem expurgant, & puriorem reddunt, ne aſpernator. In ſumma, ea omnia, quæ ſanguinem melancholicum ſuapte natura pariunt, fugito. Ea autem Galeno libro tertio de locis affectis capite ſexto ferè ſunt, caprina, bubulaq́ue caro, magiſq́ue hircina, & taurina.
Carnes. Sed maximè aſinorum, chamelorumq́ue carnes, item uulpinæ, caninæq́ue.
Lumaces. Leporum quoque, ſed multò magis aprorum. Præterea limaces, ſi frequens ſit eorum uſus: atque omnes terreſtrium animalium carnes ſale conditæ.
Piſces. Aquatilium quoque carnes, ut thunni, balenæ, uituli marini, delphini, canis, atque cetaceorum omnium.
Olera. Ex olerib. autem, braſsica ferè ſola huiuſmodi ſanguinem gignere conſueuit. Quemadmodum & arborum germina, ubi uel muria, uel oxalme condiuntur, præcipuè lentiſci, terebinthi, rubi, & rubi canini, qui Græcis cynosbatos appellatur.

ὀξάλμη fit ex aceto & ſale.

Legumina. Leguminum uerò omnium maximè lentes, inter melancholicos cibos numerantur.
Panis. Mox panis furfuraceus & qui ex typha atque uitiatis ſeminibus factus eſt quorum apud quaſdam nationes uſus, loco frumenti habetur.

Typha exile eſt triticum, ſpecie ſiligini nō diſsimile.

Vinum. Præterea uina craſſa, nigraq; aptiſsima ſunt, ut ex ipſis melancholicus humor fiat: præſertim, ſi quis abundè ipſa ingerens, oblata occaſione in multo calore corpus contineat.
Caſeus. Vetus denique caſeus, ubi fortè fortuna in corpore fuerit ſupercalefactus, facilè huiuſcemodi parit humorem. Hæc ex Galeno hactenus.
Sanguinem adurentia. Cauendum inſuper eſt, à retorridis aſsis quoque, & frixis uehementer exiccatis, Item ſalitis, acidis, & acribus (ueluti ſunt allia cepe, piper, ſinapi) & alijs id genus omnibus, quo ſanguinem adurunt.
Animi παθήματα. Vitare etiam oportet iram, mœſticiam, uigilias, ſollicitudines, atque immoderatas exercitationes.
Exercitatio. Animi tranquillitas, ac lætitia magnoperè eſt expetenda: ſummaq; ope nitendum, ut quotidie
Inanitio. uenter deijciat. Hactenus de primo ſcopo.
2. Vacuatio materiæ antecedentis. Vt autem quod ſecundus ſcopus nobis proponit, conſequamur, pręcipit Auicenna, corpus uniuerſum uacuandū eſſe: tunc uenæ ſectione, ſi ſanguis niger ad modum, & craſſus apparuerit: tum medicamento purgante, quod bilem atram exigat: cuiuſmodi ſunt Meſuæ, epithymum, ſenna, polypodium, fumus terræ (qui Græcis capnos uel capnios, & fumaria Latinis appellatur) lupulus, uolubilis. Item caſsia fiſtula, myrabolani Indi, lapis lazul, qui Græcis cyaneus, Romanis cæruleus dicitur. Diaſenæ, diacatholicon, hiera Ruphi. Hæc enim omnia humores melancholicos per aluum expurgant. Sed hæc, quæ ad pharmaceuticen, & diæteticen attinent, chirurgi
3. metas excedunt: His igitur medicæ artis profeſſoribus relictis, ad tertiū ſcopū properabimus, quem ſanè nos aſſequemur, ſi quod præter naturam in particula
Vacuatio materiæ coniunctæ. eſt, totum uacuetur. Quæ communis quidem, ac prima indicatio eſt omnium, qui præter naturam conſiſtunt tumorum: in quibus utique adhuc non ſunt geniti porri. Modus autem uacuationis eius proprius eſt, circa quem circumſpectum, & maximè attentum eſſe curantem oportet. Siquidem materia eiuſmodi tumorum naturæ tam malignæ eſt, ut in duritiem ueluti lapideam abeat, ſi teme
Materia ſcirrhorum caute tractanda. rè reſoluatur. Si uerò plus quàm par eſt, eam emollias, periculum ſanè imminet ne ipſa corrumpatur, & ſcirrhus in cancrum degeneret. Sequendum igitur in hac re, Galeni ac Pauli (qui de hac re ante Auicennam ſcripſerunt) conſilium eſt. Nempe ut ſcirrhoſis ipſis affectibus, nullum uehementer excalfaciens ſiccanſq́ue medicamentum applicetur. Nullum item quod duntaxat emolliendi,
Galenus. atque humectandi uim obtineat. Quod enim (inquit Galenus libro ſecundo ad Glau-

ad Glauconem) ſuperfluum humorem habet, nihil omninò diſſoluit: quod uerò minimum, plus quàm oportet, exiccat. Hinc non omnino abſurdè præcipiebat Auicenna, alternatis uicibus ad hos induratos tumores, modò emollientibus, modò digerentibus per halitum, utendum eſſe. Verùm quoniam id & tædioſum, & factu ut oportet perdifficile eſt, ſatius ac tutius Galeno uiſum eſt, medicamentis miſtam facultatem habentibus ad horum curationem utendum eſſe. Eodem enim tempore, quod induratum eſt molliemus, & ſenſim per halitum digeremus. Illis tamen ab initio, aliquid quòd modicè reprimat, erit admiſcendum. Porrò ad hanc intentionem Auicenna quamplurimas remediorum formulas inſtituit: uerùm quoniam ea magis dicata ſunt ſcirrhis ex phlegmone, aut eryſipelate impendio refrigeratis (ut in ſequenti capite oſtendemus) procreatis illis relictis, aſſume medicamentum à Raſe libro ſeptimo ad Almanſorem deſcriptum, facta tamen prius ab initio aliquali influẽtium humorum (domeſticis quibuſdam repellentibus admotis) repreſsione. Raſis autem medicamentum ad hunc modum habet: Accipe bdellij, ammoniaci, galbani, ſingulorum partes æquales, terantur in mortario, cum oleo de ben (quod Græci balanum myrepſicen, Latini glandem unguentariam uocant) aut de lilio. Deinde ſume mucilaginum fœnigræci, ſeminis lini, & ficuum, pondus omnium prædictorum: terantur omnia ſimul, donec in unum coëant, & fiat emplaſtrum. Galenus ad eam rem magnopere commendat corticem radicis althææ (quam inquit, uulgus dendromalachen, quaſi dicas, arboreſcentem maluam uocat) anſerino, uel gallinaceo adipe liquatam, & cum eo contuſam atque in cataplaſmatis formam redactam. Quòd ſi tumor ad ſuppurationem ſpectet, ſummopere cauendum eſt, ne particula laborans calorificis auxilijs, aut quouis alio modo irritetur. Ita enim facile cancer accerſeretur. Si uerò aperiatur tumor, materia iam in pus conuerſa, ab uſu unguenti, quod diachylon nominatur, minimè tibi diſcedẽdum fuerit. At ſi in lapideam duritiem degenerauerit, ad ea auxilia, quæ ſequenti capite deſcribentur, erit recurrendum.

[Margin: Medicamenta ſcirrhis accõmoda.]
[Margin: Raſis medicamentum ad ſcirrhos emolliendos & diſcutiendos.]
[Margin: Galeni cataplaſma. 14. Therap.]
[Margin: Si ſcirrhus ad ſuppurationẽ ſpectet.]

De ſcirrho illegitimo non exquiſito, ex vehementi refrigeratione, aut exſiccatione originem ſortito.

QVando medicorum imperitia, inflammationes (quas Græci phlegmonas appellant) aut eryſipelata impendiò refrigerantur, & aſtringuntur, aut admotis medicamentis, uehementer trahentibus, & per halitum digerentibus, temerè reſoluuntur, tunc totum id, quod in eis tenue magis ac ſubtile erat, diſſoluitur, diſsipaturq́ue: quod uerò reliquum eſt, uelut congelatur atque impenſius reſiccatum, lapideam duritiem aſſequitur, fitq́ue tandem affectus, qui Græcis ſcirrhoſis uocatur. Cæterùm contingit quandoque particulam aliquam indurari propter tenſionem quam ſuſtinet ex flatibus, aut humore quopiam aquoſo, ut ſuprà dictum eſt, dum de tumoribus flatuoſis & aquoſis agere- 1.
tur. Nonnunquàm & tophacea durities in particulis quibuſdam oboritur, 2.
propter priuationem humiditatis, & nimiam deſiccationem, ut in duritia iuncturarum, & porris in articularijs morbis, ac doloribus, procreatis. Verum e- 3.
nimuerò hîc duntaxat agemus de ſcirrhis, ſeu induratis tumoribus, qui ex phlegmone, aut eryſipelate, paulò antè commemorato ortum traxerunt, aut etiam ex œdemate impendiò refrigerato, & aſtricto. Atque eos non abſurdè ſcirrhos ex coincidentia procreatos nominauerimus,

[Margin: Scirrhus illegitimus quomodo generetur.]
[Margin: Duritiei in particulis cauſæ.]

De ſignis & iudicijs ſcirrhi non legitimi, ac prorſus exquiſiti, ex concidentia creati.

SCirrhi non ueri, ſeu illegitimi, & non omninò exacti, notæ ſunt, tumor durus, uix ſenſibilis, id eſt, quaſi ſenſus, & doloris expers, corporis colorem ad

[Margin: Scirrhi illegitimi, & non exquiſiti.]

IVDICIA. unguem repræſentans ex melancholia non naturali ortum ducens. Hic nec
1. prorſus incurabilis eſt, nec facilem ſanè curationem admittit. Siquidem hu-
mor, unde huiuſmodi uitium contrahitur, lentus, ſeu glutinoſus, craſſuſqúe eſt,
aut (ut Galenus ait) utriuſque rationis particeps, qui particulis induratis infar-
tus, ſolui contumaciter repugnat. Vbi præſertim reſoluta ex ipſo ſubtiliori hu-
2. miditate, quod reliquum eſt, exiccatum lapidoſumqúe efficitur. Scirrhus ue-
Scirrhus exquiſitus curationem non admittit. 3. rò exquiſitus, & qui omninò ſenſu uacat, curationem non recipit. Si tamen ali-
quo modo iuuari poſsit, humectandi ratione id præſtari debet. Durities quo-
que ex nimia exiccatione, & maraſmo, hoc eſt, conſumata prorſus ſiccitate in-
Scirrhi incurabiles. ſanibilis eſt: ſatis enim eſt prohibere, ne ultrà ſiccitas procedat. Sed & ſcirrhi in
quibus pili enaſcuntur, quiqúe magni ſunt, ac uehementer duri, & corporis co-
lorem referunt: nec ſanantur, nec unquam permutantur, ut ſcriptum reliquit
Auicenna.

Curatio ſcirrhi illegitimi, & non exquiſiti.

Summa curãdorum ſcirrhorum. CVrandi uerò eius communis indicatio eſt, ut quod præter naturam in par-
ticula eſt, totum uacuetur. Modus tamen uacuationis eius proprius eſt, ut
in libro decimoquarto metho. Galenus annotauit. Nam detergere (inquit) id
quod contumaciter inhæret, oportebit. Quod ſi quis ijs quæ uehementer tra-
hunt, digeruntqúe, medicamentis uacuare tentet, nec ijs quæ excalfaciant, &
humectent, molliat ac liquet: huic paucis primis diebus egregiè proceſsiſſe cu-
ratio uidebitur. Scirrhus enim manifeſtò decreuiſſe apparebit. Cæterùm quod
de affectu reſtabit, id inſanabile erit: ſiquidem toto, quod in eo tenuium parti-
um erat digeſto diſsipatoúe quod reliquum eſt, ueluti lapidoſa concretio lin-
quitur. Hac igitur de cauſa ad ſcirrhoſos affectus nullum uehementer excalfa-
ciens ſiccansúe medicamentum idoneum eſt. Sed ea tantùm, quæ cum molli-
endo, hoc eſt, præter quod molliant, digerere etiam commodè poſſunt. Cuiuſ-
Medullæ. modi ſunt, tum ceruina medulla, tum uitulina, tum ſeuum hircinum, taurinum,
Seua. Adipes. pardale, & leoninum. Ex adipibus uolucrum commendatur in primis anſeri-
nus, quem proximè ſequitur gallinaceus & phaſianicus. Ad hæc, ammoniacum
thymiama, id eſt, ſuffimen, galbanum, & bdellium utrunque, magiſqúe Scythi-
cum, quanto uidelicet eſt humentius. Styrax quoque qui humentior eſt, & pin-
Galenus 14. meth. med. guis. Radix etiam althææ, quam uulgi more dendromalachen, id eſt, arboreſcẽ-
Dendromalache. tem, ſiue arboream maluam (quòd altè à terra erigatur, & in hortis conſita, ar-
boreſcat) Galenus appellauit: & ſylueſtris maluæ, quæ paſsim naſcitur, folia
modicè antè decocta, cum anſerino adipe, aut gallinaceo, uel ſi horum facultas
non ſit, ſuillo contuſa, ad hanc intentionem apprimè ſunt idonea. Prohibet au-
tem Auicenna axungias ſalitas: & prædictis addit maſtichen, ladanum œſypum
humidam, ſtrygmenta gymnaſiorum, quæ ſordities balneorum appellant ſter-
cus aſininum, & feces oleorum de lilio, de alchanna, quod cyprinum uocant, &
Strigmenta gymnaſiorũ. de cherua, quod Græcis κίκινον, Latinis uerò ricininum dicitur. Cæterùm cura-
Oleum ricininum. tio quæ per acetum adminiſtratur, utilis eſt huic uitio, hoc eſt, ſcirrho iam adul-
to, & cum præparata iam ſub mollientibus pars fuerit, ut etiam Galenus anno-
14. meth. medendi. tauit. Siquidem (inquit) aceti uis, modò ea quis modicè & debito tempore uta
tur, ſalutaris eiuſmodi affectibus eſt, ſeu craſſos humores diſſecans, ac reſol-
De aceti uſu in uarijs ſcirrhoſis partibus. uens. Sin uel immoderatius, uel in tempore non idoneo, tenuiores partes uio-
lenter aſſumens, id quod reliquum eſt, lapideſcere ſinit. Sed & ſi quis eo diutius
utatur, ſubſtantiam ipſam ueruorum delibeuerit. Ob id igitur nec ſæpe ac
inter initia, nec longo tempore medicamentis, quæ ex aceto componuntur, ad
Lib. 2. ad Glauc. ligamenta & tendones eſt utendum. Eam ob rem Galenus Cercilij puerum, cui
ex eryſipelate nimis infrigidato, & uehementer aſtricto, tumor durus, ac ſcirrho
Oleũ ſabinũ. ſus in toto femore relictus fuerat, ita curabat. In primis femur perfudit oleo ſabi

no, quod omniũ eſt tenuiſsimũ cuius loco hodie utunt oleo ſambacino, quod uulgus iaſminũ uocat. Poſtquã uerò partẽ ſic fouiſſet, ammoniacũ thymiama, hoc eſt ſuffimentũ, quod pingue, & non uetuſtũ eſſet, prædictis medullis, & adipib' remiſtũ adhibuit. Poſt hæc ammoniaco pinguiſsimo, aceto acerrimo diſſoluto, circumlenit totũ femur, iuſsitq́ puerũ altero crure ſalire, quò plus in id alimẽti ferretur. Itaq; relaxantibus, quæ molliorẽ tumorẽ reddebant, & digerentibus, ſeu reſoluẽtibus ita uiciſsim, ac moderatè utẽdo, puerũ curauit. Verùm in tendonibus, & ligamẽtis ſcirrho obductis, aceto ex Galeni conſilio ad hunc modum utendum eſt. Lapis igni candens, aceto acerrimo extinguendus eſt: & ſi quidem haberi poteſt, pyrites: ſin eius copia non eſt, molaris, quem Græci mylitem uocant. Deinde aſcendente poſt infuſum lapidi acetum uapore calido, in hoc pars affecta commoueri debet, ut uaporem aſcendentem recipiat, à quo ſcirrhus diſſoluatur: atque exinde rurſus medicamen quod emolliat imponendum. Oleo tamen, non aqua quotidiè ab initio omninò laborans particula perfundenda eſt. Eſto autem id oleum haudquaquam aſtringens, ſed planè tenuium partium, cuiuſmodi ſabinum eſt. Interdum autem incoquenda oleo eſt, althææ radix, ac ſylueſtris cucumeris, & ſi qua eſt eius generis alia. Sanè plurimi hac curationis ratione pauco tempore perfectè ſanati ſunt, adeò ut multis ferè (inquit Galenus) magicum opus uideretur. Ex his igitur conſtat, curationi quæ per mollientia fit, tum in tendonibus tum in ligamentis cum ſcirrhoſæ fuerint, aliquid incidentium debere admiſceri. Ex quorum numero uel in primis acetũ eſt. De medicamentis autem, quæ uim molliendi durities obtinent, diffuſius alibi tractabimus.

Tendonum & ligamẽtorum ſcirrhoſorum curatio ex Gale. & Pau. Lib. 14. Therap. & 2. ad Glauc.

Pyrites lapis. Lapis mylites.

2. ad Glauc.

Lib. 6.

Capita curationis ſcirrhoſorum tumorum.

Scirrhum, qui reſoluta atq; abſumpta humiditate in rophaceam duritiem cõcreuit, ſenſuq́ omnino caret, cuiuſmodi eſt quem exquiſitum Galenus uocat, tanquam immedicabilem curare ne aggreditor. 1.

Scirrho non exquiſito (qui non ſine ſenſu quidem omninò eſt, ſed ægrè admodùm ſentit) medicamenta quæ tepido calore ac mediocri humore prædita ſunt, hoc eſt, quæ emolliendo moderatè digerant, adhibeto. 2.

Vehementer digerentia, atq; immodicè exiccantia partibus ſcirrho laborantibus, ne unquàm admoueto. iis enim ſubtilior humiditas reſoluitur, quod uerò reliquum eſt, exiccatum lapidoſumq́ efficitur. 3.

In duris, ac denſis partibus ſcirrho obſeſsis, cuiuſmodi ſunt tendones, atque aliis etiam in locis, ſi affectus iam inueteratus eſt: medicamenta quæ diſſecent atque incidant, cuius generis eſt acetum, emollientibus & moderatè digerentibus miſceto. 4.

Scirrhoſam quoq; partem hanc, duram ac denſam, & quamuis aliam diuturno ſcirrho affectam, ſuper uaporem calidum, quem molaris lapis, id eſt, quo frumentum molimus, igni candens, acerrimo aceto perfuſus, emittit: collocari, ſub indeq; uerſari iubeto. 5.

Quotidiè etiam oleo aliquo tenuium partium, in quo cucumeris ſylueſtris aut althææ radix, aut anethum uiride & recens, aut id genus aliud incoctum fuerit, affectam partem perfundito. 6.

Eiuſmodi deſiccantia, incidentia, ac craſſos humores reſoluentia, modicè, id eſt, non ſæpe nec longo tempore, atq; opportunè, hoc eſt, nõ inter morbi initia, & interpoſito remollientium uſu, prædictis ſcirrhoſis partibus admoueto. 7.

In ſumma, ſcirrhos omnes qui nondum callum contraxerunt, medicamentis quæ commodè digerendo emolliunt, curato. 8.

Scirrhoſi lienis, atque etiam iecinoris curationem, medicorum prudentiæ committito. 9.

De canceroſo tumore, quem vulgò cancrum apoſtematoſum vocant.
Cap. XV.

Cácri nomen ad duo morborũ genera extenditur.

1.

CANCRI nomen medicis & chirurgis æquiuocum eſt eius enim ſignificatio ad duo morborum genera extenditur. Nempe ad cancroſum tumorem (quem uulgò cancrum apoſtemoſum uocant) tam euidentem, hoc eſt in ſumma corporis parte hærentem, quàm abſconditum, hoc eſt in penitioribus & latentibus corporis partibus, ut in ſede, palato, aut ſinu muliebri conditum,

2.

& ad cancrum ulceratum. Porrò uterqúe affectus gignitur ex atra bile, ſeu meláncholico humore, hoc eſt, eiuſmodi naturæ ſucco, cuiuſmodi eſt fex in uino, & amurca in oleo, ut decimoquarto Therapeutices, & libello de tumoribus præter naturam, Galenus teſtatum reliquit. Vbi autem mitior fuerit humor huiuſmodi melancholicis, latentem, ſeu occultum, ut appellant, cancrum, ſine ulcere progignit. Si uerò acrior maligniorqúe contingat, cutim erodit, & cancrum facit cum ulcere, de quo in ſequentibus dicemus, quando ſcilicet de ulceribus agemus. Hîc autem ſolùm ſermonem faciemus de cancro non abdito, id eſt, in extimis partibus conſtituto, & nondùm exulcerato, qui & ipſe quandoque occultus Galeno dicitur. Eſt igitur cancer quo de hîc agitur, tumor durus, inæqualis, rotundus, uenoſus, id eſt, uenas habens in circuitu turgidas, & exaltatas, liueſcens, ſiue fuſcus, & (ut Paulus ait) colore magis, quàm inflammationes, nigricans: calidus, ſed non adeò ut inflammationes: ſubitò accreſcens, ægros maximè fatigans, & perpetuo ferè dolore affligens, Græcè καρκῖνος & καρκίνωμα dicitur. Hanc autem appellationem huic morbo indiderunt tam Græci quàm Latini, à cancro aquatico animali, quoniam circa hunc implentur & intenduntur uenæ, cancrorum pedibus, à glomere illo corporis deſcendentibus perſimiles. Nonnulli uerò inde ſic nuncuparunt, quod difficillimè ab his partibus, quas obſederit, euellatur, quemadmodùm cancer aquaticus animans. Hic enim loco, quem ſemel apprehenderit, pertinaciter hæret. Adde quòd & hic tumor cancri animalis colorem repræſantat, nempe ſubnigrum. Cæterùm prima cancri iſtiuſmodi rudimenta, tam confuſa interdum, exiguaq́; ſunt, ut uulgus ipſum latere poſsint: uix enim dũ adhuc incipit, ciceris aut fabæ magnitudinẽ æquat. Quare nihil miri eſt (inquit Galenus) ſi uulgus tunc lateat, non ſecus profectò quàm ſtirpes, quæ è terra iam exeunt: quando hæ quoq; peritis tantùm agricolis agnoſcuntur. Poſteà uerò in tantam molem attollitur, tamq́; uehementia, & magna & cunctis euidentia affert ſymptomata, ut ne puerum quidem clam ſint. Itaq; tunc nemo de appellatione ambigit, ſed nominant uno aſſenſu omnes eiuſmodi affectum, cancrum, quoniam (ut diximus) uenæ in hoc morbo ex utraq; parte intumeſcunt, diſtenduntur q́; ac figuram omninò ſimilem cancro repræſentant.

Cancer ſine ulcere. — Cancer cum ulceribus. — Canceroſi tumoris deſcriptio. — Quare cancri nomẽ hoc uitium ſibi adoptant. — Cancri notæ per initia confuſæ atque obſcuræ. Lib. 14. Therap. medendi.

Signa & indicia cancri euidentis, & non vlcerati.

NOTAE canceri euidentis non ulcerati.

CAncroſus tumor (ut ſuperius dictum eſt) duritiam habet, & inæqualitatẽ, quæ tactu facilè deprehẽditur. Colorem præ ſe fert liuidum, ſiue fuſcũ, qui inter rubrum & nigrum medius eſt, Græci pelidnon uocant. Circa locum cancro affectum, aliqua quaſi puncta ſentiuntur: interdùm etiam torpet Celſo. Venas oſtendit in circuitu tumentes, & exaltatas, cancri animantis pedum modo. Nónunquàm etiam in quibuſdam deliteſcunt. Tactusq́; is locus, alijs dolorem affert, in alijs eũ non habet. Renixus quoque huic tumori ualens eſt Galeno 14.

IVDICIA 1.

Therap. Ad hæc extraneam quandã caliditatem habet. Cancer, ſeu carcinoma à toto genere morbus eſt grauis, & pernicioſus. Vix enim unquàm propter ſucci craſsitiem conſaneſcit, utpote ꝙ nec repelli, nec diſcuti queat, nec totius corporis purgatione cedat. Sed & tanta eius uitij eſt malignitas, ut mitiora planè contemnat

temnat

temnat remedia,illiſq; (ut dici ſolet) medium unguem porrigat:uehementiori-
bus uerò,ueluti cardo irritetur,excandeſcatq; atq; efferatur.Id uitium in quali- 2.
bet corporis parte oriri cōſueuit, ſed maximè (ut Cel. ait) in partib. ſuperiorib. Lib. 5.
circa faciem,nares,aures,labra, & mãmas fœminarum, atq; earũ præcipuè, quæ Galen. lib. 2. ad Glauco.
à natura purgationem menſtruorum nō habent. Sed & uiris plærunq; accidunt 3.
cãcri,quibus aſſuetæ per mariſcas purgationes ſupreſſæ ſunt:per has enim turbi
dus,ac craſsior ſanguis (unde prima uitium hoc rudimenta accipit) expurgari à
natura conſueuit.Porrò cùm humor ipſe melãcholicus feci uinariæ proportio- 4.
ne reſpondens,in particulã aliquã defluit,ibiq; impactus manet:interdùm uari-
ces facit,aliquando uerò cãcrum,utpote cùm ipſe deferbuerit.Cùm uerò ad cu
tim uniuerſam expellitur,fit is morbus quem elephantẽ nominãt,ut libro ſecũ-
do ad Glauconem Galenus annotauit.Eſt itaq; cancer particularis quædam ele
phantiaſis,quàm uulgus malè lepram appellitat.Quanto autem ſanguis ex quo
ortum habet cancer,craſsior fuerit ac nigrior, tantò (inquit Galenus) deterior
paſsio erit. Cancer autem iam confirmatus (ut dicitur) atq; inueteratus, cura-
tionem non admittit,niſi radicitus extirpetur,aut per ſectionem ſcilicet aut per
uſtionem: uerùm qui in penitioribus corporis partibus conſtituti ſunt cancri,
talem curationem non deſyderant, ut ſequente aphoriſmo nos edocuit ſenior
„ ille,medicorum facilè princeps Hippocrates,inquiens:Cancros occultos om- Aph. 38. lib. 6.
„ nes melius eſt non curare: curati enim citius pereunt:non curati uerò, longius
tempus perdurant. Experientia nanque (ut in commentario huius aphoriſmi
Galenus teſtatur) compertum eſt, omnes qui huiuſmodi cancros ſectione, aut
uſtione curare tentarunt,illos magis irritaſſe,& breui homines interemiſſe.Soli 8. Qui cancri radicitus tolli debeant,& qui non.
itaque cancri illi curationẽ huiuſmodi admittunt Galeno teſtante,qui in ſum-
ma corporis parte hærent,quiqúe exulcerati ſunt, & adeò laborantes fatigant,
ut ipſi ultrò chirurgi manum efflagitent: & ſimul in talibus partibus conſiſtant,
quas reſecare & exurere unà cum radicibus poſsis. Voco autem radices cancri Radices cãcri.
cum Galeno eas,quæ plenę ſunt ſanguine melancholico,uenas,& undique uer
ſum ad loca circumſtantia extenduntur. Cæterùm ex cancro non ulcerato,nō 9.
rarò fit ulceratus, putreſcente ſcilicet ſpacio temporis humore, in uaſis delite-
ſcente, uel irritato à medicamentis inconſultè admotis affectu. Hunc autem Cancer exulceratus peſsimus affectus.
exulceratum cancrum peſsimum eſſe iudicant omnes & ueræ curationi (quæ
omnia molitur & agit,ut laborans particula ad ſanitatem perducatur) prorſus
ineptum. Hic enim ad perfectam atque abſolutam ſui curationem mordentia,
aſpera ac uehementia deſyderaret medicamenta. Atqui (ut diximus) talibus
magis irritatur,efferaturq;,tantum abeſt ut ſub ijs uel miteſcat,uel conſaneſcat,
Proinde ſatis fuerit ſi cancros non ulceratos,etiamnum ſumma corporis occu- 10.
pantes, præſertim maiores & iam inueteratos, prohibeamus augeri, à perfecta
quidem curatione manum ſubtrahentes.Quod & ſuperiore aphoriſmo nos cō 11. Quæ notæ in cancro futurã èxulcerationẽ portendant.
monuit Hippocrates.Cancros enim eos,qui ſine exulceratione fatigant, etiam
(Galeno authore) occultos nominauit.In quibus ſanè exulcerationem minan-
tur,uehemens caliditas,& pulſatio.

Curatio cancri non exulcerati adhuc incipientis, & nondum inueterati, ſumma corporis occupantis.

Triplex curãdo cancro ſcopus proponitur.

CVratio cancri non exulcerati, & adhuc recentis, tres habet ſcopos præci-
puos.Primus eſt humoris melancholici generationem prohibere. Secun- 1.
dus eſt ſuccum melancholicum per totum corpus diſperſum uacuare. Tertius 2.
humorem qui locum affectum occupat uel regerendum, uel digerendum om- 3.
ninò,ad hęc,particulæ laboranti robur aſſerendum eſſe inſinuat.

PRIMVS ſcopus ſeu prima intentio,quæ eſt prohibere,ſi fieri poteſt,ne de 1.
cætero ſuccus melancholicus in uenis colligatur,perficitur ea uiuendi ratione Primus ſcop⁹.

Victus ratio tenuis ſit, boniq; ſucci.

ad unguem obſeruata, quæ ſuprà in cap. de ſcirrho legitimo nominato præſcripta eſt. Id autem inter cætera maximè, ac præcipuè obſeruandum eſt, ut ijs qui hoc affectu laborant, ea alimeta offerantur, quæ refrigerandi atque humectandi uim ſortita ſunt: quæqúe probum ac tenuem ſuccum in corpus ingeſta, generant. Cuiuſmodi ſunt, cremor hordei, piſces ſaxatiles, omnis generis aues, præterquàm paluſtres: ouorum, ſed maximè ſorbilium (quæ Græci ῥοφητὰ uocant) lutea, & quæ eius generis ſunt alia. Quod ſi caliditas effatu digna, citra febrem tamen in particula laborante affuerit, lac bubulum à quo butyrum fuerit extractum, uel ſerum lactis tutò offerri poteſt. Sed & olera quæ refrigerantis atq; humectantis naturę ſunt, ueluti malua, atriplex, blitum, & quando tempus tulerit, cucurbita, item citrulli, & borágo, illis in cibum permittuntur.

2. Secundus ſcopus. Humoris melancholici uacuatio. Epithymum.

SECVNDVS ſcopus, qui eſt, totum corpus ab humore melancholico, unde uitium hoc originem traxit, repurgare, completur purgantibus medicamentis uacuandæ atræ bili accommodis, in capite de ſcirrho ſuperius enumeratis. Inter quæ (quod ad rem præſentem attinet) principatum obtinet epithymum (quod Romani inuolucrum uocant) pondo drachmarum quatuor in ſero lactis mulſaúe exhibitum, ut Galenus præcepit libro decimoquarto methodi medendi. Ea autem quantitas epithymi uel paulò maior, tertio quoque die offerẽda eſt, ut ſcilicet melancholicus humor qui in uenis collectus eſt, & cancro generationem dedit, ſic ſenſim atque ex interuallo uacuetur. Quandoquidem uniuerſum ſimul euacuare uix datur. Sed nec ſemper prohibere poſſumus, ne deinceps eiuſmodi ſuccus in corpore generetur, & in uenis colligatur. Itaque materiæ eiuſmodi antecedentis purgatio, ſic per initia quidem ſimplicium aliquo per uices molienda eſt. Deinde (ſi res ita expoſtulet, & ſimplicium exhibitione parum proficitur) compoſitorum aliquo, cuiuſmodi eſt Galeni medicamentum atræ bilis uacuandæ dicatum, quod ex duobus, & triginta ſimplicibus eſt compoſitum, uel hiera Ruffi, & Auicennę, quæ nigrum ueratrum recipit. Nec ab ijs quidem ita repetitis purgationibus prius deſiſtendum eſt, quam totus ille ſuccus melancholicus in uenis collectus eductus fuerit, & pars tumore huiuſmodi cancroſo obſeſſa ad naturalem ſtatum omninò ſit reducta. Quod ſi nihil obſtiterit, hoc eſt, ſi ætas & uires permiſerint, non inutile etiam fuerit in cancris ipſis ſanguinem mittere, demùm (ut dictum eſt) purgare: & ſi fuerint mulieres, menſtrua euocare, ſiquidem nondum quinquageſimum annum attigerint, ut libro ſecundo ad Glauconem Galenus nos admonuit. Hæc ſecunda indicatio omnium prima eſt Galeno, quæ uerò primo loco poſita eſt, ſecundũ ordinem ſibi iure uendicat. Communis namq; (inquit) indicatio curationis in cãcro eſt: humorem, unde uitium eſt natum, illico uacuare: mox uerò prohibere, potiſsimum ſi fieri poteſt, ne de cætero eiuſmodi ſuccus melancholicus in uenis colligatur. Sin id fieri nequit, ſaltem eum omninò ex interuallis uacuare & ſimul particulam firmare, ne quid humorum redundantiæ ad eam confluat.

Senſim ac blãde, non ſemel atque affatim purgandum in cancro.

Hiera Ruffi. Hiera Auicennæ.

Sanguinis miſsio.

Lib. 14. meth. medendi.

3. Tertius ſcopus.

TERTIA igitur indicatio (quæ omnibus eiuſmodi affectibus ex fluxione creatis, communis eſt) nobis inſinuat humorem, qui in particulam affectam procubuit, uel regerendum eſſe uel digerendum omninò: ad hæc particulam firmandam eſſe, ne quid humorum redundantiæ, ad eam confluat. Porrò repellendi quod influxit tempus accommodum erit, in principio quidem, tam in ipſo purgationis tempore, quam antè. Vbi uerò iam totum corpus exquiſitè purgaueris, tunc digerendi dabitur occaſio. Verùm ſi mediocris tantum purgatio pręceſsit miſtam habere facultatem quod applicabitur medicamentum conueniet, reprmentem ſcilicet, & digerentem. Sanè, ut has intentiones ritè aſſequaris deligenda tibi erunt medicamenta, quæ uiribus quidem ſint mediocria, qualitate uerò minimè mordentia. Talia enim huiuſmodi affectibus ſolũ ſunt idonea. Nam quæ imbecillas uires habent (ut Galenus ait) nullum operæpretium efficiunt,

Quid in principio & ſimul ipſo purgationis tempore agendum.

Quod aptum medicamentum cancris.

Lib 14. Therap.

efficiunt,ſed uincuntur. Quæ uerò ualentiore ſunt facultate,uehementer quidem tenuiores,quæ in uenis ſunt, ſanguinis partes,uel digerunt,uel retrudunt: craſſas uerò & melancholicas,quas feci prius aſsimilauimus,nec euocant, nec reprimunt: quin potius eas aſſoluendum, ac diſcutiendum contumaces reddunt. Ad ſanandos igitur incipientes cancros,mediocrium uirium medicamentis eſt opus,quæ ſcilicet nec propter imbecillitatem uincantur, nec propter effectus uehementiam,ualenter ſanguinem incraſſare ualeant. Adhæc item (ut dictum eſt) quæ omnino haud mordeant. Quandoquidem uitij malignitas ab ijs qua mordens irritatur,ac (ut dici ſolet) efferatur. Cæterùm cùm materia ex qua ortum habent cancri, magna ex parte craſſa ſit, repulſioni ac etiam reſolutioni contumax ſiue inobediens, multæqúe malignitatis particeps, ſat fecerimus (ubi ſaltem periculum ex chirurgia timuerimus, ne curari affectus aliter poſsit) ſi uſu prædicantium medicamentorum, exuſtis elotiſqúe metallicis (ut Galenus conſulit) acceptorum, ipſos augeri prohibeamus, & præſertim ſi maiores fuerint: aut iuxta Auicennæ ſententiam,eos ab ulceratione uindicemus. *Succ⁹ ſolani.*

Ad quas intentiones libro ſecundò ad Glauconem ſuccùm ſolani,& medicamen ex pompholyge conſtans,aut quod ex chalcite fit (diapalma uulgò appellatur) magnoperè Galenus cómendauit. Proinde & Theodoricus ad eam rem
» unguẽtum inſtituit diapompholygos nominatum,quod eidem recipit olei ro- *Diapompholygos.*
» ſarum, ceræ albæ ana uncias quinque, ſucci granorum rubrorum, ſolani uncias *Diaphenicide ſeu diapalma.*
» quatuor,ceruſæ lotæ uncias duas,plũbi uſti,& loti, pompholygos (quæ tuthia
» uulgò dicitur) ana unciam unam,thuris unciam ſemis. Refert quoque Galenus *Vnguentum diapompholygos Theodorici.*
libro primo, περὶ συνθέσεως τῶν φαρμακῶν κατὰ τόπους, id eſt, de cópoſitione pharmacorum ſecundum loca, qui myamir ueteri interpreti inſcriptus eſt, unguentum quoddam ex Apolonio, ad manantia capitis ulcera, quæ Græci achoras uocant,inſtitutum: quod ad eiuſmodi cancroſos tumores apprimè utile eſſe af-
» firmat. Recipit autem olei [uel roſacei, uel omphacini, id eſt immaturi] hemi- *Apollonij medicamentum.*
» nam,quæ Græcis cotyle dicitur, quod in pilam plumbeam infuſum tantiſper *Hemina capit uncias 7. & ſemiſſem.*
» [ſub ſole] cochleario etiam plumbeo agitari debet,aut piſtillo plumbeo teri,
» donec craſſeſcat,nigreſcatqúe,adeò,ut plumbi colorem referat. Deinde ſeor-
» ſum conterito, litargyri libram unam, ceruſæ tantundem, & cum oleo commi-
» ſceto,ac fiat unguentum. Porrò quantum ualeat facultas plumbi,pręſertim cóbuſti, & eloti in omnibus cancroſis diſpoſitionibus, ſatis ſuperq; nouerunt omnes,qui de hac re periculum aliquando fecerunt, & qui attentè legerunt quæ ſcribit Galenus de plumbo (quod molybdos Græce eidem dicitur) libro nono de ſimplicium medicamentorum facultatibus. *Plumbi uis mirabilis in cancroſis tumoribus.*

Ad eandem morboſam diſpoſitionem laudarunt Paulus & Auicenna emplaſtrum & cácris fluuiatilibus, præſertim ſi parem modum cadmiæ receperit. *Paulus lib. 4. ex Archigene.* Cancrorum igitur fluuiatilium crematorum,& cadmiæ par modus in pollinem coactus inſpergitur,aut cácrorum cinis unà cum cerato inſpergitur. Sed & idem Auicenna iubet minutos cácros, in quibus locis apprehendi poſſunt, radicitus eſſe extirpandos, excidendoſúe: facta uero exciſione,huiuſmodi craſsiorem ſanguinem circumquaq; exprimendum eſſe,deinde cauterio locum eſſe adurendum. Hòc enim reliquias materiæ diſsipat & aſſumit,membrum roborat, & hæmorrhagiam prohibet. Galenus etiam ante Auicennam cancros interdum per chirurgiam extirpandos eſſe permiſit,libro decimoquarto methodi medendi,ut de cácro ulcerato poſteà dicemus. Verum enimuerò,tametſi curationem hanc,quæ per chirurgiam fit, Galenus & Auicenna permittunt: ad uitandum tamen hæmorrhagiæ & ulcerationis,imò uerò & uitę ægrotantis periculum,ea omiſſa,curandi rationé præſcriptam,quę ſolis leuibus,& quaſi adblandientibus medicamentis fit,tanquam tutiorem,& minus calumniæ oppoſitam amplecti,atque ea ſola contenti eſſe debemus. *Chirurgia in cancris temerè non adhibenda.* Quandoquidem,ſi eiuſmodi tumor cancroſus qui iam in

molem inſignem creuit, qua ſanis partibus coniungitur, totus circuncidatur, ſtatim immodicæ profuſionis ſanguinis, propter uaſorum magnitudinem, maximeq́ue arteriarum periculum imminet. Quas ſi laqueis (inquit Galenus) intercipias, conſortij iure aliæ partes afficientur & ingenti dolore cruciabuntur.

Lib. 5. Adde, quod exciſa carcinomata (ut Celſus ait) etiam poſt inductam cicatricem tamen reuerterunt, & cauſam mortis attulerunt. Sin eius mali radices exurere uelis, neq; hoc quidem ſine graui iactura uicinarum partium fiet, præſertim ſi iuxta principes partes exuſtio fiat. Itaq; cãcri maiores, & qui iam inueterauerint, neq; ferro temerè adurendi ſunt, neq; ſcalpello excidendi, ſed blandè potius ac leuiter (ut diximus) tractandi. Plæriq; enim nullam uim adhibendo, qua tollere id malum tentent, ſed imponendo tantùm leuia medicamenta, quæ quaſi blandiantur, quò minus ad ultimam ſenectam perueniant, non prohibentur. Reliqua quæ ad huius operis complementum, ſeu abſolutam de cancro tractationẽ attinẽt, ex tractatu de ulceribus, capite de cancro ulcerato requirenda ſunt.

Capita curationis cancri non ulcerati adhuc incipientis, ſumma corporis occupantis.

1. IN cancro incipiente, & qui ex humore non admodùm craſſo conſtat, nec uenas ualde tumentes exerit, humorem melancholicum, unde hoc genus uitij naſcitur, à toto corpore in primis uacuato.
2. Ergo, ſi ætas, & uires ferant, ſecta in cubito uena, ſanguinem primùm, quantũ res ipſa efflagitat, mittito.
3. Deinde medicamenta bilem atram per aluum exigentia, initio blanda & mitiora: poſtea uerò uehementiora paulatim uim eorum augendo, laboranti exhibeto.
4. Si menſtruæ purgationes in mulieribus ante quinquageſimum annum, aut mariſcæ tum in eis, tum in uiris, ex interuallis ſanguinem fundentes, ſuppreſſæ ſint, illas modis omnibus prouocato.
5. Interim tenuem uictus rationem, & quæ probum ſuccum ac minimè melancholicum generet, inſtituito.
6. Si prohibere non poſsis, quò minus ſuccus craſſus & melancholicus in uenis colligatur, eum ex interuallo, tum ſimplicibus tum compoſitis medicamentis uacuato.

Præcedentes aphoriſmi ad medicum ſpectant: qui vero ſequuntur, ad chirurgum pertinent.

7. Remedia affectæ parti ante purgationem, & in ipſo purgationis tempore repellentia: ubi uerò corpus integrè repurgatum eſt, digerentia: uiribus mediocria, & qualitate minimè mordentia, adhibeto.
8. Ergo ſolani ſuccum, uel medicamentum ex pompholyge, aut quod ex chalcite conſtat (diapalma uulgò appellatur) atque id genus alia dolenti loco admoueto.
9. Quòd ſi per chirurgiam cancrũ ſanare audebis, melancholico humore prius medici conſilio repurgato, quod uitiatum eſt prorſus excindito, & ſanguinem ſatis multum effluere ſinito, craſsioremq; ex uicinis partibus exprimito, atq; affectum tandem ſimiliter reliquis ulceribus ſanato.

FINIS LIBRI PRIMI INSTITVTIONVM CHIRVRgicarum, de tumoribus præter naturam, Ioan. Tagaultio Vimaco Medico authore.

GENERALIS DIVISIO VVLNERVM, IN LIBRVM SECVNDVM CHIRVRGICARVM INSTITVTIONVM IOAN. Tagaultij Medici.

Vnionis ſolutæ nomina ac differentiæ Galeno lib. quarto metho. medendi ſunt:

Trauma, id eſt, Solutio quædam ex uulnerando in carnoſa parte relicta.
Helcos, Vlcus, etiam in carne,
Catagma, Fractura in oſſe.
Spaſma, Conuulſio ſiue diſtenſio, in neruó.
Apoſpaſma, Auulſio in ligamentis.
Rhegma, Ruptio in muſculis.
Thlaſma, Colliſio, uel contuſio in uaſis propriè.

Soluunt etiam continuum.

Ecchymoſis ſiue ecchymoma. Dicitur quaſi inhumoratio, quæ fit, cùm ſanguis ſubter cutem effunditur, & coit: affectus plurimum unà cum contuſione ruptionemq́ incidens.
Anaſtomoſis.——Id eſt, oris uaſorum apertio.
Diapedeſis. Id eſt, tranſcolatio, ſubultus, aut exilitio. Fit tunica ipſa uaſorum ſanguinis rarefacta, aut gracilium uaſorum ore adaperto, & ſanguine tenuato. Ad anaſtomoſin ferè reducitur,
Anabroſis, ſeu diabroſis. Id eſt, eroſio. Venis aut arterijs intrinſecus accidit, ex ſucco aliquo, cui mordens natura inſit.

Species ſolutionis continui apud Auicennam, fen. 2. lib. primi, ſunt. Nihil refert ſi ſpeciem, uel differentiam hic dixeris.

Excoriatio, & ſacrificatio,——In cute.
Vulnus ſiue plaga,——In carne recens & cruenta.
Vlcus——In carne cum pure.
Punctura——In neruo.
Inciſio——In oſſe ſecundum latum.
Apertio——In uenis & arterijs.
Sciſſura,——Secundum longum in oſſe.
Contuſio,——Numeroſa continui ſolutio in oſſe.
Attritio,——In extremo muſculi.
Ruptura,——In panniculis, & diaphragmate.
Fractura,——In oſsibus.
Et quædam aliæ.

VVLNERVM DIFFERENTIAE.

Plagarum, ſeu trnentorum adhuc vulnerum, differentiæ Guidoni, & alijs noſtræ ætatis chirurgis, à tribus potiſsimum ſumuntur: Nempe.

1. A natura particularum, in quibus conſiſtunt.
2. Ab eſſentia ipſius ſolutionis continuitatis.
3. A proprijs differentijs ipſius ſolutionis unitatis, ex uulnere excitatæ.

1. *Vulnerum differentiæ, è natura particularum ſumptæ.*
   Vulnus in parte ſimilari.
   Vulnus in parte inſtrumentaria.

Vulnus in parte ſimilari.
Molli.
Dura.
Mediocri,

Vulnerum differentiæ à parte ſimilari affecta.

Vulnus in parte ſimilari molli.

Vulnus in carne.
Vulnus in pinguedine.

Vulnus in parte ſimilari dura.

Vulnus in oſſe.
Vulnus in iunctura.

Vulnus in parte conſimili mediocri.

Vulnus in neruo.
Vulnus in tendone.
Vulnus in ligamento.
Vulnus in arteria.
Vulnus in uena.

Vulnerum differentiæ à parte organica affecta.

Vulnus in parte organica, ſeu inſtrumentaria.

Vulnus in parte principe.
Vulnus in parte principi ſeruiente.
Vulnus in parte principi non ſubminiſtrante.

Vulnus in parte principe.

Vulnus in corde.
Vulnus in cerebro.
Vulnus in iecinore.

Vulnus in parte, principi parti miniſtrante.

Vulnus in aſpera arteria.
Vulnus in œſophago, ſiue gula.
Vulnus in ueſica, &c.

Vulnus in parte principi alicui membro non ſubſeruiente.

Vulnus in naſo.
Vulnus in aure.
Vulnus in oculis.
Vulnus in manu.
Vulnus in pede, &c.

2. *Vulnerum differentiæ, ſumptæ ab eſſentia ipſius ſolutionis continuitatis.*

Has & ſequentes differentias ſatius proſequemur in tractatu ſequenti de ulceribus.

Vulnus ſimplex, Id eſt, cum nullo alio affectu complicatum.

Vulnus compoſitum { Id eſt, cum alio quopiam uno, multisúe affectibus conſiſtens.

3. *Vulnerum ſimplicium differentiæ ſumptæ à proprijs differentijs ipſius ſolutionis vnionis, ſeu diuortij continui.*

Vulnus magnum,
Vulnus paruum,
Vulnus breue,
Vulnus longum.
Vulnus latum,
Vulnus anguſtum.
Vulnus in ſuperficie,
Vulnus profundum.
Vulnus æquale,
Vulnus inæquale.
} Spatium, quantitas, ſeu magnitudo diuiſionis.

Vulnus rectum.
Vulnus obliquum.
Vulnus retortum,
Vulnus uncum.
} Figura.

Sunt & aliæ adhuc differentiæ vulnerum, ſed extrinſecus accedentes à Galeno ſumptæ.

1. Agenera-

1. A generationis ratione.
2. A ſitu ſeu loco in eadem parte affecta.

1. *Differentiæ vulnerum à generationis ratione.*
Vulnus diruptum.
Vulnus inciſum.
Vulnus partim inciſum, partim diruptum.
Punctio nerui. Præciſio nerui.
Præciſio uenæ. Præciſio arteriæ.

2. *Vulnerum differentiæ à ſitu, ſeu loco in eadem parte affecta.*
Vulnus ſecundum longitudinem.
Vulnus ſecundum tranſuerſum.
Vulnus in principio muſculi.
Vulnus in fine muſculi.
Vulnus in medio muſculi.

His accedunt & aliæ differentiæ, ſed impropriè dictæ, à complexu vulneris.
1. Cum ſymptomate.
2. Cum morbo.

1. *Vulneris differentiæ à complexu cum ſymptomate.*
Vulnus crucians ſeu doloroſum.
Vulnus dolore uacans.
Vulnus pruriens, id eſt, cum pruritu affligens.
Vulnus cum delirio.
Vulnus cum impotentia membri.
Vulnus cum ſyncope.
Vulnus cum ſanguinis profuſione.

2. *Vulneris differentiæ à complexu cum morbo.*
Vulnus cum intemperie.
Vulnus cum phlegmone:
Vulnus cum eryſipelate.
Vulnus cum carne ſupercreſcente, &c.

Reliqua ex diuiſione de ulceribus ſunt requirenda.

INSTITVTIONVM CHIRVRGICARVM IOANNIS TAGAVLTII
MEDICI, IN QVO GENERATIM DE PLAGIS ſeu cruentis uulneribus tractatur.

LIBER SECVNDVS.

Quid vulnus, quæ ſint ſpecies ſolutæ vnitatis, quod vulnerum differentiæ, & à quibus ſumantur. Cap. I.

VLNVS (VT RECENTIORES DEFINIVNT chirurgi) ſolutio eſt continuitatis recens, cruenta, ſine pure, ſeu putrefactione, in particulis mollioribus extrinſecus incidens. Hanc unionis, continuitatisúe ſolutionem non modo Auicennæ interpres, ſed & omnes communiter plagam etiam appellant. Cæterùm in hac definitione ſolutio continuitatis (quæ & unitatis diuortium, ac diuiſio appellatur) generis locum ſibi uendicat: quippe quæ communis morbus ſit, tum ſimplibus (quas & ſimilares uocamus) tum compo

Vulneris definitio.

Definitionis uulneris examinatio.

Genus.

Galen. lib. 1. de morb. & ſympt. Auerr. 2. & 3. col.

Differentiæ.

ſitis ſeu organicis particulis. Primo tamen ac magis propriè ſimilaribus particulis conuenit atque attribuitur, quàm cõpoſitis. Reliqua quæ in definitione ſubnectuntur, differentiæ rationem habent: nempe recens, cruenta ſiue ſanguinolēta ſine pure ſeu putrefactione, quæ omnia ad differentiam ulceris poſita ſunt: quod quidem iuxta recentiorum placita, iam antiqua eſt unitatis ſolutio ſiue diuiſio, cum putri quadam humorum colluuiæ ſeu putrefactione, & abſque ſanguinis profuſione. Poſtrema definitionis particula, utpote in partibus mollioribus facta, ſiue incidens, adiecta eſt propter fracturas, quæ in duris partibus, cuiuſmodi ſunt oſſa, contingunt. Porrò iuxta hanc generalem particularum corporis humani diuiſionem, quidam chirurgiam bimembrem fecerunt. Alia enim eſt (inquiunt) quæ in carne, alia quæ in oſſe ſuas operationes exercet. Carnis enim nomine muſculos, neruos, uenas & arterias etiam intelligunt. Quæ omnia ſub mollibus & mediocribus particulis alij comprehenderunt. Dictionem extrinſecus in fine definitione adiecimus, ad differentiam ſolutionis unitatis, quæ fit à cauſa interna.

Solutæ unitatis uariæ ſpecies, apud Auicen.

Cæterùm ſolutionis continuitatis multæ ſunt ſpecies, in ſecunda fen. primi canonis Auicennæ enumeratæ. Vulnus, inquam, ulcus, apertio, ſciſſura, exciſio, punctura, inciſio, fractura, contuſio & id genus alia. Quorum deſcriptiones & differentiæ ſuis locis addentur.

Nomina ſolutæ unitatis Galen. lib. 4. metho. medendi

Nomina autem ſolutæ unitatis apud Galenū ſunt ἕλκος, id eſt, ulcus quod in carne eſt: κάταγμα, id eſt, fractura in oſſe: σπάσμα, id eſt, conuulſio ſiue diſtentio in neruo: ἀπόσπασμα, id eſt, auulſio uel diuulſio in ligamento: ῥῆγμα, id eſt, ruptio in muſculis: θλάσμα, id eſt, colliſio uel contuſio in uaſis propriè. Soluunt etiam continuum ἐκχύμωσις ſiue ἐκχύμωμα, id eſt, ſanguinis ſubtercutem effuſio & coitus, plurimùm unà cum contuſione, ruptioneqúe incidens, de qua latius in ſequentibus dicemus: ἀναστόμωσις, id eſt, oris uaſorum apertio, quatenus facit ecchymoſin: διαπήδησις, id eſt, tranſcolatio, ſubſultus, aut exilitio, quæ ad anoſtomoſin reducitur: ἀνάβρωσις, id eſt, eroſio, quæ & διάβρωσις dicitur. Porrò non adeò magna, atque anxia cura ipſorum nominum habenda eſt, modò res ipſa de qua agitur, intelligatur.

Vulnus & ulcus pro eodē.

Itaque ſæpius nomen unum pro altero ponitur. Vulnus enim & ulcus apud eos, qui Græcorum libros in Latinum ſermonem conuerterunt, idem omninò ſignificant, modoqúe unum, modò alterum pro re eadem uſurpatur. Apud eos uerò, qui Arabica Latina fecerunt, uulnus & ulcus aliquid inter ſe diſcriminis habent. Hi namque uulnus uel plagam appellant, ubi nondùm eſt pus: ulcus uerò, ubi iam pus adeſt. Et ſanè qui Græcos ſequuti ſunt rectius, quam qui Arabes ſunt imitati cenſuerūt.

Vulnerū duæ differentię primæ.

Vulnerum ſiue ulcerum duæ ſunt duntaxat primæ ac maximæ differentiæ Galeno, in quarto libro Therapeutices. Omne namque ulcus ſiue uulnus, uel abſente cauſa, quæ ipſum excitauit, conſiſtit, uel efficientem ipſam cauſam ſecum annexam habet.

Differentiæ uulnerum à tribus ponſiſimum ſumuntur.

Solutionis autem huiuſmodi continuitatis ſpecies, ſed præſertim uulneris, potiſsimas ac præcipuas ſuas differentias à tribus Guidoni, ac illius ætatis chirurgis deſumuntur.

1. A natura partium.

Diuiſio partium.

PRIMO à natura particularū, ſiue à locis affectis, in quibus conſiſtunt. Quędam enim (ut libro tertio artis paruæ refert Galenus) fiunt in partibus conſimilibus, ſiue homiomeris: quædā uerò in organicis, ſiue inſtrumentarijs. Aliæ item in mollibus particulis, aliæ in duris, aliæ uerò in mediocribus, id eſt, in ijs quæ inter duras & molles ambigunt. Quæ in particulis mollibus contingunt: aliæ quidem ſunt in carne, aliæ in adipe ſiue pinguedine. Ex ijs uerò, quæ in duris fiunt partibus, aliæ oſſium ſubſtantiam occupant, aliæ iuncturas ipſas. Denique quæ in mediocribus particulis incidunt, quædam in neruis, tendonibus, & ſyndeſmis, id eſt, nerueis ligamentis ſiue copulis: quædam in uenis & arterijs conſiſtunt. Quæ autem organicas partes inuadunt, aliæ in principalibus membris fiunt, ut in corde, cerebro & hepate: aliæ uerò in ijs, quæ principibus ipſis particulis ſubminiſtrant, ut in aſpera arteria, œſophago ſiue gula, & ueſica: aliæ item in

non ſubſeruientibus ipſis principijs ſeu principalibus membris, ut in auriculis, pedibus, manibus, oculis, naſo, & id genus alijs. Differunt quoque uulnera ſiue plagæ, pro telorum ac rerum à quibus inferuntur uarietate, ut in ſequentibus dicetur.

2. Ab eſſentia morbi.

SECVNDO ſumuntur differentiæ ſolutionis continuitatis, ſed præſertim uulnerum ab ipſius morbi eſſentia, ut Galenus docuit libro tertio methodi medendi. Quædam enim ſolutio unitatis ſimplex eſt, quædam uerò compoſita. Ac ſimplex quidem appellatur, ſi nec morbus ullus, nec ſymptoma ſimul adſit cum ipſa. Compoſita uerò, quando duos uel plures affectus ſecum adiunctos habet, ut à Galeno ſcriptum eſt libro quarto Therapeutices: quod & in ſequenti capite, ac rurſus in tractatu de ulceribus dicetur. Scribit autem ad hunc „ modum Galenus loco nuper citato: Omne ulcus [ſiue uulnus] aut ſolum eſt, „ ipſumq́ per ſe nullo nec cum eo ſimul inuadente, nec ipſum præcedente, aut ſe- „ quente alio affectu, aut cum alio quopiam uno, multiſue conſiſtit. Quorum alij „ non modò ſtatim ab initio ulcus excitarunt, ſed etiam nunc maius efficiunt: alij „ eius fine quo non, ut ad curandi opus rationem obtinent.

3. Differentiæ ſumptæ à natura uulneris.

TERTIO deſumuntur uulnerum differentiæ, à proprijs differentijs ipſius ſolutionis unitatis ex uulnere excitatæ. Cæterùm propriç eiuſmodi differentiæ ſumuntur rurſus ab ipſa uulneris natura, ut Galenus nobis indicauit libro tertio methodi medendi. Nempe à ſpatio ſeu quantitate diuiſionis, ut à magnitudine & paruitate, æqualitate & inæqualitate, profunditate & ſuperficie, breuitate & longitudine. Item à figura, ut à rectitudine & obliquitate. Ad hæc à generationis ratione, ut quia totum ſit inciſum, uel totum diruptum, uel pars inciſa, pars dirupta. Et ab id genus alijs, quæ fuſius in tractatu de ulceribus, qui hunc proximè ſequitur, explicabuntur. Porrò ab huiuſmodi differentijs, iudicia, curandi indicationes, auxilia quoque, & modus curationis omninò deſumuntur, ut ex ſequentibus manifeſtum euadet. Itaq; non ſatis eſt primas illas indicationes quæ ex affectibus deſumuntur, nouiſſe. Hæ namq; principium tantùm ſunt, & (ut ſic dicaſ) carcer, unde medendi ratio promouet. Nulla aũt prorſus ipſius medicinç artis portio, aut certè nec magna, nec propria, aut ratione digna, ſed quæ etiã (ut tertio Terapeu. ait Galenus) plebeis ſit cõmunis, & nota. Non ergo ſatis eſt noſſe, quid ex prima indicatione agendum ſit, ſed & particulares indicationes diligenter conſyderandæ ſunt: cuiuſque ſcilicet particulæ ſubſtantiam æſtimando, tum actionem tum uſum ſitumque. A quibus procedens, non ſolùm quod ſanari non poteſt, præuidebis: ſed etiam quod recipere ſanitatem poteſt, de inueniendis ei remedijs facilè deliberabis. Solus igitur is meritò morborum eſt curator, cui facultas eſt illa remedia inueniendi, ex quibus perfici poſsit quod à prima indicatione ſuggeritur. Eritq́ue hoc ipſum primum artis opus, ut intelligas, ſperaré ne id, quò tendis, debeas, an ſecus. Eius autem rei duplex cognitio eſt Galeno, nec poteſt addi ratio tertia. Altera per experientiam, cui longo uſui eſt opus. Altera per ipſius rei naturam, quam ratione quadam, & methodo diſquirimus, perpendendo ſcilicet non modò corporis uniuerſi, ſed etiam afflictæ particulæ temperamentum, & reliqua quæ modò diximus.

Galenus. 3. Therap. Indicatio quæ à morbo ſumitur, principiũ tantum eſt methodi, quæ de medendo inſtituitur.

Cognitio quç habetur per ipſius rei naturam quæ perpendat.

Morborũ uerus curator quis.

Primum artis opus eſſe ut cognoſcas an ſperari poſsit quod deſtinas. Lib. 3. meth. medendi.

De cauſis, ſignis, & iudicijs vulnerum. *Cap. II.*

Solutæ cõtinuitatis cauſæ uniuerſales. 2.

TAMETSI Galenus libro ſecundo de morbis & ſymptomatis omnes ſolutæ unitatis (qui morbus eſt omnib. partibus communis) cauſas ſumatim in duas reuocat: (aut enim, inquit, extrinſecus irruũt, aut ex ipſo corpore oriuntur:) recentium tamen uulnerum, prout huiuſmodi, id eſt quatenus recentes ac cruentæ plagæ ſunt, cauſç cenſentur, quęcunq; extrinſecus aduenientia uulnerare, perforare, incidere, abrumpere, contundere

Haly. ac diſtendere poſſunt. Has autem uulnerũ cauſas ſpeciatim expreſsit Haly Abb. ſermone quarto regalis diſpoſitionis, dum ait: Vulnera fiunt, uel à corpore inanimato, ut enſe, baculo, lapide, aut alio quouis ſimili: aut ab animato, ut uenenatorum animalium pũctura, aut ferarum morſu. Ex quibus aliæ rurſus ſumuntur uulnerum differentiæ. Quandoquidem alia inciſiones, alia contuſiones, alia uerò morſuræ dicuntur. A quibus etiam curandi indicationes nobis ſuggeruntur, per accidens tamen. Demonſtratum namque eſt à Galeno libro quarto methodi medendi, nullam externarum, uelut (ut nunc loquuntur) primitiuarũ cauſarum curationis indicatricem eſſe, ſed huius indicationem ab ipſo affectu initium habere. A nullo enim, inquit, eorum quæ adhuc non permanent, indicatio ſumi eius, quod ex uſu ſit, poteſt. Verùm quoniam ad eum affectum noſcendum, qui omninò tum rationem tum ſenſum lateat, ſæpe cogimur de externa cauſa inquirere: opinatur uulgus hanc quoq; ſanationis rationem indicare: quod planè ſecus eſt. Nam quod adhuc non eſt (ut cauſa externa) curationem non deſyderat. Quippe rei præſentis tantum eſt curatio, ut eius quod futurum eſt prouidentia. Quòd ſi id, quod amplius non eſt, curationem non poſtulet, neq; ſanè ab eo ulla ſumi poteſt curandi indicatio. Siquidem abſurdum ſit (ut Galenus ait) aliud eſſe quod curandi rationem præſcribat, aliud quod curetur, & econtrà. Nihil igitur ad curationis indicationem conducit, externa cauſa cognita, ſicuti nec tempus ipſum, ſed ad præſentis duntaxat affectus (qui noſtram fugit notitiam) cognitionem. Quare dicere indicationem curationis ab externa cauſa, quæ uulnus excitauit, deſumi, omnimodo eſt abſurdum. Quod enim nec nunc lædit, nec læſurum timetur, id ab utroque artis munere, tum eo quod curat, tum eo quod prouidet, exceſsit. Itaque (ut breuiter dicam) ubi præſentis affectus nihil latet, nulla iam externæ cauſæ, ſicuti nec temporis, eſt utilitas.

Externæ cauſæ curationẽ non indicant ſed affectum.

Rei præſentis eſt curatio nõ abſentis.

3. methodi ſtatim ab initio.

De ſignis & iudicijs vulnerum. Cap. III.

NOTAE uulnerum non aliunde petendæ ſunt, quàm ex iudicio ſenſus, ſed uiſus maximè. Iudicia uerò ſeu ſigna prognoſtica ipſorũ, ſicuti etiam & omnis ſolutionis continuitatis, deſumuntur ex ſubſtãtia, ſitu, atque actione affectæ cuiuſque particulæ. Et præterea ex propria ipſius diſpoſitionis ſiue affectus eſſentia. Item ex ſymptomatis, quę uulneribus ipſis accedunt, ut ex ſequentibus patebit.

NOTAE & iudicia uulnerũ unde petantur.

ITAQVE iudicat Gale. libro quarto Therapeutices, quòd magna & grauia uulnera non mediocre afferunt periculum. Trifariam autem uulnera ipſa, utreliqua omnia uitia grauia magnaq; redduntur. Nempe uel propter afflictæ partis præſtantiam ſiue præcellentiam, uel propter affectus magnitudinem, uel propterea quòd ſunt cacoëthe, id eſt, maligna, contumacia ac rebellia. Hinc uulnera, quæ in capita accepta ſunt, aut intra thoracem, intraúe etiam peritonęum penetrauerunt, non paruum periculum aduehunt, potiſsimum ſi quid interiorum unà ſit uulneratum.

Vulnera trifariam magna & grauia reddi.

QVINETIAM cacoëthe eſſe, quæcunq; in articulis accepta uulnera ſunt, id quoque (ut Galenus inquit) omnes ferè ſciunt: empirici quidem ex ſola ipſa experientia. Qui uerò corporis naturæ ſcientiam comparare ſtuduerunt, ex ipſa uulneratarum partium natura. Vbi tendones, & nerui, & carne uacua, atque oſſea loca ſunt, hic doloris, uigiliarum, conuulſionis, & delirij periculum inſtat. Ad hæc uulnera, quæ adeò magna ſunt ut ſuturis indigeant, aut ſi non his, certè deligatura, periculo non uacant. Cuiuſmodi ſunt ea quæ principales muſculos per tranſuerſum penitus diuidunt, magnaſq́ue uenas, neruos & arterias, atque etiam medullas ipſas diſcindunt, ac contundunt. Primùm (nempe partis læſæ præſtantiam) hoc aphoriſmo nobis expreſsit Hippocrates. Veſica deſciſſa [id eſt ma-

Vulnera in articulis Cacoëthe eſſe. Lib. 14. Therap.

Vulnera quæ ſuturis indigent, periculo non uacare. Præſtantia partis. 18. Lib. 6.

„ eſt magno atque profundo uulnere diuiſa] aut cerebro, aut corde, aut ſepto „ tranſuerſo,aut aliquo ex tenuioribus inteſtinis, aut uentriculo, aut iecore,leta- „ le eſt. Tertij uerò, utpote cacoethiæ, mentionem fecit ille idem ἀρχιατρὸς alijs in aphoriſmis: ubi tradit eos, quibus tumores in ulceribus apparent, non admodum conuelli neque inſanire: uerùm his derepente euaneſcentibus, quibuſdam conuulſiones & diſtentiones fieri: quando ſcilicet uulnera à tergo infeſtant: quibuſdam uerò inſaniam uel lateris dolorem acutum, uel ſuppurationem, cùm ſcilicet in partibus anterioribus, quæ uenoſæ ſunt, atque arterioſæ, uulnera contigerint: uel inteſtinorum difficultatem (quam ſanguineam nominant) ſi tumores ſunt rubicundi, id eſt, ſanguinei. Idem mox ſubiungit, quòd ſi in uulneribus præualidis, ſiue fortibus & prauis, tumor non appareat, malum eſt ingens, hoc eſt, noxa eſt magna. Etenim in his ſuſpicari licet materiam, quæ uulneribus decumbere aſſolet, auerti ac tranſmutari in ſedem aliquam principem. Vulnera autem praua hìc appellari ab Hippocrate (ut Galenus ait in commentario) exiſtimandum eſt, quæ ſunt in capitibus aut finibus muſculorum & maximè neruoſorum. Nam in capitibus muſculorum, muſculis nerui adnaſcuntur, ex finibus autem tendones oriuntur. Cæterùm nomine periculi in præcedentibus, intelligitur mors, uel totius corporis, uel particularis membri, quę quidem uitę eſt priuatio: aut (ut dicunt) maleficium, aut læſæ partis impotentia perpetua & inexpugnabilis, hoc eſt, priuatio ſenſus ac motus, ac propriæ actionis ipſius: adeò, ut non amplius membrum aut particula corporis propriè nuncupetur, ſed denominatiuè (ut aiunt) & æquiuocè, ueluti lapideus oculus, aut æreus: ut uoluit Ariſt. libro ſecundo de anima, & quarto Metheo.

Aphor. 65. li. 5.

Tumores de repente deuaneſcentes, mali portendũt.

Aph. 66. lib. 5.

Praua uulnera.

Nomine periculi quid ſignificet.

PORRO iudicij huiuſmodi uulnerum cognitio, apprimè neceſſaria eſt cuicunque chirurgo, ſed ei maximè, qui ex decreto magiſtratus, ſuper acceptis uulneribus in prohibito conflictu, ac illicita pugna iudicium rectum ac æquum ferre cõpellitur. Itaque ante omnia ſcire debet chirurgus, quæ uulnera letalia ſint, „ ac inſanabilia: quæ difficilem curationem habeant, quæ promptiorem. Eſt enim „ prudentis hominis (ut rectè nos admonet Celſus) primum eum, qui ſeruari non „ poteſt, nõ attingere nec ſubire ſpeciem eius, ut occiſi quem ſors ipſius peremit. „ Deinde ubi grauis metus, ſine certa tamen deſperatione eſt, indicare neceſſarijs „ [id eſt, familiaribus & amicis periclitantis] in difficili rem eſſe: ne ſi uicta ars ma„ lo fuerit, uel ignoraſſe uel feſelliſſe uideatur. Sed ut hæc (inquit) prudenti uiro „ conueniunt: ſic rurſus hiſtrionis eſt, paruam rem attollere, quò plus præſtitiſſe uideatur. Cæterùm (ut ad propoſitum reuertamur) ſcire oportet ex mente Galeni in commentario aphoriſmi paulò antè citati, ueſica diſciſſa, &c. uulnerum quędam eſſe ualde, & ex neceſsitate letalia: quędam uerò non ex neceſsitate, ſed magna ex parte talia eſſe: contrà uerò quædam omninò ſanabilia, quædam ut plurimùm.

Vtilitas ac neceſsitas doctrinę prognoſticæ uulnerum.

Lib. 5.

LETALIA ſunt ex neceſsitate ac inſanabilia, quę cordis ſubſtantiam penetrant. Hæc enim protinus hominem è uita tollunt. Quandoquidem corde ſic percuſſo, totus ſanguis, ita imperante natura, affatim ad ipſum, ueluti ad præcipuam uitæ arcem confugit, ac ex omnibus corporis partibus ut læſæ parti ferat ſuppetias, tranſmittitur: unde maxima ſtatim fit ſanguinis profuſio, quam & ſpirituum reſolutio mox cõſequitur, uel in percuſſo uiſcere tumor præter naturã, maximè autem phlegmone excitatur: uel tanta fit ſanguinis collectio, obſtructioqúe tam inſignis, ut uitalis ſpiritus in corpus uniuerſum, ut oportebat, amplius diffundi non poſsit. Quò fit ut uenis & arterijs langueſcentibus, palleſcente uultu & frigido, maliq; odoris oborto ſudore, extremisq; partibus frigidis apparentibus matura mors ſequatur. Cor enim neq; ſolutionem continui diu, neque (ut inquit Auicenna) apoſtema uita permanente, perferre poteſt.

Vuulnera ex neceſsitate letalia.

Cordis uulnus cur letale.

3. primi ca. 5.

SED & mortem etiam afferunt ineuitabilem, magna ac profunda uulnera

Cerebri uulnera.

ſubſtantiæ cerebri,iecinoris,diaphragmatis,ſtomachi ſeu œſophagi, uentriculi, aſperæ arteriæ,pulmonis,lienis,cyſtis fellis,renum quoq́, & tenuium inteſtinorum,præſertim eius quod ieiunum appellatur, atq́ id genus aliorum membrorum principalium,aut ipſis principalibus membris ſeruientium,miniſterio quidem,ceu ad uitam neceſſario. Ideò autem uulnera eiuſmodi letalia ex neceſsitate dicuntur,quoniam nullus ex eis ſeruatur unquam,mortemq́ concinnant inexcuſabilem,ut in ſequentibus demonſtrabitur. Seruari etiam non poſſunt Celſo,quibus in ſpina medulla percuſſa eſt, & quibus circa fauces grãdes uenæ, uel arteriæ præciſæ ſunt.

Vulnera magna ex parte letalia.

VVLNERA uerò ea non ex neceſsitate, ſed ſecundum plurimum mortalia dicuntur,quæ ad regionem prædictarum partium perueniunt,uel eas leuiter ac ſuperficie tenùs duntaxat attingunt,non autem præaltè adiguntur, nec effatu digna ſunt. Adhæc quæ in capite muſculorum accepta fuerunt. Ob id autem mortalia ut plurimùm,at non ex neceſsitate dicuntur,quoniam uulneratis, niſi ritè tractentur,prorſus ex eis commoriendum ſit. Si uerò in nullo peccatum ſit, illos interdùm ſanari contingit. Hinc Guido ſe quendam uidiſſe affirmat,qui in parte poſtica capitis uulnus acceperat, ex quo parua quædam portio ſubſtantiæ cerebri exierat (ut ex memoriæ læſione cognitum eſt) & tamen is à tali uulnere conualuit,reſtitutaqúe eſt illi ex integro poſt curationem uulneris,memoria. Non tamen aſſerit illum ſuperſtitem permanere potuiſſe, ſi tota una cellula ſeu totus unus uentriculus, per uulnus exiuiſſet:ut de quodam Cellario refert Theodoricus. Sed nec Galenus etiam affirmat in illo adoleſcente, quem uulneratum uidit Smyrnæ in Ionia,uiuente adhuc præceptore ſuo Pelope,aliquid ſubſtantiæ cerebri ademptum fuiſſe, ſed duntaxat eum uulnus effatu dignum accepiſſe,in altero anteriorum uentriculorum cerebri:quos ob id geminos natura condidit,ut ſi alter ipſorum læſus fuerit,reliquus adhuc ſubſeruiat. Sed & hoc tanquàm admirabile, ac ſtupendum quoddam, incredibileq́ ſpectaculum, ſeu naturæ miraculum narrat idem Gale. lib. octauo de uſu partium corporis humani:ipſumqúe adoleſcentem tandem ſanatum fuiſſe refert,Dei potius, ut credebatur uoluntate, quàm arte. Quod ſi (inquit) ambo uentriculi ſimul fuiſſent uulnerati,ne temporis quidem momentum is uiuere potuiſſet. Vnde colligit ibidem geminitatis (ut ſic dicam) quorundam organorum neceſsitatem. Cerebrum itaq́ inſigniter,& ad uentriculos uſq́ uulneratum ſanari,rariſsimum eſt,& penè incredibile ut in cõmentario aphoriſmi ſuperius citati,Galenus aſſeuerat: ubi uerum eſſe ſcribit, ꝙ magna uulnera quæ conſueuit Hippocrates nominare diſciſsiones & præciſiones in prænominatis particulis mortem afferunt ineuitabilem: fateriq́ omnes, quod uulnera quæ uſq́ ad aliquem uentriculorum cerebri penetrant,proculdubio internecant, mortemq́ afferunt præproperam.

Guido.

Com. 18. lib. 6. aph.

Adoleſcẽs ex uulnere cerebri conualuit.

18. Lib. 6.

Vulnera cerebri cur letalia.

PORRò uulnera cerebri, & membranarum ipſum obuoluentibus (quas Græci μήνιγγας uocant) ideo letalia ſunt,quoniam ad læſionem ipſius cerebri & mẽbranarum ipſum continentium,ſequitur læſio & interdum abolitio actionis muſculorum thoracis, & aliorum membrorum reſpirationi ſubſeruientium. Horum autem actione deperdita,perire ſimul reſpirationem neceſſe eſt. Vnde cordis quoq́ temperamentum ſoluitur. Quo fit tandem ut etiam animalis ipſius neceſſariò ſequatur interitus,ut lib. quinto de locis affectis ſcribit Galenus. Cerebro igitur læſo inſigniter,aut meningibus ipſum continentibus diſciſsis,homini atq́ omni animalium prorſus commoriendum eſt.

Hepatis uulnus.

GVIDO à Cauliaco aſſerit hepatis, uulnera etiam circa fibras ipſius non admodũ tamẽ profunda,nec cũ ablatione alicuius portionis ſubſtãtiæ ipſius glutinari,& ꝓſus ſanari. Qua in re Galenũ ſequutᵘ eſt,q in cõmentario decimo octauo libri ſexti aphoriſ. haud quaquã ueritati conſentanea eos dixiſſe refert,q non ſolùm uulnera,quę in ſumma iecinoris parte conſiſtunt,ſanari poſſe affirmabãt,

ſed

ſed & profunda quoque in fibris eius facta,imò & fibras ipſas abſciſſas. Cauſa autem ob quam uulnera iecinoris magna ex parte letalia ſunt,eſt, quia propter defectum nutritionis cor languet ac emoritur, atque ita tandem deperit animans, ſed non illicò. Quandoquidem ob uirium hepatis imbecillitatem, ſine alimento permanens,diutius etiam ſufficere poteſt: ut Galenus eſt author libro quinto » de locis affectis,ſic inquiens: Vbi iecur affectum eſt:tum ob inediam moriun» tur animalia:uerùm per longa temporum ſpatia,in huiuſmodi affectibus uitam » protelare poſſunt.Sed de intemperie & morbis in compoſitione hoc loco potius agit Galenus, quam de uulnere. Si autem uulnera hepatis magna, ac profunda ſint,uena quę porta dicta iecinoris cauo commiſſa,uel concaua ab ipſius gibbo prodiens, diſſecta fuerit,larga ſanguinis profuſione moriuntur, qui ita ſunt uulnerati,priuſquàm uulnera agglutinentur.

Vulnera diaphragmatis quando inſanabilia.
Neruoſa ſubſtantia,& motus agglutinationem impediunt.
Lib. 5. meth. medendi.

VVLNERA quoque diaphragmatis, prorſus incurabilia ſunt,maximè ſi in partes eius neruoſa fiant. Hac enim parte exangue eſt:adhæc in continuo eſt motu.Quæ duo ſanè prohibent,ne labra uulneris agglutinentur,coaleſcantúe. Neruoſa nanque corpora ſemel diuiſa, nunquam coëunt,ea præſertim quæ in iugi, ſeu perpetuò ſunt motu,cuiuſmodi eſt ſeptum tranſuerſum, Quippe tametſi dici ſolet,quòd uulnera quæ ſananda ſunt,utique quietem requirunt, nó ſolus tamen motus diaphragmatis,etiam ſi perpetuus, uulneris agglutinationem impedit, ſed & neruoſa quoq; cum ipſa ſubſtantia. Quod abundè teſtatur Galenus „ his uerbis: Tranſuerſi ſepti uulnera, in carnoſis quidem partibus ſubindè coale„ ſcere ſunt uiſa,eius motu non obſtante. Quæ uerò in neruoſis eius hærent, inſa„ nabilia ſunt.Sanè difficilis grauiſq; curatio eſt etiam eorum,quę in carnoſis ſunt „ partibus,ſi has iam phlegmone occupauit. Accidit autem hæc curandi difficultas ob eam rem,quòd in ea uulnera ſanies defluat, quæ impediméto eſt, ne labra ſolutæ unitatis coaleſcant.

Pulmonis uulnera.

VVLNERA autem quæ pulmonibus incidunt,ideò curatu ſunt difficillima, imò magna ex parte inſanabilia: quoniam promptiſsimè phlegmonem excitát, quæ ſi ſemel occupauerit, exigua (inquit Galenus) uulneris glutinandi ſpes eſt. Adde quod ea quæ ſanandis ulceribus idonea ſunt medicamenta, contingere illa integris ſaltem uiribus non poſſunt.Accedit præterea & illis ſanandi difficultas, ꝙ reſpirando mouentur,& tuſsiendo lacerátur.

Trachiæ arteriæ uulnera.

CAETERVM uulnera trachææ,id eſt,aſperæ arteriæ effatu digna,& maximè quæ cartilagineam eiuſdem ſubſtantiam occupant, raró etiam ad ſanitatem perducuntur Particula enim hæc dura eſt & exanguis,aſsiduaq; per uulnus fit reſpiratio,quæ ſanè impedimento eſt,quominus labra coaleſcant.

Oeſophagi uulnera.
Lib. 6. meth.

MAGNA quoque œſophagi uulnera,inter exitialia atque inſanabilia numerari ſolent,tum ob cibi ac potus per eum tranſitum,qui ſanè agglutinationé prohibet, tum quod eiuſmodi uulnera duntaxat (ut Galenus ait) contra medicamentorum in tranſitu fruuntur, ſicuti & quæ in ore,ſeu orificio uentriculi conſiſtunt. Verùm his quæ ori ipſius uentriculi inſident, ſenſus quoque acumen ſanationi obſtat.

Venarum iugularium uulnera.

IVGVLARES uenæ(quas & organicas uocant) grandi uulnere percuſſæ, ægrè & raró curationi cedunt: tum quòd larga ſanguinis profuſione, hominem uitali ſpiritu exhauriant: tum quòd ligaturam ſtringendo ac ſiſtendo, ſanguini neceſſariam,propter imminens ſuffocationis periculum ſuſtinere non poſſint.

Ventriculi uulnera.
Ieiuni
Matricis
Renum
Veſicæ
Cyſtis fellis

VENTRICVLI diſciſiones & tenuium quoque inteſtinorum, ſed omnium maximè ieiuni, matricis,renum ueſicæ,& folliculi fellis,modo quo ſuprà diximus, ob id letales ſunt, quòd hæ omnes particulæ neruoſæ ſint & exangues, per eáſque uitioſarum ac ſuperuacanearum humiditatum tranſitus fiat. Adde quòd earum uſus perpetuò uitæ conſeruandæ eſt neceſſarius,nedùm utilis. Adhæc medicamenta his locis penitioribus non poſſunt cómodè admoueri.Porrò

per uerbum diſciſsiones, magna (uti ſuperius diximus) ac profunda uulnera intelligimus, & ad ſinum uſque interiorem longè lateqúe penetrantia, qualia eſſe cernuntur in ijs, quæ penitus ſunt exciſa. Hac autem dictione ex induſtria uſi ſumus, ne quis putet uulnus quodcunque in prænominatis partibus exitiale eſſe atq; inſanabile. Ventriculus nanque & tenuiora inteſtina, quia non parùm participant carnoſa ſubſtantia, ſi in ſumma parte duntaxat uulnerata ſint, ſæpenumero agglutinantur, & uelut collato fœdere in robur ſubſtantiæ corpulentæ concordi concretione coaleſcunt. Sic & ueſicæ ceruicem, ſiue collum quotidiè ſanari uidemus, cùm ex ea lapis extrahitur, quoniam ex parte carnoſa eſt. Idem & de alijs partibus iure credi poteſt, ſi per ſumma corporis, ſeu ſubſtantiæ earum uulnus duntaxat acceperint.

Gal. comm. 18. lib. 6. aphoriſ.

Ieiuni uulnus cur inſanabile. Lib. 6. The. Lib. 6. c. 42. Gal. lib. 5. de uſu partium.

VERVMENIMVERO ieiunum inteſtinum uulneratum omnium maximè inter tenuia incurabile eſſe omninò à Galeno & à Paulo prædicat, tum propter uaſorum quæ in eo ſunt, magnitudinem multitudinemq;: tum ꝙ tunica prę tenuis neruoſaq; exiſtat. Adde ꝙ & bilem ſynceram hoc inteſtinum ex cholagogis porris recipit uniuerſam, & omnium maximè iecori uicinum habetur.

Lienis uulnera.

LIENIS uulnera, cùm munus habeat toti corpori apprimè utile ac propè neceſſarium, ſitq; (ut nonnulli dixerunt) ueluti alterum hepar, periculoſa ſunt, non adeò tamen, ut aliarum modo dictarum particularum.

Vulnera penetrantia.

HI quoque in præcipiti ſunt, in quibus uſque ad cauitatem membrorum intus conditorum uulnera perueniunt. Hæc enim ut plurimùm letalia ſunt, tum quia aër externus & nos ambiens, per ea non alteratus ingrediens, internas partes non parum offendit: tum quia per eadem internus exhalat ſpiritus, quo ſic expirante & euaneſcente, uirtutis robur inſigniter offenditur & diſſoluitur, multoqúe imbecillius redditur. Accedit huc, quod huiuſmodi uulnera haud commodè detergi poſſunt: quodqúe ea tandem degenerant in fiſtulas & empymata, id eſt, purulentas collectiones excitant: unde & mors ipſis uulneratis demùm accidit. Signa autem, quibus prædictarum partium internarum uulnera deprehēdi poſsint, tedioſę prolixitatis uitandæ gratia, in hac uulnerum uniuerſali methodo, conſultò prætermiſimus.

Vulnera in capite muſculorum.

CAETERVM uulnera & puncturæ, quæ in capite muſculorum fiunt, ubi nerui, tendones, & ligamenta ferè carne nudantur: item quæ tribus digitis à iunctura diſtant, & quæ prope tempora accepta ſunt, magna ex parte letalia exiſtūt, Nerui uerò & tendonis punctura, propter ſenſus uehementiam, & quoniam hęc pars principio, id eſt, cerebro continuatur, prompta eſt ad neruorum conuulſionem excitandam: ac tum præſertim, cùm nihil extrorſum expirat, obcæcato cutis uulnere: ut Galenus annotauit in opuſculo cui titulum fecit μικρὰ τέχνη. Proinde huiuſmodi punctio mortem accerſit. Noxa enim quæ cerebro illata eſt, ſtatim communicatur organis reſpirationi ſeruientibus, ut iam ſuprà dictum eſt. Quocirca quinto libro aphoriſmorum ſcripſit Hippocrates, Conuulſio ex uulnere letalis eſt. Non quidem (ut Galenus ait in comment.) ex neceſsitate, ſed admodùm crebo: letalis enim nomine hîc, ut & in plæriſque alijs aphoriſmis, uſus eſt Hippocrates pro periculoſa, & ad mortem ſæpius perducente. Fiunt autem ex uulneribus conuulſiones ſiue ſpaſmi, ratione ſubſequentis ea inflammationis, ubi neruoſas partes attigerit. Et primùm quidem uidentur conuelli quæ è directo ſunt partium inflammatione laborantium: deinde ſic poſtquàm & principium attigerit paſsio, ad totum extenditur corpus.

Nerui & tendonis punctura.

Spaſmus ex uulnere letalis, id eſt, ualde periculoſus.

Spaſmi ex uulnere cauſa.

Vulnera membrorum particularium quādo ipſis mortalia.

MEMBRA autem particularia ex accepto uulnere indicantur emortua, quādo principes ac maiores uenæ, arteriæ quoque & oſſa, à quibus uitam, nutricationem & fulcimentum accipiebant, penitus exciſa ſunt & deſtructa: incipiuntq; liueſcere ac nigreſcere, mortis habitum induere, ac cadaueris formam repræſentare, non ſecus quàm in gangræna, & ſphacelo, ut uidere eſt in exciſionē brachiorum & tibiarum.

IVDICANTVR itidem membra ad uſum à natura inſtitutum fore inepta, & perpetuò impotentia, quando nerui, tendones, & ligamenta (quos Græci ſyndeſmos uocant) penitus ſunt abſciſſa & deſtructa, ſuamq; protinus actioné perdunt, ac reſiccari & tabeſcere incipiunt.

Vulnera quando membris impotentiam afferunt.

VVLNERA ea omnium tutiſsima ſunt, & omninò (ut dicunt) ſanabilia, quæ in euchymis, id eſt, boni ſucci corporibus, & in locis carnoſis accepta ſunt, ubi & nerui pauci & uenæ, & arteriæ non multæ reperiuntur. Adhæc quæ diuiſionis magnitudinem non habent, hoc eſt, longitudinem, latitudinem, aut profunditatem non multam. Periculum enim facit uulnus, quodcunque magnum eſt. Ratio autem ob quam hæc uulnera tutiorem habent curationem, omniumqúe minimè formidanda ſunt, eſt, quoniam ea nec febris, nec praua aliqua ſymptωmata ſequi conſueuerunt, modò ſaltem rectè, & ut res expoſtulat, tractentur. Quocirca rectè ac prudenter feceris, ſi in tuis aſſertionibus, ſeu (ut dicunt) depoſitionibus hoc præfatus fueris, atque etiam addideris, dummodò nihil aliud ſuperuenerit, quod nec impræſentiarum apparet, nec in talibus accidere ſolet.

Vulnera tutiorem curationem habétia. Cornel. Celſ.

VVLNERA autem, quæ ut plurimùm ſanabilia dicuntur, mediamqúe inter duo dicta extrema (nempe omnino ſanabilia, & ex neceſsitate letalia) naturam ſortiuntur, ea ſunt quæ in capite muſculorum carnoſorum longè à iuncturis & temporibus: item quæ in caluaria, quam Græci κρἀνιον nominant, thorace & uẽtre incidunt. Hæc enim ſi ritè atque ex arte tractentur, adhibeaturq; diligens cura, & laborans obedientem ſe præſtiterit, in nullo propriè indulgens uoluptati, exterioraq; omnia ritè adſint apparata, curationem indubiè recipere poſſunt. Si uerò in ijs peccatum ſit eorum curationem intercipi contingit, hominemq; tandem ad interitum deduci. Proinde cùm de illis ferre iudicium uolueris, huius rei mentionem (ut nomini tuo conſulas) te facere oportet.

Vulnera ut plurimum ſanabilia.

CAETERVM ſi coactus fueris à magiſtratu, ſuper aliquo uulnere ſententiã ferre, eiuſq; euentum quantùm ars permittit, prædicere, in primis annotandum tibi eſt, in ſchedis tuo chirographo obſignandis, quod ex mandato ipſius magiſtratus, uulneratũ inuiſeris, & uulnus ſeu uulnera omnia, ſi plura fuerint, diligenter & accuratè inſpexeris. Deinde uulnus, aut uulnera nomine expreſſo ac proprio, unà cum affecto loco exprimere debes. Poſtremò tuę cenſuræ cauſam ac iudicij per te lati, rationem te ſubijcere oportet. At uerò interim te admonitum uelim, ne iudicium tuum in hac re præcipites, ſed maturè, prudenter, ac circunſpectè omnia definias. Quandoquidem (ut ait ille) omne in præcipiti uitium ſtetit. Et ut à ſeniore illo Hippocrate bonarum artium primario authore ſcriptum eſt, iudicium eſt difficile. Itaque tametſi terminus ultimus uulnerum ſit quadrageſimus dies: primus uerò intra ſeptem dies conſiſtat, & medius (iuxta formam & naturam acutorum morborum) ad decimumquartum protendatur, in ſuſpectis nihilominus ac dubijs uulneribus, expectandus eſt dies ſeptimus, priuſquàm aliquid de illis decernas, aut iudices. Solent enim ut plurimùm intra id tempus apparere accidentia, tum bona tum mala, quæ poſt accepta talia uulnera ſuperuenire conſueuerunt: febris inquam, ſyncope, mentis alienatio ac perturbatio, ſpaſmus & id genus alia. Sed & interim diligenter conſyderandæ ſunt uirtutum actiones, ex pulſu, lotio, uomitionibus, & alijs id genus, quæ foràs excernuntur. Contemplari etiam oportet laborantis appetentiam, tollerantiam, uultum ſiue faciem, & conſimilia. Ex ijs itaque & conſimilibus præſagijs, quæ ab Hippocrate & Galeno memoriæ prodita ſunt, diligenter perpenſis & examinatis, robur uirtutis, morbi magnitudini conferes. Deinde tacitus apud te omnia recolliges, ut præſagire poſsis ac iudicium ferre, num moriturus ſit æger ex accepto uulnere, an tandem conualiturus. Qua in re cautè ac prudenter te geres. Nec eſt quòd dicas, ſi non fuiſſet uulneratus, nunquàm interijſſet,

Formula ferẽdi iudiciũ de uulneratis ex ſcripto.

Aphor. 1

quantumuis in uictus ratione peccaſſet. Sed nec ſatis fuerit, ſi dixeris, uulnera-
Apho. 1. tum mortem nunquàm oppetijſſe: ſi ſibi conſuluiſſet ac omnia effeciſſet ſecundum rationem: ſcriptumque eſſe ab Hippocrate, quòd non ſolùm medicum præſtare ſe oportet opportuna facientem, ſed & ægrum & aſsidentes, &c. Quandoquidem non ſolum famæ tuæ conſulere, & te ab obloquentium calumnia uindicare debes: ſed nihil etiam uel dicere coràm magiſtratu, uel ſcripto annotare, quod cedat in damnum, uel detrimentum laborantis & conſanguineorum, aut liberorum eius, culpam omnem ſic in eum reijciendo. Eorum nanque quæ fortuitò contingunt, tametſi nulla ſit ars præſeruatrix: eſt tamen ars aliqua curatrix. Siquidem ut uarijs periculis noſtra corpora expoſita ſunt, ita & modis plurimis,
Auicenna. ubi in ea inciderint, ſeruari poſſunt. Itaque, ut ſcribit Auicenna libro quarto de extractione ſagittarum, licet uulnera quædam ſua natura letalia ſint, non tamen
Vulnerati nō ſunt relinquēdi ſine auxilio. ob id relinquendus eſt uulneratus abſque auxilijs: quin omnia aggredi ac tentare debet chirurgus, quæ ex arte & ſecundum rationem fieri poſſunt, dummodò ſaltem ab aſsidentibus amicis & conſanguineis ipſius ægrotantis obnixè rogatus fuerit, ac de futuro rei exitu coràm eis antequàm uulneratum attingat, præſagiuerit, ut ſe ab indoctorum & oblocutuleiorum calumnia & maledicentia uindicet. Plærique enim præter ſpem medicorum modo quodam mirabili, ac
Plurima in morbis præter expectationē contingunt. ſtupendo mortem interdùm euadunt, ac ſanitati reſtituuntur. Igitur cùm ſæpe etiam præter expectationem quædam eueniant, aggrediunda eſt. Quòd ſi uulneratum ipſum omni auxilio deſtitutum relinqueremus, & inde mors ſequeretur, impij ac inhumani meritò & diceremur & haberemur. Sed ijs omiſsis, reliqua uulnerum iudicia perſequamur.

Vnio in partibus organicis ſemel diuiſis eſt impoſsibilis. *IGITVR* præter hæc te noſſe oportet, quòd unio in partibus inſtrumentarijs, ſemel continui diuortium perpeſsis eſt impoſsibilis, ut Galenus aſſerit libro artis medicinalis capite nonageſimo. Cuius aſſertionis ratio eſt, quia abſciſsis omnino poris ſeu meatibus, uenis inquam, neruis & arterijs, per quos ueluti per canales quoſdam, alimentum, ſenſus & uita, in ipſum membrum organicum diffundebatur, promptiſsimè expirant, exhalantúe, tum ſpiritus, tum uirtutes, ob ſubſtantię ſcilicet quam habent tenuitatem (quod non contingit in animalibus ijs quæ imperfecta uocantur, atque etiam in plantis ipſis) non autem propter impotentiam aut repugnantiam medicamentorum, ut rectè aſtruebat Haly in commentario loci nuper ex Galeno citati. Ad hæc unio in parte carnoſa poſsibilis eſt, etiam iuxta primam intentionem, ut dicunt. In oſſe uerò ex ſecunda duntaxat intentione. Vocatur autem hìc prima intentio, quando partes diuiſæ atque inuicem diſtantes, rurſus uniuntur & coaleſcunt ut prius unitæ erant, idque abſque medio aliquo heterogeneo, ſed ratione quadam ac beneficio nutrimenti, facta ſcilicet modica quadam conuerſione ipſius alimonij in carnem omnino uniformem, & conſimilem priori. Secunda uerò intentio hìc intelligitur, quando ea quæ diuiſa ſunt, & unionis diuortium perpeſſa, alia quapiam interueniente ſubſtantia, ceu glutino quodam alligantur, atque inuicem coniunguntur. Porrò huiuſmodi medium, cuius interuentu partes oſsis fracti ſeu diuiſi alligantur,
Callus. Porus ſarcoides. agglutinanturúe, Latinè callus, Græcè uerò porus ſarcoides nominatur. Qui quidem ex ſucco paulò craſsiore fit, quàm is ex quo os concreſcit. Cauſa au-
Quare os fractum non coaleſcat. tem propter quam fractum os nequeat coaleſcere, prima ſaltem intentione, eſt ipſius oſsis durities: cum mollium tantùm corporum (ut Galenus ait) in unum coëundi ſit habilitas: ut tum in externis uidere licet, nullo nec lapide cum lapide, nec teſta cum teſta coëunte: tum uerò in nobis ipſis. Altera cauſa eſt, imbecillitas facultatis alteratricis, quæ altrix nuncupatur (oſſa enim particulæ ſunt exangues ac frigidæ) non autem inopia materiæ ſeminalis ſeu ſpermaticæ, ut quidam putauerunt. Oſſa nanque præſens ſemper habent alimentum ſpermaticum, quod quidem alterant & in ſuam conuertunt ſubſtantiam, ac

ſibi aſsimilant.Nerui autem,uenæ & arteriæ,inquit Auicenna,Galeni authorita te fretus in quinto Therapeutices, mediam ſortiuntur naturam inter carnem & oſſa.Neque enim tam facile coeunt ut caro,neque tam difficile conglutinantur ut oſſa.Siquidem eorum natura mediocritatem obtinet inter mollitiem & duritiem.Proinde de unienda eorum ſectione,utique deſperandum non eſt,ubi tum ipſa ſit parua, tum hominis corpus natura molle: ſi uerò ſectio magna fuerit, & in duro corpore,nulla prorſus eius glutinandæ ſpes eſt. Vnde Galenus loco nuper citato ad hunc modum ait: Videtur autem experientia quoque ipſa rationi ſubſcribere. Cùm & in pueris & in mulieribus, propter corporum humiditatem & mollitiem, eam [arteriam intelligit] uiderim glutinari, & in uno iuuene agreſti,cui exiguè erat inciſa. Qui autem eam inciderat,inquit ille,medicus admodùm iuuenis erat, & operum artis parum peritus, uenamq́ ſe inciſiſſe putabat. Cùm enim brachium hominis, uenam inciſurus, deligaſſet,contigit attolli ueluti in gibbum arteriam,atque ita hanc pro uena diuiſit. Hanc autem inciſionem Galenus curioſè coniunxit,conglutinauit,& perſanauit. Verùm parua ſanè (ut dictum eſt) inciſio erat. Quòd ſi utique magna atque effatu digna fuiſſet, nulla certè ratione perſanari potuiſſet.Quod Hippocratis teſtimonio confirmatur ſexto aphoriſmorum ſic inquientis: Cùm diſciſſum fuerit os,aut cartilago, uel neruus,aut genæ particula tenuis,uel præputium,neque augetur neque coaleſcit:hoc eſt,neque talis aliqua regignitur ſubſtantia,qualis abſciſſa eſt, neq; unquam diſciſsi corporis labra agglutinãtur. In hoc autem aphoriſmo, uox diſciſſum diuiſionis magnitudinem ſignificat.Diſciſſa nanque (ut Galenus ait in comment.) diuiſionem habent uſque ad finem peruenientem.

Nerui, uenæ & arteriæ interdum diuiſę coeunt.

Arteriam inciſam aliquando uniri.

Apho. 19.

Diſciſſa quæ dicantur.

CAETERVM nihil aduerſus prædicta pugnat obiectio,quæ de oſsibus puerorum afferri poſſent quod ſcilicet coaleſcere poſſunt,ut libro artis medicinalis Gal.aſſerit:quia mollitiem habent & uirtutis robur,ob propinquitatem ſuę natiuitatis.Sed nec prius aſſerta infirmat,quod de dentibus obijci ſolet, quod ſcilicet renaſcantur,non ſolùm in pueritia,ſed etiam in alijs ætatibus.Quoniam non generantur (inquit Albertus) ex materia ordinata, ſed ex ſuperfluitate non quidem à uirtute prima conformatrice,ſed nutritoria inducente actum generatiuę. Poſtremò iudicat Hippocrates ſexto libro aphoriſmorum,quod uulnera in corpore eorum, quæ aqua inter cutem laborant, non facilè ſanantur.Non prius enim curantur uulnera, aut ulcera, quàm ad cicatricem perducantur. Non poſſunt autem ad cicatricem perduci, niſi ſufficienter exiccentur: quod non factu eſt facilè in ijs, quos aqua inter cutem malè habet, ob humiditatis immoderantiam,ut docuit Hippocrates in libro de ulceribus: & Auicenna his uerbis: Solutio continui,& ulceratio,& id genus alia,facilè ac cito curationẽ recipiunt,cùm in particulis fiunt quæ bona præditæ ſunt temperatura. Contra uerò ſi membra cacochyma occupauerint, plurimùm renituntur curationi, nec niſi tempore longo poſſunt ad ſanitatem perduci.Sed multò adhuc difficilius curantur, quãdo corporibus eorum incidunt,qui uel hydrope laborant,uel lepra [id eſt, elephantiaſi] aut aliqua alia praua temperatura. Præterea in quinto aphoriſmorum Hippocrates ſic ait: Vlceribus frigus quidem mordax cutim obdurat, dolorem inſuperabilem facit, liuorem obducit, rigores febriles, conuulſiones, diſtenſiones. Adhæc iudicatur quòd inſignes continui ſolutiones malè curatæ, præſertim circa iuncturam, maciem inducunt ſequenti particulæ. Et hoc quidem propter obſtructionem & uirtutis debilitatem, ut iam ſemel dictum eſt, & infrà adhuc dicetur. Plurima adhuc alia præter ſupradicta, iudicia diligenti animaduerſione obſeruanda ſunt, quæ in ſequentibus & in tractatu de ulceribus (quòd tam his uulneribus ſint communia) recenſebuntur. Itaque finem his de ulceribus iudicijs imponemus, ſi quæ de ijs doctè, breuiter, atque ornatè ſcripſit Celſus, ſubiecerimus.Hæc enim uice anacephaleoſis & compendij

Oſſa puerorũ fracta coaleſcunt.

Albertus Bononienſis.

Auicenna.

Lib. 5.
Quæ uulnera insanabilia ſint Celſo.
Quæ uulnera difficilem curationem habeant.
Periculoſa uulnera.
Malum uulnus.
Quæ uulnera tutiorem habeant curationem.

erũt eorũ ferè omniũ, quę de iudicijs uulnerũ hactenus dicta ſunt: uerba aũt illi»
ſunt hæc, Seruari inquit non poteſt, cui baſis cerebri, cui cor, cui ſtomachus, cui »
iecinoris portæ, cui in ſpina medulla percuſſa eſt: cuiq; aut pulmo medius, aut ie »
iunum, aut tenuius inteſtinum, aut uentriculus, aut renes uulnerati ſunt, cuiúe »
circa fauces grandes uenæ, uel arteriæ præciſæ ſunt. Vix autem ad ſanitatem per- »
ueniunt, quibus ulla parte pulmo, aut iecinoris craſſum [quod Græci παρέγ- »
χυμα uocant, aut membrana quæ continet cerebrum, aut lienis, aut uulua, »
aut ueſica, aut ullum inteſtinum, aut ſeptũ tranſuerſum uulneratum eſt. Hi quo- »
que in præcipiti ſunt, in quibus uſq; ad grandes, intuſqúe conditas uenas in alis, »
uel poplitibus mucro deſedit. Periculoſa etiam uulnera ſunt, ubicunque uenæ »
maiores ſunt, quoniam exhaurire hominem profuſione ſanguinis poſſunt. Idq; »
euenit, non in alis tantùm, atque poplitibus: ſed etiam in his uenis, quæ ad anũ »
teſticuloſq; perueniunt. Præter hæc malum uulnus eſt quodcunq; in alis, uel fe- »
minibus, uel inanibus locis, uel in articulis, uel inter digitos eſt: item quodcunq; »
muſculum, aut neruum, aut arteriam, aut membranam, aut os, aut cartilaginẽ »
lęſit. Tutiſsimum omnium quod in carne eſt: & hæc quidem loco uel peiora, uel »
meliora ſunt. Modò uero periculum facit, quodcunq; magnum eſt. Hactenus de »
iudicijs uulnerum. »

De curatione vulnerum in vniuerſum. *Cap. IIII.*

Communis ſolutæ unitatis curandi indicatio.

OMNIVM ſolutionum continuitatis, ne dum uulneris cõmunis quidem curandi indicatio, ſeu (ut dicunt) intentio, & unitio, ut Gale. ait libro artis medicinalis cap. nonageſimó. Et ea quidem eſt prima indicatio omnibus nota, ab eſſentia ipſius affectus deſumpta, quæ præcipit atque inſinuat, contrarium per ſuum contrarium propellendum eſſe. Hæc autem prima ac generalis indicatio perficitur à duobus, nempe à natura tanquã à præcipuo agente, & cauſa effectrice, adiuta ſuis uirtutibus, & alimento conuenienti: & à medico tanquàm ipſius naturæ miniſtro, quatuor intentiones ſibijnuicem (quod aiunt) ſubalternatas in animo habente, dum opus ſuum exercet, ut

Intentiones in curandis uulneribus obſeruandæ.

1. curationis finem propoſitum tandem aſſequatur. Prima iubet extrinſecùs inci-
2. dentia (ſi qua forſan labris ulceris intercidant) amouenda eſſe. Secunda præci-
3. pit applicãda eſſe extrema diſtantium partium. Tertia docet ea in unum iam cõ-
4. miſſa & coacta, ita conſeruare. Quarta ſuadet ipſam partis læſę ſubſtantiam tue-
ri, ac ſalubrem ſeruare. His & quinta non abſurdè ſuperaddi poteſt, quæ docet accidentia uulneribus ſuccedere conſueta, corrigere ac propulſare.

1. Prima intentio.

Primum intentionem aſſequemur dilatando uulnus, ſi non ſatis dehiſcat, aut ſi eius labris aliquid intercidat extraneum, utputa uel oſsis particula aliqua pungens & aſpera: aut telum aliquod infixum, ut ſagitta, uel mucro, uel aliquod aliud extrinſecus incidens: cuiuſmodi ſit ſpina uel arundo. Atque ubi ſatis diducta fuerint labra uulneris, digitis, aut uolſella, uel forcipe aut alio id genus inſtrumẽto à te, ut res expoſtulat, excogitato, quod infixum eſt, aut labris ulceris intercidit, apprehendi debebit, & leuiter, ac (ſi fieri poſsit) citra dolorem euelli, ut in ſequentibus docebitur.

DE SAGITTIS, PLVMBEIS GLANdibus, & globis ferreis, ac quibuſcunque alijs telis, è corpore extrahendis.

Corpus

Corpus multifariam uulneratum.



Quomodo plumbea glans, aut globus, à ferentarijs, & leuis armaturæ militibus emiſſus, extrahatur.



De ſagittis & quibuſcunque alijs telis è corpore extrahendis.

1. Inſtrumentorum inuentio.

VT ſagittas aut quęuis alia tela in corpus defixa, ſecundum rationem, & ex arte poſsis eximere, inueniendum tibi primũ eſt, quo inſtruméto id queas efficere. Modus autem inueniendi inſtrumenta, habetur ex contemplatione naturæ ac diuerſitatis tum læſarum particularum, tũ rerum defixarum. Itaq; ex horum duorum, partis ſcilicet læſæ, & rerum infixarum, accurata conſyderatione & cognitione, tertium ſtatim ſe offert: nempe modus euellendi tela in corpus infixa, qui certè uarius & multiplex eſt, ut ex ſequentibus patebit. Cęterum tametſi diſcrimina, ſeu differentiæ telorum ac rerum infixarum, propemodũ ſint infinitæ, nec ſcriptis facilè mandari poſsint (proinde & formæ proiectorũ ab hoſtibus, diligenter à chirurgo perquirendæ ſunt) Auicenna tamen conatur eas omnes differentias ad octo reducere. Has autem ſenario numero placuit nunc complecti. Itaq; differunt tela, quę noſtris corporibus infiguntur, materia, figura, magnitudine, numero, habitu, uiribus. Materia quidem quatenus ea quæ imponuntur, & haſtilia uocantur, aut lignea ſunt, aut arundinea. Ipſa uerò tela aut ferrea ſunt, aut ærea, aut ſtannea, aut plumbea, uel cornea, uitrea quandoque aut oſſea: quinetiam arundinea, aut lignea conſpiciuntur. Figura autem euariant, quatenus alia ſunt rotunda, alia anguloſa, nempe triangula. Alia ſulcata, alia triſulca, hoc eſt, tribus ex partibus acie prædita. Nonnulla item ſunt ſpiculata, ſeu ſpiculis cincta, quæ uulgò barbulata uocant: nonnulla ſpiculis carent. Atq; ex ſpiculatis, hæc poſteriora ſpectantibus, ſeu retrò uergentibus ſpiculis munita ſunt, ut dũ

2. Modus inueniendi inſtrumenta.

3. Modus extrahendi.

Sex telorum differentiæ.

A materia ſumptæ differentiæ.

Differentiæ ſumptæ a figura.

Spiculatorũ diſcrimina.

extrahuntur,contrà deſigantur.Illa in anteriora uergentia habent ſpicula,ut propulſata idem faciant, hoc eſt, infigantur & lanient. Sunt etiam quædam quibus utroq; uerſum,fulminis inſtar, ſpicula extant,ut & dum extrahuntur,& dum intruduntur propelluntur úe corpus dilanient,& in obiecta infigantur. Sunt item quibus ferrum quibuſdam cardinibus ſeu uerticulis ita mouetur, ut ſpicula in impulſione contracta,in extractione explicentur atque ita telum extrahi prohibent.

Telorum diſcrimina ſumpta à magnitudine.

Magnitudine quoque uariant tela,quatenus alia magna ſunt,ut trium digitorum longitudinem expleant:alia parua,ut unum digitũ æquent: alia uerò medium inter hæc locum occupent.

Numerus.

Numerus etiam in his diuerſitatem affert, quatenus nonnulla ſimplicia ſunt,nonnulla compoſita. Tenuia ſiquidem quædam ferramenta, ſiue ferrea fruſtula ipſis imponuntur, ac ſic innexa ſunt, ut in teli euulſione facilè lateant,& in imo relinquantur.

Habitus.

Habitu differunt tela, quatenus alia ferrum acutum ligno ſeu haſtilibus habent infixum,alia concauum,ita ut hæſtile in ferri tubulum inſertum habeant : atque hoc alia firmiter, alia negligentius,ut dum euelluntur,relictum intus remaneat.

Vires.

Viribus demùm & facultate differunt,quatenus ueneno quædam ſunt oblîta, hoc eſt, uenenata:alia uerò minimè. Atque hæ quidem ſunt telorum differentiæ. Nunc de inſtrumentis,quibus tela, & res extraneæ noſtris corporibus infixæ extrahuntur, dicendum eſt. Nam de ſedibus,in quas tela ipſa penetrarunt,poſtea agemus,dũ ſcilicet de modo euellendi tela alia infixa,ſumpta à ſede affecta indicatione,commentabimur.

8. inſtrumẽta telis atque infixis alijs rebus extrahendis accommoda.

Itaque inſtrumenta, quæ à telorum aliorumqúe infixorum differentijs,& à particularum in quas penetrarũt uarietate,excogitantur inueniunturqúe,licet ualde multa ſint,octo tamen apud Guidonem, & recentiores chirurgos ſunt magis communia.

1. Primum ſunt forcipes ſeu ut uulgò loquuntur tenaculæ Auicennæ,quæ denticulatæ ſunt,& capita habent ad inſtar limæ.4.fen.lib.4.

2. Secũdum ſunt forcipes Albucaſis, in modum roſtri auis,etiam denticulatæ.

3. Tertium ſunt forcipes in modum cannæ ſiue arundinis,aut ſcriptorij calami concauæ,quas uulgò tenaculas cannulatas uocitant, ad ſagittas ſpiculis cinctas (quas barbulatas nominant) extrahendas accommodæ.

4. Quartum eſt terebellum inuerſum, quod in ferri infixi tubulũ (quam doliam appellant) imponitur:ubi autem ſic tubulo immiſſum ferrum apprehenderit:leuiter ferro ſequaci educitur.

5. Quintum inſtrumentum eſt,terebra in longum porrecta, dilatandis oſsibus (quibus tela firmiter inhærent)apprimè idonea.

6. Sextum eſt exciſorius culter, ad amplificanda carnis uulnera,quò facilius infixa eximantur.

7. Septimum eſt propulſorium inſtrumentum,quod geminum eſt,nempe cauũ, & ſolidum ſiue ſurdum:illud fœminam,hoc mare appellãt.Iis tela protrudimus, donec ab altera parte apprehendi & extrahi poſsint.

8. Octauum eſt in modum arcus illius,quem uulgò baliſtam uocãt.Hoc autem ictum telum excutitur,aut (ut in ſequẽtibus dicemus)extrahitur.Horum autem aliquot formulas in ſequentibus depictas inuenies.

Modus extrahendi tela infixa duplex.
1. Attractio.

Cæterùm extrahẽdorum telorum,quæ illata corporibus intus hæſerũt,modus eſt duplex,per attractionem unus,alter per protruſionem ſeu impulſionem. Attractio fit ab ea parte maximè, qua uenit telum,ſed interdùm etiam ab ea in quam tetendit.

2. Propulſio.

Protruſio autem ſeu propulſatus fit in partem oppoſitam ei ex qua uenit,infixumqúe eſt. Horum autem modorum indicationes deſumendæ ſunt, tum ab ipſis telorum generibus,quæ ſuprà commemorauimus,tum ex illis ſedibus,in quas illa penetrarunt.

Communia quædam in extrahendis telis ſedulo obſeruanda.

De quibus mox dicam,ſi communia quædam præmiſero in extrahendis telis ſedulò obſeruanda. Si itaque telum in conſpectu ſit,ſic ut ſe habet,protinus extrahendum eſt: ſin occultatum eſt, ita faciendum Hippocrates præcipit: Corpus

uulne-

„ uulnerati (ſi tamen ipſe poterit) in ea figura conſtitui debet, in qua erat eo tem-
„ pore, quo uulnus accepit atque ita quò tetenderit telum ſpecillo explorandum
„ eſt. Si æger id non poteſt, iacens ſaltem ita debet collocari, ut quàm proximè fie-
„ ri poteſt, ad eam figuram accedat. Si telum aliquod defixum primis conatibus 2.
commodè ac ſalubriter euelli non poſsit, ſic eouſque dimittere debes, donec
circumpoſita caro emarceſcat, putreſcatque. Deinde intermiſſum opus aggrede
re, telum ipſum quod infixum eſt, modò huc, modò illuc agitando, ac manibus
uel forcipibus leuiter ipſum contorquendo. Ita enim leuius multò ac facilius te-
lum extrahes, ut rectè præceperunt Auicenna, Brutus & Albucaſis. Quanquàm
aliter uiſum ſit Henrico. Hic enim uoluit ſtatim ac ſine mora, tela quocunque mo
do fixa extrahi. Si armatus homo telo ictus fuerit, nec poſsit leuiter, ac facilè te- 3.
lum manibus euelli, uulneratum protinus ſuis armis exui iubeto: & ritè appara-
tis omnibus, quæ ad opus eiuſmodi conducere uidebuntur, emiſſoque ac præ-
fato (ut ſupra dictum eſt) præſagio, forcipe communi apprehenſum telum (præ-
ſertim ſi ſagitta eſt) ipſum leniter contorquendo extrahito. Quòd ſi communi
hac forcipe nihil promoueris, fortiores aſſumito. Si telum carni infixum retrò, 4.
hoc eſt, ea parte qua uenit recipiendum ſit, nec aliter educi poſsit, amplificanda
ſcalpello aut nouacula plaga eſt, quò facilius id ſequatur, quóque minor oria-
tur inflammatio: quæ maior quidem fit, ſi ab illo ipſo telo dum redit, corpus la-
nietur. Item ſi ex alia parte uulnus aperitur, laxius eſſe debet, quàm ut telo po-
ſtea tranſeunte amplificetur. Summa autem utraque parte ita habenda cura eſt, Conſilium Celſi.
ne neruus, ne uena maior, ne arteria incidatur. Quòd ſi horum aliquid detectum
fuerit excipiendum hamo retuſo eſt, abducendumque eſt ſcalpello. Vbi autem
ſatis inciſum eſt, telum eximendum eſt: tum quoque eodem modo & eadem cu-
ra habita, ne ſub eo quod eximetur, aliquid prædictorum lædatur. Si autem te-
lum ita firmiter oſsi inhæſit, ut nulla ui extrahi poſsit, terebello (ut uocant) dire-
cto diuiſionem amplificabimus, ac modo infrà ſcripto telum liberabimus. Telo 5.
à corpore euulſo, non alia eſt uulneris medicina, quàm quæ eſſet ſi corpore icto
nihil inhæſiſſet. Ergo uulnus ipſum, ut & cætera alia uulnera, tractari ac curari
debet, hoc uno addito, quòd qui ab infixo telo alteratus eſt ſanguis, exprimi ac
educi debet, ut uulnus ipſum à putrilagine uindicetur. Ac perfundi quidem de-
bet oleo calente, maximè ſi doloris adeſt ſuſpicio. Si inflammationem experia-
tur, ad eam tollendam inſuccatis lanis, fomentis, cataplaſmatis & conſimilibus
utemur. Si uerò inflammatione uacuauerit, futuris (ſi opus fuerit) adhibitis, im-
poſitoque medicamento, quod cruentis ſtatim uulneribus iniici ſolet, curan-
dum eſt. Cæterum his communibus prælibatis, tempeſtiuum eſt, propria quædā
de telorum extractione ſubiiciamus: & quando ac quomodo attractione uel
propulſione, ſit utendum, ſumpta primùm (ut propoſitum eſt) indicatione ab
ipſorum telorum generibus ſeu differentijs, dein ab ipſis ſedibus affectis. Itaque Methodus eximēdi tela ſumpta indicatione ab ipſorum differentijs.
tela, quæ iaci ac uibrari ſolent, magna ex parte ſunt uel oblonga & anguſta, cuiuſ
modi ſunt ſagittæ: uel lata, uel rotunda, aut anguloſa, ut plūbea glās: uel ferrea, ut
lapis aut ſimile aliquid, quod perrupta cute integrū intus inſedit. Telū ſi oblon-
gum eſt & anguſtum, cuiuſmodi ſagitta eſt, & facilè in corpus conditur, & altiſ-
ſimè inſidet. Sæpius itaque alia parte, quàm qua uenit, ſagitta educenda eſt: præ- Sagitta ſæpius antrorſum educenda.
cipueque, quia ferè ſpiculis cingitur, quæ magis laniant ſi retrò, quàm ſi contrà
trahuntur. Si inde aperta uia caro diduci debet, ferramento ad ſimilitudinem fa-
cto Græcæ literæ ψ. Deinde ubi apparuerit, ſi mucroni arundo inhæret, propel-
lenda eſt ſagitta, donec ex altera parte apprehendi & extrahi poſsit. Si iam illa a-
rundo inquam ſeu haſtile decidit, ſolumque intus ferrum eſt, mucro uel digitis
apprehendi, uel forcipe atque ita educi debet. Neque alia ratio extrahendi eſt, u-
bi ab ea parte qua uenit euelli magis placuit. Nam ampliato uulnere, aut arundo
ſi ineſt, euellenda eſt: aut ſi ea non eſt, ferrum ipſum. Porrò eximetur ferrum uel

terebra inuerſa, in tubulum (quam doliam uocant) immiſſo, uel forcipe, qua dentes atque eorum radices euelluntur: uel ferramento quòd à telo extrahendo belulcum Græci uocant: aut alio quopiam inſtrumento ad id accommodo. Nonnunquam etiam carnem prius incidentes, ſi uulnus inſtrumentum non recipit. Quòd ſi ſpicula apparuerunt, eaqúe breuia & tenuia ſunt, forcipe ibi cõminui debent, uacuumqúe ab his telum educi. At ſi ea maiora ualentioraqúe ſunt, fixis ſcriptorijs calamis, ut conſulit Celſus, contegenda ſunt, ac ne quid lacerent, ſic euellenda. Alij ſpicula ipſa forcipibus ſeu tenaculis (ut uocant) cannulatis apprehendunt, atque ita telum eximunt. Quod ſi telum ſpiculis utroque

Si ſagitta ſpiculis cincta eſt

uerſum ſpectantibus cinctum in neutram partem ſequatur, iuxta ipſum alia inciſione patefaciendus locus eſt, niſi uena aut tale aliquid impediat: atque inde ferrum undequaque explicatum modeſtè ac ſine ulla uulſione tollendum eſt. Quidam etiam ſpicula eiuſmodi fixis calamis ſeu exiguis arundinibus, prius contegunt, ne quid lacerent, deinde ita euellunt, ea ſcilicet parte, quæ eductioni magis

Latum telũ ab ea parte qua uenit, extrahẽdum.

congruere uidebitur. Latum uerò telum ſi conditum eſt, ab altera parte educi non expedit, ne ingenti uulneri, ipſi quoque ingens uulnus adijciamus. Euellendum ergo eſt genere quodam ferramenti, quod Diocleum eraphiſcum Græci uocant, quoniam authorem Dioclem habet: quem inter priſcos, maximoſqúe medicos fuiſſe memoriæ proditum eſt, ut Cornelius Celſus annotauit libro ſeptimo capite quinto. Tertium quoddam genus telorum eſt rotundum, ut diximus, aut anguloſum, ut lapis, plumbea glans, aut ſimile aliquid, quod ex funda aut tormentis bellicis mittitur, & perrupta cute integrum in corpus defigitur ac latet. Tela autem eiuſmodi intus condita eſſe his notis deprehendes. Moles aſpera atque inæqualis (ſi contrectetur) ſubeſſe ſentitur. Plaga ſeu diuiſio non omnino in rectum tendit, ſed & maior etiam ac amplior apparet: caro item contuſa liuidaqúe cernitur. Dolor præterea cum grauitate quadam infeſtat. In omnibus his, latius uulnus aperiendum, idqúe quod ineſt ea qua uenit, aut uncis ad uerſaúe ſcalpelli parte, aut uulnerario ſpecillo recipiendum eſt, aut denticulata forcipe ſi fieri poteſt, & eam uulnus admiſerit extrahendum. Quòd ſi telum infixum ſic intus lateat, ut nullo modo reperiri poſsit, aut non ſatis commodè extrahi, tantiſper dimittendum eſt, donec natura ipſum protrudat aut manifeſtet.

Rotundum telum aut anguloſum.

Tertium gen' telorũ ea parte qua uenit extrahẽdum.

Tela interdũ diu in corpore deliteſcunt perſanato uulnere.

Interdùm uerò tela infixa integra, intus cicatrice obducto uulnere citra noxam aliquam diu delituerunt. Deinde longiore temporis ſpatio partem eam abſceſſu occupante ac dirupto exiliere: quo facto uulnera mox ad ſanitatem perducta ſunt, ea illis curatione adhibita, quæ alijs debetur uulneribus. Quod multis contigiſſe uidit Albucaſis, ut refert parte ſecunda ſuæ chirurgiæ. Hactenus de telorum extractione ſumpta ab ipſorum differentijs indicatione: nunc de re eadem dicemus, ſumpta ab ipſis affectis ſedibus indicatione.

Methodus ex trahendi tela infixa ſumpta à ſede affecta indicatione.

Itaque ſedes in quas tela penetrarunt, uel caro ſunt, uel oſſa, uel articulus. Atque in ijs quidem partibus, uel altè telum inſedit, uel in ſummo duntaxat, aut ſaltem non admodùm altè, & citra medium infixum eſt. Adhæc uel membrum unum duntaxat telo ictum eſt, uel particulæ plures ſimul confixæ ſunt, ita ut particula una telo traiecta, alteri affigatur. Igitur ſi in ſumma carne telũm impactum eſt, aut certè magnas uenas & loca neruoſa non tranſijt, nihil melius eſt, quàm qua uenit id euellere. Similiter etiam quod altè inhæſit: obiectæ uerò partes, id eſt, quæ ex diuerſo reſpondent, ſi conuulnerentur, uel ex ſanguinis profuſione uel ex aliorum membrorum conſenſu, & conſortij lege periculum inuehant, euulſione qua parte infixum eſt, eximi debet. Illud autem digitis, uel ipſius teli arundine ſeu haſtili (quod plærunque ligneum eſt) in ferri tubulum im-

Si telũ in ſumma carne infixum eſt.

Si telum altè in carne inſedit.

miſſo, extrahemus. In quibus uerò altè telum in carne infixum eſt & plus eſt, hoc eſt, longius ſpatium, per quod telo reuertendum, quàm quod perrumpendum eſt, iamq; uenas neruoſqúe id pertranſiuit: breuiter cum parùm admodùm inte-

græ carnis ex aduerſa parte ſupereſt:neque aliquid obſtat,quominus contra mucronem inciſio commodè fieri poſsit, melius eſt aperire quod ſupereſt: eaq; pro pulſatu telum educere.Nam & propius petitur, & tutius euellitur, & in maiore membro,ſi medium mucro tranſijt, facilius ſaneſcit quod peruium eſt, quia utrinque medicamento fouetur. Protrudi autem debet,uel haſtili ipſo,ſi inhæreat:uel ſi exciderit propulſorio inſtrumēto,cauo quidem uel ſolido(quod & ſurdum quidam uocant) prout res exigit.Porrò ſi telum acumen (quod ὄυραχον uocant) habeat (hoc autem ſpecillo deprehendimus) propulſorij inſtrumenti fœminam: ſi uerò tubulum ſeu concauitatem habuerit,marem demittemus,atque ita ferrum inſerto inſtrumento protrudemus, quoad educi facillimè poſsit. At ſi etiam in oppoſita ſeu ulterius telum proceſſerit,nec ea parte ipſum poſsit extrahi,qua infixum eſt,diuiſis ijs,quæ oppoſita ſunt,per illa ipſum eximemus, uel euellentes, ut dictum eſt,uel per eam partem in quam tetēdit, ut modò diximus, propellentes,ſumma cura(uti monuimus) ſemper habita,ne uel neruum,uel tendinem,uel maiorem uenam aut arteriam incidamus. Turpe ſiquidem eſt dum telum extrahimus,maiorem noxam inferre,quàm telum ipſum effecerit.

Si telū in oppoſita proceſſerit.

Si telum oſsi inhæſit,non niſi attrahendo ipſum eximere tutum eſt. Eo autem uſque mouendum eſt,donec is locus laxetur,qui mucronem momordit, & tum uel manu uel forcipe telum extrahendum eſt. Quæ ratio in dentibus quoque eijciendis eſt: & uix unquam ita telum non ſequitur,ſed ſi morabimur, excuti quoque ictum aliquo ferramento poterit. Quidam tenaculis (ut uocant)ſeu forcipibus alligant arcum, quam uulgò baliſtam nominant & laborante bene ſtabilito, intenſum ipſius inſtrumenti neruum ſeu chordam remittunt, & ita telum extrahunt.Quod ſi telum altius in oſſe deſederit (quod cognoſcimus,ſi firmiter id infixum,nulla ui moueatur aut labet) exciſorio cultro, oſſe quod iuxta eſt,exempto aut etiam terebra (ſi craſſum ſit) prius perforato,telum ipſum extra hemus.Sunt qui ab eo foramine terebra facto ad ſpeciem literæ ✓ cōtra telum os excidunt,ſic ut lineæ,quæ diducuntur ad telum ſpectent:quo facto id neceſſe eſt labet, & facilè auferatur. Quod remediū ultimum eſt. Alij terebra in rectum ac longum porrecta, quæ illis directa uocatur, oſsis percuſsi rimas conniuentes, & telum infixum mordicus prehendentes, diducunt atque ita facilè quod infixum eſt,extrahunt.

Si telum oſsi inhæſit.

Si telum altius in oſſe demerſum ſit.

Inter duo uerò oſſa,ſi per ipſum articulum telum perruperit,circa uulnus duo membra faſcijs habenisúe deliganda, & per has in diuerſas partes diducenda ſunt,ut tendones,ligamenta & neruos diſtendant. Quibus extentis laxius inter oſſa ſpatium eſt,ut ſine difficultate telum recipiatur. Sed illud quoque uidendū eſt,ſicut in alijs locis ſeu particulis ſuprà monui,ne quis neruus,aut uena, aut arteria,à telo lædatur, dum extrahitur,eadem ſcilicet ratione quæ ſuprà poſita eſt. At ſi particulę plures confixę fuerint,hoc eſt,ſi membrum aliquod telo traiectū, alteri affigatur, uerbi cauſa,brachium thoraci, aut cubitus alicui alteri corporis particulæ,aut crura inter ſe hoc modo faciendum eſt. Si non per totum utrunq; membrum penetret ſagitta aut haſta,eam ab exteriore parte,perindè atq; in uno fieri conſueuit, apprehenſam extrahemus. Sint penitus ambæ partes transfixæ fuerint dimidia ligni parte ſerra reſecata,eas ligni partes quàm facillimo fieri poterit modo ſigillatim euellemus.

Si telum in articulo ſe inter duo oſſa demerſit.

Si particulæ plures cōfixæ fuerint.

Porrò ſi uenenato quoq; telo plaga facta eſt,ijſdem omnibus ſi fieri poteſt,etiam feſtinantius actis,adijcienda curatio eſt quæ uel epoto ueneno,uel à ſerpente aut quouis alio uenenato animante ictis adhiberi ſolet.Cæterùm quod ad chirurgiam attinet,totam carnem quæ ueneno iam mutata eſt,ſiquidem fieri poteſt præcidemus.Agnoſces autem eam,quòd à ſana carne multum diuerſa ſit. Pallida enim ſupra modum,ſubliuida, & ueluti mortua apparet.Sin carnem totam à ueneno immutatam circuncidere non poſsis,non alienum erit circa uulnus ſcal

Si uenenato telo quis ictus eſt.

pello incidere,hoc eſt,ſcarificare,quò plus uitiati iam ſanguinis extrahatur. Dein uenenum admota uulneri cucurbitula,extrahendum eſt. Si cucurbitula non eſt, tum quodlibet ſimile uas, quod idem poſsit. Si ne id quidem eſt (quod tamen uix incidere poteſt) homo uilis aliquis adhibendus eſt,qui uulnus exugat. Sed illud ne intereat, antè debebit attendere, qui uulnus exuxerit, ne quod in gingiuis,palatoúe aliaúe parte oris ulcus habeat:hoc pacto enim & ipſe tutus erit,& tutum hominem uulneratum præſtabit. Siquidem uenena (ut Celſus ait) non guſtu,ſed in uulnere nocent. Verùm priuſquam hæc aggrediamur, telum ipſum uti docuimus eximendum erit. Atque hactenus tradita eſt methodus de telis è corpore extrahendis. Cæterùm Nicodemi incantamenta & inſuſurrationes,quas & coniurationes uocant, quæ à Theodorico & Gilberto referuntur, ne pili quidem facio,ut quæ meræ nugæ ſint, & Chriſtianum hominem non deceant. Medicamenta autem ea quæ extrahendis infixis dicata ſunt,ſubinde Guido uſurpare ſolet in ſpinis,piſcium oſsiculis,lapidibus,uitri fragmentis,ſurculis & oſsium fruſtulis eximendis : atque frequenti experimento ſe edoctum medicamentum ab Auicenna deſcriptum, inter cætera præſtantiſsimum eſſe & efficaciſsimum. Recipit autem fermenti,mellis optimi,aut aluearum ſordiciei (quę Græcè propolis dicitur) ſingulorum libram ſemis, uici quercini quart. unum, ammoniaci quart.ſemis, olei quart. unum:ex quibus omnibus conficitur emplaſtrũ,quod loco cui fixũ intus inhæret,ſuperponitur. Rogerius aſſerit multiplici experimento comprobatum, ꝙ radix arundinis contuſa cum melle & appoſita, infixa ſine dolore extrahit. Plæraque alia ſunt in antidotario deſcripta, quæ uim habent attrahendi, & infixa euellendi, cuiuſmodi ſunt, dictamnum, tapſia,ſagapenum, ammoniacum, ariſtolochia, ranæ combuſtæ,& id genus alia.

Venena nõ guſtu, ſed in uulnere nocent.


Emplaſtrum Auicennæ infixa ſtatim extrahens. Hoc idem & Paul. Ægi. teſtatur.

SEQVVNTVR FORMVLAE ALIQVOT inſtrumentorum,quæ telis extrahendis idonea ſunt.

FORCIPES DENTICVLATAE AD EVELlendum ſpinas,oſsicula aſpera & pungentia,aculeos quoque & mucrones infixos,aliaq; id genus acuta.

Forcipes Albucaſis ſub hac duplici formula depictæ reperiuntur in uarijs exemplaribus. Hæ autem ſunt ſecundum Guidonis inſtrumentum.





Hoc genus forcipis roſtrum coruinum quibuſdam appellatur,alijs ſerpentinum inſtrumẽtum: quod ad ſecundum Guidonis inſtrumentũ pertinere uidetur.

Alia


Alia forma forcipis denticulatæ, ad eoſdem uſus utilis & apprimè idoneę: ad quos & duę alię præcedentes forcipum differentiæ.




Aliud forcipis genus ad globos educendos, & tela ſpiculis cincta, obuerſaſq; cuſpides habētia. uulgares chirurgi barbatulā uocāt.



Inſtrumentum ad extrahendū ferrum infixum, tubulum habens arundine ſeu haſtili uacuum. hoc uti poſſumus loco quarti inſtrumēti Gui. quod terebram inuerſam appellat.



Terebra directa, quod quintum eſt Guidonis inſtrumētum, ad amplianda oſſa, quibus tela inhærent.




Formula forficis exciſoriæ, ad amplianda uulnera in carne accepta, quò facilius infixa eximantur. Hoc ſextū eſt Guidonis inſtrumentum.





Formula impellentis caui, quod & propulſorium fœmina dicitur. Hoc ſeptimum eſt Guidonis inſtrumentum.



Formula impellentis ſurdi, quod & propulſorium mas appellatur. Hoc etiam ad ſeptimum Guidonis inſtrumētum refertur.

De ſecunda intentione curationis vulnerum.

SEcundam intentionem in curandis uulneribus (quæ eſt commiſsio diſsidē-
2. tium ſeu diſtantium partium coniunctio) aſſequimur per orarum adductio-
Diſsidentium coniunctio. nem ſeu labiorum uulneris inuicē diſtantium attractionem & applicationem,
membrum ipſum læſum quàm fieri poterit leniſsimè tractando. Diſsidentium
nanque coniunctionem ſeu agglutinationem (ut Galenus ait) præcedit neceſ-
Lib. 3. The. Trifariam diſtãtes oræ uulneris in idem adducuntur. ſario orarum adductio. Quæ autem diducta ſunt, in idem adducuntur, aut uin-
culo ex duobus initijs circundato, aut ſutura aut fibulis (quas Græci ἀγκτῆρας
uocant) impoſitis, aut horum quibuſdam, aut omnibus. Quòd ſi uulnus (ut pro
Vulnus ſimplex ex ſola partium commiſsione agglutinari poteſt. poſuimus) ſimplex ſit, hoc eſt, ſolum continui in carne diuortium, cum quo ne-
que affectus ullus neque ſymptωma ullum adſit, nec ualde magnum ſit, ſola fa-
ſcia orbiculatim circundata, diductę partes committendæ ſunt. Ita enim uulnus
proculdubio coibit, & citra aliquam aliam extrinſecus adhibitam curam coale
ſcet. Huius autem conditionis & coaleſcentiæ effectrix cauſa ſola certè eſt na-
1. tura. At ſi magnum uulnus ſit, adeò ut diductæ partes in totum, atq; exactè præ-
2. dicta deligatura committi nequeant, ſuturis ipſæ adducentur: deinde ubi ſic de-
Deligatura. ligatæ aut ſuturis adductæ fuerint, glutinatorijs pręſidijs utemur, quę collectam
Sutura. humorum ſubluuiem deſiccare & cõſumere queant: aliam uerò ne influat, pro-
hibere. Plaga autem ea ſui potiſsimum debet, quæ in molli parte accepta eſt, ma
ximeq; ſi diſciſſa auris ima eſt, ut Celſus ait, uel imus naſus, uel frons, uel bucca,
uel palpebra, uel labrum, uel circa guttur cutis, uel uenter: uix enim ijs partibus
deligaturam uulnus admittit. Si uerò in carne uulnus eſt, hiatq;, neq; in unum o-
3. ræ facile attrahuntur, ſutura quidem aliena eſt, imponendæ uerò fibulæ ſunt
Fibulæ. (ἀγκτῆρας Græci nominant) quæ oras paulùm tamen contrahunt, quò minus la
ta poſtea cicatrix ſit: ferè autem fibulæ latius uulnus eſſe patiuntur.

De tertia intentione.

3. TErtius ſcopus qui in curando ſimplici uulnere chirurgo proponitur, eſt, ut
Commiſſorũ conſeruatio. diductorum oræ, ita ut in unum per adductionem coniunctæ ſunt, conſer-
uentur & maneant. Conſeruabuntur autem optimè huiuſmodi extrema, quæ in
unum coacta ſunt, ijſdem ferè auxilijs, quibus & in idem adducta ſunt: nempe,
decenti ligatione, appoſito membri ſitu & ſuturis, ſi neceſſariæ uidebuntur. Por
Dupliciter cõiuncta manere quæ committuntur. rò bifariam ſimul manent, & agglutinantur quæ commiſſa ſunt: alia enim per ſe,
alia ope aliorum ſubſiſtunt ac manent. Per ſe quidem, quæcunque ſecum con-
creſcunt ac coaleſcunt: aliorum ope, ut ea quæ colligantur, & quæ glutino ali-
quo tenentur: ac quæ concreſcant, coaleſcantúe, omnino mollia naturaliter
ſint oportet. Talis ſanè eſt (inquit Galenus) tum caro ipſa, tum quæcunque car
nea ex ipſa conſtitutione ſunt. Quæcunque uerò dura ſiccaq; ſunt, eorum diui-
ſæ partes coire ſimul nequeunt, alienum enim terminum nequaquam admittũt:
ſed glutinum aliquod uinculumúe, quo commiſſa maneant, requirunt. Et taliũ
quidem ſanatio in ſequentibus præcipietur. Nunc de ijs quæ per ſe uniri poſ-
ſunt, inceptum ſermonem peragamus, & quomodo uulnus ligari cõueniat, pri-
mùm dicamus.

Quomodo vulnus ligari conueniat.

Triplex genus deligaturæ. DEligaturæ modi ſeu differentiæ tres ſunt apud Auicen. fen. quarta lib. quar
1. ti. Nempe incarnatiua, expulſiua & retentiua: ita enim eius interpres, & re-
Incarnatiua ſeu agglutinatoria deligatura. centiores chirurgi eas nominant. Incarnatiua quæ magis propriè agglutinato-
ria diceretur, recentibus tum uulneribus, tum fracturis accommodatur. Debet
autem faſcia in hoc genere deligaturæ, à duobus initijs uerſus medium eiuſdem
circumuolui, & principiũ deligaturæ fieri ex parte aduerſa loci uulnerati, ducen
do,

do atque inijciendo alterum faſciæ principium uerſus partem ſuperiorem membri, alterum uerſus inferiorem. Ea uerò latitudine eſſe debet faſcia ipſa, ut ſemel iniecta, non uulnus tantùm, ſed uſque ad aliquid utrinque etiam oras eius comprehendat, quantum uidelicet uidebitur neceſſarium. Si ab altera parte caro magis receſsit, ea melius attrahitur. Si æquè ab utraque tranſuerſa comprehendere oras debet: aut ſi id uulneris ratio non patitur, media primùm inijcienda eſt, & tum in utranque partem ducatur. Cæterùm arctior eſſe debet ligatura ſuper locum læſum, quàm in partibus adiacentibus. Cauendum tamen ſemper eſt, ne uel nimis arcta, uel nimis laxa ſit. Quandoquidem quæ laxior eſt, non continet: quod autem nõ continetur, elabitur. At uerò quod uehementius eſt aſtrictum, dolorem premendo excitat, & proinde fluxionem proritat, & phlegmonem acceſſit, quandoque etiam gangrænam. Danda igitur opera eſt, ut uitato ambarum incommodo, utriuſque fruamur commodo. Id fiet (ut Galenus ait) ſi quod nimium eſt, declinabimus. Ergo nec adeò arctare deligaturam debebis, ut iam comprimat: nec adeò remittere, ut laxa ſit. Et ut ſummatim dicam, deligaturæ terminus, ſit bona laborantis tolerantia. Cæterum extrema faſciæ acu aſſuenda ſunt. Nam nodus (inquit Celſus) ulcus lædit, niſi tamen longe eſt. Et ſi neceſſitas deſyderet, plures faſciæ inijciantur, & modo qui ſupra dictus eſt, reuoluantur. Itaque hoc deligandi modo uulneris labra adamuſsim committuntur, & quo minus circa uulnus excitetur phlegmone (cuius rei curam in primis habere oportet) prohibetur: ut libro ſexto methodi Gal. annotauit. Sunt qui pannum lineum duplicatum adaptant uulneri, & ſtringendo acu deſuper aſſuunt. Hæc de prima ligaturæ differentia. Secunda de ligaturæ differentia, quæ expulſoria dicitur, antiquis ulceribus & ſinibus (quos cauernoſa ulcera uocant) proriè dicata eſt. hoc enim commodi præſtat in illis, quòd à fundo ad os collectam humorum colluuiem extrudit, & ne quid amplius in locum affectum confluat, ualide prohibet. Hæc autem fit faſcia ab altero tantùm principio reuoluta, incipitqúe ab inferiore parte membri laborantis, ubi arctior eſſe debet. Ab hinc ad ſuperiorem partem facta circumuolutione, eam paulatim ſoluendo, diſpenſatur: ſi ſaltem os per quod ſanies emanat, ad ſuperiorem partem porrectum ſit. Interdùm enim inferius ſpectat. Voco autem hic partem ſuperiorem cum Galeno, quæ uerſus cor, aut hepar uaſorum radices ſpectat. Rurſus radicem uaſis appellamus priorem eius partem, quæ iecinori propior eſt, uel etiam cordi. Porrò huiuſmodi ligatura adaptari ſolet membris inæqualibus, id eſt, quæ non ſunt æqualis craſsitudinis, cuiuſmodi ſunt tibiæ, ſcindendo faſciam ipſam, ſingulo quoque palmi interuallo: & eam ualidè acu aſſuendo, ab ea parte maximè, quæ gibba eſt, ſeu, ut dicunt, arcuata: laxè uerò à parte altera dorſali. Hoc autem genus ligaturæ utiliſsimum eſt in antiquis ulceribus, uaricibus, & tibiarum inflationibus.

Lib. 6. met.

Sic deliganda eſt faſcia, ut & contineat, neque aſtringat.

2.

Expulſoria deligatura.

Deligatura expulſoria fit inferne ſurſum.

Lib 5 meth. medendi.

Deligatura quæ retinet medicamenta, accommodatur membris, in quibus non poteſt fieri arctatio ſeu ſtrictura, neque alia deligatura, ut in collo, & uentre atque omnibus abſceſsibus & diſpoſitionibus doloriſicis. Hæc autem perficitur linteolo ſeu faſcia unicum finem ſeu (ut dicunt) caput habente: uel quæ ſit multorum capitum ſeu brachiorum, prout res exigit. Atq; eius deligaturæ principium, ſuper locum affectum inijcietur, & in parte oppoſita, uel nodus, uel potius ſutura fiet. Talis autem deligatura leniter & citra dolorem, cùm appetet tempus, ſolui debet. Quòd ſi linteola nimis adhæreant, ea tantiſper uino madefacito, donec facilè ſeparari poſsint: faſcia uerò ad uulnus deligandum, lintea aptiſsima eſt Galeno libro ſexto Therapeutices, quæ nec nimium mollis nec nimiùm dura ſit. Quod enim molle nimiùm eſt, & algæ ritu fragile, non tutò continet. Quod uerò durum nimis eſt premendo offendit. Sit igitur ex panno ueteri, non tamen nimis detrito, ſuaui, leni & mundo: eaqúe latitudine &

Deligatura retinens.

Quæ faſcia uulneri deligando aptiſsima.

longitudine,quam natura partis deſyderat. Vt ſi humerus tibi deligandus ſit, faſciam quæ latitudinem ſex digitorum habeat,aſſumes:at ſi femur,quinque: ſi tibia,quatuor:ſi brachium,trium digitorum.Si uerò digitus ligari debeat,unius digiti latitudine faſcia aſſumenda erit.Eius uerò longitudo ſit pro ratione numeri iniectionum,hoc eſt,pro neceſsitate reuolutionum.Hoc igitur ut & multa alia, quæ ſcriptis mandari non poſſunt medici ac chirurgi ingenio, quod (ut Damaſcenus ait) tum artem tum naturam operantem magnoperè adiuuat, committitur.Sed & ad hoc non parùm confert,cognitio conformationis ipſius particulę laborantis, ut quarto Therapeutices Galenus his uerbis expreſsit.Deligare (inquit) commodè ægram particulam non poſsis,niſi prius uel ex figura,uel poſitu „ ra,uel utriſq; indicationem ſumpſeris. Hactenus de modo deligandi. Nunc de „ qualitate,& modo ſuendi.

De ſutura in vulneribus facienda.

Sutura triplex. 1. Triplex ſutura communiter fieri ſolet in uulneribus, agglutinatoria, quam incarnatiuam uocant: ſuppreſſoria ſanguinis & labiorum in unum adductorum,ad tempus conſeruatrix.Sutura incarnatiua omnibus his plagis ſeu uulneribus in molli parte acceptis, competit, quorum labra ſic inuicem diſsident, ut ſola ligatura in unum adduci non poſsint,& quibus nihil iam extraneum inter ipſas oras intercipitur.Sed & recentia eſſe debent uulnera,quibus hoc genus ſuturę accommodatur:uel ſaltem ſi uetera fuerint ac dura,calloſaq; labra habuerint, per ſcarificationem aut cutis ablationem, ſanguine emiſſo renouata. Hæc autem fit quinque modis. Primo,filo forti,æquali & leui, cuiuſmodi eſt ſericum in communibus ſaltem uulneribus, primum punctum faciendo in medio diuiſionis uulneris,deindè alterum in medio ſpatio utriuſque lateris, & ita deinceps procedendo,ut inter duo quæcunque puncta, punctum intercedat,donec uulneris labra ritè commiſſa fuerint.Itaque neque nimis rara,neque nimis crebra ſutura eſſe debet.Si enim nimis rara eſt,non continet:Si nimis crebra eſt,uehementer afficit. Quia quo ſæpius acus corpus tranſiuit, quóque plura loca iniectum uinculum mordet,eò maiores inflammationes (inquit Celſus) oriuntur.Sic igitur ſutura oras iungat,ut ne ipſæ quidem inter ſe ex toto contingant.Quòd ſcilicet,ſi quid intus humoris concreuerit,ſi quà emanare ac effluere poſsit.Solent autem communiter unius digiti tranſuerſalis ſpatium inter iniecta uincula relinquere.Porrò acus longa ac læuis eſto,cuſpide triangulari, cauda uerò excauata, ut in ea filum recondatur,& tranſitum acus non remoretur. Ita enim mitius corpori inſidet.Cæterum cannula habeatur feneſtrata,cui incumbat ac innitatur altera pars labij uulneris,ne ſcilicet huc atque illuc euagetur, dum acus intromittitur:& ut per feneſtellam uideri poſsit,quando acus pertranſierit.Atq; ubi iam acus traiecta fuerit,unà cũ filo trahatur:ſed interim uulneris labrum, quod prope filum eſt,ſpecillo huic parti applicato,ueluti fulcimento, & adminiculo innitatur,ne dum filum extrahitur,labrum etiam conſequatur.Ligetur autem primò duabus inuolutionibus,ſecundò una duntaxat,deindè filum ſcindatur,aliquantulum remotè à nodo.

Marginal notes: 1. Vſus ſuturæ agglutinatoriæ. — Modi quinq; ſuturæ agglutinatoriæ. 1. — Lib. 5. — Acus qualis eſſe debeat.

2. Secundus modus ſuturæ agglutinatoriæ. Secundo modo fit ſutura incarnatiua ſeu agglutinatoria, acubus, aut pinna cũ acu introducta.hac autem utimur in magnis uulneribus & profundis,in quibus labra plurimùm inter ſe diſtant. Atque tot numero acus imponendæ ſunt, cum filo in eas intromiſſo,quot neceſſariæ uidebũtur.Filum autem circa eas reuoluendum eſt,eo modo quo mulierculæ facere ſolent,dum ſuas acus ſuper manicas aut capitia aſſeruant,atque hoc modo relinquuntur uſq; ad uulneris conſolidationem.

3. Tertius modus ſuturæ agglutinatoriæ. Tertio modo fit ſutura hæc agglutinatoria dicta,ueruculis æqualibus ex ſtudiis uehementer cõtortis & gracilibus,ad modum ſcriptorij calami,uel feſtucæ,

longitudine

longitudine ferè medij digiti. Quòd ſi uelimus ſuturam longo tempore perdurare, pinna ſeu ſcriptorius calamus loco ſtuparũ, aſſumi debet: fit autem ad hunc modum. Vtraq; uulneris ora traijci debet acu filum ducẽte. Deinde facto per idẽ foramen recurſu ex ea parte qua uenerat, recipienda eſt: ſic quidem ut anſa una remaneat ea parte qua remeauit. In qua alterum ueruculi extremum imponendum erit. Poſteà fines amborum filorum, euntis inquam & redeuntis, conſtringito, & ſuper alterum ueruculi caput ligaturam facito, ibiq; fila reſcindito & ueruculum hoc pacto uſq; ad perfectam uulneris coïtionem relinquito. Anſa

Quarto eiuſmodi ſutura fit, fibulis (quas Græci ἀγκτῆρας nominant) diſiunctas atque hiantes uulneris oras committendo. Sunt autem fibulæ ipſæ uel maiores uel minores, pro ratione partis uulneratæ: ab utraque uerò parte recuruæ: figaturq; hamus unus in altero uulneris labro, & uerſus alterum ducatur, in quo & alter hamus infigatur, ut facere ſolent qui pannos tundendo apparant. Hæ aũt (fibulæ inquam) quibus hiantis plagę oras ſic contrahimus, nullã uim deſyderãt, ſed eatenus utiles ſunt, quatenus cutis ducentem quaſi ſua ſponte ſubſequitur. 4. Quartus modus ſuturæ agglutinatoriæ.

Quinto modo diductæ uulneris ore committuntur, pannis utrinq; admotis, qui figuram triangularem referant, & ea ſint magnitudine, quæ membro læſo cõgruere uideatur. Qui ſuturæ modus, in ijs maximè locis conuenit, in quibus uolumus cicatrices, facta uulneris agglutinatione non apparere, ut in facie. Pãni autem eiuſmodi, uiſcoſo linimento ac pertinaciter adhærente oblini debent, quod recipiat puluerem ſanguinis draconis, thuris, & maſtiches, ſarcocollam, picem, & pollinem, id eſt, farinam uolatilem molendinariam. Quæ omnia cum oui candido liquore ſubigi debent, & in unitatem redigi. Atq; ubi linimenti formã ea iam induerint, ſupra dictos pannos extendi debent, qui utrinq; poſteà ad latera uulneris, ad pollicis unius diſtantiam ſupra uulneratam partem agglutinandi ſunt. Vbi autem hæc panni fruſtula ſic linimẽto oblita, deſiccata fuerint, ingenioſè & ut oportet conſui debent. Quo facto uulneris labra coibunt & agglutinabũtur. 5. Quintus modus ſuturę incarnatiuæ.

Sutura ſanguinem ſupprimens, fit acu filum trahente, traiectis oris uulneris utriſque per modũ reuolutionis, uti pelles conſui ſolent. Ea autem utimur, quando alia non datur uti, propter magnum ruentis ſanguinis impetum, accepto in uenis uulnere. Sed & hæc utilis eſt ad tranſuenda inteſtina, cum ſauciata ſunt: ad panniculos quoque uulneratos & loca carne deſtituta. Verùm non admodùm tutus eſt hic conſuendi modus. Quandoquidem diſrupto puncto uno, cætera relaxantur. 2. Sutura ſanguinem ſupprimens.

Sutura, quæ labiorum in unum attractorum eſt conſeruatrix, fit ut & reliquæ aliæ: uerùm non æque arcta eſſe debet. Eo enim duntaxat nomine fit, ut ſimul maneant, quæ commiſſa ſunt, tantiſper dum uulnus coaluerit. Competit autem huiuſmodi ſutura uulneribus in carne, aut molli parte acceptis, in quibus magna facta eſt dilaceratio & carnis deperditio. Hac enim facta unionis diuortio, ſeiunctæ partes in unum adducuntur, quò citius coaleſcant. His etiam uulneribus rectè accommodatur, è quibus in poſterum aliquid extrahendum eſt. Illud autem de ſuturis ac fibulis in uniuerſum diligenter obſeruandum eſt, ut illis nunquam utamur, antequam uulnus intus purgatum ſit (niſi cùm magna ſanguinis profuſio ſupprimenda eſt) ne quid ibi cõcreti ſanguinis relinquatur. id enim & in pus uertitur, & inflammationem mouet, & glutinari uulnus prohibet. Sed ne linimẽtum quidem, quod ſupprimendi ſanguinis cauſa inditum eſt, inibi relinquendũ eſt: nam id quoq; inflammat. Comprehendi uerò ſutura uel fibula, nõ cutem tantùm, ſed aliquid etiam ex carne (ubi ſuberit hæc) oportebit, quò ualentius inhęreat, neque cutem abrumpat. Vtraque optima eſt (ut uoluit Celſus) ex aciã molli, non nimis torta, quò mitius corpori inſidat. Sed neque rara nimis, neque nimis crebra (ob ſuperius adductas rationes) ſutura aut fibula inijcienda eſt. Neutra etiam uim ullam deſyderat, ſed eatenus utilis eſt, qua cutis ducentem quaſi 3. Modus ſuturæ tertius. Lib. 5.

Tẽpus & modus reponendæ ſuturæ. ſua ſponte ſubſequitur. Cæterùm tunc appetit tempus remouendæ ſuturæ, cùm ea, quem deſyderamus effectum præſtiterit. Modus autem remouendi talis eſt: Specilli caudam, id eſt, anguſtum mucronem, filo ſuppoſito, filumq́; ipſum mox abſcindito. Poſteà latum ipſius ſpecilli mucronem, labro fulneris per quod filũ educitur, ſuperponito. Ita enim pulchrè uitabis, ne quid filum euellendo laceretur.

De modo conficiendi puluillos & eorum vſu.

Vſus puluillorum. TEmpeſtiuũ autem eſt de puluillis (qui uulgaribus chirurgis plumaceoli nuncupantur) aliquid obiter dicamus: hi enim ad multa utiles ſunt. Quãdoquidem diſſolutas ac diductas partes fulciunt & comprimunt: membri, quod ſuæ unionis diuortium patitur, genuinum calorem fouent & conſeruant Denique à graui moleſtoq́; uinculorum ac faſciarum pondere, uulneratam particulam tuetur. Fieri autem quondam ſolebant ex pluma inter duos pãnos candidos & mũdos conſuta, unde & nomen illi à ueteribus inditum eſt. Verũ quoniam eos ſubindè mutare & innouare (quod ualde tædioſum erat) cogebat neceſsitas, magis poſtea placuit eiuſmodi puluillos ex ſtupis canabinis conficere, præſertim diligenter ac ſtudioſe pexis, emundatisq́;. Fiũt etiam interdũ ex lana uel xylo, quod cotonem appellant. Plærique autem hodie loco puluillorum, pãniculos admouent læues, id eſt, non aſperos, duplicatos aut triplicatos: alij uerò ſpongiam adaptant. Porrò duo uel tres pluresúe, prout res expoſtulat, apponuntur. Quandoque quidem ſicci ac nullo madentes liquore: nonnunquàm uerò imbuti oui cãdido, uel uino, uel poſca, id eſt, oxycrato: aliquoties etiam oleo, iuxta ipſius diſpoſitionis exigentiam. Inueniuntur autem huiuſmodi puluilli ex triplici differẽtia, quod ad figuram attinet. Alij enim triangularem, alij rotũdam, alij uerò quadratam habent. Qui figura conſtant triangulari, glutinandis uulneribus (ut placuit Auicennæ) ſunt dicati. Ita autem diſponi debent: unus ex utroq; latere orarum ſeu labrorum uulneris, conſtituatur ita, ut ſuper plagam, inter ſe iungantur lateribus. Qui rotundam habent figuram, ſicci alijs ſuperponuntur, natiui caloris particulæ læſæ cõſeruandi gratia, & ut ſanioſam proluuiem ac ſordidos ichores in ſe recipiant. Sed qui quadrati ſunt, ideò apponuntur, ut partem læſam à faſciarum & uinculorum iniurijs uindicent.

Ratio nominis. Materia puluillorum. Numerus. Figura. Triangulares. Rotundi. Quadrati.

De penicillis ſiue turundis (quas tentas vulgò appellant) & linamentis formandis, deque eorum vſu multiplici.

TVrundas ſeu penicilla & linamenta (quæ & lichinia uocant) maximo eſſe uſui in curandis uulneribus & præcedentia luce clarius oſtendunt, & omnibus in aperto eſt. Proinde quando, quomodo, & ad quos fines illis ſit utendum, chirurgo haudquaquàm eſt ignorandum. Adhæc, ex qua materia & qua figura formari debeant. Itaq; illis utimur in octo præſertim caſibus.

In quibus uulneribus utendum turundis & linamentis.

1. Primo, cùm uulnera uel amplianda ſunt, uel detergenda, uel cùm aliquid ab eorum fundo uacuandum eſt: ut in profundis uulneribus, in quibus neceſſum eſt alibi uulnus aperire, ut ex fundo & ſinu ipſius, ichores, id eſt, ſanioſa colluuies inibi collecti uacuentur.
2. Secundo illis cogimur uti, in cauis uulneribus, in quibus neceſſaria eſt carnis deperditæ regeneratio.
3. Tertio in uulneribus alteratis ab aëre, & ſordidis, quæ deterſione egent.
4. Quarto in uulneribus contuſis.
5. Quinto prædictorum uſus utilis eſt, in uulneribus quæ cum phlegmone, aut quouis alio tumore præter naturam fatigant.
6. Sexto in uulneribus quæ per morſus fiunt. Talia nanque uulnera non ſunt feſtinanter agglutinanda, & ad cicatricem perducenda. Quin potius longo tempore

pore aperta & hiantia manere debent. Quandoquidem morſus ferè omnis (ut
„ Celſus ait) quoddam uirus habet, quod foras ſemper euocandum eſt, non intrò Lib. 5.
„ repellendum, nec occluſo uulnere intus relinquendum. Sed de his fuſius in ſe- Omnis ferè morſus habet
quentibus dicetur. quoddam uirus.

Septimo turundis & linamentis utimur in uulneribus, in quibus perſanan- 7.
dis circa oſſa manus admouenda eſt.

Octauo in uulneribus quæ iam uetuſtate in ulcera defluxionibus ſcaturien- 8.
tia degenerauerunt. Porrò in omnibus alijs reliquis uulneribus inducendæ ci-
catrici ſtudemus abſque eiuſmodi turundis & linamentis. Aduertendum au- Vſus & materia turundarũ
tem eſt in ijs diuerſitatem nō paruam eſſe, pro ratione finis, cuius gratia fiunt et & linamentorum.
admouentur: fiunt autem interdum, ut diximus ad detergendas ſordes uulnerũ
atque tum ex panni non aſperi, & præſertim ueteris, lacinijs, uel floccis euulſis
formantur. Nonnunquam uerò ideò fiunt & in uulnus immittuntur, ut ipſum
hians & apertum maneat. At tunc quidem ex ſtupis bene pexis & à ſordibus ri-
tè emundatis, uel ex prędicti panni fruſtulis efformantur: uel etiam ex xylo (quē
cotonē uocant) ut Razes facere ſolebat. Sed & ex canna ænea, uel argentea per- Tente canulee.
forata fiunt penicilli ad eundem finem: ut uerbi gratia, in naribus ad aeris inſpi-
rationem, & in altis uulneribus ut ſanies & purulenta colluuio, per hanc uelut
emiſſarium feratur & foras egrediatur, non autem intus retineatur. Quandoq;
etiam hæc, linamenta inquam & penicilla plagæ inſeruntur, ut ipſius os magis
dehiſcat & amplietur, fiuntq; tunc aut ex ſpongiolis uehementer compreſsis et
intortis, aut ex radice gentianæ. hæc enim dum multum humorem quo ſcatet
uulnus, combiberint, turgeſcunt, & ita magis hiantem plagam reddunt. Cæte-
rùm forma linamentorum æqualis eſſe debet, turundarũ uerò inæqualis, in mo-
dum clauiculi lignei, quē Latini impagē uocāt, ne ſcilicet intrò labātur. Hæc au Impages, cheuille.
tem aliquoties quidem ſicca, quandoque uerò quopiā delibuta unguento ad-
mouentur, prout res ipſa exigit. Reliqua quæ ad eiuſmodi operationes ſpectāt,
medentis conſilio & ſolertiæ committuntur.

De quarta intentione curandorum vulnerum.

QVarta intentio in curandis recenter acceptis uulneribus eſt, particulæ læſæ 4.
ſubſtantiam cōſeruare, ac prohibere ne ipſa dolore uel phlegmone, aut ali- Subſtantiæ
quo alio prauo ſymptomate (quod uulneribus ipſis accidere ſolet) infeſtetur. partis conſeruatio.
Hunc autem ſcopum aſſequimur, admotis emplaſtris & linamentis ex oui can-
dido, & alijs huiuſmodi refrigerantibus, ut rectè docuit Razes primis ſaltem die
bus. Poſtea uerò uino ſtyptico particula perfundenda, & figura aptiſsima collo
canda eſt. Apertio quoq; eaq; interdum ex aduerſo in uulnerata parte molien-
da eſt. Neceſſaria etiam eſt nonnunquam ſanguinis miſsio, item & purgatio; ut
mox docebitur. Sed & proba uictus ratio (quam ſtatim præſcribemus) in pri-
mis eſt obſeruāda, ſi quartum hunc ſcopum cupis aſſequi. Porrò nihil aduerſus
hæc quæ cōmentamur pugnat, quod plerīq; obijciunt, uulnera ſcilicet inquā-
tum uulnera, ijs tam uarijs, tamq; multiplicibus auxilijs nō indigere. Hoc enim
dictum ſolum locum habet in paruis occaſionibus & eucratis, id eſt, bono habi
tu præditis corporibus. In magnis uerò occaſionibus, & in plethoricis corpori
bus, uel uitioſo ſucco refertis, neceſſum eſt ad prauorum ſymptomatum (quæ
recentibus uulneribus ſuperuenire conſueuerunt) præcautionem, prædictis u-
ti auxilijs. Quod Galenus innuere uidetur lib. ſexto methodi medendi, his fe
„ rè uerbis: Fingamus quempiam ad nos uenire, cui tantum cutis acu ſit puncta, Galen. lib. 6. methodi.
„ hunc hominem, ſi is ſit cui facilè [ob bonam corporis habitudinē] ulcera ſane-
„ ſcant, etiam ſi citra medicamentum, nudoq; membro ad opera conſueta dimit-
„ tas, nihil ſentiet mali: ſin ex eorum numero ſit, qui difficulter ſanentur (quia ſci-
„ licet uel plethoricus ſit, uel uitioſis ſuccis prematur, uel acris ſit ſenſus, uel horũ

quibuſdam, omnibúsne prematur) primum quidem dolebit, pòſt etiam tum „ pulſu particula infeſtabitur, tum phlegmone. Porrò in omni membro carnoſo, „ quod ſuæ unionis ſolutionem patitur, nerui, uenæ, & arteriæ reperiuntur, quæ praua quædam accidentia inducere poſſunt. Nempe dolorem, phlegmonem, ſanguinis profuſionem, conuulſionē, & id genus alia. Quibus ſumma diligentia medentem occurrere oportet. Occurret autem facilè, ſi ea præſenſerit & præcognouerit, ut primo libro præſagiorū teſtatus eſt Hippocrates, ad hunc modum ſcribens: Nihil perinde medico cōducibile eſt, quàm ut futura præſentiat: ita enim (ut Galenus locum hunc interpretans ait) de longinquo obuiam it malis.

De ſanguinis detractione in vulneribus.

Lib. 4. meth. ex Hippoc.

OMni recēs facto uulneri (niſi in uentre ſit) expedit (inquit Galenus) ex ipſo „ ſtatim ſanguinem plus minúſue effluere. Quippe hoc modo phlegmone „ minus tentabitur, tum ulcus ipſum tum quæ circūpoſita loca ſunt. Itaq; ſi medi „ cum imitatorem eſſe oporteat, non naturæ tantum (ut ſubinde nos monet Hippocrates) ſed etiam eorum quæ cum ſua ſponte ueniant, conferunt. In recenter autem acceptis uulneribus præſertim magnis & præualidis expedit (ut diximus) ſanguinem effluere: hic certè ſi minimè uel minus quàm par ſit effluxit, quod deeſt ipſi adijcias oportet, ſanguinem ſcilicet ex uena detrahendo. Porrò trifariam uulnera, ut & reliqua omnia alia uitia magna grauáque redduntur, ut Galenus ait libro quarto methodi medendi: nempe uel propter affectæ partis præſtantiam, uel propter affectus uim ſeu magnitudinē, uel propterea quòd ſunt cacoëthe, id eſt, maligna. Cuiuſmodi ſunt quæcunque in articulis accepta uulnera ſunt. Hæc enim doloris, uigiliarum, conuulſionis, & delirij periculum afferunt. Quod ſcilicet ibi tendones & nerui & carne uacua, atque oſſea loca ſunt. Vulneris igitur magnitudo, unà cum uirium robore mittendum ſanguinam indicat: quanquam qui uulneratus eſt, prorſus redundantiæ ſanguinis ſit expers. Quo fit, ut in artis operibus errent, qui in ſola ſanguinis abundantia, ipſius detractionem conſulunt. Porrò nos ſanguinem detrahimus, in recentibus & nuper acceptis uulneribus, nec ſolum ne pars læſa, aut circumpoſita loca (ut ſuperius dictū eſt) phlegmone tententur, ſed ut impetū quoq; ruentis ſanguinis cohibeamus, & nimium profluuium impediamus. Hi enim ſunt præcipui ſcopi mittendi ſanguinis in recenter illatis uulneribus. Cęterùm ſi perpetuū eſt, quod ab Hippocrate (ut Galenus ait) didicimus, incipientē (inquam) fluxio „ nem ad contraria trahendam, & reuellendam eſſe: fixam uerò iam in laborante „ particula uacuandam eſſe, uel ab ipſa particula quę affligitur, uel à maximè uici „ na. In prōptu nobis & de ſanguinis detractione colligere nunc eſt, quòd in prin „ cipio hęc è longinquo, poſtea ab ipſis exulceratis partibus ſit emolienda. Modū „ uerò ſeu quantitatem uacuationis, tum ex redundantiæ modo, tum ex copia ſanguinis qui è uulnere effluxit, inuenies. Adhæc ex ætate, natura, tempore anni, regione & conſuetudine. & ante hæc ex ipſa laborantis uirtute. Venæ autem ſecandæ electio ex laborante particula indicatur. Vt ſi uulnus in capite, collo aut facie acceptum ſit, humeralis in cubito uel manu, ſecanda eſt. Si ea non cernitur, media, quæ ex ea deriuata eſt. Interiorem uerò (quam baſilicam uocant) incidere utile eſt in ijs, quibus inferiores collo partes uſque ad renes & umbilicum uulneratæ ſunt. Hac non comparente, certè media quæ ab ipſa diducta in iuncturæ apparet flexura, diuidenda eſt. Vbi enim uena (ut Galenus ait libro „ de phlebotomia) parti affectæ propria eſt, obſcurior fuerit, & ad mediarum a- „ liquam aperiendam accedis: omnino tibi conandum eſt, ut eam quæ à propria „ diducitur, potius incidas. Eſt uerò & quæ inferiores ſunt cubiti iunctura, eas „ ſcilicet quæ in ulna exiſtunt, nihil ſecare prohibeat, ubi nimirum quæ in cubito ſunt nō appareant. Sed eas certè, quæ in rectū ſunt, id eſt è directo ſitæ, & à uenis quas

In uulneribus præualidis ſanguinem mittēdum eſſe.

Vulnera trifariam magna redduntur.

Quæ ſanguinem mittendum indicent in uulnerib.

Sāguis cur in recenter acceptis uulnerib. mittatur.

Lib. 4. meth. medendi. Si fluxio ualenter irruat, ad contraria reuellendum.

Modus uacuationis ex quibus indicetur.

Venæ ſecādæ electio, ex parte uulnerata indicatur.

quas in cubito ſi apparuiſſent,alioqui ſeccaſſemus,diductæ. Porrò quemadmo
dum prædictæ omnes partes,ubi ſic uulneratæ fuerint,ut ſanguinis ob cauſas ſu
perius adductas,egeant detractione,in cubito ſecta uena iuuantur, uti dictũ eſt:
ſic quæ renibus inferiores ſunt illis quæ per poplites & malleolos decurrũt. Ac

Venæ poplitis & malleoli, quando ſecandæ.

perpetuò quidem in omnibus,dum ſic reuellere ſtudes,aut uacuare & phlegmo
nem prohibere,uena quæ è directo eſt,ſecãda uenit.Manu tamen uulnerata(uti
& eadem incipiente phlegmone,laborante ſanguine ualenter ac nimis copioſe

Semper è directo ſecanda uena.

in eam irruente)crus quod è directo eſt, reuulſionis gratia tibi ſcarificandum e-
rit.Altero uerò crurum ſic ex uulnere malè habente,reliquum crus ſcarificabis,

Auerſio à manu & ab altero crure.

aut in eo poplitis aut malleoli uenam ſecabis,uel certè potius (ut conſulit Aëti
us)ex brachio quod è directo eſt,ſanguinem detrahes.Si autem renes,uel partes
illis adiacentes, recens uulnus acceperint,quod ſanguinis emiſsionem deſyde-

Si renes aut partes circum poſitę uulnus acceperint.

ret, uel propter ipſius affectus magnitudinem, uel ne phlegmone tententur,ue-
na in cubito interior incîdi debet, tametſi renes ipſi ambigant,quibus partibus,
ſuperioribúſne an inferioribus aſcribi debeant, ut Galenus annotauit libro de
curandi ratione per ſanguinis miſsionem. Veriſimile enim eſt,plus ſanguinis ad
ipſos ex ſuperioribus partibus, quàm ex inferioribus confluere. Non negaue-
rim tamen, quin & ex cruribus ſanguis commodè detrahi poſsit. Cæterum in
hac re tam ardua, tamqúe magni in arte medendi momenti, nihil unquam moli
ri debet chirurgus citra periti alicuius medici conſilium, ut iam alibi ſemel atq;
iterum monuimus.

De purgatione in vulneribus molienda.

SI uulneratus aluo fuerit aſtricta, ea indita glande aut clyſteri iniecto ſubdu-
cenda eſt:uel caſsia aut manna, aut aliquo eiuſmodi leniente medicamento

Aluus quãdo ducenda in uulneribus.

per os accepto,citanda. Porrò ſi uitioſi ſucci in uulnerato corpore ſubſit abun
dantia,uel uulnus præualidum ſit, puro etiamnum exiſtente corpore & citra ca
cochymiam, ijs lenibus modò dictis auxilijs nequaquam contentus eris, ſi ſal-

Purgatio quãdo in uulneribus neceſſaria

tem Hippocratem ducem ſequutus fueris,& eius interpretem Galenum:ſed for
tioribus pharmacis purgationem per aluum molieris. Scribit nanq; Hippocra-
tes,& poſt eum Galenus(qui nec caſsiam nec manná nouerant)purgationé per
aluum is uulneribus ualde utilem eſſe, quæ in capite ſunt accepta: item quæ in
uentre & articulis. Præterea in ijs quæ ſuuntur, aut deligantur, id eſt, quæ a-
deò magna ſunt, ut ſuturis indigeant, aut ſi non his,certè deligatura. Sic autem
» ad uerbum ſcribit Hippocrates: Purgatio per aluum pleriſq; ulcerum prodeſt:
» præterea uulneribus quæ in capite ſunt accepta: item quæ in uentre, tum infe-

Hipp. in li. de ulceribus.

» riore tum ſuperiore (qui ſub thorace eſt) & articulis. Adhæc ijs in quibus oſsi
» caries impendet.Præterea quę ſuuntur & exeduntur,& quæ ſerpunt,& reliquis
» quæ ulcera diuturna reddunt,etiá quæcunq; deliganda ſunt, per aluum purgan
da ſunt. His itaque uerbis (ut Galenus ait, locum hunc Hippocratis exponés)
clarè docuit Hippocrates,ulceribus omnibus & uulneribus,quoties præualida

Morbi magnitudinem indicatricem eſſe purgationis adhibendæ in uulneribus.

ſunt,purgationem eſſe utilem. At qui purgantia medicamenta, quæ Galeno &
Hippocrati in uſu erant, multo ſunt uehementiora (ut ex eorũ ſcriptis conſtat)
quàm uel caſsia,uel manna,uel etiam rhabarbarum, quæ priſcorum ſeculo igno
ta fuerunt.Si ergo illos imitari uoluerimus, fortioribus medicamentis corpora
non modò in diuturnis ulceribus, ſed in recentibus quoque uulneribus repur-
gabimus. Quanquam ea non probentur recentioribus medicis, ob eas cauſas,
quas mox ſubiungemus. Meminit autem eo loci Hippocrates ſeorſum eorũ o-
mnium,propter quæ nó modò uulnera ac ulcera,ſed etiá reliqua alia omnia ui-
tia grauia magnaq; redduntur.Nempe præſtantiæ partis cocoëthiæ,& magnitu
dinis affectus.Purgationis igitur in uulneribus adhibendæ,duæ potiſsimæ ſunt,
ueluti & miſsionis ſanguinis,indicationes.Népe morbi magnitudo(quã omniũ

Duę purgationis in uulneribus adhibendæ indicationes.

2. Vis morbi. primus adinuenit Hippocrates) & uitioſi ſucci abundãtia, quod Galenus quar-
to methodi medendi ijs uerbis expreſsit: Purgatio nõ in ſola uitioſi ſucci abun- »
3. Succorum abundantia. dantia conuenienter ſuſcipitur: ſed ſicut miſsio ſanguinis, uel propter ipſius a- »
bundantiam, uel propter morbi magnitudinem, ita purgatio, & propter abun- »
dantiam alterius cuiuſquã ſucci, & propter uim morbi adhibetur. Igitur cum in »
uulnerato corpore uincit ſanguis, eius redundantiã uenæ ſectione ſtatim uacua
bis. Cum uerò ſuccorum uitium abundat, pharmacum adhibebis, quod ad fla-
Vomitus in uulneribus utilis. uam bilem uel atram, uel pituitã educendã uim habet. Sed & per uomitũ quan
doq; uacuationem molimur in ipſis uulneribus, ſi ſaltem Galeno aſſentimus. Si
Li. 4. Therap. enim (inquit) fluxio ualenter irruat, reuellere ad contraria ſtudebimus, utiq; ſi in »
ſuperioribus uulnus cõſiſtat, per inferna purgãtes. Sin autem in inferioribus ſit, »
Scopus alius purgationis in uulneribus ſuperiorem uentrem uacuantes. At ſi iam fluxio reſtitit atq; in membro inhæſit, »
deriuare per uicina magis expedit. Quibus uerbis nos docet Galenus, purgatio »
nem interdum adhiberi in recentibus uulneribus, reuulſionis ad contrariũ (quã
Antiſpaſis. Græci antiſpaſin uocant) gratia. Quæ etiam cõuenienter ſuſcipitur, tametſi nul
la in corpore ſubſit uitioſi ſucci abundantia, quam uacuare intendamus.

De potionibus, quæ vulneratis exhiberi conſueuerunt.

QVanquam autem Galenus & Hippocrates, purgationem in uulneribus,
per ualida etiam medicamenta, quæ ſuis temporibus in uſu erant, adhiben-
Valentia medicamenta purgantia in uulneribus recentibus ſuſpecta eſſe. dam eſſe præcipiant: Nos tamen eiuſmodi ualentibus medicamentis in recen-
tibus uulneribus, nec uti conſueuimus, nec cuiquam utendum eſſe conſuli-
mus. Sicuti neque alijs potionibus, quas nonnulli recẽns uulneratis propinãt.
Quandoquidem purgantia iſtiuſmodi medicamenta, & pocula (ut ſic dicam)
uulneraria, quæ communiter offeruntur, facultate calida ſunt, & aperientia.
Proinde & ſanguinem commouent, & hæmorrhagiam concitant, uulnusq; ad
inflammationem atq; abſceſſus diſponunt. In diuturnis tamen ulceribus, fiſtu-
loſis & canceroſis, illis audacter utimur. Adhæc cũ ſanguis in interaneis in gru-
mos concreuit, & cum purulenta colluuies, in pectore collecta eſt. In glandulis
quoq; interioribus, ſtrumis ac hernijs ſeu (ut dicunt) crepaturis, ut ſuis locis di-
cetur, quandoq; purgationem concedimus. Qui tamen Guidonem præceſſe-
runt chirurgi, ut Rogerius & quatuor illi famati magiſtri, in omnibus indiſcri-
Potio in uulneribus & fracturis à quibuſdam exhiberi ſolita. minatim uulneribus itidem & in fracturis omnibus potiones offerebant, confe
ctas ex rubia ſeu erythrodano, quam uulgò rubeam maiorẽ uocant (ex qua plus
quàm ex cæteris aſſumunt) tanaceto ſeu athanaſia, cannabe, braſsica rubra, myr
Herba Robertina. rhide, (quæ ſpecies eſt geranij, uulgò herba Roberti nuncupata) geranio altero,
qui noſtris herbarijs pes columbinus appellatur, ſymphyto, quam aperta ſigni-
ficatione (licet non ſatis concinnè) poſteriores Latini conſolidam uocant: plan
tagine, cynogloſſo, hoc eſt lingua canis, pinpinella, elatine, quæ piloſella uulgò
Modus & tempus potionis exhibendæ. nominatur, caryophillata & conſimilibus. Ex quibus quidem ſuccum exprime
bant, uel ea in aqua, uino & melle decoquebant. Et uno quoq; die ex ſucco aut
decocto ipſorũ, quantitatem ſeſcunciæ, id eſt, unciç unius & ſemis, mane ieiunis
offerebant. Super uulnus uerò manè etiam & ueſperè, folium braſsicæ rubentis
in uerſum apponebant, & facta decenti ligatura, manè rurſum & ueſperè ipſum
Fabuloſum. cõmutando, ita relinquebant. Aſſerunt autem eiuſmodi Empirici unũ quod e-
go planè ridiculũ iudico. Nempe quòd ſi potio aſſumpta, uomitione reijciatur,
ſiniſtrum quid portendi. Si uerò eã uentriculus continuerit, & talis per plagã e-
grediatur, qualis per os aſſumpta eſt, fauſtũ ac bonum quoddam omen porten-
di. Sed hæc, ſi dijs placet, uera ſunt. Cæterùm in maiore adhuc errore uerſantur,
Error Theod. & Henrici. Theodoricus & Henricus, qui recenter uulneratis, præſertim in capite & pecto
Vide Theod. lib. 2. ſuæ chirurg. cap. 3. re, fortiſsima quædã & calidiſsima pigmenta (ita enim uocant potiones quaſdã
ex melle, uino & puluere res multas uehementer calidas recipiente cõpoſitas)

cum quibuſdam exorciſmis,ſeu adiurationibus propinabant, aut ex iiſdem rebus ueluti pulticulam conficiebant,quam in modum emplaſtri ſuper linteolũ extenſam uulneri apponebant.

De ratione victus in vulneribus,& continui ſolutione, obſeruanda, à medico præſcribenda.

VVlneratis primis ſeptem diebus (intra quos ut plurimũ ſecuri eſſe ſolent à febre & inflammatione) uictũ tenuem & parcum,frigidũ quoq; & humidum, præſertim ſi iuuenes & plethorici fuerint,atq; ambiens calidus,inſtituito. Victus tenuis.

Vinum omnibus dum febris,dum inflammatio eſt, interdicito. Vinum.

A carnibus duris & ualentibus,piſcibus magnis & prauum ſuccum generantibus,pane non fermentato (quem azymum uocant) male ſubacto & improbè cocto,eos arceto. Carnes.

Caſeũ,præſertim ſalſum & ueterẽ,fructus ferè omnes,allia,cepas,ſinapi,ſalita omnia & acria,nec non ſpecies omnes aromaticas, ne guſtent,admoneto. Caſeus. Fructus, &c.

Perdices aũt pullos atq; auiculas,quæ in dumetis uerſari ſolent,aqua roſarum alteratas: ptiſanam hordeaceam, quam uulgò hordeatũ & hordeum mundatũ appellant:item lac amygdalinum,& quod auenatum uocant: iura quoq; carnium ſimplicia,aut cum ouis præparata,illis in cibum permittito. Auiculæ. Ptiſana hordeacea.

Ex oleribus lactucam,portulacã,boraginem,(quæ bugloſſum eſt hortulanũ) præterea olus,quod Arabes aſpanar,nos uerò nomine parum mutato, ſpinaciũ & ſpinargium dicimus,& alia id genus illis concedito. Olera.

Aqua cocta illis potus eſto:ſed in aqua cibarius panis, qui Græcis ſyncomiſtos appellatur,uel plurimum furfuris habens,ſordidus dictus,maceratus fuerit. Vel eius aquæ ſimplicis loco,cremor ptiſanæ,aqua hordei,uel (ſi debiles aut ſenes fuerint)uinum aliquod ſtypticum,id eſt, auſterum, quod craſſæ ſit ſubſtantiæ,plurima aqua dilutum:aut ſi tenue concedatur,illud ſit oligophoron, id eſt, parum aquæ ſuſtinens. Aqua pro potu.

Breuem ac frugalem illis cœnam imperato. Cœna.

Leuem frictionẽ,ſed his partibus quæ longius abſunt à uulnere,adhibeto. Frictio.

Vt quieſcant,iubeto. Optimum enim illis(inquit Celſus) medicamentũ quies eſt. Moueri autem & ambulare alienum eſt,ſed iis præſertim, qui in inferioribus partibus uulnerati ſunt. Quies. Motus.

Vt uenerem ſummoperè deuitent, ſubmoneto. Item iram,contentionem,& omnes uehementes animi motus. Venus. Affectus animi.

Cæterùm ubi uulneratus à phlegmone & abſceſſu fuerit aſſertus, pleniore uictu tutò uti poteſt,& ad priſtinam conſuetudinẽ paulatim redire. Vtatur igitur tunc uino aliquo generoſo,&carnibus probum ſanguinem generantibus,ac naturam,hoc eſt,uires refocillantibus. Cuiuſmodi ſunt carnes gallinarum, caporum & ueruecum,ſeu caſtratorum arietum,& quæ eius generis ſunt. Quòd autem talis uictus ratio utilis ſit, & accommoda uulneratis, ex eo comprobatur, quoniam uirtutem fulcit & corroborat,neq; febrem commouet. Sed nec phlegmonas,nec hæmorrhagiam concitat,ac præter hæc alimoniam utilem & conuenientem ſubminiſtrat. Proinde hanc ſummoperè commendant, in recens acceptis uulneribus,tum celebres medici,ut Galen. Haly,Razes,Auicenna:tum etiam recentiores chirurgi, Brunus inquam, Guilielmus à Salliceto & Lanfrancus,à quorum ſentẽtia & opinione deſciuerunt,Theodoricus & Henricus, qui ab initio diætam uinoſam & calidiſsimam uulneratis præter rationem imperabant. Aiebant enim uulneratorum imbecillam uirtutẽ protinus firmandam ac roborandam eſſe,idq; uini potione cõmodè præſtari. Quorum nimirum ſententiæ in totũ aduerſatur Galenus libro primo aphoriſmorũ, cõmentario quarto,ſic inquiens:In ægrotantibus rarò accidit,ut robur corporis maius reddere, Victus paulo plenior, quando uulneratis cõcedendus. Vulnerati à uino per initia abſtineant.

Vires in morbis nō eſſe augēdas, ſed dūtaxat fouēdas & ſeruandas. Therap. 7.

quàm acceperim⁹,ſtudeamus. Magna uerò ex parte properamus in lōgis quidē »
morbis,fouere uires: in acutis uerò paulatim debilitatas conſeruare.Et ſubdit: »
Nam ſi eas tales quales accepimus, properemus in iſtis ſeruare uel etiam augere »
ſemper addemns ad morbū. Quibus uerbis apertè docet Galenus,non ſemper »
uires in ægris augendas eſſe aut roborandas, ſed ſatis eſſe interdū ſi eas cōſeruemus & fulciamus.Niſi forſan adeò imbecillæ ac proſtratæ fuerint, ut quæ ab illis ſumitur indicatio,cæteris alijs indicationibus ſit præferenda. Quod ſanè in omnibus uulneribus non contingit.Adde quòd ubi cōtrariæ, & ex aduerſo pugnantes inter ſe ſunt indicationes,committendum non eſt, ut dum alteri nimium ſis intētus,alterius omnino obliuiſcaris, ſed utriuſq; memor,quoad licebit, miſcere eas oportet,ut libro ſeptimo methodi medendi Galenus nos edocuit.

Gal. 8. meth.

Quod præceptū(inquit)ubiq; memoria teneri uelim. Vnde & circa finē octaui prædictæ methodi ſic inquit.Ergo tum exercitatū in omnibus,tum natura pru- „
dentem eſſe medicum conuenit:quò cuiuſq; indicationis poteſtate diligenter „
conſyderata,omnibus inter ſe collatis,unam idonei uictus ſummam, quæ labo- „
ranti ſit commoda,comparet. »

Vini uſus interdicendus uulneratis uſque ad diem ſeptimum.

Itaq; ut ſemel dicā, uulneratis per initia uſq; ad diem ſeptimum (intra quod tempus ferè ſolet phlegmone in locis uulnere affectis excitari) uini uſus interdici debet.Niſi tamē ex largo ſanguinis profluuio uiribus deſtituti,inter morientes appareant. Tunc enim ante ullam curationem(ut Celſus ait)uino reficiendi ſunt,quod alioqui inimiciſsimum uulneri eſt. Tranſacto uerò die ſeptimo, illis (ſi nihil aliud prohibeat) innocuè uinum modicum & aqua multum dilutum, exhiberi poteſt.Nam ſi ad hunc uſq; diem nec phlegmone tentetur, nec dolore afficiatur,in poſterum tutus erit. Atq; hæc de quarta intētione quæ læſæ particulæ ſubſtantiam conſeruandam eſſe indicabat,dicta ſufficiant.

De quinta intentione, quæ medico chirurgico proponitur, in curandis vulneribus, quæ eſt ſymptomatum correctio.

Symptomatū correctio.

Symptomata, quæ uulneratis accidunt.

QVintam intentionem, quæ eſt accidentium ſuperuenientium correctio, & profligatio,aſſequimur, remedia cuique propria, prout res deſyderat, admouendo. Symptωmata autem ſeu accidentia, quæ conſueuerunt euenire poſt accepta uulnera & ſolutam unionem, hæc ferè ſunt: Dolor, phlegmone, diſcraſia ſeu intemperies, febris, pruritus, conuulſio, paralyſis, ſyncope, mentis alienatio ſeu delirium, durities atq; impotentia membri uulnerati. Itaque uulnera nunquam ad integram curationem perduci poſſunt, niſi ei uſmodi ſymptωmata prius abigantur. Symptωmata enim quæ magnitudine ſuperant ſuas cauſas, ordinem curationis ſæpe peruertunt, immutant atque interpellant: ut libro primo ad Glauconem, & duodecimo methodi medendi Galenus annotauit. Itaq; operæpretium duximus, de horum ſingulis ordine, & continuata ſerie pertractare, à dolore ſumentes initium.

Symptomata interdum curationem peruertunt.

De ſedando dolore in vulneribus.

Dolor phlegmonas & fluxiones concitat.

DOlor omnis,præſertim uehemens, etiamſi purum ab excrementis totum corpus fuerit,fluxionis cauſa eſt. Particula nanque quæ dolore affligitur, ſuccum atque in uulnere ſanguinem maximè ad ſe trahit, copioſiorem ſcilicet, quàm ſit illi ex uſu: unde & phlegmone in ea frequēter excitatur. Proinde ſumma cura protinus adhibenda eſt,ut dolor demulceatur,ac in totū,ſi fieri poteſt, ſedetur. Dolorem autem cōmodè ſedamus in uulneribus, aut ſaltē mitigamus, facto ad particulam læſam fotu, uel ex roſaceo, ſi præſtò affuerit, uel ſi eius copia non adſit,ex oleo communi quod modicè incaluerit. Quibus ſi oui candidum uel potius luteum(ubi magna non fuerit inflammatio, ſeu uehemens caliditas)adijciatur,præſtantius adhuc auxiliū efficies,neq; ita uulnus inquinabis.

Dolorē ſedantia in uulneribus.

Quòd

Quòd ſi tam uehemens dolor extiterit, ut neceſsitate coactus fueris, aliquantulum uulneratam ac dolentẽ particulam ſtupefacere, oleum papauerinũ admouebis. Et ſi maior cogat neceſsitas, opij momentũ uel mandragoræ (ut quidam rectè conſuluerunt) adijcies. Quatuor illi celebres magiſtri ad eũ finẽ laudant radicẽ ſolani, tritam & axungia porci exceptã. Theodoricus plurimum cõmendabat emplaſtrum ex folijs maluæ coctis, & in mortario contritis, cunctis furfuris cribratura commiſtis. Quòd ſi roſacei momentum prædictis adieceris, melius adhuc medicamentum reddideris. Medulla etiam panis tritici ei in aqua ferventi macerata, ad ſedandos dolores (ut ſupra diximus) efficacißima eſt. Porrò ſi dolor admodum uehemens eſt, nec ullis quantumuis generoſis auxilijs mitigetur, neruum tunc læſum eſſe ſignificatur. Proinde tunc ad ea quæ poſtea ad uulnera neruorum ſcribuntur, tibi recurrendum erit. Sed de ijs quę doloremleniunt, iterum ac multò fuſius libro ſexto agemus.

Emplaſtrum Theodorici. Roſaceum. Medulla panis.

Curatio aduerſus vulnerum inflammationes, & abſceſſus.

INflammatio in uulneribus tum maximè timenda eſt, cum uel os, uel neruus, uel cartilago, uel muſculus læſionẽ accepit, aut ubi parum ſanguinis pro modo uulneris fluxit. Ergo quoties quid tale erit, ſanguinem maturè ſupprimere non oportebit, ſed pati fluere, dum tutum erit: adeò ut ſi parum fluxiſſe uidebitur, mitti quoque ex brachio debeat: utique (inquit Celſus) ſi corpus iuuenile & robuſtum, & exercitatum eſt: multóque magis, ſi id uulnus ebrietas præceſsit. Quòd ſi muſculus læſus uidebitur, præcidendus erit. Nam percuſſus punctus ue, præſertim in eius capite mortiferus eſt: præciſus uerò per tranſuerſum, ſanitatem recipit, hoc eſt, ab inflammatione & conuulſione uindicatur. Aliquis tamen ex particulæ motibus uitiabitur. Verùm melior eſt (ut Galenus ait) læſio, quàm mors. Sic & neruum punctũ ſæpe cogimur tranſuerſum præcidere, quoties ſcilicet uel conuulſiones, uel deliria, uel ambo magna ægreque ſanabilia ſuperuenire uulnerationi cernimus. Porrò ſi iam inflammatio, aut tumor aliquis præter naturam in uulneribus concitatus fuerit, curari debebit iuxta methodum ſuperiore libro à nobis traditam, in quo de tumoribus præter naturam abundè diſſeruimus. Cæterùm tametſi pro locorum differentia (ut libro primo de locis affectis Galenus ait) curationem quoq; uariari contingat: Auicenna tamen omnibus indiſcriminatim partibus à capite ad pedes, emplaſtrum mirè ab eo commendatum admouet, quod conſtat malo Punico dulci, incocto in uino ſtyptico, & poſtea in mortario ſubacto atque in emplaſtri formam redacto. Cæterùm ſi enatus tumor, nec reprimentibus, nec per halitum digerentibus medicamentis ceſſerit: pus mouentia ſeu maturantia admouenda erunt. Cuiuſmodi ea ſunt, quæ ad maturanda apoſtemata ſuprà retulimus. Huius rei gratia iubet Rogerius fieri fotum ex maluis, abſynthio, arthemiſia & farina triticea, uino incoctis, quibus & mellis momentum adijciendum eſt, axungiæ uerò quod ſatis eſſe uidebitur. Quòd ſi pus per uulnus non uacuetur, aliud loco commodiore illi moliendum erit emiſſarium.

Inflammatio quibus maxime uulnerib. accidat. Lib. 5. 3. meth. Melior eſt læſio quã mors. Emplaſtrum Auicennæ ex malo Punico dulci.

De tollenda in vulneribus intemperie, quam dyſcraſiam vocant.

SI flammea quædam citra humorum affluxum diſpoſitio, quam diſcraſiam calidam uocant, uulnus occupauerit (quod ex rubore & ueſsicatione facilè deprehendes) affectum locum infrigidare oportet, nõ hyoſcyamo quidem, aut mandragora, quoniam plus iuſto refrigerant: ſed roſis potius & plantagine, atque unguento albo, quæ præter id quod deſiccãt, moderatè etiam refrigerant.

Si autem frigida intemperies locum obſederit (quam mollities & cutis liuidus color oſtendunt) ipſum excalfacies, non reſina uel pice, aut aſphalto, quod dæmonis ſtercus appellant: ſed uino & unguento nigro, aut fuſco,

Si calida adſit intemperies. Si frigida intẽperies uulnus obſederit.

Horum ung. deſcript. ex li. 6. requirendæ ſunt.

uel eo quod baſilicon uocant. Quòd ſi eiuſmodi ſymptomata uulnus ſeu plagã degenerare faciant in ulcus, recurrendum erit ad ea, quæ de ulceribus ſequente libro traduntur. Porrò ſi humida uel ſicca affuerit intemperies, ſuo quoq; contrario profliganda erit. Et ita de compoſitis intemperiebus ages, ut ſuo loco poſtea dicetur.

Si febris uulnerato accide rit.

Quòd ſi febris uulneratum apprehendat, uictu refrigerante, quálé in calidis præter naturam tumoribus deſcripſimus, laborans uti debet. Sed acceſendus erit huius rei gratia peritus aliquis medicus, qui & congruam illi uictus rationem præſcribat, & reliqua ad febrem auxilia ex arte inſtituat, habita ratione ætatis, temperaturæ, regionis, temporis, conſuetudinis, & id genus aliorũ. Cæterùm ne febris quidem ipſa terrere debet, ſi in magno uulnere dum inflammatio eſt, permanet. Illa uerò pernicioſa eſt Celſo, quæ uel leui uulneri ſubuenit, uel ultra tempus inflammationis durat, uel delirium mouet, uel ſi neruorũ rigor, aut diſtentio quæ ex uulnere orta eſt, eam non finit.

Lib 5.

De ſpaſmo, id eſt, conuulſione vulneri accedente.

SPaſmos Græcè, conuulſio Latinè eſt, ubi nerui atq; muſculi præter uoluntatem conuelluntur, in eamq; diſpoſitioné ueniunt, quam etiam in motibus ſecundum arbitriũ factis aſſumpſerunt. Per hunc enim affectum, actio nequaquã ablata eſt, ut eſt in paralyſi, ſed ſolũ immutata ac uitiata, ut abundè teſtatur Galenus libro quinto de ſymptomatũ cauſis, ad hunc modũ ſcribens, ſi Græca ſaltem Latiná feceris:

Spaſmus quomodo fiat Galeno.

» Cóuulſio neruos muſculosq; ad eundem cogit affectum, in quem ab animali facultate cum naturalé habitum ſeruarent, ducebantur. Vt igitur uoluntarius motus interim intentis uerſus principiũ, id eſt, cerebrũ, muſculis, interim ab irruente ſpiritu impletis perficitur, ita cóuulſio quoq; accidere ſolet. Nam & ſpiritus inflare potés, in ipſis generatur, & cóplures etiã affectus, qui illos intendere queant, quemadmodũ phlegmone.

Spaſmus quid

» Itaq; ſpaſmus ſiue cóuulſio, motus eſt deprauatus, uoluntariæ facultati motrici accidens, à ſolo morbo (ut ibidé ait Galen.) ſeu morboſa diſpoſitione proueniens.

Conuulſio ſolius morbi eſt opus.

Fen. 2. tertij cap. proprio.

Proinde & neruoſa eſt ægritudo, qua mouentur lacerti, id eſt, muſculi ad ſuũ principium, & extenſioni ſunt inobedientes: ut tertio canonũ annotatur ab Auicenna. Neq; enim ad ſyndeſmos, id eſt, copulas ſeu ligamenta conuulſio, ſicuti neq; paralyſis propriè refertur: ſed (ut Galenus ait tertio de locis affectis) eorũ neruorum, qui uoluntatis imperio obediunt, affectio eſt. Auerrois ſpaſmũ definiuit, cum membra ſic contracta & rigida facta ſunt, ut neq; flecti neq; extendi quouis modo poſsint.

Lib. 5. de ſympto. cauſ. & 3. de locis affe.

Duę in uniuerſum cóuulſionis cauſæ, Galen. & Hippo.

Porrò omnes cóuulſionis cauſæ ſeu affectus omnes, qui conuulſioné pariunt, Galenus & Hippocrates in duo capita reuocarunt: nempe in plenitudiné & inanitionem, corporum uidelicet neruoſorum, à quibus ſecundũ electioné motus perficiuntur.

» Itaq; phlegmone, id eſt, inflammationes, plenitudiné pariunt: ardentiſſimæ & aridiſsimæ febres, inanitioné. Sed neruoſa corpora omnia (inquit Galenus) tendi poſſe, ſiue oppleta ſint, ſiue inanita, declarant muſica inſtruméta. Etenim rumpuntur chordæ, ſiue in humidum uaporibusq; ſcatens, ſiue in aridum ſqualensq; cubiculum, intentis etiamdum chordis, inſtrumenta collocaueris. Proinde huius rei haud ignari artifices eas priuſquã reponantur, laxare ſolent.

Tertio de locis affectis.

» Sed quomodo affecto aere tendũtur chordæ, ut rumpantur, ſi uel nimis aridus, uel admodum humidus ſit? Nempe humor madefacit ipſas, ut in tumoré pręter naturã attollantur, qui mox eas extendit. Ac ueluti ſol tergora arefaciés ipſa cótrahit, ita ſiccitas chordas & trahit & extendit. Si lora quoq; cum ad ignem exiccantur, contrahi tendiq; uidentur.

Tertia cauſa conuulſionis addita ab Auicenna.

Tertium caput ſeu tertiã cauſam addit Auicenna, quæ tametſi materiæ haudquaquã, ſalté per initium proportione reſpondeat, noxam tamen (inquit) contriſtantem cerebrum inducit.

Proinde nerui hanc ſeu moleſtum quippiam refugientes, contrahuntur & ad ſuam recurrunt originem, adnituntur q; interturbantem cauſam ipſam expellere. Qui Barbaram ſectantur medicinam, ſpaſmum non proportionatum ad materiam

teriam

teriam nominant: quia ſcilicet non accidat ob materiam, quæ implere aut inani
re partes neruoſas poſsit, ſed praua poti⁹ aliqua qualitate. Tribus igitur modis *Conuulſio tribus modis accidit.*
fit cōuulſio, inanitione, repletione ſeu plenitudine, & cōpatiendi ſocietate, hoc
eſt, cerebro lege commertij patiente, & alteratis per continuationem partibus,
ut contingit in conuulſione quæ fit ab ictu feræ cuiuſdam uenenatæ. Primus 1.
modus qui ſcilicet fit propter euacuationem ſeu inanitionem, accidit in ſuper-
fluis purgationibus, & in copioſis atq; immoderatis ſanguinis profuſionibus:
quem conuulſionis modū (ſiquidē accepto uulnere acciderit) malū ac pericu-
loſum eſſe teſtatur Hippocrates hoc Aphoriſmo: Vbi ſanguis plurimus fluxe-
„ rit, ſingultus aut conuulſio ſuperueniens, malum. Crebrò enim mortem afferūt. *Apho. 3. lib. 5.*
„ In magnis quoq; ac uehementiſsimis ardoribus, & adurentibus (ut dictum eſt)
febribus, ac colliquante putrilagine, hic cōuulſionis modus euenire conſueuit,
malum ſanè maximum & penè inſanabile, ut Galen. annotauit in cōmentario
„ illius aphoriſmi Hippocratis: Febrē conuulſioni ſuperuenire melius eſt, quàm
„ febri cōuulſionem. Secundus conuulſionis modus fit propter inflammationē 2.
& alios tumores præter naturam (quos οἰδήματα uocat Hippocrates) in uulneri *Secundus cōuulſionis modus ex repletione.*
bus derepentè diſparentes ſeu euaneſcentes, ut in fine quinti Aphoriſmorū hac
„ ſententia teſtatus eſt idem Hippocrates: Quibus tumores in uulneribus appa-
„ rent, non conuelluntur maximè (id eſt, non admodū, ſeu non ualde ſpaſmo cor
„ ripiuntur) neque inſaniunt. Verùm his deletis atque euaneſcentibus, derepentè
„ quibuſdam à tergo ſiue retrò, conuulſiones & diſtenſiones fiunt: quoties ſcili-
„ cet (ut in commentario ait Galenus) uulnera ponè, id eſt, à tergo infeſtant. Im-
moderata quoque frigiditas neruoſis partibus adueniens, hoc conuulſionis ge *Frigus cōuulſionis cauſa.*
nus inuehit: neruos enim in unum cogit, ſtipat, cohibet atque implet. Quod &
hoc aphoriſmo expreſsit Hippocrates. Frigidum, cōuulſiones, diſtēſiones, liuo- *Aph. 17. lib. 5.*
„ res, rigores febriles [inducit, ſuple, uel affert.] Sicuti enim nequaquam conue-
nit, neruos ipſos ſeu ipſorum neruorum ſubſtantiam, ab immodico calore diſ-
ſolui, ſic neq; plus iuſto, & ultra modum conuenientem refrigerari, ſubſtringi, et
in unum cogi ac ſtipari. Tertius conuulſionis modus dolore excitatur, cuius 3.
communis cauſa eſt authore Platone in Timæo, pathos præter naturam, uiolen *Tertius conuulſionis modus, ex compatiendi ſocietate.*
ter & affatim incidens. Ab his enim (inquit Hippocrates Platone uetuſtior) quæ
naturam mutant ac corrumpunt, dolores excitantur. Hac quidem uocula (cor-
rumpunt) & celeritatem & uehementiam tranſmutationis indicans. Porrò ue-
hementes eueniunt in tactu, (qui inter reliquos ſenſus dolore maximè affici-
tur) à naturali habitu tranſmutationes, ob uiolentum calidi frigidiq; occurſum
atque ob eas res, quæ contundere, ſecare, pungere, extendere aut erodere poſ-
ſunt. Quippe res huiuſmodi dolorum cauſæ reputantur. Neruoſarum igitur *Doloris cauſę*
partium punctura, acres quoque & mordaces humores, aut uenenoſa aliqua
qualitate præditi, in uulneribus modum hunc tertium conuulſionis ſubſtanti-
am diuellendo excitant. Quod de punctura diximus, teſtatur Galenus libro ar-
„ tis medicinalis capite nonageſimo ſecundo, ſic inquiens: Nerui uerò & chordæ
„ punctura, propter ſenſus uehemētiam, & quoniam hæc pars principio, hoc eſt, *Cauſę cōuulſionis ex conſenſu cerebri factæ.*
„ cerebro continuatur, prompta eſt ad neruorū cōuulſionem excitandam. Ac tū
„ præſertim cum nihil extrorſum expirat, obcæcato cutis uulnere. Hactenus Ga
lenus. Acres autem, æruginoſos, & uenenoſos ſuccos per conſenſum, & uelut
quadam partium conſpiratione conuulſionem inducere, oſtendit Galenus in
cōmentario huius aphoriſmi Hippocratis: Conuulſio ex elleboro letalis eſt. *Conuulſio ex elleboro.*
Verùm conuulſionem iſtam quæ accidit ijs, qui ab elleboro albo (hunc enim
ſimpliciter elleborū nominare cōſueuit Hippocrates) purgati ſunt non abſurdè
ad ſecundum genus cōuulſionis (quod fit ex inanitione) quiſpiam adduxerit. *Apho. 1. lib. 5.*
Quandoquidē humores ipſi acres & mordaces, uim habent exiccandi atq; in-
aniendi. Contigit aūt & propter ipſam euacuationē citra mordētes ſuccos, ijs,

Purgans medicamentũ interdum conuulſionem inducit.

qui ſupra modũ perpurgãtur, conuulſioné aduenire. Fit enim ob pharmaci, ſeu purgantis medicamenti functionem, uim atq; efficaciam, ut ex neruis humiditates attrahantur, & ita reſiccata uiolentius ipſorũ neruorum ſubſtantia cóuulſio enaſcatur. Sed & per uomitiones quas ueratrum epotum concitat, accidit morſus ratione cóuulſionis fieri, ex conſenſu uidelicet cómunicatúque, & uelut quadam partiũ conſpiratione: nempe perpeſsis ac diſtentis neruis qui uentriculi oſtiolo ſeu orificio conſentiunt. Sic quoq; in uulneribus conſortij lege cótingit ſubinde conuulſioné fieri, excitato neruoſis corporibus (à quibus motus ſecundũ electionem perficitur) dolore. Sunt aũt neruoſæ partes, motui uoluntario ac ſecundum electionem & deſyderium facto, ſeruientes, nerui, ligaméta, muſculi & tendones. Hæ igitur, & potiſsimum nerui, ubi ingenti aliquo dolore afficiuntur, cerebrum (quod eſt neruorum omnium cómunis origo, ut in arbore caudex ramorum) huius noxæ conſors ſtatim efficitur, fitq; (ut dixi) propter compatiendi ſocietatem conuulſio, quam non debemus exiſtimare fuiſſe ab Hippocrate prætermiſſam. Etenim conuulſionem quæ infeſtet, primaria ratione explicuit, dum fieri conuulſioné uacuatione ſeu inanitione repletioneq; ſanxit.

Partes motui uoluntario famulantes.

Cõuulſio duplex.

Cæterùm ex præfatis conuulſionibus, quædã ſunt uniuerſales, quædã uerò particulares. Vniuerſalis conuulſio dicitur, quando noxa cerebro communicatur, & ad ipſum peruenit. Vbi autem noxam illam ſenſerit, tanquam moleſtum aliquid, uehemẽtì conatu eam nititur expellere. In quo quidé conatu neruos ipſos & alia neruoſa corpora contrahit, & conuellit. Particularis uerò cóuulſio fit, quando noxa non peruenit ad cerebrũ, ſed in particula affecta remanet, ipſam contrahens atq; incuruans. Ideò autem conuulſiones uniuerſales dicuntur, quia maiorem partem membrorũ occupant. Quod quidem dictum eſt ad differentiam epilepſiæ, quam comitialem morbum uocamus. Hæc enim partes omnes apprehendit, atq; ideò conuulſio totius corporis ſeu omnium corporis partiũ meritò dicitur, nó iugis tamen ac perpetua (ut in emproſthotono & epiſthotono, atq; tetano, id eſt, neruorum rigore uidere eſt) ſed quæ ex temporum accidit interuallis, hoc eſt, quæ interpellata eſt atque intermiſſa, cũ mentis ac ſenſuum oblæſione in quo & à iam dictis conuulſionum generibus diſcriminatur. Accidit nanq;, ut is qui comitiali morbo conciderit, neque uideat neque audiat, neque ullo ſenſu quicquam percipiat, ac ne conſequi quidé poſsit quid factum ſit. Siquidem cum memoriæ uiribus ratio quoq; læditur, ut lib. 3. de locis affectis Galenus annotauit. Hæc autem in ſpaſmo de quo nunc agitur, minimè ſolent accidere. Cæterùm accuratius atq; exquiſitius conuulſionis differẽtias, cauſas & generationis ipſius rationem ac modũ perquirere, alterius eſt ſpeculationis. Proinde ad præſens ea conſultè omittemus. Satis enim chirurgo nunc fuerit, ſi quæ de conuulſione diximus, probè intellexerit: ſi & tum cómunia tum particularia differentiarũ ipſius ſigna cognouerit, ac periculoſo huic ſymptomati (ne accepto uulnere aliquando eueniat) proſpicere atq; occurrere poſsit, & iã præſens remedijs topicis, accómodis, & ex arte inſtitutis profligare.

1. Vniuerſalis.

2. Particularis.

Vniuerſales cõuulſiones.

Morbus comitialis.

Quo differat ſpaſmus ab epilepſia.

De ſignis ſpaſmi.

Cõmunes notæ conuulſionis.

SIGNA conuulſionis ex inanitione.

COmmunes conuulſionis notæ ſunt, ægra ſeu difficilis membrorum dimotio, colli tenſio, labiorum contractio ac ſi uellet ridere: maxillarũ, dentium & gutturis aſtrictio ſiue ſtrictura: oculorum & totius feciei (ut dicunt) tortura ſeu peruerſio. Si conuulſio ex inanitione apprehenderit, nó repentè, ſed paulatim ac poſt morbos corpus extenuãtes, omnemq; eius humiditaté aſſumẽtes, accidere ſolet. Vt exempli gratia, poſt largos ſudores aut uomitiones immoderatas, aut alui deiectiones copioſas, aut immodicas ſanguinis profuſiones. Item poſt famem, uigilias, ſolicitudines, motus tum multos, tum uehementes, aridas æſtuantéſque febres. Cum enim hæc, & alia (ſi quæ ſunt) id genus, conuulſio

ſubſequitur

ſubſequitur cauſam eius eſſe ariditatem, ex inanitione rectè putaueris, ut Galenus annotauit libro tertio de locorũ affectorum notitia. Si uerò ex ſanis alicui repentina ſuperuenit cõuulſio, ob repletionem eam fieri neceſſe eſt: & maximè quidẽ ſi id uitij euenire ſic repentè cõſpexeris, temulento cuipiã, ac omnino pleno homini, qui uidelicet in otio degit. Item ſi poſt tumores aliquos præter naturam ſubitò deletos, atq; (ut paulò antè dictũ eſt) euaneſcentes, uel poſt frigiditates condenſantes, atq; in unũ neruos cogentes, ſanum aliquem ſic repentè conuelli contigerit: equidem nerui replentur à frigidis & glutinoſis humoribus, ex quibus etiam nutriuntur, unde conuulſionem patiuntur. Itaq; his præcognitis ac diligenter perpenſis, haud difficilè inuentu fuerit utrum ab ariditate, quæ eſt humidæ eſſentiæ defectus, & uacuatione ſeu inanitione: an ab humoris plenitudine, quæ egeſtati ſeu inopiæ & inanitioni aduerſatur, & ab Hippocrate repletio nominata eſt, affectus ipſe prodierit. Spaſmũ autem, cui propter compatiendi ſocietatem, hoc eſt cerebro conſortij lege, ſeu (ut dicitur) per cõſenſum affecto, enaſcitur in uulneribus, ijs notis deprehẽdes. A cauſis externis excitatur cum dolore, morſu & moleſtia affligit, ac crudeliter laborantem excruciat.

NOTAE conuulſionis ex repletione.

Spaſmi ex cõſenſu cerebri notæ.

Spaſmi iudicia ſeu præſagia.

SI conuulſionis noxa membris ſpiritalibus, ac reſpirationi ſubſeruientibus communicetur, tum ſcire licet ægri ſalutem eſſe deploratã, ac ſubitam mortem futuram. Præſagia. 1.

Spaſmus abſolutus, ſeu (ut dicunt) cõfirmatus, præſertim ſi ex inanitione eſt, & neruorum ſiccitate, prorſus incurabilis eſt. Abſoluta enim ſiccitas & prorſus conſummata, inſanabilis eſt Galeno lib. met. medendi ſeptimo. 2. Conuulſio ex conſummata ſiccitate.

Quòd ſi ex ſiccitate non prorſus adhuc conſummata, cõuulſio enaſcatur, interdum (ſed uix ac non facilè) curationem admittit. Lõgum enim tempus (ut in commentario ſequentis aphoriſmi Galenus ait) exigitur ad ſiccitatẽ remouendam. Atqui morbi acuties ac uehementia tempus non expectat, quin citò uires diſſoluit, & ſubitò exitium affert. 3. Conuulſio ex ſiccitate non prorſus abſoluta.

Quæ uerò ex repletione fit conuulſio, ſanabilis eſt per euacuationem. Repletioni enim contraria eſt euacuatio. Quod & ſequenti aphoriſmo innuebat Hippocrates: Febrem conuulſioni ſuperuenire melius eſt, quàm febri conuulſionẽ. Febris enim conuulſioni ex repletione ſuperueniens, humores frigidos & glutinoſos, ex quibus orta eſt ipſa conuulſio, ſolita eſt magna ex parte excalfacere, attenuare atq; diſſoluere. 4. Conuulſio ex repletione Aphor. 26. li. 2.

Si uerò ex febribus adurẽtibus totum corpus exiccetur, & neruis deinde ex ſiccitate conuulſio accidat: hoc maximum (inquit Galenus) eſt malum, & penè inſanabile. 5. Conuulſio ex febribus adurentibus.

Curandæ conuulſionis methodus.

POſtquam de differentijs, cauſis, ſignis & iudicijs conuulſionis, abundè ſatis tractatum eſt, par eſt ut deinceps eius curationem exequamur. Eſto igitur illud primum ac cõmune preceptum in omni conuulſione obſeruandum. Partes quæ contrahuntur conuelluntúrue, ualenter continendæ ſunt, & inordinatis reſiſtendum motibus. Oleo in hunc uſum eas perfricare oportet ex lilijs confecto, uel ſi eius copia non ſit, oleo cõmmuni, tum aquã mulſam aſſumere. Eos uerò qui ex inanitione citra febrem conuellũtur, hoc pacto curabis. Oleo, aut certè hydrelæo calido, partes cõuulſas primum foueto. Deinde ſi nihil prohibet, etiam ad lauacrũ deducito, temperatoq; ſolio utitor cũ oleo & frictione leniſſima. Iuuat quoq; in calidum oleum totum deſcendere, uel in aquam calidã dulcem, in qua humectantia quædã & lenientia decocta ſint. Vt ſunt capita, & extremitates agnorum, hœdorum, uitulorum & arietum pinguium: item maluarũ ac uiolarum folia, althææ radices, ſemen cydoniorum, & id genus alia, adiecta olei parte tertia. Sunt qui ad eundem uſum iubent laborantes ſæpius in

Obſeruãda in omni conuulſione curãda.

Curatio conuulſionis ex inanitione. Fortis.

Balneæ ex oleo & hydrelæo.

Humectantia & lenientia.

Vnctiones. labrum lacte caprillo aut bubulo plenum deſcendere: atq; ubi caldarium, ſeu lauacrum egreſsi fuerint, oleis humectantibus, ut oleo uiolaceo & amygdalarũ dulcium: ſi ita non adſint, oleo communi optimo: ſi ne id quidem eſt, adipe nõ uetuſtiſsimo gallinę prȩſertim, hœdi aut uituli, ceruicem & ſcapulas, & ſpinam, iuncturas quoq; & muſculorum capita perfricant. Quidam autem infra ſcripto linimento totam ſpinam, iuncturasq; omnes utilitate illinire conſueuerũt.

Linimentũ. Recipe olei uiolarum uncias quatuor, olei amygd. dulcium, pinguedinis gallinæ, medullæ crurium uituli ana drachmas ſex, pinguedinis uituli & hœdi ana drachmas decem. Bulliant omnia ſimul in decoctione maluarum, radicum althęæ & ſeminis cydoniorum uſq; ad conſumptionem ipſius decoctionis, deinde colentur, & fiat linimentum. Porrò frictio cùm omnibus in homine uertebris utilis ſit, tum ijs præcipuè quæ in collo ſunt, cùm manus & brachia conuulſio maximè inuadit.

Si febris adſit ſpaſmo. Quòd ſi febris adſit, non humectantia modò, ſed refrigerantia quoq; in hydrelæo, id eſt, miſcellanea ex aqua & oleo decoquenda erunt. Cuiuſmodi ſunt folia ſalicis, hordeum confractum, uiolæ, nymphęa (quod nenuphar appellant) aut eius farinæ quopiam aliquo. Ergo die nocteq; (eſt enim grauis, admodum importunus acutusq; morbus conuulſio) interpoſitis tamen quibuſdam breuibus interuallis ijs remedijs, hoc eſt, fotibus, balneis & unctionibus utendum eſt. Dum ea intermittuntur, imponendum malagma aut cataplaſma aliquod eſt, ex eiuſmodi humectantibus & lenientibus, itidem (ſi res expoſtulet) & refrigerantibus, contrà quàm in cõuulſione quæ ex plenitudine ortum habet. Hæc enim uacuantia ac digerentia, calefacientia quoq;, & (cum ex humore procreata ſit) ſiccantia deſyderat, ut mox dicemus.

Alimenta in conuulſione ex ſiccitate facta idonea. Cęterùm qui ex ſiccitate (quæ inanitionis eſt comes) conuelluntur, nutriendi ſunt ſorbitionibus ex chondro & alica: ſi hæc non adſunt, ex lacte aut hordeato, aut à pullis mollibus, uel agniculis, uel hœdis tenerioribus iure aliquo aſſumpto: itemq; ouis ſorbilibus. Vinũ quoque tenue & aquoſum, quod facilè per omnia corporis membra diſtribuitur, illis exhibebimus, aut ſaltem cum ſuis iuſculis, ut ea promptius permeent, remiſcebimus: niſi tamen febris acceſſerit. Tunc enim ptiſanæ cremor magis offerendus eſt, ſomnusq; accerſendus.

Somnus conciliandus. Hic enim præterquàm quòd uires omnes reparat, plurimũ etiam humectat. Vigiliæ uerò cum ex ijs ſint quæ maximè euacuant & exiccant, conuulſionem ex ſiccitate accerſunt & augent. Indendi etiam ſunt clyſteres ex lacte, & ex eodem conficienda gargariſmata. Itaque (ut ſemel finiam) in hoc conuulſionis genere, curãdi methodus unicum habet ſcopum, nempe humectationem. Quem certè (ob ſuperius adductam rationem) non facilè eſt aſſequi.

Ex 7 methodi medendi. Aegrius nanq; curantur, quæ in humido ſiccoq; habentur alterationes, quàm quæ ex calido & frigido conſiſtũt. Hæ enim maximè actiuis qualitatibus corriguntur. Illarum uerò curatio imbecillis, & (ut ſic dicã) magis materialibus & paſsiuis qualitatibus perficitur, potiſsimumq; cùm humectandũ eſſe requiritur, ut libro ſeptimo ſuæ methodi Galenus nos edocuit. Si tamen ulla ſpes curationis eſt, in ſupra memoratis remedijs conſiſtit. Itaq; tametſi malum hoc ferè ſit immedicabile: cùm tamen ſæpe etiam præter expectationem quædam eueniant, curatio uenit aggredienda.

Curatio conuulſionis ex plenitudine.

IAm uerò ſpaſmum ex humiditate & plenitudine curabis per euacuantia.

Vacuatio à toto corpore. Vacuare autem oportet, & à toto corpore, & ab ea parte quæ conuellitur. Porrò à toto corpore plenitudinem uacuamus, duobus potiſsimum auxilijs, nempe ſanguinis miſsione & purgatione.

Sãguis in quibus mitti debeat. Sanguinem mittemus maximè, in quibus uel multus ſanguis abundat, uel phlegmone conuulſionem excitauit, etiam ſi laborans prorſus redundantiæ ſanguinis ſit expers, modò nihil obſtiterit eorum, quæ ſanguinem mittendum dehortantur.

Quæ in mittẽ Venæ autem ſecandæ electio ex

laborante

laborante phlegmone ac conuulſione, particula tibi indicabitur. Modum uerò ſeu quantitatem uacationis inuenies, tum ex redundantiæ modo, tũ ex reliquis quæ in ſectione uenæ ſpectanda & æſtimanda ſunt: Nempe ex ætate, natura, tempore anni, conſuetudine, regione, cœli ſtatu, & ante hæc, ipſa laborantis uirtute. Cęterùm ſic ut oportet, facta per ſanguinis detractionem, totius corporis uacuatione, & humorũ influentiũ auerſione, mox phlegmones curationem aggredieris. Cuius (ut & omnium aliorum tumorum qui præter naturam conſiſtunt) ſi iam facta eſt, caput ſeu ſcopus præcipuus eſt, infeſtantis humoris uacuatio. Cùm enim phlegmone duplici ratione (ut Celſus ait) à natura recedat, & quòd pars ipſa multo ſanguine ſit referta, & quòd eadem ſit calidior, utique uacuationis indicatio, refrigerationis indicationẽ uincit. Quòd ſi adhuc in generatione eſt, in hac prior uacuatione eſt, confluentis ad affectum locum ſanguinis inhibitio. Sed de hac alibi abundè dictum eſt. Vbi uerò corpus uel flaua bile, uel atra, uel pituita, uel ſeroſis humoribus refertum fuerit (quem habitum Græci cacochymiam nominant) tum purgatione quæ cuique ſuperanti ſucco ſit accommoda, uacuationem moliemur. Verùm enimuerò, quoniam conuulſio ex humiditate ſeu plenitudine, qua ſani etiam repente capiuntur, magna ex parte à pituitoſis humoribus craſsis, glutinoſiſquè in ipſa neruoſarum partium ſubſtantia infarctis, procreari ſolet, eius potiſsimùm, quæ ab hac cauſa ortum habet, curationem ſubijciemus.

do ſanguine obſeruanda.

Purgatio quã do adhibẽda.

Ergo quæ crudos, craſſos & uiſcoſos humores potenter euacuant medicamenta (inter quæ primas obtinent, hięra picra & agaricum) hac conuulſione laborantibus exhibeto.

Curatio conuulſionis à craſsis & uiſcoſis humoribus.

Clyſteribus acribus eorum aluum ſubducito.

Peſsis & ſuffitibus in mulieribus (ſi occaſio detur) menſes euocato.

Gargariſmatis, apophlegmatiſmis, & errhinis ſeu ſternutatorijs acrioribus, pituitam per os & nares educito.

Abundè repurgato corpore, ceruicem, axillas, & inguina, oleo liliorum, coſtino, ſpicato, laurino, & ex pulegio, addito caſtorei, & euphorbij momento, inungito: & lanam mollem ac ſuccidam facto litu ſuperimponito.

Rogerius ad eiuſmodi ſpaſmum, ſequens ungentum inſtituit, quod & Theodoricus approbauit.

Recipe olei muſcellini unc. unam, petrolei ſemunciam, olei cõmunis, & butyri ana uncias quatuor, ceræ unciam unam, ſtyracis calaminthæ, ſtyracis rubræ, ſingulorum drachmas duas & ſemis: maſtiches, olibani, gummi hæderæ, ana unciam ſemis: ex ijs omnia quæ liqueſcere poſſunt, igni admoueantur: alia uerò trita, & in puluerem redacta, illis remiſceantur: poſtremò addatur ſtyrax, & fiat unguentum, ex quo moderatè calefacto, ceruix, & collum totum, ac uniuerſa ſpina dorſi, inungatur. Sunt qui iubeãt eodem aut conſimili unguẽto, totũ corpus inter duos ignes, aut in hypocauſto, nudum hominem conſtitutum, uel ſi æſtas eſt, in ſole inungi. Porrò huic unguẽto uiſus eſt alibi Theodoricus addidiſſe herbas, quæ ingrediuntur compoſitionem unguenti, quod aragõ nominatur, & alterius quod Agrippæ tribuitur, quorum deſcriptiones extant apud antidotarium Nicolai: & præter hæc addit oleum de caſtoreo, & pinguedinẽ ex limacibus rubris aſſumptam. Vocabatq; tunc eiuſmodi unguentum alabaſtrum, quod ſanè neruorum contractionibus apprimè eſt utile & accommodum. Conducunt etiam magnopere ad ſpaſmum eiuſmodi, oleum uulpinum, laurinũ, rutaceum, ſicyonium chamæmalinum, de iunipero, de terebinthina. Item oleum benedictum, & oleum philoſophorum. Ex ijs itaque & conſimilibus, frictio, omnibus in homine uertebris, utiliſsima eſt. Iuuat etiam nonnunquam totum hominem, in labrum illis calidis oleis plenum deſcendere. Sed & hypocauſta ſiue thermæ & ſtuffæ (ut uocant) ſiccæ, quæ ex ſuffitu rerum deſiccantium fiunt, aliaque

Vnguentum Rogerij.

Olea ſpaſmo ex plenitudine cõferentia.

id genus, quæ ſudores euocant, & ſuperuacaneas corporis humiditates reſoluunt atque abſumunt, cerebroqúe & neruis robur afferunt, circa finem, & corpore iam ut oportet, repurgato, mirum in modum conferre creduntur. Quòd ſi & febris huic ex plenitudine conuulſioni ſuperuenerit (modò hæc fuerit ephemera) ſalubrè admodùm eſt: frigidos enim (ut ſupra diximus) & glutinoſos humores, quibus nerui ipſi conuulſi replentur, calfacit extenuat, atque diſſoluit, quod curationi eius ſpaſmi caput eſt. Itaque ſi ſua ſponte febris in hoc genere conuulſionis non enaſcatur, eam ex induſtria quadam accerſunt & exuſcitant: idqúe per exhibitionem confectionis anacardinæ, ad quantitatem nucis auellanæ. Alij ad eundem finem offerunt caſtoreum, & aſſam fœtidam, uel opopanacem addita mellis portione dupla. Mitridatum quoque, & theriace in hoc affectu mirè proficiunt. Neruos enim roborant, & crudos ſuccos concoquunt, aſſumuntqúe, eo ſcilicet nomine, quòd excalfaciant. Cauendum uerò præcipuè frigus eſt: ideoqúe in eo conclaui, quo cubabit æger, ignis continuus eſſe debebit: maximeqúe tempore untelucano, quo præcipuè frigus intenditur. Vinum per initia præſertim, guſtandum non eſt: ſi quidem huius uſus tum præcipuè periculoſus eſt, eo potiſsimum nomine, quòd fluxionem proritat. Vini loco aqua mulſa exhibenda erit, in qua decocta ſit ſaluia, & radix acori, cum momento nucis muſcatæ. Victus tenuis, primis ſaltem diebus, conuulſis à plenitudine inſtituatur, idemq; calfaciens & exſiccans. Hactenus de curatione conuulſionis ex plenitudine.

Febris conuulſionis ex plenitudine ſuperueniens bonum.

Mitridatum Theriace.

Frigus côuulſis inimicum.

Vinum quando & quare cõ uulſis interdicendum.

Curatio conuulſionis ex compatiendi ſocietate.

CAEterùm conuulſio quæ fit propter conſenſum, & uelut quadam partium conſpiratione ſeu compatiendi ſocietate: ſi ex dolore excitata eſt, per anodyna, & dolorem ſedantia curationem recipiet, ut in ſequentibus dicetur, cùm de uulneratis agetur. Si uerò ex morſu ictuúe alicuius uenenoſi animantis, conuulſio oborta ſit, theriaca parti affectę ſuperimponenda erit, & cucurbitula defigenda, uel cornua quædam, quibus nõnulli cucurbitularum uice utuntur. His enim (quæ citra calefactionem ex alto uehementius extrahunt) totam eius quod infeſtat & dolorem creat, ſubſtantiam uacuabis. Sunt autem & qui ore ſuo uirus extrahunt, ægræ uidelicet particulæ (ut ſuperius dictum eſt) admoti, ipſamqúe labijs complexi. Si autem accidat conuulſio, ob morſum oris uentriculi (quod propriè ſtomachus appellatur) ab acri aliquo, mordaci & erodente humore excitatum, uomitus ſtatim concitandus eſt, poſt quem uentriculus roborandus erit, tum ijs quæ extrinſecus admouentur, tum ijs quæ intro aſſumuntur iuxta periti alicuius medici conſilium. Porrò in omni conuulſione à quacũque cauſa ortum habeat, cerebrum in primis roborandum eſt. Caput igitur abraſis crinibus oleo liliorum fouendum erit. Iuuat & eodem oleo, ceruicem, totamqúe dorſalem ſpinam, axillas quoque & inguina inungere. Hoc enim ſpaſmo, præſertim humido eſt, dicatiſsimum. Hora paroxyſmi bonum eſt, laborans contineat inter dentes baculum ſalicis, ne os exactè claudatur, & lingua à dentibus dilaceretur. Vltimum eſt ſi nihil aliud fieri poſsit, neruum, aut muſculum ex quo conuulſio orta eſt, tranſuerſum præcidere, ut Galenus & Razes conſuluerunt: præſtat namque unius particulæ actionem amittere, quàm totius corporis. Meliorqúe eſt (ut Galenus ait) læſio quàm mors. Itaque hoc pacto conuulſionem quidem ſanaueris: aliquam tamen ex particulæ motibus uitiaueris. Vt autem ei quod urget, & unde primum maximeqúe homini imminet periculum, ſuccurramus, cogimur ſic nonnunquàm alium inſanabilem affectum relinquere.

Curatio conuulſionis ex compatiendi ſocietate.

Dolor.

Morſus uel ictus uenenatorum.

Morſus oris uentriculi conuulſionem excitat.

Cerebrum in omni conuulſione roborandum.

Muſculus aut neruus interdum per tranſuerſum pręcidendus.

Læſio quam mors potius optanda.

De paralyſi ex uulnere.

Paralyſis,

PAralyſis,id eſt,neruorum reſolutio,latus unum aut alterum,uel partẽ quam
piam,non autem corpus totum infeſtans:interdum etiam uulnera, & con-
tuſiones inſequitur,ſed capitis maximè & totius ſpinę dorſi,ut multis exemplis
Galenus aperuit libro de locis affectis tertio.Porrò an paralyſis ipſa,quæ ex uul
nere accidit partes quæ è regione uulneris ſunt,uel potius oppoſitas infeſtet,ad
præſens dicere omittemus.Eſt autem paralyſis neruorum relaxatio ſeu mollifi-
catio,cum priuatione ſenſus & motus, non quidem totius (ut dictum eſt) ſed
uel lateris unius duntaxat,uel priuatæ alicuius particulæ.Quo fit,ut affectus ſit
conuulſioni contrarius:in hac enim durities adeſt cum motu deprauato ac per
mutato:durities autem mollificationi ac relaxationi eſt contraria. Vnde Gale-
„ nus libro tertio interiorum affectorum locorum,ſic inquit:Quum omnes pari-
„ ter nerui,tum ſentiendi tum mouendi uim amiſerint,apoplexia huiuſmodi affe-
„ ctio nominatur.Vbi uerò alteri laterum aut dextro, aut ſiniſtro,id accidit, para-
„ lyſis,id eſt,reſolutio nominatur, eius ſcilicet partis,in qua conſiſtit affectus, in-
„ terdùm dextræ,interdùm ſiniſtræ. Quòd ſi in aliquo membrorum idem euene-
„ rit,eiuſdem membri reſolutio eſſe dicetur.Nam & tota manus & totum crus in
„ terdùm reſoluitur,atque ſolus in crure pes,& quę ſub genu ſunt.Sic etiam de to
„ ta manu,ſimiliter proportione dicendum eſt. Hactenus Galenus: ex cuius uer-
bis colligere licet,paralyſin aliam eſſe uniuerſalem,aliam uerò particularem. V-
niuerſalis ea eſt, quæ alterum latus totum aut dextrum aut ſiniſtrum occupat.
Particularis uerò,quæ priuatim alicui duntaxat particulæ accidit. Sic & de ſpaſ
mo per analogiam dici poteſt: nempe quod alius ſit uniuerſalis, alius uerò par-
ticularis.

Paralyſis ex quibus uuloeribus excitetur.

Paralyſis quid

Paralyſis affectus eſt cõuulſioni contrarius.

Paralyſis uniuerſalis.

Paralyſis particularis.

De cauſis & ſignis paralyſis.

CAuſæ paralyſis atque eiuſmodi ablatione ſenſus & motus,geminæ ſunt: nẽ
pe internæ & externæ ſeu extrinſecus aduenientes.Externę cauſę reſolutio
nis neruorum,ſunt caſus ab alto,percuſsio,inciſio,ſectio,compreſsio uel cõſtri
ctio, frigiditas uiolenta & uehemens, uicinæ partis phlegmone, uel ſcirrhus,&
id genus alia, quæ extrinſecus euenientia, uel continuum ſoluunt ſeparantúe,
uel ſpirituum uias occludunt,& facultatis animalis delationem impediunt. In-
ternæ autem cauſæ ſunt humores craſsi & uiſcoſi,neruos cerebri aut ſpinalis uo
catæ medullæ (quæ ipſius cerebri uicaria eſt) obſtruentes. Neruorum enim cor
poribus ita obſtructis & craſsioribus redditis, animalis facultatis (quæ ſenſum
& motum præſtat) in membra delatio impeditur. Cæterùm anxiè diſquirere,
quo pacto per neruorum reſolutionem, ſeu paralyſin, interdùm ſenſus dunta-
xat,interdùm motus,nonnunquàm ambo ſimul pereant,& alia multa ad rẽ pro
poſitam attinẽtia,nequaquam præſentis ſint ſpeculationis. Satis enim fuerit chi
rurgo,ſi præter ea quæ iam de paralyſi dicta ſunt,ſed primariò affectam, & à qua
noxa orta eſt, ſimulque diſpoſitionem eius cognouerit. Niſi enim hæc (inquit
Galenus) acuratè cognouerimus,nequaquam eas partes, quibus uel ſenſus uel
motus uitiatus eſt,rectè curabimus.Porrò ipſam affectam ſedem ex anatome fa-
cilè ipſi deprehendemus. Nam cùm ex ea cognouerimus neruos,qui per faciei
partes ſparſi ſunt,à cerebro dimitti,ſi earum aliqua,ſimul cum toto corpore re-
ſoluta eſt,haudquaquam nos latere debet,reſolutionis diſpoſitionem in ipſo ce
rebro conſiſtere.Vbi uerò partes quæ ad faciem attinent, incolumes ac illęſæ
permanſerint: hæ autem quæ ſub ea ſitæ ſunt, uniuerſæ reſolutæ fuerint, ſpinę ini
tium tunc affici ſciendum eſt.Ex ipſa enim anatome didicimus,quod omnes ani
mantis partes ſub ceruice poſitæ (quæ à conſilio & uoluntatis imperio moueri
poſſunt) neruos habent,qui eas moueant,procedentes ex ſpinali uocata medul
la. Quod & ijs uerbis Galenus teſtatus eſt lib. quarto de ſymptomatum cauſis:
Si ſpinæ principium lædatur,ſolæ partes capitis, quoad uixerit animans, & ſeti-

Cauſę externę paralyſis.

Internæ cauſæ paralyſis.

Notæ cerebri primario affecti in paralyſi ex lib. 3. de locis affectis.

Notæ paralyſis initio ſpinæ affecto.

re,& moueri poſſunt. Quòd ſi cerebro quoque noxa acciderit, qui ſic afficiuntur, ij omnium partium & motum,& ſenſum illico deperdunt. Atq; eadem quoque ratione, ſi toti corpori conuulſio acciderit, eũdem ſpinæ locum, nempe initium affectum eſſe declarat, faciei partibus omninò ſeruatis illæſis. Quòd ſi hæ quoque afficiantur, cerebro noxam iam illatam eſſe oſtendunt. Adhæc nouimus ex corporum diſſectione, neruos qui pectus mouent, ex ea ſpinæ parte, quæ in ceruice eſt, ortum deducere. Quocirca uox perit omnibus, quibus ea ſpinæ pars quæ in ceruice eſt, fuerit affecta. Ipſa uerò ex tranſuerſo inciſa, ſi tota fuerit diſſecta, omnes quæ ſub ipſa ſunt corporis parte ſenſu motuqúe priuari neceſſe eſt, utpote ſuſcipiente ſpina à cerebro, uim tum ſentiendi tum mouendi pro arbitrio. Præterea in anatomia (inquit ille) uidimus, ubi per tranſuerſas ſpinę inciſiones ad medium uſque duntaxat, ſecundum longitudinem ſpina ipſa ſecaretur, non omnes ſuppoſitas corporis partes, ſed eas duntaxat, quæ regione ſectionis erant, reſolutas. Dextras quidem, dextra ſpinæ parte diſſecta: ſiniſtras uerò, ubi reliqua pars eſſet inciſa. Itaque (ſubiungit Galenus) manifeſtũ eſt, quòd circa primũ ſpinæ proceſſum facta aliqua diſpoſitione, per quam cerebri facultas, quominus ad ipſam perueniat, prohibetur, omnia inferiora membra, dempta facie, ſenſu, motuqúe priuabuntur. Vbi uerò media duntaxat eius proceſſus pars fuerit affecta, non omnes inferiores partes reſoluentur, ſed uel ſiniſtræ duntaxat uel dextræ. At uerò ſpina in inferiori loco affecta, nempe ſub ea neruorum propagine, quibus thorax attollitur, idqúe uel ob luxatam aliquam uertebram, uel alio quouis modo [ut uulnere] ſi quidem ingens fuerit affectus, partes inferiores omnes, ſubitò & ſentiendi & mouendi facultate priuantur. Si uerò non ita uehemens fuerit affectus, ſtuporem inducet. Atque ij mortem effugiunt, quandoquidem ſpiratio in ipſis ſeruatur. At quibus quintæ ſpinæ uertebra [uulnerata, aut quouis alio modo] affecta eſt, eorum manus omnino, & ſenſum, & motum amittunt. Quibus uerò ſexta, ijs non in totum ſentiendi mouendiqúe facultas [in manibus] perit: quippe primæ brachij partes illæſæ ſeruãtur. Id uerò multò magis, ſi ſeptima ſpinæ uertebra fuerit affecta. Octauæ uertebræ affectus perquàm exiguam: hac uerò inferiorum nullam penitus noxam manibus inducere poſſunt. Maximam uerò noxam ex læſa hac uertebra ſentiunt, thorax, & reliquę partes inferiores. Itaque niſi hoc pacto ex anatomia, neruorum ad ſingulas partes uenientium principia didiceris, perquàm difficilè earum uel ſenſum, uel motum deperditum curabis, reſtitueſúe. Porrò humorem peccantem, ac paralyſin committentem deprehendes ex proprijs cuiuſq; humoris notis. Cauſas uerò externas ſeu euidentes facilè cognoſces ex relatu & iudicio laborantis.

Gal. lib. 4. de ſymp. cau. & lib. 3. de loc. affect.

Lib. 3. de loc. affect.

Ex lib. 4. de ſym. cau.

Si quinta ſpinæ uertebra afficitur. Si ſexta uertebra affecta eſt, uel ſeptima.

Iudicia ſeu præſagia paralyſis.

1. *Paralyſis affectus eſt ægre ſanabilis.* 2. *Senes uix unquã à paralyſi liberantur.* 3. *Tremor & febris ſi paralyſi ſuperuenerint bonum.*

PRæſagire ac iudicare de paralyſi, à quacunque occaſione ortum duxerit, deqúe omnibus neruorum affectibus, quòd ægrè admodùm ſanabiles ſunt. Nerui enim ipſi pauco admodùm natiuo calore participãt, qui curationis membrorum opifex eſt, & cauſa effectrix potiſsima. Proindè ueriſsimum etiam eſt, quod uulgò dici ſolet, nempe paralyſis in ſenſibus perquàm difficile curari. hi enim natiuo calore (qui robur eſt facultatis nos gubernantis) propemodùm ſunt deſtituti. Quod Hippocrates his uerbis expreſsit: Senibus parùm calidi innati ineſt. Quam ſententiam ueram eſſe teſtatur Galenus, ſiue quis ad qualitatem ſermonem referat, ſiue ad ſubſtantiam. Tremor & febris ſi paralyſi ſuperuenerint, bonum: febres nanque neruorum reſolutionibus (uti & conuulſionibus ex repletione) aduenientes, partim quidem ſuperfluam diſſoluunt humiditatem, partim uerò, concoquunt frigiditatem, quæ duæ ſunt medicis, in curanda paralyſi (uti & ſpaſmo ex plenitudine) remediorum intentiones. Adhæc paralyſis, quæ ab

ictu

ictu,uel caſu non uehementer neruos atterente,contundenté ue exciccata eſt,curationem interdùm recipit,ut contigit illi Pauſaniæ Syroſophiſtæ, cuius meminit Galenus in fine libri tertij de affectorum locorum notitia. Cùm enim Romã aliquando ueniſſet, dum per uiam duceretur, uehiculo excidit, atque in dorſi initio læſus eſt:unde ſecundum duos minores ſiniſtræ manus digitos, atque medij partem mediam,ſenſum in primis quidem difficilem habuit,poſteà malè curantibus medicis, ſenſum omnino amiſit. Huic autem remedia quæ illi imperiti medici digitis fruſtrà adaptauerant,læſæ parti,hoc eſt,initio ſpinæ,Galenus ipſe (ubi mali occaſionem intellexit) ſtatim adhibere iuſsit, atque ſic uir ille celeriter ſanitati eſt reſtitutus.

4. Paralyſis ab ictu,uel caſu. Pauſ. ſophiſta uehiculo excidit,unde paralyſin in digitis contraxit.

Quæ uerò ab inſigni atque effatu digna neruorum contuſione uel diuiſione oritur, particularum reſolutio, prorſus inſanabilis eſt. Soluta enim in illis continuitas nunquam (ut dictum eſt) perfectè curatur. Rectè quidem & conformiter ad Galeni ſententiam,Auenzoar aſtruxiſſe uiſus eſt,ſubitæ mortis periculum imminere,ſi nerui anhelitus,hoc eſt,reſpirationi ſeruientes,aliquibus uulnerati, aut quouis alio modo inſigniter affecti fuerint: in ipſis enim ſtatim perit reſpiratio.Quo fit,ut præfocati repentè moriantur. Quomodo enim ablata reſpiratione (quæ actio eſt uitæ neceſſaria) diutius uiuere poſſent?Si membrum reſolutum non imminuatur nec emarceſcat, colorqúe eius non immutetur,ſpes aliqua curationis ſubeſt.Si uerò contabeſcat & graciteſcat inſigniter, colorqúe natiuus pereat, atque à ſeipſo plurimùm euariet, malum portendit.

5. Paralyſis ex uehementi neruorum contuſione uel diuiſione.

6. Paralyſis neruorum reſpirationi ſeruientium.

7. NOTAE paral. curabilis aut incurabilis.

Paralyſis ex vulnere curatio.

IN curanda neruorum reſolutione (quæ paralyſis dicitur) ex accepto uulnere, uel cauſa alia extrinſecus incidente oborta, præmiſſa totius corporis uacuatione, uel per purgantia medicamenta, uel per ſanguinis detractionem, uel per utrunque uti res exigit:factis item ut decet, humorem in partem reſolutam influentium auerſionibus,præſcriptaqúe uictus ratione congrua(quæ omnia periti alicuius medici conſilio fieri debent) topicis remedijs aduerſus illam ſedulò pugnare debet chirurgus.Itaque cum duabus in hoc affectu profligãdo Therapeutices, id eſt, curandi facultatis partibus, opus ſit:nempe ea quæ uictu & quæ medicamentis,tum intro aſſumendis,tum foris admouendis medetur:eam hic ſolam curationem exequemur,quæ medicamentis forinſecus admouendis, perficitur:ne qui chirurgiam profitentur,diætetica & pharmaceutica (quæ peritiſsimum & rationalem medicum deſyderant) turpiter in magnam laborantis perniciem(ut plærique hodie aſſolent) abutantur. Cæterùm cum multa uariaqúe præſidia,forinſecus in curanda paralyſi ex uulnere, aut alia quauis externa cauſa ſuſcitata admoueri ſoleant,ut emplaſtra, cataplaſmata, unguenta,illitus,fotus,cucurbitulæ, & alia id genus: Guido tamen uno liquore longè optimo, & ad effectum eiuſmodi ſiue ſymptoma profligandum efficaciſsimo contentus erat:quod quidem ex Ioanne illo Meſue, uiro in familia Arabum doctiſſimo, ac in re medica Euangeliſta à quibuſdam nuncupato,deſumpſit,eo loci, ubi de cordis paſsionibus agit. Eo autem liquore illinere ſolebat medicus ille Arabs ceruicem, totamqúe ſpinam dorſi,atque etiam affectam ipſam particulam.Confertnanque hoc pacto mirificè roborandis membranis ſpinalem medullam obuoluentibus,ſubſtantiæ ſpiritali, qua uiuimus,neruis quoque,& oſſibus. Proindè paralyſi, omnibusqùe neruorum ægritudinibus, cordis palpitationi & tremori,atque etiam manifeſtę laſcitudini,mirè,ac ſuprà humanam opinionem proficit.Adde, quòd nullum medicamentum eo præſtantius inueniri poteſt,ubi cor celeri,feſtinaue eget refectione ac refocillatione,ſi ſaltem ipſi Meſuæ credimus.Ceterùm eſt quod cum ipſo Meſue uehementer admiremur, priſcos illos tum medicos,tum philoſophos inſignes, & rerum naturæ peritiſſi-

In curanda paral. diætetica & pharmaceutica opus eſſe.

De localibus remedijs in paralyſi ex uulnere adhibendis.

Liquoris balſamitis Meſue dotes.

moſ nullam in ſuis ſcriptis eiuſmodi inunctionis ſpinæ mentionem feciſſe, cúm uix aliud tam præſtans auxilium inueniri aut excogitari poſsit, ad uitæ ſubſtantiam conſeruandam. Nouiſti nanque ſatis (opinor) ex anatome, ſpinam dorſi in homine eſſe ueluti carinam nauis, & fundamentum reliquorum oſsium, imò uerò & principium. Noſti præterea, ſub hac, ueluti ſolido quodam propugnaculo & muro tutiſsimo, dorſalem ipſam medullam conditam eſſe, quę cerebri quidem germen eſt & explantatio, duorumqúe corporis neruorum principium: per quos uelut internuntios corpus uniuerſum tranſumit, primum quidem & maximè motum, cum hoc autem etiam & ſenſum. Adde quòd in ſpondylis dorſi (qui ſpinam ipſam conſtituunt) mira natura prouidentia efformata ſunt quædam ſubtilia foramina, per quæ uaſa, ſpiritum, & ſanguinem deferentia (uenæ inquam & arteriæ) intrò quidem: foras uerò nerui ipſi, ſenſum & motum in corpus uniuerſum comportantes, feruntur. Quo fit, ut ſpina ipſa ſit ueluti platea, ſeu uia quædam publica, non modò neruorum, ſed & uenarum & arteriarum. Proindè & ſpirituum ac uirtutum. Adhęc, non ignoras magnam ipſam uenam concauam dictam, itidem & arteriam aortam uulgò nuncupatam, iuxta ſpinam ipſam totam reptare, ſed & partium ſpiritalium eſt ueluti ſubſterniculum, & (ut quiſpiam dixerit) ueluti lectus aliquis. Atque (ut Meſue inquit) medullam continet ueræ * humiditatis. Multas ergo eaſdemqúe bonas, atque effatu dignas intentiones cumulabis, ex inunctione ipſius dorſalis ſpinæ, quam ueteres ipſi tum medici tum philoſophi, uel prorſus ignorantes neglexerunt, uel eam nobis inuiderunt, cùm ne uerbum quidem in eorum monimentis de ea ſcriptum inueniatur, ut Meſue teſtatus eſt. Porrò liquoris illius tã eximij, atq; ad tã multa utilis cópoſitio & cóficiendi ratio apud præfatũ authoré talis eſt. Recipe „ myrrhæ electæ, aloes hepaticæ, ſpicæ nardi, ſanguinis draconis, thuris, mumiæ, „ *opobalſami, bdellij, carpobalſami, ammoniaci, ſarcocollæ, croci, maſtiches, „ gummi Arabici, ſtyracis liquidæ † ana drach. duas: ladani electi, ſucci caſtorei, „ ana drachmas duas ſemis. muſchi drach. ſemis. terebinthinæ optimæ ad pondus „ omnium: pulurizanda puluerizentur, & omnia miſceantur cum terebinthina, „ reponanturqúe in furnibulo ſeu diſtillatorio, quod alambicum uocant, & illa ingenioſe ac lento igne ut decet diſtillentur: liquorem autem per diſtillationem ſublimatum, uaſe uitreo forti excipe. Hic liquor proximè accedit ad uerum ſuccum balſami. Guido à Cauliaco quandoque huic pretioſo liquori addebat herbas dicatas paralyſi, & tum generoſius atque efficacius multò (ut ipſe teſtatur) experiebatur auxilium.

Spina dorſi ueluti carina nauis.

*Aliàs humanitatis.

Liquor balſamites Io. Meſue longe optimus & ad multa utiliſsimus.

*Alia exemplaria habent opopanacis.

†Aliàs 3. duas ſemis.

De ſyncope ex vulnere.

Syncope quid

SYncope (definitore Galeno libro duodecimo Therapeutices) eſt præceps uirium lapſus qui immoderatas euacuationes, ingentes dolores, uigilias, principiorum intemperiem, atque animi uehementes affectus, ſequi conſueuit. Ea autem ſyncope, quæ in uulneribus accidit, magna ex parte creatur, uel eximmodica ſanguinis profuſione, uel ex uehementi dolore. Hanc proximam eſſe cognoſces, tum ex arteriarum pulſu elangueſcente ac deficiente, tum ex pallido uultus colore, tũ ex motu totius corporis ignauo, ac difficili, ſed præſertim palpebrarum & partium extremarum, tanquàm illis erigendis, aut attollendis non poſsit uirtus motrix ſufficere: ſed & frigidi, circa collum maximè, & faciem, ſudores, ſyncopen iam pulſare fores teſtantur, ſymptωma ſane minimè negligendum. Quandoquidem celeriter interdùm hominem rapit, eſtqúe quaſi uia ad mortem, imò (ut uulgò dici ſolet) eſt ueluti quædam parua mors. Proinde ſumma cura adnitendum eſt, ne in hoc tam periculoſum ſymptωma uulneratus incidat. Ergo laborantem quibus poteris modis conſolator. Hominum turbam ne ſuo anhelitu conclaue nimis excalfaciant, & laborantem ſua præſentia deter-reant,

Syncope in uulneribus unde.

Syncope proxime inſtantis notæ.

Syncope parua mors.

Quibus remedijs ſyncope occurratur.

reant,procul arceto.Sed & antequàm ea prematur qui uulneratus eſt,panis fruſtulum,uino optimo,aquæ roſaceæ momento, diluto,illi ſugendum exhibeto: atque etiam ut ex uino ipſo modicum bibat,ipſe iubeto.Vinum nanq; omnibus ſyncope uexatis utile eſt, ut libro duodecimo Therapeutices his uerbis Gale- *Vinum omnibus ſyncope uexatis ſuccurrit.*
„ nus annotauit:Vinum tamē quod & calidum natura ſit,& deductionem in cor-
„ pus promoueat,omnibus quos ſyncope malè habet,offerre conueniet.Conſtat *Vini in ſyncope electio.*
„ autem ex uinis ea deligenda eſſe,quæ & flauo ſunt colore,& ſubſtantia tenui, &
„ ætate uetera.Talia nimirum & boni odoris continuò fuerint. Cæterùm amara
„ præ uetuſtate uina ne ſunto.

Porrò ſi iam ſyncope,qui uulnus accepit,uexetur,eius faciem aqua roſacea, uel frigida,uel utriuſque miſtura, adiecto etiamnum aceti (ſi placet) momento irrorabis,ac etiam ipſa ualidè in illam,laborantis faciem dico, proijcies:aut ſaltem naribus aquam roſaceam & acetum admouebis, ut ſcilicet ſuaui eorum odore,animam illorum recrees.Pilos,naſum,& aures uellito,extrema fricato,alapis illorum genas cædito,& proprio nomine alta uoce illos uocato,ac cætera facito,quæ in hoc ſymptomate medici fieri præcipiunt. *Si iam ſyncope præſens ſit.*

De deſipientia ſeu delirio accidente in uulneribus.

OMne delirium (ut Galenus ait libro quinto de ſymptomatum cauſis) deprauatus eſt principis facultatis motus, à prauis ſuccis aut cerebri intéperie ortum habens.Interpreti Auicennæ alienatio dicitur.Porrò tametſi eiuſmodi deſipientiæ, ſeu mentis alienationes, ſymptomata ſint modò primogenia, id eſt,primario ac proprio cerebri affectu euenientia,modò ſecundaria,hoc eſt, cerebro compatiendi ſocietate,ſeu (ut dici ſolet) per conſenſum laborante. Hîc tamen nunc de ſolo eo delirio,quod conſortij lege,ſeu per conſenſum accidit in uulneribus & percuſsionibus articulorum, ſermonem faciemus. Talia nanque uulnera (ut ſuperius diximus) doloris,uigiliarum conuulſionis & delirij pericu lum afferunt.Cæterùm eiuſmodi ſymptomatis (delirij inquam in cacoëthis uulneribus euenientis) generatio perſimilis eſt ei,quæ per ſuffuſiones oculorum accidit,à uentriculi diſpoſitionibus ortū trahentes,ut Galeno uiſum eſt libro tertio de locis affectis. Quemadmodum enim uentriculus,cerebro ſuas affectiones compatiendi quadam ſocietate tranſmittit,idqúe propter neruorum à cerebro,ad os uentriculi deſcendétium magnitudinem: per quos etiam ſenſus huic particulæ,quàm ulli reliquarum corporis partium acutior eſt. Ita quoq; neruoſis partibus inflāmatis,cerebro noxa promptiſsimè communicatur, atq; ex illis promptius,quàm ex alijs quibuſuis partibus delirium ſuperuenire ſolet, idq; aſcendente ad caput interdùm per continuas partes,ſolo calore:interdū uerò ſpiritu uaporoſo uel fumoſo aut fuliginoſo.Hęc aūt omnia quę ſic deliriū aut phrenitidem inducunt,ſiccandi pollent facultate Auicennæ:quippe quæ multo eodemq; acri calore participent.Quo fit ut delirantes irrequieto ferè motu agitētur.Vnde Galenus libro decimotertio Therapeutices ad hūc modum ait:Ergo *Delirium quid & unde naſcatur. Cano. 3. Lib. 4. Ther. Cauſa delirij in uulneribus. Neruoſis partibus inflammatis deliriū accidit. Delirium ex ſiccitate fit.*
„ cùm humor,qui in capite redundat,frigidus eſt,inſenſibilitas,immobilitaſq; ho
„ minem opprimunt:Cùm calidus eſt,perpetuus potius motus, una cum rationis
„ noxa.Accidit enim (ueluti demonſtratum in libris de his eſt) ex frigore,ſegnitia:
„ ex calore,immodicus motus:ex humoris uerò uitio,dementia.

Delirij ex uulnere curatio.

SI deliriū,ſeu mentis perturbatio,poſt uulnus acceptum,hominem apprehendat,huius rei gratia ſtatim accerſendus & conſulendus erit peritus aliquis medicus,qui potu,frictionibus & deligaturis partium extremarum & maximè pedum ac tibiarum,clyſteribus quoq; huic rei accommodis, fumos ac uapores uitioſos à capite deorſum protinus reuellere ſtudeat,ut rectè præcepit Auicēna *Vapores à cerebro auertenda.*

Dolor ſedandus.

itidem & cæteri, qui hac de re ſcripſerunt. Quod autem ad chirurgum attinet, læſæ particulæ dolor ex toto (ſi fieri poteſt) ſedandus eſt. Vule eſt etiam alapis genas laborantis percutere, ut ipſe ad mentem ſeu ratiocinandi facultatem redeat.

Caput delirãtium oxyrhodino perfundendum

Galenus libro decimotertio Therapeutices caput delirantium in principio perfundendum eſſe oxyrhodino pulchrè nos admonuit. Vapores enim & humores à capite tunc repellendi ſunt. Cùm uerò in ſummo incremento ſunt deliria, perfuſiones ex papauerum capitibus (conſilio eiuſdem) applicabimus.

Cerebrum refrigerandum.

Odorem quoque ex rebus frigidis naribus obijciemus: ac nares ipſas intus, uel frontem ex ſimilibus medicamentis illinemus. Quippe ſopire (inquit) ac ſtupefacere principem facultatem oportet: cerebrum ſcilicet, quod ſupra modum incaluit, refrigerando.

Radix bryoniæ.

Sanitati magna ex parte reſtituuntur Auicennæ, qui per dies aliquot radicem bryoniç, id eſt, uitis albæ, uel bibunt [ex liquore aliquo refrigerante & humectante] uel cum cibo quopiam eius ſaporem obtundente comedunt. Cæterùm de pruritu, duritie atque impotentia læſæ particulæ quæ interdùm uulneratis accidunt, ſuo loco alibi dicetur.

De vulnere in carne accepto & eius differentijs. *Caput V.*

Vulnus quid Galeno.

Vulnus quid apud recentiores chirurgos.

VLNVS propriè Galeno libro tertio methodi medendi, unitatis eſt ſolutio, ex uulnerando in carnoſa parte relicta, eademqúe (ut recentiores addiderunt) cruenta & citra putrefactionem, hîc aũt uulnus latius accipimus: nẽpe pro recenti plaga non modò in carne, ſed etiam in neruis, uenis, arterijs, tendonibus membranis, cartilagine & oſsibus facta. Itaque primùm de eo uulnere, quod in carnoſa ſubſtantia acceptum eſt diſſeremus. Cæterùm eiuſmodi uulnus aut ſimplex eſt, & citra ſubſtantiæ deperditionem, aut cum aliqua ſubſtantiæ amiſsione.

Diuiſio uulneris.

Vulnus ſimplex, & quod ſine deperditione fit ſubſtantiæ, aliud profundum, aliud ſummo tenus factum, ſeu in ſummo reſidens eſt: aliud uerò utriuſque particeps, ut cum pars una diuiſionis per longitudinem factæ, altè deſcendit, altera in ſummo corpore hæret, quod inæquale Galeno dicitur: aliud item magnum, aliud paruum, tum dicitur, tum uerò eſt. Quæ omnes differentiæ à quantitate ſeu ſpatio diuiſionis ſumptæ ſunt. Vulnus quod cum deperditione eſt ſubſtantiæ, aut fit cum amiſsione cutis ſolius, aut cum ablatione cutis, & carnis ſubiectç ſimul. Porrò eiuſmodi uulnera uel ſimplicia ſunt, & ſine ullo affectu aut ſymptomate: uel accidentia habent, quæ rationem cauſæ non obtinent (tunc enim ulcera dicerentur difficilè ſanabilia, de quibus in ſequentibus dicetur) ſed ſolùm rationem habent ſine quo non, ut ſuperius annotauimus ex Galeno libro quarto Therapeutices. Cuiuſmodi ſunt intemperies, dolor, phlegmone, pruritus, & alia paulò antè commemorata. Nõ magnoperè autem curo, ſi prædictæ huiuſmodi differentiæ diſpoſitiones aut effectus dicantur potius, quàm differentiæ uel contrà. Quanquam Galenus libro tertio methodi medendi anxiè ſatis diſquiſiuerit, quænam ſint propriè ulcerum ſeu uulnerum differentiæ, & quæ aliorum affectuum complexiones. Hoc enim parùm nunc mihi conferre uidetur ad uulnerum curationem. Cómoda nanque
morborum curatio, non ex nominum ſed rerũ recta opinione contingit: ut ſcri- »
bitur primo methodi medendi. Cæterùm de cauſis, ſignis & iudicijs uulnerum, »
quatenus uulnera ſunt, abundè ſatis in præcedentibus dictum eſt, in capite ſcilicet uniuerſali. Proindè ijs prætermiſsis uulnerum in carne acceptorum curationem iam aggrediemur.

Curatio vulnerum ſimplicium in carne ſummotenus acceptorum.

Specialis præcipuaq; intentio curãdi uulneris in carne accepti una eſt

VVlnerum eiuſmodi curatio præter iam dictas quatuor, aut quinque intentiones communes, unam ſpecialem præcipuamqúe haberi: nempe ſanguinis profuſioné cohibere. Quod ſanè intelligendũ eſt: nẽpe ſi nimis immoderatè

atque

„ atque affatim effundatur, ut rectè interpretatus eſt Auicenna: Satius enim eſt (in
„ quit) ipſum fluentem ex uulnere ſanguinem, non omninò, ac ſtatim ſuppríme-
„ re, ſed ſi nimis abundè prorumpat, eius duntaxat impetum moderatè infrenare
„ oportet. Moderata nanque ſanguinis ex recenter accepto uulnere uacuatio nó
parùm ſæpe multis profuit. Quandoquidem & phlegmonas, & obſtructiones,
& febrem ſubinde fieri prohibuit. Quæ quidem ſymptomata atque id genus a-
lia, uulneribus (niſi diligenter prouideris) ſuperuenire ipſiuſq́; ſolutæ unionis
conſolidationem & curationem magnoperè impedire conſueuerunt. Atque il Hippocra.
lud fuit Hippocratis præceptum, quod & à Galeno refertur & probatur libro
„ quarto methodi medendi: Fit enim (inquit Hippocrates) effluente ſanguine uul
„ nus ſiccius: proindè & ſanius. Nam ſiccum (ut idem ait) ſano uicinius eſt, humi-
„ dum uerò non ſano. Porrò ſi tantus fuerit ruentis ſanguinis impetus, ut cum ijs
quæ ſiſtendo ſanguini in uulneribus communiter admoueri ſolent, cohiberi nó
poſsit, ijs remedijs ſupprimendus erit, quæ in capite de uulneribus uenarum po
ſteà dicentur. Cæterùm tametſi in genere dictum ſit, quomodo curandorũ uul-
nerum intentiones perfici debeant: modus tamen ſpecialis, quo in carne perfi-
ci debeant, in ſequentibus dicetur. Huius autem inuentio habetur ex differen-
tijs uulnerum ſuprà commemoratis, ad hunc modum. Vulnus illud ſimplex di- Quid uul. ſimplex & quæ ſit eius curandi ratio.
citur Galeno, Hippocrate & alijs medicis quod ſolum conſiſtit, hoc eſt, quod
ſine deperditione eſt ſubſtantiæ, nec ullum alium affectum aut ſymptoma adiũ- Vulnus non ſimplex.
ctum habet. Vulnus igitur ſimplex non erit, ſi quæ uulnerata eſt particula fluxio
ne uexetur, ſi malo ſucco uitioſa ſit, ſi omninò extra naturalem temperiem fue-
rit, ſi ulla cauitas adſit, ſi aliqua cutis amiſsio facta fuerit. Itaque ubi ſimplex uul- Vulnus ſimplex poſtulat tantum agglutinationem.
nus, quodq́ue ſolùm conſiſtit in carnoſa particula, non adeò ſaltem magnum,
incidit diſsidentium labiorum commiſsionem ſeu coniunctionem, quæ ſola de
centi fit ligatura, uinculo ſcilicet ex duobus initijs circundato, expoſtulat Gale Galenus.
„ no libro tertio Therapeutices. Quæ enim (inquit de ſimplici ulcere loquens)
„ diſsident atque inuicem diſtant, ſi in idem adamuſsim componas, citra omnem
„ reliquam extrinſecus molitionem coaleſcunt. Nempe ſicuti in cauis ulceribus,
ut caro producatur, ita in ſimplici ulcere, ut oræ ipſæ ſecum coaleſcant, atq; ag-
glutinétur, ſola certè natura cauſa eſt. Ductorum igitur labrorum coitionem
ſeu agglutinationem præcedit neceſſario ipſorum coniunctio, atque in idem ad
ductio. Idem omnino ſentit de hac re Razes, quod & Galenus: uſus tamen com
munis obtinuit, ut recentibus huiuſmodi uulneribus oui candidum (quod al- Oui candidũ, quare uulneribus admoueatur.
bumen uocant) aliquandiu agitatum, & leui ſtupa exceptum admoueatur. Nec
ab re profectò, cùm & ſanguinis profluuium ſupprimat, dolorem ſedet, refrige-
ret, & phlegmonas fieri prohibeat, non ſolùm in oculis, ſed & in omnibus locis
exulceratis, ut Galenus eſt author libro undecimo de ſimplicium medicamen-
torum facultatibus. Ante omnia uerò cauendum eſt, ne dolor incidat. Quando
quidem dolor (ut iam ſæpe dictum eſt) & fluxionem proritat, & phlegmonem
excitat. Quomodò autem dolorem ſedare oporteat, in præcedentibus ſatis eſt
explicatum. Porrò eiuſmodi oui candidus liquor ante tertium diem amoueri
non debet. Nã ut Galenus ait, parua uulnera eiuſmodi naturę ſunt, ut poſt orarũ Lib. 3. The.
adductionem & commiſsionem, ſeu coniunctionem unius diei, aut duorũ die-
rum ſpatium adhuc requirant, quò proba fiat unio & agglutinatio. Quòd ſi uul
nus hoc pacto non agglutinetur, curandum erit, ut in ſequentibus paulò poſt di
cetur.

De uulnere magno, percuſsim diuiſo in ſummo reſidente, hoc eſt, ſuperficiali, & minimè profundo, in quo non ſola ſufficit deligatura ad oras ipſius applicandas, & coniungendas.

Si uulnus in ſuperficie corporis acceptum, ad tantam magnitudinem percuſ-
ſim, cęſimúe diuiſum eſt, ut ſola deligatura oræ ipſius nec adduci nec cómitti

poſsint:ſutura aut fibulis(quas Græcè ἀγκτῆρας uocant)eas ipſas diſiunctas oras adducendas,& coniungendas eſſe,præcepit Galenus libro tertio methodi medendi.Atque hac ſola partium diſsidentium coniunctione uulnus glutinatur. Apud recentiores tamen chirurgos ferè omnes inualuit conſuetudo,ut his uulneribus apponatur puluis ruber,quem incarnatiuum & conſeruatiuum uocāt. Recipit autem partes duas thuris,& ſaguinis draconis partem unam. Albucaſis addit tres partes calcis uiuæ.Cuius ſententiæ ſuffragatur & Lanfrancus. Guido autem loco calcis uiuæ,bolum Armenam adijcit. Haly Abbas uerò ſantalos appoſuit.Sunt qui puluerem hunc rubrum appellatum,labiorum uulneris agglutinatiuum & ſuturæ conſeruatiuum, hoc modo componunt. Recipe boli Armenę,terræ ſigillatæ,ſingulorum drach.ſex,thuris,maſtiches,ſarcocollæ,ſingulorum drachmas duas ſemis,myrrhæ,aloës,ſingulorum drachmam unam ſemis tragachanthi piſti,ſanguinis draconis,ſingulorum drachmam unam,farinæ hordei,farinæ fabarum,ſingulorum drachmam ſemis. Sed interim ſummoperè cauendum eſt,ne uel pilus,uel oleum,uel quippiam aliud in medio adductorum labrorum uulneris interuenerit.Nam tunc eiuſmodi uulnus ſola diſsidētium partium coniunctione glutinari non poteſt.Hæc enim quæ ſic interiacent,iam unionem diſpeſcūt,& earum quæ copulandæ ſunt, partium, coalitum impediunt. Ex prædictis autem ſingula,tum oui candido liquore agitari poſſunt, donec in corpus unum coëant, quòd glutinis inſtar lenteſcat. Poſtea uerò ſtupis leuibus excipiendum erit medicamentum, & ita uulneri admouendum:ſupra quod & aliæ ſtupæ ſolo oui albo imbutæ,& intra pannum lineum eodem madefactum liquore,inuolutæ, apponendæ ſunt. Sed & ſupra uulnus nulla alia intercedente materia,pānus aliquis tenuis,prædicto imbutus liquore,admoueri debet,ne ſcilicet dum remouentur ſtupæ,ſuturæ iam factæ puncta abrūpant,aut dilacerent. Quòd ſi loca circum uulnus adiacentia,roſaceo inungerentur, factum benè exiſtimauerim.Hoc pacto enim læſam particulam à dolore & inflammatione uindicabis.Qualis aūt ſutura aut deligatura,quales item puluilli ex eiuſmodi ſtupis facti,hiſce uulneribus percuſsim cæſimúe in ſuperficie acceptis, atq; in conſpectu apparentibus conueniant,& quo pacto fieri debeant,in præcedentibus abūdè ſatis dictum eſt. Cæterùm primus eiuſmodi apparatus uſq; in diem quartum mutari nō debet,niſi fortè dolor aliquis uehemens ſuperueniret, aut ſymptoma aliquod moleſtum incideret.Porrò ſi poſt quartum diem trāſactum uulnus nō coaluerit,uino aliquo ſtyptico calente abluendum erit. Deinde ſtupæ prædicto uino imbutæ, & expreſſæ, ſupra uulnus ipſum apponendæ & alligandæ erunt: quas & quotidie mutari oportebit.Intra enim dies paucos hoc modo uulnus agglutinabimus & perſanabimus,Galeno etiamnū atteſtante libro quarto Therapeutices,ubi Theſſalum arguit,qui uulnera in multos menſes, & interdùm in annum, aut etiam lōgius tempus protrahebat & incurrere ſinebat: quæ alioqui paucisſimis diebus,ut ſex,aut plurimum ſeptem,curari potuerant.

Medicamentū cruētis aptum ulceribus.

Cauēdum ne quid labris uulneris intercidat.

Quæ cruento uulneri primū appoſita ſunt ante diem tertium remoueri non debēt.

Quæ poſt quartum diē fieri debeant.

Itaq; primus apparatus rectè decenterq; fit,cum ouorum candido liquore & puluere illo rubro,cuius paulò antè meminimus.Hic enim & ſanguinis profluuium infrenat atq; inhibet,dolorem ſedat,& phlegmonem creari uetat.

Primus apparatus.

Secundus apparatus optimè fit cum uino, ut ſupra dictum eſt.Vinum nanq; (ut Galenus ait libro tertio methodi medendi) omnis ulceris, quà ulcus eſt [id eſt,quod citra aliam cum ea implexam diſpoſitionem reluctantem conſiſtit] optimum eſt medicamentū.Quod hac ſequenti ratione conuincitur.Vulnus omne,quà uulnus eſt,ſiccari,atq; aſtringi deſyderat,præſertim ſi magnum extiterit. Atqui uinum quale ſuprà eſt memoratum,nempe ſubauſterum,hęc duo cōmoda præſtat uulneri. Vinum igitur omnis uulneris, quà uulnus eſt, optimum eſt medicamentum.Maior eſt Galeni,libro nuper citato,ubi ait:quòd eo tempore, quo diuiſæ ulceris ſeu uulneris partes,ritè ſunt cōiunctæ,medicamēto opus eſt, quod

Secundus apparatus.

Vinum optimum ulceri medicamentū

Galenus lib. 3. meth. medēdi

quod particulam ſiccet[& modicè aſtringat]ut & ſi qua ſanies iam ſubſit,hanc conſumat,& ſi qua in uacuum locum fluxura eſt,hanc prohibeat. Proinde medicamentum glutinatorium plus ſiccet,oportet,quam quod carnem producit: nempe ordine ſecundo. Minor uerò ita deducitur. Vinum,ut Galenus eſt author libro octauo ſimplicium medicamentorum,ex ſecundo ordine eſt excalfacientium:ſed quod admodùm uetus eſt,ex tertio,ſicut muſtum quod uocant, ex primo:caliditati autem eius proportione reſpondet ſiccitas. Proindè uinum ipſum,pro naturarum ſeu facultatum quibus ratione ætatis pollet,diuerſitate,deſiccat,& agglutinat. Non autem humectat & refrigerat (extrinſecus ſaltem admotum) ut Theodoricus falſo exiſtimabat. Atq; idipſum eſt,quod Galenus refert libro quarto Therapeutices,ex ſenioris Hippocratis ſententia inquiens: Vlcera madefacere,id eſt,abluere,quæcunq; ea fuerint,niſi uino,non oportet. Tū cauſam ſubijciens,ait: Nam ſiccum ſano uicinius eſt,humidum uerò,non ſano. Hinc Arnaldus dicere ſolebat, quòd cruenta & recentia uulnera,aqua ardente (quam & aquam uitæ nuncupant) abluta,celerrimè ad ſanitatem perducuntur: quippe quæ inſigniter deſiccet. Poſt hanc autem ablutionem quidam infrà ſcriptum puluerem (qui in hoc caſu magnæ eſt efficaciæ) uulneri inſpergunt. Recipe myrrhæ drachmas tres,aloes hepaticæ drachmas quatuor, thuris drachmas duas,miſce & fiat puluis. Sunt qui poſt amotionē primi apparatus, emplaſtra, & unguenta admouent,quæ in promptu ad hanc rē parata habent, ac ſtatim ſtupas ſuperponunt.Galenus autem in re propoſita,plurimi facit emplaſtrū,quod nigrum appellauit:Auicenna uerò unguentum de lino,quod tamen magis dicatum eſt carni regignendæ, quàm agglutinationi labiorū uulneris. Guido à Cauliaco in hac re uti conſueuerat unguento,quod cōſtat prædicto puluere rubro, remiſſo cum terebinthina lota.Quidam uerò terebinthinam ipſam,cum prædicto puluere commiſtam,& (ut dicunt)incorporatam,ſtatim per initia cruentorum uulnerum admouent,atq; in diem quartum relinquunt.Hęc enim oras uulneris coire facit,& futuram eo nomine conſeruat.Sed horum omnium atq; aliorum multorum ad hanc rem pertinentium formulę & compoſitiones,in antidotario deſcribentur.

Vinū pro ætatis ratione diuerſa pollet facultate.

Hippocrat.

Aqua uitæ.

Puluis optimus.

Emplaſtrum nigrum.

De vulnere profundo & occulto, ſine amiſsione ſubſtantiæ in carne accepto.

VVlnus in profundum penetrans & reconditum,ſubindè ſutura, & decenti ligatura curationem recipit.Si autem hoc modo curari non poſsit,uel ſcilicet quia partes quæ diſiunctæ ſunt,exactè ad imum uſque (ob nimiam diuiſionis profunditatem) ſibi coniungi non poſsint,uel potius quia in fundo collecta ſit ſanies,aut pus,cui nullus patet effluxus,ipſum per effluxionem, Galeni conſilium ſequuti,curabimus.Ipſam uerò effluxionem tum ex eiuſdem, tum ex contrarij loci diuiſione & ſitu,ſeu figura partis accommoda amoliemur. Porrò ſitum partim uulneratæ accommodum, ſeu congruam poſitionis figuram intelligimus,quando plagæ hiatus quem orificium uocant,ſemper deorſum ſpectat, fundum uerò ſurſum,ita ut ſanies ex ipſo uulnere prona & liberè effluat. Itaq; ſi uulneris figura non ad ſuperiora extenditur,ſed ad ima uergit,nec ſutura,nec fibulis,nec deligatura,partes diſiunctæ omni ex parte adamuſsim committi, ac ſibi applicari poſsint,atque in profundo ſiſtatur ſanies : niſi prius ad effluxum ipſius uitiati humoris feceris ſectionem,nihil unquàm proficies,ſiue carnem generare, ſiue agglutinare uolueris. Vbi uerò conuenientem poſitionis figuram uulnus in parte laborante ſeruauerit, ſiue id ex natura uulneris, ſiue ex induſtria contingat, ſectione noua opus non eſt, ut libro ſecundo ad Glauconem Galenus nos edocuit.Itaque refert eo loci,ſe ſinum in coxa enatum,figura ad ima uergente,ſine ulla ex aduerſo diuiſione curaſſe. Cùm enim ſinus ipſe uerſus genu quidem terminaretur, os uerò altius, circa mediam ſcilicet femoris regio-

Vulnus quando per effluxiones curandum.

Sectio in parte oppoſita quando faciē da.

Sinus in femore curatus, citra ullā ex aduerſo ſectionem.

nem cóſiſteret: iuſsit molle ceruical popliti laborantis ſubijci, ut inferiorem ſitum haberet inguen quàm genu. Hac igitur conueniente poſitionis figura in læſa parte ſeruata, facilè per os, ichores, & purulenta colluuies, elabebantur & effluebant. Idem quoque & in brachio fieri poteſt. Quandoquidem ſi os uulneris ad partem ſuperiorem uergat, ita brachium collocandum erit, ut ipſum orificium deorſum ſpectet. Atque tum ſine alia facta ex aduerſo ſectione, uulnus poterit ad ſanitatem perduci. Non ſecus quidem ac ſi os propè cubitum eſſet, uulnere in ſuperiora tendente. Quòd ſi hac conuenienti ſitus figura, particula lęſa collocari non poſsit, nec ex uulnere ipſo ſanies elabi: ex aduerſo ſectio molienda erit. Quod & hac ſententia iterum Galenus confirmauit circa finem libri tertij methodi medendi. Si uulnus (inquit) cauitatem altè reconditam, ſub cute habet, conſyderare oportet, utrùm ea in ſuperiore parte ſit, ita ut ſanies ex ea prona effluat: an in inferiore, ſic ut illic ſiſtatur. Eius igitur cui effluxus patet, eadem quę aliorum curatio eſt. Cui uerò non eſt, huic ipſi moliamur effluxum oportet. Eius autem [effluxus moliendi] duplex ratio eſt, [ubi exprimente deligatura nihil promouemus] aliâs tota cauitate deſecta, aliâs in fundo tantum aperta. Quãdo uerò harum alterutra ſit ineunda docebit tum locorum ipſorum natura, tum uerò ulceris magnitudo. Si nanque ea loca ipſa dubiam [ſeu fallacem ac periculoſam] ſectionem faciant, & ulcus magnum fuerit, in fundo aperire magis expedit. Sin contra ſe habeant, præſcindere ſeu diuidere præſtat. Deligatio uerò eius incipiat quidem (ut dictum eſt) ſupernè, finiatur infrà, ubi ſcilicet patet effluxus. Hactenus Galenus. Cæterum in tali diuiſione quæ ex aduerſo fit, Brunus ſyphúculos, hoc eſt, tubos, ſiue turundas concauas (quas cannulatas uocant) ex utraque parte imponit. Guido uerò dum hanc moliebatur ſectionem, ſolebat uti ſetone (ut uocant) quia melius (inquit) ſordes detergit, & totum pertranſit ſpatium, minoremq́ infert dolorem. Ipſum autem intromiſſorio ad formam acus facto immittebat, uel haſtulam ligneam in cauum uulneris imponebat, & ſuper eam tutius ſectionem faciebat. Deindè ſectione facta, mundificatiuum aliquod medicamentum leui ſtupa, aut panno exceptum ſuperponebat, quod bis in die mutabat.

Brunus.

Guido.

De cauo vulnere, cum amißione ſubſtantiæ cutis vtriuſque & carnis ſubiectæ tantùm, non etiam oßis. *Caput VI.*

Vera Hippocraticaq́; methodꝰ ſanandi caui ulceris. Duę indicationes uniuerſales proponuntur in curãdo cauo uulnere.

IN *CAVO* uulnere non ipſa modo perijt cuticula (quam Græci epidermida uocant) uerùm etiam reliquæ cutis ſuppoſitæ, natura uniuerſa, & ſubiectæ carnis portio aliquando non exigua. Quo fit, ut gemìnus in eo curandi finis ſit propoſitus, unitio ſcilicet & repletio: quoniam & affectus geminus eſt: nempe ulcus ſiue uulnus, quod eſt unitatis ſolutio & cauitas, quæ ex amiſſa aliqua animalis propria ſubſtantia eſt contracta. Itaque continui diuortium unitionem, cauitas repletionem deſyderat. Verum enimuerò quoniam in propoſito uulnere unire non poſſumus quæ diſsident, niſi prius cauitatem impleuerimus, ordinem curationis à cauitatis impletione ordiri neceſſe eſt. Omnis nanque, quæ præter naturam eſt cauitas, impleri poſtulat: quare & quæ in carnoſa etiam accidit parte. Ipſa uerò impletio inueniendorum remediorum finis, quo tenditur, eſt, quem uel idiôta uel priuatus quiſq; etiam nouit. At uerò, ut quæ impleant inuenias, & multa ratione opus eſt, & multiplici particulatim indicatione, & methodo rationali exacta. Longè itaq; à ſcopo aberrant, qui unum id ſibi ad cauum ulcus ſanandum ſatisfacere putant, ſi ſciant quòd carne eſt implendum. Non enim in hoc curandi ratio conſiſtit, imò in eo inueniendo quod carne ſit impleturum. Cæterùm particulares indicationes ex quibus inuenire licet, quæ cauitatem uulneris impleant, ſunt quatuor.

Lib. 3. Ther.

Quatuor indicationes particulares in curando cauo uulnere proponuntur.

I. Prima ex ipſius uulneris ſubſtantia ſumitur.

Secunda

Secunda ex ipſius ægri temperamento,non corporis modò uniuerſi, ſed eti- 2.
am afflictæ particulæ.

Tertia ab ijs quæ coniugata & annexa dicuntur,cuiuſmodi ſunt particulæ la 3.
borantis intemperies & circundantis nos aëris temperies.

Quarta ex contrarietate indicationum , ut cum læſa particula contrario eſt 4.
temperamento cum toto,hoc eſt,cum corpore uniuerſo.

Talis ſiquidem ordo indicationum ſtatuitur à Galeno libro tertio methodi
medendi in curandis uulneribus omnibus,ne dum in cauo.Porrò nomine indi
cationis ſubſtantiæ uulneris,hoc loco inaudiũtur indicationes differentiarum
maximè propriarum ipſius uulneris:de quibus abundè ſupra diſſeruimus , & in
ſequenti tractatu,qui de ulceribus inſcribitur, locupletius adhuc diſſeremus.

Itaq; prima ſanandi caui uulneris indicatio,nobis inſinuat, carnem eadẽ ſpẽ- 1.
cie cum ea quæ perijt,regignendam eſſe. Impleri enim non poterit quod cauũ Prima indi-
eſt (ut prima curandi indicatio uniuerſalis poſtulat) niſi ſubſtantia omnino ſi- catio.
milis ei quæ perijt,regignatur. Atqui carnis gignendæ materia ſanguis eſt: opi-
fex uerò ſeu effectrix cauſa,ipſa natura. Verùm non ſatis eſt ſanguinem dixiſſe, Sanguis bo-
niſi etiam & bonum(inquit Galenus)addiderimus. Erit autem ſanguis qui in- nus materia
fluit,& ex quo regignenda caro primordium habet, bonus, ſi nec qualitate nec eſt gignendæ
quantitate uitioſus fuerit. Sed nec ſatis etiam hoc loco fuerit naturam dixiſſe, carnis.
niſi etiam quorum natura ſit adiectum, & ubi. Conſtat autem quod ſubiecto-
rum corporum,quibus ſuperinduci caro debet,natura ipſa gignendæ carnis o-
pifex eſt. Porrò rationem opificis habere non poterit natura ſubiectarum par- Natura ſubie-
ticularum,quibus deficiẽs caro reſtituenda eſt, niſi iuſtum & minimè uitiatum ctarum parti-
calidi,frigidi,humidi ac ſicci temperamentum obtineat.Siquidem ex horũ tem cularum,opi-
peratura,cuiuſque corporis natura conſiſtit. In omni igitur cauo uulnere,duo fex eſt carnis
illa primum conſyderanda ſunt: nempe quod ſubiectum eſt,iuſtá ne temperie regignendæ.
ſit,id eſt,an ſecundum naturam ſe habeat. Et præterea ſanguis qui influit,bonús In omni cauo
ne an modicus ſit. Fingamus igitur & ſanam eſſe partem ſubiectam , & ſangui- uulnere duo
nis(qui gignendæ carnis materia eſt) confluxum citra ullum , uel in quantitate ſpectanda.
uel qualitate uitium. Iis ſanè ita ſe habentibus, nihil eſt præterea quòd obſtet, Hypotheſis.
quò minus prima carnis generatio proſperè contingat,idq; nullius externi me-
dicamenti ope.Quippe cauſis ambabus unde naſcitur præſentibus, nulloq; ex-
trinſecus quod impediat,obſtante,non poteſt prohiberi carnis generatio. Ve-
rùm in ipſa primæ carnis generatione duplex (ut Galenus ait) prouenire excre- In carnis gene
mentum neceſſe eſt:alterum quidem craſsius,alterum uerò tenuius.Quod & in ratione, du-
omni qualitatis alimenti mutatione contingere ſolet. Hoc autem (tenuius in- plex proueni-
quam)in ulceribus recentibus,quæ hic uulnera appellamus,Latinis ſanies,Græ re ſolet excre-
cis ichωr nominatur.Illud uerò(quod craſſum eſt ſcilicet)nobis ſordes dicitur. mentum. Sanies.
Ac ex tenui quidem excremento uulnus humidum redditur,ex craſſo ſordidũ. Sordes.
Eoq; duplicibus medicamentis eget:utique ut humidum eſt, ſiccantibus:ut ſor
didum expurgantibus. Ergo cum nullo unquam tempore natura ceſſet, certè
nec tempus ullum erit,in quo non ambo hac in cauo ulcere colligantur. Quare
nec tempus ullum erit, in quo non utrunque medicamenti genus deſyderetur:
utique & quod ſiccet,& quod expurget.Verùm nõ ſatis adhuc fuerit,cuiuſmo-
di quidem genere eſſe medicamentum debeat, inueniſſe: ut iam Hippocratica
ueraq; methodo inuentum eſt.Sed & ſpecies aliqua inuenienda eſt,quæ eiuſmo
di uulneri ſit accommoda,& ſtatuto ordine gradú ue circunſcripta, ut carnem
producere poſsit.Non omne nanque medicamentum,quod ſiccandi & deter- Medicamentũ
gendi pollet facultate,carni producendæ eſt aptum , ſed quod modicè: nempe carni producẽ
primo ordine tum ſiccare, tum detergere poſsit. Quippe quod ſuper hunc fue dæ idoneum.
rit,ita ut non modò humoris qui influit,redundantiã conſumat:ſed etiã affluen
tem ſanguinem populetur,id refici carnem(ut Galenus inquit)ceu materiẽ eius

abſumens prohibebit.Itaq; præſenti negotio aptiſsima ſunt thuris lachryma,&
hordeacea & fabacea,& erui farina, & iris, & ariſtolochia, & cadmia, & panax,
& pompholix quæ uulgò tutia dicitur.Omnia uerò hęc tum maioris minoriſq;
diſcrimine inter ſe diſsident : tũ alia eorũ ſimplices qualitates uincentes habẽt,
Ex 3. meth. alia compoſitas.Siquidẽ ariſtolochia & panax,tum cæteris plus ſiccãt , tum na „
tura magis calent:hordeacea fabarumq; farina,multò his minus ſiccant,nec ul- „
lum calorẽ obtinent.Thus modicè calet,minus tamen illis ſiccat:adeò ut quaſ- „
dam corporum naturas omninò non ſiccet.Erui farina & iris,horum atq; ariſto „
lochiæ & panacis,medium locum tenent. „

2. Secunda indicatio curandi caui uulneris. Secunda indicatio curãdi uulneris caui,quæ(ut ſuprà dictum eſt)tum ex cor
poris totius, tum ex particulæ laborantis temperamento ſumitur, inſinuat no-
bis medicamẽta uel calidiora,uel frigidiora,uel humidiora, uel ſicciora ipſi uul
neri eſſe admouenda:nempe pro natura ac temperamento, & totius,& affictæ
Duas eſſe primarũ indicationum differentias. particulæ. Scire nanq; licet(ut Galenus ait)duas eſſe primarium indicationum
differentias, quarum una ab eo,quod ſecundum naturã ſe habet : altera uerò ab
eo quod præter naturam eſt,ſumitur. Porrò quod ſecundum naturam ſe habet
ſui cuſtodiam indicat,& propterea quæ ſimilia ſui ſint,poſtulat.Quod uerò prę
ter naturam eſt, ſui ablationem deſyderat : proinde & contraria requirit . Perit
enim quidque in contrarium,& à contrario.Igitur uulnus quidem(quia pręter
naturam eſt)quo eſt humidius, eo ſanè medicamento, quod magis ſiccet, indi-
get.Corporis uerò natura(propterea quòd ſecundum naturam eſt) quanto eſt
humidior, tanto quod minus ſiccet, medicamentum poſtulat. Proinde ſi qua
ſunt in diuerſis corporibus uulnera ulcerá ue,quibus par adſit humiditas:quod
in ſicciore corporis temperamento conſiſtit,utiq; magis ſiccari poſtulat: quod
Lib. 3. meth. medendi. in humidiore , hoc ſanè minus quo natura (inquit Galenus) naturæ intereſt. Si
quidem productam carnem,ei quæ præfuit,ſimilem eſſe oportet. Vbi igitur pri-
ſtina ſiccior fuit , nouellam quoque ſicciorem fieri conueniet . Quare uberius
hæc ſiccari poſtulat:quantóque magis ſicca fuerit,tanto quod admouetur me-
dicamentum, magis ſiccam facultatem habere debebit. At in humidiore natu-
ra,tanto rurſum ijs quæ minus ſiccent, medicamentis eſt opus, quanto caro ip-
Thus in quibus tum naturis tum uulneribus carnem producat. ſa minus eſt ſicca.Quò ſit ut thus(quod cum temperatis & medijs naturis con-
ſentit)in quibuſdam tum ulceribus tum naturis,pus quidem mouet, carnẽ non
producit:in quibuſdam etiam carnẽ producit. In humidiore nanque natura ſic
care & producere carnẽ poteſt,in ſicciore non poteſt, imò humectat ac ſupera-
tur à natura,proinde & putrefacit. Prætereà in modicè humidis ulceribus, tum
recentibus(quæ hîc uulnera & plagas appellamus) tum diuturnis & iam inuete
ratis,carnem efficere poteſt : quippe quòd moderatè deſiccet . In ijs uerò quæ
præhumida ſunt(quòd nõ ſatis deſiccet)prorſus non poteſt.

3. Tertia indicatio curãdi uulneris caui. Tertia indicatio nobis inſinuat inueniendũ eſſe remedium, quod proportio-
ne & ſtatuto quodam ordine gradú ue , ipſis affectibus qui ſimul cum ipſo uul-
nere incidunt,reſpondeat:illoſq; ipſos affectus prius ſummouendos eſſe,quam
ipſum uulnus carne implere tentemus.Itaq; ſi intemperies uulneri acceſſerit,at-
que exulcerata uulneratá ue caro , uel prius etiam ex quauis occaſione,uel ipſo
uulnerationis tempore,iuſto calidior frigidiór ue effecta: utique medelam exi-
git,quæ non modò moderatè ſiccet,ſed etiam in tantùm calfaciat refrigerẽt ue,
inquantùm ſubiecta caro à naturali ſuo habitu receſsit . Fieri enim non poteſt
Lib. 3. meth. (inquit Galenus)ut in ulcere,uel carnis productio,uel ſinus impletio,uel agglu „
tinatio,uel cicatricis inductio(quæ omnia naturæ ſunt opera) rectè unquam ce „
dat,niſi ſubiecta caro pro naturali modo ſe habeat.Quocirca legitimi ulcerata- „
rum ſeu uulneratarũ partiũ temperamẽti maior tibi ſollicitudo erit,quoties eas „
uel carne implere,uel glutinare,uel cicatrice inducere ſtudes.Itaq; congruis at- „
que opportunis auxilijs , aduerſus illos qui cum uulnere incidunt affectus, pu-

gnare

gnare oportet,priuſquàm uulneris ipſius curationẽ aggrediamur. Veluti igitur ſi phlegmone unà cum uulnere eſſet,nemo uulnus ipſum uel carne implere, uel glutinare,uel cicatricem inducere, attentare debet, priuſquam illa diſcuſſa ſit. Ad eundem arbitror modum etiam, ſi ſine phlegmone ſola ſubſit intemperies, nullum horum fore prius ſperabimus,quàm illa ſit ſanata. Quòd ſi hæc ita,ut dictum eſt,ſe habent,inſpici etiam conueniet circundantis nos aeris temperiem.

Circundantis nos aeris temperiem in curandis uulneribus maxime ſpectandã eſſe

" Siquidem (ut tertio methodi Galenus ait) ueluti medicamentum quoddam,is
" quoq; corporibus noſtris forinſecus incidens,ubi immodicus calore uel frigo-
" re eſt,ſanationem remoratur. Danda igitur opera eſt, ut medicamenta exceſſui
" [ipſius ambientis]occurrãt.Ideoq; Hippocrates: In calidioribus anni tempori-
" bus ijs,quibus frigidior facultas ſit,medicamentis utitur,calidioribus perfrigi-
" diora.Adeò(inquit)perpetuò uerũ eſt illud theorema: Quę ſecudũ naturã ſunt
" ſimilium ſibi,indicatiua ſunt:quæ præter naturam contrariorum, ſi modò ſaltẽ
" illa ſeruari,hæc ſummoueri deſyderant. Porrò ambientis nomine hoc loco, & præſentes ſtatus ſeu anni tempora,& etiã regiones,cum Galen.intelligimus.

Quæ nomine ambientis intelliganiur.

4. Quarta indicatio curandi uulneris caui.

Quarta indicatio particularis in ſanando cauo uulnere obſeruanda, ſumitur (ut ſuperius dictum eſt)à contrarietate indicationum: non quidem earum quæ in diuerſis temporibus perficiuntur,ſed earũ quæ in uno eodemq; tempore ipſius curationis ſubinde offeruntur. Vt exempli gratia,ſi ægri temperamentum iuſto ſit humidius:particula uerò ipſa quæ laborat, ſiccior: aut contrà, quod hæc ſit humidior,& totius temperamentum ſiccius. Pari modo in calore & frigore, quòd contrario temperamento ſit pars cum toto. Diuerſa ſanè in his eſt ea quæ à patiente particula accipitur indicatio,ab ea quæ ex ægri ſumitur natura. Itaq; hæc particularis indicatio, quam quartam in ordine poſuimus, inſinuat nobis medicamenta uel humidiora uel ſicciora,uel calidiora uel frigidiora, aut prout res poſtulabit,media ac temperata deligenda eſſe, quæ ipſi uulneri admoueantur. Statuamus igitur clarioris doctrinæ gratia totum corporis laborantis temperamentum humidius eſſe,eoq; medicamenta deſyderare quæ minus ſiccent: ipſam uerò ægrã particulam ex earũ numero eſſe, quæ ſicciores ſint, qualia ſunt ea quæ minus carnoſa conſpiciuntur: Cuius generis ſunt, quæ circa digitos & articulos habẽtur: præterea quæ circa aures & naſum,oculos & dentes ſunt: ac ut ſemel dicam,ubi crebræ cartilagines & membranulæ, & ligamenta, & nerui ſunt: adeps uerò & caro,uel omnino nulla eſt,uel per quàm exigua. In hac ſiquidem hypotheſi,ſi quanto ægri temperamentum iuſto eſt humidius,tanto particula iuſto ſit ſiccior,nec adijciendum,nec detrahendum pharmaco quicquam eſt,ſed tale adhibendum, quale ſi ulcus uulnús ue, in medij temperamenti particula cõſiſteret. Sin ſiccior debito particula fuerit, quàm corporis temperamẽtum iuſto eſt humidius,utiq; in tantum intendi ſiccitatem medicamenti conueniet,quantum particulæ temperamentum,totius temperamentum excedit. Veluti ſi quatuor numeris ſit pars exulcerata medio temperamento ſiccior: ægri uerò natura gradibus tribus humidior: manifeſtum eſt particulam, quæ nunc uulnerata exulceratá ue eſt,ſiccius uno gradu deſyderare medicamẽtum, quàm pars quæ ſit temperata cæteris paribus. Sed ut hæc omnia cõiectura ſola cognoſci poſſunt,ita longam in hominum naturis, & medicamentorum facultatibus contemplandis exercitationẽ poſtulant: nec eſt præterea,quod de indicationibus quæ à calido & frigido ſumuntur,dicatur. Quandoquidem ad portionem dictorum intelligi poſſunt. Vidés ne igitur clariſsime, quot huic theoremati ſit opus,qui probè ac certa methodo curare uulnus cauum uoluerit.

Hypotheſis ex lib. 3. therap.

Epilogus præcedentium.

Nam poſtquam inuentum eſt,humorem omnino huic uitio ineſſe,utique ſiccans medicamentum parandum indicauit. At quoniam ipſorum ſiccantiũ quędam magis ſiccant,quædam minus, partim ex uulnerum diuerſitate, partim ex ægri natura,quod expedit,eſt deſumptum. Itaque non modò de corporis natu-

tura meditatus ſit oportet, quiſquis commodè & ex arte ſanare uulnus eiuſmo
di ſtudet: uerumetiam diligenter ſpeculationem omnem de medicamentis di-
dicisſe, tum ſicci humidiq; corporum temperamenti notas callere. Adhæc tum
ambientis temperies (quæ utiq; tum ad præſentes ſtatus, ſeu anni tẽpóra, tum ue
rò regiones extenditur) tum partium naturæ, tum indicationũ inter ſe pugnan-
tium contrarietas, eidem conſyderanda ſunt. Verumenimuero Theſſalus & ple
rique alij medici qui etiam illum hodie imitantur, iſta quidem nec inquirunt,
παροιμία. nec norunt. Sed iuxta prouerbiũ, mali ſutoris modo, uno calopodio omnes cal
ceant, nullo naturarum aut partium, aut id genus aliorum facto diſcrimine. Cæ-
Praxis communis. terùm apud recentiores chirurgos in curando hoc uulnere, communis hic mo
dus obſeruari ſolet. Stata iam ſanguinis profuſione & parte affecta, ab inflam-
matione & dolore uindicata, uino calente uulnus abluitur: mox ipſo perluto
ac deſiccato, puluis aliquis carnem regenerans, aut unguentum aliquod ſarco-
ticum admouetur. Itaque linamenta ijs ſarcoticis (quorum libro ſexto abun-
dè meminimus) imbuta aut conſperſa, in ſinum uulneris demittuntur. Poſt hęc
ſtupæ aridæ, uel quæ uino maduerint, ſuperponuntur. Ac demùm quæ medi-
camenta approbè continere poſsit deligatura adhibetur: atque æſtate bis, hye-
me ſemel duntaxat, auxilia eiuſmodi permutantur. Porrò eiuſmodi medicami-
na, quæ uulnerum atq; ulcerum cauitates implent, mediocriter citraq; morſum
abſtergentia ſunt, ut libro quinto ſimplicium medicamentorum Galenus an-
notauit.

De vulnere impleto, ſiue æquali. *Cap. VII.*

CÆTERVM ubi uulnus purgatum impletúmque carne fuerit, æ-
quale tunc ſiue æquabile, latum, planum, atque impletum nomi-
Methodus inducendæ cicatricis. natur. Hoc autem cicatrice tantùm induci poſtulat. Porrò ut ad
cicatricem perducatur, amiſſam cuticulam, quam epidermida Græ
ce uocauimus, deſyderat. Hanc igitur tum regignere, tum ſibi unire oportet.
Cutis eadem ſpecie cum ea quæ perijt regigni non poteſt. Verùm cum ex ſemine ortum habeat cutis, talis omnino, qualis erat quæ pe-
rijt, prorſus regigni non poteſt: ſimile quiddam tamen cuti, & quod eius offi-
cium ſuppleat, reſtitui poteſt: non tamen planè cutis. Quando igitur ut cutis
regeneretur, fieri omnino nequit quod ſupereſt, efficere eſt tentandum: nempe
inſtaurare aliquid, quod cuti deperditæ ſimile ſit, & carni ſit ueluti naturale ali
quod tegumentum. Id enim eſt uulnus iam repletum planúmque redditum, ad
cicatricem ducere. Qui finis eſt, quem nunc hîc prætendimus: Huius itaque ef-
ficiendi ratio hæc eſt. Portio quæpiam ſubiectæ carnis nuper genitæ & reſtitu-
tæ (ea ſcilicet quæ ſummo tenus euidenter apparet) ſic alteranda eſt, ut non am
plius caro permaneat, ſed ueluti cutis euadat. At quo pacto inquies ita altera-
Lib. 3. methodi medendi. bitur? profectò alicuius alterantium qualitatum ope. Ergo (ut Galenus ait) quo »
niam cutis carne ipſa tum ſiccior eſt, tũ etiã denſior, ſi carnẽ ſiccabimus & aſtrin »
gemus, cuti etiam perſimilem reddemus. Et hæc quidem eſt medicamẽti, quod »
cicatricem inducit, ſumma. Verùm ea non ſatisfacit: nam & glutinatoria tum »
ſiccabant, tum etiam aſtringebant, ſicuti & epulotica, id eſt, cicatricem inducen
tia. Adijciendum ergo eſt, quo ordine gradũ ue ſiccare debeant medicamenta,
quæ cicatricem inducunt, quemadmodum & de ſarcoticis & glutinatorijs feci
Epuloticorũ facultas. mus. Id autem ex ipſa rerum ſubſtantia facilè inuenies. Epuloticum nanque, id
eſt, cicatricem inducens medicamentum, non modò qui influit humorem (ut
glutinatorium) ſed eum quoque, qui in ipſa carne ſubiecta continetur, conſu-
mere debet. Quò fit, ut multo profectò ſiccius quod cicatricem inducat, quàm
quod agglutinet, medicamentum eſſe conueniat.

Tres gradus Itaq; tres gradus deſiccantium medicamentorum, in curatione uulnerũ ne-
ceſſariò

ceſſariò ſtatuendi ſunt. Nempe ſarcoticorum, id eſt, carnem regignentium, quo rūm facultas ex primo ordine eſt deſiccantium. Agglutinatoriuni, quę ſecundo gradu, uel etiam tertio reſiccant. Et epuloticorum, hoc eſt, cicatricem inducentium, quæ ſiccandi facultate prædicta adhuc ſuperant. Hæc enim non accidentalem modò & confluentē(quæ præter naturam eſt) humorum redundantiam deſiccare ac conſumere debet: ſed eum quoq; humorē, qui ſecundum naturam eſt, & in ipſa(ut dictū eſt)ſubiecta carne continetur. Quod & ſequentibus uerbis Galenus teſtatus eſt: Glutinaturo(inquit)unū id propoſitū eſt, ut eius, quod præter naturam eſt, redundantiam conſumat. Qui cicatricem inducet, non hoc modò, uerùm etiam ut ei, quod ſecundum naturam ſe habet, aliquid deradat. Priuſquam igitur uulnus cicatrice poſsimus obducere, eo uſq; reſiccanda caro eſt, donec calli ſimilitudinem induerit, & cuti ſimilis euaſerit. Quod ſanè per ſe primario ac propriè, hoc eſt, peculiari facultate, medicamenta effecerint, quæ aſtringendi modicè facultatem habent: & eiuſmodi quidem, ut plurimum frigida ſunt & ſicca. Cuius generis reputantur, galla immatura, malicorium, id eſt, mali Punici ſeu Granati cortex, balauſtium, qui flos eſt ſylueſtris Punicæ, fructus ſpinæ Aegyptiæ, uel eius loco acacia, rhus ſeu ſumach, & eius generis uniuerſa, quæ modicè aſtringunt atque deſiccant.

Deſiccantium medicamento rū in curatione uulnerum ſtatuendos eſſe. Sarcotica. Agglutinatoria. Epulotica propriè dicta, quā facultatem habeant.

Per accidens uerò & ſecundario carnem alterando, & calli inſtar indurando, cicatricē etiam inducūt calida medicamina, quæ carnem detrahere ac colliquare ſunt nata, Gal. lib. quinto ſimplicium, cathæretica, id eſt, detractoria dicūtur, uulgò autem conſumptiua. Cuius generis ſunt chalcitis, & æs uſtum nō lotum: quod enim lotum eſt, uerè eſt epuloticum: & æris ſquamma, miſy, & fiſſum alumen, & quòd uulgò uitreolum appellatur. Quæ prædictis uerè epuloticis, id eſt primario, & ex ſua facultate cicatricem inducentibus, multò ſunt ualentiora. Miſy quidem & chalcitis præcipuè. Mitior autem æris ſquamma: atq; etiam hoc mitius æs uſtum: quod etiam ſi lauabis, utiq; (inquit Galenus) minus mordens medicamentum habebis. Itaq; ſi quando ijs uti ad cicatricem inducendā in aliorum penuria cogimur, parciſsimè ipſis utemur: largius enim admota, mordicant colliquantq; carnem, & ulcus cauum efficiunt. Summū igitur tantū ſpecillum, hoc eſt, ſpecilli cuſpidem, in ea ad exactiſsimum læuorem tuſa dimittemus, ac pòſt uelut tenuiſsimum quendam pollinem, partibus quæ cicatrice induci poſtulant, leuiter eas contingentes imponemus. Quòd ſi illa etiam aduras, ut minus acria, ſic ad cicatricem inducendā, reddes magis apta: ſi uerò etiam laues, adhuc fient mitiora. Sed de his locupletius atq; accuratius dicemus in antidotario, & in tractatu de ulceribus.

Cicatricē per accidens inducentia. Cathæretica.

De cicatricibus reparandis in vulneribus.

Deformes atq; indecoræ cicatrices, teneræ quidem adhuc, & recentes inſtaurantur Razi, admoto diachylo aut lithargyro (ut uocant) nutrita. Cicatrices nigras tollunt oleum in quò radix bryoniæ tum candidæ, tum nigræ in cocta ſit, dum ſuccum reddat impoſitū: calamintha ex uino cocta, argenti quoque ſpuma cū roſaceo albo lota. Craſsiores uerò & iam inueteratæ reparantur, oleo balſamite appoſito, uel radice cucumeris ſylueſtris (quem aſininum uocant) trita & appoſita. Quod ſi his aut ſimilibus non tollantur, id totum quod ſupereminet atque excreſcit, cultro raſorio reſcindendū eſt, uel cauterio amouendum. Cruſtam uerò reſolues admoto gallinæ aut anatis adipe, uel etiam ma ſiche. Hæc quidem in ijs agenda cenſent recentiores chirurgi. Verùm Cornelius Celſus ſtultum eſſe exiſtimat, ſi uel excreuit cicatrix, uel concaua eſt, decoris cauſa rurſus & dolorem & medicinam ſuſtinere. Alioqui, ait, res utrique ſuccurri patitur. Siquidē utraq; cicatrix exulcerari ſcalpello poteſt. Si medicamentum aliquis mauult, idem efficiunt compoſitiones hæ, quæ corpus exedunt.

Cute exulcerata,ſupereminentem carnem, exedentia medicamenta conijcienda ſunt:ſuper concauam,implentia, donec utrunque ulcus ſanæ cuti æquetur, tum cicatrix inducatur.

De vulnere ſupercreſcentem carnem habente, quam Græci hyperſarcoſin vocant. Cap. VIII.

VLNVS quod hyperſarcoſin, id eſt, ſupercreſcentẽ carnem habet, morbus eſt ex eo genere, quod in quantitate magnitudinéue partium ſpectatur, quemadmodum & cauitas erat, de qua paulò antè egimus. ergo ueluti uulnus cauum, non unum eſt uitium: ſed pariter cauitas & uulnus. Ita uulnus aut ulcus, quod ſupercreſcentem carnem habet, non unus eſt morbus, ſed ſimul caro ſupercreſcens, & uulnus ulcúsue. Prior morbus, qui inſtrumentarius eſt, (nempe magnitudo quæ præter naturam eſt) primam indicationem (quæ ueluti meta eſt inueniendorum remediorum) nobis inſinuat: ipſius ſcilicet exuberantis, & præter naturæ modum excreſcentis ablationem. Alter uerò morbus qui communis eſt (nempe ſoluta unitio) coniunctionem indicat. Porrò ipſa agglutinatio ſeu diſsidentium coniunctio, uti & carnis generatio, naturæ quidem opera, ut prius diximus, perficitur. At ſupercreſcentis carnis detractio, nullum quidem, inquit Galenus, naturæ opus eſt, ſed ſolis medicamentis, ſeu medicamentorum ope perficitur, quæ uehementer exſiccent & natura acria ſint: cuiuſmodi ſunt atramentum ſutorium, quod Græcis chalcanthum dicitur: chalcitis ſeu uitreolum, ſpongia, radix aſphodelorum, hermodactyli, ſtupæ minutim inciſæ, linamenta è panniculo carpta, muria acriori imbuta & reſiccata: unguentum uiride, & id genus alia tum ſimplicia tum compoſita, quæ ex libro ſexto ſunt requirenda. Cæterùm id unum ſemper fideli memoria obſeruandum moneo: nempe pro diuerſis corporum & partium temperamentis, uarianda eſſe remedia. Eadem enim medicamenta quibuſdam naturis carnem excreſcentem inſumunt, alijs uerò cicatricem inducunt, alijs ſolum glutinatorio minus præſtant. Eiuſmodi nanque medicamenta, quæ carnem minuunt (ſeptica Græcis, impropria quidem appellatione dicuntur) proxima ſunt, tum ijs quæ ualenter detergunt, tum ijs quæ cicatricem inducunt. Sic ut non pauci interim (inquit Galenus libro tertio methodi medendi) per errorem medicamentum quod carnem minuit, uel pro eo quod ſordem deterget: uel pro eo quod cicatricem inducit, accipiant. Exempli gratia, miſy & chalcitis (quæ inter cicatricem inducentia annumerauimus) ſi naturæ humidæ applicabis, potius carnem demere, quàm cicatricem inducere deprehendes. Adde quòd inter eiuſmodi ſeptica, quæ carnem tenellam uulneribus atque ulceribus ſupercreſcentem colliquant & abſumunt: quædam ualentiora ſunt, quædam imbecilliora & mediocria. Quocirca nonnulla mediocres carni ſupercreſcentias exedunt. Alia uerò maximas hyperſarcoſes, id eſt, carnis immodicas excreſcentias minuunt, & uſque penitiora cruſtis obducunt. Cuius generis eſt, quod recipit calcis uiuæ, ſquammæ æris, & mannæ thuris pares modos. Sed de ijs quidem adhuc locupletius libro ſexto dicetur: quare ad reliquas uulnerum differentias properandum eſt.

Vlcus ſupercreſcentẽ carnem habens non unus eſt morbus.

Carnis detractionem medicamentis perfici non opera naturæ lib. 3. method.

Septica.i. carnem minuentia.

De

De vulnere contuſo ab aëre alterato, dura calloſaq́; labra habente, cruciante, & phlegmone, aut alio præter naturam tumore implicito. Cap. IX.

VVLNERIS (ut in præcedentibus demonſtrauimus) quà uulnus eſt, ſanatio, mediocris ſiccatio eſt. At uulneris, quod cum alio affectu coniunctum eſt (cuius uidelicet præcedere curationem oportet) eius curatio, ut uulneris ſolius non eſt, ſed prior illius affectus, qui cum uulnere conſiſtit, ſecunda uerò ipſius uulneris: nam ſiue phlegmone quæpiam, ſiue nigritia, ſiue ecchymœſis, ſiue eryſipelas, ſiue tumoris, qui œdema dicitur, ulceratam, uulneratám ue carnem obſederit, primùm eius molienda curatio eſt. At uerò quod uulnus interim non ſolum non commodè curatur, ſed multò etiam maius redditur id neminem, inquit Galenus, latere puto. Itaque ſiue contuſa fuerint circumpoſita uulneri loca, ſeu phlegmone, aliús ue tumor præter naturam in his conſtiterit, propria eius affectus ſanatio inuenienda nobis eſt: illud pro certo habétibus, fieri non poſſe, ut uulnus ſanetur niſi locus, in quo conſiſtit, prius ſit ſanatus. In eiuſmodi igitur uulneribus, ſuppoſito communi regimine phlebotomiæ, purgationis & diætæ (quandoquidē hi affectus præterquam quod uulnera ipſa ad cacoëthiam præparant, fluxionē etiam in unum locum dolentem excitant, auocantq́;, tametſi etiam corpus nec ſanguine nec ullo ſuccorum uitio redundet) topica ſeu localis curatio communis eſt, agglutinationem prohibere, & fluxionem arcere.

Quocirca rectè mihi feciſſe uideberis, ſi in cōtuſo, cruciante & phlegmonoſo uulnere, ſtatim per initia, loca circumiacentia illiueris, uel roſaceo, uel myrtino oleo, uel unguento, quod cōſtat bolo armena, oleo & aceto. Supra uerò dolentem partem oleū aliquod admoueris, quod uel leniendi, uel molliendi, uel maturandi (ut res exigit) uim habeat. Ponamus igitur carnoſam aliquam particulā telo tum cæſam tum cōtuſam eſſe: huic ſanè ita ex Hippocratis ſentētia medendum eſt, ut quàm celerrimè ſuppuret. Neceſſe enim eſt carnes ſic contuſas putreſcere, & in pus uerti. Poſtquam uerò ſic per quandam putreſcentiā in pus uerſæ fuerint, liquari, & tandem nouā carnem naſci. Adde, quòd hac curandi uia & ratione obſeruata, minus (eodem Hippocrate authore) phlegmone urgebitur caro ipſa ſic cæſa contuſaq́;. Duæ igitur intentiones in curando uulnere contuſo nobis proponuntur: nempe ſuppuratio, & nouæ carnis generatio. Porrò cum ſuppuratio cum quadam fiat putreſcentia, & omnia quæ putrefiunt, Galeno authore, ex calido & humido ſic afficiantur, nimirum quæ calfaciant humectentq́;, hiſce contuſis uulneribus, atque adeò omnibus iȷs affectibus, quibus moueri pus expédit, admouebimus. Cuiuſmodi ſunt maluæ coctæ, radix althææ, tetrapharmacum, panis triticeus, hordei farina ex aqua & oleo: itemq́ue panis ex aqua & oleo. Præterea fomentum multæ calidæ aquæ: hæc enim & ſimilia omnia quæ ſic calfaciunt & humectant, celerrimè pus mouent. Horū autē materiam copioſam habes libro præcedente de tumoribus præter naturam: & in antidotario: item libro quinto de ſimplicibus. Verùm enimuerò non fuerit alienum, hîc unum atque alterum compoſitum medicamētum ſubiȷcere, quod

Vulneris cōtuſi recta curandi ratio.

Hypotheſis.

Gemina intentio in curando uulnere cōtuſo pponitur.

Lib. 4. Ther.

» ad ſuppurationem in propoſito uulnere benefaciat. Recipe radicis althææ, cu
» cumeris agreſtis, ſingulorum unciam ſemis, origani agreſtis, hyſſopi ana mani-
» pulum ſemis, florum chamemali, ſeminis lini, ana pugillum unum, ficus pingues
» ſex, uuas paſſas pari numero: unà bulliant, ac tandem iȷs preſſis ac diligenter tu-
» ſis, adde galbani, myrrhæ, ſtyracis liquidæ, œſypi, ana drachmā unā ſemis, ſangui
» nis draconis, adipis porci, ana unciam ſemis, componatur malagma. Conducit plurimum ad eandem intentionem aſſequendam, & infrà ſcriptum medicamentum, in formam emplaſtri redactum. Accipe foliorum maluarum & uiolarum ana manipulum unum radicis althææ libram ſemis: decoquantur in iure carniū

Ex Auicē. ſen. 3. quarti.

Emplaſtrum.

abſque ſale,poſtea ſubigantur in mortario & cribro incernantur, ex cribratura cum prædicta decoctione & farina hordei,ac tritici, ana quantū ſatis eſſe uidebitur,fiat emplaſtrum ſolidum ſiue malagma, addendo butyri & olei communis ſingulorum uncias tres,uitellos duorum ouorū,& croci momentū.Hoc aūt & ut præcedens malagma ſuper uulnus & contuſam carnē dandum eſt. In ipſo uerò uulnere imponi debet digeſtiuum(ut uocāt)ex terebinthina reſina,&ouorum luteis.Cæterùm perducto ad ſuppurationem uulnere, his quæ pus mouēt relictis ad purgantia & detergentia tranſeundum erit, ut ſunt tincta in melle linamenta, mundificatiuum ex apio, & id genus alia quæ in antidotario deſcripta inuenies. In omnibus autem eiuſmodi uulneribus, rectè inditur turunda melle roſaceo,aut unguento Apoſtolorum nuncupato,imbuta. Suprà uerò id purgans detergēns ue medicamentum,ſtupæ aridæ dandæ ſunt: adaptandáque eſt deligatura, quæ admota medicamenta probè retineat, donec perfectè expurgatum uulnus fuerit. Tum demum autem purum ulcus eſt (inquit Celſus) » cum rubet ac nimium neq; ſiccum,neq; humidum eſt. Ac quodcunq; ſenſu caret,quod nō naturaliter ſentit,quòd nimium aut aridum, aut humidū eſt, quod » aut pallidum aut albidum,aut liuidum aut nigrum eſt, id purum non eſt. »

Digeſtiuū uulneri imponendum.

Detergentia quādo admouenda.

Stupæ aridæ. Cor.Celſ.li.5.

Purgato ut decet uuulnere,carne ipſum implere oportet,quæ ſecunda erat in curando hoc contuſo uulnere,intentio. Carnem igitur modo, quo ſuprà diximus,generare oportet,& iam impletum ulcus ad cicatricem perducere. Quem ſcopum facilè aſſequeris,ſi turundam in dies paulatim imminueris. Ita enim ſolius naturæ opera,ac citra ullum medicamentum ulcus carne implebitur, & cicatrice obducetur. Quòd ſi caro multum eſſet dilacerata & futura utilis uideretur,conſuatur laxa quadam ſutura,labia retinente.At ſi labra uulneris ab ambiente alterata fuerint,ac dura calloſaq; appareant,ſcalpello illa (modò nulla alia obſtiterit diſpoſitio)corium amouendo,renouare oportebit:deinde conſuere. Porrò ſi cæſa contuſaq; caro enumeratis modò auxilijs ad ſuppurationem perduci non poſsit, uideaturq; in gangrænam ac partis corruptelam degenerare (quod ex tarda difficiliqúe maturatione & fuſco, liuido, aut nigro loci affecti colore deprehendes) unguentum Aegyptiacum nominatum, capite de curatione gangrænæ deſcriptum,aut aliquod aliud ſimile medicamentum,quod ad eiuſmodi corruptionem & mortificationem ſit idoneum, protinus erit admouendum.Quòd ſi alia quædam ſymptømata uel affectus, huic contuſo uulneri ſuperuenerint,ut dolor,phlegmone aut quiuis alius tumor præter naturā,aduerſus illa congruis(quæ ſuo loco dicta ſunt)remedijs erit pugnandum.

2. intentio curandi uulneris contuſi.

Si caro cōtuſa multum ſit laniata.

Si labra uulneris fuerint dura,& calloſa.

Si contuſa caro in gangrænā degeneret.

De ecchymøſi ſeu ecchymømate, id eſt, ſanguinis ſubter cutem effuſione & coitu, quod unà cum contuſione ruptioneq́, cute integra manente, hoc eſt, non vulnerata incidit. Cap. X.

ECCHYMOMA, id eſt, ſanguinis ſubter cutem effuſio & coitus, ſolutæ continuitatis genus quoddam eſt, quod plurimùm (ut libro quarto methodi ait Galenus) unà cum contuſione, ruptionéque incidit. Quocirca non fuerit à propoſito alienum, ſi propter affinitatem quam habet cum prædicto uulnere, pauca non obiter de eo dicamus. Itaque incidit interdum hoc uitium, cum ſola contuſione, citra carnis muſculoſæ in profundo hærentis corpore, ruptionem quod Græci rhegma appellant: ut ex uiolento ictu uel graui caſu.Aliquando uerò cum ſola ruptione, abſque etiam contuſione carnis (quod Græcis ſarcothlaſma & thlaſma dicitur) conſiſtit: ut cum motu quopiam ualente, & confertim facto, citra graue aliquod extrinſecus incidens, caro diſrumpitur. Nonnunquam etiam cum utroq;,ut cū graui ac duro quopiā corpore, quod extrinſecus ſuperinciderit, uel caſu ab alto,nō modò carnoſæ muſculorū partes,ſine cutis diuortio cōtundun-

Ecchymoſis quid.

Ecchymoma à quibus occaſionibus excitetur.

1.

2.

tur,

tur, ſed etiam ex diſtentione uiolenta, & confertim facta abrumpuntur. Tunc
enim uenis exiguis, in ea ſic contuſa ac rupta carne diuortium expertis, ſanguis
exilit, unde ipſum ecchymωma ſub cute collectum naſcitur. Cuius apparentes
notæ ſunt, tumor mollis & tactui cedens, liuidus & magna ex parte indolens.
Fit autem aliquando ecchymωſis, & ex oris uaſorum apertione, quam anaſto- Ecchymoſis
mωſin uocant, & ex ea quæ à nonnullis diapedeſis dicitur: id eſt, tranſcolatio, notæ.
exilitio uel tranſmiſſio, aut ſubſultus. Porrò accidit anaſtomωſis propter tum Anaſtomoſis
uaſis imbecillitatem, tum ſanguinis, qui ad os eius impetu ruat, copiam. Adhæc unde excite-
ob acrem quampiam quæ illi extrinſecus incidat, qualitatem. Diapedeſis ex tur.
tunica quidem ipſa rarefacta, ſanguine uerò tenuato oritur. Accidere præte- Lib. 5. therap.
rea interim poteſt, & ex gracilium uaſorum ore adaperto. Verùm de ea tan- Diapedeſis unde oriatur.
tum ecchymωſi nunc agitur, quæ contuſionem uel ruptionem conſequitur.
Hanc igitur ecchymωſin propter ſolutam unitatem affatim factam, dolores &
ob ſanguinis in profundo concurſum, abſceſſus nónunquam inſequuntur, qui
magna ex parte per halitum digeruntur. Species autem ecchymωmatis ſunt hy- Species ecchymomatis.
pωpia, quæ Romani ſuggillata uocant, & liuores ex ictu prouenientes, Græcis
hypoſphagmata nuncupata, quæ & interpreti Auicennæ ueſtigia percuſsionis:
Latinis uerò propriè uibices dicuntur.

Ecchymωma quod cum magna ac uiolenta contuſione incidit, periculo nó IVDICIA
uacat. Solet enim frequenter (ſi negligatur) non modò afflictæ particulæ, ſed & de ecchymomate.
corporis totius corruptionem afferre. At ſi forſan in contuſione, quæ cum ec-
chymωſi conſiſtit, cutis à carne ſeiuncta maneat pendula, rarò uel nunquam ag-
glutinatur. Proinde ſatius eſt eam præſcindere, & exiccantia medicamenta ad-
mouere uel abſq; deligatura, locum ſic excoriatum relinquere. Aër nanq; ambi
ens cutis ipſius inſtaurationem non mediocriter adiuuat.

Curatio ecchymomatis, quod uel contuſio, uel ruptio excitauit.

„ CAeterùm quoniã ecchymωſis ſeu ecchymωma, plurimùm (ut Galenus ait) Lib. 14. meth.
„ unà cum contuſione ruptioneq; incidit, iccircò in ipſo curando, plures e-
„ runt indicationes obſeruandæ. Semper enim pro affectuum numero, etiam me
„ dendi indicationes reſpondent.

Prima indicatio eſt, fluentem ad locum affectum materiam uacuare & auer- 1. indicatio in
tere. Quod optimè quidem fit, authore Auicenna, uenæ ſectione, quam omnes curãda ecchymoſi obſeruanda.
etiam artis periti, in hoc affectu imperant, quamuis corpus mundum, hoc eſt,
purum ab excrementis fuerit.

Secunda intentio eſt, dolorem ſedare & parti læſæ, ne fluxionem excipiat, ro- 2. intentio.
bur afferre, rebus frigidis & ſtypticis eam perfundendo atq; illinendo. Vnde Ra
zes & Lanfrancus partem eo uitio laborantem, inungebant roſaceo, & poſt un-
ctionem, puluere myrtillorum reſpergebant, ac mediocri deligatura ſtringebãt.
Verùm enimuerò in communi uſu obſeruatum eſt, ut per initia oui candidum
roſaceo permiſtum, loco dolenti, ac ſic affecto, admoueatur.

Tertiò, curationis conſilium eò digerere debemus, ut ſanguinẽ ipſum totum, 3 intentio.
qui ſubter cutem effuſus eſt, diſsipemus ac reſoluamus idq; confeſtim, priuſquã
nigruerit, & in grumos iam coierit. Quod factu quidem haud difficile erit, ſi &
ſanguis effuſus tenuis, & propè ſummam cutem: non autem in profundo ſitus,
fuerit. Quòd ſi diſcuti non poſsit, tum infrà ſcriptis digerentibus medicamen-
tis, tũ ſcarificationibus educendus erit, & ſi nihil hæ promouerint, affectus eiuſ-
modi more abſceſſuum curandus erit. Itaque ſanguinis ſic per contuſionem ru Propria ecchymomatis curatio.
ptionemq; diſperſi, diſsipatio & uacuatio ecchymωmatis, quà ecchymωma eſt,
propria eſt curatio, ut libro quarto methodi medẽdi iis uerbis Gal. teſtatus eſt: Omnẽ ecchymoſin uacuationem indicare.
Sanè (inquit) ecchymωſis omnis uacuationem pro remedio curationis indi-
cat. Quare calfacientibus huic, & modicè ſiccantibus medicamentis eſt opus

[quale eſt ex nigris populis acopon.] Quippe quæ uehementer ſiccant, digerũt illa quidem in principio euidentius, quàm quæ ſunt imbecillia: cæterùm nõnihil ipſius uitij ſcirrhoſum, difficileq́ curatu relinquunt. Curandum uerò eſt, ut ruptis quæ in profundo hærent corpore, hæc tum uires habeant magis intẽtas, tum ipſa magis acria, magisq́ diſsipantia ſint: tum (ut ſemel dicam) tantò efficaciora, quantò magis à cute ad profunda ecchymoſis receſsit. In talibus ſanè nec cucurbitæ uſus ſit inutilis: id enim inſtrumentum ad uiolentum attractum, à medicis eſt excogitatum. Verùm enimuerò, quoniam tunicæ uenularũ ex quibus ſanguis exilijt, contuſæ ſunt per initia ſanè (ut Galeno & Paulo uiſum eſt) nonnihil ex aſtringentibus ijs, quæ digerunt, admiſcere oportet. Contuſæ enim illæ uenularum tunicæ, aliquam denſationem requirunt, ut ad naturalem ſuum ſtatum reducantur, & ne noua materia ob dolorem attracta, ad locum cõtuſum delabatur. Quandoquidem ſi ſolam digerentẽ uim haberet medicamentũ in principio applicatum, non modò id quod effuſum eſt digereret, ſed & per contuſionem aliquid ſanguinis, qui contuſis uenulis continetur, extraheret, ut teſtis eſt Galenus libro quinto de compoſitis medicamentis ſecundum locos. Quando autem in naturalem ſtatum uenulæ redierint, citra aſtrictionem ad ſola digerentia medicamenta uenire tempeſtiuum eſt. Porrò in quibus ſic modicẽ aſtringentium quiddam, nec non per halitum digerentium miſcere conuenit, perſpicuũ eſt imbecilliora primùm debere aſſumi: ualidiora autem in ueteratis, & ijs quæ nigreſcunt admoueri. Ad inueterata igitur ecchymomata, Paulo etiam authore radicula illita prodeſt: quippe diſcutit ea ubi erodere inceperit: uel ipſius radiculæ ſuccus cum micis panis inductus. Cæterùm ex moderatè digerẽtibus quæ uulgò reſolutiua domeſtica uocant, hæc ſequentia ſex auxilia in communem uſum ueniunt.

Cucurbitulæ uſus in quib. ecchymomatis utilis.

Ecchymomatis per initia nõnihil aſtringentiũ diſcutientibus admiſcendum.

Ad inueterata ecchymomata. Lib. 4.

1. Primum conſtat uino, melle & ſale.
2. Secundum ex farina hordei, calaminthe, & uino conficitur.
3. Tertium recipit ceram, & cuminum.
4. Quartum fit ex floribus chamæmali, meliloto, ſtœchade & cumino, omnibus in uino decoctis.
5. Quintum ex maluis, furfure, abſynthio, cumino aut anetho, aqua uel uino incoctis.
6. Sextum fit ex farina hordei & fœnigræci, croco & momento auripigmenti, omnibus quidem aqua calaminthæ incoctis.

Solent & potiones quædam inſtitui, quæ ſi aſſumantur, ſanguinẽ concretum & extra uaſa effuſum (uulgò mortuum uocant) diſsipare ac reſoluere credũtur: cuius generis eſt ea quæ conſtat bdellio, coſto, centaurio & ſyropo acetoſo, atque huic aliæ quædã cõſimiles, quæ in caſu ab alto, offenſione & uiolento membrorũ tractu ac diſtentione, offerri cõſueuerunt. Cum aũt totũ ecchymoma digeſtum per halitum eſt, ſiccare iam uehementius ruptum ipſum permittitur, ac deligatura coniungere omniaq́ in ſumma facere, quæ, ut ulcus coaleſcat, efficiant. Ergo ſi euocatum celeriter totũ ecchymoma ſit, facilè coaleſcet rupta ipſa caro. Sin longiore ſpatio ſordes multa ſubnaſcens, medium inter ulceris labra ſpatium occupabit, ita ut iam coire ruptio non poſsit. Atq; inde adeò fit, ut qua libet leui de cauſa, nos hęc ſui admoneant: nam ſiue quis obriguit, ſiue parũ con coxit, ſiue febri laborauit, ſiue ſe uehementius fatigauit, eiuſmodi illicò particulis dolet. Non enim (ut modò dictum eſt) in idem coiêre ruptionis labra, ſed tantum propè ſunt admota. Quò fit ut leui momento ea facilè ſeparentur, & medius inter ipſa locus ſuperuacuo humore repleatur. Ecquid quæſo aliud quàm aſſiduè nouum ecchymoma creatur, & primò illi (cum uidelicet primum caro eſt rupta) perſimile? niſi quòd ex tenui magis ſanie nunc conſtat: cum in principio è ſanguine ecchymoma eſſet. Ideóque facilius etiam nunc, quam prius ſeuper

Potiones quæ in ecchymoſi à recẽtioribus propinantur.

Si totũ ecchymoma per halitum digeſtũ ſit.

Cur quę rupta fuere ſubinde dolorẽ renouent.

per initia digeritur. Cæterùm quomodo curari debeant, ſugillata, liuores aliaq́;
id genus accidentia, quæ contuſiones, graues caſus & offenſiones conſequun-
tur, aliquando forſan alibi dicetur. Hactenus de uulneribus, quæ in carne maxi-
mè per tela inferuntur. Sequitur ut de his dicamus, quæ morſu fiunt.

De vulnere ex morſu vel ictu animalium, tum venenatorum, tum aliorum non ita noxiorum illato, & præſertim de morſu canis rabioſi. Cap. XI.

DE VVLNERIBVS quæ ex morſu punctú ue animalis inferuntur,
& præſertim canis rabioſi, aut alicuius uenenatæ feræ uel beſtiæ, qui
dam memoriæ pauca tradiderunt. Quippe quæ non adeò frequen-
ter accidant, & ſi aliquando inciderint, ſoleant ruſtici ac plebei ho-
mines neglectis chirurgis ac medicis, medicamentum præſens ad hæc ipſa con
ficere, ex allijs, cepis & oleo, quod cataplaſmatis modo uulneri imponunt.
Adde quòd exquiſitè de ijs tractare, magis ad medicum (quem phyſicum ap-
pellant) quàm chirurgicum, niſi quòd ad uulnus ſpectat, pertinet. Itaque qui
abſolutam eorum cognitionem habere deſyderat, ex Arabicæ familiæ ſcripto-
ribus, Auicennam, Razem, & Rabi Moiſem: & ex recentioribus Barbaris, Hen-
ricum legat oportet, qui de omnibus ferè uenenis fuſiſsimè tractauerunt. Sed
multò his doctius atque accuratius de eiuſmodi morſibus & ictibus uenenato-
rum animalium ſcripſerunt, Aëtius Antiochenus, Paulus Aegineta, Cornelius
Celſus, Actuarius, Oribaſius, & ante hos omnes adhuc Dioſcorides. Quos o-
mnes, ſi uelis hac in re poteris cóſulere, aut unum ſaltem ex illis quem placebit,
deligere. Tantum enim hoc loco uniuerſalem uulnerum ex morſu punctú ue il
latorum, curationé referemus, atq; eam duntaxat adhuc: quàm maximè chirur-
gia molitur. Itaque morſus animalium punctús ue, duplici conſtant differentia:
alij enim ſunt uenenati, alij uerò minimè: uenenati dicuntur qui à uirulentis be-
ſtijs inferuntur: cuiuſmodi ſunt, rabioſus canis, ſerpétes, peregrinæ angues, ſcor
pio, baſiliſcus, draco, uipera, coluber, mus, araneus, phalangium, aſpis, & id gen⁹
aliæ uirus eiaculantes feræ. Contrà uerò non uenenati morſus dicuntur, qui ab
animantibus non ita uirulentis imprimuntur infiguntúr ue: cuiuſmodi ſunt ca-
nes domeſtici, ſimia, homo, equus, ſues, tam domeſticæ quàm ſylueſtres, felis in
domibus oberrans (quem nominant elurum) & ſimilia. Ictu quoque hominum
corpora lædunt, ueſpæ, apes, muſcæ, culices, pulices & cimices. Sed qui à ueſpis
& apibus punctus infiguntur, plus noxæ ac doloris inferunt, interdumq́; chirur
gi operam deſyderant. Omnis autē ferè morſus (ſi Cornelio Celſo credimus) ha-
bet quoddam uirus. Paulus non addubitat ipſius etiam hominis morſus, cū ui-
rulentis beſtijs conſcribere. Siquidem, inquit, maligniores multò cæteris alijs
ulceribus apparent, præſertim ſi qui morſum intulit, ieiunus fuerit, anteaq́; legu
mina pro cibo ſumpſerit atque in primis lenticulam. Eapropter, quęcunq; com
muniter in alijs uirulentis morſibus uel ictibus commemorantur ac proſunt,
eadē quoq; in his morſibus extrinſecus per initia adhibere conueniet, exceptis
nimiū acribus & cauſticis, id eſt, adurentibus. Cæterùm morſus ipſi ac punctus,
tam uenenatorū & letalium, quàm nó uirulentorū, in quibuſdam quod ad ra-
tionem curandi attinet, conſpirant & in quibuſdam euariant. Conueniunt qui-
dem in eo, quod neq; deſiccantia neq; repellentia, neque cicatricem inducen-
tia (quorum natura aſtrictoria eſt, & deſiccatoria) deſyderant, quin potius attra
hentia, dilatantia, relaxantia, atq; emollientia ſtatim ab initio expoſtulant. Tam
hi etiam, quàm illi ſedulò repurgari appetunt: ac demū poſtquam ulcera probè
fuerint repurgata, cicatrice obduci. In hoc autem differunt, quòd morſui non
uenenato abundè ſatisfaciunt, domeſtica (ut uocant) attrahentia & maturantia.
Cuius generis ſunt cepæ & allia, tam agreſtia quàm ſatiua, cocta, trita, & cum

Qui præſertim authores tum recentes tū ueteres de uenenatis uulneribus ſcripſerūt

Morſus ac pūctus animaliū duplices. Virulenti.

Morſus non uenenati.

Morſus omnis quoddam uirus habet.

In quibus cōſpiuent, & inuicem diſsideāt uirulenti morſus & non uenenati.

fermento,oleo & ſale miſta.Si uerò uulnus morſu aut ictu , uirulentum aliquod animans homini intulit, quæ uehementer etiam trahunt,ne uirus interna ſubeat,& ad cor ſerpat(cuius deſtructionem ex ſuapte natura ſemper appetit)ſtatim erunt admouenda,ut cucurbitula loco prius ſcalpello inciſo , & emplaſtra quædam ualidè uirus extrahentia,quæ ſtatim ſubiungemus. Deinde candenti ferro (ſi patitur locus)uulnus adurendum eſt,aut cauſtico ſaltem aliquo medicamento ac uehementer exedente utendũ.Eiuſmodi enim uulnera omnia letalia ſunt, & præſentem ſæpe perniciem (ſi protinus non ſuccurritur)afferunt. Proinde & extrema illis(iuxta Hippocratis conſilium)adhibenda ſunt remedia. Adeoq; ut membrum, quòd ſic à letali ac uirulenta fera ,uel morſum uel ictum eſt,interdũ præcidere ſeu amputare conueniat. Quemadmodum Galenus memoriæ prodidit,uinitorem quendam à uipera morſum,ubi feram agnoſceret, confeſtim læſum digitum falce abſcidiſſe, atq; in totum ſic periculo liberatum. Porrò uenenatos morſus aut ictus,punctús ue ijs ſequentibus notis deprehendes . Vulnus infixum ualidè dolet,punctionis & mordicationis ſenſus uehemens , in afflicta parte perſentitur:Vulneris atq; affecti loci color perit , ac mutatur:aut enim rubet atque inflammatur,aut liuet uel nigricat . Laborans grauibus angitur moleſtijs,ac totus ardet:corpus totum eius ipſius , qui uel demorſus,uel ictus eſt, ita nonnunquam obſtupeſcit,ac talem(ut ſic dicam)obdormitionem ſentit,ut tangentem non ſentiat . Verùm nihil ferè in ijs perpetuum eſt . Neque enim dolor ſemper adeſt uehemens aut atrociter moleſtans,in omnibus eiuſmodi ferarum ac beſtiarum uenenoſarum ictibus,aut morſibus : ſed in quibuſdam ſatis remiſſus eſt,ut in morſu canis rabioſi. Nec enim protinus infeſtum quicquã, ubi momorderit(ut inquit Dioſcorides)infligit,niſi ut uulnus dolorem, hoc eſt,ſtatim quidem,ubi morſu excandeſcens rabie canis,in partem aliquam uulnus intulit, nihilo plus doloris aut moleſtiæ ab initio afferre uidetur, quàm non rabioſus. Sed & qui à ſcorpionis ictu dolor accidit,modò decreſcit modò intenditur: ac nunc feruor nunc frigus,tum percuſſum locum tum corpus totum uicisſim inuadit,ut Paulus annotauit:& ut breuiter dicam,ſua cuiuſq; animantis morſibus & ictibus propria ac peculiaria ſigna ſunt, ut uidere eſt apud Dioſcoridem, Paulum,Aetium,Cornelium Celſum & alios, qui de uenenatis hiſce beſtijs fuſius atque acuratius ſcripſerunt. Cæterùm alijs uenenatis beſtijs (quòd apud nos rariſsimè ſint)prætermiſsis operæpretium non ab re duximus, ſi unius rabioſi canis particulatim meminerimus. Siquidem hoc animal & fœcundum prouentu, id eſt,frequens & contubernale homini, ac domeſticum eſſe conſueuit. Adde quod & rabie ſæpius corripitur ac perit,ab eoq; difficile caueri poſsit. Inde periculum ineuitabile hominem manet, niſi multis & conuenientibus uſus fuerit præſidijs.Plerunque autem flagrantiſsimis æſtibus canis in rabiem efferatur.Interdum etiam per frigora maxima , ut Lycus memoriæ mandauit . Iam uerò rabioſus potum & eſcam auerſatur,ſiti premitur,neq; tamen bibit:anhelat præterea non parum idq; exerta lingua,aures inclinat,largam ſpumantemq; pituitam naribus & ore proijcit:mutus in totum eſt, & ueluti inſanus , ut ne domeſticos quidem agnoſcat : toruè & ſolito triſtius intuetur, in omnes paſsim ſine latratu irruit,& nullo diſcrimine beluas & homines,notos iuxta ignotosq; morſu adoritur. Vbi autem momorderit, ſtatim quidem nihil moleſtiæ (ut prius diximus) affert,præterquàm ex uulnere dolorem . Exinde autem (nempe temporis progreſſu)morbus ille qui ab aquæ metu,hydrophobia Graia eſt uoce appellatus, exoritur.Miſerrimum ſanè,inquit Celſus,genus morbi,in quo ſimul æger & ſiti, & aquæ metu cruciatur:quo oppreſsis in anguſto ſpes eſt. Porrò magna ex parte circa quadrageſimũ ferè à morſu diem , ſolet hic morbus hydrophobicus ingruere: quibuſdam & poſt ſex menſes: alijs proditum etiam eſt poſt ſeptem obueniſſe.Sunt & qui poſt annum unum,uel etiã duos interdũ, à morſu impreſſo, morbum

Venenum ſemper cor petit.

Vinitor morſus à uipera ſibi digitũ amputauit.

Morſuum ac punctuum uenenatorum notæ.

Morſus canis rabioſi per initia nihil moleſtiæ affert præterquã ex uulnere dolorẽ.

Scorpionis ictus, quæ ſymptomata inueniat.

Canis ſæpius rabie corripitur.

Canes quibus notis ſuã rabiem teſtentur & prodant.

Hydrophobia.

Horrorẽ aut metum aquæ nullum præſcriptum conſtitutumq; tempus habere.

morbum hunc contrahi teſtentur. Narrant & aliquos poſt ſeptennium hoc aquę metu fuiſſe tentatos: Quò fit, ut qui à cane rabido morſi ſunt, non ualde tuti mihi eſſe uideantur. Non enim ſtato definitoq́ tempore poſt morſum, aquæ pauor exoritur. Itaq; quoniam non confeſtim à morſu huiuſmodi aquę metus homines inuadit, quidam decepti, canem qui momorderat, nō fuiſſe rabie percitū arbitrati ſunt, & proinde uulneri cicatricem inducere properarunt. Atque hoc pacto ipſimet huius mali authores, ſibi perniciem attulerunt, dum ſcilicet huic affectioni cauſam dederunt. Hac autem uſus probatione atque experientia, facilè deprehendes, rabioſus ſit canis, nec ne, qui momordit: Iuglandibus nucibus Rabioſi canis morſus probatio ex Oribaſio.
„ concilis, & accuratè tritis, uulnus diligenter obſtruitur & poſteà circumligatur,
„ ſequenti die ablatæ, gallinaceo aut gallinæ in cibo apponentur, ac primùm ſanè
„ non attingent: fame autem urgente, ſi eas uorauerint, rem attentius conſydera-
„ to. Nam canis qui momordit, ſi non fuerit rabioſus, ſoſpites ac ſuperſtites aues
„ quæ nuces illas comederint, permanebunt: ſin contra rabie correptus fuerit, po
„ ſtera die peribunt: atque tunc ad uulneris dilatationem properandum erit. Ite-
„ rumq́ poſt paucos dies eadem experientia utendum: Et ſi non perierint gallina-
„ cei, tunc uulnus ad cicatricem perduces, nullum iam ueritus periculum. Huiuſ-
„ modi indicationis ſeu experimenti, author quondam fuiſſe putatur Oribaſius, ut refert Paulus. Cæterum hydrophobiam, id eſt, aquæ metum, Græcorum aliqui ex immodica fieri ſiccitate dixerunt: quaſi in contrarium habitum, mutata penitus humida eorum ſubſtantia: ueruntamen Ruffus antiquæ medicinæ grauis author, inſaniæ ex atra bile ſpeciem, eam eſſe teſtatus eſt, magna ſcilicet ueneni eius cum humore illo ſimilitudine. Itaq; non ſecus quàm reliquos melancholicos & atra bile inſanientes, ſcimus alios alia timere: idq́ue etiam ſentire uidentur, qui dicunt: canis ipſius qui momorderit imaginem, in aquis opinari eos ſe uidere, eoq́ue metu territos aquam fugere & auerſari. At ex ijs qui hoc uitio ſunt occupati, nullum (inquit Paulus) præterquàm unum aut alterum ſeruatum fuiſſe ex hiſtoria didicimus. Eoſq́ue non à rabioſo cane morſos, ſed ab homine quo Hydrophobia unde. Pauci ex ijs qui aquæ metu laborant, ſeruantur.
„ dam morſo rabienteq́;, & aquam iā timente, uitiū adeptos. Siquidem Eudemus
„ (ut refert Dioſcorides) ſuperaſſe ac ſuperuixiſſe quendā affirmat. Et Themiſonem (inquit) aliqui demorſum in idem uitium incidiſſe & euaſiſſe fatentur. Moleſtiſsimum itaque, & dum iam occupauit, inſanibile eſt hoc morbi genus. Ante tamen huius occupationem, multi etiam quos canis momordit, ſeruati ſunt. Euenit autem hic morbus hydrophobicus, cum neruorum diſtentione, uel conuulſione, totiuſq́ue corporis rubore, præſertim faciei cum ſudore & languore quodam, ſuiq́ue faſtidio & domeſticorum ignorantia. Aliqui auræ ſplendorem & aquam fugiunt, & dum uident & dum admouentur, Nonnuli etiam omnem humorem auerſantur, & horrent: alij ſine ulla doloris intercapedine uexantur. Sunt etiam qui canum more latratus edant, & obuium quemque dentibus impetunt, morſuq́ue ſuo alios ſimili uitio labefactant. Miſerrimum ſanè (ut iam diximus) & moleſtiſsimum morbi genus. Cæterùm unicum eo oppreſsis reme- Dioſcor. Themiſon ab hydrophobia liberatus. Hydrophobię notæ.
„ dium eſſe ſcribit Cornelius Celſus lib. quinto ſuæ medicinæ: nempe non opinan Corne. Cel. remediū contra aquæ metum.
„ tem in piſcinam non antè ei prouiſam proijcere. Et ſi natandi ſcientiam non ha-
„ bet modò merſum bibere pati, modò attollere. Si habet, interdùm deprimere, ut
„ inuitus quoq; aqua ſatietur. Sic enim (inquit) ſimul & ſitis, & aquæ metus tollitur. Sed aliud periculum excipit, ne infirmum corpus in aqua frigida uexatum, neruorum diſtentio abſumat. Id ne incidat, à piſcina protinus in oleum calidum dimittendus eſt. Sed iam tempeſtiuum eſt, communem uirulentorum omnium uulnerum (ut ſumus polliciti) curationem aggrediamur.

Communes aduerſus omnes morſus & ictus uirulentos curatio.

VIrulentorum omnium animantium morſus aut ictus, non nimium diſtantem curationem deſyderant, quamuis in ea multúm antiqui uariarunt, ut in ſingula genera beſtiarum ſiue animantium, ſingula medendi genera præciperent, atque alijs alia. Sed in omnibus eadem ualdè multa maximè proficiunt. Itaque quæ ad hanc communem medẽdi rationem attinent, primum exponemus: deinde curſim perſtringemus, quæ ad peculiarem priuatamq; eorum curationẽ pertinent, quos rabioſi canes (quòd frequentiores apud nos ſint quàm aliæ uirulentæ beſtiæ) momorderint.

Geminam eſſe curandi rationem in omni morſu aut ictu uenenato.

Igitur in omni morſu uel ictu animalis, quod uenenum uibrat, gemina eſt Galeno libro decimotertio methodi medendi, curandi indicatio: nempe uirulenti ipſius liquoris uacuatio, & eius quod dolorem creat, alteratio. Sanè (inquit) uirus eiaculatum uacuant, tum excalfactoria medicamenta omnia, tum quæ citra calefactionem uehementer trahunt: ueluti & cucurbitulæ & cornua quædam, quibus nonnulli cucurbitularum uice utuntur. Sunt autem & qui ore ſuo uirus extrahunt, ægræ uidelicet particulæ admoti, ipſumq; uulnus labij cóplexi. Huc ſanè pertinet & cauterium & medicamenta, quæ cauterijs ſimiliter eſcharam efficiunt. At hæc omnia totam eius quod infeſtat, ſubſtantiam exinaniunt. Alterũ auxiliorum genus eſt eorum quę q̃ualitatem per contrariam qualitatem alterãt. Scilicet exhibentibus nobis, ſi uehementem calorem æger uel in ipſo demorſo loco, uel in toto corpore ſentiat, auxilia refrigerantia. Sin frigus ſentiat, calefacientia. Hactenus Galenus. Eius autem compendioſam dictionem, & uniuerſalem methodũ ſic interpretamur. Inter ea quæ uirus è profundo euocant, primò medicamenta enumerat quæ calfaciendi facultate prædita ſunt: deinde cucurbitulas & cornua: poſtea uerò oris ſuctionem: & poſtremò uſtionem, quæ uel ferro, uel medicamẽtis fiat. Itaq; de his ſingulatim nobis dicendum eſt, quò res peruia magis cuiq; euadat, ac modus uſus eorum neminem lateat.

1. Virus in corpus morſu uel ictu eiaculatũ, quibus auxilijs uacuetur.
2. Alteratio eius quod dolorem creat.

Aduerte.

Id unum autem in primis omnes ſcire uolo, ea quæ modò ex Galen. retulimus auxilia, & id genus alia quæ mox ſubiungemus, ſi primis diebus prætermiſſa fuerint, fruſtrà poſtmodum adhiberi. Non enim uirulentam illam materiam, quæ iam ad intima, neglecta curatione pertranſijt, ſatis euocare poſſent. Quare nulla utique adiectionis eorum foret utilitas, ſed incaſsùm corpora doloribus ſternerentur. Inter ergo principia morſus aut ictus illati, hæc & ſimilia afferẽda erunt.

Membrum demorſum ſupra uulnus deligãdum.

Sed & priuſquàm hæc, quæ ſic uenenum extrahunt atq; eliciunt, admoueantur, ſupra uulnus membrum id, quod uel demorſum uel ictum eſt, deligandum erit, non tamen nimiùm uehementer, ne torpeat: Hac enim deligatura impedies, ne tam ſubitò uirus interna ſubeat.

Oris ſuctio.

Itaque ſi leuior morſus aut ictus eſt, oris ſuctio apprimè conuenit: Homo igitur aliquis ſtatim adhibendus eſt, qui uulnus exugat. Sugentem uerò oportet ieiunum non eſſe, ſed & cibum ſumpſiſſe, & uino os colluiſſe, poſtea exiguum olei in ore continens, ictum exugat, & expuat uenenum. Cauere etiam oportet, ne qui uulnus ſic exucturus eſt, internam aliquam oris partẽ exulceratam habeat. Siquidem uenena (ut ſuprà ex Celſo retulimus) non guſtu, ſed in uulnere nocent. Sed & locus ipſe priuſquàm exugatur, ſpongia in poſcam calidam immerſa, fouendus ac proluendus erit. Alij uulnus abluendum aqua cenſent, in qua decoctum ſit chamæmalum, & ſylueſtris lapathi radix. Sunt qui gallinarum aut aliarum quarundam auium podicem uulneri admouent, ad uirus exugendum. Quòd ſi quæ applicatæ fuerint uolucres, moriantur, uenenum extractum eſſe ſuſpicantur: poſt hæc uerò cinis aceto ſubactus, pro cataplaſmate imponatur. Maximè autem ad hanc rem conducit, cinis ſarmentaceus, id eſt, ex lignis uitis, uel ficulneus, aut laurinus. Qui ſi non adſit, eo, qui haberi poteſt, utẽdum eſt, diligentia (inquit Aëtius) ad hoc potiſsimùm adhibita, ut inflammatio in loco excitetur, & materiæ ad morſum prouocentur. Sal quoque his uulneribus, pręcipueq;

Venena non guſtu, ſed in uulnere nocent.

Sal morſui canis rabidi opti

cipueq;

cipueq; ei (ſi Celſo credimus) quod canis fecit, medicamentum eſt, ſi manus uulneri imponitur, ſuperq; id duobus digitis uerberatur. Exſaniat enim ac ſalſamentum quoq; rectè ſuper id uulnus deligatur. Porrò in omni morſu tam uenenato quàm non uenenato, Dinus hoc unguento utebatur. Recipe ceræ, picis nigræ, axungiæ ueruecinæ, olei antiqui ana. quart. unum, galbani unciam unam: fiat unguentum. mum medicamentum. Vnguentum Dini.

Morſibus uerò aut ictibus uenenatis magnis, ac uehementioribus commodè illinuntur, cepæ cum ſale, & ruta, ſinapi quoque, & ſtercora. Item iuglandes nuces cum allio, ſale & melle. Emplaſtra quoque, & cataplaſmata ex Dictamo, & alijs medicamentis calfactorijs, quæ uehementem trahendi uim habent, apparata. Plurima enim ex ijs non modò uirus ipſum potenter eliciunt, ſed & uulneris oras (præſertim in rabidi canis morſu) latas ac hiantes ſeruant. Neque enim „ permittendum, ut hæ citò coëant, aut committantur. Præter opinionem autem „ facit Aëtio, ex uiperis theriace Andromachi, emplaſtri modo impoſita, & com- „ poſitum hoc ſequens medicamentum: quod recipit ſpumæ argenti, ceruſæ, reſi- „ næ pinus, ſingulorum libram unam, olei ueteris libras tres, ceræ uncias ſeptem, „ ammoniaci thymiamatis trientem, id eſt, uncias quatuor, galbani etiam trien- „ tem: ceruſam, argenti ſpumam, & oleum coquito, donec non inquinent manus, „ deindè liquefacta adijcito, unito, & utitor repoſito ad omnem morſum, & ad „ abſceſſus & tubercula mammillarum, panos, ſinus, fiſtulas, parotidas: ad miracu „ lum enim (inquit) diſcutit ipſas. Vtitor & ad carbunculos. Arcet uehementer „ inflammationem, & rarò citra magnam commoditatem, & efficaciam adhibetur. Porrò in magnis quoque ac uehementioribus, tum ictibus, tum morſibus potens eſt hoc ſubſequens emplaſtrum, quod acrioris eſt potentiæ. Recipe galbani, ſagapeni, opopanacis, aſſæ fœtidæ, myrrhæ, piperis, ſulphuris, ſingulorum ſemunciam, ſtercoris columbini, & anatis ana uncias duas, calaminthæ, mentaſtri ana unciam unam: diſſoluantur gummi ex uino, & in unum miſceantur omnia cum melle, & oleo antiquo, & fiat emplaſtrum. Plæraque alia tum ex ueteribus, tum ex recentioribus adduci poſſent, quæ uel commorſam uel ictam partem uehementer calfacere & uellicare poſſunt: proindè & uenenum euocare. Verùm quoniam iterùm de hac re dicemus libro ſexto, hæc abundè ad præſens ſufficere putamus. Interim tamen monemus cum Eraſiſtrato, ut incognita, peregrina & inuſitata uitentur. Cuiuſmodi ſunt fel elephanti, oua crocodili, & conſimilia, quæ difficile niſi regia facultate perueſtigari poſſunt. Adde quòd neque frequenti obſeruatione (ut Dioſcorides ait) hæc ſufficiens experimentum præſtiterunt, quo noſtra fides ijs obſtringatur. Iam uerò tempeſtiuum eſt, ut de cucurbitulis & cauterijs dicamus: utriſque enim etiam uirus è profundo euocamus.

Auxilia aduerſus magnos & uehementes morſus & ict° uenenatos.

Aëtius.

Guid. empl. acrioris potētiæ.

Ergo ſi uehementior morſus eſt, cucurbitulam cum largiori flamma ad uulnus affigito. Sed antè circunſtantia loca altioribus ulcuſculis (ſi id membrum patitur) ſcarificato, quò plus uitiati iam ſanguinis extrahatur, & ut ſanguinis illius corrupti uacuatio obſiſtat, ne uenenum membratim inſinuetur. At trahetur enim pluribus quaſi canalibus & foràs euocabitur, unà cum ſanguine & ſpiritu ipſius uirulentæ beſtiæ uenenum. Si cucurbitula non eſt, quod tamen uix incidere poteſt, tum quodlibet ſimile uas, quod idem poſsit, ut caliculus uel pultarius (ut inquit Celſus) oris compreſsioris. Optimè autem auxiliantur, ſi ſtatim in principio poſt amotas cucurbitulas ſuper uulnus imponantur, & conuoluantur animalia parua diſcerpta, hoc eſt, per medium diuiſa, intus adhuc calentia, ueluti ſunt gallinaceus pullus, ſed mas præſertim, hœdus, agnus, & porcellus. Sic uerò calida eorum caro ſtatim percuſſo loco imponenda eſt, ut pars interior corpori iungatur: uenenum enim exugunt, & dolores leniunt. Ferè autem inter cætera animantia magis placent, gallinarum pulli: quippe qui calidiore na

Cucurbitula.

Animalia parua diſcerpta & uirulento morſui admota.

Gallinarum pulli.

tura præditi ſint.argumento,quod deuoratum inſigne uirus eliquent, & aridiſsima quæque ſemnia conſumant.Item nõnunquàm arenas,lapilloſque, quos faucibus inſinuarint,diſſoluũt. Itaque animãtis calore ſpiritus ictæ partis impetum capeſſens,uenenum erigit. Porrò à maioribus canis rabioſi morſibus,abſcedẽtes carnes, hinc auferre, & labia acie ſcalpelli circunſcribere, ac prehenſam hamo carnem amputare oportet:ſi modò tamen locus neque neruoſus,neque muſculoſus eſt.Hæc itaque carnis circinatio,ſeu circumſcriptio,& ſectio, ſcarificatione longè potentius opitulantur. Quòd ſi locus carnis circunſcriptionem, & ſectionem non admittat,cucurbitulæ (ut diximus) cum largiori flãmma affigendæ ſunt. Nec uerò maiora hæc uulnera in demorſis à rabioſo animante, ita uereri oportet, uti minora, & ulcuſculis cutis ſimilia: maiori nanque uulnere copioſus ſanguis emanans, poteſt nonnihil uirulenti liquoris exhaurire: quod in minoribus non accidit.

Abſcedentes carnes amputandæ.

Maiora uulnera in demorſis à rabioſo cane minus uerenda quã minora.

At uerò & uſtio,contra ipſos uirulentos morſus,aut ictus, cum locus neruoſus non eſt, & tutò inuri poteſt, expediſsimum cenſetur auxilium, utpotè cum ignis cætera uiribus præſtet:ſimul quòd uirus domet,ipſiúſque uires hebetet,& penitus ferri,hoc eſt,ad intima illabi non patiatur ſimul quòd pars ignem experta,deinceps non uilem,nec indecoram loci inſtaurationem efficiat,manente diutius exulceratione.Si uerò uri non poteſt, Cornelio Celſo authore, ſanguinẽ homini mitti, non alienum eſt,tum uſto quidem uulneri ſuperimponenda, quæ cæteris uſtis ſunt.Ei uerò,quòd expertũ ignem non eſt,ea medicamẽta,quæ uehementer exedunt,& ſi laborãs patitur,quæ adurũt,& cruſtas ulceribus inducunt.

Vſtio expeditiſsimum eſt auxilium.

Sanguinis miſsio.

Cæterùm animaduertendum, ex eo tempore, cum cruſtæ (ſeu igne, ſeu adurentibus medicamentis inductæ fuerint) decident, ne ulceris oræ coaleſcant, & cicatrice obducantur.Sed ſi fieri poteſt, ad longum præfinitum tempus ulcerationes,& ſordidas adhuc,& inflammationem minãtes,prorogari conuenit,quò uiroſa materies ſemper effluat,non autem intus contineatur,& ad intima ſe inſinuet.Id autem optime præſtabit,inditũ ijs (ulcerationibus inquã) ſalſamentum & ſylueſtre allium detritum:item cepæ, & id genus alia. Si uerò (quod perſæpe accidit)ante dies præfinitos, cicatrices coirent committerentúrque, manum poſtulabunt.Nanque eas diducere, carnémque ſcalpello circinare, aut iterũ inurere expediet. Vbi uerò propoſitum tempus præterijt,ulcus ad cicatricem perducendum erit. Quandoque etiam (ut ſuprà diximus) haud importunum fuerit,partem ictam,ſi commodè ſectionem nõ reſpuat,ut ſunt extrema, amputare: præſertim ſi fera quæ momordit,aut ictu uulnus impreſsit,letalis ſit,& ineuitabile periculum afferat, cuiſmodi ſunt ſerpentes omnes, ut aſpis, ceraſtes, uipera, & conſimiles.

Vlcerationes ex morſu uirulento in lõgum tempus prorogandas eſſe.

Membri demorſi aut icti amputatio.

De uulnere, cum profuſione ſanguinis, ex uenis, & arterijs. Cap. XII.

POSTEA quàm uulneribus,quæ carnoſis partibus incidũt,abundè ſatis determinatum eſt,nunc tepeſtiuum uidetur Galeni doctrinam atque inſtitutum ſequentes, de ijs uulneribus dicamus, quæ in arterijs & uenis fiunt. Ergo ſi cui arteria uená ue magna uulnerata eſt, & copioſum ſanguinis profluuium continuo ſuperuenit,& glutinari id uulnus,difficile quidem etiam in uena eſt, in arteria uerò non ſolum difficile, ſed etiam quod fieri (ſicut nõnullis medicorum eſt uiſum) omninò fortaſſe non poſsit. Dicendum ergo de utriſque eſt, uulnere inquam, in arteria, aut uena accepto, & hæmorrhagia, ac prius quidem de ſanguinis profluuio, quippe quod magis urgeat:ſecũdo uerò loco de ipſius uulneris agglutinatione,ac curatione.Sanè profluit ex uena,uel arteria, ſanguis, aut tunica earum diuiſa, aut reſerato earum ore (Græci ἀνασόμωσιν uocant)aut(ut ſic quis dicat)ratnſcolatus, ſiue tranſmiſſus,ut in diapedeſi. Verùm quoniam in duabus poſterioribus cauſis ſolent magis medici

Gal.lib.5.metho.medẽdi.

Profuſionis ex uena, uel arteria cauſæ

medici,quos phyſicos appellant, accerſi:hic duntaxat agemus de ſanguinis effu ſione, quæ ex prima cauſa ortum habet, & uulnera conſequitur, hæc nanque ad chirurgum magis uidetur pertinere. Cæterùm ſanguis profunditur interdùm ex arteria,interdùm ex uena,atque ex earum quidem aliquando una duntaxat: nonnunquàm uerò ex pluribus, iiſdémque, uel maioribus, uel minoribus. Sed & ſanguinis eruptio,accidit ex eo interdum uulnere,quod cum amiſsione fit ſubſtantiæ:aliquando uerò ex eo,in quo nihil ſubſtantiæ deperditum eſt. Interdùm etiam cum eroſione: interdùm uero citra eroſionem, quæ Græcis διάβρωσις dicitur.Item quandoque iam profluit ſanguis, & quandoque poſteà fluxurus eſt. Interdùm quoque cauſa huius profluuij ſanguinis apparens eſt, quæ in uena aut arteria diuortiũ facit,cuiuſmodi eſt ſagitta,telúm ue aliquod, aut eroſio præſens,& non ex uulnere excitata. Hæ itaq; ſunt differentiæ præcipuę, profuſionis ſanguinis in uulneribus,à quibus curandi indicationes deſumuntur. *Differentiæ.* *Diabroſis.*

Porrò cauſæ fluoris ſanguinis, ex diuiſione tunicę uenarum, aut arteriarum, ſunt, uulneratio, contuſio,ruptio,eroſio. Quæ autem uulnerant, ea ſunt acuta, atque ad ſecandum habilia:cuiuſmodi ſunt ſagittæ, & gladij. Quæ cõtundendo ſoluunt,ea grauia duráque ſunt, ut ſunt lapides, aut quæpiã grauis moles. Quæ rumpunt omnia id tenſionis interuentu faciunt. Tenſionem autem efficiunt, intentior actionis uehementia, ſucci abundantia, non utique uirium reſpectu, ſed quæ cum à uaſe ſuo nõ continetur:etiam caſus ab alto,& graue quippiam durũque incidens.Eroſio autem uenis & arterijs intrinſecus ſaltè accidit,ex ſucco aliquo,cui mordens natura inſit,ut eſt bilis flaua uel atra ſuperaſſata.Ex ijs itaque manifeſtum euadit, quòd uenæ, uel arteriæ uulnerari non poſſunt, quin cutis & caro uulnerentur.Proindè ſuppreſſo iam ſanguine,glutinandi,ſeu(ut dicunt)incarnandi indicationes, ab ipſis (carne inquam & cute) ſumendæ ſunt, ut in ſequentibus dicetur. *CAVSAE.* *Eroſionis cauſę internę*

Signum uenæ, atque arteriæ inciſæ, eſt ſanguinis profuſio. Quòd ſi ſanguis cum impetu ac ſaliendo profluat, & tenuis ac flauus feruénſque appareat, arteriam diuiſam eſſe ſignificatur. Si uerò craſsior & nigrior conſpiciatur, ac quietè, ſine pulſu, & citra ſaltum effundatur, iudicium eſt ipſum à uena effluere. Hæmorrhagia,id eſt, ſanguinis profluuium, omnium calculo ac iudicio periculoſa eſt. Niſi enim conſtiterit ac ſupprimatur, mortem affert ineuitabilem. Quippe quòd ſanguis(ut dici ſolet)naturæ ſit theſaurus.Ad hoc ſyncope, conuulſio, delirium,ſingultus in hæmorrhagijs malum portendunt,ut Auicenna poſt Hippocratem annotauit.Porrò ſubit admirari, quod Arnaldus ſcriptis prodidit: Nempe quod arteria per tranſuerſum diſſecta, promptius coaleſcit, & agglutinatur, quàm ſi ſecundum longitudinem eſſet diuiſa. *Diſcretio quando ſanguis ab arteria,& quãdo à uena reijcitur.* *Prognoſtica.* *Aphor.3. lib.5.*

Curatio profuſionis ſanguinis ex uulnere.

CApita methodi,qua ſanguinis profluuia,quæ ad manum ſunt, curãtur, duo traduntur à Galeno,quibus Auicenna tertium addit. Vt igitur omnium fiat mentio, hæmorrhagia trifariàm ſiſtitur.

Primò ijs quæ fluxionem auertunt, tum deriuando, tum reuellendo: ſecundò infrenantibus atque intercipientibus fluxionem:& tertiò, topicis, id eſt, localibus auxilijs. *Modi tres ſiſtẽdæ hæmorrhagiæ.*

Porrò ex ijs, quæ ſanguinis profluuium auertunt, tam à uenis, quàm arterijs ſanguinem fundentibus (huic enim hæmorrhagiæ proprię debentur auertentia eiuſmodi auxilia) quædam id efficiunt citra ullam extra corpus uacuationem: alia uerò cum euacuatione. Citra uacuationem, fluentem è uaſis ſanguinem auertunt & aliò trahunt, cucurbitulæ ſiccæ ſeu leues, & cum flamma admotæ, frictiones, & ligaturæ, primùm in propinquioribus partibus factæ: deindè in remotioribus.Auertitur autem ſanguis cum euacuatione, atque ad alia membra *Auertentia. I.*

cõuertitur, tum ad proxima deriuatus, tum ad cõtraria reuulſus uena in ea parte inciſa, quæ profuſioni è directo reſpondet, quęq́ue ipſis membris ſanguinem

Lib. 5. meth. medendi.

fundentibus coniuncta eſt. Itaque hæc (inquit Galenus) Hippocratis inuenta » ſunt. Omnis ſcilicet immodicę uacuationis, communia remedia. Deriuatio ad » latus & ad uicina fit, reuulſio ad contraria, non tamen ſemper ad remotiſsima, ut falſo quidam putauerunt. Illam parocheteuſin, hanc antiſpaſin Græci uocant

Parocheteuſis Antiſpaſis.

Antiſpaſis igitur, id eſt, reuulſio, in ijs, quæ ſuprà ſunt, omnibus, deorſum ſemper agitur: ſurſum, in ijs, quæ ſunt infrà. Præterea à dextris ad ſiniſtra, ſicut ab ijs rurſus ad illa: ſimiliter ab ijs, quæ intus habentur, ad ea, quę foris ſunt: contráque ab his, ad illa. Itaque ſi reſolutus adhuc æger non ſit, uena (uti diximus) in eo loco ſecanda erit, quæ profuſioni ſanguinis è directo reſpondet, & uulneratæ parti coniuncta eſt, ſiue deriuare, ſiue reuellere ſtudueris. Vbi autem paululùm detraxeris, mox unam horam intermittens, rurſus modicum quid detrahes: poſt iterum, atque iterum, pro laborantis uiribus, ut Galenus conſulit libro quinto Therapeutices methodi. Sed de hac ſanguinis in uulneribus detractione, latius alibi ſuperius diximus.

Quæ ſanguinem ſiſtant in craſſando.

Cauſę ſanguinem infrenantes, atque eius fluxum intercipientes, quædam ſunt incraſſantes ac inſpiſſantes, ut lentes, oriza, iuiubę, cotonea mala, quæ Græci κυδώνια uocant, & in uniuerſum fructus omnes ſtyptici, hoc eſt, auſteri, in hunc uſum offerri ſolent in omnibus ſanguinis profuſionibus. Aliæ uerò

Quæ ſupprimant ſanguinem ſtupefaciendo.

ſunt ſtupefacientes, ueluti aqua frigida, tum epota, tum circa locum, ex quo profluit ſanguis proiecta. Non autem ſupra uulnus ipſum: ulceribus enim frigidum mordax. Item res omnes, quæ inſigniter refrigerant, ſicuti & ſyncope,

Quæ refrigerando ſanguinem fluere inhibeant.

ſeu animi deliquium, in quo propter ſanguinis ad interiora reuocationem, totus corporis habitus refrigeratur, & ſanguis ſiſtitur, ut loco nuper citato Galenus annotauit, ad hunc modum ſcribens: Porrò confluere prohibetur » ſanguis & propter animi deliquium, & cum ad contraria reuellitur, & cum ad » uicina deriuatur: & per refrigerationem, tum corporis totius, tum uerò precipuè ipſius partis afflictæ. Hac enim ratione, etiam frigida pota, ſæpe hæmorrhagias ſuppreſsit: idem facit & frigida foris infuſa. Sed & quinto Aphoriſmorum in ijs frigido utendum eſſe præcipit Hippocrates, unde fluit ſanguis, aut fluxurus eſt, non ad ipſa (inquit) ſed circa ipſa, unde influit.

3.
Topica auxilia.
Quinque auxiliorum genera localia quibus hæmorrhagiæ ſupprimuntur, in uulneribus.

Topica, hoc eſt, localia, remedia, quibus ſanguis cohibetur, tametſi numero octo ponantur ab Auicenna, ea tamen nunc ad quinque reduximus. Primum genus auxilij fit per ſuturam: ſecundum, per linamenta, quos μότους Græcè uocant, uel per penicillum ſiue turundam, quod aiunt: tertium remedium eſt totius uaſis ſanguinem fundentis præciſio: quartum deligatura, & uinculum: quintum eſt aduſtio per candentia ferramenta, uel per cauſtica medicamenta.

1.
Sutura ſanguinẽ coercens.

Primus modus coërcendi ſanguinem, qui per ſuturam fit, his maximè uulneribus competit, in quibus nulla facta eſt ſubſtantiæ deperditio. Tunc autem commodè fit ſutura, cum uulnus ipſum à ſanguine concreto, qui thrombos Græcè dicitur, integrè eſt repurgatum. Itaque hoc peracto, ipſius uulneris labra in idem adducenda ſunt, noſtrarum manuum opera: ubi ſic ad manum uulnus ſe exhibet, poſteà conſuantur, ſutura quidem communi, uel ea quam pelliones facere ſolent, præſertim ſi magno impetu ſanguis prorumpat. Dum autem ita ſuitur uulnus, ſatis altè acus in carnem demittenda eſt. Poſt hæc, puluis aſtrictorius ſuperponendus erit. Deindè ſtupæ oui candido liquore, & puluere illo aſtringente, cuius in ſequentibus fiet mentio, imbutæ, ſuperimponendæ erunt. His

Situm partis ad hæmorrhagiã plurimum conducere.

ritè peractis, membrum affectum deligandum erit, & ſitu appoſito collocandum. Appoſitus enim uulneratę partis ſitus, inter hæmorrhagias remedia Galeno cenſetur. Quòd autem modus is ſupprimendi ſanguinem, utilis ſit, ex eo manifeſt

manifeſtum euadit, quòd labra uulneris prius hiantia, & adinuicem diſtantia, in unum adducũtur,& inter ſe committũtur,locus affectus refrigeratur,& aſtringitur. Quæ omnia in hoc affectu Galenus deſyderat, libro quinto ſuæ methodi medendi. Sed & ſæpe aſſerit Auicenna in quarto, neceſſarium eſſe ut carnis uulnera conſuantur. In quo etiam Theodoricus, & Henricus conſentiunt. Dicunt tamen plurimi Galenum non præcipere uenarum, arteriarum, & inteſtinorum uulnera, ſuenda eſſe, quippe quòd dura nimis, & exanguia ſint, atque ideò agglutinari, & in priſtinam unionem coire non poſsint. Verùm pace illorum (inquit Guido) dixerim, non inhibuit Galenus, ſuenda eſſe uenarum & arteriarum uulnera: quòd ſi id tacuit, certè affirmaſſe uidetur. Quinimò & litera ipſius Galeni, « quod dicimus planè innuere uidetur, quæ ſic habet: Neque enim ſuere fas eſt, ar- « teriæ, uenæ ue uulnus, ueluti dixerunt, qui nullam à uulneratæ partis ſubſtantia, « naturáque ſumi indicationem aiũt. Sed tu (ſubaudi) per regulam oppoſitorum, nos qui ſumimus indicationem à ſubſtantia, & natura partis uulneratæ, ſuemus eas. Quòd ſi non ſeorſum ac ſeparatim, coniunctim ſaltem cum carne, ad modum peritonæi, id eſt, ut peritonæum ſuere conſueuimus. Atque ita ſi non iuxta primam intentionem coeant, atque agglutinentur, ſaltem iuxta ſecundam (uti ſuperius in ſermone communi diximus) coibunt.

An uenarũ & arteriarũ uulnera ſuenda.

Lib. 5. meth. medendi.

2. Secũdus modus ſupprimẽdi ſanguinem

Secundus modus ſupprimendi ſanguinem, qui fit per linamenta, & uulneribus in quibus aliqua eſt ſubſtantiæ deperditio, potiſsimum accommodatur, ita perficitur. In primis uulnus ipſum puluere aliquo, qui aſtringendi facultatem habeat, reſpergito, deinde linamentis, uel ſtupis hiantem plagam oppleto: ſiccis quidem primum: deinde ſi hæc parum proficiũt, aceto, uel ijs medicamentis, quæ ſanguinis ſupprimendi facultatem habent, madefactis: ſupráque ſpongiam ex aqua frigida expreſſam imponito, ac manu ſuperpoſita, eam comprimito, uel alligato: & poſt hæc membrum appoſitè (ut ſuperius dictum eſt) collocato. Qui ſanè modus ſiſtendi ſanguinem apprimè utilis eſt, ut loco paulò antè ci- « tato teſtatur Galenus, ſic inquiens: Obſtruetur uaſis [ſanguinem fundẽtis] oſcu- « lum, & ſanguine ipſo concreto, qui thrombos Græcè dicitur, & ijs, quæ foris « illi imponuntur: cuiuſmodi ſunt linamenta, quos μότους Græcè uocant, & medi- « camenta ea, quæ iccircò quòd ex lenta craſſáque ſubſtantia conſiſtant, meatus « obſtruunt, Græci emplaſtica uocant. Horum autem optima ſunt eidem, quæ ex frixa reſina, & farinæ triticeæ tenuiſsimo polline, & gypſo, alijsq́ue id genus ſunt confecta, oui candido macerata, & cum leporinis pilis impoſita.

Quomod. obſtruatur os uaſis.

3. Tertius modus ſiſtendi ſanguinem.

Lib. 5. the.

Tertius modus ſiſtendi ſanguinem, qui fit, totum uas ſanguinem fundens, per tranſuerſum præcidendo, competit maximè uenis, & arterijs, quæ in profundo ſitæ ſunt, ut idem Galenus eſt author. Cogimur (inquit) nó modò arterias, ſed etiam interdum uenas totas præcidere, utique tranſuerſas. Incidet autem huius neceſsitas in ijs, quæ ex profundo loco rectè aſſurgunt, præſertimq́ue per anguſtas, uel principes particulas. Quippe ita retrahitur ex utraque parte, pars utraq; celatúrque, ac integitur, ſuperiacentibus corporibus uulnus. Poſt hæc, puluis aliquis ſanguinem cohibens, ſuper uulnus imponendus, & ſtupæ, uel ſpongia medicamentis facultatem ſupprimendi ſanguinem habentibus, imbuta, ſuperalliganda erit, & figura particulæ uulneratæ accomoda, adhibenda.

4. Quartus modus ſupprimendæ hæmorrhagiæ.

Quartus modus ſupprimẽdæ profuſionis ſanguinis, qui fit funiculo uaſi ſanguinem fundenti circumpoſito, competit præſertim arterijs, quæ in penitioribus delitеſcunt. Itaque ſi alia auxilia profluuio uincũtur, arteriæ nudandæ ſunt, ut Auicenna præcepit, & hamo apprehenſæ, mox uinculo aliquo gracili, ut filo ſerico excipiendæ, ac fortiter ſtringendæ ſunt. Poſt hæc medicamentum agglutinans, ſiue incarnatiuum, uulneri apponendum erit, & membrum faſcijs, ut oportet, deligandum, ſitúque appoſito collocandum. Porrò uinculũ ipſum radici uaſis erit inijciendũ, ut libro quinto methodi Galenus nos admonuit. Tutius

autem eſt iuxta eiuſdem Galeni ſentententiam, utrunque facere, funem quidem radici uaſis circundare,& quod deinceps habetur,id eſt,inde procedit,præcidere.

Radix uaſis, quæ.

Radicem uaſis uocat hîc Galenus,priorem eius partem, quæ uel iecinori propior eſt,uel etiã cordi.Hæc(inquit)in collo,ab inferiore eſt parte inbrachijs,& cruribus, à ſuperiore.In ſingulíſque reliquarum partiũ, prout ex diſſectione intelligere licet. His ſic peractis, implendũ carne uulnus quamprimùm eſt, priuſquã funiculus à uaſe decidat. Niſi enim producta caro prius locum,qui circa præciſam arteriam eſt,impleuerit,ſi locus aliquis uacuus ſuperfuerit,utiq; quod Græci aneuryſma dicunt, ſequitur.

Quintus modus ſiſtendi ſanguinem.

Lib. 5. therap.

5. Quintus modus,excretionis ſanguinis ſiſtendæ,qui per aduſtionẽ fit qua cruſta(quam Græci eſcharã uocant) inducitur, maximè cõpetit uenis,ſuę unionis diuortium ab eroſione perpeſsis,Galeno ipſo authore ſic ad uerbum inquiente: Maximam autẽ neceſsitatem,uel cruſtificis,id eſt,cruſtam inducẽtibus medicamentis,uel ignitis ferramentis utendi animaduerti, ubi ex eroſione putreſcentis alicuius profluuium ſanguinis concitatur. „ Hic itaque modus ſiſtẽdi ſanguinem perficitur,tum candentibus ferramẽtis,tum medicaminibus cruſtam inducentibus,quibus cũ calore aſtringendi facultas ſit coniuncta. Cuius generis ſunt chalcantos,id eſt,atramentũ ſutorium,miſy,& chalcitis,ſeu quod uitreolũ uulgò appellatur, ijſqúe tam uſtis,quàm nõ uſtis. Quæ autem ex calce uiua,id eſt,non extincta conficiuntur,ualẽtiora quidem his ſunt:cæterũ quia aſtringendi uim non habẽt cruſtæ,quæ ab ipſis fiũt, citius excidũt. Hærent autẽ diutius,quæ ab aſtringentibus:quod utiq; longè eſt utilius. Quippe ita prius in baſi, ſeu in imo earum caro ſupernaſcitur, efficitúrque uaſis profluentibus ueluti operculũ, donec uenæ agglutinatio facta ſit. Vnde nec noſmet(inquit Galenus)præcipites eſſe,uelutinonnulli ſunt,ad cruſtas detrahendas oportet,ubi hæmorrhagias periculũ imminet.Si enim properes illas reſoluere,ac deijcere,tantũ inde accidit interdũ ſanguinis profluuiũ,ut uix cohiberi poſsit. Quocircà præcipiebat Auicenna,aduſtionem faciendã eſſe, ferramentis uehementer ignitis, & ualẽter in profundum adactis,quò craſſæ ac profundæ eſcharę fiant,quæ nec facilè ſeparentur atque excidant.

Arſenicũ ſublimatum optimũ ad hęmorrhagias pręſidium.

Hinc Theodoricus cruſtificis, ſeu cauſticis omnibus medicamentis præferebat arſenicũ , quod uocant ſublimatũ : nec ſanè immeritò. Nam & protinus omnem ſanguinis profuſionem ſiſtit,& altam ac diutius hærẽtem cruſtã inducit. Horum autẽ medicamentorũ cruſtam inducentiũ materia,ſuo loco(nempe lib. ſexto)explicabitur. Porrò ipſa ferramenta igne flagrantia, ex aceto aut uino (ut rectè quidã conſulunt) reſtinguere oportet.

Modus alius ſupprimendi ſanguinẽ, qui ſtatim fluxurus eſt.

Cæterum alius quidã ab ijs modus eſt peculiaris reprimẽdi ſanguinem, qui tametſi nondũ adhuc profluat, mox tamen fluxurus eſt:ut cum ſagitta,telúm ue aliquod corpori infixũ,extrahendũ eſt Itaq; cum hæc occaſio nobis occurrit, puluilli tres aut quatuor apparandi ſunt: rotundi quidem,& circa medium(ut ſic dicatur)feneſtrati perforatí ue, medicamine aliquo ſanguinem coercente delibuti.His ergo ritè ſic apparatis,ipſius teli infixi ſtipitem , ſeu haſtile, per foramen imittito, ipſóſque puluillos circa haſtile ſtringendo,miniſter aliquis, ſupra uulnus comprimat.Medicus uerò ipſe uulnerarius ſagittam,uel aliud quoduis telum infixum extrahat.Exempto telo puluilli ſunt adæquandi, ita ut nullum amplius foramen in illis pateat, & ſupra uulnus comprimendi:dein alij non pertuſi ſupra illos ſunt apponendi.

Præcepta quędam, de ſupprimẽdo ſanguine obſeruanda.

Hi igitur ſunt modi, quibus ſanguis à uenis, & arterijs uulneratis profluens cohibetur,qui ut arte,& ratione fiant, ſequentia præcepta obſeruanda ſunt.

Digitus comprimens.

Primum eſt Galeni libro quinto Therapeutices methodi, qui in omni fluore ſanguinis ex uulnere iubet,ut is qui uulnerato aſtiterit, illicò digitum ſuper os uulneris uaſis imponat,blandè innitens,ac ſine dolore comprimens.Quippe ſimul (inquit) tum ſanguinem ſiſtet, tum eum concreſcere in uulnere faciet. „ Thrombos enim,id eſt,ſanguis cõcretus,ex ijs eſt auxilijs,quę hęmorrhagiam ſiſtunt,

ſiſtunt,ſicuti & linaméta quos *μοτοὺς* Græci appellant,& medicamenta ea, quæ iiſdem emplaſtica dicuntur.Ideò auté thrombus ſanguiné ſupprimit, quia uaſis ſanguinem fundentis oſculum obſtruit,ut paulò antè diximus.

Secundum documentum eſt, quòd in omni ſanguinis ex uulnere profuſione, poſt admotionem puluer is aſtrictorij tres aut plures, ut uidebitur, panni linei, aut ex ſtupis puluilli, oxycrato primum madefacti, & poſteà expreſſi, medicamento ſanguinem ſupprimente, imbuantur, uulneri agglutinentur, & ſupra ipſum alligentur. 2. Puluilli.

« Tertius canon eſt eiuſdem Galeni, qui per deligaturam docet ſupprimere « ſanguinem,ſic inquiens: Alligandum autem id forinſecus faſcia eſt, ex tenui lin- « teo, cuius faſciæ primi quatuor, quinqué ue amplexus ipſi profluenti uaſi inij- « cientur. Ab hinc uaſis radicem uerſus, ducentur, in quibus uidelicet partibus « radicem uerſus ducere licet.Licet autem ferè in omnibus, præterquàm cerebri « mébranis.Hac quidem deligatura(ut inquit Auicenna)quod confluit,reprimitur,& uena ſanguinem fundens,conſtringitur. 3. Deligatura.

Quartus canon in ſupprimendo ſanguine obſeruandus eſt, ut membrum à quo ſanguis profluit,ſitu appoſito collocetur. Vnde Galenus libro quinto me- « thodi medendi ad hunc modum ait:Præter omnia iam dicta, inter hæmorrha- « gias,id eſt profuſionis ſanguinis remedia cenſetur,& appoſitus uulneratę partis ſitus.Porrò appoſitus fuerit eidem Galeno,uulneratæ particulæ ſitus,ſi ad geminum hunc finem ſit directus. Nempe,ut & dolore pars careat & ſurſum ſpectet, cuſtodito tamen in hac ſitus figura modo, ne dolor incidat. Si uerò uel prona ſpectet,uel doleat non ſolum profluuiũ non ſiſtetur, ſed etiã ſi non ſit, prouocabitur & inflammatio augebitur,pręſertim ſi pars dolore infeſtetur:cùm nihil quidem æquè ſanguinis profluuiũ excitet,inflammationéſque augeat,ac dolores. 4. Appoſitus uulneratæ partis ſitus.

Quintum documentũ ab eodem Galeno præſcriptũ eſt,quo cauetur, ne ante diem tertium deligatura ſoluatur : ubi autem illam tertio ſolueris die, ſi tutò adhuc medicamentum emplaſticum , & ſiſtens ſanguinem, ulceri adhæreat: aliud rurſus ſuper ipſum accommodabis, ac ueluti linamẽtum id quod ex pilis factum inhęſit madefaciens,deligabis:ita,ut initio deligaſti.Sin prius ſua ſponte reiecerit linamentum, radicem uaſis, digito blandè comprimens, ne uidelicet quippiam confluat, hoc quidem ſuſpenſa manu, ac ſenſim adimes:atque alterum impones.Quod etiam eodem,quo & primum(ſi neceſsitas exigat) imbues medicaméto, uel oui candido liquore cum roſaceo ſubacto, uel uino craſsiore & ſtyptico.Ad hunc modum, quoad carne obducetur,ac minuetur uas,curare debebis:utique à principio ad finem uſque (ut ſupra dictum eſt) particulam ſupinam ſeruans. 5. Deligatura ante diem tertium minime ſoluenda.

Sextum præceptum in larga ſanguinis profuſione obſeruandum eſt, ut laborans oculos clauſos contineat,aut loco obſcuriore reponatur, ne uel proprium ſanguinem uel rubrum quippiam uidere poſsit. Atque illi aſſeueratione affirmetur,quod ſanguinis profluuiũ coſtitit:& ſi adhuc ſanguis fluat,magno ipſius cómodo id fieri atque ita cótraria imaginatione,uirtus naturalis ipſius roboratur. 6. Laborans oculos claudat aut loco obſcuriore contineatur.

« Hinc dicebat Auicenna,quod grauiſsimum accidentium animalium,mouen- « tium immaginationé,eſt motus ſanguinis, & cóſecutio eius qui paratus eſt eum « cum multum intentus fuerit,àc conſyderandum res rubras. Auicenna.

« Ceterùm tempeſtiuũ eſt ut ſubijciamus medicamenta, quę ſiſtẽdi ſanguinem uim habent: ſtatutum enim erat nobis poſtremo loco de iis dicere. Itaque primum, atque omnium optimum eſt, quòd à Galeno deſcribitur lib.quinto methodi medendi. Quo etiam ad cerebri membranarum hæmorrhagias uti, ſecuriſsimum eſt.Item ad colli uulnera, ipſarumqúe uenarum iugularium, quas ſphagitidas uocant:etenim & harum ſanguinem citra uinculum prohibet,Verba autem Galeni hæc ſunt: Medicamenta ſanguiné ſupprimentia.

1. Thuris pars una, aloës partis unius ſemiſsi, miſcetur. Mox cùm utendi tem- „
pus inſtat, tantum huius pulueris cum oui candido ſubigitur, quantum mellis „
reddat craſsitudinem. Hoc dehinc leporis molliſsimo pilo excipitur, deinde tú „
uaſi ipſi, tum ulceri toti liberaliter imponitur. Alligandum autem id forinſecus „
faſcia, ex tenui linteo, modo, quo in tertio canone ſuprà dictum eſt. Hoc autem „
medicamento (inquit paulò pòſt Galenus) multifariam utor, aliâs (ut dictum
eſt) duplum thuris aloe admiſcens: aliâs pari modo ambobus utens: aliâs paulò
ſuperante aloën thure, aut etiam pluſculo, ſed nondum duplo: etiam mannam
pro thure aliquando inijciens. Porrò conſtat in duris corporibus, plus aloes eſ-
ſe immiſcendum, in mollibus plus thuris.

Gal. medicamentum ſanguinem ſupprimens.

2. Secundum medicamentum ſumitur ex dictis Auicennæ, quod & ab omnibus
chirurgis approbatur: habet autem ad hunc modum: Recipe boli Armenæ, ſan-
guinis draconis, thuris, aloës ſuccotrini, pares portiones, terantur in puluerem,
qui apponatur, ut dictum eſt.

Auicennę puluis.

3. Tertium medicamenti genus eſt Bruni, qui ipſum deſumpſit ex libro diuiſio-
num Razis, & ex Albucaſe. Recipit autem calcis uiuæ (quæ ſola, ut ſupra dixi-
mus, ſanguinem cohibet & ſiſtit) ſanguinis draconis, gypſi, aloës, thuris, uitreo-
li, ſingulorum æquas portiones, rediguntur in puluerem, & cum oui candido li-
quore, & tela araneorum miſcentur, donec in corpus unum coëant, & ſuperpo-
nuntur. Eſt qui plurimùm commendat gallam combuſtam, maceratam in uino
& aceto, tritámque & ſuper arteriam admotam. Alij in huiuſmodi pulueribus
ſymphyton addunt, quod poſteriores conſolidam uocant.

Bruni medicamentum.

Galla combuſta.

Symphyton.

Curatio vulneris in venâ.

SVppreſſo ſanguine qui ex uulnere profluebat, ad propriam ipſius uulneriscu
rationē mox accedendum eſt, ut ſuperius eſt annotatū. Porrò tametſi (ut Ga
lenus ait) ſanatu difficilior ſit arteria quàm uena, non tamen eſt medicamento- „
rum admodùm diuerſus in utraque uſus, imò ſpecie planè idem, maioris mino- „
ríſque ratione euarians. Quippe tanto ſiccioribus medicamentis eget arteria „
quàm uena, quanto ipſa eſt ſuapte natura ſiccioris temperamenti quàm uena „
Ergo quod uenæ inſedit uulnus ubi ad manum eſt, & citra ſubſtantiæ deperdi- „
tionem, eandem deſyderat curationem ijs quæ in carne accidunt. Nam ſiue ex
recenti ictu factum eſt, id agendum eſt, ut medicamentis ijs, quæ enhæma uocāt,
coëat: ſiue ex eroſione, quæcunque dicta de rebellium ulcerum curatione ſunt,
ea prius ratione diſcernenda, mox ut opere perficiantur, tentanda. Quinetiam
ubi uinculo uas ſis complexus, aut medicamentis ſanguinem ſupprimentibus,
aut ferramētis ignitis uſus, ita, ut facta fuerit ſubſtantiæ deperditio: illúdque tibi
curationis propoſitum reſtet, ut quæ circa uulneris ulceríſue labra ſunt, carne
impleas: ijſdem omninò medicamentis utendum erit, quæ in methodo ſinuoſo-
rum ac cauorum ulcerum ſunt deſcripta.

Lib. 5. meth.

Curatio ulceris in uena.

De vulneribus neruorum, tendonum & ſyndeſmorum, id eſt, ligamentorum. Caput XIII.

VVLNVS neruoſarum partium, Auicennæ libro quarto ſuæ medici
næ, & Galeno libro ſexto methodi medendi, quandoque punctim,
quandoq; cæſim fiunt. Eadem interdùm ſine contuſione, interdùm
uerò cum contuſione accepta ſunt. Ex puncturis autem, quædam
hiant atq; apertæ ſunt, quædam cæcæ, atque occluſæ manent, adeò ut earum ora
ſic conniueant ac inter ſe coëant, ut conſpectum effugiant. Porrò ex diſſectioni-
bus, hoc eſt, ijs, quæ in neruoſis partibus cæſim fiunt, uulneribus, aliæ per tranſuer
ſum, aliæ per longitudinem inflictæ ſunt. Atque ex harum utriſque, quædam fi-
unt ſine amiſsione ſubſtantiæ carnoſæ, quædam uerò cum deperditione ipſius
ſubſtantiæ

Differētiæ uulnerum partiū neruoſarum.

ſubſtantiæ carneæ, cute etiam quæ interueniebat diuiſa, adeò ut neruus nudus appareat. Adhæc nerui tranſuerſim uulnerati, quandoque non ex toto, ſed duntaxat ex parte diſſecti, quandoq; uerò toti præciſi ſunt. Atque in omnibus ijs uulnerationibus, quandoque dolor ingens, & inflammatio, & conuulſio accidunt, quandoq; uerò non. Itaque ab ijs nuper commemoratis uulnerum differentijs, curationis indicationes ſumuntur.

Omnium eiuſmodi uulnerationum cauſæ ſunt ea, quæ incidunt, pungunt ac penetrant & contundunt, ut in ſuperioribus (ubi ſcilicet de cauſis uulnerum in uniuerſum diſſeruimus) oſtenſum eſt. CAVSAE.

Cæterùm ex præcedentibus conſpicuum euadit, quòd neruus uulnerari non poteſt, quin cutis & caro ſolutionem continui, & uulnerationem etiam patiantur. SIGNA & iudicia.

Neruum conuulneratum eſſe teſtantur, dolor ingens, læſio & motus, & ſi in loco neruoſo uulnus acceptum eſt. Sed ab hoc poſtremo, coniecturalis ſolùm nota deſumitur.

Neruis uulneratis aut punctis ex ſentiendi, quod obtinent, acumine, inflammatio & dolor immodicus accidit. Quare & febres & conuulſiones his oboriūtur, quibuſdam & delirium, ob neruorū cum cerebro cōmertiū. Interim uerò in alijs quoque particulæ affectæ locis, inflammationes, & abſceſſus ſuper ipſum neruum conuulneratum, quòd cohæreat, ſolent accidere. Ita quidem indicatur Galeno libro tertio artis medicinalis, ut in ſuperioribus annotauimus. Quæ ſymptomata quiq; affectus ex neruorum uulnere oboriatur.

Si in uulneribus neruorum tumor apparuerit & poſteà diſparuerit, conuulſionis ac delirij periculum imminet. Hinc de tumoribus qui uulneribus ſuperueniunt, loquens Hippocrates libro quinto Aphoriſmorum, in uniuerſum omnes illos tumores damnat, qui derepentè detumeſcunt. Sed & ingens malū portendi ibidem aſſerit, cum uulneribus prauis (qualia ſunt, quæ in capitibus aut finibus muſculorum, & maximè neruoſorum fiunt) tumores omninò non adueniunt. Si in uulneribus (inquit) fortibus, & prauis tumor non appareat, ingens malum. Sequenti quoque aphoriſmo, qui pars eſt antecedentis, docet Hippocrates, tumores omnes prauis maximè uulnerib⁹, cuiuſmodi ſunt ea, quæ neruoſis partibus illata ſunt, ſuperuenientes, quicunque molles ſunt, optimos eſſe, „ contrarios uerò prauos. Molles (inquit) boni, crudi uerò mali. Vbi crudum tumorem uocat, durum atque renitentem, qui opponitur molli. Adhæc, neruo per tranſuerſum uulnerato, ſed non omninò diſſecto, maior conuulſionis metus impendet, quàm ſi totus præciſus eſſet: phlegmone ſcilicet à deſectis fibris, ad non ſectas communicata: cæterùm conuulſione, ab ipſis non ſectis excitata. At ſi totus quidem neruus præciſus ſit, metus præterea nullus inſtat, nec periculum ullum ſequetur: debilis tamen particula manebit, ut prius dictum eſt, cùm de ſpaſmo ageremus. Tumor in neruorum uulnere. Crudus tumor qui dicatur Hippo. Galen. lib 6. Therap.

Meminiſſe prætereà oportet, quòd frigidum, partium neruoſarum uulneribus magis eſt mordax quàm ijs quæ carnes occupant.

Neruea ligamenta, ſiue copulæ, quos ſyndeſmos uocant, cùm ſimillimam habeant tendonibus ſpeciem, ualentiſsimorum remediorum Gale. ſexto Therap. uim tolerant: quippe quòd nec ad cerebrum pertingant, & ſenſu careant. Nam nerui omnes, alij quidem ex ipſo planè cerebro ortum habent, alij ſpinali interueniente medulla. Tendones quoq;, quoniam compoſitam ex neruo ligamentoq; ſubſtantiam habent, quatenus nerui participes ſunt, eatenus ex cerebro oriuntur. Cæterùm minus ſaltem, quàm ipſi nerui conuulſionem accerſunt. Ligamēta nulnerata ualentiſsima tolerant remedia.

Syndeſmus uerò uulneratus, ſi is eſt qui ab oſſe ad os permeat, ac duorum oſſium cōiunctio eſt, & maximè ſine periculo eſt & ipſum quibuslibet ſiccans medicamentis, nihil hominem offendes. Sin is qui in muſculum ſe inſerit, quantò eſt neruo & tendone minus periculo oportunus, tanto utique, niſi ritè, hoc eſt

cautè,& diligenter curetur,reliquis ſyndeſmis magis terrere debet.

Curatio vulnerum partium neruoſarum.

CVratio uulnerum eiuſmodi partium neruoſarum, communis eſt, cum ea, quæ & uulneribus partium carnoſarum accommodatur: hoc uno tamen excepto,quòd ſymptoma illis ſuperueniens,nempe dolor,primo medici ſollicitudinem(cùm nimis contriſtat)ad ſe conuertit.Ita tamen ut uniuerſales ac communes illæ intentiones ſuprà memoratæ,haud prorſus interim negligantur. Hæ autem numero erāt quatuor.Prima quidem extranea,quæ uulneris labris intercidunt,remouere.Secunda,uulneris labra diſsidentia committere.Tertia,commiſſa atq; in unum coniuncta ſeruare. Quarta,particulæ læſæ ſubſtantiam conſeruare.Cæterùm quomodò has intentiones aſſequamur,ex differentijs iam ſuprà enumeratis planè cognoſcemus. Ergo à ſimpliciori exordium ſumentes, de nerui punctura primùm dicemus.

Ingenti dolori primo ſuccurrendum.

In nerui puncti curatione neque unitionem moliri ſtatim oportet, neq; coacta ſeu in unum coniuncta conſeruare: Quin potius cutis quidem uulnus apertum,inglutinatumq; cuſtodire. Itaq; infixa duntaxat (ſi quæ neruis inhæſerint) extrahenda,& particulæ oblæſæ ſubſtantia ſeruanda. Porrò qua ratione defixa euellenda ſint, abundè in præcedentibus oſtendimus. Reliquum eſt igitur, ut quomodò læſæ particulæ ſubſtantia ſeruanda ſit,& ab ingruentibus iniurijs uindicanda,aperiamus.Cæterùm partis ipſius laborantis,hoc eſt, puncti nerui ſubſtantiam optimè ſeruabis,ſi,& dolori (qui ob exactum atque excellentem partis affectæ ſenſum uehementiſsimus excitari ſolet) ſedulò ac maturè occurreris: & phlegmonem fieri prohibueris. Quæ duo ex neceſsitate (niſi obſtiteris) nerui puncturam conſequuntur,& conuulſionem ſubindè accerſunt, ut in præcedentibus iam annotauimus. Vt autem geminum hunc ſcopum aſſequaris,hoc eſt,dolorem ac inflammationem prohibere poſsis, quatuor intentiones rurſus tibi erunt diligenter obſeruandæ.Prima erit recta uitæ inſtitutio. Secunda,materiæ antecedentis ſubtractio: ne ſcilicet ratione doloris confertim ad locum affectum confluat. Tertia corpus à conuulſionis noxa uindicare. Quarta dolorem ſedare,& æruginoſam ſaniem educere.Et hæc quidem puncturæ nerui propria eſt,& maximè peculiaris.Aliæ uerò tres,omnibus neruorū uulneribus ſunt communes.

Puncti nerui curatio.
In nerui punctura uulnus diu apertum ſeruandū eſt.
Symptomata nerui puncturam comitantia.
Quatuor intentiones in curanda nerui punctura, obſeruandæ.

1. *Viuēdi ratio.* Quod ad primam intentionem attinet,præcipit Auicenna,ut cui neruus punctus eſt,uictum in extremo tenuiſsimum ſeruet,iuxta eam formam, quam ſuperius expreſsimus,dum in uniuerſum de uulneribus tractaremus. Locus in quo cubabit æger,tepidus eſſe debebit,ut Celſus nos admonuit.Lectulus uerò mollis,ut Galeno & Auicennę placuit.Sed & collocari quoq; membrum quod ictū eſt ratione certa debet.Optimum etiam medicamentum laboráti quies eſt: moueri enim & ambulare,niſi ſanis alienum eſt.In quiete igitur a c lectulo molli hominem continere oportet.

2. *Materiæ antecedentis ſubtractio. Sanguinis miſſio.* Vt autem ſecundam intentionem aſſequi poſsis , ſequendum omnino tibi eſt Galeni cōſilium,qui libro ſexto methodi medendi, iubet in nerui punctura, corpus totum ſanguinis miſsione inaniendum eſſe, utique ſi uirtus robuſta fuerit,& nihil aliud obſtiterit: etſi nulla etiam adſit in corpore laborante ſanguinis redundantia.Morbi enim magnitudo ac doloris uehementia,corpore etiam plethorico non exiſtente,hoc genus auxilij (ut antea diximus) plærunque deſyderat.Cæterùm in hac per ſanguinis miſsionem uacuatione, ſeruanda ſemper erit locorum affinitas,ut frequenter admonuimus. *Purgatio.* Si uerò uitioſis ſuccis repletum corpus ſit,protinus congruo medicamento illud purgabis. *Frictio.* Leuis quoq; frictio rectè adhibetur,ſed his partibus,quæ longius abſunt à uulnere.

3. De tertia indicatione abundè ſatis dictum eſt in præcedentib.ubi de conuulſione

ſione uulneribus ſuperueniente tractauimus. Itaque ſi puncto neruo, uel quouis modo uulnerato, aut etiam contuſo ſpaſmus acciderit, aut eius metus ingruat, protinus caput, collum atque uniuerſam dorſi ſpinam, oleo liliorum uel communi calente fouebis. Porrò ſi in partibus ſuperioribus, ut manu uel brachio, id genus uulneris neruus acceperit, præter iam cõmemoratas partes, axillas quoque ubertim oleo calenti delinies. Si uerò punctus aut quouis modo uulneratus neruus ex ijs ſit, qui in crure habentur, bubones ſiue inguina, pubes & loca uicina, largo oleo ſtatim erunt imbuenda. Tum per totam ſpinam ad collum, & caput uſque aſcendendum. Sed & tendones & ligamenta, ac loca ipſa uulneri ubiuis illato propinqua eodem modo fouenda ſunt, ut ſexto libro methodi medendi Galenus facere nos edocuit.

Cõuulſionis præcautio.

Cæterùm neruorum uulneribus, ſed maximè punctim inflictis, perperam à principio curatis, maximè omninò inflammatio & putredo ſuperuenit. Ergò cum nerui uulnerati ſic iam inflammatione tentantur, & putreſiunt, farinã hordeaceam aut fabaceam, aut potius eruinam in aqua lixiua aut oxymelite, uel ſyropo acetoſo decoctam, loco phlegmone occupato & putreſcenti ſtatim illinere oportet. Non autem triticeam farinam aut eius generis cataplaſmata, quę particulam putrem efficiunt: imò uerò neq; aquam calidam adhibebis. Hæc enim tametſi reliquis inflammationibus, quas phlegmonas appellamus, ſit accommodatiſsima (ut quæ eas ualde mitiget) uulneratis tamen neruis eſt infeſtiſsima. Ab humectantibus nanque, & calefacientibus medicinis, putredo huiuſmodi affectibus comparatur. Quòd ſi uehemens inflammatio cum maximo dolore infeſtauerit, eruinam farinam aut fabaceam, cum optima ſapa addito pauciſsimo aceto, decoctam illinito: prius tamen parte affecta, oleo calido affatim perfuſa. Tanta uerò interdum ex eiuſmodi puncturis, & neruorum uulneribus oboritur putrefactio, ut ferro candenti uel cauſtico aliquo medicamento (cuiuſmodi eſt Aegyptiacum) eam adurere cogamur.

Si nerui uulnerati phlegmone occupẽtur aut putreſcant.

Aqua calens uulneratis neruis eſt infeſtiſſima.

Haly Abb. & Auicenna ad eiuſmodi phlegmonas, & gangrænas, ſeu putredines, emplaſtro ex metallicis, & aceto præparato utebantur, cuius compoſitio libro tertio de compoſitione medicamentorum κατὰ γένη, à Galeno ſub hac uerborum ſerie deſcripta eſt. Ceræ pondo unc. ſex, olei unc. nouem, myſios pondo unc. ſex, chalcitidis denarij pondo unius, ſquammæ æris pondo unc. duas, & ſemis, thuris pondo, unc. ſemis, galbani pondo uncia. Quæ liquari poſſunt, hoc eſt, cera & galbanum: liquefacta, metallicis in aceto acri prius accuratè tritis, ſuperfunduntur. Hoc pharmacum ignorauit Galenus, quis compoſuerit, neque apud ullum hoc modo citatum unquam (ut ipſe teſtatur) comperit. Eadem tamen præſtare, quæ & alia quædam odorata ſimul & ſumptuoſa, quæ paulò antè recenſet, affirmat. Recentiores autem eo medicamento uti non conſueuerũt, ſed illo potius quod cõſtat farina hordei, fabarum & orobi, in lixiuio ſtillaticio (ut prius diximus) decoctis. Quippe quòd à Galeno & Auicenna maximè ſit celebratum & frequenti experientia, optimum ad hanc rem à multis comprobatum. Addit autem in decoctione Auicenna, mel & acetum.

Exemplum ex metallicis ad gangrænas, & putredines.

Quod uerò ad quartam intentionem conſequendam attinet, quæ neruorũ quidẽ puncturæ magis propria eſt, Galenus libro ſexto methodi medẽdi, ualde multa pharmaca recenſet, ab ipſo excogitata, & deorum quadam prouidentia (ut alibi teſtatur) inuenta. Quæ uulneri impoſita, ad utrunque mirè ſunt cõparata, tum ut dolorem mitigent, tum ut exitum ſaniei patefaciãt. Tutius uerò fuerit in neruis acu aut paxillo, aut quopiam tali compunctis, præſertim ſi in altum receſſum uulnus, hoc eſt, punctura deſcenderit, & conſpectum effugiat, cutim etiam in uulneris orificio aperire ac latius incidere, quò melius ſanies effluat, & commodius ad profunditatem loci, medicamentorum uires perueniant. Porrò alijs cultro raſorio, alijs uerò cauterio cutẽ ipſam aperiendã eſſe magis placet.

4. Doloris ſedatio, & ſaniei eductio.

Puncturæ dilatatio.

Galenus in id genus puncturis,orificium duabus in cutem ſectionibus rectis di-
uidere iubet,libro tertio de compoſit.medicamentorũ ſecundũ genera. Itaque
niſi oræ anguſtiorum eiuſmodi punctuũ aperiantur, conuulſionis periculũ ma-
gis imminet.Quippe quòd obcæcato ita cutis uulnere, nihil à profundo extror
ſum expiret. Facta autem cutis apertione,exiccandũ mox uulnus eſt,ſubſtantia
aliqua tenui,quæ uſq; ad ima nerui offenſi poſsit penetrare,ut libro artis medici

Oleum Sabinum.

nalis Galenus nos admonuit.Cuius generis eſt oleũ Sabinum , præſertim uetus,
quod tanquam utiliſsimum ad præſentem curationem,libro ſexto methodi me
dendi,& tertio de compoſit.medicamen. κατὰ γένη,idem author deligit. Vitan-

Olea aſtringẽtia uitanda.

dum autem(conſilio eiuſdem)omnino eſt,oleum crudum, ὠμοτριβὲς uel ὀμφάκι-
νον duplici nomine Græcè dicitur:& quod denique uim habet aſtringendi, cu-
iuſmodi eſt oleum myrtinum,tribus ſaltem primis diebus. Hoc enim per halitũ
non digerit, ſed obſtruit & perſpiratum prohibet. Præſtat igitur,neruos pun-
ctim ictos,oleo tenui aſtrictione prorſus carente perfundere, quale dulciſsi-
mum eſt,quod longè melius erit, ſi duos aut tres annos tranſegerit. Sed neque
Sabinum etiam ipſum oleum,quamuis ſit tenuiſsimũ, aut aliud quoduis ſimile,

Frigidum punctis neruis aduerſatur.

ut eſt Iaſminũ(quod uocãt)frigidũ admouendũ eſt, ſed calẽs: frigidum nanque
præterquam quòd neruis aduerſatur (ut quinto Aphor. expreſsit Hippoc.) te-
nues quoq; meatus obſtruit,& ipſos anguſtiores efficit: calidum uerò digerit ac

Si dolor uehemens adeſt.

dilatat,doloreſq; magis demulcet.Si uehemẽs dolor laborantẽ diſcruciat, oleũ

Medicamenta quibus uſus eſt Gal. in neruis punctim uulneratis. Lib. 6. meth. medendi.

ex uitellis ouorum commodè adminiſtratur. Ad eandem quoq; intentionẽ in
neruis punctim uulneratis, Galenus ſæpe uſus eſt terebinthina reſina,medicamẽ
to ſanè apprimè idoneo:per ſe quidem in pueris & mulieribus,& generaliter ijs
qui molli eſſent carne:cum euphorbio uerò emollita,in duris corporibus.Non
ſecus autem & propoli, non per ſe modò, uerumetiam cum euphorbio molli-
ens,uſus eſt:& ſi nonnunquam duriora contigerint,cum oleo quodam tenuio-
re. Quin (ſubiungit)& ſagapeno in duris corporibus ſum uſus, utiq; cum oleo »
& terebinthina id miſcens.Sed & opopanace ad eundem modum,quo & ſaga- »
peno. Mihi uerò & lachryma Cyrenaica non inutilis fore uidetur, ſi quis empla »
ſtrum ex ea faciat: cuiuſmodi eſt, quod nos ex euphorbio compoſuimus. Ve- »
rùm(inquit) nondum id experientia, quemadmodum reliqua omnia compro- »

Remediorum per methodũ inuentionem præcedere debere deinde hanc experientia cõfirmare.

bauimus. Quippe præcedere oportet eam,quę à uera methodo proficiſcitur,re »
mediorum inuentionem:huic uerò experientiam ad certiorẽ etiam fidem, ſub- »
ſcribere.Siquidem ex tali methodo etiam ſulphur, quod neq; ignem expertum, »
neq; lapidoſum ſit,ſed omnino tenuium partium,ei cui neruus uulneratus eſſet, »
conducturum ſperauimus. Tantũ eius [ſulphuris inquam] tenui oleo miſcen- »
tes:dum quod ex utriſque miſtum erat, ſordium haberet craſsitudinem. In ua- »
lentioribus uerò durioribuſq; corporibus etiamſi ad mellis craſsitudinem redi »
gas,ſic quoque iuueris. Nam id quoque comprobatum experientia eſt. Hacte- »

Auenzoar.

nus Galenus.Cuius ſententiam approbat Auenzoar,hucuſque rei periculum ſe
aliquando feciſſe teſtatur.Quæ autem de lota calce ſubdit Galenus, neruis de-
nudatis magis conuenire uidentur:Quare in ſequentia ea reſeruamus.

Cæterùm paucis quibuſdam interiectis refert Galenus ſe cõpoſuiſſe empla-
ſtrum ex cera,reſina terebinthina, pice & euphorbio,ad hanc intentionẽ longè

Emplaſtrum Galeni.

optimũ,quo & plurimi ſua ætate,felici ſucceſſu uterẽtur.Recipiebat autẽ ex ce- »
ra partem unam,ex terebinthina & pice,utriuſque partis unius dimidium(ſic ut »
quod ex utriſque cõflaretur,ceræ par eſſet)ex euphorbio uerò,ceræ partẽ duo- »
decimã,etiam plus aliquando,ubi ſcilicet ualentius efficere eſt in animo. Licet »
quoque interim & plus ſit, quod ex terebinthina & pice confit, quàm cera. Li- »
cet rurſus & alterũ eorum tantùm ceræ admiſcere. Quin etiam in penuria tere-
binthinæ reſinæ (quæ uix apud nos reperitur) abietinam, Galeno etiam autho-
re,commodè admiſcebis.Emplaſtro uerò aliquo ex prius memoratis appoſito,

lanam

lanam mollem oleo calente madefactā ſuprà decēter alligabis. Igitur ut ſummatim atque uniuerſim dicamus, quæ in puncti nerui curatione obſeruanda ſunt:
» Galenum ita ſexto libro Therapeutices ſcribentem audiamus. Vulnerati nerui Gal. lib. 6. methodi meden.
» curatio medicamenta poſtulat, quæ & tepidū calorem excitent, & ualenter [ſi-
» ne moleſtia tamē] deſiccent. Tum quæ ex ſubſtantiæ ſuę natura, & trahendi uim
» habeant, & tenuium ſint partium. Et rurſus ibidem. In pharmacis autem huc
» omne conſilium direxi, ut eſſet eorum facultas, tum tenuis, tum modicè excal-
» faciens, & quę admodum ſiccare citra dolorem poſſet. Cum ſola hęc trahere ex
» profundo ſaniē, neq; contracta neq; demorſa particula, poſsit. Porrò cum per- Lib. 3.
» magna humanorum corporum (ut alibi Galenus ait) ſit differentia, tum in tem κατὰ γένη.
» peramentis, tum ætatū mutationibus, inſuper uitæ ſtudijs, nulla ratione quód-
» que medicamentum, omnibus conuenire poteſt. Quamobrem duo in prom-
» ptu habeto, alterum ualentius ex ſimilibus genere confectum, alterum mitius:
» quæ inuicem miſta dum uſus poſtulat, permulta inter hæc iuxta miſturæ quan- Vide reliqua apud Galenū.
» titatem conſtitues.

De neruis cæſim vulneratis.

SI autem neruus nō punctim, ſed planè cæſim uulneratus fuerit, diligenter cōſyderandum eſt, quo pacto facta uulneratio ſit, utrúm ne per trāſuerſum neruum, an ſecundum longitudinem eius: Tum uerò quantum interuenientis, ſeu præiacentis cutis diuiſum ſit. Adhæc ſpectandum etiam eſt, num totus neruus diſſectus ſit, an non ex toto præciſus. Eiuſmodi nanque uulnerum differentiæ, curandi rationem non euariant, ut ex ſequentibus euadet manifeſtum. Itaque ſi cutis, quę interueniebat, ſectio, nō ſatis pateat, ampliori diuiſione aperiēda eſt, ut iam in præcedentibus admonuimus. Proponatur igitur primum ſatis eſſe cu- Hypotheſis.
tis adapertum, non ita tamen hiare uulnus, ut neruus ipſe inciſus, ſenſui nudus adhuc appareat. Sanè huiuſmodi nerui ſciſſura, ſiue per directum, ſiue per tranſ uerſum facta diuiſio ſit, ultra communes tres iam intentiones dictas in punctura obſeruandas, tres adhuc alios ſcopos, ſiue intentiones habet. Prima eſt, ut 3. intentiones particulares.
1. in loco uulneris magis decliui, turunda aliqua mollis, & ſuauis blande imponatur. Secunda, ut aliquod medicamentum anodynum, ſeu mitigatorium, & 2.
ut uocant incarnatiuū, neruis dicatum, uulneri ſupponatur. Tertia, ut lana mol 3.
lis ſuccida, uel oleo calente delibuta, deſuper blandè alligetur. Ergo non ita exactè uulneris oræ committendæ ſunt, & glutinandæ, quin emiſſarium aliquod relinquatur, quo collecta ſanies effluere poſsit. Hæc enim ſi in profundo retineatur, neruis putrefactionem ac corruptionem inducet, atque ita conuulſionem etiam inuehet. Eam ob rem profuerit (primis ſaltem) turundam aliquam Turunda.
mollem, digeſtiuo ex terebinthina, oui luteo & croci momento illitam loco uulneris, ut dictum eſt, decliuiori molliter immittere, donec nullum amplius phlegmones, aut conuulſionis periculum timeatur. Medicamentum autem his neruorum, ac etiam tendinum uulneribus, cæſim, non punctim acceptis, expeditiſsimum, apprimeq; idoneum eſſe creditur, quod unguentum ex uermibus uulgò nuncupatur. Recipit autem centaureæ minoris, linguæ canis, lanceolatę, quę Vnguentū ex uermibus.
plantago eſt minor, piloſellæ, conſolidæ maioris & minoris, ana M. unū, uermiū terreſtrium, quos lumbricos appellamus, lib. ſemis, olei communis libram unam, uini libram unam & ſemis: ſubigantur ſimul, & ita ſeptem diebus nutriantur, ſeu (ut loquuntur) fermententur. Deinde illis addantur ſepi arietis à pelliculis emundati, libra una picis nigræ reſinæ ana quart. unum, gummi ammoniaci, galbani, opopanacis in aceto diſſolutorum ana drachmæ quinque: ſimul omnia moderato igne decoquantur uſque ad uini & aceti conſumptionem, & colentur. Vbi uerò hæc penè refrixerint, adde terebinthinæ quart. ſemis, thuris, maſtiches, ſarcocollæ ana drachmas tres, croci drachmas duas: ſpatula agitentur in

mortario, & fiat unguentum. Porrò longè alia multa medicamenta paratu etiã faciliora, hiſce neruorũ diuiſionibus ualde accommoda referuntur à Galeno libro tertio de compoſitione medicamentorum ſecundũ genera, & ſexto methodi medendi. (Cataplaſma.) Cuiuſmodi eſt quod ex oxymelite & fabarum farina, uel eruorum, uel lilij, uel ciceris, uel lupinorũ amarorũ, uel hordeacea farina, cataplaſma cõficitur. (Pix liquida.) Item pix liquida fermento temperata atq; uulneri impoſita. Eruorum quoque, aut alia ex prædictis farina, fermento permiſta. Imò & interim fermentũ ipſum ſolum. (Oxelæum.) Quinetiam oxelæum ſolum quod caleat, modò acetũ abundè acre & uetuſtum ſit. (Propolis.) Propolis quoque recens, liquida & pinguis uulneri impoſita, ſæpe præſidio fuit: interim quidem per ſe, interim fermento commiſta. His itaque præſidijs ad neruorum uulnera, tam in agris quàm in urbibus, felici admodum ſucceſſu, Galenus ſæpe uſus eſt, nõ ſolùm in his, quos iam phlegmone prehenderat: ſed etiam, ut refert, protinus ab initio. (Qualia in uniuerſum medicamenta eſſe debeat neruorum uulneribus accomodata.) In ſumma oportet medicaméta omnia, quæ neruorum uulneribus tam cæſim, quam punctim inflictis, ex uſu futura ſunt, ea pollere facultate, quæ & modicè calfacere (id eſt, tepidũ calorem, & ueluti ex ſole ſuauem excitare) & ualenter citra dolorem tamen ſiccare poſsit. Tum ea quoque eſſe ſubſtantiæ natura, quæ ex alto ſaniem atq; humores educere ac digerere ualeant. Atque ex ijs minus moleſta eſſe conſueuerunt, quæ liquida ſunt, ut Galenus etiam annotauit libro tertio de cõpoſitione medicamentorum ſecundum genera. (Lana mollis ſuccida.) Super eiuſmodi uerò medicamenta, lana mollis ſuccida, uel oleo calente reſperſa apponenda eſt, & leniter obſtringenda. Cæterùm quoniam frigus cum omnibus, tum uerò maximè neruorum uulneribus infeſtiſsimum eſt, plurimũ conferet lanam ipſam ſuperpoſitam permanere calidam, ſiue oleo tantũ, ſiue oxelęo quoq; imbuta fuerit, fiet hoc ſi aliæ lanę ſiccę uellera aut panni calidi ſubindè mutati, extrinſecus circumponantur, & æger intra tectũ, ſi modò hyems fuerit, ad quintum uſque uel ſeptimum morbi diem ſeſe contineat. (Lib. 3. κατὰ γέν.) Nam ſi eò uſque phlegmone non tentetur, u aceto; prorſus dolore, & nullam ſentiat tenſionem: in poſterum (inquit Galenus) tutus erit. Atq; hæc de neruo cæſim uulnerato in uniuerſum ac generaliter dicta ſunt, ſiue per tranſuerſum ſiue per directum ſeu longitudinem neruus diuiſus ſit. Quæ uerò ſequuntur, peculiariter de neruo per tranſuerſum uulnerato dicuntur.

De neruo per tranſuerſum cæſo.

At ſi neruus per tranſuerſum uulneratus ſit, non tamen ex toto præciſus, maior conuulſionis metus impendet, inflammatione ſcilicet (ut ſuprà diximus) à diſſectis fibris ad integras & non ſectas ſuccedente: cæterùm cõuulſio ne ab ipſis non ſectis excitata: Huic itaq; memoratis prius auxilijs, quàm citiſsimè occurrendum eſt. Ergo in quiete omninò, & ſtrato molliſsimo continendus æger eſt, plurimoq; oleo affatim & aſsiduè inguina, ſpina, axillæ, collum, & caput perfundendũ. Cæterũ in hoc uulnere largius ſanguis mittendus eſt, & uictus tenuior adhibendus, quàm in neruo per directũ inciſo. Quòd ſi conuulſio iam ſuperuenerit, & nulla conuenientium medicamentorũ ui remittatur, reliquæ fibræ quæ integræ remanſerant, præcidi debent. Si enim totus neruus præciſus ſit, (6. methodi. Ther. 12.) nullum quidem præterea (ut Galenus inquit) conuulſionis periculum ſequetur, debilis tamen particula manebit. Verùm læſio quàm mors potius optanda. » Hoc pacto quibuſdam in priore infernaq; femoris parte, per tranſuerſum per- (Lib. 3. κατὰ γέν.) cuſsis, reliquum tendinis amputauit Galenus, ut tuta illi eſſet curatio. Porrò ſi tranſuerſa hæc diuiſio, tam inſigniter alta in muſculo facta ſit, ut deligatura nihil prodeſſe poſsit, nõ dubitabis muſculi diſtantes inuicem partes (præſertim ſi uulnus recens fuerit) futuris altioribus contrahere, cura tamen ſemper adhibita, ne ab acu neruus uel tendo compungatur. Carnoſa nanq; ipſa muſculorũ pars, dum acu ſuitur, periculo uacat. Nerui uerò aut tendines, nõ mediocri periculo conſuuntur.

conſuuntur. Horũ quidem omniũ Galenus nobis author fuit lib. tertio de com
» poſit. medica. ſecundum genera, ad hunc modum ſcribens: Contemplatus (in- — *Hiſtoria de gladiatore in femore uulnerato.*
» quit) gladiatorem quendam ex his quos equites nominãt, tranſuerſam diuiſio-
» nem in priore ac inferiore femoris parte habentem, eamq; ſatis altam: tum uul-
» neris labrum intuitus, ſurſum alterum reuulſum, infra alterum quaſi ad patel-
» lam detractum, non dubitaui diſtantes inuicẽ muſculorum partes, ſuturis con-
» trahere curatione illa, quæ Græcè à latitudine κατὰ πλάτος dicitur, neglecta. Ita-
» que ueritus tendines ipſis conſuere, denudatis prius illis, ſic altioribus ſuturis u-
» ſus ſum, haud ignarus carnoſam ipſam muſculorũ partẽ periculo uacare: tendi-
» nes uerò non item, quanquam hoc nullũ ex præceptoribus facientem uiderim.
Has autem ſuturas in eiuſmodi uulnere, ideò non ſuperficie tenus, ſed altius mo- — *Cur ſuturæ altæ eſſe debẽt.*
liri conuenit, ne quæ imo ſunt, incõglutinata dehiſcãt. Reliqua uerò quæ ad uulneris curationem attinent, hîc quoque ſunt eadem, etiamſi totus neruus præciſus ſit. In ſolo itaque per tranſuerſum accepto uulnere, eodemq; inſigniter alto, cum deligatura nihil prodeſſe poteſt, ex ſola ſutura curatio abſoluitur. Etenim in uulneribus iuxta membri longitudinem factis, deligatura uulnerati muſculi partibus inuicem contrahendis ſufficit Galeno. Cæterùm ſutura decenter facta, biduo conſutum uulnus fouendum erit roſaceo, in quo lumbrici terreſtres prius decocti fuerint, ac ſuprà puluis aliquis qui ſuturam contineat aſpergendus erit, cui parem ipſorum lumbricorum deſiccatorum, & contritorum portionem, ſi lubet, adijcies. Quidam enim memoriæ prodiderunt, eiuſmodi terræ inteſtina contrita, neruiſq; diuiſis impoſita, protinus mirum in modum prodeſſe, ut libro ſimplicium undecimo Galenus refert. Sunt qui & centaurium arefactum & contritum etiam inſpergunt. Medicamen enim eſt admodũ deſiccatorium, mordacitatis expers, quodq; ſi glutinatorijs & deſiccatorijs miſcetur, ulcera maligna, & cacoethe ſanare creditur. Quin et ipſius herbæ recẽtis illitu, magna ulcera glutinantur: uetuſta quoq;, & quæ ad cicatricem ægrè perducuntur, eodem modo utentibus, cicatrice obducuntur Galeno libro ſeptimo de ſimplicium medicamentorum facultatibus. Refert Dioſcorides, & quodam in loco Auicenna, quòd carnes minutim inciſæ coaleſcunt, ſi cum centaurio maiori decoquantur. Eidem quoque centaurij maioris radix recens, aut arida antè madefacta, uulnera conglutinat & coniungit. Sed iam tempeſtiuum eſt, ut de nudato neruo dicamus.

Lumbrici in roſaceo decocti. — *Centaurium.* — *Radix centaurij minoris.*

Nerui cæſim vulnerati & nudati curatio.

NVdato neruo, omnis curationis conſilium huc tibi dirigendum eſt, ut minima cum roſione ſicces. Proinde ſi neruus nõ punctim, ſed planè cæſim uulneratus fuerit, cute etiam quæ interueniebat, diuiſa, adeò ut nudus appareat, nullum iam ſuprà cõmemoratorum medicamentorũ, quæ ex euphorbio ac ſimiliter acribus, emplaſtri ſpecie fiunt, applicabis. Nudatus nanq; uehementem ipſorum uim ferre nequit, ita ut cum interpoſita cutis erat, tulit. Optimè igitur eo caſu feceris, ſi & calcem & pompholygem, ac metallica omnia, reſinas quoque, olea, mel & ceram: quæ eiuſmodi medicamentis, nudato neruo ac diuiſo apprimè idoneis, miſcenda ſunt, elueris: quo ſcilicet citra roſionem ullam ſint ſiccatura. Quippe medicamentis omnibus (ut Galenus inquit) quæ laueris, acris mordensq; humor eluendo detrahitur. Tunc igitur præſtantiſsimum erit, calcem æſtatis tempore in diebus canicularibus ſub ſole, aqua ſalubri & dulciſsima ſæpius elotã & exiccatã, plurimo optimoq; roſaceo admiſtam apponere. Cõgruit & hoc caſu medicamentũ, quod è pompholyge (ut dictum eſt) elota, fit: largiore itidem ac probatiſsimo roſaceo ſalis omnino experte ſolutum, liquatúm ue. Salubre quoque medicamentum eſt, & quod ex melle optimo ſub emplaſtri ſpecie componitur. Solui uerò & id roſaceo oportet, quod tum reliquis conditio-

Nudatus neruus uehementẽ medicamentorũ uim ferre non poteſt. — *Lib. 6. met & 9 ſimplicium.* — *Calx elota cũ roſaceo.* — *Medicamentũ ex põpholyge* — *Emplaſtrum ex melle.*

nibus ſit optimū,tum ſalis omninò expers, ut ſcilicet minima cum roſione ſicces. Nihil enim acre (ut diximus) nudato neruo (quæ pars eſt ſuapte natura ſenſu uegetiſsima) unquam admouendum eſt. Si uerò robuſtus ſit, qui uulnus accepit,& cui corpus ſit à ſuperuacuis humoribus mundum, in hoc fas eſt, etiam ualentioribus remedijs nõnullis uti, ut paſtillis, ſeu trochiſcis ex Polyida authore, ſapa calida ſolutis,& in linamentum illitis. Id autem uel in primis (inquit Gale- » nus) ſemper habendum curæ eſt, ne quid ex ijs quę uulnus contingent, frigidum » ſit. Quandoquidē ipſa laborans particula, & ſenſilis maximè eſt, & principium » corporis partium primati[nempe cerebro]continua, & temperamento ſuo fri- » gida. Quorum omniū occaſione,& ex facili à frigido offenditur, & ſuam offenſam cerebro impertit. Ad iam dicti uerò paſtilli uſum, propè etiā accedit & medicamenti uſus, quod διὰ χαλκίτεως Galeno nominatur, uulgò autem diapalma. Hoc ergo medicamine ſi trochiſcos Polyidæ ad manum non habemus, uti tutò poterimus. Paſtilli autem Polyidæ ex quinto libro de cōpoſitorum pharmacorum miſcella ſunt requirendi, quorum ſi copia non eſt, Andronis, uel Paſionis, uel etiam Galeni paſtillus erit ſumendus, quorum compoſitiones libro ſuperiore cap. de carbũculo deſcripſimus. Cæterùm uulnus eiuſmodi oleo perſundendum nõ eſt, præſertim cum nunc memoratis paſtillis curatio ſuſcipitur. Nam oleum illorum uiribus aduerſatur, & ſordidum ulcus reddit. Neq; enim parũ intereſt (inquit Galenus) nudó ne neruo oleum, an per interpoſitam cutem admoueas. Abluenda igitur à uulnere ſanies eſt, molli lana ſpecillo circumuoluta, in ſapa tepida intincta,& mox expreſſa. Quod ſi omnia benè atq; ex animi ſententia ſuccedant, etiam uino dulci, non acri & mordaci, uulnus commodè poteris madefacere. Eo autem iam penè ad cicatricem ducto, etiam utile fuerit album tenue,& quod Græci oligophoron uocant. Aquæ uerò uſum, ob cauſam ſuperius adductam, ſicuti & relaxãs cataplaſma ſemper in neruo nudato deuitabis. Blandè etiam ac ſuauiter uulnus (ſi neceſsitas urget) deterges unguento ex uermibus facto, uel aliquo alio deterſorio medicamento, quod recipiat mel probatiſsimum, terebinthinam & farinã hordei aut fabarum: uel alio ex ijs quæ in antidotario habentur. Nonnulli pro comperto habent, quòd ſi diſſecti nerui capita ſeu extremitates candenti ferro, carne uitata, leuiter attingãtur, optimè poſtea conglutinari. Poſtquam autem neruum denudatum contexeris, linamenta extrinſecus circunducere oportet, ex medicamento (inquit Paulus) quod anguſtis uulneribus faciat: nempe eo quod ex euphorbio præparatur, aut fimo columbarum, ſed ita ut etiam ſanas partes ampliter comprehendat.

Neruo denudato nihil acre admouendum.
Lib. 6. metho. Nihil frigidũ nudato neruo admouendum.
Diapalma.
Paſtilli.
Oleum nudato neruo, & uulnerato nõ eſſe admouendum.
Sanies quibus abluenda.
Aqua nudato neruo aduerſatur.
Deterſorium medicamentum.
Candēs ferrũ.

De neruorum contuſione.

NEruorum contuſionē promiſcuam cum ecchymoſi, ſeu carnium contuſione habere generationem, facilè nobis inſinuat ſimilis utriuſq; affectus curatio. Itaq; illic digerentibus & aſtringentibus medicamentis utebamur, hîc uerò etiam ſiccantibus & aſtringentibus nobis utendum eſt, præſertim dum cutis unà cum neruo contuſa exulcerataq; eſt. Si uerò abſque cutis ſimili affectu neruus quidem contuſus eſt, huic auxilia quibus euocandi ac digerendi facultas in ſit, afferenda ſunt. Contuſo igitur neruo, ſi cutis ſimul cõtundatur & ulceretur, fabarum lomentum oxymelite dilutum, aut ſi magis ſiccare uoles eruinam cum ſapa & modico aceto illines. Quòd ſi amplius adhuc ſiccare deſideras, irim quoque illyricam, uel eam quam uulgò florentinam uocant, immittes. Recentiores in hoc affectu per initia roſaceum cum oui candido liquore admouent, & mitigato dolore laborantem particulam fouēt uino tepefacto, quod craſſæ ſit ſubſtantiæ,& aſtrictionis particeps.

At ſi unà cum cõtuſione dolor infeſtet, picē liquidã cataplaſmati è farina fabarum adijcies,& ubi ſimul bene decoxeris, calēs medicamentũ applicabis. Vniuerſi

Neruorũ contuſio promiſcuam habet cũ ecchymoſi tũ generationis tum curationis rationē.
Si cum neruo cutis contuſa ſit.
Si dolor unà cum contuſione infeſtet.

uerſi autem corporis curatio eadem eſt cum ea,quam paulò antè docuimus. Verùm ſi neruus quidem contuſus ſit,cutis uerò nihil quod ſenſui appareat, à natura receſſerit,oleo calente diſcuſſorio, quale anethinum eſt & rutaceum, irinum quoq; & amaracinum,continuè locum irrigabis perfundés ue,& lana oleo madefacta fouebis,ac totius corporis curam prædictis ſimilem adhibebis. Porrò ſi neruus totus ſit præciſus, metus præterea nullus(ut paulò ante diximus)inſtat, nullum enim inde periculum ſequi poteſt. Membrũ tamen ea parte debile efficietur, præſertim ſi diſſectus neruus inſignis magnitudinis fuerit. Curatio uerò eius communis eſt cum ea,quæ aliorum eſt ulcerum.

Si neruus contuſus eſt,cutis uero nequaquam.

Si neruus totus ſit præciſus.

De vulneribus oſsium. *Cap. XIIII.*

TRADITA uulnerum carnoſę ſubſtantiæ,uenarum,arteriarũ, & neruoſarum partium curandi ratione,nũc de uulneribus oſsium nobis agendum ſupereſt. Cæterùm tametſi omnis continuitatis ſeu unitionis ſolutio in oſſe Galeno ſexto methodi medendi, & paſsim alibi, Græcè proprio nomine catagma (quod Latinis eſt fractura) dicatur, recentiores tamẽ tum medici tum chirurgi,fracturã uocare conſueuerunt,ſolam eam oſſis diuiſionem,quæ ſine inciſione à uiolentia quadã,ut ruptura extrinſecus accidente fit,de qua in ſequentibus latius dicetur. Vulnus uerò oſsis appellare ſolent præciſionem enſe,aut quopiam alio ſimili incidente,uel in profundum penetrante factam, de qua in præſentiarum dicere ſtatuimus. Huiuſmodi autem præciſo quandoque (ut nunc loquuntur)eſt totalis, quandoq; partialis. Cæterum cum os ipſum uulnerari non poſsit, quin caro & uenæ & aliæ ſuperiacentes particulæ etiam uulnerentur,ſæpenumero ex oſsium uulnere, peſsima quædam ſymptomata excitantur. Nempe profuſio ſanguinis,dolor uehemens,conuulſio & ſyncope: à quibus & agendorum etiam indicationes ſumendæ ſunt. Porrò cum notæ uulnerum oſsium,ſenſu ſint ſatis conſpicuæ,his prętermiſsis iudicia ſeu præſagia ſubijciemus,quæ tam ab ipſis ueteribus quàm recentioribus, ſcriptis mandata ſunt.

Fractura quid.

Vulnus oſsis.

Ex oſsiũ uulnere praua oboriuntur ſymptomata.

Itaq; iudicat Galenus libro artis medicinalis, & rurſum tertio & ſexto methodi medendi, quod oſsis ſoluta ſemel partium cõtinuitas nunquam poſteà adamuſsim & per ſe inſtaurari poteſt: præſertim uerò in iuuenibus & adoleſcentibus & uiris, multoq; minus adhuc in ſenibus. Poteſt nanque os illud tantum unitionem per ſe & ſine alterius ope recipere atque in idem adamuſsim coaleſcere,quod abundè molle eſt,cuiuſmodi conſpicitur in puerulis. Alterius tamẽ ope,ut ſubſtantiæ cuiuſdam interuentu,ceu glutino quodam,oſſa ipſa quantũuis etiã dura ſiccaq; ſint,concreſcunt glutinãtúr ue. Vocant autem glutinũ hoc, ſeu ſubſtantiam illam interuenientem,cuius beneficio ſeparatæ oſsis particulæ ſecum agglutinantur colligunturq́; , Græco uocabulo poron ſarcoidem , id eſt, callum carnoſum. Huius prognoſtici ratio ſuperius adducta eſt, ubi de iudicijs uulnerum in uniuerſum agebatur.

IVDICIA. 1.

Puerorũ oſſa diuiſa, per ſe coaleſcunt.

Hippocratis oraculum eſt libro ſeptimo Aphoriſmorũ,caſum prauũ eſſe,oſſe nudato,carnem circunſtantem uideri ab eryſipelate apprehenſam. In oſsis(inquit)exutione,hoc eſt,nudatione,eryſipelas,malum. Sed hic caſus (ut Galenus ait in commentario)oſsibus ita patientibus rarò ſuperuenit.

2. Eryſipelas in oſsis nudatio ne malum.

Adhæc,frigidum nudatis oſsibus,eiuſdem Hippocratis teſtimonio, eſt infeſtiſsimum: partes enim ſunt exangues,ac natura ſua frigidiores. Quæcunque autem tales in animalibus partes ſunt, citius ac magis à frigido offenduntur,ut libro quinto Aphoriſmorum Galenus annotauit,cõmentario decimo octauo.

3. Nudata oſſa à frigido magnopere offenduntur.

Si magna oſſa,ueluti eſt os, quod propriè brachiũ & humerus dicitur, uulgò autem os adiutorij,& utrunq; focile,ſiue os tibię,maius inquam,& minus(illud

4. Magnorũ oſsium præciſio, cum exitu medullæ periculoſa admodũ eſt.

cneme,hoc perone Græcis dicitur) tota præciſa ſint, adeò ut medulla egrediatur,uulnus tale periculoſum admodùm eſt, & magna ex parte membrum quod ita præciſum eſt,emoritur. In tam inſigni nanq; inciſione, nerui, uenæ & arteriæ maiores,quæ uitam,ſenſum atq; alimentum particulæ iam ſic affectæ prius mini ſtrabant,omnino præciduntur. Quanquam non defuerint aliqui, qui Auicennam perperam intelligentes, auſi ſint oppoſitum planè aſſerere. Inquit autem ad hunc modum Auicenna:Et quod dicitur de inciſione medullæ, quòd interficit,eſt intentio, in qua nulla eſt utilitas. Habet enim medulla lenitatem & uiſcoſitatem,& non inciditur. „ Quod dictum ſic accipiendum eſt:quod nullus unquam interijt ob præciſionem medullæ oſsium, quanquã membrum ſic percuſſum tandem cõtabeſcat,& emoriatur:ob eam ſcilicet, quam nuper adduximus cauſam.Cùm uerò dicit,medullam non incidi, hoc intelligendum cum os frangitur, non autem cum totum exciditur. Quis enim addubitat,cum os totum præciditur & medullam quoq; ſimul excidi poſſe?

5. Oſsis uulnerati fruſtula,nec ſubito, nec magna ui euellenda.

Cæterùm ſummoperè cauendum eſt, ne aliquid oſsis uulnerati ſubitò ac magna ui extrahatur.Nam ſi ita fit, uix à fiſtula, conuulſione, delirio & febre,laborans tutus erit,ut Auicenna nos cõmonuit libro quarto ſuę medicinæ.Proinde ſatius eſt extrahenda ad tempus relinquere,& medicamento aliquo attractoriã facultatẽ habente,naturam adiuuare, quàm ſic ea ſubitò & magna uiolentia eximere,ut ſuprà etiam monuimus, cum de telis è corpore extrahendis ageremus.

Curatio vulneratorum oſsium.

IN curandis oſsium uulneribus, ſicuti & in fracturis atque aliarum partium ſoluta continuitate,finis ſeu ſcopus ſaltem primus ac generalis unus eſt: nempe „ unitio. Quod ſi is per affectarum partium ſiccitatem (ut paulò antè diximus) „ perfici non poſsit,reſtat alter, ut alterius ſcilicet cuiuſdam interuentu diſsiden- „ tes oſsis uulnerati partes glutinentur. Vt autem finem hunc ſecundũ poſsis aſſequi, quatuor alij ſcopi tibi proponuntur obſeruandi, & ſuo ordine exequendi.

Quatuor ſcopi in curatione uulneris oſsium obſeruandi.

1. Primus eſt,ut ijs quæ infixa ſunt,& oſsium fruſtulis(ſi quæ ſint) exemptis,partes inuicem diſtantes,in unum adducantur, & ut commiſſæ iam ſeu coniunctæ maneant,uulnus in carne acceptum, ſuturis altioribus ac ualidioribus contrahendum eſt.

2. Secundus eſt, ut præſidia quibus huic affectui ritè mederi poſsis, prudenter deligas.

3. Tertius,ut deligaturæ modus decens adhibeatur.Nempe talis,ut commodè uulnus tractari ac curari poſsit, citra omnimodam eius ipſius deligaturæ remiſsionem & ademptionem.

4. Quartus,ut poſtquam à phlegmone iam tuta eſſe uidebitur laborans particula,uictus poro gignendo aptiſsimus inſtituatur.

Primus ſcop°. Cæterùm quomodo primus ſcopus attingi poſsit, iam in ſermone uniuerſali de uulneribus ſuperius dictum eſt.Quòd autem eiuſmodi futurę in carnoſis partibus factæ,in propoſito affectu ſint ex uſu,hinc manifeſtum euadit, quoniã disiunctas uulneris partes in unum adducunt, adductas uerò coniunctasq; haud amplius diſsidere patiuntur,ac præter hæc partis ſubſtantiam tuentur. Vices enim deligaturæ & ferularum tenent prohibentq; ne circumfluus aër plagam temerè ſubintret,& os ipſum alteret ipſiq; noxam inferat,quod magnoperè uitandum eſt. Atq; hæc omnia in proproſito caſu ſunt utiliſsima. Permittendum igitur,ut uulnus mox carne impleatur atq; caro ipſa medicamentis exiccatoria facultate præditis,ita obduranda eſt,ut tandem calloſa fiat,& porus gignatur.Itaque ſi aliquid ex ipſius oſsis ſubſtantia deperierit, eiuſmodi cauitas ad unguem impleri non poteſt,ſed inſanabilis remanebit, ut libro tertio methodi medendi Galenus nobis eſt author.

Secundum autem ſcopũ hoc modo aſſequeris. Sutura decenter facta, turundam in locũ uulneris decliuiorẽ imponito, ut per hoc emiſſarium oſsis fruſtula (ſi adſint) uel ſanies aut purulenta colluuies educi & expurgari poſsint. Sed & puluerem futurarum (ut uocant) conſeruatiuum ſuperponito, quem primis diebus cum oui candido liquore remiſcebis. Poſtea uerò agglutinatorium cõmune ex puluere illo quo omnes paſsim utuntur terebinthinæ permiſtum ita, ut in unũ corpus coeant, ſuperaccõmodato, uel aliquod aliud ſimile ex ijs quę incar natiua uocant, prout res expoſtulabit. Ergo turundulam melle roſaceo, quod puluerem glutinatorium ex myrrha exceperit, illitam, indito. Myrrha enim Aui cennę, carne nudata oſſa ueſtit & operit. Itaq; ſi os exutum nudatúm ue appareat, prædicto puluere, & linamentis ex optimis pannorum lacinijs confectis, ipſum aperito munitó ue. Deinde emplaſtrum uel ſtupas, aut pannos lineos uino calente delibutos, ſuper applicato. Secundus ſcopus. Myrrha.

Cæterùm tertius ſcopus in curando oſsium uulnere propoſitus, ita abſoluetur. Cum os totum præciſum eſt, facta in primis (ut dictum eſt) futura, totũ membrum ut Razes præcepit, excepto uulnere, duplici panno obuoluito. Pannos autem eiuſmodi, primis quidem diebus oui albore, ſequentibus uerò uino calido, tum auſtero, tum nigro, imbuito. Et faſcia longa ac lata iuxta membri magnitudinem & figurã deligato. Ea enim longitudine & latitudine faſcia ipſa eſſe debet, quam uulneratæ partis conformatio deſyderat. Vt autem conueniens fit eiuſmodi deligatura, eius principiũ iuxta finẽ laborantis particulæ incipiat. Ab hinc facta ad ſuperiorem partẽ circũuolutione, ubi propè uulnus uentum erit, faſciam ex aduerſo plagæ circunducito, atque eam uerſus corpus non comprehenſo uulnere, quouſq; ſatis erit, diſpenſato. Mox faſciam uertendo, eam ſupernè deorſum ducito. Atq; ubi iam ad locum uulneris eam deduxeris, in partem uulneri oppoſitam, ſupra priorem aliam circumuolutionẽ, circunductus inijcito, eoſq; ita diſpenſato, ut ibi unde initiũ accepit, deligatura terminetur, & uulnus minimè coopertum remaneat. Porrò faſciæ ſic reuolutæ extrema acu ibidẽ erunt aſſuenda. Deindè ferulæ duæ uel tres (ſi uulnus in artubus acceptum eſt) leues ac politæ, membri læſi figuræ ac magnitudini accõmodæ inijcientur, quæ læſam partem ita fulcient, ut uulnus minimè contegant. Has autem faſcia deligabis, nec prius ſolues quàm uulnus percuratum fuerit: niſi tamen dolor, uel eo loci excitatus pruritus, aut inflammatio nos ad id compellat. Quibus quidem ſymptomatis modo, quo in ſermone uniuerſali diximus, ſuccurrendum erit. Vulnus uerò extrinſecus ſtupis contegendum eſt, & faſcia deligandum quæ ſingulis curationibus ſolui debebunt, cum aliæ ſupradictæ faſciæ maneant: deinde uulnus detergi, exſiccari, & more aliorum ulcerum curari debebit. Quòd au-
» tem (inquit Galenus) neotericis inuentum eſt gloſſocomion, quo maximè tem
» pore gignendi calli utimur, laudandum id quidem, quantum aliud quiduis ei-
» uſmodi machinarum, ducimus. Tertius ſcopus. Deligaturę modus in uulnerato oſſe.

Porrò quod ad quartam intentionem attinet, quo tempore callus gignitur, nutriendum corpus eſt cibis boni ſucci, & qui multum nutriant, ex quibus prouenire ſuccus ſoleat, non ſolum bonus ſed etiam tenax, ex quo fieri callum maximè expedit: de quo plura in ſermone de fracturis. De duritie autem quæ diuortium continui ſequitur in fractura, quam Græci catagma uocant, fuſius etiam alibi dicetur. Quartus ſcopus. Lib. 6.

FINIS LIBRI SECVNDI INSTITVTIONVM CHIRVRGICArum, de plagis, ſeu cruentis uulneribus, Ioan. Tagaultio Doctore Medico authore.

GENERALIS DIVISIO VLCERVM, IN LIBRVM TERTIVM

Chirurgicarum inſtitutionum Io. Tagaultij Medici.

Vlcus,

1. Simplex, — Id eſt, cui nec ullus affectus alius, nec ſymptoma ullum coniungitur.
2. Compoſitum, —— Seu cum alio affectu, aut ſymptomate cōplexum.

1. Vlceris ſimplicis, ac ſolum conſiſtentis differentiæ.

Veræ ac propriæ, —— Hoc eſt, à natura ulceris acceptę.
Extrinſecus accedentes, —— Et non à ſubſtantia rei deſumptæ.

Vlceris differentiæ veræ, ac maximè propriæ, atque à ſubſtantia rei acceptæ, ſumuntur.

À figura ipſius ulceris, } Hoc eſt, à diuiſionis magnitudine, ſpatio
Ab ipſis dimēſionibus, } ſeu quantitate, &c.

Vlceris differentiæ à figura.

Vlcus rectum.
Vlcus obliquum.
Vlcus pampini modo retortum.
Vlcus hami ritu uncum.

Vlceris differentiæ à magnitudine & ſpatio ipſius diuiſionis.

Vlcus magnum, } Longitudo, & latitudo.
Vlcus paruum. }
Vlcus in ſummo reſidens, } Altitudo.
Vlcus profundum. }
Vlcus æquale, } Differentiæ ſunt etiam in alto.
Vlcus inæquale. }
Vlcus magnum & profundum. —— Longitudo, & altitudo.
Sub magno comprehenditur longum, & latum: ſub paruo, breue & anguſtum. Quæ differentiæ ſunt à dimenſionibus ſumptæ.

Vlceris ſimplicis differentiæ extrinſecus accedentes, & non à ſubſtantia rei, hoc eſt, à natura ipſius vlceris acceptæ, ſumuntur.

Quæ à generationis modo, & ratione ſumuntur differentiæ, magis ad uulnus pertinent quā ad ulcus.

A tempore.
A parte affecta.
A ſitu, ſeu loco in parte affecta.

Vlceris differentiæ à tempore.

Vlcus recens.
Vlcus inueteratum.

Vlceris differentiæ à parte affecta.

Similari.
Organica.

Vlceris differentiæ à parte ſimilari affecta.

Vlcus in cute.
Vlcus in carne.
Vlcus in arteria.
Vlcus in uena, &c.

Vlceris differentiæ à parte organica affecta.

Vlcus auris.
Vlcus narium.
Vlcus oculorum.
Vlcus oris.

Vlcus fau-

Vlcus faucium.
Vlcus pulmonum,&c.

Vlceris differentiæ à ſitu in parte affecta.

Vlcus in conſpectu.
Vlcus ſub cute conditum,& non apparens.
Vlcus in principio,in fine uel medio muſculi.
Vlcus in ſupernis partibus.
Vlcus in infernis partibus.
Vlcus ſecundum longitudinem.
Vlcus ſecundum latitudinem.
Vlcus ſecundum tranſuerſum.

a. Vlceris compoſiti differentiæ ſumuntur à complexu ipſius.

Cum ſymptomate.
Cum morbo.
Cum ſua cauſa.
Cum ſua cauſa,& morbo.
Cum ſua cauſa,morbo & parte affecta.

Non ſunt propriæ differentiæ,ſed uerius coplicati affectus.

Vlceris differentiæ à complexu cum ſymptomate.

Vlcus crucians.
Vlcus dolore uacans.
Vlcus purum.
Vlcus ſordidum.
Vlcus ſanioſum.
Vlcus cruentum.

Vlceris differentiæ à complexu cum morbo.

Vlcus dyſcratum,id eſt,cum intemperie.
Vlcus phlegmonoſum.
Vlcus eryſipelatoſum.
Vlcus gangrænoſum.
Vlcus canceroſum.
Vlcus putridum.
Vlcus cauum.
Vlcus ſupercreſcens.
Vlcus phagedænicum.

Vlceris complexus cum ſua cauſa.

Vlcus ſpontaneum.
Vlcus ab animali uenenoſo.
Vlcus à ſimiæ morſu.
Vlcus ab hominis morſu,&c.

Vlceris complexus cum ſua cauſa, & morbo.

Vlcus cacochymum,id eſt,uitioſo ſucco obſeſſum.
Vlcus cacoêthes,id eſt,malignum.
Vlcus rheumaticum,id eſt,fluxione uexatum.
Vlcus arroſum.
Vlcus ſinuoſum.
Vlcus ab atra bile.

Vlceris differentiæ à complexu cum ſua cauſa,morbo, & parte affecta.

Eroſio.
Caries.
Eſthiomenus.
Sphacelus.
Dyſenteria.

INSTITVTIONVM CHIRVRGICARVM IOANNIS TAGAVLTII

Doctoris Medici, de ulceribus in uniuerſum:

LIBER TERTIVS.

Quid ſit vlcus vulgò apud chirurgos, & eius definitionis interpretatio. Cap. I.

DIXIMVS LIBRO SVPERIORE DE CRVentis uulneribus,ſeu de ea continui ſolutione,quæ in carnoſa parte ex uulnerãdo recens facta eſt,ac relicta. Nunc tranſeundum ad id unionis etiamnum in carnoſa ac molli ſubſtantia factum diuortium, quod nec recens eſt, nec cruentum: ſed iam inueteratum, & in quo una uel plures conſiſtunt diſpoſitiones,quæ unionem uel conſolidationem remorantur,atque impediunt: ex quibus ſanioſa & purulenta quædam colluuies putredoq; excitatur. Vocant autem uulgares medici & chirurgi tale unionis diuortium, ſeu continui ſolutionem, communiter ulcus. Quanquam uulnus & ulcus ferè paſsim apud probatos authores pro re eadem ſumantur: nempe pro diſſolutione unionis in parte carnoſa. Quæ ſiue recens ſit,ſiue antiqua(quatenus ſaltem ſolutio tantum unitatis eſt) eandem ſanationem(ut Galenus ait)ſemper deſyderat. Cuius utiq; propoſitus finis unus eſt, nempe unitio,uel agglutinatio,uel coitio,uel continuatio,quę eadem ſunt. Itaque diſcrimen quòd à tempore ſumitur, nihil planè proprium indicat Galeno. Nam recens (inquit) uetús ue ulcus nihil indicat. Quanquam indicare uidetur nonnullis,ſed hi ſeipſos fallunt. Non ab re tamen factum putauimus, ſi recentium ac uulgarium medicæ ac chirurgicæ familiæ ſcriptorum morem iam ab omnibus receptum ſequuti,diſcrimen inter uulnus(quam & plagam uocant)& ulcus poſuerimus. Vlcus quidem cum ipſis appellantes continui ſolutionem in ſubſtantia carnoſa & molli,in qua una uel plures conſiſtunt diſpoſitiones, unitionem ſeu agglutinationem fieri impedientes, ex quibus ſanies & purulenta quædam colluuies ac putrilago excitatur. Apud interpretem autem Auicennę, ulcus ita breuiter definitur: Solutio continuitatis in carne, quando iam continet ſaniem & pus,nominatur ulcus. Cæterùm in hac ulceris definitione,ſolutio continuitatis,locum generis obtinet,cuius ſpecies libro ſuperiore de uulneribus abundè recenſuimus. Reliquæ uerò definitionis particulæ pro differentia appoſitæ ſunt. In ſubſtantia quidem carnoſa, ſiue in carnoſis & mollibus particulis ad diſcrimen corruptionis oſsium,quæ propriè ulcus non eſt, ſed caries & corruptela,quæ teredωn Græcè dicitur. Quæ autem ſubnectuntur, ad differentiam uulnerum addita ſunt. Vulnus enim recens & cruentum, quatenus ſaltem uulnus eſt, & quantum nominis ratiò indicat,ſolutio eſt continui, ſimplex ac per ſe conſiſtens,hoc eſt,nulli alteri affectui, aut præcedenti, aut ſequenti coniuncta,qui eius curationem,nempe agglutinationem (quam ſolùm deſyderat) remoretur & impediat. Vlceris uerò nomine communiter in chirurgia eam unionis ſeu continui diſſolutionem ſtatim inaudimus,quę non ſimplex ſit ut uulnus: ſed quę alijs diſpoſitionibus,eius curationem impedientibus, ſeorſumq; ac per ſe nonnunquam conſiſtere ualentibus, complexa ſemper atq; annexa reperiatur,ut in differentiarum enumeratione clarius innoteſcet. Quò fit,ut uulnus generaliter,ſi ad ulcus conferatur,ſimplicis ac minimè compoſiti affectus rationem obtineat: ulcus uerò(quo de hìc agimus)compoſitus ſemper affectus intelligatur. Non imus tamen inficias, quin & uulnera proprijs quibuſdam diſpoſi-

Vlcus quid uocetur chirurgis uulgarib.

Vulneris ſeu ulceris finis.

Vlceris definitio.

Vlcus quid Auicennæ.

Definitionis ulceris examinatio.

Vlceris nomine quid intelligatur in chirurgia.

Vlcus quo à uulnere differat.

tionibus quæ neceſſario illis accidunt, complicari poſsint: ut uerbi gratiâ, magnitudini & paruitati, rectitudini & obliquitati, ęqualitati & inæqualitati, profunditati & reſidentiæ in ſummo, & ita de alijs quæ uulnerũ diſcrimina ſiue differentias conſtituunt: generalem tamen uulnerum, quatenus uulnera ſunt, curationem parum aut nihil euariant, ut ſuprà in tractatu de uulneribus diximus. Itaque uulnus magnum & paruũ, rectum & obliquum, æquale & inæquale, in ſummo reſidens & in profundo penetrans, longum item & breue, recens & inueteratum, ueræ ac propriæ ſunt ſimplicis ſoliusq; uulneris, & cui nullus alius adiunctus ſit affectus, differentiæ: ſicut etiam & ulceris, quod ſolum conſiſtit, ut in ſequenti capite dicemus. Porrò in definitione ulceris ex Auicenna ſuperius adducta, per ſaniem & putredinem, ſordities, ſquammæ & cruſtæ (quas Græci eſcharas uocant) etiam inaudiuntur, quæ in ipſis ulceribus contingere poſſunt. Itaq; Auicenna, & qui eum ſequuti ſunt, uulnus & plagam uocant, ubi nondum eſt pus: ulcus uerò, ubi iam pus adeſt. In qua ſentẽtia fuiſſe quoq; uidetur Cor. Celſ. Latinus ferè Hippocr. lib. 5. ſuæ medicinæ, ubi recentẽ & cruentã adhuc plagam uulnus appellat: ulcus uerò, cũ iam uetuſtas occupauit ſiue extrinſecus quidem per uulnera inciderit, ſiue intrinſecus corrupta aliqua corporũ parte naſcatur. Quid autem ſit ſanies, quid pus, quid ſordes, poſtea dicetur.

Vulneris atq; ulceris ꝓpriæ differentiæ.

De differentijs vlcerum, & à quibus ſumantur. *Cap. II.*

Vlcerum differentiæ unde ſumantur.

VLCERVM differentiæ ſumuntur quibuſdam à tribus potiſsimum: nempe à cauſis ea excitantibus membris & accidentibus, ſeu diſpoſitionibus cum eis cõplicatis. Alij uerò breuitati ſtudẽtes eas à duobus duntaxat deſumũt, utpote à cauſis & ſymptomatis, atq; etiã affectibus ipſis, quibus cõplicantur: ea quidẽ quæ à membris ſiue laborantibus particulis ſumuntur diſcrimina, omnino prætereuntes: quippe quæ ad particularẽ, non autẽ ad uniuerſalem de ulceribus tractationẽ pertineant. Adde quòd & in tractatu de fiſtula, id eſt, ſinu qui occalluit, de ijs obiter agetur. Dicemus tamen hîc & de ijs nõnihil. Differentiæ quæ à cauſis ſumuntur, ſaltem communiores, & magis propriæ, hæ communiter ſolent à chirurgis aſsignari: ulcus uirulentũ & corroſiuum, ſiue comedens: ulcus ſordidum, rhyparon Græci uocant: & putridum ſiue putrefactum, quod Gręci ſepedona appellant: ulcus cauernoſum & profundum, ulcus fiſtuloſum, ulcus canceroſum. Differentiæ aũt quæ ab accidentibus, ſiue ſymptomatis & affectibus, quibus ipſa ulcera complicantur, ferè cõmunes atq; æquiuocæ ſunt, & ipſis uulneribus. Primò tamẽ & magis propriè (ut recentibus placet chirurgis) de ulceribus, quàm de uulneribus dicuntur. Hę autem ſunt: ulcus cum intemperie, quod Græcè dyſcratum uocant: ulcus crucians, ſiue doloroſum: ulcus cum tumore aliquo præter naturam, quod apoſtemaroſum nominant: ulcus contuſum: ulcus ſupercreſcens cum carne molli & ſuperflua, ὑπερσαρκὸν Græci appellant, Auicennæ interpres carnẽ additã ſuper uulnera: ulcus durum ſimul & tenebroſum: ulcus canceroſum & gangrænoſum, ulcus cauum, ulcus carioſum, id eſt, cum oſſe corrupto: ulcus cũ uaricibus, ulcus cacoethes, id eſt, malignũ & ægrè ſanabile, atq; id genus alia. Cæterùm multæ ex ſuprà cõmemoratis differentijs, ueræ ulcerum differẽtiæ nõ cenſentur Galeno, ſed aliorum affectuum cum ulcere complexiones, cuiuſmodi ſunt ulcus canceroſum, gangrænoſum, ſupercreſcens, putrefactũ, cauum, & cum tumore aliquo, ut ulcus phlegmonôdes, eryſipelatôdes. Putredo nanq;, gangræna, phlegmone, eryſipelas, cancer & reliqua id genus, ex morborum ſunt genere: nempe affectus præter naturam, actionem uitiantes, qui ſeorſum ac per ſe conſiſtere poſſunt. Quod enim conſiſtere ſeorſum, & per ſe poteſt, id nullius unquam (inquit Galenus) alterius fuerit differentia. Eſto igitur hoc tibi ueluti præceptio ac regula,

Vlcerum differentię a cauſis.

Differentia ulcerum ab affectibus quibus cõplicantur.

Affectus cũ ulcere cõplicati.

gula, qua diſcernere liceat, differentiá ne alicuius affectus aliquid ſit, an alterius
affectus complexum. Sed & alio rurſus modo ulcus crucians ſiue doloroſum, *Vlceris complexus cum ſymptomate.*
& ulcus ſordidum, ceu quædam ulceris differentiæ dicuntur, cum tamen ueræ
aut propriæ differentiæ non ſint, ſed complexus potius ſymptωmatis cum ulce-
re. Dolor nanq; & ſordes ex ſymptωmatum ſunt genere. Pari modo & cum di- *Vlceris cóplexus cũ ſua cauſa & morbo.*
citur cacochymon ulcus, id eſt, uitioſo ſucco obſeſſum, aut fluxione uexatum,
quód rheumaticum Græcè Galeno dicitur, aut arroſum, id eſt, quod exeditur
cauſa cum affectu copulatur. Talia igitur multa pro differétijs ulcerum chirur-
gis & medicis uulgaribus uſurpantur, quæ reuera differentiæ nó ſunt, ſalté apud
Galenũ: ſed alterius diſpoſitionis cóplicationes ſeu affectus compoſiti. Simpli-
cis igitur ſoliusq; ulceris differentiæ ueræ ac propriæ, ab ipſa ulceris natura ſu- *Veræ ac propriæ ulcerum differentiæ unde ſumantur.*
muntur. Vlcus aũt ſimplex hîc cum Galeno appellamus, quod ſolum conſiſtit,
id eſt, cui nec ullus affectus alius, nec ſymptωma ullũ coniungitur. Simplex igi-
tur nó erit, ſi quæ exulcerata eſt particula uel fluxióe uexetur, uel malo ſucco ui
tioſa ſit, uel omnino extra naturalem temperiẽ fuerit, uel ulla cauitas adſit, uel ſi
aliqua cutis amiſsio cótigerit. Itaq; differentiæ quæ ab ipſa ulceris natura ſumũ
tur, uel maximè propriæ ſunt, & à ſubſtantia rei acceptæ, uel extrinſecus acce-
dentes. A ſubſtantia rei capiuntur, quæ à figura & à diuiſionis magnitudine ſeu *Vlcerum differentiæ maximè propriæ.*
quantitate ac dimenſione, ſiue ſpatio ducuntur. A figura ut ulcus rectum, ulcus
obliquum, ulcus circulare ſiue rotundũ, ulcus retortũ, ulcus uncum. A diuiſio- *Figura.*
nis magnitudine ſiue quãtitate, ut ulcus magnũ, ulcus paruum. Ex dimenſioni- *Quantitas.*
bus ſiue ſpatijs, ut ulcus longum, ulcus breue, ulcus latum, ulcus anguſtum, ul- *Dimenſio.*
cus ſublime ſiue ſuperficiale, id eſt, in ſummo reſidens: ulcus profundũ, ulcus æ-
quale, ulcus inæquale. Extrinſecus uerò accedentes ulcerum differentiæ ſumun *Vlcerum differentiæ extrinſecus accedentes.*
tur à tempore, & à generationis ratione: item ex eo quod totũ ulcus párs ue ul-
ceris conſpectum fugit, uel conſpiciendum ſe præbet, hoc eſt, à ſitu in parte affe
cta. A tempore quidem, ut ulcus recens, ulcus inueteratum. Ex generationis ra- *Tempus.*
tione, ut ulcus inciſum, ulcus diruptũ, ulcus partim inciſum, partim diruptum. *Modus & ratio generationis.*
A ſitu in parte affecta, ut ulcus in conſpectu ſiue euidenter apparés, ulcus intus
conditum ſiue non apparens, idq; in toto uel in parte: item ulcus in principio *Situs.*
muſculi, ulcus in fine muſculi, ulcus in medio muſculi. Cæterùm quæ ex loco af *Locus affect⁹.*
fecto ſumuntur ulcerum differentiæ (ſi tamen differentiæ cenſendæ ſunt) non
utique, ut Galenus inquit, à propria ipſorum natura, ut præcedentes deſumun-
tur. Loci autem in quibus conſiſtunt ulcera, ſunt partes ſimilares & organicæ.
Igitur ſi à locis in quibus eſt ulcus, differentias cenſeas, hoc modo fiet diuiſio, ul
ceris à loco affecto ulcus in parte ſimilari, ulcus in parte organica ſiue inſtrumé
taria. Rurſus ulceris differentias à parte ſimilari affecta, hoc pacto diuides: ulcus
in uena, ulcus in arteria, ulcus in cute, ulcus in muſculo. Cenſetur enim muſcu-
lus & pars ſimilaris, ſaltem ad ſenſum. Differentiæ uerò à parte organica affecta
eiuſmodi ſunt, ulcus auris, ulcus in faucibus, ulcus in aſpera arteria, ulcus pul-
monis, ulcus pectoris, ulcus in pene, ulcus in ſede, & ſic diſcurrendo per ſingu-
las corporis partes, quas inſtrumentarias uocamus. Atq; hæc cóplexa & abſolu
ta eſt ſimplicis ſoliusq; ulceris, & cui nullus alius adiunctus ſit affectus, in ſuas
differétias diuiſio, quæ à propria ipſius natura ſumitur. Quòd ſi affectus aliquis
ſeu diſpoſitio, quæ ſeorſum (ut diximus) & per ſe conſiſtere poſsit, ut phlegmo-
ne, gangræna, putredo, ulceri adiungatur, ab eo (ut ſuprà diximus) ſumi non poſ
ſunt ulceris differentiæ, ſaltem uerè & propriè dictæ. Verumenimuerò quoniã *Nó eſſe de nominibus contendendum.*
ab ipſo etiam Galeno locis ſexcentis dictũ eſt, non oportere de nominibus con
tendere, ſi quis putreſcens ulcus, & quod exeditur, & quod gangræna, & quod
eryſipelate affligitur, & canceroſum, & ſinuoſum, & carioſum, & cacoethes, &
dolens, & indolens, atque id genus alia, ulcerum differentias nominauerit, non
erit cum eo contendendum, modò rectam illis curationem adhibeat. Voca-

bunturqꝫ ulcerum differentiæ, ſumptæ ab eo cum quo complicantur. Nempe
differentiæ à complexu cum morbo, differentiæ à complexu cum ſymptomate,
differentiæ à complexu cum ſua cauſa, & ſi quæ ſint aliæ.

De cauſis vlcerum. Cap. III.

VLCERVM cauſas in uniuerſum geminas tantum chirurgorum po
ſteritas ſtatuit, nempe antecedentes ſeu præcedentes, quæ Græcis
προηγούμεναι dicuntur: & continentes ſiue coniunctas, quæ συνεκτικαὶ
Græcè appellãtur. Procatarcticas nanqꝫ, hoc eſt prægreſſas & euidẽ
tes, ſeu primitiuas illis minimè tribuunt. Quippe quæ dum carnẽ incidunt, diſ-
rumpunt aut laniant, aut quouis alio modo continui ſolutionẽ in ea efficiunt,
nequaquam primo ſtatim occurſu ſaniẽ aut pus, aut ſorditiem (quæ neceſſariò
ulcera comitari arbitrantur) creare aut excitare poſſunt. Quanquã conſequio
quodam id præſtare ualeant, nempe corporeas atqꝫ antecedentes cauſas cómo

Vlcerum cauſæ antecedentes.

uendo. Itaqꝫ ulcerum antecedentes cauſæ ſunt, cacochymia, id eſt ſuccorum ui
tium, cum ſcilicet ſola qualitate peccant humores, non etiam quantitate, atque
eorundem prauorum ſuccorum, ſiue humorum in corpore exiſtentium nimis
exuperans copia, qui corporis ipſius particulas arrodere, & tandem corrumpe
re poſsint. Porrò eiuſmodi ſuccorum prauitas, aut ex deprauata uictus ratione
generatur, aut totius corporis uel alicuius notæ membri, ut hepatis aut lienis ui

CAVSAE ulcerum continentes.

tio contingit, uti pleriſque locis Galenus nobis teſtatum reliquit. Cauſæ uerò
continentes, ſiue coniunctæ ulcerum dicuntur intemperies illæ, quas malitias
complexionum uocant, in uulneratas particulas ex cauſis προηγουμέναις ſiue an-
tecedentibus modò dictis, uel etiam ex ipſis uulneribus aut abſceſsibus, aliíſ ue
præternaturam tumoribus (ſed malignis præſertim) ruptis & apertis excitatæ.
Quemadmodum enim ex herpetæ, tum miliari, qui Græcis cenchrias dicitur:
tum etiam eſthiomeno, id eſt, exedente, qui ex bile fit craſsiore & acriore, ulcus
corroſiuum ſiue erodens generatur: ita ex anthrace ſeu carbunculo præſertim
uenenoſo (quod ulcus eſt eſcharoſum) rhyparum, id eſt, ſordidum, & ex abſceſ-

3. modi ægrè ſanabilium ulcerum.

ſibus profundum & concauum, ſiue cauernoſum procreatur. Itaqꝫ tres hi ægrè
1. ſanabilium, rebelliumqꝫ ulcerum modi uidentur. Primus, qui ex intemperie
2. ſubiectæ carnis prouenit. Secundus, qui ex uitio confluentis fit ſanguinis. Et
3. tertius qui ex menſura ſeu copia, uel quantitate confluentis naſcitur, ut libro
quarto methodi medendi Galenus annotauit. Qui & aliter ibidem diuiſionem
poſſe fieri tradit: nempe ægrè ſanabilium rebelliumqꝫ ulcerum, alia propter ulce
ratæ carnis intemperiem, alia ob confluentem humorem talia fieri. Tum intem-
periem rurſus ipſam bifariam diduci, cum aliâs in qualitate ſolà naturæ modum
egreſſa ſubdita caro ſit, aliâs etiam cum acceſſorio quopiam tumore. Iam ipſum
confluxum bipartitò etiam ſcindi: nempe in confluentis ſucci, tum qualitatem,
tum quantitatem. Quatuor igitur erunt in uniuerſum contumacium, & ægrè ſa
nabilium ulcerum modi: nempe ſola ſubiectæ carnis intemperies, quam & dy-
ſcraſiam uócant: intemperies cum acceſſorio tumore, humor influens, aut ui-
tioſus, aut multus. Humor nanque qui copioſior in partem ulcere laborantem
influit (tametſi uitioſus non ſit) ſanationem ulceris (quòd in eo excrementa
creet) moratur, atque in longum tempus protrahit. Cęterùm quintum modum

Hippocrates.

adieciſſe uidetur Galenus in commentario huius aphoriſmi Hippocratis: Vlce
ra quæcunque annua ſunt, &c. nempe paſsionem oſsis corrupti in loco ulcera-
to. Vbi enim caro quæ oſsi ſuperiacet patienti, adhibitis (ut oportebat) idoneis
medicamentis exiccata, contraxerit cicatricẽ, ſtatim quidẽ integra ſanitas reſti
tuta uidetur. Rurſus uerò paulatim aliqua influẽte ſanie ex oſſe corrupto, in par
te penitiore iterum aduenit inflammatio, & puris generatio conſequitur, à quo

cicatrix eroditur,caro uerò exulceratur. Subdit autem Galenus loco nuper ex quarto libro Therapeutices methodi citato, interim dictorum affectuum ſiue diſpoſitionum,aut aliquos,aut etiam pariter omnes miſceri,atque ita multas ac diuerſas ulcerum differentias iam ſuprà commemoratas enaſci.Porrò tradenda eſt medendi methodus,non omnium ſimul, ſed cuiuſque ſeorſum, quod in ſequentibus faciemus,à ſimplicioribus quidem exordium ſumentes,ut eorum curatione tradita, compoſitorum ſanationis methodus facilius ac melius intelligatur.Cæterùm quoniam paſsim cum de ulceribus tractamus, uoces hæ,ſanies, pus,uirus,ſordes & id genus alia,nobis occurrunt,non ab re factum putabimus, ſi hoc loco quid apud chirurgos & medicos ſignificent, quoq; inter ſe conueniant & diſsideant, paucis aperiamus.

Sanies quid.

Sanies propriè Latinis is tenuis humor eſt,qui Græcis ἰχὼρ dicitur, qualis exit ex uulnere nec recenti, nec iam ſaneſcenti,ſed inter utrunque tempus. Quibuſdam ichor ſanguinis ſanies interpretatur.

Saniei ſpecies duæ Celſo. In aliquib. exẽplaribus non ἰχὼρ legitur, ſed ὑδρὼψ. Meliceria.

Saniei duæ ſunt ſpecies apud Celſum,Græcis diſtinctæ nominibus, quarum una ἰχὼρ, altera μελικηρία nominatur. Ichor tenuis, ſubalbidus ex malo ulcere exit, maximéque ubi neruo læſo inflammatio ſequuta eſt. Meliceria craſsior & glutinoſior, ſubalbida, melliqúe albo ſubſimilis fertur. Hæc quoque ex malis ulceribus, ubi nerui circa articulos læſi ſunt, & inter hæc loca maximè ex genibus profluit. Apud recentiores autem, & plebeïos iſtos medicos ac chirurgos(quibus nuſquam ferè ullius uocis proprietas, & quæ rei naturæ conueniens ſit,ſeruatur)ſanies communiter pro eo quod Latini appoſitè pus uocant, uſurpatur.

Sanies uulgo, pro pure male uſurpatur.

Genus tamen interdum ſaniem etiam faciunt ad ſordem,uirus ſeu uirulentiam, purulentam colluuiem, quam Græci πύον, Romani pus uocant. Nomine enim ſaniei, latius ſumpto uocabulo, omnem humiditatem præter naturam alteratam intelligunt. Itaque ſi tenuis ſit humor, qui exit ab ulcere, uirus ſeu uirulentia: ſi craſsior, ſordes: ſi uerò mediocris, generis appellatione, illis ſanies nuncupatur. Et hæc quidẽ in ulceribus (ut aiunt)copioſa, in cauis uulneribus pauca reperitur. Eſt igitur ſanies propriè uulgaribus medicis & chirurgis idem, quod pus Latinis, & πύος Græcis:Celſo uerò genus eſt,duas ſub ſe (ut modò diximus)ſpecies continens,Græcis diſtinctas nominibus, quarum una ἰχὼρ,altera μελικηρία dicitur. At Latinis Galeni interpretibus, ubi paſsim Græcè ἰχὼρ ſcribitur,ſanies uertitur.

Virus. Sordes. Sanies. ἰχὼρ.

Puris generatio.

Cæterùm quod πύον Græcis,& Latinis pus propriè nominatur,ex ſanguine uel carne contuſa ortum habet. In eius autem generatione, ſemimala quædam, ut quiſquam dixerit, fit tranſmutatio ſiue alteratio. Etenim cum tres in animalium corpore fiant alterationes, ut libro quinto ſimplicium Galenus docuit,una planè ſecundum naturam eſt, cum uidelicet cibus in uentre coquitur,aut in uiſceribus & uaſis,qui inibi generatur ſuccus, unde rurſum pars unaquæque nutriatur. Altera contrà planè præter naturam, nempe in putreſcentibus omnibus. Atque hæ quodammodo inuicem ſibi contrariæ ſunt. Tertia ex utraque miſta,& media eſt, partim ſecundum naturam exiſtens, partim præter naturam.

Itaq; tranſmutatio ſeu alteratio,quæ pus generat,medium inter optimã (quæ nutritio eſt partium animalis)& ſimpliciter malã(quæ cum putrefactione fit olida)locum obtinet.Neq; enim à ſolo calore præter naturã,neq; à ſolo calore ingenito, & ſecundum naturam, planè uincente, fit ſuppuratio ſeu puris generatio, ſed miſtus quodammodo ex utriſque eſt calor inflammationis,quę dum ad ſuppurationem connectitur, dolores, extenta ſimul ac calefacta præter naturã inflammata particula:& febres principio,id eſt,corde concalefacto,excitantur. Atque hæc duo quidem contingunt ex quadam ueluti ebullitione atque exuſtione ſanguinis, qui ubi ex toto exuſtus fuerit, reſiduum eius fit pus, quemadmodum & lignorum exuſtione cinis,ut Galenus teſtatum reliquit in commentario huius aphoriſmi Hippocratis: Dũ pus conficitur,&c. Ex iis igitᷣ manifeſtũ

euadit,quid ſit pus,quomodo generetur,quæ ſit eius cauſa efficiens & materia. Nunc quid ſit uirus ſeu uirulentia,& ſordes apud chirurgos, paucis aperiamus.

Virus. Virus ergo illis ſeu uirulentia eſt ſuperfluitas ſubtilis, ex abundantia humorum aquoſorū generata. Quæ(inquit Guido)duplex eſt,calida & frigida,ſeroſa & ru-

Sordes. bicunda. Sordes autem eidem, eſt ſuperfluitas quædam craſsior, ex humoribus craſsiorem ſubſtantiam habentibus procreata, quę quidem eſt triplex: quędam enim (inquit) eſt ſpiſſa, inæqualis, coagulata & alba: quædam uerò nigra, & alia uelut fex,cinericea. Porrò quod illi uirus appellant, Galeno Græcè ἰχὼρ, Lati-

Sanies ſiue uirus quid. nis ſanies dicitur. Eſt autem ſanies ſiue uirus (ut uerbo uno dicatur) tenuius illud excrementum in ulceribus, quod ea humida reddit: ſicuti ſordes craſſum, quod ulcus rhyparon, id eſt, ſordidum efficit.

Lib.3. metho. Quemadmodum enim(ut Galenus inquit)omnem qualitatis alimenti mutationem, alterum craſsius, alterum tenuius excrementum ſequitur, ita & in ulceribus, præſertim cauis, duplex excrementum prouenire ſolet: nempe tenuius, quod Latinè ſanies, Græcè ἰχὼρ appellatur, & craſsius quod ſordes dicitur. Ac ex tenui quidem excremento ulcus humidum redditur, ex craſſo ſordidū. Quò fit, ut ulcus ipſum duplicibus egeat medicamentis, utique ut humidum eſt, ſiccantibus: ut ſordidum ijs quæ expurgant. Sed hæc alterius ſunt contemplatio-

Pus mediū eſt inter ſaniem & ſorditiem. Boni ac mali puris notæ. nis. Cæterùm mediam quodammodo ſubſtantiam ſortitur pus, inter tenuem & craſſam, ſi ſaltem laudabile atque optimum eſt. Optimum autem eſt (ut ſcribit Hippocrates) ſi album, leue, æquale ac quàm minimè fœtidum ſit. At illud malum eſt Celſo, quod multum tenue dilutumq́ apparet, magisq́ ſi ab initio tale eſt: itemq́ ſi colore ſero ſimile, ſi pallidum, ſi liuidum, ſi feculentum eſt. Præter hæc ſi malè olet. Porrò genus quoddam puris eſt apud eundem Cornelium Cel-

Pus ἐλαιώδης. ſum, Græca dictione ἐλαιώδης appellatum, quod in magnis (inquit) ulceribus ſaneſcentibus apparet, tenue, ſubalbidum, quaſi unctum, colore atque pingui-

Malæ ſaniei notæ. tudine oleo albo non diſsimile. Sanies autem mala eſt, multa, nimis tenuis, liuida, aut pallida, aut nigra, aut glutinoſa, aut mali odoris, aut quæ & ipſum ulcus & iunctam ei cutem erodit. Melior non multa, modicè craſſa, ſubrubicunda, aut ſubalbida. Itaque ſpes ſanationis in his ulceribus maior eſt, ex quibus melioris generis quæque prædictorum proueniunt. Sicuti & eius uulneris expedita magis curatio eſt, ex quo ſanguis bonus fluxit. Eam ob rem, bonitatis atque malitiæ notæ, in horum ſingulis diligenter à chirurgo perpendendæ ſunt, ut & deprehendere & pronunciare poſsit, quæ ulcera inſanabilia ſint, quæ ue facilē aut difficilem curationem habeant. Quæ res non parui ſanè eſt momenti, ut chirurgus ipſe, & ſe alijs admirabilem præſtet, & calumniam deuitet. Atq; hæc de pure, ſanie ac ſorde dicta ſufficiant. Nunc autem dicendorum ordo poſtulat, ut ulcerum ſigna, ac etiam iudicia ſubijciamus.

Notæ ſiue ſigna, quibus vlcerum differentiæ dignoſcuntur, ex eorum definitionibus petita. Cap. IIII.

VLCERIS cuiuſq; ſuæ ſunt propriæ notæ, quibus unū ab altero diſtinguitur. Hæ autē ex ſingulorū definitionibus petendæ ſunt. Quocirca præcipuarum ſuprà memoratarum differentiarū breuiſsimas definitiones hîc obiter recenſere operæpretiū eſſe duximus. Quod dum facimus, non tam uerba, quàm rem ipſam lectorē ſpectare uolumus. Maluimus enim communibus, & ab omnibus chirurgiæ profeſſoribus iamdudum receptis uti definitionibus, licet aliquando rudibus, plebeis, & non ita elegantib. quā rei per ſe ſatis obſcuræ, uerborū lenocinijs, & terſiore ſtylo tenebras offundere: craſſam tamen illā & ſupinam barbariem, quantum nobis licuit, ubiq; de-

Vlcus uirulentum. uitauimus. Ergo ut ſemel dicamus, ulcus uirulentū eſt, in quo uir⁹, hoc eſt, tenue

quoddā,

quoddam ac liquidũ excrementũ, quod ſaniem propriè Latinis appellari diximus, citra eroſionem abundat. Alio nomine ſanioſum dicitur. Vlcus quod ſua malignitate ſiue malitia, parti quam iam occupauit, erodendo atq; interdum eſcharam (quã acris mordaxq; ſuccus ad ipſum confluens excitat) gignendo ma ius atq; amplius indies efficitur, coroſiuum ſiue arrodens nominatur. Quòd ſi eius malitia adeò creſcat, ut non modò ulceratas atq; corruptas carnes, ſed etiã ſanas abſumat depopuleturq;, ulcus iam depaſcens appellabitur. Græci omnes medici νομὴν hunc affectum, Galeno etiam teſte nominant, propterea quod per gere paſcendo id uitium ab ægris particulis ad eas, quæ integræ ſint, ſoleat, atq; harum ſemper aliquid ægris adijcere. Cuius ſpecies eſt phagedæna, ambulatiuum ulcus appellant, quod huc atque illuc ſerpendo, cutim ac ſubiectam carnem, ſed extimam tantum ac ſuperficialem depaſcitur, ac rodit. Nunquam eñ eiuſmodi ulcus in penitiora penetrat: quò fit, ut ulcus in ſummo reſidens, minimè autem profundum, dici meritò debeat. Vlcus ſordidũ eſt Galeno, quod craſ ſiore illo, ac uiſcoſo ſcatet recremento, quod ſordem appellauimus, Græci rhyparon uocant. Recentiores uerò aliter definiunt, nempe quòd cruſtas aliquas habet craſſas, ſeu (ut loquũtur) groſſas, aut carnem aliquam mollem, craſſam & ſuperfluam. Vlcus putre ſiue putridũ dicitur, ex quo uapor aliquis graueolens, ſeu (ut aiunt) fimus quidem fœtidus & cadaueroſus expirat atq; attollitur, perſi milis illi qui à putreſcẽtibus ac corruptis iam carnibus effertur: habetq; ſemper annexam ſibi ſorditiem, atq; extraneam caliditatem cum humiditate ſuperflua, & plerunq; febrem. Hoc à ſordido differre uolunt ſola malitiæ ac fraudulentiæ intentione. Cauernoſum ulcus appellant, cuius orificium ſtrictum eſt atq; anguſtum: profunditas uerò latior, & ſenſum effugiens ſiue occulta, multosq; anfractus habet & cuniculos ſiue uias, hinc inde diſcurrentes, citra tamen calloſitatem & duritiem. Sunt qui & appoſito nomine cuniculoſum ipſum appellant. Fiſtuloſum ulcus à nuper deſcripto cuniculo ſeu cauernoſo ulcere non differt, niſi quòd meatus illos anfractuoſos & ſinuoſos, calloſos habet & duros. Vlcus canceroſum eſt uiſu horrendum, fœtidum, labra habens dura, craſſa, tumida atque inuerſa: colore inter rubrum & nigrum medio, utpote fuſco aut liuido: adhæc circa locum ulceratum uenæ quædam liuidę apparent, exaltatę & turgidę, craſſo & nigriore ſanguine plenæ. Vlcus dyſcraton, ſiue ut uulgò dicũt, dyſcraſiatũ, eſt in quo quædam δυσκρασία, id eſt, intemperies ſeu mala quædam qualitas præter naturam dominatur, ut caliditas immoderata, uel frigiditas aut humiditas, uel ſiccitas, aut plures ex illis ſimul. Nominatur autẽ propriè nobis ulcus cum intemperie. Vlcus crucians ſiue doloroſum appellatur, quod laborantem atrociter moleſtat, ſeu (ut ait Guido à Cauliaco) in quo ſenſibilitas rei contrarię reperitur, Gręcè ἕλκος ὀδυνηρὸν dici poteſt. Vlcus rheumaticum Galeno dicitur, quod aliunde fluentes humores uetant ſaneſcere. Verminoſum ulcus appellatur, quod uermibus ſcatet, ſcolecôdes à Græcis dicitur: horum autem uermium opifex eſt putredo. Vlcera cacoëthe Galeno & Græcis omnibus medicis dicuntur, quæ omnibus ritè decenterq; factis, ſanari tamen non poſſunt, quod ſcilicet in particula laborante ſiue ulcerata, malignitas quædam adſit cæca, & nobis occulta, ea ſanari prohibens. Nos eiuſmodi ulcera, maligna, contumacia, rebelliáue atq; ægrè ſanabilia dicimus. Varicoſum ulcus nominatur, quãdo in partibus eo ſuperioribus uenæ quædam eminentes ac turgidæ, craſſo ſanguine, aut uitioſo aliquo ſucco oppletæ apparẽt (uarices uocant) quæ ipſi ulceri fluxionem ſuppeditant, atq; ita ſaneſcere ipſum uetant. Apoſtematoſum ulcus nuncupant, in quo tumor aliquis præter naturam eſt, ab humore quopiam procreatus, ut phlegmone aut eryſipelas. Cætera ſatis ex præcedentibus innoteſcunt.

Vlcus corroſiuum ſiue arrodens.
Vlcus depaſcens.
Nome.
Phagedæna.
Vlcus ſordidũ
Lanfrancus ſic definit.
Vlcus putridum.
Vlcus cauernoſum.
Vlcus cuniculoſum.
Vlcus fiſtuloſum.
Vlcus canceroſum.
Vlcus δύσκρατον id eſt, intemperatum.
Vlcus cruciãs.
ἕλκος ὀδυνηρόν.
Vlcꝰ rheumaticũ. Vlcus uerminoſum. Vlcus cacoethes.
Varicoſum ulcus.
Vlcus apoſtematoſum.

Vlcerum prognoſtica, ſiue iudicia. Cap. V.

Aph. 45. lib. 6. Vlcera annua, & diuturna.

VLCERA (inquit Hippocrates) quæcunq; annua ſunt, aut etiã diuturniora, os abſcedere eſt neceſſariũ, & cicatrices cauas fieri. Quæcunq; ulcera (ut Galenus ait in cõmentario huius aphoriſmi) longo tempore manent, uel cicatrice nullo modo adueniẽte, uel ſi facta ſit, rurſus reſoluta (nihil uidelicet medicis in curatione delinquẽtibus) cacoẽthiã, hoc eſt, malignitatẽ quandam oſtendunt, difficulterq; ad ſanitatẽ perducuntur. Id aũt accidit uel propter influxum uitioſorũ humorum, uel propter diſpoſitionem in membro ex humoribus in id confluentibus, proceſſu temporis contra-

Fen. 4. cap. 1.

ctam, uel ob aliquẽ uitiati ac corrupti inibi oſsis affectũ. Vlcus omne (ut ſcribit Auicenna) quod poſteaquam carne impletum eſt, & cicatrix illi induci debet,

Vlcus ſe renouans. Vlcera dura, uiridia aut nigra. Vlcera frigida. Calida ulcera.

ſubitò renouatur, periculum eſt, ne in fiſtulam degeneret. Eidem mala ulcera iudicantur dura, & quæ ad uirorem aut nigritiem uergunt. Eiuſmodi enim color natiui particulæ ulceratæ caloris extinctionem inſinuat. Vlcera (ut idem Arabs ait) frigida albedine & mollitie dignoſcuntur, & præſertim ſi calidis iuuentur. Calida uerò ad ruborem declinant, & frigidis gaudent, ſed & tactu etiam diſcernuntur. Itaque horum utraque agnoſces, partim colore, partim tactu, partim (ut

Lib. 4. Ther.

Galenus inquit) laborantis ſenſu. Quippe aliàs uſtionem ſentire ſe fatentur, aliâs manifeſtum frigus in particula: gaudentq; uel frigidis medicamentis uel calidis, & alijs quidem rubor leuis inſidet, alijs color magis albicat. Siccis quoque atque humidis ulceribus ſuæ ſunt propriæ notæ, quæ tactu maximè deprehenduntur. Hic nanque ſenſus ſicca atq; humida, & quæ eas qualitates conſequuntur, duritiem ſcilicet & mollitiem, aſperitatem & lenitatem, experitur. Adhæc ſi

Vlcera totius corporis colorem repræſentantia.

maligna ulcera totius corporis colorem repræſentent, ut uerbi cauſa, candidum, purpureum aut fuſcum, uel citrinum uitium aliquod effatu dignum hepati, atq; inſignẽ ſanguini ab ipſo iecinore procreato, corruptelã ineſſe ſignificat.

Aliud. Vlcera quæ alijs morbis ſuccedunt, ægrè ſanabilia ſunt.

Aph. 14. lib. 6. Vlcera circunglabra.

Aliud. Vlcera circunglabra praua ſunt, hoc eſt, cum uideris pilos à circumiacentibus ulceri locis defluere, uel cutẽ ſquãmulas è ſumma parte dimittere ſcito ac iudicato tale ulcus prauum eſſe. Prauos nanq; humores, ſeu malignos ſuccos ad partem ulceratã tunc confluere ſimile ueri eſt, qui uehementer ulcus erodunt. Itaque eiuſmodi maligni ſucci, neq; radiculas pilorũ omnes abolere queunt, neque exulceratum locum ad cicatricem perduci, ac ſolideſcere patiũtur. Cum autem pili qui prius deciderant, in ijs quæ circiter ulcus ſunt ſedibus renaſcuntur, bono indicio eſſe ſolent.

Vlc⁹ ante morbum, uel in ipſo morbo enaſcens.

Aliud. Vlcus (ut primo lib. prædictionũ ſcribit Hippocrates) ſiue antè extitit, ſiue in ipſo morbo natum eſt, diligenter obſeruari debet. Nam ſi moriturus æger eſt, aridum & liuens, aut pallidum ante mortem apparet.

Aliud. Vlcera in quibus poſt longam ſaniei, ſeu uirulentiæ emiſsionẽ pus laudabile apparere incipit, bonum nobis portendunt. Siquidem & naturæ robur, & materiæ obedientia notatur. Quæ autem ſint puris optimi ac laudabilis notæ, in præcedentibus dictum eſt.

Vlcera in quibus partibus periculoſa.

Aliud. Vlcera quæ in extremitatibus muſculorũ dorſi, uel tibiarum aut brachiorum ſunt, periculo nõ uacant Auicennæ. Valde etiã periculoſa eidem cenſentur, quæ interna membra occupant, aut ad ea uſque perueniunt.

Vide Hippoc. apud Galen. lib. 4. Thera.

Aliud. Quibus ulceribus ante abſolutã deterſionem, ſarcotica, id eſt, carnem producentia medicamenta adminiſtrantur, mala ac ſuperflua caro in illis generatur. Quæcunq; uerò probè & opportunè expurgata ſemper ad ſiccius promouentur, his caro (inquit Hippocrates) magna ex parte non ſupercreſcit, niſi ſi contuſa ſunt.

Vlcera rotunda.

Aliud. Vlcera in orbem circunducta, hoc eſt, rotunda, peſsima (ut de uulneribus

bus dictum eſt)eſſe ſolent,ac tardè magnoq́; negotio ad cicatricem perducuntur.Proinde pueros ſubinde in perniciem trahunt.Itaq; in eis conſilium chirurgorum eſt,ut cauterio figura illa orbicularis aboleatur, & lineæ modo (quantū ſaltem fieri poterit)in rectum diducantur.

Aliud.Artuū ſiue extremarū partium ulcera,ut pedū aut manuū, ſæpenumero phlegmonas, aut alios eiuſmodi præter naturam tumores in adenoſis partibus ſeu glandulis(quas Græci adenas uocant)accerſunt atq; excitant,prçſertim uerò ubi corpus plethora laborat. Hæ enim partes, quoniam imbecillæ ſunt & raræ,facilè tentantur fluxionibus.Sic igitur fit,ut & propter ulcus quod in manus aut pedis digito ſit,eiuſmodi glandulæ in inguinibus & alis,tū intumeſcant tum phlegmone occupentur,cum defluentem ad ultimos artus ſanguinem, aut alios quoſuis humores priores acceperint,& exceptos ob eam quam habent laxitatem & raritatē retinuerint. Quinetiam in collo & ſecus aures ſæpenumerò glandulæ his quibus in collo,capite,uel aliqua uicina parte ulcus eſt natū, intumeſcunt.Nominant autem(inquit Galenus) ipſos adenas cum ſic intumuerint bubones.

Artuū ulcera.

Colli & capitis ulcera.

Bubones.

Aliud.Cum medicamenta ulceribus adhibita conferunt,aut ſaltem nihil nocent,argumentum eſt ea ritè ac decenter adminiſtrata eſſe. Cum uerò noxæ aliquid afferunt,& ulcus humidius reddunt aut ſiccius,calidius aut frigidius, indicium eſt,ea non eſſe præſenti morbo idonea.Eruntq́; magis deſiccantia aut humectantia, calidiora aut frigidiora,prout res poſtulabit, deinceps admouenda. Quod ſi ex admotis ulcus etiam mollius redditur, aſtrictoria ſtatim erunt adijcienda.Cçterùm ſi ulcus eroditur,& profundius efficitur,ſedulò aduertendum eſt,num id ex acrium ſuccorum uitio,& ulceris malignitate accidat,an ex facultate medicamentorū(quæ admouentur)pluſquam oportet detergentium.Hçc enim ulceratam particulam arrodendo,multam ſaniem procreant,& ulcus humidius reddunt.Quò fit ut imperitos chirurgos atq; improuidos ſæpenumero falli contingat,qui dum putant ulceris cacoethia, id eſt, malignitate , eiuſmodi ſanioſam colluuiem,ſeu(ut ipſi loquuntur)uirulentiā atq; ſuperfluam humiditatem prouenire:quæ adhuc efficacius detergunt,properant admouere,atque ita profundius & magis cauum ulcus,imò uerò & calidius,ac etiam interdum phlegmonôdes efficiunt. Hinc eroſionis ac mordicationis ſenſum laborantes perſentiſcunt.Sed hæc non minus ad curandi rationem pertinere uidentur, quàm ad ſigna prognoſtica,de quibus nunc agimus. Porrò inter cætera quæ magis officiunt ulceribus,uentus eſt (ut Guido à Cauliaco annotauit)meridionalis,atque ambientis humiditas caliditati adiuncta.Hæc enim ulceribus putredinem inuehunt: ſiquidem quæ putreſiunt omnia, ex calido & humido ſic afficiuntur. Hinc fit (inquit) ut tibiarum ulcera Auinione, ægrius ac difficilius multo curentur, quàm Pariſijs. Contrà uerò accidit in capitis uulneribus. Cæterùm quemadmodum plurima uulnerum iudicia, ulceribus etiam communia ſunt, ita & ulcerum, de quibus modò diſſerimus, iudicia permulta uulneribus adaptari poſſunt.Quocirca quæ in iudicijs uulnerum dicta ſunt, ulceribus conuenientia,huc reuocanda erunt.

Si auxilia profuerint aut nocuerint.

Si ulcus eroditur.

Nota.

Ventus meridionalis officit ulceribus.

De curatione vlcerum in vniuerſum. Cap. VI.

IN CVRATIONE ulcerū duo nobis ſpectāda proponūtur,nempe ipſius ulceris,qua ulcus eſt,cōtemplatio, & ulceris cū ſua cauſa aut ſymptomate aliquo, aut alia quouis diſpoſitione cōplicati, aut etiā hanc uel illā particulā occupātis cōſyderatio. Omne enim ulcus(ut ſupra diximus)aut ſolum eſt,ipſumq́; per ſe (hoc eſt nullo alio affectu, uel cū eo ſimul inuadente,uel ipſum præcedente aut ſequente) aut cum alio quopiā uno,

Duo ſpectanda in curatione ulcerum.

multis ue conſiſtit. Quorum alij non modò ſtatim ab initio ulcus excitarūt, ſed etiam nunc maius efficiunt, alij eius ſine quo non, ut ad curandi opus, rationem obtinent. Cæterùm ulcus omne, quà ulcus eſt, unam communem habet curandi indicationem. Siquidē (ut Galenus ait) ulceris, quà ulcus eſt, ſanatio, mediocris ſiccatio eſt. Hæc autem indicatio communis etiam eſt uulneribus curandis, quà ſaltem uulnera ſunt, id eſt plagæ uulnerando acceptæ. Sed hoc diſcrimen habent, quòd hæc minori, illa (quòd humidiora ſint) maiori deſiccatione indigent. Verùm enimuerò ulceris, quod cum alio affectu coniunctū eſt, cuius uidelicet præcedere curationem oportet, eius curatio, ut ulceris ſolius non eſt: ſed prior illius affectus, ſecunda ulceris. Nam ſiue phlegmone quæpiam, ſiue eryſipelas, ſiue tumor is qui œdema dicitur, ſiue nigritia, ſiue ecchymoſis ulceratā carnem obſederit, primùm molienda eius curatio eſt. Quòd ſi ualentior aliqua intemperies (quæ imbecillitatis affectæ partis cauſa eſſe ſolet) exulceratæ carni adſit, huic nimirum primo medendum erit. Vbi autem intemperiei affectū iam ſanaueris, exulcerationis poſteà affectum ſanabis. Ita quoq; & uarices, qui ſæpe ſupra exulceratum locum ſunt, prius ſanabimus, ut deinde mox ulcus ſanemus. Cæterùm nulla harum curationum (inquit Galenus) ipſius eſt ulceris, ſed alterius cuiuſquam affectus, qui ulcus uel gignit uel certè fouet. Porrò duplex in eiuſmodi cum ulcere complicatis diſpoſitionibus conſilium eſt ipſi Galeno libro quarto methodi medendi: nempe ut uel eiuſmodi affectus è corpore prorſus eximas, uel incommodū quod inferunt, uincas. Verùm hoc (inquit) ubi exiguus planè affectus eſt, fieri licet: ubi magnus eſt, duci ad cicatricem ulcus prius non poterit, quàm illi affectui remedium attuleris. Talium igitur ulcerum quæ ſic cum alijs affectibus complexa ſunt, quatuor ſunt particulares curandi intentiones.

Vlceris ſanatio, mediocris ſiccatio eſt.

In tollēdis diſpoſitionibus cū ulcere complicatis duplex conſilium.

Particulares in curandis ulceribus ſcopi.

1. Prima uitæ rationem, ſanandis eiuſmodi ulceribus accommodam præſcribit.
2. Secunda materiam antecedentem, auertit & intercipit.
3. Tertia ſymptomata ſiue accidentia, & diſpoſitiones quæ cum ulceribus complicantur, corrigit & ſummouet.
4. Quarta correctis & profligatis ijs diſpoſitionibus, quibus ulcera complicantur, ea more uulnerum concauorum ſanorum præcipit.

De primo & ſecundo ſcopo.

Cæterùm primam & ſecundam intentionem aſſequimur, humores copia aut praua qualitate noxios, quibus laborantis corpus ſcatet, quiq; in partem ulceratam influunt, tum corrigendo, tum uacuando & auertendo, fluxionemq; ipſam intercipiendo. Porrò auxilia quibus commodè ſuccorum abundantiam, & uitium tollimus, corrigimus atque auertimus, ſunt uenæ ſectio, purgatio, proba uictus ratio, cauterium, uomitio, & id genus alia. Fluxiones uerò intercipimus ligaturis, perfuſionibus, & epithematis: item unguentis ex bolo Armena, atq; alijs refrigerantibus & aſtringentibus, de quibus in ſermone de tumoribus præter naturam abundè dictum eſt. De ijs autem ſic Galenus libro quarto methodi medendi, ubi maligni ſucci & exulcerantis curationem pertractat, ad uerbum ſcribit: Aequè uerò & mali ſucci, qui ad exulceratam partem confluit, ut „ ulcerans quidem eſt, ſanatio eius hîc dicetur. Vt malignus ſuccus eſt aut copia „ redundans, in proprijs ipſorum locis tractabitur. Cum ergo qui exulceratis par„ tibus influit ſuccus, nec multo plus iuſto, nec multo deterior ſit, auerti hunc re„ geriq; conueniet, aſtrictis ſcilicet, refrigeratisq; ijs particulis, quæ ante exulcera„ tam ſunt. Inchoanda quoq; deligatio eſt, à laborante ipſa particula, deducen„ daq; uerſus ſanam, ueluti in fracturis oſſium præcepit Hippocrates. Talis enim „ deligatura meatus aſtringit, per quos materia ad particulas ulceratas influit. „ Sed & quæ ulceribus ipſis admouentur pharmaca, ſiccent ualentius oportet, „ quàm ea quæ ſimplici admouentur ulceri. Quòd ſi ſiſti compeſciq; medicamen„ tis influxus nequeat, cauſa eius inueſtiganda eſt, atq; hæc prius adimenda. Ac ſi „ quidem

Si ſuccus qui influit, nec copioſus ſit, nec malignus.

» quidem ob partis quæ fluxum recipit,imbecillitatẽ id fiat, huic nimirũ meden-
» dum eſt:fuerit aũt ulceratæ quoq; partis propria quædam curatio. Sin propter
» ſanguinis copiã uitioſũm ue ſuccum,uel corporis totius,uel alicuius ſupraposi-
» tarum partiũ,illa ſcilicet prius ſunt corrigenda. At imbecillitas quidem partis,
» propter quam plus iuſto ſuccorum illi influit,omnino ab intemperie prouenit,
» non tamen ab omni.Eoq; fit,ut exulcerata caro nonnunquam intemperata tan
» tum ſit,non autem imbecilla,nonnunquam utrunque,& intemperata,& imbe-
» cilla.Quippe imbecillitatis affectæ partis,ualentior intemperies cauſa eſt. Quo modo autem curari debeat illa dſycraſia ſiue intemperies, mox in ſequentibus dicemus. Cæterùm qua ratione,quibús ue modis fluxiones, quæ uel à toto corpore,uel à membro quopiam in particulam ulcere laborantem irruunt,intercipere atq; auertere oporteat,ſuprà in tractatu de tumoribus præter naturã abundè dictum eſt. Quare ne eadem identidem ubique repetamus ex eo loco,quę ad rem præſentem attinent,requirenda erunt.

Si fluxio fiat ob partis imbecillitatem.

Valentior intemperies cauſa eſt imbecillitatis partis.

Tertia intentio,quæ ſymptωmata & diſpoſitiones quæ cum ulcere cõplicantur,corrigit ac ſummouet:perficitur prout cuiuſq; ſymptωmatis, & affectus cũ ulcere complicati natura requirit ac deſyderat. Porrò (ſi Galenũ ſequimur) tradenda eſt medendi methodus,non omnium ſimul, ſed cuiuſque ſeorſum. Itaq; Galenum ipſum imitantes,exordium ſumamus ab intemperie, quæ cum ulcere complicatur, còrrigenda, de qua ad hunc modum ſcribit libro de morbis methodo curandis quarto.

Tertius ſcopus.

Li 4. met. medendi.

Vlceris dyſcrati, id eſt, cum intemperie iuncti, curatio. *Cap. VII.*

» CARNIS intemperies ſi ſqualens ſiccaq; uidetur, aqua temperata fo
» uens humectansq; corriges. Quoties autẽ eo remedio uteris, eſto ti-
» bi perfuſionis humectationisq; meta,ut cum primum rubeſcit attol-
» liturq; particulę moles,tum deſinas. Quippe ſi ultrà perfundas quod
» attraxiſti,id euocabis. Itaq; nihil profeceris. Quinetiam medicamentorum hu-
» mectandi facultas plenior eſto,quàm ut in ſana carne præceptum eſt. Si uerò hu
» midior,quàm pro naturali habitu caro fuerit,contraria ratio ineunda eſt:ac me
» dicamentorũ facultas ad ſiccius transferenda:aqua uerò nullatenùs admouen-
» da. Imò ſi lauandum ulcus uidetur,uinũ aut poſca,aut decoctum auſteræ cuiuſ-
» piam herbæ præparandum. Eodem modo & calidiorem quàm par eſt carnis
» habitum refrigerabis,& frigidiorem calefacies. Agnoſces uerò (inquit) horum
» utrunque,partim colore,partim tactu,partim laborantis ſenſu. Quippe aliàs u-
» ſtionem ſentire ſe fatentur, aliàs manifeſtum frigus in particula: gaudentq; uel
» frigidis medicamentis uel calidis. Et alijs quidem rubor leuis inſidet,alijs color magis albicat. Breuiter quæcunq; partes ulceratæ per intemperiẽ aliquam à naturali habitu receſſerunt, eorum ſanationem per ea, quæ cõtraria uiribus ſunt, fieri omnino eſt neceſſe, calidam utiq; intemperiem (ut dictum eſt) refrigerando,ſiccã humectando,frigidam calfaciendo, humidam ſiccando. Quòd ſi frigidior humidiorq; locus ſit,calfaciendo pariter ac ſiccando,& in alijs ad eundem modum,uincentem uidelicet qualitatem,contraria ſemper oppugnans. Atque ubi intemperiei affectum iam ſanaueris, deinde etiam exulcerationis affectum ſanabis. Non aliter planè nunc curata intemperie,quàm ſi citra ulcus incidiſſet. Quo manifeſtum fit non eſſe ulceris,ſed intemperiei propriam omnem eiuſmodi curationem,quæ tamen ulceris ipſius ſanationem omnino præcedere debet. Siquidem fieri non poteſt,ut in ulcere uel carnis productio, uel ſinus impletio, uel agglutinatio,uel cicatricis inductio,rectè unquam cedat, niſi ſubiecta caro pro naturali modo ſe habeat. Hæc autem rectè ſe habuerit, ſi (quod reliquis etiam omnibus eſt commune) proprium temperamentum tueatur. Ergo ſi exul-

Squalentis ac ſiccæ intemperiei curatio.

Humidioris intemperiei curatio.

Caloris & frigoris notæ.

Curatio fit per contraria.

Caro rectè ſe habet, ſi ꝓprium ſeruet temperamentum.

cerata caro iuſto calidior frigidiór ue effecta fuerit,utique medelam exigit,quæ in tantum calfaciat refrigerét ue,in quantum ipſa à naturali ſuo habitu receſsit. Subiectæ nanque carnis affectus, cauſæ rationem obtinet ad id quod efficitur. Quippe ex hac(ut Galenus inquit)& per hanc,tum quæ diſsident glutinantur, tum quę caua ſunt carne implentur.Itaque temperatam eſſe ſubiectam carnem, ad ulcera tum glutinanda,tum carne implenda prorſus oportet.Dolor quoque unum eſt ex ſymptomatis,quæ ulcerum curationem remorantur & impediunt. Quocirca ſi uehemens aliquis dolor ulceratæ parti incidat,protinus hic aut tollendus erit,aut ſaltem quoad licebit,demulcendus.Dolor enim præſertim uehemens,uires proſternit & fluxionem proritat: proinde & ulceris ipſius curationem prohibet.Itaque tametſi quæ ulceratis particulis ad doloris ſedationé admouentur,ulceri aduerſentur,quoniam tamen ex doloris uehementia plerunq; imminet laboranti periculum,& propriam ulceris curationem moratur neglecto ad tempus ulcere,dolori tanquam urgentiori primum maximeq; intendendum eſt.In complicatis nanque affectibus, id ex quo primum maximeq; homini imminet periculum, quodq; magis accelerat & urget, primum curari atque auferri debet.Cæterùm quibus auxilijs dolor mitigari aut ſedari poſsit, in duobus libris ſuperioribus copioſe ſatis dictum eſt,diceturq; iterũ in antidotario.

Vlcus crucians.

In cõplicatis affectibus urgentiori ſemper primũ ſuccurrendũ eſt.

De vlcere cum tumore particulæ. *Cap. VIII.*

CÆTERVM ad eundem quoque modum, & partium quæ cum aliquo præter naturam tumore exulceratæ ſunt, earum prius ſanandus tumor eſt:fieri enim non poteſt,ut ulcus tumore manente, ad ſanitatem perducatur.Quocirca omni ſtudio laborandũ eſt, ne phlegmone aut quiuis alius tumor in loco ulcerato excitetur: quòd ſi id prohiberi non poſsit,remedijs dicatis curari debebit, ulcere tamen interim non neglecto. Quæ autem omnis præter naturam tumoris curandi ratio ſit, in præcedentibus ſuſiſsimè dictum eſt. Nunc quantum eius rei coniunctum cum ulcerum curatione eſt,obiter ac compendioſe tractabitur.Compendiaria igitur obſeſſarũ phlegmone partium ulceratarum curatio,per id genus præſidia obitur Galeno,quæ ſanè uel affectum prorſus ſummouent:uel ſi quid exiguum quod ſuppuret reliquerint,alterum medicamentum acre,quod educere pus queat,requiritur: uel ſi tenuis circumpoſita cutis ſit,uelisq; celerius explicatum ægrum, ſectio petenda eſt.Quod ſi cataplaſmate ex hordei farina, aqua & oleo, quod calſaciat humectetq; illinantur partes ulceratæ, quæ phlegmone infeſtantur,lenientis (ut Galenus ait) tractatio eſt, non medentis & contra malum pugnantis. Id enim non ex prima ratione fit,hoc eſt,ut remedium affectus, ſed ut ſymptomatis mitigatio.Siquidem ipſius phlegmones remedia(ut author eſt Hippocrates)ſiccio-rum ſunt uirium. Itaque ſi inflammatio ulcera aut etiam uulnera adhuc recentia obſideat,uſus eſt medicamentorum quæ deſiccant, atque inflammationem arcent.Ex liquidis igitur(inquit Paulus) laudatiſsimum eſt uinum, deinde poſca.Si uerò ſordes quoque cum inflammatione occupent, mulſa diluta conuenit.Ex ijs autem medicamentis,quæ ſiccandi poteſtate prædita ſunt,communiter quidem conferent,inflammationibus dicata, quæ in tractatu de tumoribus præter naturam deſcripta ſunt, ſi oleoſa acriaq; excipias: priuatim autem hoc proficit.Malum punicum dulce,uino incoctum tritumq; illinitur. Mirabile nimirum,&(ut Paulus ait) multiplici uſu commendatum eſt remediũ: facit enim tum ad capitis,tum naturalium ulcera,tum etiam ea quæ toto corpore excruciant oculorumq; inflammationes. At ſi eryſipelas aut eiuſmodi quippiam ulceri acceſſerit,ijs utendum erit præſidijs,quæ aduerſus illa ſuperius ſcripta ſunt.

Lib. 1.

Phlegmonoſi ulceris curatio.

Si inflammatio ulcera exerceat.
Vinum.
Poſca.

Malum Punicum dulce.

Vlceris contuſi curatio. Cap. IX.

GALENI ex Hippocratis teſtimonio ſententia fuit, ulcera omnia, præter ea quæ contuſa ſunt, ſiccari oportere. In ijs uerò quæ cum cõtuſione facta ſunt, quàm celerrimè pus mouendum eſſe. Siquidẽ neceſſe eſt carnes ſic contuſas putreſcere, ut noua tandem caro gignatur. Pus autem ipſum ſiue carnis contuſæ ſuppuratio, cum aliqua putreſcentia fit. Porrò quæ putreſiunt omnia ex calido & humido ſic afficiuntur. Proinde fit, ut ea quæ calfaciunt & humectant omnibus his affectibus, quibus moueri pus expedit, ſemper admoueamus. Cataplaſmata igitur ex hordei farina, aqua & oleo: item quæ ex pane, aqua & oleo componuntur, conueniunt. Præterea fomentum multæ calidæ aquæ & tetrapharmacum (ceu quæ calfaciant humectentq́, & pus quàm celerrimè moueant) ulceribus contuſis rectè adhibentur. Sed præſtat ipſius Hippocratis uerba ſubijcere. Quodcunq; ulcus (inquit) cæſim percuſsim ue acuto telo eſt diuiſum, medicamentum enhæmum & ſiccans aliquod, quod ſuppurare uetet, admittit. Sin caro aliquo telo tum contuſa tum cæſa ſit, huic ita medendũ eſt, ut quàm celerrimè ſuppuret. Nam & minus phlegmone urgebitur, & neceſſe eſt carnes quæ contuſæ cæſæq; ſint, putrefactas, & in pus uerſas liquari, poſtea nouam carnem naſci. His itaq; uerbis apertè nos docet Hippocrates, ulcera quæ ſine contuſione accepta ſunt, quàm maximè ſiccare. His uerò quæ cum contuſione facta ſunt, quàmprimum pus mouere. Porrò eorum quæ puri mouendo aptiſsima ſunt, materiam in ſermone de tumoribus præter naturam, & in antidotario copioſam reperies. Sed & de ijs etiam ſuprà tractauimus, ubi de uulneribus contuſis meminimus.

Vlcera cũ contuſione facta, ad ſuppurationem ducẽda. Cataplaſmata ſuppuratoria. Aqua calida. Tetrapharmacum. Hippocrates.

De carne in vlceribus ſupercreſcente, quam Græci hyperſarcoſin nominant, tollenda. Cap. X.

CARO in ulceribus ſuprà quã par eſt excreſcens, medicamentis exiccantibus tollitur, è quorum ſanè numero ſunt diphryges (cuius tria ſunt genera apud Dioſcoridem) inſperſum, aut cataplaſmatis inſtar inductum, ſquamma æris omniaq; teſtacea combuſta. Item echini, hoc eſt, erinacei utrique tam terreſtres quàm marini, cum toto corpore concremati. Verùm hæc non admodum eximiè, ſed modicè ac mediocriter duntaxat purgant, & ſupercreſcentia compeſcunt. Aſiæ uerò petræ flos longè ualidius id muneris obit, atq; hoc magis adhuc ſori, chryſocolla, chalcitis, myſi. Quę ſi combuſta fuerint, minus uellicant ac rodunt. Item æris flos qui chalcanthos Græcis uocatur. Cæterùm ærugo his adhuc omnibus ualentior eſt. Sales autem concremati carnes cum humore flaccidas conſumunt, ac liquefaciunt. Sic etiam linamenta è panniculo diſcerpta, muria acriori imbuta, & denuò reſiccata atq; impoſita, mediocres carnium ſupercreſcentias liquefaciunt atq; exedunt. At maximas carnium excreſcentias adusque penitiora cruſtis obducunt, Fauſtiani paſtilli, triti atque inſperſi. Item medicamentum quod recipit calcis uiuæ, id eſt, aqua non extinctæ, ſquammæ æris, & mannæ (quæ mica eſt thuris, concuſſu ſeu attritu eliſa) pares modos, hoc eſt, partes æquales. Porrò Fauſtini paſtilli, id eſt, trochiſci, Paulo Aeginetæ libro ſeptimo ad hunc modum deſcribuntur: Auripigmenti drachmæ duodecim, ſandarachæ (quæ rubrum eſt auripigmentum, & à natura magis excoctum) drachmæ ſex, calcis uiuæ drachmæ octo, chartæ combuſtę dragma: myrti baccarum ſucco uel decocto excepta in paſtillos redigito. Sed de eiuſmodi ſupercreſcentem carnem compeſcentibus, & abſumentibus iterùm in antidotario dicemus. Ad hanc autem intentionem in communi uſu eſt unguentum Aegyptiacum nominatum. Cæterùm dum hæc cauſtica atque

Diphryges. Squãma æris. Echini. Aſiæ lapidis flos. Sales concremati. Medicamentũ ad maximas hyperſarcoſeis. Fauſtini paſtilli. Vnguentum Aegyptiacum.

erodentia medicamenta admouentur, partes quæ in circuitu ſunt, refrigerantia deſyderant, ne ſcilicet in partem ulceratam ex roſione, calore & dolore, humorum fluxio aducetur. Deinde cruſtæ ulceribus inductæ reſoluendæ erunt, & ulcus ad ſanitatem perducendum.

Vlceris cum duritie, & decoloratione labrorum curatio. Cap. XI.

Exciſio Galeni. Scarificatio Auicennæ.

CVM labra tantũ ulceris decolorata durá ue pluſculum fuerint, excidenda ea ſunt (Galeno authore) ad ſanam uſq; carnem. Auicenna autem decolorata eiuſmodi duraq; ulceris labra ſcarificanda eſſe præcipit & ab eis ſanguinem, admotis etiã cucurbitulis, extrahendum. Sanguine autem quod ſatis eſſe uidebitur educto, ſpongiã ſiccam, hoc eſt, nullo liquore madentem, ac poſtea etiã medicamenta quædã reſiccantia ſuperimponere iubet. Sed & de ijs ante Auicennam ad eundem ferè modũ ſcripſerat Hippocrates: qui certè nihil omnino eorum, quibus ad ulcerum curationem eſt opus, omiſiſſe uidetur. Hic enim non ſolum ulcerũ (ipſo etiam Galeno teſte) quæ citra alium affectum conſiſtunt, ſanandorum rationẽ inuenit (ut quæ in ſiccando, ut ſuprà dictum eſt, conſiſtat) ſed etiam priuatim per ſpecies affectuũ cuiuſque. Siquidem uel liuidum, uel nigrum, uel rubrum conſpicitur, ſcarificando ac ſanguinem emittendo. Mox ſpongiam ſtatim ſicciorem magis, quàm humidiorem, hoc eſt, ſiccam potius quàm humefactam, ſuperimponendo. Poſt hæc uerò etiam ſiccantia remedia applicando. Ab his, ſi res poſtulet, rurſus ſanguinem auferendo. Ac mox iterum talia peragẽdo, donec parta omnino ſanitas ſit. Quod

Hippocrates.

Lib. 4. Ther.

ſi labra ulceris dura, calloſaq; appareant, etiam ea excidendo. Cum uerò amplius progreſſus huiuſmodi affectus eſt, deliberatio incidit, excidendúm ne omne id ſit, quòd præter naturam uiſitur, an ſpatio potius curandum: proculq; dubio eſt, ægri animum hoc caſu conſulendum eſſe. Aliqui enim longiori tempore curari citra ſectionem malunt: aliqui quiduis ſubire, dummodò citius ſanentur, ſunt parati. Cæterùm excidere (ut poſtea Galenus ait) res eſt promptiſsima, maius uerò quippiam atq; artis egens, medicamentis ſanare.

Varicum cum vlcere complicatarum curatio. Cap. XII.

VARICVM ſuperiacentiũ, hoc eſt, ſupra exulceratũ locum exiſtentium occaſione, contumax ad ſanandũ ſæpe ulcus redditur: quippe quod ex his humiditas aliqua ad exulceratas partes defluat. Eas igitur (ut ſuprà dictũ eſt) prius ſanare oportet, ut deinde mox ulcus ſanemus. Igitur uarices, qui cruribus & alibi quàm in teſticulis prouenire ſolent, hoc modo ex Hippocratis atq; Aetij Antiocheni, & Pauli Aeginetæ ſentẽtia curabis. Primo in cute, uaſi elato ſeu uenæ in faſtigiũ tumefactæ, hoc eſt, uarici adiacente, ſimplicẽ ſectionem ſcalpello per longitudinẽ facito. Ita leuiter tamẽ, ut uenam ſic in uerticem elatam non diuidas, & ſcalpello penetres, ſed ſola cutis incidatur. Ducta ſic leuiter in cute ſectione, oras uulneris hamulis diducito, & membranulas, cultro ad ramicem aquoſum accommodo, ſenſim ac blandè excoriato. Mox uena detecta nudatá ue, & à circumiacentibus corporibus undequaque explicata, eam uolſella aut obtuſo hamo attrahito, ac ſuſpenſam teneto. Deinde acum duplex linum ſeu lineum funiculum duplicem trahentem ſubijcito, ſubtérue tranſmittito: linúq; habenulam amputato, ſic ut duo funiculi efficiantur. Tum uenam dilatatam, non aliter quàm in phlebothomia fieri ſolet, ſcalpello per mediũ diuidito, ac ſanguinis quantum ſatis eſſe uidebitur, detrahito. Deinde altero funiculo ſuperiorem uaſis partem conſtringito, crureq; eleuato, ſanguinem qui in ipſo apparebit, manuum expreſſu euacuato. Quod ubi factum

Varicum curatio.

ctum fuerit,uenam ab altera parte lino altero rurſus deuincito. Partem uerò illam uenæ,quæ inter duo uincula eſt,uel ſtatim excindito,uel manere ſinito, uſque dum putrefacta ſua ſponte cum funibus excidat. Peracto opere, ſicca linamenta in plagam inſerenda ſunt,ſpleniumq; œnelæo, id eſt, uino cui oleum adiectum ſit,madens ſuperimponendum ac deligandum eſt. Tum linamentis medicamento aliquo ad pus faciendum apto, imbutis, curatio proſequenda erit, cætera quæ reliquis ulceribus communia ſunt,peragendo. Sed interim quies ęgro imperanda ſeruato accliui membri decubitu:ne ſi decliue iaceat, humores ad ipſum confluant.Pranſo autem magis quàm ieiuno & parum pleno potoq;, item concalefacto,&(ut Paulus uoluit)loto, dieq; calido potius quàm frigido, uenā eiuſmodi(ſi dictis Hippocratis auſcultes)ſecabis atq; ex ea ſanguinem mittes.Itaq; ſi uarix crus (ut magna ex parte ſolet)occupauerit,loto prius(ut præcepit Paulus)homine,funiculum ſuperiori femoris regioni circundato, ac ut ambulet iubeto. Inde uenam ita repletam, atramento ſcriptorio aut collyrio notato,iuxta eius ſitum trium digitorum ſpatio aut paulò ampliori interpoſito. Deinde reclinato ſeu decumbente ægro, cruſq; ipſum extendente,alterum uinculum paululum ſupra genu inijcito, ac mox quà atramenti nota eſt, ſectionem facito,& reliquā curationem(ut ſuprà modò annotauimus) proſequitor. Quidam ex ueteribus funibus ſiue uinculis minimè utebantur, ſed uenam uel ſtatim ubi à carne abſoluta erat, & undaquaque nudata excindebant, uel ab imo etiam adhærentem uiolenter extrahendo abrumpebant. Alij uerò uſtionem eligentes,digitalibus interuallis innixa cauteria uaſis admouent. Atque ubi cruſta exciderit,ulcuſq; incarnatum & cicatrix inducta fuerit,locum roborant. Verum omnium tutiſsimus chirurgiæ modus eſt, quem ſuprà diximus. Porrò uarices in imo uentris ſuborientes,conſimiliter tractandi ſunt. Illi item qui in temporibus exiſtunt,ea ratione,quam in angiologia ſiue exemptione uenarum docuit Aegineta,tolluntur.Atq; hæc ſatis de uaricum curatione, quantum ſaltem præſens locus poſtulat.

Si uarix crus occupauerit.

Euulſio uaricis. Vſtio.

Lib. 6. cap. 5.

De uerminoſo ulcere. *Cap. XIII.*

Ad ulcerum uermes.

VT VERMES qui ulceribus procreantur arceas,primum quidē eſt, ut humiditatem putredinemq; eorum opificem,tollas.Itaq; uermes in ulceribus exortos interficiunt,& putredinem ſimul auferunt, ſuccus & decoctū abſynthij & agrimoniæ, uel centaurij, uel marrubij: calamenthi quoq; officinarum (quod primum genus eſt calaminthæ Dioſco.) ſuccus,iugiter inſtillatus,atq; id genus multa,quæ etiam aurium uermes enecāt. Priuatim autem ad uermes qui ulcera infeſtant, commendatur Archigeni & Theodoro medicamētum,quod recipit ceruſæ & polij parem menſuram,cum pice liquida illitum. Conducit etiam magnopere linamentum ſaliua ieiuni hominis illitum & applicatum.Hoc uermes etiam in auribus perimit,& concolores cicatrices reddit,ut teſtatur Aëtius.

Vlceris dirupti, & cum oſsis corruptione complicati, curatio. *Cap. XIIII.*

VLCERVM nonnulla cicatrice obducta, poſtea tempore haud ita multo interiecto,denuò inflāmatione tentantur,rurſumq; ſua ſponte & per ſe rumpuntur,& à continuitate ſua diſcedunt. Oſſe enim quopiam ſubſtracto malè affecto, hoc eſt, uitiato & corrupto, circundata ac ſuperiacens caro,ex facili quidem interdum ad cicatricem ducitur, & ſana ex toto, ad unguemq; reſtituta eſſe uidetur: uerū curſu humoris ualido, paulatim ex oſſe in alto contabeſcente ac putreſcente, tum inflammatio, tum

pus oboritur, quod cicatricem lacerat ac diſrumpit. Cæterùm uitiati ac corru-
Oſsis uitiati notæ. pti oſsis ſigna hæc ſunt. Primò ferè pingue fit: deinde uel nigrum, uel carioſum.
Quæ ſupernatis (ut Celſus ait) grauibus ulceribus aut fiſtulis, hiſq; uel longa ue
tuſtate, uel etiam cancro occupatis, eueniunt. Quæ nam igitur horum ulce-
rum curatio erit? certè eatenus exiccare, quatenus ſquamma affecti oſsis ex-
Quæ oſsium ſquamas excidere faciant. ciderit. Oſsium autem ſquammæ facilè excident, ſi agreſtis papaueris, & fici ar
boris folijs cum polenta læuigatis, atque ex uino illitis ipſius oſsis ſinus conca
uos repleueris, aut alterci (quem Græci hyoſcyamum dicunt) ſemen & atra-
mentum ſutorium, pari pondere contrita impoſueris. Sed & peucedani radix
contrita, ſubitò ſquammas oſsium remouet, ac ſeparat. Squammas etiam oſsi-
um breui detrahit, & nouam probamq; carnem deſuper renaſci facit, ſequens
Empl. Auic. medicamentum, quod admirabile uocat Auicenna. Recipit autem ariſtolo- »
chiæ, ireos, myrrhæ, aloës, corticis plantæ panacis [ex qua fit ſuccus opopanax »
Canabil. dictus] canabil (quod apud Arabes genus eſt cuiuſdã tetræ rubræ minutæ ut are »
Terra eretrias. na, & Galeno ac Græcis eretrias, ut puto, dicitur) aduſti, ſcoriæ æris, corticis pi- »
ni, ſingulorũ portiones æquas, melle omnia excipiantur, & fiat emplaſtrũ. Opor »
tet autem ante omnia uitiatum ac corruptum os nudare, ulcere exciſo, & ſi la-
tius eius corrupti oſsis uitium eſt, quàm ulcus fuit, carnem ſubſecare, donec in-
tegrum os undiq; pateat. Oſſe autem ſic nudato, totum id quod pingue & cor-
ruptum eſt, candente ferrameto ſemel iterúm ue (ut res exigit) admoto aduren-
dum eſt, ut ex eo ſtatu ſecedat. Aut certè eradendum, donec iam aliquid cruoris
oſtendatur, quæ integrioris & minimè corrupti oſsis nota eſt. Neque alia faci-
enda ſunt, ubi caries nigritiés ue in ſummo oſſe eſt. Siquidem id uel paulò diu-
tius eodem ferramento adurendum uel radendum eſt. Porrò qui radit hæc
(inquit Celſus) audacter imprimere ferramentum debet, ut & agat aliquid & ma
turius deſinat. Finis eſt, cum uel ad album os, uel ad ſolidum uentum eſt. Albo
nanque finiri ex nigritie uitium, ſoliditate quadam ex carie manifeſtum eſt. Ac-
Si caries altè deſcendit. cedere etiam cruoris aliquid integro ſuprà dictum eſt. Cæterùm ſi caries altè de
ſcendit, per terebram urgenda crebris foraminibus eſt, quæ altitudine uitium
æquent. Tum in ea foramina demittenda candentia ferramenta ſunt, donec
inde ſiccum os ex toto fiat. Simul enim poſt hæc & reſoluetur ab inferiori oſſe
quodcunque uitiatum eſt, & is ſinus carne replebitur, & humor, aut nullus po-
ſtea feretur, aut mediocris. Sin autem nigrities eſt, aut ſi caries ad alteram quo-
que partem oſsis tranſit, oportet excidi. Sed quod totum uitiatum eſt, totum
eximendum eſt. Si inferior pars integra eſt, eatenus, hoc eſt, uſque ad ſubiectam
partem oſsis integram, quod corruptum eſt, excidi debet. Sunt qui poſt abra-
Vſtio. ſionem cauterium admouendum eſſe ſuadent: nec immerito ſanè. Nam ſi corru
ptela oſsis ex humiditate excrementoſa & ſuperuacanea, ipſius oſsis ſubſtanti-
am labefactante ortum habet (ut certè magna ex parte habet) nullum præſen-
tius aut tutius remedium excogitari poteſt, ipſa uſtione ſeu cauterio (ut uo-
cant) actuali. Hoc enim decenter admotum, & citò, & tutò, in ſummo quoque
Quæ poſt uſtionem facienda. & in alto (non ſecus quàm ignis ipſe actualis) deſiccat. Poſt uſtionem uerò fer-
ro candente factam roſaceum calidum infundunt. Guido autẽ à Cauliaco poſt
uſtionem cauterio (ut dicunt) actuali (quod in hoc affectu magnoperè probat)
decenter factam, roſaceum oui candido liquore permiſtum, tribus primis die
bus admouet: triduo uerò alio ſequente, loco albuminis, luteũ oui (quod uitel-
lum appellant) rhodino, id eſt, roſaceo cõmiſcet: Poſtea butyrum cum melle ro
ſato infundit. Sed præſtat eius uerba hoc loco ſubijcere. Ego, inquit, poſt caute »
rium pono oleum roſarum cum albumine oui per tres dies, & per alios tres »
dies cum uitello oui, & poſtea butyrum cum melle roſato. Et deſuper continuò »
unum de mundificatiuis uſq; ad oſsis exfoliationẽ, & poſt cũ puluere emplaſtri »
dicti, hoc eſt, ex Auicenna ſuperius commemorati, incarno, & conſolido. »

De vlceribus dyſepulotis inueteratis, & ijs quæ cacoëthe, & chironia dicunt. Cap. XV.

VLCERA quæ ad cicatricẽ ægrè ducũtur, Galenus Græcè dyſepulo- Dyſepulota.
ta nominat. Quæ uerò ægrè ſanabilia, doloſa, malefica ſiue maligna,
cõtumacia, rebelliá ue dicimus, eidem & Græcis alijs qui de re me-
dica ſcripſerunt authoribus, cacoëthe nominatur. Hæc quoꝗ, præ- Cacoëthe.
ſertim inueterata, & quæ uix cicatricẽ recipiunt, alij chironia appellarunt, ceu Chironia.
Chirone medicinæ peritiſsimo indigentia: alij telephia, quòd in tali ulcere Tele Telephia.
phus cõſenuerit. Galen. lib. quarto de cõpoſitione medicamentorũ ſecundum
genera, ulcera cacoëthe diuidit penes uehementię differentiá in maligniora, ſeu
præter modum malefica & mediocria ſeu moderatiora: Atꝗ hæc quidẽ imbe-
cillioribus, illa uerò ualentioribus remedijs curari præcipit. Illa autẽ nõ medio-
criter, ſed maximè maligna contumaciaꝗ; ulcera, Aſclepiades atꝗ alij ueteres
(uel ipſo Galeno teſte) chironia propriè nominabant: Cæterùm Cornelio Cel Chironii ulce
ſo authore, chironium ulcus appellatur, quod & magnũ eſt, & habet oras duas ris deſcriptio
calloſas, tumentes: exit ſanies nõ multa ſed tenuis. Odor malus, neque in ulcere, ex Cornelio Celſo.
neꝗ in eius tumore eſt. Nulla inflammatio, dolor modicus eſt, nihil ſerpit: ideó
que nullum periculum affert, ſed non facilè ſaneſcit. Interdum tenuis cicatrix
inducitur: deindè iterum rumpitur, ulcúsque renouatur, & maximè in pedibus
& cruribus. His ſimilia ſunt, quæ Auicenna ægrè ſanabilia, & occultam quan- Auicenna.
„ dam nobis proprietatem habentia nominat. Hæc enim (inquit ille) neque pu-
„ trida ſunt, neque corroſiua, neque ambulatiua, ſed ſunt unius diſpoſitionis pla-
„ na, claudentia ſeſe, & recidiuantia ſæpe, hoc eſt, cicatricem frequenter ducẽtia,
„ & rurſus ſæpe ſe aperientia & renouantia. Porrò multæ ac uariæ ſunt cauſæ quę Variæ cauſæ
eiuſmodi malignorum, contumacium atque ægrè ſanabilium ulcerum coïtio- propter quas non ſaneſcat
nem & ſanationem remorantur & impediunt. Nempe fieri aliquando poteſt, ut ulcus.
labra exulceratæ partis calloſa & dura, cauſa ſint, quo minus ſaneſcat ulcus. Po Labra calloſa.
teſt etiam cauſa eſſe intemperies, uel quæ citra tumorem præter naturam in ul- Intemperies.
ceratis partibus conſiſtat, uel quæ cum tumore quidem aliquo coniuncta ſit.
Poteſt & uarix ſuperiacens, uel lienis auctior & malè affectus, uel in iecinore ui- Varix.
tium aliquod: præterꝗ hęc omnia, imbecillitas ægrę partis, quę (ut Galenus ait) Lienis aut iecinoris uitiũ.
ipſa quoꝗ intenſa quædam eſt intemperies, ulceris curationem in multos men- Imbecillitas partis.
ſes protrahere. Quinetiam uitioſus in toto corpore ſuccus (cacochymiam uo- Cacochymia.
cant) maxima cauſarum eſt, quæ incommodare ulceribus poſſunt, & ea diutur-
na contumaciaꝗ efficere. Vexat ſanè non minus ulcera, atque ea curatų diffici-
lia reddit, ſuccorum æquabiliter ſe habentium exuperantia, quam plethoram Plethora.
appellant. Quæ omnes cauſæ, & ſi quæ ſint aliæ, in duas (ut ſuprà docuimus) re-
uocari poſſunt: nempe in carnis ſubiectæ intemperiem, & humorem confluen-
tem. Itaque ſi eiuſmodi ulceribus dyſepulotis, id eſt, ægrè cicatricẽ admittenti-
bus, maleficis, contumacibus atꝗ inueteratis, aliquãdo mederi uelis, neceſſe eſt
cauſas, quæ illa creant, primum ſummoueas atꝗ abſcindas: deinde maligni ipſi-
us ulceris curationem aggrediaris. In morbis nanꝗ omnibus nedum ulceribus,
in quibus effectrix cauſa adhuc manet, ab hac inchoanda curatio eſt. Magna igi
tur attentione inſpiciẽdum uenit, num corpus totum cacochymum uel pletho
ricum exiſtat, uel lien, aut iecur malè afficiatur, uel labra ulceris dura, & colloſa
ſint. Item non aliqua inſignis ſubſit partis ulceratæ intemperies, aut etiam ua-
rix aliquis ſuperiacens fuerit, cuius occaſione contumax ad ſanandum ulcus
redditur. Ergo ſi totum corpus cacochymia aut plethora laboret, prius expur-
gare uacuareꝗ expedit, quàm medicamẽtum ulceri admoueas. Si uerò lien aut
iecur malè afficiatur, his prius prouidere, deinde ad ulcus curandũ uenire opor
tet. Ad eundem modum & uarices, qui ſæpe ſupra exulceratum locum ſunt, pri
us (ut ſuprà docuimus) tollendi ſunt, deinde mox ulcus ſanandum. Intemperies

quoq; atq; imbecillitas, quam ſæpe inſignis quædam parit intemperies, antequã ad ulceris curationem accedamus, corrigenda erit. Breuiter ei quod fluxionis in partem ulceratam decumbentis eſt cauſa, atq; ægrè ſanabile ulcus reddit, prouidendum, ac ſi fieri poteſt, medendum prius erit. Deinde maligni ipſius ulceris & contumacis curationem aggredi oportebit.

Malignorum & contumacium ulcerum ſummus curationis ſcopus.

Mordacia medicamenta qd efficiant.

Itaq; malignorum & difficulter cicatricem recipientium ulcerum, curationis ſummus ſcopus eſt, ualida citra demorſum exiccatio. Hæc enim ab alijs ulceribus hoc uno diſsident, quòd medicamenta citra demorſum atq; eroſionem uehementer exiccantia deſyderant. Quæ enim mordendo ulcus, & manifeſtam in eo exaſperationem excitando, dolorem inferunt fluores, hoc eſt, humores ulceratis partibus influentes irritant, & phlegmonas concitant. Talis igitur pharmacorum materia, quoad eius fieri poteſt, ad dyſepulota, id eſt, ægrè cicatricem admittentia, & cacoethe, id eſt, maligna ulcera, inuenienda eſt, unde ulcus citra mordicationem & dolorem ſicceſcat. Hæc autem non ita inuentu facilis ſtatim uidebitur, ſi attentius rem ipſam fueris contemplatus. Vt enim generalem hunc ſcopũ, nempe ualidã ulcerum deſiccationẽ aſſequaris, duo tibi alij ſcopi proponuntur: unus ut id quod influit, regeras repellás ue, ſi ſaltem qui ulceratis partibus influit ſuccus, nec multo plus iuſto, nec multò deterior ſit: alter, ut quod affectæ parti inhæret, infixumq; eſt, diſcutias. Atq; hæc contrariæ uires præſtant. Siquidem influxum reprimunt, quæ ſunt aſtringentia pharmaca: digerunt, impacta iam exceptaq; trahendi poteſtate prædita. Porrò quæ aſtringunt, ut plurimum exaſperant, atque hac occaſione moleſta ſunt. Trahentia uerò ac digerentia ex alto humiditates, non citra acrimoniam id efficiunt. At acrimoniam dolor aliquis neceſſariò ſequitur, ulceratam partem erodens. Atque ſic propter dolorem quem exaſperantia erodentiaq; concitant, humores (ut paulò ante dicebamus) ulceratis partibus influentes irritari, & ulcus phlegmone obſideri exediq; contingit. Ex quibus ſanè dictis colligitur, ulceribus dyſepulotis, id eſt, cicatricem difficulter recipientibus, præſidia inueniri non poſſe: & multò minus adhuc malignis, quæ Græca dictiõe cacoëthe ſuprà iam ſæpius uocauimus. Quid ergo nobis agendum erit, ut talia ulcera cacoethe & dyſepulota dicta, ad integram ſanitatem perducantur?

Duo alij ſcopi ad ſummũ & generalẽ ſcopum aſſequendũ neceſſarij.

1. Repellendũ quod influit.

2. Digerendũ quod iam parti inhæſit.

Medicamenta dyſepulotis & malignis ulceribus ſanãdis accommoda.

Deligenda ſanè erunt pharmaca, quæ utraq; ui & facultate (nempe aſtrictoria & digerente) polleant, atq; ita quod influit repellant, quod uerò iam affectę parti inhæſit, diſcutiant. His itaq; miſta facultate præditis medicamentis ulcera, de quibus nobis in præſentia ſermo eſt, citra eroſionem demorſũm ue, ut res expoſtulat, deſiccabis. Cæterùm tametſi medicamentum ex ambobus compoſitum, erodente pura & aſtringente, neceſſariò ualidum exiſtat, ſordes tamen, & humiditatis copia id genus ulceribus incumbens, ueluti propugnacula quædam ulceratis particulis facta, roſionem ualentibus pharmacis adimunt ſoluuntq;. Porrò artificio hac in re potius (ut uidetur) uti debebit medicus, quàm experimento inniti: nempe quòd ſciat rationalis medicus ulcus nõ alia medicamentorum uirtute curari, quàm dum affecta pars eam ſiccitatem cõſequatur, quã in naturali ſtatu ſita poſsidebat. Quod factum intelligimus, ubi neq; tenuis amplius ſanies influat, neq; pus producatur. Hanc autem diſpoſitionem ulcera nanciſcentur, quo dicebamus modo ſicceſcentia, hoc eſt, aſtricta diſcuſſaq;. Dein ubi ſicca quidem fuerint, uerùm ſordida adhuc appareant, deterſorijs pharmacis repurgantur. Cęterùm cum manifeſtò conſtet omnibus in artus operibus exercitatis rationem ſine operum exploratione probabilem non eſſe, medicus diligenter attendere debet, quẽ effectum medicamentũ ulceri adhibitum, quotieſcũq; ipſum ſoluerit, in particula ulcerata præſtiterit, quantum ſcilicet humiditatis in ulcere deſiccauerit, uel ſi etiã ſordes adſit, quantũ inde abſterſerit. Sed & animũ intendere oportet, utrum ulcus carne quæ ſubeſt exeſa, ac colliqueſcente, ſordidum

Lib. 4. comp. ſecundum genera.

Diligenter inſpiciendum, unde ſordes

dum euaſerit,an quia medicamen ſordibus auferendis aptũ requirat, impoſitũ uerò tale non ſit. Quod nimirum medicis etiam bonis (Galeno atteſtãte) exiſtimatis,nonnunquam impoſuit,ac noſtris quoq; chirurgis quotidie adhuc imponit. Vbi enim ulcus poſt unam aut alteram medicamenti appoſitionem ſordidius conſpexerint,ſtatim non cogitantes,an id ex roſione pharmaci acciderit, ad abſterſoriũ ualentius acriusq; ſe cõferunt, unde iterum ulcus eroſum ex æquo ſordidum,uel etiam magis adhuc altera ſolutione uiſitur. Carne enim id fœdatur,à medicamento colliquata. Nam ita in prauam ſaniẽ degenerat. Quicquid autem in his ipſis tenuioris ſubſtantiæ eſt,à pharmaco diſflatur, reliquum ibidẽ ulceribus infixũ,ſordes ipſis redditur. Cæterùm cum ampla ſit latitudo utrinq; in eo,quòd alterum ulcus altero magis minús ue dyſepulotum malignumq; ſit, corporaq; omnia, quibus mederi cogimur, non eandem omnino temperaturam ac diſpoſitionẽ habeant,ſed alia uitioſo ſucco,alia plethora laborent,quædam dura & robuſta ſint,quædam uerò tenera & mollia, atque ad ſentiendum inſigniter habilia: fieri non poteſt, ut uno eodemq; medicamento omnibus indifferenter dyſepulotis & malignis ulceribus,quæuis corpora occupãtibus,medeamur: ſed tantum medicantium pharmacorum (ut Galenus ait) eſſe numerũ oportet,quantus ipſorum quoque ulcerum extiterit. Ergo in curandis eiuſmodi ulceribus ægrè ſanabilibus,ſuppoſita eorum natura, & maiori cuiuſque minori ue à naturali habitu receſſu, laborantis cuiuſq; corporis habitus ac diſpoſitio diligenti animaduerſione erit cõſyderanda. Deinde cuiuſque medicamenti tam ſimplicis,quàm compoſiti,uis & facultas adamuſsim ediſcenda. Quæ ſcilicet deſiccant, non tamen ulceris ſordes abſtergunt. Item quæ abſtergunt quidem,non tamen probè deſiccant,ac quæ utrunq; etiam poſſunt efficere. Sed & accuratè proſpiciendum eſt,ex quoto quodq; medicamentum ordine exiſtat, hoc eſt,an imbecillum, an moderatum, an ualidum. Atq; in uno quoq; ordine maioris minoris ue ratio attendenda erit. Quod maximum Galeno cenſetur, inter ea quæ ad horum ulcerum curationem pertinent, neglectum tamen (inquit) pleriſque medicinalis materiæ ſcriptoribus. Nam hi ſolas uniuerſales ipſius uires dicere ſtuduerunt: inter quos fuit & Dioſcorides,quem nulli eorum, qui in eadem quaſi arena deſudarunt,hoc eſt,de medicinali materia ſcripſerunt, ſecundum eſſe,uel Galeni ipſius teſtimonio quiſquam dixerit. Sed & qui compoſita medicamenta tradiderunt, de ijs indeterminatè, & citra diſtinctionem ſcripſerunt. Neque enim uirtutem ipſius medicamenti,an ſcilicet ualidiſsimum an moderatum uel imbecillum eſſet,explicuerunt: neq; difficultatis aut malignitatis latitudinem ipſorum ulcerum,aut naturam habitúm ue corporum ulcere laborantium expreſſerunt: qua nimirum diſtictione omiſſa, permultos medicos & chirurgos interdum benè,interdum malè, ipſis pharmacis, quæ poſteris ſcripta reliquerunt, uti contingit: ideóque nonnunquam ſcopum mirificè aſſequi,interim ab illo errare,aliò delabentes. Itaq; non iniuria tam ueteres, ut Andromachus,Crito,Aſclepiades,quàm recentiores ſcriptores accuſandi ueniũt, qui ſine ulla diſtinctione remedia ſcripſerunt ad dyſepulota, id eſt, cicatricem difficulter recipientia: item ad cacoëthe, id eſt, malefica, ſeu maligna & contumacia ulcera: plurima enim ex ijs ſunt uirtute inuicem longè diuerſa. Siquidem nonnulla horum uehementiora ſunt,alia moderatiora: quædam uerò imbecilliora. Adde quòd & alia ulcera (ut diximus) magis,alia minus dyſepulota, & difficilia malignáque ſunt. Sed nec corpora omnia eius generis ulceribus ſcatentia,eiuſdem prorſus (ut paulò ante dicebamus) naturæ ac diſpoſitionis reperiuntur. Quare neq; eadem omninò medicamenta deſyderant. Itaque ad maligniora ulcera,& corpora duriora ac robuſtiora, ualentioribus utendum erit remedijs: ad mediocria uerò,& molliores ac delicatiores corporum habitus,imbecillioribus. Meritò igitur (ut initio quarti libri de compoſitione medica. κατὰ γένη

[Marginal notes:]

in ulcere enata ſit.

Nõ unũ idẽq; medicamentũ omnibus corporibus mederi poteſt.

Libro quarto κατὰ γένη.

Quæ in curandis malignis ulceribus præcipue conſyderanda.

Dioſcorides.

Qui de medicamentis indeterminate & citra diſtinctione ſcripſerũt, erroris occaſionem alijs dederunt.

ſcribit Galenus)omnes,qui unum duntaxat medicamentũ, ulceribus malignis cicatricem inducere promittentes,habent,ſucceſſu crebrò fruſtrantur.Nã duo (minimum)quæ idem pollicentur,eandemq́ facultatẽ oſtendunt, diuerſa alioqui inter ſe non ſimpliciter maioris minorisq́, uerùm (ut inquit ille) maximi ac minimi ratione, in promptu adeſſe illi conuenit,qui omnia id genus uitia curare propoſuerit.Nos itaque deinceps pharmaca, primùm quidem ſimplicia, deinde compoſita recenſebimus, ac etiam ſeriatim enumerabimus,quæ ulcera(de quibus nobis hic ſermo eſt) citra demorſum, & manifeſtam exaſperationem exiccare poſſunt. Cæterùm cum uariè (ut iam ſæpius dictum eſt) inter ſe differant, in eo quòd magis minús ue ſiccent, expreſſam eorum mentionem faciemus,quæ ualidè ac uehementer, quæ moderatè, & quæ obſcurius ſeu imbecillius exiccent: à metallicis,Galenum ſequuti,incipientes:quibus etiam terræ ſpecies annumerantur.Siccant igitur modicè lemnia ſphragis ſiue lemniũ ſigillum, ita quidem cognominatũ ob impreſſam illi ſphragida,hoc eſt,ſigillum Dianæ ſacrum,nos & terrã ſigillatã eam uocamus.Et cadmia,quã climiam & cathimiam nuncupant.Hæc aũt pluribus deinceps diebus ſub canis ſeruore ex aceto trita, aut uino planè giluo,& ſubſtantia pellucido, facultatẽ acquirit magis ſiccantẽ. Quòd ſi ex acri aceto teratur ſiccataq́ reponatur, ulceribus ualdè etiã magnis, Galeno & Aëtio cõmodè inſpergitur. Valentius cadmia & lemnio ſigillo, hoc eſt, terra ſigillata, pharmacũ eſt chalcitis (quæ ſpecies eſt uitreoli, apud Arabes colcotar,chalcadis & zegi nuncupata) combuſta in cadmiæq́ morem trita, atque in puluerem redacta,& poſtea exiccata.Nam cruda,hoc eſt, ignem non experta,tanta pollet efficacia,ut iam cruſtas inducat. Lota quàm uſta minus deſiccat,minusq́ mordax reperitur. Perſimile quoq́ medicamentum eſt ærugo cremata,quæ & æris ærugo etiam dicitur, & uulgò hodie ab omnibus uiride æris. Non combuſta autem nimis efficax medicamen eſt,ſicuti & chalcitis, quæ ignẽ non experta eſt. Verùm hæc (chalcitis inquam) nonnihil etiam aſtringit, & ea multò magis adhuc chalcanthum,id eſt,atramentum ſutorium,quod inter metalla maximè ſiccat. Miſy autem & ſori chalcitidi genere cognata ſunt, ex una, ut ita cum Galeno dicam, radice producta. Itaque tria hæc (quæ ſub uitreoli genere comprehenduntur)maioris tantum & minoris ratione differunt. Stibi ſiue ſtibium,quod Græcis ςίμμι,uulgò autem in officinis antimonium dicitur,magis quàm ſori deſiccat & aſtringit. Porrò diphryges appellatum pharmacum, ulceribus ægrè humiditatis uitio ad cicatricem uenientibus aptiſſimum eſt. Validè enim deſiccat, tametſi modicè mordax ſit. Adhæc præter acrem tum qualitatem, tum potentiam, uim habet aſtrictoriam: quas tamen utraſque fortiores, & chalcitis cruda, & chalcanthum, id eſt, atramentum ſutorium repræſentat. Omne quoque aluminis genus ulcera exquiſitè deſiccat, & generoſe aſtringit.Vnde nemo(inquit Galenus)ſolis his ad ulcera utitur, ſicut nec cruda chalcitide & ærugine:uſta uerò & hæc, & miſy utilia ſunt: ut elota morſum quidem remittunt, uerùm minus ſiccant. Illud enim metallicis omnibus commune eſt, quòd combuſtis elotisq́, eroſio quæ prius affuit, edomatur ac interit. Quamobrem his ſic crematis & lotis uti quidem licebit in pueris, eunuchis, mulieribúsque, præſertim candidis, imò etiam & uiris, qui cute alba uiſuntur, & molli carne natura ſunt prædití. Item in eis, qui ad ſentiendum habiles admodum ſunt, & plethora uitioſóque ſucco laborant. Talium enim corpora facilè ex morſu, ſeu roſione phlegmonem acceſſunt. Itaque cum permulta corpora, quibus mederi cogimur, unam quandam diſpoſitionem habeant, qua uehementem commorſum ferendo non ſunt, tutius eſt lotis, quàm non lotis uti. Cæterùm alia præter hæc metallica ſuperius commemorata, plurima adhuc ſimplicia ſunt pharmaca,quæ malignis ulceribus curandis ſunt idonea. Sarcocolla nanque, & ichthyocolla,id eſt,gluten piſcium,& his magis adhuc chryſocolla, quam

Ordo dicendorum.
Moderatè ſiccantia ſimplicia.
Lemnium ſigillum.
Cadmia.
Chalcitis.
Aerugo.
Chalcanthũ.
Miſy.
Sori.
Stibi uel ſtibium, uulgò antimonium.
Diphryges.
Alumen.
Eroſio metallicis per combuſtionem edomatur.
Tutius eſt lotis metallicis, quàm non lotis uti.
Sarcocolla.
Ichthyocolla.

quam auri glutinum appellant, tali facultate prædita ſunt. Huc etiam optimè faciunt plumbum combuſtum, plumbiq́ recrementum, quod σκωρίαν μολύβδου Græci uocant, & uulgus cacaturam: ſiccat & ferri ſquamma, præſertim ſtomomatis, id eſt, partis ipſius ſquammæ ſubtilioris, hæc enim probè ſiccat. Porrò æris ſquãma, ex malleorũ percuſsionibus decuſſa quæ Græcè λεπὶς χαλκοῦ, uulgò autẽ batitura æris dicitur, præter quòd ſiccat, etiã abſtergit purgatq́ Galeno & Aëtio, unde pura quoque ulcera efficit, quod reliquæ ſquammæ præſtare non poſſunt. Itaque ſi hæc omnia medicamenta arida ulceribus malignis ac contumacibus inſperſeris, mirificè (inquit Galenus) uidebis citra eroſionem ea deſiccari, ſicut ubi buccinorum purpurarúmque, oſtreorum [ſepiarum] aliorumq́ id genus oſtracordermorum piſcium teſtas cócrematas, & (ut addit Aetius) lotas adhibueris. Vitrum combuſtum leuiter ac ſine morſu exiccat, hinc dyſepulotis, id eſt, cicatricem difficulter admittentibus, non item malignis ac rebellibus conducit: quippe minus exiccat, quàm illa requirunt. Cæterùm galla omphacitis, hoc eſt, immatura: & malicoria, id eſt, mali Punici cortices ſeu putamina, cremata & arida appoſita, ad malefica & quæ malè coaleſcunt ulcera, efficaciſsimum medicamentũ deprehenditur. Hæc enim non ſolùm ſiccandi, ſed etiã aſtringendi poteſtatem habent. Cortex etiam capparis tritus & aridus, malefico & putrido ulceri utiliſsimè imponitur Aetio. Malum terræ, quod Græci ariſtolochiam appellant, iris, acorum, arthemiſia, panacis radix, argemone, chamæleontis nigri radix, cyperũ, dracunculus & gladiolus affatim exiccant Galeno. His euidentius adhuc centaurium & polium: quibus paulò imbecillior eſt terra nomine eretrias, quæ Auicénæ & alijs ſectæ Arabicæ ſcriptoribus cambil nominatur. Talis ſanè medicamentorũ ſimplicium, ad dyſepulota ulcera, maligna ac contumacia, materies exiſtit, quibus & humorum fluxionem intercipere, & locum ulceratum ualenter, citra demorſum tamen atque eroſionem, exiccare poſsis. Quomodo autẽ ſimplicibus eiuſmodi medicamentis ſiccis modò commemoratis, in ulceribus ad cicatricem ægrè uenientibus, & malignis utendum ſit, ex Galeno & Aëtio requirendum eſt. Porrò ex his ſuprà memoratis ſimplicibus pharmacis, Galenus libro quarto de compoſitione medicamentorum ſecundum genera, uarias remediorum formulas, nempe cerata, unguenta, emplaſtra, & pulueres conficit, quæ ad eiuſmodi maligna, & ægrè ad cicatricem uenientia ulcera, mirè proficiunt. Ex cuius quidem ſcriptis Auicenna formulam unam medicamenti deſumpſit, quam magnopere Guido à Cauliaco, & illius ætatis chirurgi celebrarunt. Recipit autem cadmiæ, aluminis, chryſocollæ, id eſt, glutini auri, ſingulorum partes octo, floris æris, qui ſua ſpontè ex ære proſilit, & corticis æris, hoc eſt, æruginis, quæ in officinis uiride æris nominatur, & Græcis ἰὸν ξυστόν, uſtorum ana partem unam, gummi cupreſsi, partes quatuor, ceræ, olei roſacei, aut myrtini ana quantum ſatis eſſe uidebitur, fiat unguentum. Cæterùm, cum unum omnibus medicamentum (ut frequenter dictum eſt) commodè adaptari non poſsit, tutiorq́ ſit leniorum pharmacorum uſus, mordaciorum uerò periculoſior, compoſita medicamenta diſtinctè hoc loco deſcribã, quæ ad dyſepulota, id eſt, cicatricem difficulter recipientia, inueterata, contumacia, maligna, & chironia ulcera, ex Galeni ſententia bene faciunt: primumq́ mitiora ac moderaciora referam: deindè ualidiora, ac potentiora ſubijciam.

Chryſocolla.
Plubum combuſtum.
Scoria plũbi.
Squãma ferri.
Squãma æris.
Oſtracordermorum teſtæ concrematæ.
Vitrum combuſtum.
Galla omphacitis.
Malicorium.
Cortex capparis.
Affatim exiccantia.
Terra eretrias
Cambil.
Vnguentũ Auicennæ longè optimum.
Aerugo uel æris ærugo, eſt uiride æris.
Lib. 4. de cõpoſit. medic. κατὰ γένη.

Andromachi emplaſtrum ac vlcera dyſepulota, id eſt, ægrè ad cicatricem venientia, ſed nondum maligna, quod probatur Galeno.

Diphrygis denariûm pondo quatuordecim, argenti ſpumæ, denariûm pondo quadraginta, ceræ denariûm pondo quinquaginta trium, olei myrtei pondo unciæ decem.

Aliud eiuſdem generis mitiſſimum & leniſſimum.

ELoti plumbi denariûm pondo duûm, ſpodij denariûm pondo quatuor, cadmiæ tantundem, diphrygis denarij pondo unius. Ea omnia excipiantur terebinthinæ denarijs ſex.

Aliud cicatricem obducens, imbecillius autem, quàm vt cacoëthe perſanet.

COmpoſitio hæc capit molybdenæ, id eſt, plumbaginis, drachmas quinque & uiginti, diphrygis drachmas quatuor, ſorios[aut uitreoli] drachmas duas & ſemiſſem, miſyos toſti drach.2. terebinthinæ drach.9. ceræ & myrtei utriuſuſque drachmas decem. Porrò in omnibus eius notæ pharmacis, illa quæ liquari poſſunt, liquefacta & refrigerata, deinde raſa ſiccis diligenter in puluerem redactis admiſceto. Nam ſi liquida ipſis affundas, ſæpe fient grumi ceræ modo, maximè cum frigus fuerit. In ſole ſeruenti ſi miſtura fiat, licet ea ſuperfundere: mouendo uehementer rudicula primùm, deinde cochleari. Præſtat autem in hiſce omnibus (inquit Galenus) rudiculam palmæ eſſe ramuſculum.

Aliud medicamen epuloticum, id eſt, cicatricem ducens optimum, quod διὰ λαδάνου, id eſt, ex ladano inſcribitur, ad Critonem relatum, calloſis, veteribus, & curatu difficilibus vlceribus apprimè idoneum.

PIcis aridæ denariûm pondo uiginti quinque, æruginis raſæ denariûm pondo octo, æris combuſti denariûm pondo quinque, ſquámæ rubræ denariûm pondo octo, ladani uncias tres, uini optimi ſextarium ſemis, quod capit uncias duodecim Oribaſio. Conuenit etiam hoc medicamentum prætumidis ulceribus, & cauis. Deligatum uerò membrum in diem quartum continendũ eſt. Argenti ſpumam & oleo coquito, donec aliquam ſpiſsitudinem accipiant: deinde ſquammam æris, æruginem dum confluxerint, ut colorem bonum acquirant, mox picem adijcito. Poſteaquam refrigeratum fuerit, ladanum ex uino tritum: obſeruans ne ex hoc adiecto, efferueſcat. Poſtremò ſuprà moderatum ignem unita confundito ſubigitoque.

Mediocre medicamentum ad moderatè maligna vlcera idoneum.

ACcipe æris combuſti, & æruginis utriuſque unciã unam, aluminis ſciſsi, uel ſciſsilis (quod uulgò in officinis alumen de pluma appellatur) ſemûciam, ceræ uncias duas ſemis: hoc pharmacum temperatum eſt, & medium facultate. Porro minus mordebit medicamentum, leneque prorſus efficietur, ſi loco aluminis ſciſsilis diphrygem acceperis, & æruginem combuſtam appoſueris. Quod ſi expurgare ſordes ſtatueris, æris ſquammæ ſemuncia addetur. Hęc autem pingui cera & recenti excipienda ſunt. Quòd ſi ſiccior paulò fuerit, quàm ut commemorata excipiat, temperandum eſt oleum myrteum, quo molleſcat: uel melinum, quod oleum de cydonijs appellant: uel ricininũ, quod uulgò in officinis oleum de cherua nominatur: uel omotribes uetus. Aut ſi omnino nihil oleoſum medicamento adhibere placet, laricem reſinam admiſceto: cuius ſi copia non eſt, terebinthinam aſſumito.

Aliud validius medicamentum ad chironia vlcera, id eſt, non mediocriter, ſed maximè maligna contumaciaque ex Aſclepiade.

AEris ſquammæ, & æruginis raſæ utriuſque pondo unciam, ceræ ſelibrã, hoc eſt, uncias ſex, reſinæ laricis, uel ſi eius copia non eſt terebinthinæ, pondo unc. & ſemiſſem. Ea quæ liquari poſſunt aridis affundũtur. Quibus acceptis ac curioſe mollitis utitor. Item platyſma (hoc eſt, linteum latum, cui emplaſtrum il- Platyſma.
litum ſit) exiguum ſoli affectæ parti, ut ulcus tantùm comprehendat, inijcito.

Cæterùm ambientes particulas,pharmaco quod phlegmonẽ arceat, circundare oportet,atq; inter curandum tertio quoq; die ſoluere expedit,deinde fomentis mitigare, ipſumq́; emplaſtrum quod à latitudine platyſma uocatur, abluendo emollire,ac rurſum(ut iam ſuprà diximus)imponere donec cicatricem inducere incipiat. Porrò mediam ac (ut Galenus ait) ſymmetriam habebit temperiem,ut etiam modicè maligna curet,ſi non tripla,ut in præcedenti deſcriptione, ſed quadrupla ceræ portio metallicis,ſquammæ ſcilicet & ærugini cõmiſta fuerit.Sed moderatius adhuc extiterit,ſi quincupla adijciatur, ut nondum cacoethe,ſed ægrè cicatricem ducentia perſanet. Itaq; cum auxilium ad aliquid ſpectet,ac mollius pharmacum ad moderatiora cacoethe, id eſt, malefica, magis quàm uehementius conducat, ſatius fuerit in ulceribus non ita malignis & contumacibus,ceram quadruplam uel quincuplam amborum ſimul metallicorum eſſe,ut rectè Galenus admonuit.

Aliud pharmacum vehemens & mitigatorium ad cacoëthe, Andromachi.

CEræ tyrrhenicæ [uel eius loco pinguis & recentis, optimæ] drachmas octo,ſeui taurini,terebinthinæ,plumbi uſti, ſingulorum drachmas quatuor, linamentis excepto utitor.

Ad deſperata vlcera, quorum ſcilicet curationem plæriq; aggreßi, non abſoluerunt, ſed tanquã ab inſanabilibus deſtitere, emplaſtrum admirandum, cui, Galeno authore, cum propter alia, tũ quoniã longo experimento probatũ eſt, multũ cõfidere oporteat.

SOrios[cuius loco uitriolum ſumi poteſt] drachmas uiginti quatuor: aluminis ſciſsilis[quod uulgò alumen de pluma nominant] calcis uiuæ, malicorij, [id eſt,corticis mali granati]ſingulorum drachmas ſexdecim: thuris, gallarũ immaturarum, utriuſque drachmas uiginti duas: ceræ drachmas centũ uiginti: ſeui uitulini, uel ſi eius copia non ſit, ueteris ſuilli, quam axungiam uocãt drachmas centum ſexaginta: olei ueteris heminam, hoc eſt, uncias nouem.(Aetius aſſumit olei antiqui libram unam.) Arida trita, & tenuiſsimo cribro excuſſa, denuò ſimul terito.Quæ deinde his quæ liquari oportet,liquatis & ab igne remotis,per miſceto: Cumq́; omnia probè unita fuerint alumen, thus, ſori, calcem, ſingula prius è uino aſtringenti trita adijcito,& utitor. Dum Galenus medicamentum hoc conficeret,oleum & adipem quadraginta annorum adijciebat,atq; ita ſem per diuturna ulcera,præter modum maligna ac deplorata * opinione melius ſanauit.Eius autem generis ſunt ea,à quibus pars affecta in tam uitioſum ac deprauatum habitum ducitur,ut ſanguinem probè etiam coctũ, qui ad eam nutriendi cauſa defertur,mutet corrumpatq́;,uel id quod influit adeò cacochymũ exiſtit,ut etiam ſi pars nihil paſſa fuerit,ab illo certè ipſo ſolo erodatur. Hoc itaque medicamento quod noxium eſt,tranſmutatur atque diſcutitur.Satius autẽ fuerit cacochymiam prius conuenienti medicamento expurgare,deinde (ut ſuprà monuimus) ulceris curationem aggredi.

In codice Græco Galeni & Aetij hęc pondera reperiuntur.

Hemina Græcis cotyle dicta, continet olei uncias 9. uini 10. mellis 13.

Oleũ & adeps annorum 40.

* Opinioe melius, id eſt, melius quàm homines opinabantur.

Aliud Galeni, ad chironia vlcera in mollibus corporibus.

CEræ libram unam: ceruſæ uncias octo: roſacei libram unam: ſalis ammoniaci uncias quatuor: ſquammæ æris uncias duas: thuris, aluminis, æruginis, malicorij, calcis uiuæ, ſingulorum unciam unam: quæ liquari debent, liquata & frigefacta, aridis è uino tritis admiſceto, atque placidiori igne decoquito. Cæterùm innumeræ propemodũ aliæ formulæ compoſitorũ medicamentorũ ex ueterum ſcriptis à Galeno libro quarto de compoſitione medicamentorũ ſecundum genera referuntur, quæ ad dyſepulota, cacoethe, inueterata & chironia ulcera perſanãda apprimè idonea ſunt. Ex illo igitur libro, ueluti è ſylua quadã remediorũ, rationalis quiſq; medic⁹, & qui methodũ ab eo illic traditã artificioſe

didicerit,idoneam ulceri,quod curandum ſuſcepit,remedij formulam ſibi diligere poterit,atq; hac ſolus uti ſciet.Porrò nonnullas eaſdemq; ex ipſis præcipuas,exempli gratia hoc loco aſcripſimus, quò magis lectori ad manum eſſent, & in particularibus non uniuerſalibus ſolis contentus,exerceretur. Sed iam tempus eſt, quartam curandorum ulcerum in uniuerſum intentioné proſequamur.

Quarta intentio curandorum ulcerum.

Quarta igitur intentio curandorum ulcerum cum alijs diſpoſitionibus complicatorum,quæ ablata,& (ut loquũtur)rectificata diſpoſitione agglutinationi ſeu conſolidationi repugnante, loci ulcerati curationem nos aggredi debere ſuadet,ijſdem omnino intentionibus & modis perficitur,qui ſuprà dicti ſunt in curatione uulnerum concauorum,in quibus ſubſtantiæ aliqua deperditio facta eſt.Proinde methodus ac curandi ratio,quæ illic à nobis tradita eſt, in memoriam reuocanda erit.Itaq; cum tanta ſit curationis ulcerum, cum uulnerum atq; etiam apoſtematum curatione communitas ac conuenientia,nil mirum ſi Galenus multis locis eorum tractationem ac doctrinam commiſcuerit.Cęterùm his ita ad umbilicum deductis, tempeſtiuum eſt de proprijs ac (ut dicunt) famoſis ulcerum differentijs pertractemus,inter quas primum ſe offert ulcus,quod uirulentum & corroſiuum appellitant.

De proprijs ac (vt loquuntur) magis famoſis vlcerum differentijs, & primò de vlcere virulento, & corroſiuo, quod Græcis nomodes, id eſt, exedens appellatur. Cap. XV.

Cauſæ.

QVID ſit ulcus uirulentum ſeu ſanioſum,& ulcus corroſiuũ ſiue arrodens, quid item ambulatiuum & depaſcens ſiue manducans,quod Græci νομὴν appellant,& quomodo hæc inuicem diſsideant in definitionibus differentiarum ulcerum,abundè eſt explicatum.Excitantur autem eiuſmodi ulcera à prauis humoribus, ſed præſertim bilioſis, acribus, & mordacibus,qui propter aduſtionem cacoëthiam quandam,hoc eſt,malignitatem acquirunt.Atque hæc magna ex parte oriuntur poſt herpetas, & prurientes puſtulas, quas acris & bilioſus humor excitauit: atque etiam poſt uulnera, quæ mordacibus medicamentis exacerbata atq; irritata fuêre.

Curatio ulceris exedentis.

Cæterùm ut ad perfectam ſanationem perducantur eiuſmodi ulcera, triplici egent auxiliorum genere,ſicuti & pleraq; alia,nempe uictus ratione proba, & conuenienti purgatione, quæ ſucco prauo, acri, & eroſionem in affecta particula excitanti, ſit accommoda,& localibus remedijs.

Hypotheſis. ex lib. 4. ther.

Age igitur, eſto aliquis qui ſanus quidem ſit, hoc eſt,omnia naturæ munia inculpatè exerceat, ſed ex ſcabéda derepentè quapiam particula,ueluti brachio,puſtulam ſtatim excitarit,mox eadem ipſa particula iterùm atq; iterùm pruritu uexetur,puſtulaq; dirupta ulcus decolor,& inæqualiter eroſum gignatur,atq; hæc in tribus quatuór ue diebus à principio inciderint.Hac itaq; hypotheſi poſita, dicat mihi hoc loco quiſpiam, quó nam pacto ſanare huiuſmodi ulcus conueniat? Certè ut eius curationem feliciter aſſequaris,in primis qualis ſit totius corporis tali ulcere laborantis affectus, ſtatim tibi erit conſyderandum. Inuenies nanque tum ex ulceris ipſius ſymptomatis, id eſt,accidentibus,tum ex notis quas totum corpus præ ſe feret, cuius maximè generis ſit is, qui redundat ſuccus.

A purgatione incipienda curatio.

Atque hunc (ſi Galeni conſilium ſequaris) idoneo purgante medicamento protinus educes,nec protrahes, dum totus hominis cubitus affectum quendam contumacem rebellemq; curationi contrahat,quemadmodum facere ſolebant Theſſali ſectatores,ipſius uidelicet præcepta mordicus obſeruantes. Præcipitur nanque ab omnibus ferè (inquit Gale- „
nus) antiquis medicis,quicunque ratione quadam ac methodo de ulcerum cu- „
ratione ſcripſerunt,cauſas quæ illa creant abſcindendas eſſe, æquè profectò ut „
cęterorum omnium morborum.Itaq; hoc tibi tanquam commune pręceptum „
eſto, omnino in omnibus morbis nedum ulceribus, in quibus effectrix cauſa

adhuc

adhuc manet, ab hac inchoandam curationem eſſe. Hinc rectè monebat Galenus libro decimotertio methodi medendi, digerentia, hoc eſt, reſoluentia, ſeu diſcutientia medicamenta, nequaquàm particulis quibuſdam applicanda eſſe, ubi redundātia in toto corpore aut ſuperiacente particula ſubeſt. Quippe quòd hæc ſic admota, implerent potius quàm educerent. Itaque tunc à totius corporis, aut ſuperabundantiæ mittentis particulæ ſuperiacentis uacuatione incipienda curatio eſt. Deindè euaporante auxilio utendum. Facta igitur totius corporis ut decet uacuatione (ut factum quondam fuit in Romana quadam illuſtri muliere, quę herpetem eſthiomenum, id eſt, exedentem, in malleolo primum habebat, qui tandem ad bubones uſque aſcenderat) ad curationem particularis affectus, hoc eſt, ipſius ulceris arrodentis deueniendum erit. Ergo ſi particulam exulceratam atque arroſam, ſuprà modum calefactam uideris, ipſam ſtatim frigidis ſtypticis deliccātibus refrigerabis. Commodè autem feceris, ſi ulcus ipſum, & particulam totam ulceratam aqua aluminoſa ablueris: hæc enim ablutio magno uſui talibus ulceribus eſſe ſolet. Quippe quæ influentes humores potenter repellat, & ſiccandi facultatem obtineat, ut author eſt Auicenna. Poteris etiam affectum locum irrigare, uel aqua plantaginis & roſarum, uel aqua in qua ferrum candens extinctum fuerit, aut etiam decocto cyperi, myrobalanorum, cupreſsi, plantaginis, malicorij, balauſtij, quod flos eſt mali Punici ſylueſtris, & conſimilium. Vt autem ab ingruentibus defluxionibus, ſeu ab iniuria influentium humorum, ulcerata particula uindicetur, optimum fuerit, circumiacentes partes unguento ex bolo armena illinere. In medio uerò ulceris, puluis aliquis, qui uim deſiccandi habeat apponēdus erit, ut ex lithargyro, plumbo uſto, pompholyge, quæ uulgò tutia dicitur, antimonio, quod ſtimmi & ſtibium Græcè dicitur, ære combuſto, corallio, lapide hæmatite, ſpodio, lotis. Atque etiam ſidijs, id eſt, corticibus mali granati, myrobalanis, & id genus alijs. Item pannorum laciniæ in linamenta formatæ, ſiue plagulæ, quæ & ſplenia Græcis dicuntur, unguento albo Rhaſis illitæ, aut unguento, quod ſextam partē lithargyri recipiat, in quo omnes conſentiunt, uel unguento, quod diapompholygos nuncupatur, ſupra ulcus ipſum dandæ ſunt. Cæterum ſupra eiuſmodi pulueres, ac linamenta ulceri impoſita, puluillus, ſeu puluinus aliquis, quem plumaceolum uocant, poſca aquoſa imbutus, adhibendus erit: deinde conueniens deligatura, quam exprimentem nominant, cuius ſupra in tractatu de uulneribus meminimus. Guido à Cauliaco in talibus ulceribus ſolebat poſt lotionem abſque aliquo [hoc eſt, nullo alio adhibito auxilio] ponere laminam plumbi tenuem perforatam, in qua uirtus argenti uiui, cum aqua plantaginis erat infixa, & ligare ligatura exprimente, quod non eſt (inquit) fas loqui propter idiotas. Itaque tria hæc, molybdos, id eſt, plumbum, aqua aluminoſa, & deligatura decenter facta, miram ac ferè incredibilem uim habent, in ſanandis eiuſmodi ulceribus. Porrò deligaturam talem eſſe conueniet, quæ ad uſum magis, quàm ad elegantem formam conducat: hæc autem duobus modis fit, nempe uel unico uinculo ſeu faſcia una, uel duabus. Itaque ſi una tantum faſcia fuerit, principio eius uerſus ſuperiorem ulceris partem ſtatuto nectenda erit, ſiue ſura, ſiue genu, ſiue malleolus, ſiue cubitus, ſiue manus ſumma, aut alia quæuis pars laborauerit. At ſi duabus faſcijs uti malueris, quemadmodum in fracturis fieri ſolet, altera à parte affecta, hoc eſt, ab ipſo ulcere, ad ſuperiorem regionem feretur, altera deorſum prius ducetur, mox in ſuperiore parte deſinet, eo uidelicet loco, quo prior incepit. Cęterum præter reliqua commoda, quæ ex hac deligatione proueniunt, illud etiam accedet: quòd ulcera quæ ob rotunditatem coaleſcere nequeunt, oblonga reddentur. Solutio autem non ſingulis diebus, ſed alternis facienda eſt. Neque ſolutione ulcus aqua inſpergendum, ſed molli linteolo, puro & ſicco, ſanies detergenda. Quòd ſi partes ulceri adiacentes inflammari uideantur, & iam phlegmonôdes quippiam repræ-

Commune de digerentibus pręceptum.

Particularis curatio ulceris arrodētis

Aquę aluminoſæ uſus.

Repellentia, & ſiccantia.

Bolus armena.

Puluis exiccatorius.

Horū unguētorum formulæ & compoſitiones lib. 6. deſcribūntur.

Nota de plumbea lamina.

Deligatura duplex.

Deligatura alternis diebus ſoluenda.

Si partes adiacentes inflammentur.

ſentent, platyſmati exterius plurimo ſpatio liquidum medicamentum illinere oportet, quale eſt Galeni phœnicinũ, hoc eſt, è palmulis confectum, uel aliquod ſimile, non quidem quocunque contigerit dilutum, ſed uino aſtringente, quantum imbibi poterit. Sítque oleum quod adijcitur refrigerans, & aſtringens, cuiuſmodi ſunt myrteum, & melinum. Quòd ſi hæc non adſint, omphacinum, & o motribes nominatum adhibebis. At ſi durities circa partes ulceri adiacentes apparuerit, ipſum phœnicinum, ſeu emplaſtrum è palmulis, oleo ueteri, aut ricinino (quod officinæ oleum de cherua nominant) diluendum eſt. Tutiúſque fuerit ſuperpoſitæ regioni, quodpiam ex medicamentis repellentibus liquidis adhibere, quo ſi quid uel prauum, uel pluſquàm par eſt, influat, regeratur. Atque id maxime, cum in crure ulcus obortum, ſuperpoſitam uenam uaricoſam habeat. Quæ dum magna eſt, ac ſanguinem nec colore rubrum, nec probum, ſed atriorem & melancholicum continere uidetur, excidenda, ut prius diximus, auferendaq́ eſt. Cæterùm ſi ulcera eiuſmodi admota medicamenta contemnant, in diéſque magis atque magis eroſio ſerpat, & augeatur, corpus ſubindè à uitioſis ſuccis repurgandum erit, continénſque ipſa ſeu (ut uocant) coniuncta materia depaſcens atque arrodens, inuſtione ſeu cauterio (ut loquuntur) actuali abſumenda & deſiccanda ueniet, modò laborans id genus auxilij tutum, atque utile, cæteríſque alijs longè præſtantius, non reformidet ac renuat. Quòd ſi ferrum candens ob timiditatem, aut delicatam nimis naturam pati, atque admittere noluerit, medicamenta acriora, & quæ ignis uires habeant admouebis, cuiuſmodi ſunt paſtilli Andronis, Muſæ, aut Paſionis, in tractu de tumoribus præter naturam deſcripti: uel trochiſci aſphodelorum, aut qui calidicon nominãtur, quorum formulæ ac deſcriptiones libro ſexto referuntur. His etiam atramentum ſcriptorium, quod & incauſtum uocant, magna utilitate admouetur. Quòd ſi hæc parum profecerint, arſenicum, quod ſublimatum nominãt, modica tamen (ut alibi dictum eſt) quantitate, tutò adhiberi poteſt. Locus autem ambiens, hoc eſt, circumpoſitæ ulceri partes, interim refrigerantibus perpetuò muniendus erit, ne tam uehementibus admotis præſidijs, fluxio irritetur. Porrò ſine his quidem tam potentibus auxilijs malum aliquando uictum fuerit, nec eroſio ipſa depaſcens quouis modo ſiſti poſsit, membrum amputare neceſſarium eſt, ut uoluit Auicenna.

Olea refrigerantia, & aſtringentia.

Si durities adſit.

Si eroſio non cedat medicamentis.

Vſtio.

Paſtilli cauſtici.

Arſenicum.

De ſordidi & putris ulceris curatione. Cap. XVI.

QVID ſit ulcus ſordidum, quod Græci rhyparon uocant: quid item putre, ſeu putrefactum ulcus dicatur, ſuprà definiuimus. Porrò ſordidum, & putrefactũ ulcus Guidoni dicitur, quod ſui malitia (ut eius uerbis utar) putrefacit membrum, dimittendo uiſcoſitatẽ, aut carnẽ mollem, ſiue (inquit) cruſtoſam, fœtidam, à qua fumus eleuatur fœtidus, & cadaueroſus. Ac tale quidem ulcus fraudulentum etiam appellant. Cæterum ſi eius malitia ulterius progrediatur, & ſerpat, in ſphacelũ (quem uulgus eſthiomenum uocat) degenerat, & homini uitam adimit. Horum autem ulcerũ cauſę ſunt, ſucci praui, craſsi, ſanguinis naturam quodammodò reſipiſcentes, hoc eſt, ſanguinei, qui feruore quodam uelut ebullientes, ueneno ſitatem, atque malignitatem quandã indipiſcuntur. Et hæc quidem magna ex parte carbunculos maleficos, ſiue anthracas, abſceſſus, & uulnera malè curata, conſequuntur. Porrò taliũ ulcerum curatio conſiſtit in proba uictus obſeruatione, & euacuationibus accómodis, quibus corpus uniuerſum ab excrementis, atque à natura alienis humoribus expurgetur. Vbi autem iam purum ab excrementitijs, atque à natura alienis humoribus corpus uniuerſum ibi apparuerit, tũ particula ipſa laborans, hoc eſt, ulcerata, cucurbitulis, ſcarificationibus, hirudinibus, atq; epithematis ſiue fotibus

Vlcus ſordidum & putre.

Vlcus fraudulentum.

Cauſæ ulcerũ putrium & ſordidorum.

Curandi ratio

bus à corruptis ac deprauatis ſuccis ipſam occupantibus, uindicanda erit, ut
rectè præcepit Auicenna. Poſt hæc uerò propriam ipſius ulceris curationem ag-
gredieris. Sordes igitur primò tibi abluenda erit, aut hydromelite quidem, aut
marina aqua, uel, ſi eius copia non eſt, ſalſa. Deindè mundificandũ ulcus, unguen
to uulgò Apoſtolorum dicto, aut eo quod Aegyptiacum nominatur. Poſt hæc,
quidam deſuper adhuc dandum eſſe monent mundificatiuũ aliud, ex abſinthij
ſucco, melle roſaceo, myrrha, & farina hordei compoſitum, & circumiacentes
ulceri partes, unguento ex bolo armena illinunt, ac ſupra cętera prædicta puluil
los, ex ſtupis canabinis ſtudioſè pexis, aut ex lineis pannis leuibus, puſca aquoſa
(quod oxycratum uocant) imbutos apponunt, atque alligant. Si uerò ſordes in
putredinem aut corruptionem degeneret, locus abluendus erit oxycrato, aut
(ut uoluit Guido) aqua cineris, uel ſaponis. Deindè emplaſtrum ex carnibus
piſcium ſalſorum, farina orobi, & ariſtolochia longa, non autem rotunda, & ſcil
la, omnibus ex uino coctis, & cum melle miſtis, ſuperaccommodandum eſt.
Ad eandem intentionem Auicenna ſubſequens medicamentum deſcribit, mul-
ta (ut affirmat) experientia comprobatũ. Concipit tragacanthi rubri unc. unam:
calcis uiuæ, aluminis, corticis granatorum, ana drach. ſex: thuris, gallarum, ana
drach. quatuor: cerę & olei ana quod fuerit ſatis. Aliud. Vitrioli partes duode-
cim, chalcitis (quod & colcotar Arabes appellant) partes decem, tragacanthi
partes nouem: coquantur in aceto, & ex eis fiat linimentum. Ac ſemper quidem
unguentum ex bolo in ambitu ulceris, ut ſuprà monuimus, apponito: deſuper
uerò ſtupeos puluillos oxycrato madefactos. Porrò ſi ulcera eiuſmodi depaſcen
tia putridáque, eouſque feritatis & malitiæ deuenerint, ut partes adiacentes ma
gis atque magis ſemper erodant, ac ſine modo in illis corruptelam excitent, ue-
hementiſsimis medicamentis (quali ſuprà in curatione malignorum ulcerum re
cenſuimus) indigebunt. Imò uerò frequenter inuſtiones, atque etiam exciſiones
illis erunt neceſſariæ, ita ut quicquid uitiatum, ac corruptum eſt, prorſus extirpe
tur, & uiua, ac ſana duntaxat caro relinquatur: quam ex natiuo ipſius colore, &
ſanguinis bonitate, facile deprehendes. Inter cætera autem medicamenta acria,
quæ uiuum à corrupto ſeparant, & in hoc affectu celebrari ſolent, omnium præ
ſtantiſsimum atque efficaciſsimũ quotidiano experimento deprehenditur ar-
ſenicum, quod ſublimatum uocant, ut aliquoties alibi annotauimus. Hoc enim
confeſtim malum ſiſtit, & id quidem ſine dolore. Quòd ſi medicamentis eiuſmo
di malum non ceſſerit, membrum ipſum tali depaſcente ac putrido ulcere af-
fectum, cogimur abſcindere, ut cætera pars tuta ſit. Id autem miſerum atque ulti
mum auxilium, nunquàm tentandum eſt, niſi dum cætera præſidia nihil profici-
unt, & malo prorſus uicta ſunt, ut alibi admonuimus.

Sordis abluuio.
Vlceris mundificatio.
Si ſordes in putredinem degeneret.
Emplaſtrum Auicennę.
Linimentum
Arſenicum ſublimatum.

De profundo & cuniculoſo ulcere, quod & ſinus Latinis dicitur. *Cap. XVII.*

VLCERA cuniculoſa, ſeu cauernoſa ſuprà appellauimus, quorum
orificia ſtricta ſunt, profunditas uerò in latum ſe diffundit, & ſenſui
occulta eſt, multos interdum anfractus habens, modò rectos, modò
obliquos, citra duritiem tamen & callũ. Atq; hoc uno à fiſtula diſsi-
det, quamuis promiſcua turba, eiuſmodi ulcera omnia cuniculoſa, fiſtulas nomi
nent: cum tamen fiſtula propriè ulcus ſit altum, anguſtum, & calloſum, Galeno,
Cel. Aët. & Paulo. Itaq; quod profundũ & cauernoſum ulcus recentiores chirur
gi appellant, id Latini appoſitè ſinum, Græci colpon nominant. Fit autẽ cum ad-
iacens ulceribus cutis, diutius ſubiectis corporibus non coaleſcit, glutinaturq;:
cuius multæ ac uariæ ſunt differentiæ, nimirum ex cauernarum magnitudine,
ſitu, figura, ac numero deſumptæ. Aut enim breues ſunt, aut altè penetrantes
iuxta carnem deſinentes, aut ad oſſa, uel cartilaginẽ ſubeuntes, ſurſum, deorſum

Vlcus cauernoſum.
Fiſtula quid.
Sinus quid, & eius differentiæ multiplices.

Quæ ſinuum differẽtiæ curandi rationẽ euariẽt, & quæ non.

Cauſç ſinuũ.

uel ad latus tendentes, recti aut flexuoſi, ſimplices ac duplices, triplicéſue. Galenus autem eorum duntaxat, qui à poſitionis figura ſumuntur, meminit: ut qui præcipuè curandi rationẽ immutent. Si enim magnus, ſiue paruus aut breuis, uel altus, aut iuxta ſuperficiẽ conſiſtens ſimplex uel duplex, triplexue fuerit, eadem ſemper eſt eorum curandi ratio. At ſi uel ſurſum, uel deorſum, uel ad latus, uel intrò ad oſſa tendit, curationem uariat. Cum enim ſurſum tendit, facilè per eius os onioſa colluuies atque ipſum pus effluit. Cum uerò deorſum uergit, intus retentum pus, aut ſanies, contiguas partes erodit. Quare niſi facto ex aduerſo (ut ſtatim dicetur) emiſſario, nihil omninò profeceris, ſiue carnem generare, ſiue glutinare uelis. Cum uerò ad latus declinat, aut ſurſum uergit, aut intrò fertur, ſed ita locari pars afflicta poteſt, ut liberè ſanies aut pus è ſinu effluere poſſit, inciſione ex aduerſo facta opus non eſt: ſed de his adhuc in ſequentibus. Cæterum cauſæ eiuſmodi ſinuum, ſeu cuniculoſorum ulcerum, ſunt abſceſſus, ſiue ſuppurantes affectus tardius diſſecti, & uulnera perperàm curatu. Pus nanque longo nimis ſpatio in ſuppurato abſceſſu, aut in profundo uulnere, quod non ritè expurgatur, retentum ac diliteſcens, malignitatem, & ueluti acrem atque erodentem quandam naturam acquirit, & cuniculos tandem molitur, qui difficilè admodum carne impleri, & glutinari queunt. Ad affectam nanque particulam quæ iam imbecillitatem contraxit, undique ex circuniacentibus ac uicinis partibus, imò uerò & ab uniuerſo corpore, ſuperuacanei humores confluunt, atque ita ægrè ſanabile redditur ulcus.

Sinuum differentię quibus deprehendantur.

Iudicia.

Differentiæ cuniculorum, ſeu cauernularum eiuſmodi ulcerum deprehenduntur turundis (quas tẽtas uocant) & ſpecillis ſiue contis (quę probę uulgò dicuntur) argenteis, uel plumbeis, aut alia conſimili materia factis, in ipſos cuniculos leuiter ac blandè immiſsis. Item minutis quibuſdam, atque exilibus radicibus, & cereis candelis, necnon & coloratis quibuſdã iniectionibus. Color uerò materiæ, quæ ab ipſis cauernulis & ſinubus egreditur, qualitatem eius manifeſtè inſinuat: ſi enim tenuis fuerit & loturæ carnis perſimilis appareat, calidã eſſe, haud temerè eam iudicabis. At ſi candida uiſitur & ſeroſa, indubiè frigida erit. Sed & ſaniei puris ue bonitas, & paucitas, doloris quoq; & tumoris, qui prius aderant, priuatio, ſinum carne impleri, & glutinari demonſtrant. Si uerò contraria his affuerint, glutinationem nequaquàm adhuc fieri nobis indicant: ut Galenus ijs uerbis nobis teſtatum reliquit libro ſecundo de ratione curãdi, ad Glauconem.
An uerò (inquit) altæ ſinus partes coaluerint ex manante ſanie deprehendes, ſi ea »
multa uel pauca, cocta uel cruda ſit. Præterea ſi neque in ipſo ſinu dolor ſentia- »
tur, nec tumor appareat, ſed totus locus æquabilis ſit, ſiccus ac doloris expers. »
Quòd ſi puris probè cocti portio exigua in ore conſpicitur, multò magis de- »
glutinando ſinu ſperandũ eſt. Hactenus de ſinuum differentijs, cauſis, & iudicijs »
dicta ſufficiant. Itaque tempeſtiuum eſt, ut eorum curationem aggrediamur, & »
qua poterimus breuitate, nunc proſequamur. »

Ratio curandi ſinus, ſeu ulceris profundi & cauernoſi, non tamen adhuc calloſi.

In curando ſinu geminum eſſe ſcopum.

CVm ſinus, quo de hîc agimus, ulcus ſit cauum, & profundum, geminus in eo curando ſcopus ac finis medenti proponitur, unitio ſcilicet & repletio. Vlcus enim quà ulcus eſt, unitionem: cauitas uerò impletionem deſyderat. At quæ diſsident, uniri non poſſunt, niſi prius cauitatem (ſi cum ulcere, ut in ſinu cõiuncta ſit) impleuerimus. Ordo igitur curationis poſtulat, ut à cauitatis impletione ordiamur. Sed cauitas rurſus carne impleri non poteſt, niſi laborans particula & iuſto temperamento prædita ſit, & ſinus ipſe omninò purus & ab omni ſorde immunis extiterit. Itaque ſi uel phlegmone, uel eryſipelas, uel gangræna, uel intemperies aliqua ſimplex aut compoſita partem affectã obſederit, manifeſtum eſt quòd niſi quis illos affectus prius ſanauerit, implere cauũ ulcus non poterit.

terit. Fieri enim non poteſt (ut libro tertio methodi medendi Galenus inquit) ut in ulcere uel carnis productio, uel ſinus impletio, uel agglutinatio, uel cicatricis inductio, rectè unquàm cedat, niſi ſubiecta caro pro naturali modo ſe habeat. Adhæc cum in ipſa nouæ carnis generatione, duplex prouenire excrementum neceſſe ſit, alterum quidem craſsius, quod ſordes propriè appellatur: alterum tenuius, quod Græcis ἰχὼρ, nobis uerò ſanies dicitur: ac ex tenui quidem hoc excremento, ulcus humidum reddatur, ſicuti ex craſſo ſordidum: duplicibus ſanè medicamẽtis ſinuoſum ulcus egebit, antequàm carne repleatur: nempe ut humidũ eſt ſiccantibus, ut ſordidum expurgantibus ſeu detergentibus. Ordo igitur ſanationis à ſorde expurganda in curando ſinu incipiet, quòd uidelicet nec glutinari quicquàm nec carne impleri poſsit, priuſquàm purũ, hoc eſt, deterſum & à ſordibus ritè expurgatum fuerit. Vbi uerò iam ab omni alio affectu immunis, & purus ab excrementis ſinus fuerit, tum primum agglutinantibus medicamentis utendũ erit. Hęc autem nec detergunt nec expurgant, ut ſarcotica, id eſt, carnem generantia, ſed contrà prorſus (inquit Galenus) ſubſtantiam omnem in idem cogunt. Cuiuſmodi facultatem habent medicamenta ea, quæ auſtera & aſtringentia uocantur. Hæc enim ſiccant tantiſper dum humoris redundantiam, qui ſecundum naturam eſt, abſumant. Sed de ijs alibi fuſius à nobis dictũ eſt. Pone ergo in eadem particula ſinu occupata, intemperiem aliquam, uel phlegmonem, aut conſimilem affectum, & cauitatem, & ulcus, & ſordem ſimul cõſiſtere: ordo curationis expoſtulat, ut primum phlegmonẽ aut intemperiem, ſecundo loco ſordem, tertio cauitatem, & quarto ulcus perſanes. Siquidẽ iuſta ſubiectæ carnis temperies, cauſæ rationem habet, ut quæ concreſcere ſecum quod ulcera tum eſt, faciat, et cauitatem impleat. Puritas ulceris, rationem eius ſine quo non. Atque hanc ſordes interpellans, curationem moratur. Habet uerò & ipſa cauitas ad ulcus, rationem eius ſine quo non, ut libro tertio Therapeutices Galenus annotauit. Quandò (inquit) niſi cauitas prius impleta ſit, induci citrice ulcus nõ poſsit. Atque hæc in uniuerſum dicta ſint de ratione curandi ſinus, quod & ulcus profundum, & cauernoſum noſtri chirurgi appellant. Cui magna ex parte complicari ſolent, quę ſuprà commemorauimus. Hac igitur uniuerſali methodo præmiſſa, paticularium ipſorum ſinuum differentiarum (quas curandi rationem uariare diximus) ſanationem ſubiungamus.

In nouæ carnis generatione duplex prouenire excrementum.

Vlcus ſinuoſum duplicibus eget medicamentis.

Agglutinantium facultas.

Hypotheſis.

Conſtituatur igitur in primis ſinus ad ſuperionem partẽ porrectus, ita ut eius orificium deorſum ſpectet, talis certè non adeò multum negotij in ſanando faceſſet. Quandoquidem per os eius facilè ſanies effluet, atq; ideo promptè conglutinabitur, adhibitis ſaltem ijs, quæ ſtatim dicentur auxilijs. Sed neq; cum ad latus declinat, aut intrò fertur, aut etiam deorſum uergit, inciſione ex aduerſo facta opus erit, ſi pars ipſa afflicta ita locari poſsit, ut liberè ſanies è ſinu emanare queat. Itaq; ponatur ſinus, artus aliquos, nempe cubitum, aut femur occupare, poterit utique decliuis figuratus, citra diuiſionem ex aduerſo factã coaleſcere.
» Etenim, in cubito cum ore gibbero uicinę ſunt, ſummam manũ elatius proten
» dens, ſinum ad effluxionem incitabis. Sic & in femore, ſi ſinus deorſum uergat,
» & ad genu terminetur, os autem ipſius ſublime ſupra femoris medium ſit popli-
» ti mollem puluinum ſubijcies, quò demiſſius inguen quàm genu poſitum ſit.

Si ſinus orificiũ deorſum ſpectet.

Inciſio ex aduerſo, quando in ſinu fieri debeat, & quando non.

Ex Paulo, & Galeno ad Glauconem.

Cæterum ſi ſinus deorſum uergat, ad latus declinet, uel intrò feratur, & ſitum affectæ parti commodũ dare non poſsis, quò liberè ſanies effluat, nihil unquàm promouebis, ſiue carnem generare ſiue glutinare uelis, niſi prius collectioni purulentę effluxum molitus fueris. Intus enim retenta ſanies contiguas partes erodet. Porrò ſanioſæ illi colluuiei effluxum bifariam moliri poteris. Nempe uel facto tantum in imo ſinus uulnere, uel tota cauitate diſſecta. In imo, ſeu radice ſinus ſit ſectio, ſi ulcus magnũ fuerit, & locus totus ſine periculo ſecari non poſsit. Præſtiterit autẽ ſemper, ſi nihil obſtiterit, totam ipſius ſinus cauitatem diſſecare,

Bifariam effluxum moliri poſſe ſaniei, aut puri in ſinu.

quàm ex aduerſo plagam facere. Ita enim facilius ac citius multo, ad ſanitatẽ ulcus perducetur. Tota igitur cauitate diſſecta elychnijs, & pannorum lacinijs in linamenta formatis, congruíſque medicamentis ſic expurgandus, atque reſiccãdus erit ſinus, ut tandẽ caro regignatur, cauitas impleatur, et ad perfectam ſanationem, modo quo ſuprà de altis & cauis uulneribus docuimus, perducatur.

Quod multa puris copia ſinenda eſt colligi in fundo ſinus priuſquã ex aduerſo diuidatur.

Ceterùm priuſquàm ex aduerſa parte diuiſio fiat purulenta colluuies ſinenda eſt, magna ſatis copia in fundo ipſius ſinus colligi, quo ſinus parietes magis attenuentur, atque ita melius ſpecillum (ſupra quod ſectio fieri debet) in cauitatem demittatur, ſinu ſcilicet ex puris copia diſtento, & ampliore facto.

Specillum, quod in ſinũ immittitur, quale eſſe debeat.

Specillum autem ipſum quod ſic in ſinum immititur, læue, hoc eſt, minimè aſperũ eſſe debet, ac unctuoſo aliquo (ut citra dolorem immitti poſsit) illitum. Adhæc parte poſteriore perforatum eſſe decet in modũ acus, ut in eo imponi poſsit cẽto aliquis (ut uocant) ex ſtupis canabinis, aut aliqua gracili faſcia, aut certe funiculo quopiam molli, ut canabino, factus. Inciſione autem facta, dolor qui per eam excitatus eſt, ſedandus erit, et impetus profluentis ſanguinis, oui cãdido, atque alijs id genus ſupprimendę ſanguinis profuſioni dicatis auxilijs, cõpeſcendus. Poſt hæc autem cento alius, quando opus erit, detergente aliquo medicamẽto imbutus, indendus erit, atque ut id commodius fiat, alteri qui ſinum adhuc occupat, aut aſſuetur, aut alligabitur. Poterunt & elychnia ſeu linamenta in mũdificatiuo aliquo tincta, in ſinum ipſum imponi, ſupérque, atque in ambitu danda ſunt, quæ mox infrà dicemus.

Si neque apertio in imo neque cauitas tota diſſecari poſsit.

Porrò ſi neque in imo ipſius ſinuoſi ulceris plaga commodè fieri poſsit, neque cauitas tota diſſecari, ſinus totus eluendus erit collutionibus, primùm quidem deterſorijs, ſi inhęrentem ſaniem ſubeſſe ſuſpicaris: deindè ſarcoticis, id eſt, carnem generantibus: poſteà uerò adglutinans medicamentum tranſeundem erit.

Sinus quibus liquoribus abluendus.

Proinde Galenus libro ſecundo de ratione curandi ad Glauconem, ſinum ipſum nunc melicrato ſolo, id eſt, mulſa, nunc quidem puro uino nunc uerò mulſo, eluendum eſſe monet.

Melicratum.

Itaque ad detergendam, expurgandámque ſinui inhærentem ſaniẽ, melicratum præferendum eſt. Sed præſertim in ſinu cuius os deorſum ſpectat, per quod ſanies liberè effluat. Huius nanque ſinus profunditatem totam, ad glutinationẽ aptam (ut Galenus inquit) ſola reddere poteſt iniecta mulſa. Ad purgandum uerò ſimul & roborandum, ubi ſcilicet adhuc aliqua leuis cuiuſdã ſordis derelictæ ſuſpicio eſt, uel ipſo etiã Aëtio authore mulſum eligimus.

Mulſum.

Vinum ſub auſterum.

At ubi carnem iam in ſinu mediocriter regenitam, omninò puram eſſe coniecerimus, & glutinationem quærimus, uino puro ſubaſtringente ſinum ipſum eluemus. Vinum enim eiuſmodi, quod medium eſt inter dulce et aſtringens, leuiter glutinat. Si autem cruentus fœtidúſque ſit humor, qui è ſinu excernitur, oxymeli (Aetio authore) cæteris præſtat.

Oxymeli.

Auicenna & quidam alij ſinum pręſertim maligniorem, & uehementer ſordidum detergunt, & eluunt, aut lixiuio, aut marina aqua, aut etiam aluminoſa, quæ in hoc affectu præſtantiſſima eſt.

Aqua aluminoſa.

Hæc enim præterquam quòd potenter ſordes abluit, à parte quoque affecta fluxionem arcet & repellit. Albucaſis chirurgus inſignis unguentum Aegyptiacum, cum aqua & melle liquatum, in ſinum, eiuſmodi deterſionis & corrigendæ malignitatis gratia, immitti iubet. Galenus quoque, ubi ſinus ipſe, aut ſitus, aut alterius cuiuſuis occaſione, ſordidior aut humidior eſt, medicamenta, quæ ualentius quàm mulſa deſiccent, & detergant, admouenda eſſe ſuadet.

Medicamentum ex charta combuſta.

Cuiuſmodi eſt medicamentum ex combuſta charta compoſitum, quod ad hunc modum temperatur. »
Squammæ, gallæ, myrrhæ, ſingulorum pondo denariûm octo, ſandarachæ, arſenici, elaterij, id eſt, ſucci cucumeris agreſtis, ſingulorum pondo denariûm .4. thuris pondo denariûm trium, atramẽti ſutorij (quod Græci chalcanthum uocant) tantundem, chartæ quantùm ſatis eſt ad inducendum colorem. Debet autem exigua eiuſmodi medicamẽti portio largo roſaceo miſceri »

miſceri, quò & eius uehementia remittatur, & per anguſtum foramen, in ſinus profundum, per fiſtulam aut æneam aut corneá, rectò ductu foratá, poſsit iniji-ci. Iniecto autem medicamento, ulceris os linamento concerpto claudendum eſt, ne id refluat. Niſi enim diutius maneat, exiccare non poterit. Cęterùm ſi ul-

Si ulcus ſinuoſum calidum fuerit.

cus calidum fuerit, hoc eſt, calidam intemperiem ſibi adiunctam habuerit, & uirus ab ipſo ſinuoſo ulcere manans, rubrũ & loturę carnis recenter mactatæ per ſimile appareat, non alienum fuerit ipſum abluere melicrato, hoc eſt, aqua mulſa recenti, in quo lenticula, hordeum, roſæ, & balauſtium incocta fuerint. Si ue-

Si ulcus ſinuoſum frigidum fuerit.

rò ulcus frigidum ſit, & ſanies tenuis et aquoſa conſpicitur, mulſa in qua incocta ſint, marrubium, abſynthium pimpinella, et myrrha eluendum eſt. Porrò ubi ſic ab omni ſorde puros ſinus effecerimus, carne replentibus medicamentis (ſarcotica Græci uocant) ſi caui ſaltem fuerint, deindè glutinantibus, & tandem cicatricem inducentibus, ſimiliter reliquis ulceribus utendum erit. Carne autem re-

Idem medicamẽtũ deterſoriũ, ſarcoticũ & glutinans.

plent, quæ humiditatem ſiccant, & ſordem detergunt. Itaque idem medicamen tum primario atque ſeſe ſordis deterſorium Galeno appellatur, altero uerò ſignificatu ſarcoticum & glutinans. Quippe quòd tali impoſito medicamento, ulcera carne replentur ac coeunt. Opus enim ipſorum proprium eſt (ut alicubi ſcripſit Galenus) affectã partem recrementis uacuare, ne uidelicet ſanies carnis

Sarcoticorũ facultas.

generationem glutinationémque impediat. Sarcotica igitur detergendi etiam uim habent, ſed omnis roſionis ſeu morſus expertem. Finis autem glutinantium eſt, nullam inter coitura ſubnaſcentem humiditatem permittere. Glutinaturo

Glutinantiũ finis.

nanque (ut tertio methodi Galenus ait) unum id propoſitum eſt, ut eius quod ſecundum naturam eſt, redundantiam conſumat. Epuloticorum uerò, id eſt, cicatricem inducentium medicamentorum finis eſt, non hanc totam ſubnaſcentem ac redundantem humiditatem impedire, ſed etiam nunc conſiſtentem, in ijs, quæ mox cicatricem ducent, conſumere: adhæc callo obducere, & aſtringendo indurare. Sed de ijs in antidotario fuſius dicemus. Ergo (ut ad propoſi-

Epuloticorum finis.

Si cauus ſinus carnem requirat.

tum reuertamur) ſi cauus ſinus carnem requirat, primùm medicamenti, quod charta conſtat, aridi, paululum cum multo roſaceo inſeri conuenit. Deindè carpto linamento os obturari. Indè emplaſtrum Iſis aut Machærionis, aut ſimile quoddam, unà cum roſaceo cerato liquidiore ſolutum, inijcitur. Vbi uerò mediocriter carne repletus eſt ſinus, aliquid ex glutinantibus medicamentis, non uehementer ſiccantibus adhibendũ eſt, quod creſcentẽ tenellam carnẽ blande & ſine morſu cogat, non aliter ac ſi recens ac cruentum uulnus curaretur. Cu-

Enhęma.

ratur autem hoc mollibus, blandis, miniméque dolorem excitantibus medicamentis, qualia ſunt enhæma, quorum opus ſeu facultas eſt coniungere, et diuiſas partes conglutinare, ut in piſtrinam unitatem particula reducatur. Multa (inquit Galenus) eiuſmodi medicamenta inueniuntur, alia quidẽ ex bitumine confecta, uocantúrque, neſcio qua ratione, ut idem ait, emplaſtra Barbara: aliã uerò, quia fului & fuſci ſunt coloris, cirrha, & phæa nominantur, ex argenti ſpuma & ærugine liberalius decocta. Horum autem medicamẽtorum miſturas, Galenus, Paulus, & Celſus docent. Sed pręſtat de hac re interpretis uulgaris Auicennæ

Cirrha, & phęa medicamenta.

Auicen.

» uerba ſubijcere. Ad incarnandum (inquit) oportet quòd medicinæ fiant curren
» tes lauatiuæ, cum uiſcoſitate adhærente, et inijciantur in eis cum clyſterijs, et im-
» mittantur cum elychnijs & tentis. Et nos quidem iam experti ſumus emplaſtrũ
» Apoſtolicum, id eſt, Apoſtolorum, & centauream, quando cum ea implentur,
» & eſt mirabilis ualde. Succedit huic ſymphyton, deindè iridis Illyricæ radix,
» poſtremò erui farina, & id genus alia, quæ glutinandi facultatem habent. Por-

Medicamẽtũ incarnans & glutinans.

rò ſequens medicamentum, quod in frequenti eſt uſu apud chirurgos, mirã uim habet in glutinandis ſeu incarnandis eiuſmodi ulceribus. Recipe aquæ decoctionis hordei libram unam mellis roſati unc. tres, ſarcocollæ drach. duas, mirrhæ,

thuris, ſingulorum drachmam unam, uini odoriferi unc. ſex. Coquantur omnia ſimul uſque ad tertias, id eſt, uſque ad conſumptionem tertiæ partis. Quibus & addi poteſt aliquando aliquid aloës. Cæterùm poſt glutinantis medicamenti impoſitionem, ſola ſpongia noua ex mulſo iuxta Galeni conſilium circumponenda eſt, quàm fieri poteſt moliſsima. Eius autem deligatura à ſinus fundo inci

Modus deligandi ſinus poſt glutinatorij medicamenti impoſitionem.

piat, & eius ore finiat: faſciarum uerò ſpiræ ſiue circumflexus, ſinus profundum ſine dolore arctent, ac paulatim uſque ad os eius eluxentur, eidemq́; (ori inquam ſinus) indatur medicamentum molle, circumducto forinſecus emplaſtro ad os ipſius ſinus forcibus diſciſſo, ut ſanies effluere poſsit. Effluet autem è ſinu ſanies, ſuppoſito aliquo alio paruo emplaſtro ad ſolutionem uſque, quam tertio quoque die faciens, hoc ipſum tanquàm operculum circumpoſitum auferes

Tertio quoque die ſpongia, ac paruũ emplaſtrum demenda.

relicto eo, quod totum ambit ſinum, medicamento. Ideò autem tertio quoque die, aut certè citius aut tardius, prout res efflagitabit, demenda ſpongia eſt, ac paruum emplaſtrum quod ſuperpoſitum erat: ut ſi qua humoris colluuies in ore ſinus collecta ſit, uacuetur, exploremúſque, an altæ ſinus partes coaluerint

Lib. 2. de arte curat. ad Glauc.

an minimè, quod ex manante ſanie (ut docet Galenus) deprehendetur. Si ſcilicet ea multa uel pauca, cocta uel cruda ſit. Itaque altas ipſius partes coaluiſſe demonſtrat, pus coctum ac paucum, præſertim ſi neque in ipſo ſinu dolor ſentiatur, nec tumor appareat, ſed locus totus æquabilis ſit, ſiccus ac doloris expers. Cumque ſpongiã rurſus impoſueris, rurſusq́; (ut diximus) alligaueris, poſtero uel tertio die ſoluito, ut dictũ eſt, ſemper linteolũ ſinus ori admotũ permutans, quod eodẽ emplaſtro illitũ, totum os ambitu cingat. Neque uerò omninò appreſſum (ut Galenus admonet) eſſe debet, ſed ita, ut per id tota ſanies uacuari poſsit. Itaque cum ſecundo uel tertio quoque die (ut iam ſemel atque iterùm dictum eſt) ſpongia, uel paruum emplaſtrum eximitur, conſyderandum, multá ne an pauca, cruda an cocta materia ad os ulceris affluxerit. Deindè expers ne ſit, an particeps doloris locus affectus, & an tumor remanſerit, aut dimi-

Notæ coitionis altarum ſinus partium.

nutus ſit. Altas enim ſinus partes coiſſe teſtatur pus coctum ac paucum, præcipuéque ſi dolor & tumor non adſint. Contra multum & crudum, & cum fœtore, et loci humiditate, dolore & tumore, nondum coaluiſſe ſignificant. Neque uerò (ut ſcribit Galenus) ſi primo uel ſecũdo die tenuis quædã ſanies ex ſinu manet, de glutinatione omninò deſperandũ eſt. Sæpe enim uis medicamẽti affectæ particulæ admoti, ex ipſa cute & ſubiecta carne tenuẽ humiditatẽ uehemẽter exprimit, quoties eius qui curatur corpus ita affectum eſt, ſiue ex natiua temperie, ſiue mala uictus ratione. Hac humiditate expreſſa, loca mediocriter reſiccata glutinẽtur. Quod ſi tertio aut quarto ab initio die, ſanies cruda in ore apparuerit, ſcito (inquit idem) ſinum non eſſe glutinatũ. Quare affecto loco medicamentum, quod uehementer quidem exiccet, ſed nec mordeat nec cutem contrahat, circumponendum eſt. Cuiuſmodi Galeni medicamẽtũ eſt, quod à fuluo colore

Cirrhum medicamentum.

cirrhum dicitur, ex concoctis metallicis, oleo ricinino, quod oleum de cherua appellant, & aceto ſine cera confectum. Hoc enim medicamentum (ut idem Galenus teſtatur) ſine morſu uehementer exiccat. Cuius compoſitio & uſus ex libro ſecundo de compoſitione medicamentorũ κατὰ γένη requiri debent. Gui-

Guido à Cauliaco.

do à Cauliaco iubet poſt glutinantis medicamenti impoſitionem, deſuper apponenda eſſe emplaſtra & pannos, aliquo quod habeat (ut eius uerbis utar) rectificare illa, illitos. Cuiuſmodi ſunt emplaſtrũ διὰ χαλκίτεως nominatum, quod à palma Græcè φοινίκινον, & uulgò diapalma appellatur. Item emplaſtrum (inquit) nigrum uel flauum cum gallis: et mel coctũ cum puluere thuris, myrrhæ, & aloës: uel quædam horum, uel omnia ſimul: & uinũ ſtypticum craſſum, quod groſſum uocat. Poſteà ligare præcipit, ut docet Galenus libro ſecundo ad Glauconẽ. Paucis autem interiectis ſubdit, de tenta (ut loquitur) hæſitaſſe multos, ut Henricũ, & præceptorem ſuum Bononienſem, quòd ſolida non ponatur, qua ſaniem

(inquit)

(inquit) in loco retinet:ſed canulata, aut duplicata, ut ſanies continuè ualeat exire: & ſpongia ſuper orificium ponatur, ut ſanies trahatur exterius ſugendo. Spongia nanque ideò circundatur atque alligatur, ut exiccet, manantémque è ſinu ſaniem excipiat, alioqui partē eroſuram, aut pruritum excitaturā. Imbuta autem (ut ſuprà diximus) mulſo ſpongia ſit, ut detergat: mollis, ne aſperitate lædat: noua uerò, ut aqua marina adhuc imbuta partem affectam deſiccet. Hactenus de ratione curandi ulceris alti, anguſti & cauernoſi, non tamē calloſi. Nunc ordo poſtulat, ut de calloſo ulcere, ſeu callo obducto ſinu, quam fiſtulam nominant, dicamus. Spongia qualis eſſe debeat

De fiſtula. *Cap. XVIII.*

CVm pus in abſceſsibus ſic excoriat particulam, ut continētia à ſub iectis ſeparet ac diducat, dein eo quomodocunque euacuato, diſtantia inter ſe priſtinum ſtatum recuperare nequeant, affectio eiuſmodi ſinus appellatur Galeno libro de tumoribus præter naturā. Quem ſi quis (ait ille) non ſtatim curet, callo obducitur, duruſq; tēporis progreſſu fiet, nec cōglutinare ipſum cum ſubiectis ſibi poſsibile eſt, uocatúrque tunc hic affectus propriè fiſtula, de qua nunc dicere inſtituimus. Eſt igitur fiſtula (quā Græci ſyringa nominant) arctus oblongúſque, & calloſus ſinus, aliquatenus indolēs, qui magna parte ex abſceſsibus parum dextrè curatis, oritur: ſed & ex alijs nonnunquàm ulcerum generibus ac ſinubus perperàm curatis naſcitur. Hęc autem nomen accepit ab arundinearum fiſtularū tralatione, ut Paulus annotauit: Quandoquidem in eis cauitas quædam deprehenditur, arundinum cauitatibus ſimilis. Fit autem fiſtula in omni ferè parte corporis, habétque quædā (ut Celſus ait) in ſingulis locis propria, ſed de communibus hìc dicemus. Differentiæ igitur fiſtularum plures ſunt, ſicuti & ſinuum, quæ ex ſitu, figura, numero, magnitudine, & alijs id genus ſumuntur. Si quidem aliæ ſub cute extenſæ ſunt, aliæ altius penetrant: aliæ rectæ, aliæ flexæ & tortuoſæ ſunt: aliæ intra carnem deſinunt, aliæ ad oſſa aut cartilaginem penetrant: aut ubi neutrum horum ſubeſt, ad interiora perueniunt. Aliæ neruos attingunt, aliæ uenas aut arterias occupant. Aliæ præterea ſimplices ſunt, aliæ duplices triplicésue, ab uno ore intus orſæ, quę tres fiunt, aut etiam in plures ſinus diuiduntur. Aliæ deindè facilè, aliæ cum difficultate curantur. Atque etiam (inquit Celſus) quædam inſanabiles reperiuntur.

Sinus. — Sinus degenerat in fiſtulam — Fiſtula quid. — Fiſtularum differentiæ multiplices.

De ſignis & indicijs fiſtularum.

FIſtularum dignotiones ſumendæ ſunt, ab his quę ſecundum eſſentiæ rationem ipſis inſunt, atque etiam ijs, quæ conſequuntur accidentibus & effectibus. A ſubſtantialiter quidem inhęrentibus, ut ab illo (inquit Guido) corio calloſo, & à forma fiſtulæ inſtrumentalis & factitię: Calloſitas nanque cum forma fiſtulari, eſſentialis eſt differentia ipſius fiſtulæ. Ab accidentibus uerò & effectibus, ut à uirulentia illa horribili, quæ aliquando ab ipſa fiſtula effluit, emanátue. Item à dolore, qui in ea modicus eſſe ſolet, niſi dum partes, quę iuxta neruū ſunt, occupat. Cæterum ſimplicés ne fiſtulæ ſint, aut in plures partes diducantur, cognoſci poteſt ex modo puris. Cuius ſi plus fertur, quàm quod ſimplici ſpatio conuenit, plures ſinus calloſus eſſe manifeſtum eſt. Corporis quoq; inquinatio docet, num in plures partes fiſtulę penetrarint. Quia ſæpe cum quis aliter decubuit, aliterq; membrū collocauit, pus ferri, quod iam deſierat, incipit: teſtaturq; non ſolum alium ſinum eſſe ex quo deſcendat, ſed etiam in aliā corporis partem eum tendere. Cumque ferè iuxta ſint caro & neruus, & aliqua neruoſa: quales ferè tunicæ, membranęq; ſunt: genus quoque puris docebit, num plures ſinus intus diuerſa corporis genera perroſerint. Siquidem ex carne (inquit Celſus) Lib. 5.

Fiſtularum notę à quibus petantur. — Quibus notis deprehendatur ſimplex ne ſit fiſtula, an multiplex.

pus leue, album, copioſius fertur. At ex neruoſo loco coloris quidem eiuſdem, ſed tenuius, & minus. Ex neruo pingue, & oleo non diſsimile. Cuius ſententię re-
Aetius. fragari uidetur Aëtius ſic de nerui fiſtula inquiens: Humor indè delatus tenuior » eſt, ei ſimilis, qui ab oſsibus defluit, non quidem oleaginus, aut pinguis, »
Nerui in fiſtula eroſi notæ. ſed ſanioſus & glutinoſus. Sed & ex alijs notis, quàm ex pure, deprehenditur » nerui fiſtula, nempe dolore: ſtuporis enim punctioníſque ſenſum incutit. Dein- » dè motus, qui ab eo neruo perfici ſolet, deterior apparebit. Sed in ſpecillo attactu (inquit Aetius) moleſtus acutúſque ſenſus redditus, rem manifeſtiſsimè iu-
Venæ atque arteriæ eroſæ ſigna. dicabit. At fiſtula locum erodente, ſi uena ſuberit, plurimus craſſúſque ſanguis effunditur. Sin arteria aperiatur, tenuis & flauus cum multo ſpiritu ſtridoréque exibit. Ante omnia autem (ut rectè conſuluit Ceſus) demitti ſpecillum
Fiſtulæ ſpecillo maximè explorandæ. in fiſtulam conuenit, ut quò tendat, & quàm altè perueniat, ſcire poſsimus. Simul etiam protinus humida, an ſiccior ſit: quod extracto ſpecillo patet. Si uerò os in uicino eſt (id quod diſci poteſt ſic, iam nec ne eò fiſtula penetrauit) qua-
Oſsis carioſi notæ. tenus nocuerit. Nam ſi molle eſt, quod ultimo ſpecillo contingitur, intra carnem adhuc uitium eſt. Si uerò magis id renititur, ad os uentum eſt. Ibi deindè ſi labitur ſpecillum, nondum caries eſt: ſi non labitur, ſed æquali innititur, caries quidem: uerùm adhuc leuis eſt. Si inæquale quoque & aſperum ſubeſt, uehemen-
Obliquę fiſtulæ quomodo explorandæ. tius os exeſum eſt. At cartilago ubi ſubhæſit ipſa ſedes docet, peruentúmque eſſe ad eam ex renixu patet. Cæterũ ſi obliquæ fuerint fiſtulæ, flexúmque aliquem uel plures habuerint, ut ſpecilli apex progredi nequeat, uirgulam plumbeam, ſtãneàm ue conflabimus, aut ceream potius candelam aſſumemus, qua iter pertentemus. Cum enim flexilis admodum ſit, ad fiſtulæ figuram facilè accommodabitur. Hactenus de ſignis fiſtularum: nunc de iudicijs.

Fiſtularum iudicia, ſeu prognoſtica.

FIſtulę ſi altius penetrant, ut ad ultimas demitti collyrium non poſsit, ſi tor-
Lib. 7. tuoſæ atque anfractuoſæ ſunt, ſi multiplices: maius (inquit Celſus) in manu,
Cornelius Celſus. lib. 5. quàm in medicamentis præſidium eſt: minúſque operę eſt, ſi ſub cute tranſuerſæ feruntur, quàm ſi rectę intrò tendunt. Expedita quoque curatio eſt in fiſtula ſimplici, recenti, intra carnem, adiuuátque ipſum corpus, ſi iuuenile, ſi firmum eſt: inimica contraria his ſunt. Itémque ſi fiſtula, os, uel cartilaginem, uel neruum uel muſculos læſit, ſi articulum occupauit: ſi uel ad ueſicam, uel ad pulmones, uel ad uuluam, uel ad grandes uenas, arteriás ue, uel ad inania, ut guttur, ſtomachum, thoracem, penetrauit. Ad inteſtina quoque eam tendere ſemper pericu-
loſum: ſæpe peſtiferum eſt. Quibus multum mali accedit, ſi corpus uel ægrum,
Paulus. uel ſenile, uel mali habitus eſt. Aegrè (inquit Paulus) conſaneſcit in ano fiſtula quæ orificio caret, tum quę deliteſcit, & in os terminatur, multifariámque fiſſa eſt. Sed ex his quidem colliguntur fiſtularum ſedes ſpatia, & noxæ. Præterea an ſimplices hæ ſint, an multiplices, & in plures partes diductæ. Hactenus igitur de fiſtularum differentijs, ſignis, & iudicijs. Deinceps uero de medicamentis ad eaſdem conferentibus diſſere oportet.

De fiſtularum curatione in uniuerſum.

Ratio curandi uniuerſalis. IN primis genus uictus conueniens, & quod ſubſtantia & qualitate, cauſis, quę fiſtulæ conſolidationem impediunt, aduerſatur, inſtitutio. Deindè corpus uniuerſum à ſuperuacaneis, & noxijs humoribus (illis tamen prius, ſi ita res exigat, expulſioni paratis) idoneo cathartico medicamẽto purgato. Mox potionibus roborandis ac deſiccandis interioribus partibus accommodis, fiſtulam ad conſolidationem præparato. Cæterum tametſi potiones multæ ad hanc in-
Potiones fiſtulis idoneæ. tentionẽ à uarijs authoribus deſcriptæ ſint, duæ tamen ſunt quæ frequenti uſu & felici ſucceſſu à recentioribus medicis probatæ ſunt. Prior ad hunc modũ habet

Agrimo-

Agrimoniæ partes tres, plantaginis partes duas, foliorum oliuæ partem unam, 1.
ſcindantur minutim & contundantur, poſteà in uino albo coquantur, & fiat co
latura, de qua quolibet die ſub auroram cyathus unus adminiſtretur. Altera Re 2.
cip oſmundę (quę filix mas eſt Dioſcoridi) partes tres, gentianę partes duas, cen
taurij partẽ unam: coquantur in uino albo, & fiat potio, quæ ut prior adminiſtre
tur. Hæc poſtrema etiam ualde efficax eſt in oſsium corruptorum expulſione.
Ego autem optimè factum exiſtimauerim, ſi in prædictis decoctionibus nonni- Guaiacum lignum ſanctũ.
hil ligni Guaiaci, uel Indici (quod lignum ſanctum, & palmam ſanctam appel-
lant) aliquot horas maceretur, poſteà moderato igne leuiter decoquatur, & ex
colatura, quantum aſsidenti medico ſatis eſſe uidebitur, mane bibendum offe-
ratur. Atque hæc regimen (ut loquuntur) uniuerſale concernunt. Quod autem Ratio curandi particularis.
ad topica pertinet auxilia, & regimen (ut uocant) particulare, quatuor ſunt ordi
ne peragenda.

Primum quidem fiſtulæ orificium, ſi non ſatis hiet, hoc eſt, ſi nimis ſtrictum fu 1.
erit, imò uerò & ſinus ipſe fiſtularis uſque ad fines eius, ſi fieri poſsit, dilatari de-
bet. Secundo loco callum eximere, fiſtulámque auferre, atque omninò deſtru- 2.
ere conuenit. Tertio poſt exemptum (quocunque modo id fiat) callum, ſor- 3.
dities detergenda ueniet. Quarto ubi purus iam ab omni ſorde ſinus uidebitur, 4.
ſimiliter reliquis ulceribus ad ſanitatem perducetur: nempe glutinatorijs, ſeu (ut
loquuntur) incarnantibus medicamentis, & epuloticis, id eſt, cicatricem indu-
centibus, atque etiam (ſi carnis aliqua fuerit amiſsio) ſarcoticis, id eſt, carnem ge
nerantibus pharmacis. Ergo ſi nec aduri ferro, nec incidi commodè poſsit fiſtu- 1. Sinus fiſtulæ ampliatio.
la, & eius os, aut ſinus totus, ſiue unus ac ſimplex, ſiue multiplex fuerit, non latè
ſatis pateat, immiſſo collyrio aliquo, ſeu (ut uocant) tenta, ampliari ac dilatari de
bebit. Materia autem ad conficienda collyria, dilatandis eiuſmodi fiſtulis, & ſinu
bus non calloſis idonea, ſunt radices gentianæ, & maliterræ (quam ariſtolochi-
am Græci nominant) radix item bryoniæ, hoc eſt, uitis albæ, & dracontij ſeu dra-
cunculi, præſertim maioris, qui ſerpẽtaria officinis, & Romanis ueteribus colum
brina nuncupatur. Sed inprimis huic negotio accommoda ſunt fruſta ſpongiæ
contorta & ualidè impreſſa. Ex ijs igitur fiant collyria ſiue penicilla (quas tentas
uocant) altera quidẽ parte tenuia, altera paulò pleniora. Atq; ea parte qua tenuia
ſunt, demitti oportet in fiſtulã, ſed filo ſemper appendice, ut tutius, ſi altius deſcẽ
derint, & prõptius, ſi nimis hæreant, extrahi poſsint. Dimittantur autẽ horis duo 2.
decim, aut certè plus, aut minus, donec ſcilicet latè ſatis dehiſcat fiſtula. Cæte- Fiſtulæ deſtructio ſeu mortificatio.
rum orificio fiſtulæ atq; eius ſinu, ſufficienter dilatatis, ipſius deſtructio, prorſus
moliẽda eſt. Id autem trifariàm fieri conſueuit. Nempe uel medicamẽtis acriori- Trifariã fiſtula deſtruitur.
bus, & callũ exterentibus, uel inciſione ſinus, & uſtione: uel inciſione citra uſtio
nem, cum calli euulſione. Ergo ſi recens fuerit fiſtula, aut non adeò multum anti-
quata, nec etiã admodum profunda aut flexuoſa, & chirurgiam, hoc eſt, ſectio- 1.
nem & uſtionẽ, prorſus recuſet æger, medicamenta callũ exterẽtia adhibebimus
Deindè remoto callo ad curationẽ reliquis ulceribus cõmunem uertemur. Itaq;
callos elidunt atq; excindunt, quæ ex Galeno, Paulo, Aëtio, Cornelio Celſo, & a Callos exterẽtia.
lijs recentioribus chirurgis ſubiungã. Spondilij radix circumraſa, & fiſtulis im-
poſita, earũ callos eximit. Item ueratrum nigrum, duobus tribúſue diebus inſer
tum idẽ præſtat. Adhæc amurca cocta, & in collutione adhibita. Ad idem elateri
um, id eſt, ſuccum cucumeris agreſtis, ſeu (ut uocant) aſinini, terebinthina exce-
ptum in collyria cogito, impoñitoque: uel laſerpitij radicis ſuccum infundito.
Id quod ſequitur etiã callos conſumit Paulo Aeginetæ. Aeruginis drachmæ duo
decim, ammoniaci drach. 2. excepta aceto in longũ inducũtur, & fiunt penicil-
la. Hoc medicamentũ expeditiſsimum atq; ex primis eſſe ad callos eximendos,
ex pręcepto Megetis, nobis teſtatũ reliquit Aurelius Cornelius Celſus. Verum ex Locus in Cor ne. Cel. emendatus.
emplaria omnia eo loci corrupta ſunt. Pro drachmis enim duodecim habẽt tan

tum denarios duos. Plurima eius generis collyria, hoc eſt fiſtulis callos exterẽtia, à modò nominatis authoribus deſcribuntur, ex quibus quiſq;, quæ ſuo propoſito magis conducere uidebuntur, poterit deligere, & in uſum aſſumere. In cõmuni autem uſu apud recentiores chirurgos ſunt collyria ſiue penicilla ex trochiſcis aſphodelorum, quorũ deſcriptionẽ habes in antidotario. Item ex calce & ſapone. Adhæc, quæ auripigmẽto, hoc eſt, arſenico illinuntur penicilla, neminem unquàm fefellerunt, ut præter quotidianã experientiam recẽtiorum ferè omnium ſcripta teſtantur. At uerò ſi fiſtulæ multos & ualde anfractuoſos altosq; cuniculos habeãt, ita ut in eos collyria eiuſmodi, prout res exigit, indi nõ poſsint, eadem ex aceto aut liquore aliquo ad rem accommodo per auriculariũ clyſterem intro infundenda ſunt, ut ſcilicet per omnes multiplicis ipſius fiſtulę anfractus perferantur. Mirificè prodeſt in antiquis fiſtulis, & admodũ calloſis ſequens iniectio. Vnguenti Aegyptiaci ſemuncia, ſublimati drachma dimidia, lixiuij uncię quatuor aquæ roſarũ unc. 2. arſenici ſcrup. 1. aquæ plantaginis unc. 4. bulliãtuſq; ad conſumptionem tertiæ partis. Iniecto medicamento, fiſtuloſi ulceris os, linamento cõcerpto (ut de ſinubus dictũ eſt) aut quouis alio claudendum eſt, ne id refluat. Niſi enim aliquandiu maneat, nullum effectũ effatu dignũ præſtare poterit. Si autẽ duplices aut multiplices eiuſmodi fiſtulæ, breues, intraq; carnẽ ſint, eadem etiã medicamenta quæ callos elidunt, arida in calamum ſcriptoriũ conijci poſſunt. Calamus igitur ori fiſtulæ aptandus eſt, poſtea in eum inſufflare oportet ut ea medicamẽta intus compellãtur. Si quando uerò longior (inquit Celſus) & tranſuerſa fiſtula eſt, demiſſo ſpecillo, contra principiũ huius incidi commodiſsimum eſt, & collyriũ utrinq; demitti. Aqua fortis Alchymiſtarũ ſaltem prima in eiuſmodi tortuoſis, atq; labyrinthi modo flexuoſis fiſtulis, mirificè prodeſt. Hęc enim (inquit Guido ex ſententia Arnaldi à uilla noua) omnes fiſtulas mortificat & diſrũpit. Secundus modus abolẽdi fiſtulas eſt, qui primum per inciſionem totius cauitatis fit, deindè per aduſtionem, quæ uel cauſtico medicamẽto, uel ferro candẽti & ignito inducitur. Cæterum quæ in magnas arterias, uel neruos uel tendines notatu dignos, aut membranã coſtas ſuccingentẽ, aut aliquam principalẽ particulã deueniunt, uel nequaquàm (ut ſuprà diximus) uel certè cum multa artificioſaq; diligẽtia, ac prudentia attingendæ ſunt. Reliquis uerò hunc in modũ manum admoliemur. Primum quidẽ tentabimus, an rectæ ſint uel obliquæ, demiſſo intrò (ut paulo antè monuimus) ſpecillo, uel cerea cãdela. In quibus autem duę plurés ue oræ habẽtur, quæ ſpecillo aut conſimili inſtrumento tentari minimè poſsint, ita notantur. Clyſtere in ſinũ per unum os liquorẽ compellimus, exq; tranſitu eius in reliqua ora, facilè deprehẽdimus, unã ne, quæ multas oras habeat an multæ fiſtulæ ſint. His ita exploratis, ſi in ſummo fuerit ſinus, atq; is auguſtus, ſpecillo demiſſo explicandus eſt, ſupraq; id accomodata figura, ſcalpello incidẽdus. Si flexus reperiũtur, hi quoq; ſimul ſpecillo & ferro perſequendi ſunt. Idẽmque faciendum, ſi plures ſe quaſi ramuli oſtendunt. Vbi ad fines fiſtulæ uentũ eſt, diuiſio ulceri imponẽda ſunt penicilla, oui cãdido liquore imbuta, quę labra ſolutæ cõtinuitatis diſtendant, & inuicem coire non ſinant. Poſtera die locus adurendus erit, uel ferro candente, uel cauſtico, ſeu adurente aliquo medicamento, nẽpe uel puluere aſphodelorũ, uel arſenico, aut alio cõſimili, quod facultatis ſit cauſticæ ſiue urẽtis. Auicenna hydrargirũ, id eſt, argentum uiuum ſublimatũ admouet, quo efficitur, ut nihil corruptũ, nihil calloſum, nihil deniq; quod præter naturã ſit, in ulcere remaneat, quod non omninò deſiccetur, elidatur, & abſumatur. At ſi non ſumma occupauerint fiſtulæ, & ſub cute nõ tranſuerſæ ferãtur, ſed rectæ intrò tendãt, ubi quàm profundiſsimè poteſt, & quatenus licet, inciſus fuerit ſinus, orbiculatim totũ callum, modo qui nuper dictus eſt, fieri poſsit, auferemus. Quòd ſi aliquid ex eo relictum fuerit, adurente id medicamento abſumemus. Si autem multum ſit, quod ex callo remanſit, nec medicamento cedat, candentibus

Trochiſci aſphodelorum. Arſenicum.

Ad antiquas & ualde calloſas fiſtulas.

Si fiſtula longior & tranſuerſa ſit.

Aqua alchymiſtarum.

2. Secũdus modus abolendi fiſtulas.

Argentũ uiuũ ſublimatum.

Si fiſtulę ſub cute intrò tendant.

dentibus ferramentis adurendum eſt. Cæterùm ſuperponenda ſunt, atqꝫ in circuitu ſemper admouenda quæ refrigerent & reprimant. Nã ferè quæ circa fiſtulam ſunt (ut Celſus ait) aliquid habent inflammationis. Signum autẽ, quo digno ſcimus medicamentũ acre atqꝫ adurens, ſuum effectum quod ſatis eſt, induxiſſe, eſt ulceris elatio ſiue tumefactio, ac trium dierum mora, ut cõmunis uſus habet. Itaqꝫ aduſta, & ut oportet reſiccata fiſtula, mitigatorio aliquo medicamento primis diebus utitor, ut oleo cũ oui luteo miſto. Deinde ea quæ cruſtas, ferro ignito aut adurente medicamento inductas reſoluunt ac deijciunt, admoueto: cuiuſmodi eſt butyrum, aut aliquod aliud ſimile pingue ac unctuoſum, à quorum uſu non prius deſiſtito, quàm cruſtæ deciderint, & in pus conuerſæ fuerint. Mortificatæ autẽ fiſtulæ euidens argumentum eſt, cum pus quod antè multũ & crudum apparuerat, nunc paucum & coctum uiſitur.

Quid poſt aduſtionẽ & reſiccationem fiſtulæ agendũ ſit.

Mortificatę fiſtulæ ſignum.

3. Tertius mod° abolendi fiſtulas.

Tertius modus abolendi fiſtulas eſt, qui per inciſionem fit ſine cauterio, uel actuali (ut uocant) uel potentiali. Itaqꝫ facta quemadmodũ antè proditũ eſt, inciſione uſqꝫ ad fines ſeu fundum ipſius fiſtulę, callus totus uel unguibus, uel acie ſcalpri, uel cultro raſorio, id eſt nouacula detrahi debet, ita ut locus, ſeu ſinus ipſe purus, & ab omni ſorde mundus appareat, quod uiuæ ac probæ carnis præſentia deprehenditur, ut docuit Auicenna. Et hæc uera eſt fiſtulæ curatio, quam ſtatim, ſi nihil obſtiterit, aggredi debemus, quoties fiſtula nobis ſananda & abolenda proponitur. Cęterùm dilatata fiſtula, atque in totum abolita, detergentibus, ſi quæ ſordes adhuc ſuperſit, & ſarcoticis, ſiue incarnantibus medicamentis uti nos oportebit: qui poſtremi duo ſcopi erant in ſanandis fiſtulis propoſiti. Ergo callo fiſtulæ eliſo atqꝫ abſumpto ſi ſordes aliqua ſubſit, mulſo uel aqua in qua eruum coctũ ſit, ſic ut huic quoqꝫ mellis paulum adijciatur, locum abluito, uel ſequenti medicamento repurgandis fiſtulis, poſt remotũ callum longè accommodatiſsimo utitor. Terebinthinę in aqua uitæ ablutæ unc. 3. ſucci apij, ſucci cynogloſsi (quod Romani linguã canis appellant) ſingulorum drach. 6. mellis roſacei colati ſeſquiunciã, ariſtolochiæ rotun. drach. 2. farinæ lupinorum ſemunciam, coquantur ſucci & terebinthina cum melle roſaceo, uſqꝫ ad conſumptionẽ medietatis ſuccorũ, deinde reliqua cõmiſceantur. Si prædicto medicamento abſterſorio, myrrhæ, ſarcocollæ, radicis peucedani aridæ & iridis, ſingulorum momentum adieceris, optimũ incarnãs medicamentũ effeceris, modò ex ea turunda illinatur. Aliud Aetij Amideni experimento probatũ, callum exterens & incarnans.

Vera fiſtulæ curatio.

3. Deterſio.

Medicamentũ fiſtulas repurgans ac detergens.

4. Carnis generatio.

Lib. 14.

« Radicum liliorum crematarum cinere fiſtulam repleto, & callus exci-
« det, quo ablato ſmilacem herbã ſumito, arundinibus ſe implicantem, flore can-
« dido, folijs hortẽſi phaſelo ſimilibus: qua arefacta, uſta & trita, fiſtulã replebis,
« & incarnabitur. Aliud aridũ Magiſtriani ab eodẽ relatũ, fiſtulas incarnans. Cha-
« mæleontis nigri radicem, pini corticem, thus maſculum, ariſtolochiam longam
« pari pondere terito, fiſtulæqꝫ mulſa ablutæ aridum applicato.

Medicamentũ callũ exterens & incarnans.

Aliud fiſtulas incarnans.

Sequens quoque collyrium, à quodam chirurgo noſtri temporis uſurpatum fiſtulam agglutinat, inſigniter deſiccat, & affectæ parti robur addit. Aquæ uitæ unc. duas, uini maluatici unc. unam mellis roſacei drachmas decem, myrrhæ, radicis peucedani tritæ, utriuſqꝫ drach. duas, ſarcocollæ, aloẽs hepaticæ utriuſqꝫ ſeſquidrachmam, id eſt, drach. unam & ſemiſſem miſceantur, deinde bulliant omnia ad ignem moderatum unico feruore, & per oricularium clyſterem, quam ſyringam uocant, inijciantur in fiſtulam. Aliud ad fiſtulas uſqꝫ ad os attingentes, ex Aetio. Squammæ æris, æruginis, ammoniaci, thymiamatis portiones æquas ex aceto terito, & paſtillum, id eſt trochiſcum conflato. Deinde collyria, hoc eſt turundas, fiſtulæ æqualia formato, & imponito. Quomodo aũt oſsi uitiato & corrupto medendũ ſit, in præcedentibus diximus. Hæc igitur de fiſtulis dicta ſufficiant: ſupereſt ut de cancro ulcerato dicamus.

Medicamentũ ad fiſtulas longe optimum.

Aliud Aetij.

De cancro exulcerato. *Cap. XIX.*

CANCRORVM(ut in tractatu de tumorib. præter naturã diximus) alij cum exulceratione,alij citra ulcus fatigant.Ac de his quidẽ qui ſine ulcere moleſtant(quos Hippocrates latentes nominauit) abunde à nobis ſuprà dictũ eſt.Itaq; præſens locus poſtulat,ut de ijs diſſeramus,qui exulcerati ſunt,& adeò laborantes affligunt , ut interdũ illis manum admoliri(ægris etiam ultro id efflagitãtibus)cogamur.Cæterũ quibus locis maximè accidant cancri tam ulcerati, quàm non ulcerati, ex quo humore potiſsimum gignantur,& à quibus cauſis excitẽtur,quibus notis deprehendantur,qui ex illis curationẽ recipiant,& qui nõ,atq; in totũ quid de illis præſagiendũ ſit, fuſiſsimè à nobis explicatũ eſt,ubi de cancroſis tumoribus, qui citra ulcus inuadunt,egimus.Reliquũ eſt igitur,ut cõpendioſam exulcerati ipſius cãcri curationem deſcribamus.Sed priuſq̃ id agamus,nõ alienũ fuerit eius notas in memoriã

Signa cancri ulcerati.

reuocare.Itaq; in cancro ulcerato,præter dolorẽ,duritiẽ tumoremq; ulcera eroſa,ac inæqualia cõſpiciuntur,plurima ex parte ſordida,labris prætumidis, aſpectu horrẽda,& cõcreta humorũ colluuie ingrata. Quæ uerò(inquit Paulus)pura uidentur,fœculenta,liuida,atq; interdũ etiã ſubrubra & cruenta apparent : ſanies inde manat continuò,tenuis,aquoſa,nigra,aut fulua,grauiter olens.

Ratio curãdi cancri exulcerati.

Ergo ſi eiuſmodi affectus chirurgiã,hoc eſt,manus operã deſiderat à uacuatione humoris melancholici curatio auſpicanda eſt . Deinde totum carcinoma, ſi locus patiatur,prorſus reſcidendũ,ſic ut nulla ſuperſit radix ſinemuſq; ſanguinẽ effluere,nec ſtatim eũ inhibebimus.Imò preſsis uicinis partibus,craſſum ac melancholicum ſanguinẽ exprimemus.Poſtea alijs ulceribus ſimiliter curabimus.

Vacuatio.

Exciſio.

Vide Paulum lib. 6.

Hæc curãdi ratio tradita & probata eſt lib.14.meth.The.Cuius uerba hoc loco ſubijcere placuit.Cæterùm(inquit)ſi quando cancrũ per chirurgiã curare audebis,cœpiſſe quidẽ ab uacuando per purgationẽ melancholico humore oportebit:ubi uerò totũ quod uitiatum eſt prorſus excideris,ſic ut nulla ſuperſit radix ſines effluere ſanguinẽ,nec properè eum inhibebis:imò premendo potius uicinas partes,exprimes ex his craſsiorem ſanguinem. Mox alijs ulceribus ſimiliter curabis.Hactenus Galenus.Sunt qui exciſo carcinomate , & craſsiore ſanguine ex circunſtantibus partibus expreſſo , ferramẽtis igni flagrantibus locũ adurũt.

Vſtio.

Alij cum partẽ aliquam corporis carcinoma eiuſmodi,quod cũ ulcere eſt occupauit,hoc(ſi locus nõ refragetur) circuncidi opus eſſe tradunt , dein uiuotenus aduri,tritaſq; cantharides ex alumine & cyprino oleo ſuperponi.Alij uerò à ſectione,& uſtione quæ fit ignito ferramento abſtinentes, corroſione ualida ex adurentibus medicamentis facta uitium hoc totum extirpant,& deſtruunt.

Cantharides.

Corroſio.

Porrò medicamẽta eiuſmodi ſi quando adhibenda ſunt, ualentis admodũ facultatis eſſe debent.Nã ut ſcribit Hipp.extremis morbis, extrema remedia adhibenda ſunt.Tanta aũt eſt huius uitij malignitas,ut mitiora planè contemnat remedia.Inter cętera aũt,præſtantiſsimũ ac tutiſsimum auxiliũ in hoc affectu Guidoni à Cauliaco prædicatur, arſenicũ ſublimatum, cuius egregias dotes, ſuprà iam crebrò cõmemorauimus,& in ſequentibus adhuc celebrabimus . Hoc(inquit Theodoricus)cancrũ,lupum, eſthiomenum [hoc eſt ſphacelũ ſeu ſyderationem]noli me tangere,fiſtulã,& omnes tales peſsimos morbos, prima die occidit & extirpat.Cæterũ magna locorum circunſtantiũ, interim dum admouetur,cura ſemper habenda eſt,ne ſcilicet ea ipſa inflãmatione atq; humorum confluxu occupentur.Quod incõmodum facilè deuitabis, ſi partes illas uicinas, & carcinoma cingentes,bolo armena,& id genus alijs,illeueris. Sed & modo legitimo,ſeu iuſta quantitate(quã coniectura tantũ artificiali rationalis definit medicus)adhibendũ eſt,arrhenicum ipſum ſiue arſenicũ(ut uocãt) ſublimatũ. Vbi autem effectum quẽ deſyderas,præſtiterit(quod ex loci inflatione ſiue tumore, & mora triduana,deprehẽdes)dolor mitigãdus erit,& cruſtæ caſus, modo quo ſuprà

Carcinoma mitiora contemnit temedia.

Arſenicũ ſublimatum.

Legitimi effectus arſenici notæ.

ſuprà docuimus procurandus. Cancro uerò ſic penitus extincto, ac radicitus extirpato, ulcus ipſum quod remanſit, ſimiliter alijs cauis ulceribus curabis.

Extincti carcinomatis notę.

Carcinœma autem prorſus extinctum agnoſces, ſi proba & ſana caro apparuerit, ſi & nulla uirulenta proluuies, ſe in parte affecta oſtenderit, nullaq; amplius graueolentia, eorum qui proximè aſtant, nares offenderit.

Qui nam cancri ulcerati uſtionem aut ſectionem deſyderent.

Cæterùm ſoli illi cancri etiã cum ulcere conſiſtentes, curationẽ eiuſmodi, quę uſtione uel ſectione fit, admittunt, qui in ſumma corporis parte hærent, quiq; adeò laborãtes fatigant, ut ipſi ultrò (inquit Galenus) chirurgi manũ efflagitent, & ſimul in talibus partibus cõſiſtant, quas reſecare & exurere unà cũ radicibus poſsis. Sed cum hæc curãdi ratio, non ſine graui ægrotãtis periculo (ut ſuprà de cancro non ulcerato monuimus) adminiſtrari poſsit, temerè adhuc in talibus adhibenda non eſt.

Quibus cancris duntaxat adblandiendũ, uera curatione omiſſa.

Itaq; ſi in penitioribus corporis partibus conſtituti ſunt cancri iſtiuſmodi, aut in talibus quidẽ conſiſtant, quas nec adurere, nec excindere unà cum radicibus poſsis, uel ſi loca principibus membris uicina occupent, uel laborans ob uirium imbecillitatẽ tale curationis genus ſuſtinere non poſsit, aut forſan (quia nimis timidus ſit & puſillanimis) extrema hæc remedia ſubire non uelit. Adhæc ſi ex hac curandi ratione deterius aliquod malum ſequeretur: breuiter ſi periculũ ex chirurgia, id eſt, ſectione aut uſtione timeamus, nec curari affectus aliter poſsit, ſat fecerimus, ſi hunc augeri prohibeamus, proba in primis uictus ratione & cõmodis uacuationibus, ſoliſq; leuibus & quaſi adblandiẽtibus medicamentis utentes: à uehementibus uerò & acribus (quibus malũ hoc ueluti crabro irritatur, & excandeſcit) prorſus abſtinentes.

Victus ratio in cancro ulcerato obſeruãda.

Ergo imperanda ægris talis uictus ratio eſt, quæ tenuis ſit, bonumq; & minimè melancholicum ſuccũ generet. Quòd ſi ob iecoris caliditatem & ſiccitatem excedentem, prohiberi non poſsit, quin craſſus & melancholicus in corpore ſanguis procreetur, cibis refrigerantibus et humectantibus erit utendũ, quibus hepatis intemperies paulatim emendetur. Conueniunt itaq; in hoc affectu ptiſanæ cremor, lactiſq; ſerum, uinum paucíſsimum & aquoſum, piſces ſaxatiles, atq; omnis generis aues, præterquam paluſtres. Ex oleribus malua, attriplex, blitum, cucurbita, atq; id genus alia. Acrium eſus & repletio omnis uitanda.

Succus melancholicus ex interuallis uacuandus.

Sed & craſsior ille ſuccus, qui in uenis colligitur, ex interuallo uacuandus erit, interdũ purgante medicamento, interdum, niſi quid prohibeat, uenæ ſectione. In mulieribus quoq;, ſi quidem liceat per ætatẽ, menſes euocandi, atq; etiam in uiris hæmorrhoides, ſi eas pati conſueuerunt, proritandæ.

Quæ loco affecto imponenda.

Loco autem affecto imponenda remedia ſunt, quæ dolorem leniant, & ita ipſum firmare poſsint, ut nihil redundantiæ humorum amplius excipiat: quę item refrigerent & exiccent, minimè uerò mordeant aut irritẽt.

Succus ſolani.

Cuiuſmodi ſunt ſolani ſuccus, uel aqua deſtillata, cũ ſucci copia non eſt, plumbum uſtum & oleum, unguentum album, unguentum ex lithargyro & plumbo uſto, item medicamentum quod ex pompholyge uel chalcite conſtat, aut alijs id genus metallicis uſtis & elotis. Aquæ etiam, ut uocant, camphoratæ, ſimiliter & ſucci in mortario plumbeo ducti, huic uitio efficaciſsimè admouentur.

Lamina plumbea.

Laminæ quoq; plumbeæ maximo & penè incredibili uſu cancris ipſis exulceratis ſuperinducuntur.

Modus uſus ſucci ſolani.

Modus autem uſus ſucci ſolani, quod medicamentum eiuſmodi affectibus utiliſsimum eſſe ſcribit Galenus, talis eſto. Solani ſucco linteum molle duplicatum imbuito, & loco affecto imponito. Extrinſecus lanam molliuſculam eodem ſucco madentem linteo circundato, atque hæc ne ſicceſcant, eo ſucco ſubinde irrigato. Hoc remedium loco dolenti inductum ſine dolore ac moleſtia, inquit Paulus, exulceratis cancris ſubuenit. Plurima medicamenta compoſita à Galeno, Paulo, Celſo & Aętio, ad hunc uſum cõſcripta ſunt, ex quibus duo hæc ſelegimus.

Vnguentũ ad cancros ulceratos.

Argenti ſpumam & ceruſam in plumbea pila, cum oleo roſaceo in ſole tantiſper conterito, dum plumbi colorem, unguentum quod ex his fit, acquiſiuerit.

Aliud longe optimum.

Aliud quod magnoperè probo, recipit plumbi uſti & eloti,

pompholygis,thuris,ſingulorum uncias quinque,abſynthij unciam unam, olei roſacei ſelibram,id eſt libram ſemis:ceræ ſeſcunciam,id eſt,unciam unam ſemis, ſucci ſolani,quod ſufficit ad unguenti craſsitudinem. Inſigniter autem leniunt, ſolantúrque plurimum in ipſis exacerbationibus, & cruciatus tempore malua

Malua. Althæa.

aut althæa,quam biſmaluam appellant, in mulſo ſubacta liquefactá ue,& roſacei paululo leuigata,inſtarq́ cataplaſmatis illita. Adhæc cataplaſma ex ficubus aridis,meliloto, quam Latini ſertulam campanam uocant, ruta,thure,buniade herba,id eſt,napo, diligenter cum oleo contuſa. Lenit item cataplaſma quod conſtat palmularum dactylis in paſſo decoctis, quibus adiecta ſint ouorum lutea polentáque. Adhæc quod ex papauere cum coriano factum eſt,aut polygono aut ſeri,hoc eſt,cichorio: hæc quidem in doloribus uſui ſunt. Multi,inquit Guido,mitigant eius fraudulentiam & lupacitaté,ita enim loquitur, cum pecia ſcarlati,&appoſitione carnium gallinarum.Hinc uitium hoc ideò lupum appellari uulgus putat,quoniam carnes unius gallinæ ſi apponantur,quotidie ferè abſumit & deuorat. Quod ſi forſitã eiuſmodi gallinaceæ carnes uel ſimiles illi pro pabulo non offerrentur,carnes ſibi proximas, ceu lupus quidam famelicus, ad eandem quantitatem depaſceretur & exederet. Quidam huic malo ueluti adblandiuntur, admoto puluere ſtercoris humani, & anethi igne concrematorum.Item appoſitis quibuſdam herbis, ut ſcabioſa, trifolio, uerbaſco, id eſt,tapſo barbato,& herba robertiana nuncupata, quæ quibuſdam myrrhis Dioſcoridis eſſe putatur. Cæterùm utcunque res habeat, commemorata nuper remedia, (quoniam ferè temperata ſunt) ſi magnopere non proſint, nocere ſaltem non poſſunt.

Cataplaſma leniens.

Aliud.

Aliud.

Cancer ulcerarus cur quibuſdam lupus appelletur.

Herba Roberti.

FINIS LIBRI TERTII CHIRVRGICARVM INSTITVtionum de ulceribus. Ioanne Tagaultio Doctore medico authore.

GENERALIS DIVISIO FRACTVRARVM, IN LIBRVM QVARTVM

institutionum chirurgicarum, Ioannis Tagaultij Medici.

F*Racturæ, quæ Græcis κάταγμα dicitur, differentiæ*

Simplices,

Compoſitæ.

Simplices fracturæ differentiæ, plures ſunt. Aliæ enim fiunt:

καυληδὸν, ῥαφανηδὸν, σικυηδὸν, id eſt, ad Caulium, Raphani, Cucumerum fractorum ſpeciem ac ſimilitudinem, per tranſuerſum.

σχιδακηδὸν, id eſt, quaſi aſſeris modo per longitudinem.

Εἰς ὄνυχα, id eſt, in unguis formam.

Ἀλφιτηδὸν, id eſt, ad ſimilitudinem farinæ uel pollinis, quando ſcilicet os in multas tenues partes confringitur.

κατὰ ἀπόθραυσιν, id eſt, iuxta abruptionem: fit cum pars oſsis per ſuperficiei abruptionem detrahitur, ac recedit.

Compoſitæ fracturarum differentiæ, ſeu potius implexus cum alijs morbis & ſymptomatis.

Fractura cum uulnere.

Fractura cum inflammatione.

Fractura cum gangræna.

Fractura cum dolore.

Fractura cum pruritu.

Fractura cum fragmento oſsis eminente.

Fractura cum contuſione.

Fractura malè ferruminata.

Fractura cum callo nimium excreſcente.

Fractura cum nimia calli ſiccitate, & duritie.

Fractura cum ſuperflua calli humiditate.

Sunt & aliæ fracturarum differentiæ Albucaſi, & recentioribus chirurgis, à locis in quibus conſiſtunt deſumptæ, quæ tamen propriè differentiæ dici non debent, ut:

Fractura in caluaria.

Fractura in maxillis.

Fractura in naribus.

Fractura in clauiculis.

Fractura in ſpina dorſi.

Fractura in coſtis.

Fractura in ſcapulis.

Fractura in humero.

Fractura in brachio, id eſt, cubito & radio.

Fractura in femore.

Fractura in crure ſiue tibia.

Fractura in patella ſeu rotula genu.

Fractura in digitis, tum pedum tum manuum.

INSTITVTIONVM CHIRVRGICARVN IOANNIS TAGAVLtij Doctoris Medici, de fracturis,

LIBER QVARTVS.

Quid fractura, & quæ ſint eius differentiæ. Cap. I.

QVANDOQVIDEM TRIBVS LIBRIS SVPErioribus, de uitijs chirurgię ſubiectis, quę carnoſis & mollioribus corporis partibus accidunt, abundè ſatis dictũ eſt, ordo iam poſtulat, ut de alijs quæ oſsibus contingũt, hoc eſt, fracturis & luxationibus, diſſeramus: hæc eñ Chirurgię generi etiam ſubijciuntur. Ac primum quidem de fracturis agemus, quas etiam Hippocrates luxationibus anteposuit. Eſt igitur fractura, ut in uniuerſum dicatur, Fractura quid.
unitionis, ſiue cõtinuitatis ſolutio quæcunq; in oſſe, quam Gręci proprio nomine & omnibus ſuæ gẽtis hominibus noto, catagma uocãt, ut Galen. 6. meth. me- κάταγμα.
dend. & pleriſq; locis teſtatũ reliquit. Paulo uerò Aeginetę, atq; alijs poſterioris Paulus.
medicinæ Graijs ſcriptoribus, fractura oſsis eſt diuiſio, aut ruptura, aut præciſio, diſciſió ue, à uiolentia quadã extrinſecus irruente accidens. Guido à Cauliaco, & alij quidã ętatis illius medici fracturã definiunt, continuitatis ſolutionem Guido à Cauliaco.
in oſſe, non à qualibet re factã, ſed ab ea tantum, quæ contundit. Vt uera ſit (inquit) prima differentia ſolutionis oſsis, quòd quædam eſt inciſa, quædã cõtuſa: oſsium enim diuiſionẽ quæ inciſione fit, non fracturam, ſed oſsis uulnus appellant. Cæterùm plures fracturarum eiuſmodi differentiæ ſunt: aliæ nanq; ſimplices ſunt, aliæ compoſitæ. Ex ſimplicibus quidem aliæ ſunt, quæ fracti oſsis partes iam prorſus ſepararunt, eaſq; cauledon, raphanidon, atq; etiam ſicyedon factas Græcè dicunt, hoc eſt, ad cauliũ, raphani & cucumerũ fractorum ſpeciem ac ſimilitudinem. Simplices fracturæ differentiæ.
Manifeſtum aũt eſt eiuſmodi oſsium diuiſionem tranſuerſum per craſsitudinem fieri. Hæc quibuſdã uirgalis & tranſuerſalis nominatur. Aliæ uerò fiunt ſchidacidon, quaſi aſſeris modo: hæ autem per longitudinem magis fiunt, dicunturq; oblongæ oſsis fiſſuræ. In ijs non omninò ſeparantur à ſe partes ſic affecti oſsis, ſed ueluti per rectitudinem finduntur. Fractura ſchidacidõ facta.
Præter has aliæ quædam ad ſimplices numerantur fracturæ differentiæ, quarum aliæ Græcis dicuntur fieri, εἰς ὄνυχα, id eſt, ad inſtar unguis, aliæ alphitidon, id eſt, ad farinæ uel pollinis ſimilitudinem. Aliæ κατὰ apothrauſin, id eſt, iuxta refractionem, ſeu (ut alij interpretantur) abruptionem. Alię fracturarũ differẽtiæ.
Fractura quæ εἰς ὄνυχα, id eſt, in unguis formam fit, fiſſura eſt oſsis, quæ cum aliqua in parte recta ſit, in extremo tamen lunata euadit. Atque hæc etiam calamidon, id eſt, harundinatim ab aliquibus nuncupatur. Fractura uulgaris.
Alphitidon ad ſimilitudinem farinæ uel pollinis dicta, eſt cum os in multas tenues partes confringitur, quæ & ipſa caryedon, id eſt, nucatim, à quibuſdam uocatur. Fractura alphitidon facta.
Apotrauſis, quæ & apocope dicitur, id eſt, abſciſio ſeu præciſio, eſt cũ pars oſsis per ſummitatis rupturam, ſeu ſuperficiei abruptionem detrahitur, ita ut pars ea quæ detracta eſt, & receſsit ſupereminieat, ut ferè fit cum ſquamula ab oſſe reſoluitur. Fractura κατ᾽ ἀπόθραυσιν facta.
Cæterùm hæ fracturarum differentiæ curioſe nimis (ut Galenus inquit) atque ambitioſe, à medicis Hippocrate iunioribus, ijs proprijs nominibus interpretatæ ſunt. Non contenti enim fuerunt oratione, os quod uariè ſeu multifariam ſit fractum, explicaſſe. Ab huiuſmodi aũt appellationibus, omnino abſtinuit Hippocrates, ſed quoad fieri licuit, uſitatiſsimis utens nominibus, oratione interpretari non eſt grauatus, non has modò fracturarum differentias,

Duæ ſunt potiſsimæ fracturarũ differentiæ ſimplices. Cõpoſitę fracturæ differentiæ.

uerumetiam quæ in capitis oſsibus eueniunt. Breuiter duo potiſsimæ ſunt fracturarum differentiæ ſimplices Galeno, à quibus curandi indicationes ſumuntur, nempe quæ per tranſuerſum, & quæ per longitudinem facta eſt. Cornelius Celſus tertiam addidit, quæ ſcilicet obliquè fit. Omne (inquit) os modò rectum ut lignum in longitudinem finditur, modò frangitur tranſuerſum, interdum obliquum. Cæterùm oſsis fracturæ, nonnunquam carnis quoque uulnus accedit, ſed potiſsimum cum oſſa multifariam fracta ſunt, ſæpe etiam dolor ingens, & interdum inflammatio. Contingit etiam aliquando ut aliud os ſuper aliud efferatur, & ex oſſe malè ferruminato ac commiſſo, ueluti tophaceus aliquis nodus relinquatur. Horum autem affectuum & ſymptomatum cum oſsium continuitatis ſolutione complexus, compoſitas fracturæ differentias, iuniores medici uocauerunt, cum tamen propriè differentiæ non ſint. Quandoquidem quod

Meth. 3.

ſeorſum & per ſe conſiſtere poteſt (ut alibi ex Galeno diximus) nunquam alterius erit differentia. Vulnus autem, dolor, inflammatio, & id genus alia ſeorſum, & per ſe conſiſtere poſſunt. Proinde ueræ fracturarum differentiæ, & à propria ipſarum natura deſumptæ, nec reuera ſunt, nec rectè dici poſſunt. Quòd ſi quæ à loco quoque, ſeu parte in qua eſt fractura, differentias cenſeas, ueluti ſi nares, aures, maxillæ, coſtæ, clauiculæ, caluaria, ſpina dorſi, humeri, brachia, femora, crura, digiti, fracturam patiantur, fuerint profectò & ipſæ fracturarum differentiæ Albucaſi: non utiq; à propria ipſarum natura, ſicuti neq; præcedẽtes deſumptæ, ſed à locis in quibus conſiſtunt. Verumenimuerò quoniam ab ijs omnibus ſuprà commemoratis agendorum ſumuntur indicationes, donemus eas cum recentioribus medicis & chirurgis differentias appellari.

De cauſis, ſignis, & iudicijs fracturæ in vniuerſum. Cap. II.

CAVSAE.

CAVSAE fracturarũ internæ nullæ ſunt, externæ uerò ea omnia, ut breuiter dicã, quæ contundere uel diuidere oſſa poſſunt. Quæ contundũt, ea dura grauiaq;, & mole non exigua ſint oportet, uehementiq; impetu deferri ac irruere. Oſſa diuidunt quæ uulnerando incidunt: item caſus ab alto, præſertim ſi oſſa ſicciora ſint, nec admodum craſſa. Fractura quoq; oſsibus interdum accidit ex circumtortione in luctantibus: aut ſi tibia ſiue crus Dioclis, cruri aduerſarij Socratis cum eo luctãtis per tranſuerſum ſuppoſita ſit, ita ut utraq; eius capita, & iuxta pedem, & iuxta genu deorſum uehementer deprimantur, os proculdubio tibiæ ipſius Dioclis, præſertim ſi infirmum ſit natura, hoc luctationis genere medium diſrumpetur, ſeu ſi mauis frangetur. Id quod in lignis quoque, quæ à nobiſipſis circumtorquentur, uidere licet. Si enim lignum aliquod neque magnum neque ualidum, ſed paruum & imbecillum ſuprà femur tuum impoſitum, ex utroque capite deorſum uehementer manibus urgeas, ſtatim id in media parte frangi aſpicies.

SIGNA.

Signa autem oſsis fracti, & præſertim per tranſuerſum atque in artubus, hæc ferè ſunt. Tactu oſsis partes diſiunctæ ſeparatáue ac uariæ reperiuntur, membri figura inæqualis percipitur: dum membrum dimouetur, & manu uariè tractatur, oſſa colliduntur, & ueluti crepitus quidam ex ea colliſione auditur. Pars afflicta contacta dolet, corpus membro fracto haudquaquam inniti poteſt: cauſæ quæ frangunt aut cõtundunt, præceſſerunt. In oſſe uerò quod per longitudinem fractum eſt, ſubſtantiæ eius craſsities non naturalis tactu percipitur, cætera ſigna nõ adſunt, præterquã quòd dolor & inæqualitas iudicio ſenſus etiam deprehenduntur.

IVDICIA.

Prognoſtica. Oſſa minimè periculoſe media franguntur in humeris, brachijs, femoribus, cruribus & digitis. Quò aũt propior fractura capiti uel ſuperiori, uel inferiori ipſius oſsis eſt, eò peior iudicatur. Nam & maiores dolores affert, & difficilius curatur. Ea itidem quæ in artuum uicinia eſt, curatu difficilis eſt, uel eo

potiſsimum

potiſsimum nomine, quod cõmodè ligari non poſsit. Atq; hæc ut plurimũ motum relinquit difficilem. Maximè tolerabilis eſt, ſimplex trãſuerſa: peior ubi fragmenta, atq; ubi obliqua: peſsima ubi eadem acuta. Nam & carnem uulnerant, interdum neruum quoq; aut muſculum. Fractura quæ cum dolore uel inflammatione, aut carnis contuſione incidit, mala eſt. Quippe quæ inſtaurari nõ poſſit, donec ea prius curationem receperint. Si oſsis fracturæ, carnis quoq; nullus acceſsit, in malo etiam æger eſt, maximeq; ſi id muſculi femoris, aut humeri ſenſerunt. Nam & inflammationes multò grauiores, & (ut inquit Celſus) promptiores cancros habẽt. Adde quòd in eiuſmodi fractura, neque ferulis neque canalibus (inter quæ uulnus ſaneſcere non poteſt) uti poſſumus. Sed nec primis faſcijs, quas Hippocrates ὑποδεσμίδας, id eſt, ſubligamina uocat, uulnus contegendum eſſe uolunt, tum huius ætatis chirurgi, tum qui ſeculo Hippocratis fracturas curabant. Itaq; ulcere non deligato, hinc & inde, hoc eſt, utrinq; ab eo faſcijs circumiectis qua ulcus eſt, feneſtellam relinquunt, per quam medicamenta uulneri accommoda imponant. Quem deligandi modum damnat ille medicorum princeps & anteſignanus Hippo. libro quem de fracturis inſcripſit, eúq; lemmatis, ac rationibus non abſurdis quidem, aut probabilibus tantum, ſed ſcientificis quoque & neceſſarijs, inutilem, erroneum, prauumq; eſſe conuincit ac demonſtrat. Si brachium aut crus fractum eſt, bonum eſt alterum ſaltẽ os integrum manere. Altero nanq; oſſe integro manẽte, neceſſe eſt neruos ac tendines minus contrahi, quippe qui ab integro ipſo oſſe & non comminuto adhuc intendantur. Adde quòd curioſius omnia in continendis oſsibus fieri debent, ubi utrunque os fractum eſt, & neutrum alteri auxilio eſt. Itaq; ſi alterũ os integrum manet, plus opis in eo quàm in faſcijs ferulisq; eſt. Cor. Celſus memoriæ tradidit ignorari minimè oportere, ſi femur perfractum eſt fieri breuius, quia nunquam, inquit, in antiquum ſtatum reuertitur, ſummisq; digitis poſtea cruris eius inſiſti. Quod equidem à ratione, & experientia, ab ipſiusq; Hippocratis ſententia prorſus eſt alienum. Non enim quoties femur frangitur, protinus neceſſariò ipſum breuius efficitur. Sed duntaxat ſi ſtatim quàm fractũ eſt, minus quàm par ſit, à chirurgo diſtentũ fuerit, uel tortuoſe diſtractum, & ſeparatæ ac diſtantes inter ſe oſsis confracti partes, non rectè atq; adamuſsim, priuſquã ferrumen impleant, coaptatæ extiterint. Tunc enim & breuius femur reddetur, & crure eius partis claudicabit homo. Sic aũt de hac re libro de fracturis ſcripſit Hippocrates. At uerò ſi femoris os fractũ ſit, extenſio in primis diligenter facienda eſt, ne minus quàm debeat, efficiatur. Amplior enim ſi ſit, nullã læſionem affert. Verum quoq; eſt, ut in eodem opere idem teſtatur Hippocrates, quòd quibuſcũq; utraq; uel tibiæ uel cubiti effracta oſſa fuerint, illa breuiora effici. Quòd ſanè intelligendum eſt, nempe ut Galen. interpretatur, niſi ante cõformationem extenſio debita adhibeatur, & commoda deligatione oſsiũ coaptatio ſeruetur, quoad callus obducatur: tunc enim non ſolũ in maiorem tumorem, quàm naturaliter conueniat, membrũ illis attollitur, uerumetiã breuius propter retractos muſculos efficitur. Sed hæc præſagia particularia ſunt. Porrò in quadrupedibus, præſertim ueterinarijs, non omnino eadem eſt de fractis præſagiendi ratio, quæ in hominibus. Nam ſi quadrupes pedis poſterioris radiũ fregerit, præſertim mulus aut aſinus: ijs quòd medulla careant, quamuis ſanguinis compotes ſunt, nunquam ſolideſcit. Quæ ſupra genua fracturam ſenſerunt, ut deplorata non cõtinges. Siquidem ea nunquam ferruminantur. Si femur fractum ſit, in periculum uenit, ſpesq; ſalutis in anguſto eſt. Fractis armis, nullus medicinæ locus. Nam neruorum diſtenſio ſequitur, quæ caput ſcapulis annectat. Vix unquam ſanitas contingit, ſi fracturæ uulnus aut luxatio coniuncta ſit. Si uerò coſta perfringatur, facilis medendi ratio eſt. Fracturæ quæ calloſo ferrumine coaluit, nunquã urens medicamentum admouebis: quandoquidem eo callus ille tophaceus

Per cãcros hic gangrænam & ſphacelum intellexit, ſicuti & alijs quibuſdam locis.

Locus in Cor. Cel. aut falſus aut mancus.

Prægnoſtica quædam de fractura in ueterinis.

reſoluitur,nec ullam ferè medicinam ſentit.Hæc & quædam alia de fracturis ueterinorum,Hierocles & Apſyrtus ueterinarij medici,nobis ſcripto reliquerunt. Fractura ſiue in quadrupede ſiue in homine ſit,quo uetuſtior eſt,hoc eſt,quo tardius fracta oſſa ut oportet committũtur, eò deterior efficitur.Quandoquidem & callus illic gignitur,& ſpatia ipſa inania,aliena quadam ſubſtãtia opplentur. Quo fit ut dum inſtauratio molienda ſit,maiore ac ualentiore multo extenſione ſit opus.Magna autem & ualens eiuſmodi extenſio, non rarò conuulſionem inuehit, ut alicubi teſtatus eſt Auicenna. Fracturæ non pari dierum numero in omnibus oſsibus ferruminãtur,ſed in alijs tardius,in alijs citius.Caluaria triginta quinq; diebus glutinatur. Brachium & tibia ſi ritè curentur, diebus circiter quadraginta coaleſcunt.Firmatur cubitus diebus plurimum triginta.Si in naribus os perfractum eſt,decem & octo dierum ſpatio conſolideſcit.Coſta poſt unum & uigeſimum diem Celſo,alijs non niſi poſt uigeſimum octauum,ferrumẽ implet.Ferè etiam intra decimum quartum, & unum & uigeſimum diem ſaneſcunt:maxilla,iugulum,ſcapula,os tali,calx, manus, planta. Inter uigeſimum ſeptimum & quadrageſimum,humeri & femina.Coxa uerò diebus quinquaginta coaleſcit Hippocrati:pes eidem ſexaginta dierum ſpatio,ſi quieſcat:cõſaneſcit. Et ita de alijs pro fracti cuiuſq; oſsis natura dicendum eſt.Quinetiam confert aliquid ad celerem aut tardam ſanationem,& ætas,& corpus, & uitæ propoſitũ, & anni tempus,ut & de uulneribus dictum eſt. Proinde in ijs nihil certum aut perpetuum eſt. Factionis Arabicæ princeps Auicenna affirmabat oſsium agglutinationem in bilioſis,conualeſcentibus,& primis ſenibus,difficillimam eſſe:in decrepitis uerò ac ualdè ſenibus,impoſsibilem.Cæterùm coſta aliquando tota, interdum non tota frangitur:nempe cum pars eius interior(quæ rara eſt) duntaxat læditur,ſummo oſſe manente integro. Si tota coſta perfracta eſt, caſus aſperior eſt.Nam & graues inflammationes,& febris,& ſuppuratio, & ſæpe uitæ periculum ſequitur,& ſanguis ſpuitur. Narium fractura peior eſt, ubi aut oſsi aut cartilagini fractæ,cutis quoq; uulnus acceſsit. In cranij fractura malum portendunt,membrana immobilis,nigra uel liuida,uel aliter coloris corrupti,dementia,acris uomitus,neruorum uel reſolutio,uel diſtenſio,caro liuida,maxillarum rigor atq; ceruicis.Spem uerò certam faciunt membrana mobilis,ac ſui coloris caro increſcens rubicunda,facilis motus maxillæ atq; ceruicis. Cætera quæ ad ſomnum,cibi deſyderium,febrem,puris colorem attinent, eadem quæ in cæteris uulneribus,uel ſalutaria,uel mortifera ſunt.

Notę mali aut boni indices in fractura cranij.

Quæ agglutinationem remorantur in fractis oſsib.

Ferrumen ſeu agglutinationem in oſsibus remorantur, multa ex aqua calida perfuſio,crebra ſuperpoſitorum mutatio, feſtina nimis ac præpropera membri affecti dimotio,nimia coarctatio,& quæ parti oblæſæ (alimenti in eam diſtributionem prohibẽdo) atrophiam inducit. Sanguinis quoq; uiſcoſi penuria. Item & fragmenta quæ remanſerunt.

Oſsis fracti recte commiſsi notæ.

Oſſa quæ fracturam experta ſunt,rectè commiſſa eſſe teſtantur,æqualis membri perfracti compoſitio,& figura naturalis,ſi alteri ſibi compari,nihil noxæ per peſſo,conferatur:dolor ſublatus ac ueluti quidam uoluptatis ſenſus, ſanguinis quoq; ſolerti quadam naturæ prouidentia, ad fracturæ locum expulſi, apparitio. Proinde non minus uerè quàm communiter dici ſolet, quòd tumor membri perfracti,poſt primam eorum quæ fracturæ admota ſunt mutationem, ſine magno dolore apparens: atq; ubi fracti oſsis partes rectè concurrerint, & in naturalem ſitum aptatæ fuerint,euaneſcens,certam ſalutis ſpem pollicetur.

Sed iam tempeſtiuum eſt fracturæ in uniuerſum curandæ ueram methodum, quamq; ipſa rei natura præſcribit, tradamus.

Generalis curandæ fracturæ methodus. *Cap. III.*

Q*VONIAM* fracti oſsis ſoluta partiũ cõtinuitas eſt, utiq; (inquit Galen.) finis quo tendet is, qui fracturas curabit, ſaltẽ primus unitio eſt. Quod ſi is primus in curatione propoſitus finis per affectarum partium ſiccitatem perfici non poſsit, reſtat alter, qui eſt ut alterius cuiuſdam interuentu diſiunctæ oſsis partes glutinentur. Qui ſi nec ipſe comparabilis aduertitur, inſanabile eſſe uitium dixeris. Quod igitur coaleſcere (ſaltẽ per ſe & nullius alterius ope) nequeat tam durũ os, quàm id quod in iuuenibus & adoleſcentibus & uiris, multoq; magis in ſenibus cernitur, id profectò (inquit Galenus) uel cuiuis patere poteſt. Quæcunq; enim concreſcere ac coaleſcere debẽt, omnino mollia humidaq; ſint naturaliter oportet. Quę igitur dura ſiccaq; ſunt, eorũ diuiſæ partes coïre ſimul nequeunt, ſed glutinum aliquod uinculũm ue, quo commiſſa maneant, requirunt. Itaq; poteſt certè illud os tantũ unitionem per ſe, & nullius alterius interuentu recipere, quod abundè molle eſt, cuiuſmodi cõſpicitur in puerulis, in adultis uerò & ſiccioribus corporibus, ſeparatæ fracti oſsis particulæ, nõ per ſe unquam, ſed ſubſtantia duntaxat quapiam interueniente, ceu glutino quodam, ferruminari colligariq; ſecum poſſunt. Interuenit autem ea ſubſtantia, quoniã omnis particula ſibi familiare trahit alimentum, os autem craſsius ac terrenum magis quàm aliud quoduis noſtri corporis membrum, alimentũ ad ſe allicit, exugitq;. Quod autem ex hoc ipſo proprio ac maximè idoneo oſsis alimento redundat, & in labris fracturæ cõcreſcit, ſuo ipſius interuentu oſsis extrema dura licet & ſicca conglutinat, ut ſæpe uſu euenire conſpicimus. Vocatur autẽ corpus id, quod ſic fracturis innaſcitur, Gręcis πῶρος, Latinis uerò callus, qui (ut ſuprà de uulneribus oſsiũ diximus) mediocritatẽ in craſſitie & tenuitate, duritie etiã ac mollitie ſeruet oportet. Sed de hoc adhuc in ſequentibus. Age igitur dicamus, quomodo finem hunc primum, quo tendit is, qui fracturã curat, nempe unitionem aſſequi ualeamus, initium quidem facientes ab ea fracturæ differentia, qua per tranſuerſum os frangitur, & ſuo loco excidit. Quandoquidẽ hoc fracturæ genus ſæpius incidit. Itaq; quatuor me hercle intentionibus, in hac fracturæ differentia curanda, eſt opus, quas & ſcopos appellare poſsis. Prima intentio eſt, ut fracti oſsis partes rectè cõmittantur, & in naturalem ſitum coaptentur. Secunda, ut ritè cõmiſſa oſsis perfracti extrema, coniuncta atq; immota maneant. Tertia ut πώρῳ, ſeu (ut dicimus) callo interueniente diſiunctæ oſsis partes agglutinentur, coaleſcánt ue. Quarta eſt ſymptωmatũ, hoc eſt, accidentium, quæ fracturam ſequi conſueuerunt, correctio. Quod ad primam intentionem attinet, cum in hac fracturę differentia quam καυληδὸν καὶ ῥαφανηδὸν, id eſt, per tranſuerſum fieri diximus, ſic à ſe fracti oſsis partes diſsideant, ut è directo non iaceant, clarum eſt primum id eſſe agendum, ut in directum agantur. Directum autem hîc uocamus, cum in figuram priſtinam naturalémque ſitum reducuntur.

Vnitio finis primus, quo tendit is qui fracturã curat.

Quorum fracta oſſa coaleſcere non poſſunt: & quorũ poſſunt. Lib. 6. meth. medendi.

Pori, id eſt, calli ſubſtãtia unde naſcatur.

Calli mediocritas.

Scopi quatuor in curanda fractura, quæ per tranſuerſum eſt, medico proponuntur. 1. 2. 3. 4.

1. Recta partiũ fractarũ inuicẽ cõmiſsio, & coaptatio.

» Sanè (inquit Galenus) eum ſitum habuerint, ſi quis ea
» quæ ſic diſsident integræ partis exemplo uſus, in contrarium adducat. A qua ni-
» mirum certiſsima iudicatio trãſpoſitionis eorum erit. Fieri enim poteſt, ut tum
» prorſum, tum retrorſum, tum in hanc partem membri, tum in illam facta transla-
» tio ſit. Quæcunq; igitur retrorſum magis ſunt acta, ea prorſum impelli conue-
» niet. Nec minus alteram quoque fracti oſsis partem modicè ad contrarium re-
» trudi. Contrà quæ prorſum ſunt emota, hæc rurſus ipſa quidem retrorſum, reli-
» quam uerò partem ſenſim duci prorſum. Eodem etiam modo & eorum quæ ad
» dextram ſunt detorta medicatio eſt: ſi ad ſiniſtram ducantur, contraq; eorum
» quæ ad ſiniſtram, ſi mutentur ad dextram, ſemper ſcilicet altera parte modicè
» in contrarium acta.

Lib. 6. Metho.

Hippo. lib. de fracturis.

Guido à Cauliaco (præmiſsis quibuſdam præceptis communibus, quæ hic ſuo loco referemus) quomodo primam hanc intentionem aſſequi poſsis, uerbis non adeo multis perſtringit. Itaq; iubet in primis membrũ

perfractum,[ſi oſſa ſuis ſedibus(quod ſæpius contigit)exciderint, aliudq́ ſuper aliud efferatur,& muſculi ad capita ſua retracti ſint]decēter intendendum eſſe. Deinde os depreſſum attollendum,& eleuatum deprimendum,atque id quatenus fieri licet ſine dolore,donec oſsis fracti fines rectè concurrant,& in naturalē ſitum coaptentur.Neque enim unquam fracta eiuſmodi oſſa,& ſuis etiam ſedibus mota,in ſuum locum ueniunt,niſi illa per uim aliquis intendat. Intendere autem digitum,uel aliud quoq; membrum ſi adhuc tenerum eſt, etiam unus homo poteſt,cum alterā partem dextra, alteram ſiniſtra apprehendit. At uerò ualentius membrum duobus eget,qui in diuerſa contendant.Si firmiores nerui ac tendines ſunt(ut in uiris robuſtis, maximeq́ eorum feminibus & cruribus euenit)habenis quoq; uel lineis faſcijs utrinq; capita articulorum deliganda,& per plures in diuerſa ducenda ſunt. Cauendū aūt ſemper eſt,ne immoderatius confractum membrū extendatur.Immoderata enim diſtentio in duris præſertim & ſiccis corporibus,uehementes dolores,febres,conuulſiones,& reſolutiones interdum inducit.Quin etiam per eam diuelli ac diſrumpi muſculorū ac neruorū fibras aliquando contingit.Proinde ſumma in hac re prudentia opus eſt. Igitur ægro in ſedili collocato,uel reſupinato potius,ut Sorano placuit, miniſtris duobus iubebimus,huic,ſupra fracturam,illi,infra digitos circumponant,atq; ſic in tentionem perficiant. Quòd ſi ualentiore opus ſit intentione,non ſolum manibus,ſed etiā,ut diximus,habenis aut funibus intendere aggrediemur.Ergo duos funes ęquales confracto membro,uerbi gratia,brachio aut cruri circundamus: unum,ſupra fracturā:alterum,infra: atq; uni miniſtro ad ægrotantis caput conſiſtenti,alteri iuxta pedes, capita funium tradentes, iubebimus in diuerſa membrum perfractum diſtendere. Vbi paulò longius quàm naturaliter eſſe debet, membrum,uis fecit, diſtenſio remittenda eſt, ac tum demū oſſa manibus in ſuā ſedem compellenda ſunt.Oſsis autem repoſiti certum indicium eſt,dolor ſublatus.Cæterùm oſsibus fracturæ iam ſic probè coaptatis,iuxta Hippocraticā conſuetudinem membrū deligandum erit,ut ſtatim ſubiungemus. Modus alius reducendi oſſa fracta in ſuum locum & naturalem ſitum per diſtenſionē, libro de fracturis traditur ab Hippocrate,qui & à Paulo refertur libro ſexto ſui operis de re medica,quo etiam ſi uelis,& parata habeas quæ deſcribit inſtrumenta uti poteris.Sed hic modus quē ſuprà poſuimus longè facilior,& magis ad manum eſt. Atq; eo etiam Soranus medicus utebatur,eſtq́ hodie apud nos in frequentiore uſu.Oportet igitur(ut ſummatim dicamus)aut manibus ipſis,utiq; ſi confractū membrum exiguum eſt,aut uinculis impōſitis,ſi maius eſt & ualidiore tractu opus ſit,aut eiuſmodi inſtrumento quod nobis Hippocrates deſcripſit, antitaſin oſsiū facere,hoc eſt retrorſum ea trahere,ut è directo cōmittantur, exacteq́ eorum coniunctio fiat,ſic ut priſtinam unionē imitentur.Poſtea uerò quàm abundè retracta fuerint, & nullus amplius ſuperſit metus, ne ſe adducendo contingant,tum in directum opponere uinculaq́ relaxare, ac muſculis ipſis diductorum in idem commiſsionē permittere opus eſt. Interim uerò (ut rectè Galenus admonet)teipſum quoq; qui operi præes,manibus ſubſeruire expedit,ac ſicubi aliquid paulum ſubſultet ac promineat,corrigere atq; formare.Cæterùm in adducendis ſic,ut ſuprà expreſsimus,contrario motu partibus, ne aliquæ frangantur oſsium extantiæ,non leuę periculum eſt. Non enim ueluti (inquit Galenus) in ſerra defectis uiſitur,leuis eſt ſemper utriuſq; partis finis. Quòd ſi illæ(oſsium inquam extantiæ)fortè fortuna frangantur,non poterunt adamuſsim ſecū coaptari fracti oſsis fines,tum quia forſan fragmenta inter partes uniendas intercíderint, tum etiam quòd quippiam oſsium fortè extra ceciderit, & cōminutum perierit,unde ſpatia inter applicata ſimul oſſa,maneant inania:in quæ ſanies collecta,atq; temporis tractu putreſcens,totum pariter membrum ſecum corrumpet.Atq; hæc tractandę fracturæ ratio omnibus propemodū confractis artubus conuenit,

Guidonis præcepta de reductione fracturę. Cel. lib. 8.

Aeger quomodo collocandus in fractis artubus.

Diſtēſio quando remittēda.

Anacephalæoſis.

Lib. 6. Thera.

Oſsium extantiæ.

conuenit,ubi præſertim oſſa fracta ſuo loco(ut ſæpius contingit)exciderint, aliudq; ſuper aliud effertur. Neque enim ſemper dum franguntur oſſa ſuis ſedibus moueri contingit, ſed interdum fracta in ſuo loco, ac naturali ſitu remanent. Quòd ante omnia(ut nos admonet Celſus)conſyderari debet: & ſunt notæ certæ,quibus id diſcrimen deprehendere poſsis. Nanque ſi ſuis ſedibus mota ſunt, reſima apparent,punctionisq́; ſenſum repræſentant,ac tactu(ut ſuprà annotauimus)inæqualia ſunt. Vbi uerò loco ſuo non exciderunt, neque punctionis ſenſus ullus,neque ulla,quæ tactu percipi poſsit,inæqualitas adeſt. Cæterùm ſi primis diebus oſſa ipſa perfracta & ſuis ſedibus mota, repoſita non ſunt, non leue inflammationis periculum ſubeſt. Sub qua & difficilè & periculoſe uis neruis & tendinibus adhibetur. Atq; hæc de prima intentione dicta ſufficiant.

Notæ oſsis fracti, & ſua ſede moti.

2.
Secundus ſcopus.

Secundus ſcopus in curandis fracturis nobis propoſitus eſt,ut oſsibus iam ſic (ut ſuprà docuimus)probè coaptatis,& è directo admotis, eorum poſitura ſeruetur,& exactè coniuncta maneant,ſic ut priſtinam unionem imitentur. Porrò nequaquam prohibere poteris, quin diuiſa eiuſmodi oſſa, quæ ſic effinxeris & adamuſsim ſecum coaptaueris,ſua ſede moueantur,& rurſum diſsideāt,ſi laborans quoquo pacto uel uigilans, uel dormiens, membrum fractum dimoueat. Ergo ut ſecundum hunc ſcopum aſſequaris perfractum membrum prorſus immotum conſiſtat neceſſe eſt. Quòd ſi ipſi quidem ægrotanti,ut quietudini membri proſpiciat, permiſeris, uigilans fortaſsis (quemadmodum inquit Galenus) probè id curauerit,at dormiens omnino membrum mouebit. Vt igitur nō dormientis modò hominis, ſed etiam ad deſidendum, itemq; cum cubile reſternitur ſurgentis,eorum quæ ritè formata & exactè coniuncta ſunt, poſitura ſeruetur,tuta deligatura complecti fracturam oportet, quæq; fracti oſsis partes ſecū coarctare adamuſsim poſsit: Tuta autem nō erit deligatio,ſi uel nimis arcta,uel laxa nimis fuerit. Quandoquidem per laxiorem oſsibus moueri licet,per arctiorem uerò & uehementius aſtringentem,& alimenti in locum affectum diſtributio prohibetur,& dolor(qui humorum in ægrā partem affluxus euocat, & phlegmonas creat)excitatur. Danda itaq; opera eſt, ut utrunque exceſſum declinemus. Conſtrictio igitur mediocris eſto,tum noſtri ſenſus,tum ipſius ægrotantis iudicio. Ac ſi quidem æqualis eſſet craſsitudinis membrum quodq;,utiq; latiſsima faſcia(ut Galenus ait)commodiſsima eſſet,utpote quæ totū æqualiter continenterq; ex omni parte fractum os complecteretur. Sed quoniam id non eſt, quod deeſt nobis ex faſciarum latitudine,circuituum numero penſabimus, ut in artubus ipſis, qui omnium maximè fracturæ per tranſuerſum factæ, expoſiti ſunt. In talibus nanque utilior eſt anguſta deligatura quàm ualde lata & remiſſa. Quippe quæ nec rugas,ut ea quæ latiore faſcia fit, contrahat, & totius membri circundata eſt,cutem contingat. Eò igitur uſque augere tibi latitudinem faſciæ licet, quoad nulla eius pars laxior efficiatur. Cæterùm in eiuſmodi deligatura, quæ fracturis(in medio præſertim brachij uel tibiæ,aut femoris exiſtentibus)adhibetur,duabus faſcijs lineis mollibus(iuxta Hippocratis dogma)opus eſt. Has autem Hippocrates ipſe nomine peculiari ὑποδεσμίδες, id eſt, ſubligamina ſeu malis ſubfaſciationes,appellauit. Trimæ faſciæ initium ſuper fracturam inijci debet,ac circa eam bis tèr ue conuoluta, ſurſum uerſum ferri, & quaſi in cochlea ſerpere,atque illic deſinere. Id tamen perpetuò obſeruandum eſt, ut multū partis ſanæ faſcia hæc complectatur. Ita enim fiet, ut & firmius repoſita ac conformata oſſa cōtineantur,& magis ab affecto loco in circumuicinas partes humores elidantur,magisq;,ne hi à ſuperiori parte eò defluant,impediantur. Altera etiam ſuper fracturam debet incipere priori aduerſa,deorſumq;(ubi primos complexus ſuper fracturam fecit)tendere,atque inde iterū reducta in ſuperiore parte ultra priorem faſciam deſinere. Quocirca dimidio longior priore eſſe debet. Terminus autem longitudinis earum faſciarū,non unus ac certus ſtatui poteſt,

Membrū perfractū prorſus immotum ſeruandum.
Lib. 6. Meth.

Os fractū deligandum eſſe, & quare.

Deligaturæ modus.

Com. in libro Hippo. de fractur. & 6. ther.

Anguſta deligatio artubus utilis.

Ratio deligandi artus perfractos ex Hipp. Gal. & Celſo.
1.

2.
Hæc ſecūda faſcia nō bis aut ter,ut in priore ligatura ſed ſemel tantum mēbro perfracto circūdatur Hippocrati.

ſicuti nec etiam latitudinis,ſed pro magnitudine fracturæ, & perfracti membri
craſsitiæ utraq; dimenſio uarianda eſt. Hunc Hippocrates libro τῶν κατ' ἰητρεῖον,
id eſt,de medicina ſeu medici officina, & libro de fracturis trium aut quatuor,
aut quinq;,aut ſex cubitorũ longitudinem: digitorum uerò latitudinẽ cõſtituit.
Digiti autẽ & cubiti intelligendi ſunt eius ipſius qui deligatur,nempe uel uiri a-
dulti,uel pueruli. Hæc autem duplicis deligaturæ ratio, ex ipſa rei natura deſu-
mitur.Quandoquidẽ duo hæc prima lintea fracturã quidem muniũt ac ſtabili-
ũnt,nec phlegmonem(quæ in hac re in primis eſt arcenda)oriri ſinunt. Siquidẽ
& ab integris ad laborantem particulam ſanguinis confluxum arcent, & quod

Prioris deligaturæ uis & facultas.

iam collectum in ea eſt exprimunt. Prior quidem deligatura quod in læſa parte
cõtinetur, ad ſuperpoſita expellit atq; elidit: quòd uerò ex ijs (ſuperpoſitis in-

Quid ſecunda deligatura efficiat.

quam partibus)in locum perfractum confluit,repellit. Altera uerò primis qui-
dem complexibus,quos,ut ſuprà diximus, ſuper ipſius fracturæ locum facit, i-
temq; diſpenſatione deorſum tendente,quædam ad inferiora extrudit,quędam
ne quid ex ijs in locũ fracturæ confluat prohibet.Reliquis uerò deinceps com-
plexibus,quibus uidelicet ab infimis partibus ſurſum uerſum recurrere deliga-
turam diximus,ut eodem ſcilicet loco cum priore faſcia, ſecunda deſinat: tum
ad ſuperiora(uti & priore ligatura)repellimus, tum confluxum ab ijs prohibe-
mus.Cæterùm priuſquã faſcijs huiuſmodi fractura deligetur, unus aut alter pan
niculus lineus,candido oui liquore & roſaceo delibutus,nudo mẽbro nõ abſq;
ratione à recentioribus chirurgis ſuperacõmodatur, ea quidem magnitudine,

Faſciarũ longitudo & latitudo.

ut etiam aliquid partis ſanæ comprehendat.Sunto aũt eiuſmodi faſciæ duæ præ
longæ,nẽpe quatuor aut quinq;, aut ſex, ut diximus cubitorũ,&circa tres qua-
tuór ue digitos latæ,aqua aut poſca potius madefactæ,& poſtea expreſſæ,pręſer

Si Inflammatio adeſt cum fractura.

tim ſi fractura inflammatione uacet,recensq; ſit. Si uerò dolor uehemens, aut in
flammatio adeſt,lanis tenuibus mollibusq;, aut ſtupis leuibus oleo uel oxycra-
to imbutis membrum cõtegendum eſt,& non ita arctè deligandum. Satis enim
fuerit tunc,ſi deligatura adhibeatur,quę & membrum utcunq; fulciat,& admo
ta medicamenta, adhæc ſymptomata profliganda idonea, contineat. Verume-
nimuerò cum hæ duæ primæ deligaturæ ad ambos hos uſus quos ſuprà retuli-
mus(nempe ad fracturæ munimentum ſtabilimentumq; & ut phlegmone exci-
tari prohibeatur)non ſatis adhuc faciant,præſertim ſolæ, ad earum quidem tu-
telam & fracturæ ſtabilimẽ Hippocrates remediũ excogitauit,ut ſcilicet plagu-

Splenia cur adhibeat Hippocrates.

læ,ſiue ſplenia à ſplenis forma ita appellata,unà cũ exterioribus faſcijs,quas ἐπι-
δέσμους,id eſt,ſuperligamina uocat,deſuper adhiberentur.Et hæc quidẽ tertię de
ligaturæ rationẽ quibuſdam obtinent.Splenia enim eiuſmodi ſiue plagulæ, dua
rum primarum faſciarum,quæ peculiari nomine ὑποδεσμίδες, id eſt, ſubligami-
na Hippocrati appellãtur,firmamẽta ſunt, ut cõmentarijs in libro Hippocratis
de fracturis Galenus annotauit.Ne aũt phlegmone ſuſcitetur,medicamẽto quo

Ceratum humidum cur adhibeatur.

piã ex ijs quæ inflammationum iniurias arcent, uti cenſuit. Quale nimirum eſt
ceratum humidum ſiue liquidũ quod confici ſolet ex cera in roſaceo aut oleo
colliquata,aut eius loco roſaceum. Huius ſententiæ fuit & Cornelius Celſus li- „
bro octauo,ſic inquiens: Super has(duas inquam primas deligaturas)inijciendũ „
latiore linteo ceratum eſt,quod eas cõtineat.Quod ſi oſsis fracturæ,carnis quo „

Si oſsis fracturæ carnis quoque uulnus acceſsit.

que uulnus acceſsit,neque ceratum, neq; roſaceum tutò admouetur: quando-
quidem hæc ulcus tum ſordidum,tum putre efficerent,ſed in uicem eorum pul
uilli prælongi uino nigro ac ſtyptico imbuti,ſuperinijciendi erunt. Reliqua au-
tem curatio,quæ eiuſmodi fracturis cum uulnere incidentibus conuenit, in ſe-
quentibus dicetur. Porrò præter has modo à nobis commemoratas deligatio-

Aliæ quatuor Cor. Celſi deligaturæ.

nes quaſdam adhuc alias quatuor cõmemorat Aurelius Celſus capite decimo,
libri paulò antè citati. Sic autem eas diſpenſat, ut ſemper inſequens priori aduer
ſa ſit,& tertia faſcia(quæ duas primas ac ſplenia cõprehendit) tantũ in inferiore

parte

" parte, tres reliquæ in ſuperiore finiant. Quia ſatius eſt (inquit) ſæpius circuire " quàm aſtringi. Siquidẽ id quod aſtrictũ eſt alienatur, & cancero opportunũ eſt. " Quo loco (ni fallor) cancrũ pro ſphacelo, quẽ uulgus medicorũ eſthiomenum uocat, uſurpauit, ut & quibuſdã alijs locis. Cæterũ cum multis cõplexibus atq; inuolutionibus duæ illæ ſuperius cõmemoratæ Hippocratis deligaturæ, fracturam cõtineant (aliàs enim parùm tutæ eſſent) tam numeroſis faſcijs opus eſſe minimè cenſeo. Hæ enim in membro ipſo perfracto, præter ſolitum cooperto, & pruritum & dolorem (quæ duo ſymptωmata à fractis membris diligenti ſtudio arcenda ſunt) excitare, atq; etiam eius, quod iam infixũ fracturæ eſt, perſpirationem prohibere poſſunt. Porrò ubi decenter ſic membrũ confractum deligaueris, de appoſita repoſitionis ipſius figura, maxima tibi ſolicitudo habenda eſt. Si quidem ſub alia forma aut figura membrũ perfractũ deligare, in aliam uerò mutare ac reponere, non dolorẽ modò (ut inquit Galenus) excitare poteſt, uerumetiã oſſa intorquere. Neceſſe enim eſt, ubi figura mutatur, alios muſculorũ tendi ac uelut contractos rotundari, alios uerò ſolui ac remitti. Vbi aũt tenduntur, tũ premi eos à deligatura eſt neceſſe, tum ex cõpreſsione ipſa dolere. At ubi tenſio remittitur, quo loco deligatura eſt laxa, ibi fracturam fulcimento deſtitui. Cæterum aptiſsima fuerit in oſsiũ fractorum repoſitione, ſicuti etiam & in retractione, (quam antitaſin diximus à Græcis appellari) & coaptatione, & deligatione, partis figura, quæ (ut uerbo uno dicatur) maximè à dolore abeſt, & in qua æger perſiſtere immotus diu poſsit. Hæc enim & rectiſsima eſt, & maximè naturalis membro ac ferè cõſueta. Rectiſsimã autem hîc partis figuram cum Galeno uocamus, quæ uenas, arterias, & muſculos quàm rectiſsimos habet. Itaq; angulosa figura, quæ ἐγγώνιος Græcè dicitur, brachio quidẽ maximè naturalis eſt: cruri uerò, quę paulò minus porrecta eſt. Hęc nanq; & rectiſsima eſt, & à dolore maximè aliena. Cęterùm tametſi angularis figura, quæ Græcis ἐγγώνιος dicitur, propriè ea dicatur, quę acutũ angulum, quem recto minorẽ appellamus, efficit, per engωnion tamen, id eſt angularẽ figuram, Hippocrates eam intelligit, quę recto angulo conſtituitur, non prorſus tamen recto, ut quodam in loco Galenus eſt interpretatus, ſed propè ad rectũ accedente, ita ut paulului ad obtuſum tendat: cuiuſmodi in manu, quod uulgò brachiũ appellamus, ea figura eſt, non quę prorſus quidem inter extenſionem & inflexionẽ media eſt, ſed quę ad extenſionẽ procedere incipit. Quo plerunq; poſitu eos qui dolore afficiuntur, ſi diligenter inſpexeris, manus tenere deprehendes. Porrò ut dolor uitetur, cum ad quietem membrum reponitur, nõ modò naturalis habitus cuiuis inſtrumẽto eſt utilis, uerum etiam conſuetudo quoq; conducere nõnihil uidetur. Ergo ut aptè membrũ perfractum, & decenter ligatũ reponatur, ea ſitus figura illis inuenienda eſt, quę & naturalis ſit & conſueta, & à dolore maximè aliena. Sed iam hę indicationes inter ſe conſentiunt, & cõſpirant maximè. Nam quęcunq; figura magis quàm alia eſt à dolore libera, ea & maximè naturalis membro, & ferè conſueta eſſe ſolet. Atque econtra, quę naturalis & conſueta eſt, ea à dolore eſt alieniſsima. Atque hęc quidem figurę, in qua cuſtodire membrum perfractum conueniat, inueniendę ratio eſt. Vt autem in hac naturali, & quę doloris minimum habeat, figura immotum prorſus (quoad expediet) membrum perſiſtat, recentiores Chirurgi ſecundũ deligaturam, protinus ferulas etiã circumponunt, ipſas quidẽ conſtringentes, prout ſenſus & tumor ex inflãmatione (ſi qua adſit) poſtulat. Veteres autem, ut Hippocrates, Celſus & Galenus, à die tantùm ſeptimo uel etiam nono & undecimo, ferulas accommodabant. Verùm non ab re factum putamus, ſi ſtatim ab initio poſt deligaturam ferulæ inijciantur, modo nimis premendo dolorem non excitent, aut phlegmonem (quę maximè arcenda erat) accerſant, uel præſentem (ſi adſit) exacerbent. Quæ igitur à principio adhibentur à recentioribus ferulæ, non eo nomine adhibentur circumponuntúr ue, ut aſtringant, ſed

Cornelij Celſi opinio refellitur.

De appoſita repoſitionis perfracti membri figura ex Galeno.

Repoſitionis figurã ad dũ directam eſſe.

Ratio inueniẽdæ figuræ, in qua cuſtodire membrũ perfractum conueniat, ex Galeno & Hipp.

Ferulæ quando in fracturis circũponẽdę.

Quę uitare oporteat in ferulis adhibendis.

Ferulæ ab initio non ultra

aſtringendæ quam ut oſſa contineant.

ut adaptationis figuram contineant,& oſſa in ſuam ſedem repoſita utcunq; fulciant. Primis nanq; diebus cum phlegmones deuitandæ conſilium uinceret, tutum non erat perfractum membrum ita ferulis premere. Cum uerò nullus iam amplius futuræ inflammationis metus ſit, aut ea quæ prius fuit diſcuſſa, membrum aliquanto gracilius quàm pro naturali habitu apparuerit (quod intra ſeptimum diem fere ſolet cõtingere) tum licebit ferulas circumponere,& eas (ut fracturam ſtabiliant) ualidè ſatis aſtringere. Ferularum enim uſus idem eſt, qui et plagularum ſeu ſpleniorum, nempe ut fractum os contineant, & deligationem

Ferulæ quales eſſe debeant.

ſtabiliant ac firment. Sunto autẽ ferulæ, ut libro qui inſcribitur τὸ κατ' ἰητρεῖον, id eſt, de ijs quæ in medicatrina ſeu medici officina fiunt, rectè præcepit Hippocrates, læues, id eſt, læuigatæ & planę: ęquabiles, id eſt, neq; in latus, neq; in ſuperiorem aut inferiorem partem diſtortæ: in ſummis partibus, id eſt, extremitatibus, reſimę, id eſt, leniter deraſæ ac retuſę: minores hinc inde quàm deligatio eſt, & ea parte craſsiores, id eſt, latiores & ualentiores, ᾗ ἐξέῤῥιπται τὸ κάταγμα, id eſt, qua

Læues.

fractura erupit. Læues autem ferulas, id eſt, non aſperas (læui enim aſperum opponitur) adhibendas eſſe cenſet Hippocrates, ne ſua aſperitate, & inæquabilitate (quod enim aſperum eſt, continuò etiam eſt inęquale) fractis partibus negotium faceſſant. Vtroq; enim modo comprimunt. Cæterùm quoniã fieri poteſt, ut ferulæ lęues ſint, non tamen æquabiles (inęquabile enim nõ protinus neceſſariò eſt aſperum: ut patet de uia quæ aſcenſus habet & deſcenſus non aſperos)

Aequabiles.

ideò non ſolum lęues, ſed etiam æquabiles, id eſt, non diſtortas aſſumendas eſſe ferulas monet. Quæ enim diſtortæ ſunt, ſimiliter ut aſpera lædunt, ac illud inſuper efficiunt, quod deligationem ſimul diſtorquent: qua diſtorta, pars etiam fra

Simæ.

cta diſtorqueatur neceſſe eſt. Simas præterea in extremis partibus eas deligi uoluit, id eſt, ut Galenus interpretatur, leniter deraſas ac retuſas in extrema parte, ne ſua acutie articulum lædant, & æqualiter ubique partem fractam, propter æqualem ſuam craſsitudinem, comprimant: quod certè fieri nullo modo deber.

Craſſæ.

Vult enim Hippocrates ut in media parte, hoc eſt, ſupra locum fracturæ, νάρθηκες, id eſt, ferulæ deligationẽ magis aſtringant. Hinc ea parte, hoc eſt, ſupra fracturam ipſam, craſsiores eſſe iubet: quia ſcilicet locus is potiſsimũ (ut ſuprà oſten-

Minores.

dimus) compreſsione ipſarum indiget. Vult item minores eas eſſe longitudine, id eſt, aliquanto breuiores, quàm ſit ipſa deligatio, ne cutem ultra deligationem attingãt: quæ ſæpenumero ex eo quod humores à faſcijs expreſſos ſuſcipit, paulò altius turgeſcit atq; extat. Sed & breuioribus ferulis utendum præcepit ſenior ille Hippo. ne pars eminentior, id eſt, gibba & carne nudata, attingatur, ut cir

Modus ac ratio adhibendi ferulas.

ca cubitum, & malleolos, ubi oſsiũ extuberationes ſunt. Modus autem ac ratio adhibendi ferulas, talis eſto. Splenia triplicia aut quadruplicia oleo delibuta, ſuper faſcias ſimiliter atq; æqualiter, ſi membrum in craſsitie fuerit æquale, circundato. Si uerò inæquale, partibus magis concauis, per ſplenia repletis, membrum undique æquale ferulis accommodandis efficito. Deinde ferulas lana aut ſtupa mediocriter inuolutas, in orbem, non minore quàm unius digiti ſpatio inter ſe diſtantes, fracturę circundato, eaſq; leniter ac moderatè conſtringito. Sed & in hac ferularum accommodatione ſummoperè caueto, quatenus fieri poteſt, ne articulus aliquis (ut paulò antè notauimus) & præcipuè interior flexus pars, ab eis attingatur. Vlcera ſiquidem in ipſis nonnunquam, & neruorum inflammationes pariunt. Itaque illic, hoc eſt, iuxta articulos ipſos deligatione aliquantò (ut diximus) breuiores, tenuiores, laxiores & magis flexibiles ferulas eſſe oportet, quemadmodum ualentiores qua fractura excidit atque inclinat. Cæte-

Quando ſoluenda deligatio.

rùm ſi nulla prurigo, nulla inflammatio, nulla ſuſpecta exulceratio, nullús ue dolor adeſt, & oſſa rectè commiſſa fuerint, fracturáque rectè procedat, ſic manere ferulas & ligamenta, ad decimum uſque diem, uel quintum & decimum, aut etiam uigeſimum, utile eſt. Si uerò in membro perfracto præter ſolitum cooperto,

operto, uel dolor excitetur, uel pruritus creetur, uel eius, quod iam infixum fracturæ eſt perſpiratio prohibeatur, propter quam non modò noxius pruritus quibuſdam accidit, ſed etiam eroſa à ſaniei acrimonia nonnunquam cute, exulceratio concitatur, non ab re feceris, ſi tertio quoque die, ut iuſsit Hippocr. deligationem ſolueris, & membrum ipſum aqua temperata perfuderis ac foueris. Hac enim perfuſione & acrem atq; erodentem ſaniem diſcuties, & dolorem mitigabis, & prurigini pulchrè medeberis. Porrò cum nec ferulis, nec deligatione,

3. Tertius ſcopus.

nec figura ſitú ue membri appoſito, diuiſæ oſsis partes (tametſi exactè atque adamuſsim coniunctæ fuerint) citra glutinum aliquod uinculúm ue (uti ſuprà diximus) coire ac concreſcere poſsint, maxima calli, quem pωron Græci dicunt, gignendi ſollicitudo habenda eſt. Ad hunc igitur gignendũ cogi concreſcereq;

Pori generatio.

aliquid proprij oſsium alimenti, craſsi terreniq; oportet, quod in labris fracturæ coaleſcit. Ipſum igitur nec eluendum, nec foràs euocandum eſt, ſed ſinendũ. Craſſa autem hæc terrenáque ſubſtantia, ex genuino, maximeq; idoneo oſsis alimento redundans (quæ propria eſt calli materia) diem circiter duodecimum, aut decimum quintum ab oſsis fractura ferè gigni, atque accreſcere incipit, ut recentiores chirurgi teſtatum reliquerunt. Cæterùm huius generatio (quæ in a-

Callus quibus notis generari deprehendatur.

lijs citius, in alijs uerò tardius aduenit) ijs ferè notis deprehenditur. Dolor qui prius aderat, ſedatur, nullus amplius inflammationis, aut tumoris alicuius præter naturam metus adeſt, in membro perfracto bonus ac natiuus color effloreſcit: uniuerſa autem uictus ratio pωro gignendo accommodata, talis eſto. Dum callus gignitur, uictum paulò pleniorem, quàm ab initio fracturæ, laboranti in-

Victus poro gignendo aptus.

ſtituito: Cibos qui boni ſucci ſint, & multum nutriant (niſi uulnus adſit) exhibeto. Sed & quæ offeruntur alimenta, talia ſunto, ex quibus prouenire ſuccus ſoleat nõ ſolum bonus, ſed etiam tenax, ex quali fieri callũ maximè expedit. Quippe (inquit Galenus) cũ ex ſeroſa humiditate ac tenui gigni prorſus nequeat: ex

Lib. 6. Meth.

craſſa uerò, ſed quæ fragilis ſit ac pinguitudinis expers, gigni quidem poterit nõ ſegniter, cæterùm tempore ſicceſcens friabilior, atque ita fractioni obnoxius redditur. Itaque pωro gignendo conueniunt Auicennæ: Riſum, panis ſimilagineus, frumentum triticeum, tandiu in aqua coctũ, donec fiat (inquit) ſicut puls: id Galli uulgò appellant [*froumentee.*] Alicam nonnulli eſſe exiſtimant. Ad hæc, pedes, uentres, & capita animalium, ſed pręſertim hœdi & ueruecis. Hæc enim & multum alunt, & craſsi ac tenacis ſucci ſunt. Circa initium fracturæ uſq; dum callus gignitur (quod ferè circiter decimum diem contingit) ægrum tenuiſsimè cibato. Cibi nanq; ſubexiles (ut cenſuit Hippocrates) & nõ ualidę materię tunc

Libro de fracturis.

ſatis ſunt. Venam interdum, cum ſcilicet res expoſtulat ſecato, & per uentrem ſuperuacua expellito. Carne & uino uſq; ad decem dies, ex Hippocratis præſcripto, abſtineto. Poſt hoc tempus, uinum craſſum & ſtypticum audacter concedito, tametſi Celſus uinum per omne tempus alienum eſſe dixerit. Magnitudo cal-

Pori magnitudo.

li nec minor quàm par eſt, nec maior iuſto ſit, ſed mediocritatem ad unguem ſeruet. qui enim iuſto minor eſt, hic oſſa parum tuta reddit: qui maior eſt, dolorem muſculis inuehit. ergo calli magnitudo, ut breuiter dicam, ea ſit quæ & oſsibus tuto uinculo ſit, nec muſculos tamen comprimat. Attendendum uerò diligenter eſt, quemadmodum nos Galenus admonet, ut uel promoueatur, ſi minor iuſto proueniat: uel inhibeatur, ſi immodicè creſcat. Quibus uerò hæc efficies, paulò pòſt dicemus. Atque hæc de pωri generatione, qui tertius erat ſcopus, in curandis fracturis nobis propoſitus, dicta ſufficiant. Supereſt igitur ut de quar-

4. Quartus ſcopus.

Symptomata quæ fracturã comitantur.

Dolor.

Inflammatio.

to & ultimo ſcopo agamus, qui diſpoſitionum præter naturam, quæ fracturæ interueniunt, emendationem atq; ablationem concernit. Eæ autem ferè ſunt, dolor, inflammatio, pruritus, uulnus, immoderata ſiccitas aut humiditas callo gignendo obſiſtens: gangræna, durities, pωri magnitudo, aut deficiens, aut excedens. Itaq; ſi dolor aut inflammatio adſit, deligationẽ ſi iam facta eſt, ſtatim ſol-

uito,& lanam,oleum,& acetum congruaq; id genus alia auxilia parti dolenti, atq; inflammatæ admoueto.Sed neq; priuſquam hæc ſedata fuerint, uel deligaturam adhibeto,uel ferulas circumponito, niſi duntaxat eatenus,ut membrum fulciant,& ut impoſitum medicamentum contineant,hoc eſt, laxè admodum. Celſus conſulit liberale fomentum aquæ calidæ,dum inflāmatio adeſt, cum uerò ea deeſt,modicum:ſedata inflammatione & dolore ſublato, deligationes, & ferulæ,ut ſuprà diximus,adhibendæ ſunt.Si noxius pruritus accidit, & eroſa à ſaniei acrimonia(ut aliquādo contingit)cute,exulceratio cōcitatur,aquæ temperatæ tantum ſuperinfundere oportet,quantū ad euocandā eiuſmodi ſaniem eſt ſatis.Hoc quidem Hippocratis & Galeni conſilium fuit. Recentiores autem chirurgici aquā ſalſam infundi præcipiūt,aut unguento albo, uel eo quod uulgò populeū appellatur,membrum illini,& ut ſuprà dictum eſt,deligari.Cum oſſis fracturæ,carnis quoq; uulnus acceſsit, ſiue ſtatim ab initio id factum ſit, ſiue poſtea à chirurgo inductum, ut oſsiū fragmenta, & ea præſertim quæ pungunt, eximantur,ſiquidem ſanguis profundatur, hunc prius aptis remedijs ſiſtito. Si inflammatio oriatur,præſidijs in eam efficacibus utitor. Si carnes contuſæ ſint, partem affectam,ut gangrænæ periculum euitetur,ſcarificato. Quòd ſi gangræna quoq; ipſa,aut alia quępiam ſerpens putredo iam occupauit,cōuenienter occurrito:horum autē omnium curationem in ſuperioribus libris tradidimus. At ſi nihil horum affuerit, neque magna oſsis pars nudata ſit,hamulis ſuturiſq; uſi, his medicamentis,quæ cruentis imponuntur,medebimur,prius tamē fragmentis oſsium euulſis.Cæterùm deligatura fracturæ eiuſmodi cū uulnere factæ,hoc modo adhibenda eſt. Orbiculares faſciæ partibus uulneris utrobiq;,hoc eſt ab utraq; ulceris parte inijci debent,obliquè uerò ſuprà ipſum uulnus in longitudinem collocandæ ſunt,ſic ut per decuſsim ad X literæ ſimilitudinem iuxta hiatum occluſio ex omnibus fiat.Hippocrates tamen à prima ſtatim circumuolutione,faſcia latiore totum ulcus comprehendit,ita ut nulla eius pars nuda relinquatur. Itaque ſi ſordidum adhuc uulnus eſt,expurgantia medicamenta, quando opus erit,impones.Si purum,carnem producentia,linteolis illita,aliamq; uſu comprobatam materiā adhibebis.Hippocrates tamen ſtatim ab initio picatum ceratum,quod ceram in roſaceo,aut oleo colliquatā,& picis ſiccæ aliquantulū aſſumit,ſuprà uulnus in linteolis adhibet. At Galeno authore utilius à tertio die,cum ea quæ in ulcere ſunt, concoquūt,adhibetur. Cornelius Celſus omnibus his uulneribus primò imponendū iubet linamentū uino madens, cui roſæ paulum admodum adiectum ſit.Si æſtiuum tempus eſt(inquit Hipp.)ſplenia uino frequenter ſunt irrigāda: ſi hyemale,lanæ multæ ſuccidæ ex uino ſuperimponendæ ſunt.Lanarū nanq; ſuperpoſitione,& olei commiſtione, refrigerationis uehementia(quæ in hiuſmodi affectibus conuulſionis periculū interdum inuehit)obtunditur. Vino aūt madefactæ plagulæ ob uinum reprimendi uim habent.Cæterùm ubi purgata ulcera fuerint, & in eis iam caro concreuit, ferulæ non incommodè inijcientur. Aliqui uerò etiam ab initio ipſas accommodant, ulceris locum uitantes,& prout neceſsitas,ac uſus tulerit, ipſas modò cōſtringunt,modò remittunt:ſed hæc curandi ratio ab Hippocrate & Cornelio Celſo non probatur.Hi enim pluribus tantummodo & latioribus faſcijs(ferulas ne uidelicet comprimendo lędant,ſimiliter & canales omninò reijcientes)deligaturam in eiuſmodi fractura,quæ cū uulnere incidit, fieri iubent laxius ſcilicet,quā ſi ea plaga non eſſet:adeò ut affulcitæ quidem,non compreſſæ tamen faſciæ ipſæ eſſe uideantur.Ita nanq; (inquit Celſus) numero faſciarum efficietur, ut laxæ quoq; æquè contineant.Ac ſatius quidē eſt ſæpius circuire,ut ante Celſum ſcripſerat Hippoc.quàm aſtringere.Sed & in eas faſcias multiplices ingerendū ſubinde, eodem Celſo authore,eſt calidum oleum & uinum,magiſq; ubi ſic cū uulnere fractura à principio incidit, fame,id eſt,exquiſitiore uictu utendū: uulnus calida

Fomentum aquæ calidæ.

Pruritus.

Vulnus.

Contuſio.

Gangræna.

Deligatura fracturę cum uulnere accommoda.

Hippocrates.

Ferulæ quādo in fractura cū uulnere adhibendæ.

Corn. Celſus.

calida aqua fouendũ,frigusq; omni ratione uitandum,& tranſeundũ ad medica
menta, quæ puri mouendo ſunt idonea:maiorq; uulneri, quàm oſsi cura agen-
da. Vt autem de hac re, quod ad ferularum appoſitionem attinet, ſic apud au-
thores etiam eximios controuerſa, id quod res eſt, ſemel ſtatuamus, hoc tibi
tanquam axioma,id eſt,pronunciatum eſto. Cum fractura cum ulcere interdũ
in longitudinem membri cõtingit,tunc ex utraq; ulceris parte ferulas etiam ab
ipſo curationis principio circundare licitum eſt. Cum uerò tranſuerſum ulcus
euaſit idq; maximè ſi maius ſit,ferulas ſtatim ne imponito.At ſi ſquamula aliqua
ex oſſe reſoluitur(id quidem colligi ex eo poteſt, quòd & copioſior, tenuiorq;
humor profluit,& caro circa ulcus laxa, & mollis effecta intumeſcit) deligatura
laxiore ad curationem utendum eſt,ne ſcilicet pus intercludatur, ſed effluere fa
cilè queat:frequentiúsque, ut conſulit Hippoc. religandum, quoad os receſſe-
rit,,ferulæq; non apponendæ. Vbi uerò uel hamulo,uel quopiam alio eiuſmodi
inſtrumento ſquãmam euelleris,deligatura iterum ualidiore membrum aſtrin-
ges. Porrò per totum id quo ulcus curatur tempus, medicamen aliquod ex his
quæ inflammationẽ arcent,linamentũ cõtinens uulneri incumbet, ac ſimplices
faſciæ inijcientur,quæ ſingulis curationibus reſoluentur, cum aliæ ſupra dictæ

Si oſsis pars a liqua receſſura eſt.

„ remaneant. Inter hæc autem,ſi quod paruulum fragmentum oſsis eminet, id ſi
„ retuſum eſt in ſuam ſedem dandum:ſi acutum antè acumen eius longius eſt præ
„ cidendum:ſi breuius,limandum:& utrinque(inquit Celſus) ſcalpro limandum.
„ Tum ipſum recondendum eſt:ac ſi id manus facere non poteſt,uulſella (qua fa-
„ bri utuntur) inijcienda eſt,rectè ſe habenti capiti ab ea parte, qua ſima eſt, ut ea
„ parte qua gibba eſt,eminens os in ſuam ſedẽ compellat. Si id maius eſt,& mem-
„ branulis fragmenta cinguntur,ſinere oportet ea ſub medicamentis reſolui, idq;
„ os ubi iam nudatum eſt,abſcindere:quod maturius ſcilicet faciendum eſt, po-
„ téſtque ea ratione & os coire,& uulnus ſaneſcere:illud ſuo tempore, hoc prout
„ ſe habet. Nonnunquam etiam (inquit) in magno uulnere euenit, ut fragmenta
„ quædam uelut emoriãtur,neque cum cæteris coëant. Quod hîc quoque ex mo
„ do fluentis humoris colligitur,quo magis neceſſarium eſt, ſæpius ulcus reſolue
„ re atq; nutrire. Sequitur uerò,ut id os per ſe poſt aliquot dies excidat. Cæterùm
„ cum tam miſera antea conditio uulneris ſit, tamẽ id interdum maius diutiusq;
„ facies. Sæpe enim integra cutis oſſe abrumpitur, protinúsque prurigo & dolor
„ oritur. Quæ ſoluere (ſi accidit) maturius oportet, & fouere aqua per æſtatem
„ frigida, per hyemen gelida. Deinde ceratum myrteum imponere. Interdum fra-
„ ctura quibuſdam uelut aculeis carnem uexat, quo à prurigine, & punctioni-
„ bus cognito, aperire id melius, eóſque aculeos præcidere neceſſe habet. Reli-
„ qua uerò curatio in utroque hoc caſu eadem eſt, quæ ubi ictus protinus uulnus
intulit. Hactenus Cornelius Celſus de fractura cum uulnere facta. Nunc cætera
proſequamur. Dum ualenter nimis ſiccantur oſſa, callus ægrè prouenit, expedit
igitur iſtis ita reſiccatis oſsibus, tertio uel quarto die modice aquam calidam
infundere. Hanc metam finiendæ perfuſionis habentes, cum carnes in rubrum
tumorem attolluntur. Atque in ijs quidem, prius quã ſubſidere incipiant, deſi-
ſtendum eſt. Contrà ubi digeri quid uolumus, non prius eſt deſiſtendum, quàm
quod ex perfuſione intumuit ſubſidat. Si uerò humiditas abundãtior calli gene
rationem impediat ibi hanc ſiccare conuenienti deligatura, & perfuſione aquę,
„ quæ uel minima omnino ſit, uel plurima, conabimur. Quippe minima(ut ſexto
„ methodi Galenus ait) cum prius deſiſtat, quàm aliquid confluat, & qui ad ma-
„ num, id eſt, in ſuperficie, ſunt humores per halitum digerit, & qui in alto ſunt
„ modicè liquat. Expedit autem ita ſolui liquariq; ea, quæ per deligaturam ſunt
„ expellenda. Plurima uerò perfuſio plus digerit quàm attrahit: atq; ita commo-
„ dat ſuperfluæ humiditati. Attendendum uerò (ut ſuprà monuimus) diligenter
eſt, ut uel augeatur callus, ſi minor iuſto eſt: uel inhibeatur, ſi nimius ſuper-

Si fragmentũ oſsi eminet.

Lib. octauo.

Si fragmenta uelut emoriantur.

Vulnus interdum maius efficiendum.

Si fractura quibuſdam uelut aculeis carnẽ diuexet.

Siccitas callo gignendo obſiſtens.

Humiditas calli generationẽ impediens.

uenit. Vtrumq; autem uitium corrigitur perfuſionis quantitate & qualitate, ciborum etiam ac medicamentorũ, quæ extrinſecus apponũtur, facultate. Ac de perfuſionibus quidem & uictus ratione, iam ſuprà eſt dictum. Ex medicamentis uerò quæcunq; emplaſticam ſubſtantiam habent (cuiuſmodi eſt emplaſtrum, quod ex pice conficitur) ac modicè calfaciunt, ea (Galenõ authore) callos tum promouent, tum uerò augent. Alimentum enim copioſius in locum perfractũ attrahunt, ſicuti & moderatæ aquæ temperatæ perfuſiones, & idoneæ frictiones. Quæ uerò digerendi uim obtinent medicamenta, ea callos maiores iam factos eidẽ Galeno imminuunt. Cum recens adhuc callus eſt, medicamẽtis ualdè aſtringentibus Paulus utendũ eſſe cenſuit, compreſſamq; admodum deligationem adhibendam lamina plumbea etiã interdum impoſita: hęc enim calli excreſcentiam mirè reprimit ac imminuit. Huic rei efficaciter quoq; ſubuenit Celſo, multa leuisq; ex oleo & ſale, & nitro, membri perfricatio, plurimusq; ex aqua calida ſalſa fotus. Poſt hæc malagma, quod digerat imponendum, aſtrictiusq; alligandum eſſe admonuit, imò uerò oleribus, & præterea uomitu utendum. Siquidem per hæc (ut exiſtimat) cum carne callus quoq; extenuatur. Confert etiam eidem aliquid de ſinapi, cum ficu in alterum par membrum imponere, donec, inquit, id paulùm erodat, eoq; euocet materiam. Atque ubi is tumor extenuatus, & qui nimius ſupercreuerat callus, ad mediocritatem redactus fuerit, rurſus ad ordinem uitæ reuertendum erit. At ſi ſolidus lapideusq; callus, qui ſic immodicè increuit, iam euaſit, aperta ibi cute deradendus eſt, parsq; eius eminens ſcalpris & terebris etiam, ſi res exigat, admotis, excidenda eſt. Cæterùm ſolent aliquando in fracturis diuerſa inter ſe oſſa conferuere, & membra diſtorta callo firmari, difficultate functionum obeundarum haud exigua ſubſequente. Quod ubi contingit, & breuius membrum, & indecorũ fit: & ſi capita acutiora ſunt, aſsiduæ punctiones ſentiuntur. Ergo ubi perfracta oſſa ſic conferbuerunt, & perperam ferruminata ſunt, ſi tener ſaltem adhuc callus eſt, & non ultra ſex menſes (ut quidam dixerunt) radices egerit, frangere rurſus, & dirigere ea oportet. Id hoc modo fit: Calida aqua multa, uel decocto aliquo emolliente diebus aliquot membrum id fouetur, & ex cerato liquido perfricatur, aut emplaſtro ex althæa, uel cataplaſmate ex ficis pinguibus aridis, alijsq; medicamentis callum ſoluentibus (porolytica Græci dicunt) contegitur: Deinde facta ſufficienti emollitione, modo quo ſuprà poſuimus, à miniſtris duobus, qui in diuerſa cõtendant, intenditur: & inter hæc medicus chirurgus pertractãs oſſa, ut callo adhuc tenero exiſtente, manibus ea diducit, compellitq; id, quod eminet in ſuam ſedẽ: & ſi parum ualuit ab ea parte, in qua oſſa inclinãt, inuolutam lana regulam obijcit, atque ita deligando (inquit Celſus) aſſueſcere iterum uetuſtæ ſedi cogit.

Qua ratione porus uel augeri uel minui poſsit.

Si nimius callus ſuperincreuit.

Lamina plumbea.

Si callus in lapideam duritiem & inſignẽ nimis magnitudinẽ euaſerit.

Si oſſa diuerſa inter ſe cõferueant & membrum diſtortum callus firmauerit.

Oſſa quando iterum frangenda.

Noſtræ ætatis chirurgi malè ferruminatum os, in fractura non admodum antiquata, diebus plus minus quindecim, ut ſuprà diximus, primũ emolliunt. Deinde id in diuerſa extendi iubent, & genu uehementer impulſo, iterum frangunt: quod tamẽ uetuſtiores medici nõ probarunt. Mox fracti oſsis fines adamuſsim ſecum coaptant, ac ut ſuprà expoſuimus curant. Si ab oſſe perperam ferruminato, uetuſtas iam occupauit, ac callus uehementer obduruerit, ſatius eſt manum illi (ut conſuluit Albucaſis) non admoliri. Quicunq; enim id rurſus frangere aggreſsi ſunt, poſt uehementes cruciatus in extrema diſcrimina laborantes adduxerunt, adeò ut ualdè pauci eorum, qui hoc tormenti genus perpeſsi ſunt, mortem euaſerint. Atqui melius eſt, eum qui ſic affectus eſt, claudicatu, aut membri alicuius deformitate affectum, ad annos adhuc multos ſuperſtitem remanere, quàm poſt talem tantumq; cruciatum miſerrimè ſic inter manus crudelis chirurgi occumbere. Adde quòd ſæpenumero alio loco, quã ubi fractura iam coierat, os ipſum (quod lapidoſus callus firmauerat) frangitur, ut præter quotidianum experimentum, nobis author extitit Auicenna. Quòd ſi laborãs, & qui illi aſsident

Quid agãt chirurgi recentiores in oſſe male ferruminato.

Si ab oſſe malè agglutinato uetuſtas iam occupauit.


Albucaſis.

Satius eſt enim uel claudum, uel deformẽ multos uiuere annos, quã poſt ingentẽ crudelis chirurgi pœnam cruciatũq; inter eiuſdẽ manus miſerrimè mori. Auicen.

aſsident amici,importunis precibus,atq; aſsiduo rogatu te compellant,ut oſsis
eiuſmodi malè ferruminati,& cuius callus iam obduruit,ac inueterauit,curatio
nem ſuſcipias,in anguſto ſpem eſſe coram illis præfator: deinde opus aggredi-
tor.Summam igitur cutem, & carnem callo ſuperiacentem cultro raſorio aut — Ex recentioribus.
ſcalpello dextrè ac prudenter ſecato,magna cura habita,ne nerui,muſculi ue læ
dantur:deinde oſsium,quæ non rectè coaluerant, agglutinationem, ſeu conti-
nuationem(quod aiunt)exciſorijs ſcalpris diſſoluito:mox uerò eorum ſic didu
ctorum fines ſecum adamuſsim coaptato,ita ut priſtinam unionem,quoad lice
bit,imitentur.Demum cætera fiant,quæ ſuprà ſcripſimus. Cæterùm ſi ex attritu, — Si membrũ ex attritu corrũpatur protinus ſcarificandum erit.
membri corruptelæ metus impendet,protinus ſcarificandum erit, reliquaq; fa-
cienda,quæ ſuprà in gangrænæ & ſphaceli curatione diximus: ſi uerò tophacea
aliqua durities poſt oſsis perfracti agglutinationem remanſerit,eo modo qui in
antidotario exprimetur diſcutiẽda & tollenda erit. Fracturæ quædã ſupra defi- — Si fractura ſine callo ſupra definitũ tempus remanſerit.
nitum naturæ tempus,ſine callo interdum permanent:quod ob uarias cauſas ſo
let accidere,nempe uel ob aſsiduas ſolutiones,uel ob immodicas ſuperfuſiones
quas & fomentationes uocant:uel ob intempeſtiuum motum, uel ex faſciarum
multitudine, nonnunquam etiam, quia totum corpus non ſufficienter alitur,
quo in caſu membrum quoq; ipſum (ut Paulus annotauit) gracilius euadit. O- — Lib 6.
portet igitur cum alijs,tum præcipuè maciei corporis occurrere:quod commo
dè fiet,ſi uel calidis admotis materiam ad membrum perfractum euocemus, uel
alimentũ copioſius ſubminiſtremus, & balnea reliquasq; animi uoluptates ad-
hibeamus.Porrò eorum quæ iam callo firmantur, indicio eſſe, cum alia tum il- — Notę oſsis perfracti callo firmari incipientis.
lud præcipuè poteſt,ſi faſciolæ cruentæ conſpiciuntur, nullo etiam in parte ob
orto uulnere. Quod ideò forſan accidit, quoniam calli ſubſtantia dum coit,in
oſsium cauernoſos meatus perrumpens ſanguinis guttas aliquot inde extrudit,
exprimitq;.Ac de tranſuerſis quidem fracturis,hęc dicta ſufficiant.De longis ue
rò,quæ non tam crebrò contingunt, reliqua omnia ad eundem ſe habent mo-
dum.Cæterùm comprimendæ hæ magis(Galeno authore)in ipſo fracturæ loco
ſunt,tum quod receſsit,retrudendum introrſus eſt. Ac de fractis quidem oſsi-
bus hactenus in uniuerſum dictum ſit.

FINIS LIBRI QVARTI INSTITVTIONVM CHIRVRGI-
carum de fracturis, Ioanne Tagaultio Do-
ctore medico authore.

Formula Gloſsocomi inſtrumenti ad gignendum callum in fracturis idonei, cuius pluribus in locis meminit Galenus.



A, Axis. B,Laqueus translatiuus. C,Laqueus in rectum procedens. D,Trochleæ ſeu rotulæ. E,Tabella. F,Fractura.

Vide huius machinæ ſeu inſtrumenti deſcriptionem apud Galenum libro de uſu partium ſeptimo, & libro ſexto de morbis curandis. Item in commentarijs eiuſdem in librum ſecundum Hippocratis de fracturis.

GENERALIS DIVISIO LVXATIONVM, IN LIBRVM QVINtum chirurgicarum inſtitutionum Ioannis Tagaultij Medici.

LVxatio, Græcis exarthrema, oſsis è ſua ſede dimotio.
Simplex, Nulli alteri affectui coniuncta.
Compoſita, Alteri præter naturam diſpoſitioni complicata.

Luxatio tam ſimplex, quàm compoſita.
Perfecta, ſiue abſoluta, aut completa.
Imperfecta, ſiue non abſoluta.

Completa luxatio, ſiue abſoluta,
Cum os ſuo loco omnino excidit,
Generis nomen retinet, diciturq; abſolutè luxatio Romanis, & exarthrema Græcis.

Luxatio imperfecta, ſiue incompleta,
Cum os non in totum, ſed aliquatenus duntaxat ſuo naturali poſitu dimotum eſt, diciturq; ſubluxatio Latinis, pararthrema Græcis.

Subluxatio, ſeu imperfecta luxatio:
Peruerſio, ſiue diſtortio.
Laxatio ſeu elongatio ligamenti.

Peruerſio oſsis, quæ ſpinæ vertebris maximè eſt peculiaris:
Lordoſis, In priorem partem.
Cyphoſis, In poſteriorem partem.
Scolioſis, In latera.

Compoſitæ luxationum differentiæ, poſterioris ſeculi chirurgis:
Luxatio cum fractura,
Luxatio cum inflammatione,
Luxatio cum uulnere,
Luxatio cum dolore,
Luxatio cum duritie.

Hæ propriè differentiæ nõ ſunt, ſed complicati affect°.

INSTITVTIONVM CHIRVRGICARVN IOANNIS TAGAVLTIJ Doctoris Medici, de luxatis oſsibus in uniuerſum,

LIBER QVINTVS.

Quid luxatio, quæ ſint luxationum differentiæ, & quot modis oſſa luxentur. *Cap. I.*

CVM LVXATIONES FRACTVRIS PRO-
ximæ ſint, conſequẽs eſt, ut de ijs generatim (quemadmo
dum & de alijs ſuprà in quatuor libris ſuperioribus com-
memoratis affectibus, fecimus) nunc ſermonẽ faciamus.
Luxatio igitur, ut formula quadam definiatur, eſt articuli — Luxatio quid.
è natiuo poſitu, ſeu proprio (quod dicitur) acetabulo, in
alienam atque inſolitam ſedem prolapſus, quo motus ar
bitrarius impeditur: Græci exarthrema uocant. Huius
autem (ut Paulus inquit) nullæ aliæ differentiæ habentur, præter eam quæ ex
maioris minoríſque ratione ſumitur. Cum enim articulus ſua ſede in totum
excuſſus deciderit, communi generis uocabulo Græcis exarthrema, Latinis — Exarthrema.
luxatio dicitur. Si autem è compagibus ſuis paululum duntaxat emotus eſt,
aut uſque ad ſinus ſeu cauitatis ſupercilium (nonnulli marginem uocant) pro-
lapſus, nobis ſubluxatio, Græca uerò conſuetudine pararthrema nomina- — Pararthrema.
tur ſub qua ſanè differentia, & laxationem, ſeu ut uulgares chirurgi Auicen-
næ interpretem ſequuti loquũtur, elongationem ligamenti comprehendimus,
ſicuti & diſtorſiones ac peruerſiones cum pluribus oſsibus, tum uerò maximè
ſpinæ uertebris familiares oſſa duobus modis potiſsimũ ſuis ſedibus Celſo mo- — Cap. 11. lib. 8.
uentur. Nam modò quæ iuncta ſunt inter ſe duntaxat (inquit) dehiſcunt ut cum — Quę oſſa inter ſe dehiſcant.
latum ſcapularum os ab humero recedit, & in brachio radius è cubito, & in cru
re tibia à ſura, atq; etiam interdum à ſaltu, calcis os è talo (quod rarò tamen fit)
modò uerò ſuis acetabulis ex toto prolabuntur, hoc eſt ſuis omnino ſedibus ex
cidunt. Vertebræ nanque & articuli propemodum omnes, tametſi ualidis ner-
uis ac ligamentis comprehendantur, ſæpius tamen ſuis ſedibus elapſi decidunt: — Quæ oſſa proprie luxentur.
aut ui ſcilicet expulſi, aut aliquo caſu nerueis ligamentis, uel ruptis uel infirma-
tis, facilius quæ in pueris & adoleſcentulis, quàm in robuſtioribus. Itaque mo-
dus hic poſterior exarthrema: prior uerò, quo tantum oſſa dehiſcunt, & ſuis ex
toto ſinibus haudquaquam prolabuntur, pararthrema non immeritò appella-
bitur. Atque hæc ſunt luxationum diſcrimina, ſeu differentiæ. Præter has tamẽ
aliquot adhuc alias poſterioris ætatis chirurgi ſtatuerunt, quæ reuera differen-
tiæ non ſunt, ſed potius quædam ueluti præter naturam diſpoſitiones, cum luxa
tione complicatæ: ut cum ipſi luxationi accedit inflammatio, aut fractura, aut — Affectus cũ luxatione complicati.
uulnus, aut dolor aliquis ingens, aut tophacea quædam durities. Hæc enim, do-
lor inquam, fractura, durities, uulnus & inflammatio, cum ſeorſum & per ſe ſub
ſiſtere poſsint, nullius unquam alterius (ſi ſaltem Galeno credimus) differenti-
am conſtituent. Si quis tamen proteruè contendat, differentias eſſe, cum eo cer
tamen inire recuſamus: quandoquidem hæc curandæ luxationis rationem, &
peruertunt, & non parum aliquando interturbant. Ac de his quidem in ſequen
tibus ſuo loco dicemus. Cæterùm modis quatuor potiſsimum, quod ad ſitus — Modi luxatio

num à ſitu differentia ſumpta.

differentias attinet, contingit oſſa luxari aut peruerti, ſeu aliquatenus detorqueri: in partem nimirum priorem ſeu anteriorem, poſteriorem, interiorem, & exteriorem. Alij ſuperiorem & inferiorem addunt. Quædam autem in omnes quatuor partes, quædam in certas promouentur. Sed præſtat ſingulorum exempla ſubijcere. Maxilla ſuperior, cum non in homine ſolum, ſed & in omni animante, præterquàm in crocodilo, immobilis exiſtat, luxatione non periclitatur: inferior

Maxilla inferior q luxetur.

uerò ſubinde oris hiatu in anteriorem partem luxatur alienatúr ue ac peruertitur, hoc eſt, aliqua ex parte diſtorquetur, & ex naturali ſitu in alterum repentè tranſmutatur, quod uerbo χάτου expreſsit Hippocrates. Sed modò altera parte, modò utraque, toto autem loco non admodum excidit, ut idem annotauit Hippocrates, quippe quòd capita, id eſt extrema, qui & proceſſus appellantur, habeat in ſuperiori maxilla, firmiter ac tutò cardinis modo infixa, ex quibus neruoſi tendones, ualidis annexi muſculis, exoriuntur. Itaque hanc nunquam luxari contingit, niſi quàm maxima oris apertio fiat. Vt cum uel maximam rei alicuius molem ore excipere quiſpiam conatur, uel cum oſcitãdo quàm maximè poteſt os diducit, & in alteram partem os traducit, quorum primum raro contingit: ſecundum (inquit Galenus) euenire dementibus tantum poteſt.

Capitis luxatio.

Capitis proceſſus, in duos ſinus ſummæ uertebræ dimiſsi, in omnes partes prolabuntur: ſed dum in partem poſteriorem excidunt, mentum pectori agglutinatur, æger neque bibere neque loqui poteſt: atque illi celerrimè mors ſuperuenit.

Mors præſtrenua.

Vertebrarum ſpinę luxatio.

Vertebræ in ſpina & in poſteriorem partem & in priorem, tum ſupra ſeptum tranſuerſum quàm infrà ſubinde peruertuntur, ac nonnunquam etiam ex toto prolabuntur. Sed cum toto loco mutatę ſunt, nulla reſtitutionis ſpes relinquitur, pręcipitemq́; etiam mortem inferunt.

Mors homini triduo oppetenda.

Nam intra triduum (ut Celſus ait) homo moritur.

Clauicula qui luxetur.

Clauicula (quam ſoli homini inter cætera animantia conceſſam eſſe Paulus exiſtimauit) nunquam in totum excidit: quippe quæ pectori ita committatur & inhæreat, ut ne moueri quidem in ipſo poſsit. Interdum tamen ex uiolenta quadam extrinſecus facta percuſsione, paululum auellitur. Sed neque altero fine, qui humeri articulo inſeritur, excidere admodum poteſt. Nam & à bicipiti muſculo & ſummo humero prohibetur.

Brachij caput.

Brachij ſeu humeri caput, quod in ſinum omoplatæ ſeu ſcapulæ demittitur, modò ad ima in alam decidit, idq́; frequenter, ſed in ijs maximè qui non multa carne prædití ſunt: modò (licet rarò) in priorem & exteriorem. In ſuperiorem uerò ferè nunquam promouetur, ut quod ab utroque ſcapularum proceſſu, & eo ſcilicet qui ancoræ ſimilis eſt, & eo quod acromion Græci uocant, impediatur,

Genu in tres partes luxatur.

genu in treis partes excidit, interiorem nimirum, exteriorem & poſteriorem iuxta poplitem. In priorem prolabi oppoſita patella prohibetur. Meges tamen eum cui in priorem partem excidiſſet, à ſe (ut Celſus refert) curatum eſſe memoriæ prodidit.

Cubitus, manus, & femur in quatuor partes prolabũtur.

Cubitus, manus, & femur, in omnes quatuor partes prolabuntur, nempe in interiorem, exteriorem, anteriorem & poſteriorem. Atque hæc pro exemplis adducta ſint. Nunc ad communem de luxatis oſsibus tractationem reuertamur, & iuxta morem à nobis hactenus obſeruatum, cauſas, ſigna, prognoſtica & curationem luxationum in uniuerſum perſequamur.

De cauſis & ſignis luxationis oſsium in vniuerſum. *Cap. II.*

Cauſæ externæ.

Cauſę internę.

C*AVSAE* luxatorum oſsium & à ſua ſede motorum, quædam ſunt extrinſecus ingruentes, ut caſus, percuſsio, & uiolenta atque incongrua membri alicuius extenſio, aut diſtorſio, ſeu peruerſio. Quædam uerò intrinſecus eueniunt, atque ideo internæ dicuntur, ſicuti & ſuperiores externæ: ut cum mucoſus aliquis humor, & pituitoſus in articulis ſeu

ſeu iuncturis aceruatur, qui articulationis ipſius ligaméta primum madefacit,
deinde laxiora reddit,& tandem ob eius multitudinem, ſua ſede os ipſum pro-
trudit. Signa luxationum,quædam ſunt omnium communia, quædã uerò pro-
pria cuiuſque. Ac de communibus duntaxat hîc agemus. Hæc autem factionis
Arabicæ principi Auicennę à tribus potiſsimum deſumuntur. Nempe uel à ſub
ſtantialiter (ut loquuntur) inhærentibus, hoc eſt, ab ijs quæ ſecundum eſſentiæ
rationem inſunt: ut à mala partis ipſius laborantis conſtitutione ſeu compoſi-
tione, in qua & tumor præter naturam ea parte qua os prorumpit, & ſinus ſeu
cauitas inſolita ea à qua receſsit, manifeſtò apparent. Vel ab ijs quæ ex neceſsi-
tate conſequuntur (caſus & accidentia uocant) ut à dolore, qui ex luxatione
contrahitur. Vel ab actione læſa,ſeu operationibus etiam ex neceſsitate conſe-
quentibus, ut à motus afflictæ partis difficultate, aut priuatione. Hæ itaq; notæ
in luxatis omnibus deprehenduntur, aliæ uerò in ſingulis.

Signa luxationum omniũ cõmunia à tribus potiſsimũ deſumuntur.

De prognoſticis ſeu iudicijs luxationum. Cap. III.

CONSEQVENS eſt ut communia quædam de luxationibus iudi-
cia, quæ & prognoſtica uocant, hoc loco ſubijciamus. Primum pro
gnoſticum ex Auicennę & aliorum quorundam ſcriptis erutum, ad
hunc modum habet. Quibus luxationibus inflammatio, aut uul- 1.
nus, aut dolor ingens & acris accedit, hæ pręterquàm quod curatu admodum
difficiles ſunt, periculo quoque non uacant. Adeò ut aliquoties in ijs caſibus
tutũ non ſit, luxatæ particulæ reductionẽ aggredi, ſed ſic eam remanere (ne pro
læſione mors ſequatur) melius eſſe cenſent. Aliud. Vetuſtæ omnes luxationes 2.
& quæ ſpatio temporis iam callo obduruerunt, uel difficillimè, uel nunquam
conſaneſcunt. Proinde ſtatim, ſi fieri poteſt, reponi luxata debent. Luxatio in 3.
qua (inquit Guido) franguntur margines oſsium, hoc eſt, ſinus ſeu cauitatis ſu
percilia, peſsima iudicatur. Repulſi enim in ſuum poſitum articuli, inibi diu
perſiſtere non poſſunt: ſed leuiſsima quaque occaſione iterum relabuntur. Ar 4.
ticuli qui neruorum ac ligamentorum uitio prolapſi ſunt, & poſtea in ſuas ſe-
des compulſi iterum excidunt. Indicium euidens oſsis in ſuam naturalem ſe- 5.
dem reducti, eſt, cum ueluti ſtrepitus aliquis auditus eſt, dum in natiuum ſuum
acetabulum ingrediebatur: & membri nuper luxati figura & conformatio, ſuæ
ipſius aut alterius partis figuræ quàm ſimillima, tum uiſu tum attactu depre-
henditur. Cæterùm ſi repoſito oſſe nerui diſtenduntur, rurſus id protinus (ut
conſuluit Celſus) expellendum eſt. Vt excidere omnes articuli non poſſunt, 6.
ſic non omnes reponuntur. Caput enim ſi in partem (ut ſuprà diximus) po-
ſteriorem aliquando prolabitur, nunquam in ſuos ſinus compellitur, ſed mor-
tem ſtatim affert ineuitabilem. Sic neque in ſpina uertebræ, cum toto loco
mutatæ ſunt: neque etiam maxilla, quæ utraque parte prolapſa eſt, & ante-
quam repoſita ſit, inflammationem concitauit, ut Celſus memoriæ prodidit.
Oſſa quæ ſuis ſedibus mouentur, alia alijs facilius, alia difficilius & excidunt & 7.
reponuntur: nempe pro ratione & natura iuncturæ unde propelluntur. Itaque
genu ut facilè prolabitur, ſic non magno impendio in ſuam rurſus ſedem com-
pellitur. Digitorum luxatio nullum etiam faceſsit negotium. Cubitus uerò,
ut tardius quidem ac difficilius excidit, ita prolapſus negotij plurimum exhi-
bet. Aegerrimè enim propter tuberculorum ſeu eminentium, ſinuúmque fre-
quentiam reponitur. Humerus autem ut neque difficulter admodum, præſer-
tim in macilentis, elabitur, ſic nec difficillimè in ſedem ſuam reponitur. Et ita
de alijs multum quoque eò confert (ut Celſus inquit) & corporis & neruorum,
hoc eſt, tendinum habitus. Nam ſi corpus tenue ac macilentum, ſi humidum

Cõmunia quędam luxationum iudicia, ſeu prognoſtica.

Genu.

Digiti.

Cubitus.

Humerus.

Multũ eò conducit & corporis & neruorũ,

id eſt tendinũ habitus.

Neruorũ nomine apud Celſum ligaméta intelliguntur. 8. 9.

Ex Hippocrate & Celſo.

eſt, ſi nerui & ligamenta infirma, expeditius os reponitur. Sed & primò facilius excidit, & poſtea minus fideliter continetur. Quæ contraria his ſunt melius cõtinent, ſed id quod expulſum eſt difficulter admittunt. Quibus in pueritia articuli exciderunt, neque repoſiti ſunt, minus quàm cæteri creſcunt. Quæ loco ſuo non ſunt, caro ea increſcit, magisq́; in proximo membro, quàm in ulteriore Vt puta ſi humerus loco ſuo non eſt, maior in eo ipſo fit, quàm in brachio, & in hoc (brachio inquam) maior quoque, quàm in manus acie. Tum pro ſedibus & pro caſibus qui inciderunt, aut maior aut minor uſus eius membri relinquitur: quoq́; in eo plus uſus ſupereſt, eo minus id extenuatur. Inter luxatorum eiuſmodi prognoſtica numerantur & duo hi ſequentes Hippocratis aphoriſmi. Quibuſcunque à coxendicum dolore moleſtatis, excidit coxa & rurſus incidit, ijs mucores ſuperueniunt. Quibuſcunque à coxendicum dolore moleſtatis diu turno excidit coxa, ijs crus tabeſcit & claudicant, ſi non urantur. Hos autem nunc ſic coniunctim legimus & interpretamur: Quibuſcunque à diuturno coxendicum dolore conflictatis, propter mucoris ſeu mucoſi humoris ac pituitoſi copiam, in articulo ſiue iunctura coxæ coaceruatim τὸ ἰσχίον, id eſt, coxa ipſa (hoc eſt, femoris caput, quod in coxæ ſiue oſsis iſchij cauo inſeritur) ſuo naturali acetabulo propulſa excidit, & rurſum incidit (id eſt, in natiuam ſuam ſedem iterum ſponte reſilijt, aut aliter repulſa eſt: inibi tamen diu perſiſtere non poteſt, ſed ſoluta compage lubrica continenter relabitur) ijs proceſſu temporis crus (quod Græcis σκέλος dicitur, hoc eſt, totum membrum, tam tibia ſcilicet quàm femur) neceſſariò alimoniæ penuria contabeſcit, & ariditate conficitur, omnésque in claudicationem euadunt, ſi non urantur, hoc eſt niſi prius ferramentis igne candentibus urendo, & mucus ille qui oſsis iſchij ſinum occupat, abſumatur, & laxitas cutis ad quam femoris caput ſubinde lubricum procidebat, contrahatur.

Aphor. 4.9. & 50. lib. 6.

Interpretatio duorũ aphoriſmorũ Hippocratis.

De ratione curandi luxata in vniuerſum. *Cap. IIII.*

CVM luxata ſuo natiuo poſitu, in alienam atque ut ſupra retulimus, inſolitam ſedem prolapſa ſint, una nimirum communis omnium luxationum curandi indicatio erit. Nempe luxati articuli & ſuo loco moti in propriam ac naturalem ſedem reductio. Porrò ut ſcopũ hunc primum & uniuerſalem aſſequaris luxatum membrum in diuerſas partes decenter extendendum eſt, donec ſpatium inter oſſa liberum ſit. Tum id os quod ſuo loco excidit, ab ea parte in quam prolapſum eſt, in contrariam impellere oportet, atq; ita in germanum ſuum acetabulum reſtituere, ut ſinus ſeu cauitatis inſolita uacuitas impleatur. Hæc autem leniter & ſine dolore, quatenus fieri licet, agenda ſunt. Cæterùm non una eademq́; in omnibus extendendi ratio eſt, ſed alia atque alia, pro natura ſcilicet partis luxatæ, proútque nerui ac tendines ualent, aut oſſa huc illúc ue ſederunt. Modò enim manibus ſolis, modò habenis iniectis utendum eſt, modò uerò quædam alia machinamenta adhibenda ſunt, ut ex uno Hippocrate, lecto libro de luxatis & fractis, diſcere poteris.

Secundus ſcopus.

Ab ijs ſecundum quo tendes fuerit, ut membrum quod exciderat & iam repoſitum eſt, non amplius deinceps ſua ſede prolabatur, ſed inibi continenter perſiſtat. Repoſiti igitur articuli iunctura, modis omnibus ſtatim firmanda ac roboranda eſt. Firmabitur autem optimè, ſi roſaceo perlinatur, ac poſtea pannus aliquis lineus gracilis, uetus & lenis rhodino delibutus, ipſi applicetur: deinde ſi ſtupæ lenes ac panni multiplices, ouorum candido perfuſi, ſuper accommodentur, & poſtremò ſi faſcijs poſca madẽtibus, pro ratione particulæ longis

latisq́;

latisqꝫ,ſubligetur. Quinetiam ferulæ ex corio aut denſa papyro factæ, ſi neceſsitas uocet, circundandæ ſunt. Cauenda autem ſemper eſt uehementior perſtrictio, ne inflammationem moueat. Iis ita ritè apparatis, membrũ in figura ei maximè naturali atqꝫ à dolore alieniſsima, ad quietem reponendum eſt. Nec uerò ante diem ſeptimum aut etiam decimum, ſi nullum ſymptωma prauum acceſſerit, ipſum reſoluere oportet, aut alijs adhibitis medicamentis curare, ſed ita ſinere. Porrò nihil noxæ attuleris, ſi dum legitimo tempore reſoluitur, & ſecundò curatur, aqua modicè calida foueris. Hic enim fotus gemina tunc ratione prodeſt. Nam & dolorem (ſi quis ſit) demulcet, & quod in laborante particula noxium conceptum eſt digerit. Vbi autem ſic, ut res exigit, luxatum membrum foueris, mox huic emplaſtrum adhibebis, quod cõſtet polline, id eſt, farina uolatili, puluere rubro communiter appellato, & albo oui in unum corpus redactis. Poſt hæc uerò membrum ſtrictius obligandum erit, ut Razes medicus Arabs percelebris conſuluit. Ad eundem quoque modum uetus omnis luxatio, & quæ ſpatio temporis callo iam obduruit, non modò fotum eiuſmodi aquæ ſimplicis calidæ (qui in hac re plurimum confert) antequam reducatur, deſyderat: ſed etiam & eum qui fit ex decocto maluæ, althęæ, fœnigræci atque id genus aliorum, poſtulat. Quippe qui molliat, laxet, diſcutiat, & membrum aptius extenſioni efficiat. Recentes uerò adhuc luxationes, & quæ nuper inciderunt, eius naturæ fotus tanquam ſibi non parum incommodantes auerſantur & reſpuunt. Hi enim calfaciendo ac humectando relaxant & diſſoluunt: unde pars ipſa afflicta imbecillior redditur, & ad recipiendam fluxionem pronior. Proinde & inflãmationi opportuna efficitur, & luxati ſinus ſuperflua humiditate oppletur. Inde conſequitur, ut articulus in natiuo ſuo acetabulo diu perſiſtere non poſsit, ſed lubricus ac ſubterfugiens delabatur. Vetat etiam Auicenna pannos impenſe calidos membro recenter luxato admoueri, ne fluxionem etiam euocẽt, & inflammationem eo loci excitent. Quin potius eos cerato (inquit) refrigeratorio, aut uino aliquo auſtero imbutos adhibere conuenit.

Cæterùm luxato, ita ut dictum eſt, in ſuam ſedem reducto firmatóque, & ad quietem conueniente ſchemate ſeu figura repoſito, ipſum à dolore & inflammatione uindicandum eſt, qui tertius eſt ſcopus in curandis luxatis medenti propoſitus. Hunc igitur ſi conſequi ſtudueris, humorum in partem affectam influxum modis omnibus prohibeto. Si enim fluxione tentetur, & dolorem ſtatim perſentiſcet, & inflammationem experietur. Quæ duo incommoda in luxatis & fractis maximè uitanda ſunt. Hæc autem deuitabis, ſi quæ roborant & repellunt parti luxatæ, ut paulò antè docuimus, appoſueris: ſi prætereà tenuem ab initio probámque uictus rationem ægro imperaueris, illicꝫ uenam, ſi nihil prohibeat, iuxta periti alicuius medici præſcriptum ſecueris: & uentrem, ſi opus eſt, purgante medicamento ſubduxeris. Vtroque enim auxilij genere (purgatione inquam & ſanguinis miſsione) fluxionem (ſi commodè adhibentur) à laborante particula auertimus. Verùm enimuerò ſi ante quàm ad curationem uoceris, luxata pars iam dolore infeſtetur, aut inflammatione occupetur, non prius eam in locum ſuum à quo excidit reponere tentabis, quàm dolor finitus fuerit, & inflammatio conquieuerit. Si enim membrum ſic dolore aut inflammatione affectum diſtendendo laceſsiueris, periculum eſt, ne conuulſio uel neruorum diſtenſio, aut aliud prauum id genus ſymptωma ſuſcitetur. Hoc præceptum in luxatis omnibus diligenter, curioſeqꝫ obſeruandum: à Cornelio Celſo ex Hippocratis ſententia, non minus doctè quàm eleganter ijs uerbis traditum eſt: Quicquid loco ſuo (inquit) motum eſt, ante inflammationem reponendum eſt. Si illa iam occupauit, dum conquieſcat, haud quaquam laceſſendum eſt. Vbi finita eſt, tentandum eſt in his membris, quæ id patiuntur. Oportet au-

Tertius ſcopus.

Quartus ſcopus, qui eſt accidentium correctio.

Cap. 11. lib. 8.

Locus hic corrupt᷑ eſt apud Celſum quem ita reſtituendum putam᷑.

tem inflammationem ipſam atque dolorem leuare ſuccida lana ex hydrelæo, id eſt, aqua & oleo moderatè calido, acetiq; momento ſuperimpoſita. Si uerò etiam febris acceſsit, & oſſa quæ ſuo loco mota ſunt, ualidiſque pleniſque muſculis & tendonibus contineantur, curioſius omnia facienda ſunt: ſed maximè quæ ad uictus rationem, uenæ ſectionem & purgationem attinent. Cæterùm ſedato dolore, & finita omninò inflammatione, pleniore uictu (ſicuti & de fracturis dictum eſt) laborans refici poteſt, cibiſq; uti bonis, uti uino modicè. Ac ſub finem quidem curationis, ſi è ſententia res ceſſerit, luxatum ipſum roborabis perfuſione aquæ decoctionis roſarum, abſynthij, & muſci albi quercini. Peracto fotu, Guido à Cauliaco iubet ſuperponendum eſſe ſpanadrapum quod uocant, aut oxyceroceum. Sed iámque ad uſus quoque ſuos, id membrum ſenſim ac ſuauiter promouere oportet. Motus enim ut in dolore atque inflammatione noxius, ac (ut ita dicam) peſtifer, ſic aliàs luxato præſertim iam obfirmato, ſaluberrimus corpori eſt. Si luxatis oſsibus uulnus quoque acceſsit, multa diligentia ac etiam prudentia eſt opus. Dum enim hæc reponuatur ingens periculum, nonnunquam & mortem etiam maturam inferunt. Nam cum ex diſtenſione adiacentes nerui & muſculi inflammantur, dolores ualidi, conuulſiones & febres acutæ oboriuntur, atque hoc præſertim in cubiti gibbero, genu, ſuperioribúſque articulis etiam magis. Quantò enim principalibus membris luxati cum uulnere articuli uiciniores ſunt: tantò maior timor eſt. Sed eò quoque grauius periculum concitatur, quo maius membrum eſt, quó ue ualidioribus neruis aut muſculis continetur. Ideóque humeris femoribuſq; metus mortis eſt. Ac ſi repoſita oſſa ſunt, ſpes (inquit Celſus) nulla eſt. Non repoſitis tamen, nonnullum periculum eſt. Eóque maior in utroque timor eſt, quò propius uulnus articulo eſt.

Lib. de luxatorũ fractorúmue oſsium coaptatione.

Eam obrem Hippocrates horum repoſitionem, ualentiorémque deligaturam omninò auerſatur, ſoliſq; inflammationem abigentibus & mitigantibus præſidijs, per initia uti iubet. Sic enim (inquit) ipſis ſupereſſe licebit. Itaque nihil tutò reponi poſſe, præter digitos & plantas & manus, dixit: atque in his quoque diligenter eſſe agendum, ne præcipitent. Verùm ne digitus quidem in quo minimum ut malum, ſic etiam periculum eſt, reponi debet, niſi ante inflammationem, aut poſtea cum iam uetus res eſt. Cæterùm quod ipſe in ſolis digitis faciendum conſulit, id nos in reliquis quoque articulis facere aggrediemur, ac ſtatim quidem inter initia, dum pars adhuc inflammatione uacat, prolapſum cum uulnere articulum mediocri intenſione (ualidam enim citra periculum perferre non poteſt) reponere tentabimus. Quod ſi iuxta animi inſtitutum euenerit, in ſola ratione, quæ inflammationem arcet, perſiſtemus. Si uerò inflammatio aliqua, aut conuulſio, aut quippiam ex ſupradictis, repoſito oſſe acciderit, rurſus id (ſi modò ſine ulla ui poteſt) ſuo loco protinus expellendum eſt.

At ſi hoc quoque diſcrimen ſeu periculum metuamus (non enim inflammatus articulus ſine ui fortaſſe cedet, & ſua ſede iterum propelletur) ſatius fuerit per initia in maioribus quidem membris, ut femoribus & humeris, ſuperſedere & repoſitionem differre. Vbi uerò inflammatio conquieuerit (id autem fit communiter poſt ſeptimum nonúm ue diem) præfati etiam periculum apud neceſſarios ægrotantis, quod ex repoſitione futurum ſit, tum quòd ſi non reponatur, debilem ea parte hominem, & claudum mancúm ue prorſus fore, conabimur tutò & ſine ulla uiolentia, os in ſuam ſedem compellere. Porrò ulceris curationem eandem quæ popoſita eſt in fracturis cum ulcere, adminiſtrabimus. Omne autem membrum, quod cum uulnere loco motum neque repoſitum eſt, ſic (ſi Celſo & Hippocrati credimus) iacere conuenit, ut maximè cubantem iuuat: tantum ne moueatur, né ue dependeat.

Si luxatio cũ fractura euenerit.

Si luxatio cum fractura, ſine ulcere tamẽ euenerit, communi ratione membrum extendendum eſt, ac manibus confor-

mandum,

mandum, ut in ſimplicibus fracturis ſuperiore libro docuimus. Si uerò etiam ulcus accedit, rurſus ab ijs quę de fracturis cum ulcere, & luxationibus etiam cum exulceratione incidentibus, priuatim à nobis dicta ſunt, congrua repetenda curatio. Cæterùm ut uerbo uno dicamus, ſi cum fractura luxatio incidit, hæc primum, ſi fieri poſsit, illa uerò ſecundo curanda erit. At ſi ante fracturæ adminiſtrationem luxatum commodè reduci non poſsit, fracturam ipſam primum curabimus, deinde cum fractura callo iam obſirmata fuerit, luxationis curationem aggrediemur. Quòd ſi luxatio inueterauerit, & ob temporis ſpatium calloſa inibi durities contracta fuerit, ea decocto maluæ & althęæ (quam officinæ biſmaluam appellant) perfundenda eſt, deinde unguento dialthæa uulgò nuncupato, collinenda: poſt hæc, emplaſtrum quod Diachylon magnum nominatur, ſuperapponendum erit, uel eius loco lana ſuccida uiſcillagine quapiam emolliente delibuta. Ad hoc etiam efficax habetur cortex radicis maluauiſci, hoc eſt althęæ, in aqua decoctus & cum axungia uel anſerino pingui ſubactus, ut quaſi malagmatis lentor contrahatur. Itaque loco ſub his ſufficienter emollito, luxatum in ſuam ſedem dandum eſt.

FINIS LIBRI QVINTI CHIRVRGICARVM INSTITVtionum de luxatis oſsibus, Ioanne Tagaultio Doctore medico authore.

Humani corporis oſſa parte anteriori expreſſa.



A Os coronale,quod os frontis appellatur.
B Clauiculæ & oſſa furculæ.
C Ἀκρώμιον,proceſſus ſuperior omoplatæ.
D Caput brachij,ſeu pars humeri ſuperior.
E Os pectoris, quod στέρνον Græci uocant, conſtans oſsibus 7. excipientibus 7. ueras coſtas, quæ ſuperiores ſunt & perfectæ: inferiores uerò, quæ numero ſunt quinque,nothæ,imperfectæ & mendoſæ dicuntur.
F Chartilago fini ſterni adhæreſcens, ab enſis ſimilitudine dicta, Græcis ξιφοειδὴς,hoc eſt,enſiformis,uulgus malum punicum ſeu granatum appellat.
G Brachium ſeu humerus & os adiutorij Guidoni,omnium oſsium(femore excepto)maximum.
H Collum brachij.
I Humeri orbita trocleis ſimilis.
K Os inferius & longius cubiti,quod Latinis ulna,& nomine totius cubitus dicitur,Guidoni & uulgò focile maius,Græcis πῆχυς, minimo occurrit digito, eſtq́; rectum,ut ſuperius obliquum.
L Os ſuperius cubiti(latius ſumpto nomine)quod Latinis radius, & focile minus Guidoni,Græcis uerò κερκὶς uocatur:occurrit pollici.
N Καρπὸς Græcè,Latinè brachiale, & raſceta Arabicè. Conſtat oſsibus 8. duris & exiguis,ſi os quod ad pollicem pertinet,non numeraueris.
O Μετακάρπιον,id eſt,poſt brachiale & pecten, conſtat tantum oſsibus 4.Galeno à ſeſe diſtantibus,palmam inter digitos ad carpum explentibus.
P Oſſa digitorum,quæ numero ſunt 15.nempe tria ſingulis.
Q Patella & rotula genu,Græcè nónullis μύλη,id eſt,mola,aliis ἐπιγονατὶς,quaſi

ſupra

ſupra genu,os cartilaginoſum nulli alteri conſertum.

R Os baliſtæ uulgò,Latinis talus,ἀςράγαλος Græcis.

S Os σκαφοειδὴς, hoc eſt,nauiforme ſua cauitate naui ſimile, unde nomen ſumpſit,circumambit caput aſtragali.

T Oſſa tarſi & raſcetæ 4.carpo reſpondent.

V Oſſa pectinis ſeu pedij ac plantæ, 5.figura tereti & oblonga metacarpio reſpondent.

X Oſſa digitorum pedis,quæ numero ſunt 14.in ſingulis digitis præter pollicem terna.

Σκιλετὸς à tergo delineatus.



B Sutura labdoeides,poſterior in occipitio : anterior quæ in ſincipite eſt, στεφανιαῖα,id eſt,coronalis dicitur. Vide in prima figura.

C Sutura ὀβελιαῖα dicta,quæ recta & ſagittalis uulgò appellatur.

E Scapularum oſſa 2.pone pectus ſita, lata, figura triquetre, Græcis ὠμοπλάται, Latinis ſcoptula operta uulgò ſpathulæ.Nulli alteri oſsi committuntur.

G Collum omoplatæ.

H Os ſacrum,ἱερὸν Græcè,amplum ſeu latum quibuſdam appellatum, finis ſpinæ dorſi.

K Os femoris,quod brachio ſeu humero,hoc eſt, oſsi adiutorij reſpondet,Grę cè μηρὸς dicitur.

L Caput femoris.

M Collum femoris.

N Trochanter.

P Tubercula duo oſsis femoris.

Adde quater denis, bis centum ſenáque, habebis
Quàm ſis multiplici conditus oſſe, ſemel.

Oſſa fiunt è ſemine, cum id quod eſt craſsiſsimum, à calido urente induratur, ſicut lapides coquuntur à calido urente. Sunt autem oſſa ueluti truncus ſuſtinens reliquum corpus.

Lateralis σκελετοῦ figuræ deſignatio.



A Oſſa βρέγματος, id eſt, ſincipitis 2. uulgò parietalia appellantur.
B Oſſa λιθοειδῆ, id eſt, lapidoſa uel petroſa 2.
C Os frontis 1. quod & coronale uocant.
D Os occipitis 1. demiſsiuum & firmiſsimum.
E ζύγωμα, uel os ζυγοειδὲς, id eſt iugale, & Paris uulgò, ſuperiorem maxillam capiti coniungit.
F Os σφηνοειδὲς, cuneiforme, baſilare, aliquando à multiplici forma πολύμορφον, colatorij, cauilla.
G Maxilla inferior: hæc in maximis oris hiationibus interdum à ſua ſede diſtorquetur.
H Proceſſus duo maxillæ inferioris.
K ὠλέκρανον ſeu cubiti tuber, ſuperior ulnę proceſſus grandior: Hippocrates ἀγκῶνα nominauit.
L Oſſa ualidiſsima quæ oſsi ſacro cõmittuntur, Arabicè gaſ herua dicta.
M Os ilium & anchæ, pars ſuperior oſsis coxæ.
N ἰσχίον ſeu os iſchij, quod recipit femoris caput, Pyxis coxæ dictum.
O Os pubis & pectinis, pars eſt anterior oſsis coxæ ad pudenda.

Q Os

Q Os maius tibiæ, quod & tibia nomine totius appellatur, & crus. Vlnæ ſeu cubito reſpondet, κνήμη Græcis nominatur.

R περόνη ſeu fibula, & os ſuræ: os minus tibię radio cubiti, quod focile minus appellant, conſimile.

S Malleolus externus, ima pars fibulæ.

T Malleolus internus, pars infima cruris ſeu tibiæ.

V Os calcis ſeu calcaneus, Græcè πτέρνα oſsium pedis maximum.

INSTITVTIONVM CHIRVRGICARVM LIBER SEXTVS

de materia chirurgica.

PRAEFATIO.

Interpretes materię chirurgorum.

Laus aliqua Arabum & poſterorum.

DE MATERIA REMEDIORVM, QVAE ad chirurgum pertinent, plurima quidem Hippocrates, Galenus, & ante hunc Anazarbæus Dioſcorides memoriæ tradiderunt. Quædam poſteritas addit non fraudanda laude: ſua enim ueterum, ſua poſterorum gloria eſt. Atque iniquum decreti genus eſt, quod omnem fructum laudis & gloriæ huius diſciplinæ uni Græciæ detulit, ut Arabum ac poſteritatis ſtudia perpetuis tenebris opprimantur. Illaudato ſolo laudatæ fruges ſæpenumero proueniunt: Vixerũt Græci in media luce literarũ. Extiterunt Arabes, & inde ductæ familiæ, iam deſertis ac ſepultis melioribus diſciplinis, digna tamen luce æternaq; memoria nobis reliquerunt. E uiuis fontibus Græcorum remedia primum petenda ſunt: ſed ita ut nec Arabum riuos, nec poſteritatis ingenia contemnamus. In his hauriendum quod ſaluũ & incolume: repudiandum quicquid fecerit cœnum, & diſciplinæ ueterum malè conuenerit. Atq; omnino hac parte perluſtranda nobis naturæ fertilitas, à qua omnis ubertas & quaſi ſylua remediorum ducta primũ eſt. Nuſquam natura magis luxuriat, nulla in re pariter atq; his chirurgiæ opibus ambitioſa eſt. In quibus tam prolixe nomen ſuũ explicat, ut Pronœa illa non tam Epicurea, quod quidam ait, quàm chirurgos fuiſſe uideatur. Plurima quidem ad uoluptatem & delitias hominis: omnia uerò ad ſalutem eius & conſeruationem chirurgo comparauit. Nam quæcunq; tota rerum facie expoſita, quæcunq; cauernis terræ ac uiſceribus latent, quicquid eſt aquarũ, ſtirpium, animalium, terra, ignis, maria, chirurgo inſeruiunt. In fece rerum & excrementis, in carie, in rebus minimis, obſoletis ac propè nullis, remedia cõdita ſunt. In re una multiplex natura uario genere remediorũ fœta eſt. In apicula quàm uariè luſit, quàm multas diuitias chirurgo cõdidit, mella, cerã, metyn, ſandaracham, fauos, propolim, quicquid deniq; locuples illa alueorum reſpublica cõtinet. Quin & apes ipſas ad auxilia tranſtulit. Et in homine multa ſunt, quæ proſunt homini, ut quocũq; animum aduertas, quocunq; oculos conijcias, remediorum turba ſeſe offerat. In quo ſummopere probanda eſt maiorũ diligẽtia, multoq; magis imitanda ſtudia; qui in ea uaſtitate rerum nihil intentatum, nihil inexpertum reliquerunt: omnia elaborata & ſummo iure exiſtimata, literis conſignarunt, quibus iam perfrui datum eſt, alienis ſcilicet bonis. Primum ergo conſuetudine, natura, & maiorum hiſtoria, infinita nobis materia comparata eſt, quæ iam deſerta ac ſuppreſſa

Vnde petenda materia.

Naturæ fertilitas, in materia chirurgorum.

Pronœa chirurgos potius quàm epicurea.

Taxantur noſtri homines.

iacet,quia neglecta. Satis eſt capſula pauculis alueis diſtincta:ſatis pyxidicula: hic uno atque altero remedio contentus eſt, quæ ſcilicet accepit oraculo, nec ulli reuelanda putat.Sed ego ſic arbitror,optima eſſe remedia,quæ plurimis cognita,plurimis probata ſunt. Alteri elementa ſordent, & quicquid elementare eſt.Hinc noua elementorum ſoboles,hinc æther & cœlum ipſum ad remedia exprimenda ſunt. Vernaculæ ſunt nobis atq; domeſticæ naturæ opes, quibus uulnera coniungas,repurges ſordida,ſinus impleas & cicatrice tegas,cæteraq; præſtes omnia,quæ chirurgi opere continentur. Verùm ſuis cuique ſtudijs frui liceat.

Argumentum libri explicatur.

Nos ex immenſa,omnibusq; expoſita naturæ ſylua & maiorum hiſtoria, quæ iam publica uel multorum fide conſtent,remedia transferemus. Exhibebimúſque rudimentum operis ſuis quidem lineis deſcriptum, quod alius impleat, informet,ſuis denique numeris abſoluat.

Coſmographorum laus, ab exemplo.

Nos ſpeciem aliquam & formam argumenti adumbrabimus,ſecuti Coſmographum,qui totius orbis ambitum anguſta tabula contrahit.Idem enim condonandum nobis, cum non alios fines imperij, alios materiæ, de qua præſens inſtituta oratio,natura poſuerit. Genera quædam rerum,& præcepta artis primum explicabimus, utendi methodum & leges aliquas inſtituemus,ex quo cenſebitur particularis materia,& formulę deſcribentur,quas partim ars ipſa reperit, partim optimorum medicorum uſus atque experientia comprobauit.

Antidotariũ.

Antidotarium inſcribunt hoc genus argumenti,nulla ratione aut uſu ueterum,ſed ut fuit annorum licentia,è Græca uoce Latina analogia nomen detorſerunt.Multa nobis,plurima alijs reliquimus, ne uolumen quod quinq; libris Ioannis Tagaultij, & hoc de materia chirurgica commentario cogendum erat,in maiorem molem accreſceret:deinde non plus operæ hac in re licuit collocare nobis,quàm à quotidianis ſtudijs, ſtataq; interpretandi cura relictum fuit,idq; breuiori tempore,quàm hoc inſtitutum noſtrum, breue quidem,ſed uarium,expoſtulet.Ideóque dignum uenia, ſi contracto ambitu uerborum preſſaq; periodo,quędam deſcribentur.Et in tam numeroſa medelarum turba potior eſt uerborum moderatio, breuibúſque ſententijs res premenda eſt. Ad hæc ponimus idoneos eſſe huic doctrinæ, qui iam intincti fuerint præceptis artis,quam Ioannes Tagaultius ſingulari ingenio atque incredibili ſtudio informauit.

Lausoperis Ioannis Tagaultij.

In qua genera morborum diuiſa ſint, circunſcriptæ formæ,deſignata indicia,notata præſagia,inſtitutæ leges, ſcriptæ medelæ plurimæ: in qua quæcunq; collabebantur in diſciplina uetere, conſtituta: quæ uitium fecerant,reformata:tota denique ars,quaſi rediuiuo lapide inſtaurata eſt. Vnicam hanc partem operis interceptus negotijs in nos tranſtulit, quam ideò recepimus, ne & publica ratio deſeri à nobis, & officium neceſſitudinis repudiari uideretur.

Græcorũ pręſtantia.

Multa igitur è Græcis,quædam ex alijs tranſtulimus. Quæ à Guidone eiúſque notæ ſcriptoribus rudius tradita ſunt,paulò purius reddere contendimus,etiamſi intelligamus uitia corporum non curari eloquentia: Sed nec barbariſmo depelli poſſunt.Probamus quidem omnem orationem, modò ſententijs rerum,quaſi ſuo ſucco & ſanguine condita ſit. Melior tamen hæc, ſi neque neglecta, neque ambitioſa, ſed mediocriter culta eſt. Adde quòd barbariſmus ille multas ſæpe tenebras rebus attulit, & optima quæq; ſordeſcunt plurimis, quæ ſordidis,nec ita puris uocibus deſcribuntur.In damnandis quibuſdam rebus,authores Græcos adhibui: in remedijs ea ſelegi, quæ præceptis artis congruerent magis,quæq; ut res præſtò ſunt,facilius comparentur. Atque hæc præfati, ad inſtitutum opus ueniamus.

De repellentibus. *Cap. I.*

Aποκρουστικὰ Græci uocant,quibus & initijs fluxionum & poſt initia u- Vtilitas repel.
tendum eſt, quandiu uidelicet humor affluit, hinc enim phlegmo-
nes ortus atque incrementa,hinc uomicas,maligna ulcera, febrium
dolorumq́ꝫ cauſas, alia denique permulta uitia corporum declina-
mus.Ideoq́ꝫ principijs obſta.Sed uacuandum prius corpus eſt,ſiquidem poſtu- Vacuatio.
lat caſus,ac ferè poſtulat:quia in plethora & cacochymia,rheumatiſmi plurimũ
commouentur, quanquam etiam in mediocri uitio humorũ & copia, ubi phle-
botomo uel pharmaco natura leuanda eſt. Idem remedium ſæpius innouandũ, Modus.
ſi quidem metus eſt, ne cum incaluerit mora, affecta inde pars nimium recale-
ſcat. Vis quoque remedij uitio conferenda: Leuius enim pharmacum,ut lactu-
ca, in graui ardore fruſtra eſt: Fortius, qualis eſt ſuccus è pomo Mandragoræ,li-
uore inficit,indurat ſcirrhum, & aliquando ita reprimit, ut in uiſcera fluxionis
impetus rapiatur. Ad conſilium adhibenda hæc omnia,natura,ſitus, figura,ſen- Quæ ad conſiliũ adhibẽda.
ſus,robur partium,humoris copia,qualitas,corpus, uiæ prætereà per quas is il-
labitur:neque perpetuò ſatis eſt infirmo loco repellens auxilium adhiberi : ali-
quando enim ſuperius collocandum: ut ueluti præmiſſa manus uias intercipi-
at,ne quid transfluat,ubi uenarum ductus atq́ꝫ coniugia animaduertenda. Cæ-
terùm reprimentium natura admodum controuerſa eſt.Arabibus repellũt,quæ Conuerſa repellentium natura.
influxum prohibent,refrenant,craſſant,illinunt,oppilant, quæ denique robur
partium confirmant. In Græcorum libris aſtringentium materia cum repellen-
tibus ferè commiſcetur.Apud Latinos Cornelius Celſus ſcripta reliquit, quæ ſi
mul repellant atque refrigerent,& rurſus quæ ſine frigore repellant.Aurelianus
in chronicis alia ſcribit unà aſtringere atque reprimere, alia aſtringere quæ non
reprimant.Sed utriuſque,ut aliquot locis Arabum, in cenſenda materia non ſi-
ne uitio eſt oratio . Iuſtiſsima Græcorum ſententia, eaq́ꝫ nobis explicanda eſt. Græcorũ ſententia.
Repellit perpetuò quod frigidum eſt : frigidum aliud aqueum natura molli ac
ſoluta, aliud terrenum craſsiore materia, quod quia aſtringit & magis contra-
hit partes,efficacius reprimit:aut certè ſolum id efficit, ſi quidem ab actionis ue
hementia repellentibus nomen inditum eſt. Ac certè in rheumatibus præſtan-
tiſsima medicamenta ſunt,quæ cum quadam aſtrictione uehementer ſiccant ut
non mordeant:qualia terrena ſunt. Quanquam & alterum genus, quod aque-
um eſt,utcunque reprimit,& ex æquo frigidum uel terreno frigidius eſt, ac refri
gerio magis conuenit. Verùm præterquam quod humor frigore repercutitur, Cautio in aſtringentibus.
ſi quidem acceſsit conſtringendi uis, quod iam coijt, loco exſtringitur, magis
etiam ſi tenue eſt : & ſi quid reliquum ſit, ſæpenumero reſiccatur : confirmatur
pars,ut ſine pharmacorum ope quod poſteà influat, poſsit retundere. Verùm
hac parte prouidendum,ne quid nimis,ne cutis grauius contrahatur, craſſeſcat
humor,dolor exaſperetur, fluxio increſcat: grauius denique incendium irrite-
tur. Atque ut initio quidem te iuuiſſe putes, reliquum tamen & ſcirrhoides &
contumax perſiſtit, quod in poſterum ægerrimè diſcutias. Ac grauior metus ſi
quid uiſcerum infirmius eſt.Excipit enim celeriter quicquid retunditur: ubi o-
mnia firma ſunt,in magnas uenas & uiſcera citra periculum aliquid refluet. Vi-
dendum quoque ne ultra modum contrahas in materiæ copia, craſsitie, uitio,
molli uegetoq́ꝫ ſenſu corpore,dolore graui pariter & calore. Vbi laxanda poti-
us uia eſt,ut diffluat calor ac dolor temperetur:qui ubi cruciat uehementius,ad
laxantia & anodyna omninò confugiendum eſt. Aſtringenti ſimul atque repel-
lenti auxilio uis efficacior eſt,ſi quid tenuium partium uel natura inſitum,uel ar
te commiſtum eſt:modò non mordeat.Iuſto enim calore temperari poteſt,mul
to magis,ſi(quod fere fit)ab infirmitate fluxio,à frigore infirmitas orta eſt.Peſti- Vbi non repellendum.
feræ materiæ non occurrimus, ubi in ſuperficiem diuertit : ſed potius illicimus
atq́ꝫ rapimus ui maiore,ſi tardius mota reſiſtit.Neq́ꝫ diſsimilis ratio eſt in criticis

apoſtematibus,coxarijs,lue uenerea:ubi non repellenda in corpus,ſed forâs po
Oppilantia. tius materia trahenda eſt.Iam uerò quæ illinunt,oppilant, offarciunt, aliâs qui-
dem dolorem leniunt,aliâs acrimoniam hebetant,uiásque intercipiunt. Ex qui
bus ſi uis,reprimant:at reuera nonnunquam reprimunt, oleum roſaceum, om-
phacinum,myrtinum,oui candidum,aliáque id genus. At gummi genera, reſi-
na,gluten,farina piſtrinalis,gyris tritici, hydrelæo, oxelæo, rhodino, repellente
ſucco, auſtero uino diſſoluta, non tam ſponte ſua, quàm aduentitia ui repri-
Quæ calida aſtringunt. munt. Aſtringunt calida, folium, caſsia, cinnamomum, ſpica, aloê, crocus, cy-
perus, calamus aromaticus, myrrha, abſynthium, marrubium, polium, ſaluia,
centaurium, uina quidem auſtera,& aromata plurima. Reliqua uerò tum auſte
Materia repellentium. ra, tum acerba in proximum ordinem referemus. Leniter repellunt aqua, uinũ,
Aquea. lactuca,intyba,polygonum, trifolium,auricula muris, lenticula paluſtris, pſyl-
lium,liquor oui, umbilicus ueneris, ſemperuiuum,portulaca. In ſumma, quæ-
Omphacium. cunque frigida aqueo elemento ſoluta ſunt. Omphacium aſtringendo efficax:
Rubus. Solanum ambigit. Hoc potentior rubus eſt immaturo fructu & floribus: mol-
lioribus autem folijs & aſparagus plurimùm aquæ continet, ideóque leuius cō
trahit. Aſtringúnt uitium folia,& capreoli,plantago, ſorborum,cornorum,me
ſpilorum,piraſtrorum,cydoniorum,myrtorum, ſpinorum fructus & folia, rho-
donia,roſarum capita, obeliſci: deinde, ſed minus, ſemina, flores & folia: oxy-
cantha mediocriter: malicorium magis, cytinus, balauſtia, rhus, acacia, bolus
Quæ uehemẽter refrigerãt. armena, terra ſigillata, quercus, cupreſsi folia, germina & nuces. Vehementer
refrigerant pomi mandragoræ, hyoſcyami & papaueris ſuccus: quæ reliquis
interdum temperari poſſunt, ubi acrior inflammatio eſt, ſed prius auferenda,
quàm inde partes liuorem ducant.Spongia è frigida expreſſa partim contrahit,
fluxum inhibet,diſsipatq́; in uiciniã quod iam coijt.Eodem modo lana ſuccida
Aqua. & ſplenia auſtero uino inſuccata.Magis etiam,ſi aqua prius,galla & ſimilia inco
Vinum. xerint. Vinum aquæ præferendum,& maximè auſterum ubi reprimendum eſt.
Acetum. In deligationibus faſciæ uino inſuccantur. Acetum repellit, aſtringitq́; uehe-
menter. Caphura repellit, & tenuitate partium facilè permeat. Oculus populi
Roſaceum. ueteribus Græcis calfacit.Repellit gypſum oxycrato maceratum. Olei roſa-
cei frequens uſus eſt,ſed ſit ex oleo omphacino,in quo roſæ ſæpius mutatæ ma-
Ratio inolei. duerint. Quod annum ſuperat,exoletum eſt. Oleum omphacinum ſi deſit, re-
centi oleo & uuæ acerbæ ſucco unà coctis,dum ſuccus omninò exhalauerit,fin-
gito,& ad ignem ſaligno ramo uel ſimili aſsiduè commoueto. Oleum uerò nec
ſit cōditum ſale,nec ætate rancidum: in myrtino,melino, lentiſcino & ſimilibus
eadem uitia fugienda ſunt,uetuſtas,rancor,ſalſugo.Maſtichinum,nardinum,co
ſtinũ,aſtringendo roborant & calfaciunt. Vitioſum oleum,cum integrum deſit
tandiu eluatur,dum uirus exuat.Eluatur aqua uel ſimplici uel roſacea. Deſcri-
Olea factitia. ptæ materiæ oleum uim combibet,ſi uel materia ipſa,uel ſuccus eius oleo inco-
quatur.Plantaginem gratia exempli,oleo recenti & pari aqua aut uino coques,
Cautio. dum ſolum oleum reliquum ſit. In ardore nimio periculoſus olei uſus eſt, quia
Succorum uſus. calore incenditur & frigit.Expreſsis ſuccis melius utimur in lana ſuccida,panni
culis ac ſplenijs.Portulaca,ſemperuiuum,umbilicus ueneris ægrè ſuccum red-
dunt:niſi in mortario tritis aliquid omphacij uel liquoris ſimilis affundatur.

Cataplaſmata & cerota. Cataplaſmata fiunt farina in ſucco piſta.Ex oleis cerota coëunt, & ſuccis im-
buuntur.Remedia neque dura ſint neq; grauia,ne preſſo loco dolores augeant.
Cautio. Ceruſa cichorij ſucco & aceto leniter diluitur.Ceratum à pſyllio, Pſyllij uncias
Ceratũ è pſyllio. quatuor in aquæ lib.quatuor macerentur percoquanturq́;,expreſſo ſucco, ad-
Ceratum roſaceum. de roſacei libram unam: ceræ uncias ſex,contra articulorum rheumata. Non ab
ſimile ceratum roſaceum. Duplici uaſe cera cum oleo liquefit: ubi refrixerint,
conſperſa aqua commouentur,aqua reijcitur, ſuccus plantaginis affunditur,ut
quantum fieri poteſt,abſorbeant.Inflammationes,ſinus, ulcera genitalium quę
ſerpunt,

ſerpunt, adiuuat. In teneris corporibus idem ceratum coriandri ſuccum imbi- Ex coriādro.
bat. Coriandrum leniter aſtringit, alijs refrigerat, Galeno calfacit: utere incre-
mentis. Ceratum myrtinū & melinū magis aſtringunt. Herpetibus & nimio hu- Cerata magis aſtringentia.
more flaccidis ulceribus conuenit, Myrtini lib. una: ceræ unc. duæ: pollinis myr-
torum unc. una. In ceratis utendū cera, quā adoleſcentior apum populus confe Cera.
cerit: cerā uirgineam apiarij nominant, eaq; è nouis fauis ſeparanda. Alioqui ce-
ra alba utendum erit, non ſponte quidem nata, ſed factitia, qualis olim Tyrrhe-
nica, quia ſuauior eſt, & acrimonia hoc genus remediorum carere debet: ideó-
que præferenda cera è dulci ac diluto melle. In coagulato lacte & inde naſcente
inflammatione farina fabacea hydrelæo uel rhodino piſta, mammis imponitur.
Idem opitulatur teſtibus inflammatis διὰ χαλκίτεως contra rheumata hoc modo Διὰ χαλκί-
temperari debet: Adipis ſuilli recentis exemptis fibris unc. duæ: olei recentis, li- τεως.
thargyri, ana unc. tres: chalcitidis unc. dimid. Conficiendum arte medicamen-
tum: uſus tempore, unc. duas medicamenti, olei roſacei unc. tres colliquabis:
ubi refrixerint, aqua frigida, ſucco portulacæ pſyllij, lactucæ, uino auſtero, ut res
poſtulat, ſubiges, animaduertens quantum repellendum, aſtringendum, refrige-
randum, ſiccandum, leniendum, ut modò rhodini loco myrteū aut melinū mi-
ſceas: oxycratum hunc uel illum ſuccum alijs prǽferas. Quod ſequitur, exprimit
ulceribus quod influxit: & quod influit, repellit. Lithargyri unc. quatuor: olei De lithar. & hydrelæo.
dulcis uel rhodini unc. quatuor: aquæ unc. tres: lithargyrum die uno hydrelæo
coquitur: difficilius enim illiqueſcit: teneris corporibus & paruis ulceribus cō
uenit. Defenſiua uocant è boli armenæ parte una, terræ ſigillatæ dimidio, roſa- Defenſiua.
cei triplo, aceti uel ſucci repellentis dimid. Liquidis reliqua infriata cōmiſcen-
tur: uel à bolo armena liquore oui cōleuato: deinde affuſo ſucco è capreolis ui-
tium aut omphacij. Faſciæ ritè conuolutæ in repellentibus cenſeri poſſunt: qua Deligatio.
les in fracturis, & qui ab ulcere ſurſum adducuntur: ut aſtricta parte, & ita ductis
orbibus paulatim laxes. Similiter cum altero membro atrophia intabeſcente,
alterum deligamus. Vincula quoq; ſuperioribus partibus iniecta, quà uidelicet
materiæ curſus eſt. Aliquando etiam inferiores illaqueamus, ut cum è crure ex
halat uirus quod uiſcera appetat, quo & epilepſiæ & ſyncopæ cauſa præcidi-
tur. Sed in ulceribus plurimum & fracturis, uias laqueo comprehendere opor-
tet, ne ſi quid transfluat, dolor, phlegmone, putredo, ſyderatio, aliáque id genus
concitentur.

De attrahentibus. *Cap. II.*

Ελκτικὰ & ἐπισπαστικὰ appellata, uſu quidem repellentibus conferri Attrahentium materia.
poſſunt, ſed natura plurimū diſsident calida, tenui ſubſtantia, quæq;
ui quadam rapiant, quæ in alto corpore poſita ſunt. Ideoq; uiſcera, Multiplex uſus.
internumq; corpus exonerant, foràs translata materia: uenena in cu
tim euocant. Criticos abſceſſus accelerant, deſperatos pleuriticos & fortaſſe at
tonitos releuant: inguinū tumores amplificāt: quodq; uel peſtiferum, uel nimis
uitioſum medio corpore conceptum eſt, aliò pertrahunt. Tabidas ac uelut ſy-
deratas partes uitæ reſtituunt: perfrigeratas ſpiritu refouent: uitioſam ſaniē ex-
hauriunt, quæ neruis & cuniculoſis ulceribus latet: ſquāmas oſsium detrahunt,
coxarios iuuant: hydropicos exugunt: paxillos, clauos, ſpinas, ſagittas reuocāt:
multò magis ſi locus ulceris periculo inciditur, nec patitur æger anguſtiorē pla
gam ferro ampliari. Quod in uomicis ſtrumis, panis, ægilope, oculis, auribus, re-
liquisq; partibus altius deſedit, eliciunt. Multiplex ergo attrahentium uſus, ſed Differentia attrahentium.
nihilominus uaria materia eſt. Alijs ea uis à natura inſita eſt: atque in his modò
manifeſta qualitas elementaris: modò occulta quædam proprietas & naturæ fa
miliaritas attrahit. Aliud genus hoc habet, aduentitia qualitate ex putredine

contracta acrimonia. Calor Galeno omninò attrahit,ſed quod attrahit, nō pro
tinus calidum eſt. Aphrodiſæus aliud ſenſit. Attrahũt cucurbitulæ ſanguiſugæ,
pyulcus,ſuctus,dolor,uincula,frictio,cauteria. In attrahentium uſu aliquando
quod fuerit attractũ,corpore excludimus:ſed hic modus eſt, ne cum uitio par-

Quæ miſcenda attrahentibus.

tem frugi materiæ eripias.Nonnunquam tantum attrahimus, non etiam diſcu-
timus:ut cum in partem emortuam calor & ſpiritus attrahitur. Argenti ſpumã,
ceram,reſinam picem,oleum epiſpaſticis ueteres miſcuerunt, ut & temperarét,

Particularis materia.
Propolis.

& magis emplaſticum pharmacum efficerent. Quidam etiam aſtringente mate
ria obtundi uoluerunt.In primo genere ſunt dictamnus,propolis,cerã uirgineã
uertit Scribonius.Rudis eſt & craſſa materia in apum officinis,nondum cera:o-
dore graui,ut qua pro galbano ueteres uterentur. Ea mellatione uerna,ſeparari
poteſt fauorũ pars,quę cellas obſtipat.Sed iam exemptis fauis,peſteaquam mel
la defluxerunt,quicquid eſt in fauis, unà confundunt, ut nihil ſyncerum haberi
poſsit. Magna uerò ſynceræ propoleos uirtus eſt: ſpiritus craſſos & uitioſam
materiam ex alto elicit. Recens per ſe ſatis eſt mollis & pinguis. Sic in puncto
neruo agricolæ Galenus uſus eſt:quæ ætate induruit,oleo ueteri molliri debet.
In mollioribus corporibus oleo illiquatur.In duris lacte multo tithymalli:cum

Thapſia & uiſcum.

terebinthina ſatis attrahit. Thapſia recens utilis:bimula & uetuſtior exoleſcit.
Cerato miſceri ſolet:quæ quia ut uiſcum plurimum aquæ continet, quatuor &

Loco nitri fęx cremata uini uel aceti.

quinq; horas inſiſtere oportet. Radix arundinis cum melle.Sagapenũ,galbanũ,
ammoniacum,opopanax,calx uiua,cinis è fæce uini uel aceti quę loco nitri eſt,
ſtruthion,ariſtolochia longa,quæ & ſpicula,& ſquãmas extrahit,lepidiũ,ſinapi,
naſturtium,tithymallus,dracontium,pyrethrum,ramunculus,ſales,tum qui edi
poſſunt,tum ammoniaci.Quædã infriata affricantur,aut gummi & reſinis con-
corporantur.Lixiuiũ in ſubtili calidáque materia extillatum:ex eadem cinis A-
nemonæ,calamintha,narciſsi radix,cyclaminus.Sparthi quo uires alligant fru-

Acetum.

ctus,& è folijs ſuccus. Acetum,ſed hoc ſuſpectum,ubi ſiccitas,dolor, inflamma
tio,ulcus,aſtrictio,& à neruis dolor eſt. Cantharides ex polenta & melle piſtæ.

Medulla & adeps.

Medullæ & adipes ætate acrimoniã contrahunt: urſinus adeps, hyeminus,par-
dalinus,leoninus & alij,ſed hi maximè. In alopecijs & profluuijs capillorum ui

Oleum.

tium diſcutiunt,attrahuntq; quod ad capillitium utile ſit. Oleo & oleæ floræ,te

Sulphur.

la ſibi refigere elephantos,teſtis eſt Aelianus:uetus ſit oleũ tenue & calidũ. Sul-
phur infriatũ melle,oleo,terebinthina,ſaliua hominis,axungia.Idem in cenoſta
gmate feruefit dum enatet lentor quidam(oleum appellant)quem concha exci
pere oportet aliquoties commutanda aqua,dum ſatis olei collectum ſit,quo de
merſum corpore hydrargyron foras elici uoluerunt ſtatim illito à balneis. Eu-

Euphorbiũ.

phorbium recens acrius eſt:bimum trimumq; paulatim remittitur:quinto & ſe
xto anno exoleſcit.Cerato temperatur,quod uel decuplũ,uel duodecuplũ ole-

Modus euphorbij & ſimilium.

um habeat,& triplam ceram.Modus eſt ut tantũ erubeſcat locus & pruriat,non
uratur,nec ulcus contrahat niſi & hoc etiam neceſſe ſit.Cerato largiore dilui po
teſt quod eſt acrius:quod uerò languidius pharmacum,aucto euphorbio,cera-
to imminuto augeri debet.Eadem lex in reliquis eiuſmodi ſeruanda eſt. Ardor
affuſa aqua,aceto(quod uim thapſiæ efficaciſsimè diluit)ceruſa è rhodoſtagma
te lota extinguitur. Succus cyrenaicus medicus,opobalſamum & alia, quæ par
tim exoleta ſunt,partim uſui eſſe poſſunt, ex tertio de comp. pharmacorum κα-

Quæ trahunt aduentitio calore.

τὰ γένη,& alijs Græcorum libris repetenda.Aduentitio calore trahunt, fermen-
tum,ſtercus anſerinum,gallinaceum,columbinum,arietinum,humanũ,& quæ-

Mendicus lue uenerea curatus.

cunq; talia ſunt. Scatebat quidam è grege mendicabulorum lue uenerea: ali-
quot diebus uniuerſum corpus equino fimo obruit, ut tantum eſſet quà reſpi-
raret.Erat ſtercus ſtabularium,equino lotio ſæpius perfuſum, quodq; iam com
putruerat.Efficit ille hac arte,ut totum uirus exprimeret: addidit aliquoties en-
chriſton ex axungia,larigna,& hydrargyro. Nec alia uitæ lex ſeruata eſt, quam

mantica

mantica offerebat:atque his remedijs curatus eſt.Fermentum oleo incoquitur: fundit,liquat,ſurculos trahit,pedes cōtuſos ſanat,mollit,diſcutit.Axungia uete ri,larigna,terebinthina & reſinis liquidis piſtum efficaciſsimum eſt. Alias cum cepa cocta ſubigitur:coquit,trahit, diſcutit,aperit.Coagulum quo uetuſtius,eò efficacius.Ex echino animalium (quæ πολύκοιλα) lepore & uitulino marino colligitur.Lac eſt in lactentiū animalium uentriculo uel omaſo ita concoctum. Ariſtoteles ad alui profluuia utile facit magis leporinum:equinum Dioſco. Arabes & quidam è Græcis aſtringens frigidum,ac reprimens auxilium faciunt. Alij acrimoniam elementis, reliqua occultæ qualitati attribuunt. Hoc certò habet, quòd diſsipata cogit,& coacta diſſoluit.Magnes ferrum attrahit:repellit Theamenes.Succinum illicit feſtucas ignorata ui. Cancer fluuiatilis tritus tela extrahit:lacertæ caput:rana ſummis partibus reſectis. Cochlearum & limacum carnes aliàs per ſe,aliàs cum ſuis uolutis tritæ,ac miſtæ interdum coagulo, tela rapiunt atq; hydropicis aquam exugunt:non prius ſoluere oportet, quàm totus humor exudauerit. Oſtrea uiua peſtiferos bubones loco transferunt & ad ſe trahunt. Scorpio tritus & impoſitus, quod infixit uirus, retrahit. Oleum quod ex eo fit,idem efficit,& calculos educit illitum glandi, ſi in cole reſtiterint: uel pubi ac perinæo,ſi ſuperius inhæſerint. Cucurbitula ſumma ui rapit.Hirudines ſuperficiem ſugunt.Pus,urinas,calculos,ſuctus elicit: ore mundo ac prius loto ſit,qui exugit.Pyulcus,catheter iiſdem utilia ſunt:uincula,frictio, phœnygmus, dropax, ſinapiſmus, ferrum candens uel admotum uel impreſſum, calore trahunt.Sed hoc uiolentū remedium eſt.Verùm quæ non ſanant pharmaca, ſanat ferrum:quæ nec ferrum,ſanat ignis:quod Hippocratem in Aphoriſmis ſcripſiſſe uolunt. Miſta remedia ſunt theriaca. Pſoricum dupla chalcite & lithargyro, aut æquis partibus cadmiæ & chalciteos: uel duabus chalciteos & tribus cadmiæ:fortius eſt quod cadmiam,quàm quod lithargyrum recipit: minus acre lotis metallicis.Ex acerrimo aceto trita & fictili clauſa ſepeliuntur fimo. Hac arte macerata triplo dupló ue cerato excipiuntur. Ceratum ſeſquialtera ratione dupla, tripla olei,ad ceram conficitur.Ea metallicorum cura pharmaca tenuiora fiunt,facilius penetrant,& inde trahunt. Oleum fit uetus, ricininū, ſinapinū, ſicyonium.Raphaninum,è terebinthina,larigna, ſtrobilina, pilea, picea, abietina,arte chymica ſi uis diſtillatum: quæ reſinæ etiam è profundo trahunt, ſed in primis terebinthina, deinde ſtrobilina: in quibus non modò calor, ſed tenuitas partium in attrahendo ſpectari debet. Formulæ ſunt. Cerati unc. quatuor: terebinthinæ unc.dimid. liquatis immiſce puluiſculi, euphorbij drach.tres. Interioris fermenti unc. una:terebinthinæ liquidæ unc. una:concorporata plurimum ualent in punctis neruis. Propoleos acris & pinguis (nam cera uirginea abutendum non eſt)unc.duę:olei ueteris unc.quatuor:galbani unc.dimid.coēant ad ignem.Picis liquidæ,picis aridæ, propoleos, partes æquales. Lithargyri, ceruſæ,ſalis,ana drach.decem,ſeorſim tuſa, & cum olei unc. tribus in mortario piſta,ad ignem diu uerſentur,paulatimq; decoquantur.Lithargyri,ceruſæ,nitri, ceræ colophoniæ,ammoniaci,ana unc.una:olei ueteris unc.ſex : reliqua uncijs ſex lixiuij ficulnei dum non inquinent,concoquantur. Deinde cera Colophonia,ammoniacum,deinceps quidem ac paulatim adijciantur.Nucleorum è dactylis crematorum,nitri rubri,ſalis ammoniaci, uel gemmæ, ariſtolochiæ rotundæ,radicis cucumeris agreſtis,terebinthinæ ana drach. uiginti : piperis nigri & albi,ammoniaci,amomi,xylobalſami,myrrhæ,reſinæ ſiccæ,capitum lacertæ, lactei ſucci mori,ceræ,ana drach.decem:adipis caprini drach.quindecim : olei irini quod ſufficit ad emplaſtrum. Vix parari poteſt,niſi aduocata ἀντιβαλλόμενα cōfugias.Quòd ſequitur admirandum ad ſtrumas,ramicem gutturis,parotidas,omnem duritiem,& œdemata. Cupreſsi folia neque teneriora, neque duriora in puluerem comminues: tortiuo uino conſperges, atque ita uolutabis, dum in

Fermentum.

Coagulum.

Quæ qualitate occulta.

Cochlea.

Oſtrea uiua.

Scorpio.

Aphor. Hipp.

Pſoricum.

Quomodo tenuiora metallica.

Olea commoda.

Reſinę & inde olea.

Formula ex Galen. Orib. Aetio.

Relatū ad Andromachum.

Necepſonis è cupreſſo.

fęcis corpus coëant.Inde ſtruma uel ramex inducitur, tertio primum die ſolui-
tur medicamentum:contractum locũ inuenies,qui digitis exprimi debet. Rur-
ſus ad tres dies idem pharmacum applicabis, eodémque modo ſolues & expri
mes:ſeptimo die,uel ad ſummum nono, ſtrumæ uelut miraculo abolebuntur.
Exugit hoc ſaniem per poros affectæ partis. Olei antiqui unc.uiginti duæ: ceræ
albæ unc. quindecim:nitri uel ſalis torrefacti, aut fæcis crematæ uini unc. tres:
terebinthinæ unc. duodecim: lixiuij querni uel ficulnei unc. octodecim: cera
cum oleo liquatur: terebinthina adijcitur, refrigeratis nitrum conſpergitur, li-
xiuium paulatim affunditur: omnia piſtillo conuoluuntur. Plurima ex tertio &
ſexto de compoſitione pharmacorum κατὰ γένη. & 15. Aet. repetenda. De ſina-
piſmo, dropace, phœnigmo, & alijs alio loco. Addunt Apoſtolicon Nicolai,
Oxycroceum,& alia.

De reſoluentibus. *Cap. III.*

INCREMENTIS rheumatum diſcutiens materia cum repellente
miſceri debet. Inclinãte uitio diaphoretica pura ſint: & horũ unicũ
fortaſſe genus eſt:ſed clarior doctrina fuerit,ſi duplici differentia ſe
Ἀραιωτικά. paremus,ut alia quidẽ leuiora,quæ ἀραιωτικὰ: alia fortiora, quæ δια-
Διαφορητικά. φορητικὰ ui uis,appelles. Aræotica mediæ naturæ uicina ſunt eo calore, quem hu
miditas temperet:ex quo minimè ſiccant,dolorẽ leniunt,relaxant cutem,ſpira-
menta corporis rarefaciũt,tenuitate partiũ intrò penetrant,quodq; inhæſit par
ti,liquefaciunt:hinc ex humore uapor fit,qui ſubinde expirat, dum omninò lo-
cus detumeat. Et adhuc quidem ſatisfaciunt,ubi tumor in ſuperficiem exponi-
Conſilia in uſu reſoluentium. tur. Locusq; mollis eſt ac rarus,materia uerò calida,humida & tenuis eſt. Quòd
ſi in alto corpore humor deponitur:ſi idem frigidus, craſſus, glutinoſus: ſi dura
denſaq; cutis:ſi uiæ longitudo quædam eſt flexus & anfractus,iam ui maiore o-
pus eſt,uidendumq; non quale in præſentia, ſed quale futurum ſit medicamen-
tum,cum eò peruenerit. Ex quo nec acribus quidem parcendum erit. Etenim
pars exterior perferret,quæ ægra dolensq; tolerare non poteſt. Maiora uerò re-
media in diaphoreticis numerentur, iam uicina epiſpaſticis: quanquam utraq;
uirtus euocandi atque digerendi plurimis rebus inſita eſt: ſed ut in unoquo-
que uis altera ſuperat, ita genera diſtincta ſunt. In hepate, liene, uentriculo, at-
que id genus partibus, à relaxantibus metus eſt ne diſſoluant uires: ideóque a-
ſtringens materia,qualis eſt aromatum,miſceri debet. Frigida craſſáque mate-
Cautio. ria,incidente auxilio prius comparanda. Mollienda quoq; ubi durior concre-
uit,ex quo à leuioribus ad maiora remedia gradus paulatim fiat, ut ſine pericu-
Ab acrioribus cũ contingat. lo diſcutias. Alioqui difflabit tenue,lapideſcet quod craſsius eſt. Cum parte ſtu
pida,durius:cum ea quæ uegetius ſentit,clementius agendum eſt: quanquã ſtu-
pore partis abutendũ nõ eſt,ut ea imperes,quæ exulcerent. Sic enim ſenſile cor-
pus intabeſcet:contrahetur,non rareſcet:cogetur materia, non liqueſcet: hor-
ror,dolor,fluxio irritabitur:dehiſcent uenæ, omnia in deterius commutabun-
tur:multò magis ſi pharmaca craſsiore conſtent materia,& ſiccent. In phlegmo
ne quæ uetus eſt,uidendum nunquid affluat:id ferè accidit tumoribus qui inue
teraſcunt,ubi medela quæ reprimat,commiſcenda eſt. Poſteaquam uerò ſubſe-
dit tumor,ac nihil quod exhalet reliquum eſt,confirmanda pars,quæ longo ui-
Particularis materia. tio elanguit,multò magis ſi ſtatis periodis,rheumatiſmo uexari ſolet. Aræotica
ſunt chamæmalum,lini ſemen:in maluis efficaciſsima, althęa: ſequitur agreſtis,
domeſticæ uis nimio humore elanguit. Aqua calida utitut Hippocrates in fra-
cturarum exolutione,quam uocat ἐπίλυσιν: uinum exiccat, reprimit & digerit:
lana ſordida bene carminata inebriata uino,& inde preſſa:ceratum ſimiliter. Bu
tyrum digerit,mollium corporum parotidas,bubones,oris phlegmonas, aliaq;
innumera,

Innumera,ut per ſe ſatis eſſe poſsit. Oleum dulce,calens, & in quo illa efferbuerint. Olea. Sicyonium è folijs,fructu & radice cucumeris agreſtis. Crinelæon intinctũ Oleũ liliorũ cum croco. croco,omnes inflãmationes diſcutit. Oleũ caryinon,efficacius è rancidis. Nux Nux rancida. rancida per ſe,uel cum melle trita efficacisſimè ſuggillata rapit,inuritur,aut candente ferro premitur,ut reddat oleum quod optimè diſcutiat. Omne oleum concalfactum igne,quale eſt lucernarum,uel ignito ferro extortum,efficacius eſt. Oleum uetus,ricininum,canabinum,anethinum, quod è roſmarino,maiorana,zambace,leucoio,hyſſopo,alijsq́ eiuſmodi œnelæo coctis,dum omninò expiret uinum. Rhaphaninum,ſinapinum,melanthinon,terebinthinum,hypericinon,potenter digerunt. E radice bryoniæ & uocati ſigilli Mariç,cnico,grano gnidio,hydropicis & œdematis olea comparantur. E galbano,ammoniaco,& ſimilibus quæ molliant ac digerant. E dauco,caro,cumino,ruta,ut flatus excutias,cui rei galbanarium utile eſt. Si quid incidendum,detergendúm ue, aliquid aceti uel oxymelitis affundi poteſt, quo tempore abſynthium,polium, centaurium,iris,ariſtolochia,gentiana, urtica, hyſſopus, & ſimilia œnelæo incoquantur. Hîc uinum melius non aſtringens,giluum, tenue & odorum. In phymatibus & parotidibus duriorum corporum talia ex uſu ſunt. Braſsica per ſe, uel cum axungia trita,induratas phlegmonas & uetera eryſipelata diſcutit. Adipe & medullis recentibus laxando,ueteribus diſcutiendo utendum eſt. Maſtiche, furunculis: Ammoniacum & ſimilia chœradibus & articulorum tophis conueniunt. Fermentũ oleo piſtum,& cum cocta cepa miſtum,potenter coquit,mollit ac digerit. Pellibus animalium recens detractis, in contuſis uerberumq́ plagis uti conuenit. Fœnumgræcũ duris phlegmonis adhibendum. Acetum achoribus Acetum. & œdematis utile eſt. Agrippa concalfacto aceto pedes immerſit, unde in Agrippa aceto liberatus. tolerabili pedũ cruciatu liberatus eſt, περίαπτα collo appendũtur & ui latente, uel elementari qualitate uitia corporibus excutiunt,corallus, uiſcum, pœonia. Mirum eſt quod affirmant. Coluber è cauda ſuſpenditur ſubiecto uaſe aqua pleno,in quod ille dehiſcat ore: aliquot pòſt horis uel diebus lapidem euomit, qui in breui totam uaſis aquam combibat. Alligatur lapis hydropicorum uentri,atque in totum exhauſta aqua liberat. E ſambuco & ebulo oleum œdemata iuuat & hydropicos. Compoſita ſunt Cerata,quæ ſimplicia, oleo minus digerũt, Cerata. ſed fortius hærent. Oleum abietinũ,chamæmalinũ,anethinum, ſampſuchinum, & ſimilia,cum ſubquadrupla cera uaſe duplici colliquabis: liquatis duodecimã partẽ terebinthinę uel larignę cõmiſcebis. Iiſdem oleis & giluo uino erinaceus coquitur,dum putreſcat,oleũ pinguius relictũ arthriticis conuenit: idẽ è uulpe, lutra,mele,fieri poteſt. E lini ſemine oleũ mola exprimitur,cum ſarmentitio lixiuio ſubigitur, modicum larignæ ad lentorem adijcitur. Panis cibarius, ſalſus,fermentatus è ricinino piſtus,ſuggillata delet. Flauos mellis è uino friges,cum loliacea farina,momento butyri & larignæ ſubiges. Bdellium cum melle teritur: calx cum ueteri axungia: laſerpitiũ cum ſulphure: hæc omnia molliũt,tergunt, diſcutiunt. Sulphur cum oleo uetere,melle, terebinthina uel ſaliua miſtum, aut urina Sulphur. maceratũ,in uenenatis morſibus detergit,attrahit,diſcutit. Calce lota & recenti axungia miſta,in tenellis corporibus utendum erit. Lixiuiũ cum melle, farina hordeacea,fabacea,conuenienti oleo piſta,calidiori phlegmone conuenit. διὰ Vſus διὰ χαλκίτεως. χαλκίτεως uncia una, in olei ueteris uel ricinini unc. duabus liquefit, declinanti phlegmone: ante declinationem,& in uigore oleum ſit dulce ætate media. Orobi farina diluto oxycrato cocta,ut ſit calidum cataplaſma,craſſa & uiſcida ſecat & diſcutit. In contumaci uitio & minus calente: olei chamæmali unc. tres: ceræ drach. tres: axũgiæ anatis & gallinæ ana unc. una: chamęmali & anethi ana drac. duæ. omnia lento igne cocta percolantur,ut fiat unguentum. Olei ſicyonij unc. tres: ceræ drach. ſex: terebinthinæ .ʒ. duæ. In frigidiore materia ita temperabis: ſeminis fœniculi,aniſi,anethi ana.ʒ. duæ: farinæ lupinorũ,ſeminis fœnigræci, lini

ana unc.una,cocta uino,tuſa ex oleo & aceto imponantur. Papaueris cornuti folia cũ axungia & propoli pingui trita,ſtrumas,bubones & ſimilia molliunt atque diſcutiunt.Colophoniæ lib.una:ceræ ſeſquilibra:oleo liquẽtur:liquatis addito ſalis torrefacti unc.ſex.ubi refrixerint manibus conuoluito, cylindros uel magdaleones fingito,uſus tẽpore aluta intẽdito:adhibitũ hoc pharmacum,pus in ſe rapit,quod cum hæreat,eradi debet,ac rurſus aluta imponi, idq; ſæpius repetendum.Nam ueluti miraculo conditum pus emulget,& uitium diſcutit: ſed quia durius in dolore abſtinendũ.Eidem rei picis aridæ,ceræ nouæ ana lib.unã: olei lib.duas blando igne fuſa coniungito.Adipis porcini, picis, ceræ nouæ, ſaponis nigri ana unc.duæ: liquata tranſcolato, hydropiſmos & dothienas adiuuat.Vehementer diſcutit galbani,caſtorei ana unc.una,liquefiat in olei ricinini ſeſquilibra:expreſſo & colato oleo adde picis, terebinthinæ ana drach. quatuor,ceræ quod ſufficit,ut fiat ſolidum pharmacũ. Hæc aũt contumacibus uitijs imperãda ſunt in quibus eſt quod molliat,coquat,trahat,diſcutiat. Plura ſexto & ſeptimo de compoſitione pharmacorum κατὰ γένη,15.Aetij, & alijs Galeni libris.Partem chalaſticis fouebis,ex quo diaphoreticũ induces, quod initio quidem lenius:poſtea uerò ut ſubſideat tumor,efficacius eſſe oportet.

De mollientibus. Cap. IIII.

Malagmatum natura. Μαλακτικὰ ſunt, quæ modicè calida nulla ui ſiccandi uel humectandi manifeſta indurata corpora emolliunt,quanquã(ut omnia ferè multiplici natura coierunt)in malacticis cenſentur plurima, quæ primo ordine calfaciant,ſecũdo ſiccẽt ac tertio.Sed qua malactica ſunt,humido calidoq; elemento tẽperari neceſſe eſt.Plurimus uſus eſt in tumorib.quos

Vſus. σκίῤῥους Medici appellãt.Hi in muſculorũ finibus ferè concreſcũt: aliquando

Scirrhi genera in medijs muſculis,glãdibus,uiſceribus,ulcerũ labris,ex materia craſſa, lenta &

Scirrhus cancroſus irritatur malacticis. frigida,qualis eſt pituita &melancholicus ſuccus.Sed è melancholico ſucco omninò cancroſi ſunt,& malagmatis exaſperari ſolent. Inflãmationes in ſcirrhũ cogi contingit,ſi materia craſſa & lenta eſt:ſi adhibita pharmaca,quæ nimiũ ſiccent & calfaciant,qualia ſunt ἐπισπαστικὰ & ἑλκωτικά. Hinc enim tenue exprimitur,reliquũ occalleſcit.Sic eñ tophi in articulis, & calculi in renibus lapideſcunt.In tenui ſeroſaq; materia non ita metuendum:tota enim facilè

Cautio. exhalat. In craſſa & uiſcida omninò declinanda quæ ſiccant,diſcutiunt,aſtringunt:ſiquidẽ ſola molliendi cura eſt.Malacticis quod clementer digerat, interim commiſcemus,ubi iam malagmate cœperit tumor durus edomari. Phlegmone & eryſipelata in ſcirrhum degenerant nimis refrigerante atque aſtringente materia. Sed

Leges in uſu malag. à phlegmone ſcirrhus amplior eſt. In uſu malagmatum ceratæ ſunt leges. Primum enim cognoſcendum quantum pars ægra à ſua ſymmetria receſſerit,quantúmque uitium increuerit: ex quo æſtimandæ remediorum uires. Tum naturas partium diſtinguere oportet: poſtremò artificioſe colligendum, qua ratione emollias:num quid admiſceas quod detergat,incidat,diſcutiat. In quorum omnium uſu modum, occaſionem, quale,quantumq; animaduertas. Deſpera-

Deſperatus ſcirrhus. tur ſcirrhus qui ſic occalluit, ut iam ſentiat,& inde glabreſcat locus. Deſperari dico, quia nullo malagmate domari poſsit. Etenim reſcindi ferro, & ſeptis exedi poteſt, niſi à ſubiectis neruis, uenis & arterijs metus eſt. Scirrhus cui ſenſus aliquis uel obſcurus, ut magis minús ue induruit, ita leuius aut efficacius auxilium requirit. Mulieribus,eunuchis,pueris,urbanis,otioſam atque umbratilem uitam degentibus, lenior medela: meſſoribus, foſſoribus, duris omninò & laborioſis corporibus fortior utilis eſt. In lenta & contumaci materia miſcendum aliquid quod incidat, atque detergat:quod in chordis & tendonibus factitari ſolet.Tale eſt acetũ mulſum,uel per ſe, uel in quo hyſſopum, thymum,

pulegium

pulegium,& ſimilia præcoxerint.Eſt & hoc animaduertendum. Scirrhus quidã
ſimplex,alius φλεγμονώδης,ut quędã inflammatio σκιῤῥώδης eſt:Scirrhũ malacti-
cis diaphoreticis excuties: phlegmonem lenies & concoques. Vbi utrunque Particularum materia.
coijt,ut hoc uel illud ſuperat,ita remedia temperabis. Leniter emolliunt buty-
rum,œſypus & lana ſuccida:hæc oleo inſuccanda amygdalino, chamæmalino,
in quo ſemen lini,althęæ,fœnigræci:in quo maluæ, cucumeris agreſtis,& lilio- Olea malactica.
rum radix:tenella maluæ agreſtis, & liliorum folia, uel anethi cacumina præco-
xerint:in quo illiquatum fuerit aliquid galbani,ammoniaci,bdellij. Lentiſcinũ
terebinthinum,maſtichinum uſurpari debent,ubi molliendum,digerendum ac
leniter repellendũ.Hyoſcyamino locus eſt in calida & iam dureſcente inflãma-
tione. Hæc ergo olea in lana ſordida molliter apprimenda ſunt:hinc enim mul-
to cómodius malacticon impones.Omnia uerò prius intepeſcere oportet,et fri
gida omninò uitanda ſunt.Expreſſa oleorum materia, & cum adipe piſta,mala-
gmata confinget.In hoc quoq; genere cenſentur, uitellus oui, crocus, cera pin-
guis,caricæ pingues, κηρέλαιον è duplo oleo, ut ſit humidiſsimum: æquali, ut ſit Κηρέλαιον.
medium.Iam craſsius eſt,quod ceræ partes quatuor,& olei tres continet. Cari-
cæ pingues cum irino tritæ,ſcirrhis hepatis & lienis opitulantur. Id habet pecu
liariter ſcirrhus hepatis, quòd leniter mollientia deſyderat, miſtis aromatibus
quæ calfaciant & attenuent.Siræon è pinguibus caricis ad melliginẽ coctis mol Siræon.
lit,detergit ac digerit.Adeps & ſebum,utrunq; coquit,laxat & mollit:quæ quia Sebũ & adeps.
materia unde generantur, genere animalium, & loco ubi concreſcunt, natura
denique (nam adeps humidior eſt)differunt,cum Ariſtotele diſtinguas licet: ut
in natura molli,adipe,in dura ſebo potius utendum putes. Rurſus quia minimũ
eſt quod diſsident, miſceri poſſunt. Verùm utrumque genus natura & ſpecie
animalium,ratione uitæ & pabulo,ſexu & ætate: deinde quia hæc recentia, illa
uetuſta:alia ſyncera,alia condita ſale,aromate uel externa imbuta qualitate, di-
ſtinguendum eſt.Leniſsimus ſuillus adeps,axungiã uocant, in qua mirum eſt,& Mirũ axũgia.
experimento conſtare ueteres ſcripſerunt,quòd ea genibus alligata, redit in os
ſapor,ut etiam expui uideatur. Ex quo fortaſſe non unius hydrargyri qualitati, Tres naturæ adipum.
ſed totius miſturæ ex hoc & axungia illitis in lue uenerea, os grauius exhalat, &
ſaliua madet. A ſuillo ſunt uitulinus,hœdinus,caprinus,bubulus: quibus ſi uis
uulpinum & leporinum adijcies. Atque hi leniunt magis,& concoquunt. Effi
caciſsimus eſt leoninus, cui proximi ſunt hyeminus, pardalinus, urſinus, & hi
duriora corpora emolliunt. In medio ſunt taurinus,hircinus,ceruinus.In uola-
tilium genere efficax anſerinus,anatinus,olorinus:ſiccior è gruibus:ſuauis galli
naceus:calidior columbinus.Ex anguillis & piſcibus fluuiatilibus languet: hu-
manus mediocriter ualet ad omnia. Domeſticorum animalium pinguia humi-
diora ſunt,ut ſuum,quàm aprorum:è maribus ſicciora & calidiora. Caſtrati ma
res fœminis reſpondent.E iunioribus humidior, è ſenioribus ſiccior eſt adeps.
Pinguia oleo magis molliunt & calfaciunt,ætate tenuiora fiunt,& acrimoniam
contrahunt.Purgatur adeps exemptis uenis,quas fibras uocant. Salſus uel con Salſus adeps.
ditus aromate ſiccior eſt:cõſtat uerò pepticis & malacticis aduerſari,quæ nimi-
um ſiccant,quanquã Plinius conuenire ſcribit ſalſam axungiã mollire magis. Id
in ſuillo fortaſſe concedi poteſt. Recens adeps ſi deſit, & uetus ad curam reuo- Vetus adeps ut recens fiat.
candus eſt,liquefieri prius oportet, mox frigida ſæpius lauari: poſtremò etiam
uino quàm odoratiſsimo.Eo modo ſæpius liquatur,cogitur,lauatur aqua,dum
omne uirus exuat.Medulla in ſebalib.ſebo,in adipoſis animalibus, adipi reſpon Medulla.
det:uiſcera,chordas,tendines,muſculos emollit. Ex oſsibus humidior, è ſpina
ſiccior eſt.Prima laus ceruinæ,quæ nullis malacticis inferior eſt: uitulina ſequi-
tur,tũ ouilla & caprilla:acrior taurina quàm ut emolliat. Atq; hæc leuiora ſun-
to. Durioribus naturis conueniunt: Ammoniacum quod aceto liquari poteſt,
leniter decoquẽdũ,ne efferueſcat.Bdelliũ molle ac pingue ſaliua hominis ſubi-

gitur, mollit, coquit, modicè digerit. Styrax idem efficit. Galbanum præter hæc ſepton, & anodynon eſt: repurgatur, liquefit uino uel aceto, neq; coctionem ſuſtinet: his efficacior opopanax. Ladanum mollit ac repellit. Propolis ammonia co uicina eſt. Sint hæc omnia mollia & pinguia, pro ſua quæque natura. Malacticis reſinæ commiſcentur, quia hæc emplaſtica eſſe oportet. Reſinæ ſint, quæ acrimonia careant. Chia, larigna, picea, abietina, terebinthina. Pinea nimium ſiccat, ſtrobilina acrior eſt. Bitumen, pix aridior: in ſumma quæ nimium ſiccant, quæq; acria ſunt, reijcienda. Pix mollis & benè pinguis, qualis olim bruſcia, commiſceri poteſt. Succedit his miraculoſum ex aceto remedium. Scirrhus malactico oleo fouetur, tum emplaſtico malagmate inducitur: idq; aliquot diebus repetendum. Sitq; initijs leuius malacticum, poſtea etiam paulò efficacius, ac poſtremò aliquid aceti combibere oportet: ubi uerò mollior tumor extiterit, pyritem, lapidem molarem, aut filicem unde ſcintilla decutitur, candentem igne, acerrimo aceto demerges. Exhalabit plurimus uapor, quo ſcirrhus aptè in fumandus eſt cõiecta parte, & omninò præcluſa uia, ne diſsipetur fumus, ſed totus in ſcirrhum coeat. Locum uerò ſatis infumatũ oleo tepido fouebis, & ut prius, malagmate conteges: poſt dies aliquot aceti uſum reuocabis, ut ſit aceti & remediorum uiciſsitudo. Verùm neq; diutius neq; ſæpius halitu aceti pars uexanda eſt, ne in lapidem concreſcat, & neruoſum genus grauius lædatur. Sed ut molliendo profeceris, ita acetum repetes. Et in malacticis uſus ſimiliter interpellari debet: primum enim è caricis, medullis, adipibus, cera & oleis, exigua reſina, malagma conficies. Tum ut res ſuccedet, ad ammoniacum & ſimilia utendum: ac primum quidem citra acetum, poſt etiam cum aceto comparétur: quibus cum uino, uel altero die fueris uſus, ad ea quæ leniora, quæq; ſine aceto ſunt, redeundum: ut ueluti circulo quodam & è re nata auxilia repetantur. In muſculis & liene tutior aceti conſuetudo eſt. In chordis & tendonibus neque diutius neque frequentius utendum erit. Ammoniacum aceto fuſum manibus diducitur, ut ſit luti craſsitudo. Fermentum coquitur aceto, hepati duro & lieni. Ac fortius acetum in quo tritum hyſſopum, thymum, pulegium, & ſimilia manduerint. E lini ſemine hydrelæo cocto, & adipi miſto, althææ radice arida trita, uel in de raſa parte medullacea, reſinæ momento mediocre fiet malagma. πάρυγρον recens (ſi quid phlegmones) inueteratum alioqui, Heræ & ueteribus laudatum eſt. Adipis ſuilli recentis & bene purgati unc. quadraginta quatuor: ceræ unc. uiginti quatuor: ceruſæ, lithargyri ana unc. ſex liquabilibus fuſis, reliqua trita miſceantur. Aliud. Lithargyri, ceruſæ ana unc. tres: ſucci ſeminis lini, olei, ana unc. uiginti, ceræ unc. octo: adipis ſuilli unc. quatuordecim: Colophoniæ unc. octodecim: pernionibus & calloſis rimis calcaneorũ cõpetit. Διαλθαίων, carbunculis, clauis, furunculis: litharg. olei, ana lib. una: galbani libræ dimidium: ceræ, terebinthinæ, ana libram unam: radicum althææ, faſciculos quatuor: litharg. diu ex oleo teritur in mortario: cera & terebinthina fuſa commiſcentur: poſtremò radices tuſæ ligneo piſtillo concorporantur. Radicum althææ & liliorum, ana unc. duæ coquantur in hydrelæo ad aquæ conſumptionẽ, tum Recipe olei inde expreſsi, adipis ſuilli, lithargyri, an. libram unam: litharg. ol. coquitur dum non inquinet, & adeps commiſcetur. Colophoniæ puriſsimæ unc. duæ: ceræ albæ unc. quatuor, maſtiches unc. una: olei quod ſufficit, ut ſit iuſta craſsitudo. Terebinth. ceræ, ana unc. nouem: galbani, nitri, ana unciam: thuris pinguis, ſeſquunciam: medullæ cerui, uncias duas: propolis pinguis, ſeſquunciam: olei laurini, ſepi uitulini, ana drachmas duas uel eo plus, ueheméter molliet atq; diſcutiet. Violentum quod ſequitur, tantum ruſticorum, & iam præmollito ſcirrho. Caprinũ ſtercus ſolutum oxycrato, polentæ iunges, & affuſo ſi uis oleo, cataplaſma finges. Stercoris caprini unc. duæ: radicis cucumeris agreſtis, ficuum immaturarum, ana uncia una: ſtaphios, agrias, bdellij, farinæ fabarum, amygdalarum amararum, ana drach. quatuor.

Emplaſtica eſſe oportet malactica. Reſinæ. Aceti uſus. πάρυγρον. Aliud πάρυγρον. Διαλθαίων ueterum. Mnaſeæ ſecundi ordinis. Διὰ κόπρων αἰγῶν Gal. & Auic.

quatuor: fecis olei antiqui, quod ſit ſatis ad emplaſtrum. E ueteri caſeo ac iam putri, potentiſsimum fit remedium. Subigitur caſeus è iure in quo ſuilla perna benè pinguis coxerit. Tophos mollit quaſi miraculo coccũ cnidiũ deſquámatum, cum myrrha & aceto tritũ. διὰ χυλῶν, Aquæ ſext. uiginti [Orib. duodecim] radicum althęæ recentis, lib. tres: [Orib. quatuor] fœnigræci, ſeminis lini, unciæ nouem: [Orib. unc. octodecim] radices purgatæ, tuſæ, diem integrum macerentur aqua, poſtridie fœnumgræcum lotum fideliter & purgatũ adijcitur: tertio lini ſemen ſimiliter lotum eadem aqua in qua reliqua etiam dum madent, immergitur, quarto die coquuntur omnia ad craſsitiem, tum expreſſa & traiecta colo materia uſui ſeruatur. Iam uerò Recipe ol. pinguis ęſtate lib. ſeptem & ſemiſ. hyeme lib. quatuor: ſucci prioris lib. quatuor: miſta in primis coquito, dum bullæ extent, tum litharg. triti lib. duas ſedulò cõmiſceto, agitato benè puro foco, bullire ſinito dum non inquinent, & medicamentum colorem flauum iucundúmque trahat. Hoc ſublatum igne conuoluito rude, manibus ſubigito, in paſtillos fingito. Vſus tempore. Recipe paſtillorum unc. duas: ceræ, olei, ana unc. unã colliquato. Poteſt medicamentum alijs malacticis uniri, tam efficax, ut hoc unũ ſine alijs chirurgo ſatis eſſe poſsit: glutinat ſuperficialia ulcera ſolutum roſaceo, uel myrtino: aliàs implet & cicatrice tegit. Liquatũ chamæmalino, uulnera neruorum inflammatione liberat: podagricis quouis tempore opitulatur: ueteres uteri phlegmonas perſanat inditũ peſſario. E ſemine lini, fœnigræci, hordei, radice althęæ, ut prius maceratis coctisq́; ſuccus exprimitur: tũ libris duabus ſucci adduntur litharg. olei, ana libræ duæ: ceræ unciæ octo. lithargyrum cum oleo diu teritur, & cum cera leniter concoquitur, infuſo oleo: poſtremò ſuccus adijcitur, uerſantur omnia, & ſedulò cõmiſcentur. Sunt & alia διὰ χυλῶν malagmata, ut Alexandri è pſyllio, quod Aetius deſcribit: & Magnum Meſuæ ad ſtrumas ſine gummi, & gummoſum quodque paruum, album & magnum, paſsim conficiuntur. Paruo utendum in duris inflammationibus: album mediocres ſcirrhos adiuuat: magnum reliquis efficacius eſt. Eſt & διὰ μελιλώτου ueterum & recentiorum dialthæas de mucillaginibus. Oleo è maiorana & ſicyonio, aliisq́; id genus molliri poſſunt, & adiecto galbano & ſimilibus, fortiora reddi. Priuatim conueniunt duris inflammationibus mammarum, uiolaria & althęæ folia hydrelæo cocta, adipe uituli conteruntur ouorum uitelli duo, infecta croco commiſcentur. Hœdina capita, ueruecini pedes cum althæa & uiolaria percoquuntur: in expreſſo ſucco, oryza bene munda, & aſperiore linteo attrita, decoquitur: butyrum recens inijcitur: poſtremò cum iam corpulenta pulticula eſt, ouorum uitella croco tincta commiſcentur. Plura malagmata ſeptimo de compoſitione pharmacorũ κατὰ γένη, & decimoquinto Aëtij deſcribuntur. Sed octauo κατὰ τόπους alia ſunt quæ ſiccant, contrahunt, indurant, nec emolliunt: quanquam malagmata & Aſclepiadi, & Andromacho appellata. Quæ uerò malactica, corpulenta & emplaſtica ſunto, ſi neque dolor neque phlegmone prohibet. Locus oleo fouendus, ex quo ſubijciatur malagma remollitum pingui uel oleo ne celerius exareſcat: tum enim reuellendum eſt, & aliud imponendum: alioqui pluribus hærere conueniet.

E putri caſeo. — *διὰ χυλῶν.* — *Vis medicamenti διὰ χυλῶν.* — *διὰ χυλῶν Oribaſij.* — *Malagmata quæ uſurpanda.*

De ſuppurantibus. *Cap. V.*

IAM hoc genere utendum nobis eſt, cum ab alijs remedijs deſperatio eſt. Ac ferè maiores phlegmonę ſuppurant, pulſant, dolent. Dum pus conficitur, inquit Hippocrates, dolores fiunt ac febres. Suppuratis omnia ferè conquieſcunt. In ſuggillatis hæc eadem remedia ſæpe conueniunt. Sunt autem natura modicè calida & humida, ijſdem limitibus circumſcripta, quibus temperiem hominis definias. Ideóque eligenda

Quãdo & ubi pręcipuè utendum. — *Natura ſuppurantium.*

materia, quæ naturæ corporum elementari familiaritate conſentiat. Emplaſtica
ἐκπυητικὰ. ſunto ἐκπυΐτικὰ (ſic enim hæc appellant, ut ἐκπυητικὰ & πεπτικὰ) ut præcluſis inde ſpiraculis, natiuum calorem inhibeas, in quo cócoquentis naturæ robur eſt. Ita ſubſtantia quidem calor augebitur, neq; qualitate creſcet: ſolidæ partes confirmabuntur, inſitus humor ſaluus perſiſtet: diſsipabitur uerò qui inanibus ſpatijs alienus eſt. Ex quo uitium concoquetur, & conſuetudine partium ſimilarium exalbeſcet, fietq; tandem pus album, lene & uniforme: quod quia alimento eſſe non poteſt, exeſa cute uias ſibi faciet, atque ita effluet. Non abſimili ratione
χαλαστικὰ fiunt ἐκπυητικὰ. ne χαλαστικὰ uocata ἐκπυΐτικὰ fient, ſi acceſſerit craſsities partium: eodem modo quæ leniunt, calfaciunt & aſtringunt. Emplaſtica modicè calida, omnia concoquunt. Præit in ijs, quod eſt tenue: reliquum uerò uel contracta, uel illita cute uias intercipit, ne quid ſpiritus exhalet. Contrà uerò ſi expirat calor, nec emplaſtica materia eſt, nihil ſuppurat, & aliquando alienus calor ſuccenditur, unde putredo. Echecolla per ſe hærent: reliqua uerò uel gummi, uel reſinis implicanda uel commodè alliganda ſunt.
Malactica quo modo differãt à pepticis. Malactica calidiora ſunt, & leniter ſiccant, in ſitumq; humorem paulò minuunt: quo nomine à pepticis diſtinguenda, ne ſimilitudine fallant. In pepticis uitanda, quæ detergunt & uehementer calfaciunt.
Vitanda. Nihil enim quod ualde diſcutiat, pepticum eſt: & quod deterget, poros expurgat, quos illinere oportet. A ſiccantibus metuitur, ne frugi materiam exſorbeant: multò magis ſi prætereà calfaciant. Neque uerò contra nos faciet, quòd in hiſtorijs medicorum permulta peptica ſint, quæ miſtis diaphoreticis, deterſorijs atq; ſiccantibus temperentur. Qualitas enim rerum miſtura retundi poteſt, & multa uitia eodem tempore interdum coëunt, unde uaria miſceri neceſſe ſit.
Materia. Ac ſæpe facit abſceſſus natura, ut acria etiam miſceamus. Peptica ſunt, aqua temperate calida affuſa parti: modus eſt, ut inde erubeſcat locus, ac leniter extumeat.
Aqua. Oleum. Nimium fit, ſi inde ſubſidet aut expalleat. Hydrelæo & oleo pingui ac dulci,
Triticum, farina, panis. modice calido, & butyro ſimiliter utendum eſt. Triticum ore præmanſum, ſaliuaq; hominis commolitum ruſticis corporibus conuenit: leniora ſunt, farina tritici & inde panis, perpurgato furfure: diſſoluenda aqua, oleum uel butyrum additur: coquuntur omnia ut fit cataplaſma quod lenit inflammationes uulnerum, & celeriter maturat. Vbi calor aliquis ſupereſt, minus coctò pane ac recenti, quem uel hydrelæo uel pauciore oleo inſperſeris, utendum erit. In contumaci uitio, ſed minus calenti, panis ſiccior uberiore oleo molliri debet. Panis conditus ſale, efficacior eſt.
Farina hordeacea. Farina hordeacea per ſe inutilis, uerùm quæ benè purgato grano extunditur, & caſtratur furfure, eodem modo quo triticea comparari poteſt, hydrelæo cocta, conſperſa oleo, miſta butyro: ſic enim pus faciet, & calidioribus phlegmonis conferet, præſertim hydrelæo cocta. Tale fuit cataplaſma ueterum ὠμήλυσις uel ὠμὴ λύσις ex farina hordei, quod prius toſtum non
Ὠμήλυσις. fuerit: quanquam etiam licentia quadam ad alia farinarum genera nomen tranſtulerunt. Eſt & alia ὠμήλυσις ex farina hordei, fœnigræci, ſeminis lini, in ſapa coctis ad glutinis corpus, adiectis interim duobus uel tribus uitellis.
Adeps. Adeps ſuillus phlegmonæ familiariſsimus, deinde uitulinus. Taurino & caprino in duris frigidisq; tumoribus utendum eſt. Leoninus & reliqui huiuſmodi inutiles, gallinaceus & hoc paulò acrior anſerinus, uſurpari poteſt.
Pix. Pix & reſina in feruenti phlegmone, roſaceo: in frigidiore, uetere oleo, Sicyonio uel ſimili liquanda ſunt. Pix arida, qualis Coracina & Colophonia, uberiore oleo diſſoluitur: pauciore, quæ liquida eſt: mediocri, quæ natura mollis, digitis cedit, lentoris parti-
Picatum ceratum. ceps, qualis olim Brytia & Lycia. Picatum ceratum & anodynon, & pyopæon eſt, ideoq; inflammatis ulceribus conuenit. Reſina fit terebinthina & lentiſcina. Cera languidior, reſina acrior, confuſa ad ſuppurandum ualent. Eluantur prius, ſi quid acrimoniæ conceperint: molliantur oleo uel butyro cum exaruerint. Oeſipon ueteres in pepticis cenſuerunt. E flore lilij ſuccus exprimitur, ſuppurationes

rationes concoquit, & uuluas mollit, quod mel & ſyrion ueteres appellarunt. Syrion.
Siræon uerò melligo è coctis caricis detergendo & molliendo idoneum eſt. De Siræon.
coctum caricarum leniſsimum eſt, quod maximè coquit ac digerit. In aquæ ſe- Decoctum caricarum.
xtarijs ſex, pinguium caricarum lib. quinque decoquendæ dum ſextarij duo re
liqui ſint: magis maturabis, ſi inde piſta farina triticea, cataplaſma finges. Vbi ue Cataplaſmata.
rò digerendum magis ac refrigerandum, hordeacea melior eſt. Eodem modo al
theæ decocto, & uuæ paſſæ ſucco, farinas uel panem puriſsimum incoques, &
inde cataplaſmata intinges croco. Crocus coquit, & leni aſtrictione confirmat Crocus.
partes & poros contrahit. Pinguiſsimas paſſas, exemptis nucleis, per noctem Melligo paſſæ uuæ.
aqua macerabis, poſtridiè coques ad melliginem. Inueteratis & calloſis tumo- Efficaciora remedia.
ribus conueniunt, colla librariorum quæ ſit è puriſsima farina: uiſcum aucupa-
torium, ſtyrax pinguis, ladanum, galbanum, thus in corporibus temperatis mol
le, album, pingue, dumq; manditur minimè friabile. Rhodinum & Myrteum in
calidiore & dolenti phlegmone miſceri poſſunt: ut pix, reſina, uiſcum, colla &
ſimilia: ubi peruicax malum & platyſmata diutius hærere neceſſe eſt. Miſcentur
quoque ſtercus ſuillum, columbinum, caprillum, nitrum. Etiam notum muli-
erculis remedium, pueri ſtercus calidum, duris & inflammatis mammis: alijs
quoque partibus impoſitum. Certum experimento eſt, breui tempore conco-
quere. Ac in fœditate excrementorum auxilia inuenta ſunt: furunculos & paro
tidas mollit, ac ſuppurat cataplaſma è coctis ficubus, calce, iridis radice uel ni-
tro. Omninò ſi nitrum deſit, ſale torrefacto in mollioribus: uſta fæce uini uel ace Loco nitri.
ti, quæ acrior eſt in durioribus utendum erit. Fæx ſit recens, nam celeriter exole
ſcit: uulgò etiam nota eſt medela è cepis cineribus coctis. Tetrapharmaco uete Tetrapharmacum.
rum primas tribuit mouendo puri, non aſpernabilis author Cornelius Celſus.
Idem remedium à Græcis ſuppurando uſurpatum. Conſtat: pice, reſina, cera &
adipe: uſus tempore, oleo uel butyro ſubigitur. Pix ſit mollior, reſina fricta uel
Colophonia, quæ in teneris corporibus oleo molliri poteſt: cera pinguis, adeps
in mollibus naturis, uel ſuillus, uel uitulinus: in durioribus, taurinus uel hirci-
nus. Hoc tetrapharmacon Paulus baſilicon, Scribonius emplaſtrum Ariſti ni-
grum appellauit, & aliud baſilicon deſcripſit. Tetrapharmaco thus additum fa
cit Macedonicum, quod & pepticon eſt. Baſilicon minus, hoc imbecillius com Macedonicū.
mutato adipe in oleum, quanto adeps oleo efficacior eſt. Sic oleum quoq; ua-
riè commutare licet. Oleo rhodino, myrtino uel ſimili, tetrapharmacum durius
molliatur, ut corpus & affectuum natura exigit. Mirabile hoc ad molliendum
& ſuppurandum. Ceræ terebinthinæ, medullæ, cerui, adipis uituli, anſerini, bu-
buli, butyri recentis, mellis optimi, olei roſarum, myrrhæ, ana uncia una. Mirrha
cum melle ſubigitur, & prunis leuiter incoquitur, ex quo reliqua adiecta ſedu-
lò miſceantur. Picis unc. una: ceræ unc: tres: axungiæ ueteris purgatæ unc. ſex: a-
dipis taurini, œſypi ana unc. tres: reſinæ pineæ uel magis piceæ unc. quinque: li-
quatis utitor. Reſinæ unc. duodecim: ceræ æruginis raſæ ana unc. octo: ſepi uitu- Viride Andromachi.
li unc. duæ: aceti, mannæ, ana unc. una, manna & ærugo cum aceto liquantur &
conteruntur: reliqua diſſoluta commiſcentur: mollit, coquit, purgat, digerit. Ce
parum & alliorum coctorum in cinere ana lib. unam: uitellorum numerum qui
narium: radicis lapathi coctæ lib. dimid. farinæ, fœnigræci unc. duas. axūgiæ lib.
unam: fiat corpus. In frigidis & craſsis humoribus conuenit. Locus oleo pepti- Vtendi mod°.
co, ſucco uel hydrelæo foueatur, ſympepticon medicamentum inducatur, mol
lis ſtuppa uel lana ſuccida ſuperponatur: omnia decuſſata faſcia colligentur, ut
qua parte diuiſa faſcia eſt, conus abſceſſus aduertat, nec affectum locum oppri-
mas: ſemel in die uel rarius commutari debet, niſi uel doctor urgeat, uel pharma
cum exareſcat: ita uerò formari ſymptetica oportet, ut neq; liquidiora diffluāt,
neque corpulenta nimis locum opprimant. Iuſtum corpus eſt cerotomalagma
tum & emplaſtrorum, ac quod antè dictum eſt ἐγχίσμα & glutinoſa eſſe melius

eſt, ut per ſe ſine uinculis hæreant: quanquam & emplaſticis lanam ſuccidam, aut mollicula ſplenia ſuperdari & omnia colligari nihil prohibet, idq; hyeme magis & frigore.

De aperienda vomica. *Cap. VI.*

Noxæ ſuppreſſæ ſaniei.
QVAE ſuppuratio ſponte ſua nō rumpitur, ferro, igne uel medicamentis aperienda eſt. Alioqui ſerpit ſanies & cuniculos agit: uenas, neruos, arterias & uicinia corpora depaſcitur: atteruntur oſſa & cariem ducunt, liueſcit cutis, & in rugas quaſi ſenio marceſcens cōtrahitur: idq; metuendum magis in digitis, articulis, partibus corporis quæ in decliue patent. Sic enim parotides femorũ, abſceſſus in fiſtulas cauantur, & quæ facilè putreſcunt, qualis anus eſt, os & loci genitales. Quare etiã ſi tumor nondũ ſatis maturuit, ea pericula ferro anteuertunt, multò magis ſi peſtifera aut uirulenta materia, uomica includitur. quanquã animaduertendũ, ut ne nimis citò. Nunquã enim uis naturæ gratis inferenda eſt, ſed ſemper aliquid beneficij, nihil maleficij

Cautio.
proponi debet. In uomica quæ tardius erupit, membranæ, neruacea corpora, & alia ſemiputria ſæpe occurrunt, quæ nec intempeſtiuè reſcindenda ſunt. Sua enim putredini maturitas eſt. Alioqui noua inflammationis & cōuulſionis pericula creari ſolent. Neq; perpetuum eſt aperire ui, quod ſuppuratũ eſt: ſed ſi nullum in mora periculum apparet, diaphoreticum remedium imponendũ, quo loco mollior abſceſſus eſt, & digito cedit. Sic enim ſanies exugi poteſt, idq; facien

Animaduertẽda in uſu ferri & ignis.
dum magis cũ alta parte uomicæ, nō decliui, ſuppuratio ſe colligit. Quod ſi ferro uel igne utendum eſt, prius animaduertere oportet, ne quod uas inſigne, neruus, tendo, uinculũ, ne quid neruoſum, quales membranæ quædã ſunt, aut potius lati tendines conuulnerentur. Parcendum etiã quibuſdam partibus, quæ uegetius ſentiunt, & à quibus uis ignis ad principia tranſeat celerius. In muſculis fibrarum interſtitia cultello ligneo uel digito diducenda, ne fibræ præcidantur: idq; cum in profundo ſanies reſedit. In his omnibus anatomica diſciplina opus

Vbi cauteria periculoſa.
eſt. Cauteria periculoſa, occipitio, temporibus & ubicunq; caluaria mollior eſt, ubicunq; uel exitus neruorum uel aditus uaſorum eſt: nec ea ipſa oculus ſuſti-

In capite.
net. In cranij fracturis, ubi modiolis, cycliſcis, terebellis, uia puri fit, à ſuturis ner

In collo.
uorum radicibus molliori oſſe ferrũ declinamus. In ſtrumis & colli abſceſsibus, à carotide arteria, uena ſphagitide, uocali neruo abſtinendum. Illinc hæmorrhagia, quàm ægrè ſupprimas: hinc uel omninò mutus, uel certè ſemimutus homo

In exteriore humero.
relinquitur. Exteriore parte humeri tendo eſt, qui ignẽ ferrumq; non ſuſtinet. In

In meſopleurijs.
empyicis & deploratis pleuriticis ſcalprum & cauterium inferiore parte meſopleurij collocamus, quia uidelicet ſuperiore uena, arteria, neruus eſt. In extre-

In ilibus.
mis ilibus multi ſunt tendines, multa uaſa coeunt, ex quo uomicas hac parte

In ſede.
prudenter aperire neceſſe eſt. Inuritur carnoſus podex, & ferrum ſuſtinet, non

In genitalibus
ita quod illic neruaceum eſt. Eadem ratio in genitalibus ſeruari debet, ubi ab arterijs cauendum, quæ illuc plurimæ coeunt, hiantq; maioribus clauſulis: nam

Sub natibus.
inde hæmorrhagiæ non ita facilè ſupprimuntur. Sub natibus, neruus eſt, qui ſi iuxta ſuppurationem præciditur, aut nudatus uiolatur frigore, ſubiectum crus ſtupidum relinquit. Idem animaduertendum in reliquis partibus, ne nudi ma-

In bubonibus
neant nerui, & frigore contrahantur. In bubonibus glandulæ ſunt, quas perreptant uenæ & nerui. Ideóque ſi quando inurendum, apprehendenda prius cutis eſt, & in uulneribus quæ ferro fiunt, eadem ratio ſeruari debet. Hoc reliquis par

In articulis.
tibus commune eſt, quibus ſubiectæ uenæ, nerui & arteriæ. In articulis perpetuò

In iſchiadicis.
ſuſpectus ferri & cauteriorum uſus. Ideoq; iſchiadicis inferiore parte, quàm malum eſt, ignem adhibemus: in perinæi tumoribus qui inciduntur, ſummoperè cauendum, ne quid intus uulneres, quod poſtea ægerrimè glutinetur. Hæc omnia

pericula

pericula facilè declinabit & alia, quæ breuitatis ſtudio omiſſa ſunt, quiſquis in
anatomicis operibus fuerit exercitatus. Alioqui ſæpenumero errare neceſſe eſt.
Et quia non ſemper ſimiliter ſed uariè, nerui, uenæ, arteriæ, in corpus diducun-
tur, ſi quid è profundo reſcindendũ ferro, lentè quidem & perpetuò duce ocu
lo culter dirigendus eſt. Id quod in ſtrumis, & ubi pus altius deſedit, facere o- **In alto pure.**
portet. Primum ergo cutem nudabis, ſi quid uaſorum aut nerui occurrit, idip-
ſum digito uel ligneo ueruculo ſeparandum diſtinctis fibris, nec ita momenta-
neis membranis, quibus illa inter ſe coniungãtur. Atq; ubi ad locũ perueneris,
in quo colluuies latet, & iam omnia tuta ſunt, opportunè parti gladiolum infi-
ges, & ita uomicam repurgabis. In reliquis uomicis uidendum, ut quantum o-
porteat, culter deſcendat. Profundius uulnus hæmorrhagias commouet. Super
ficiale ſæpenumero fruſtra eſt. Eodem modo cauterium ſuperficiem exurit, uel **Cauteria.**
altius imprimitur. Et hoc quidem in molliore corpore mollius, quale è ſubere, **Figura uulnerum.**
& quibuſdam radicibus configi poteſt. In metallicis aureum æneo & ferreo cle
mentius eſt. Sed de his alio loco pluribus. Rectum uerò, an tranſuerſum, uel ob-
liquum uulnus eſſe debeat, figura partium, flexus, rugæ, fibræ primùm indicant,
quemadmodum conſilium iuuant ſubiecta uaſa & corpora: præterea in collo,
qua parte eunt uena, arteria & neruus, rectum magis quàm tranſuerſum adigi-
tur. Alioqui tranſuerſum melius. In fronte è rugis trãſuerſum ſit, nec ita profun-
dum, quia membrana ſubeſt: alijs rectũ placuit magis. In inguinibus è flexu trãſ-
uerſo ducitur: duplex interim anguſtum, & oblongum in myrti folium. In uen-
tre, niſi flexus prohibeant, ut ſunt fibræ muſculorum. Eodem modò in reliquis.
Simplex aliquando ſufficit decliui parte, duplici aliquãdo & trigonio opus eſt.
Atq; omninò ea parte ſcalprum imprimitur, quæ mollior digito cedit, magis a-
cuminatur: & qua commodius ſanies effluat, ἀπόῤῥυσιν appellant exanitionem: **ἀπόῤῥυσις.**
uel ut alij, exanationẽ, in qua & ἐπιδιαίρεσις eſt & ἀντιδιαίρεσις. Nam ubi propen- **ἐπιδιαίρεσις**
ſa parte foramen eſt, facilè purgatur ſordes: ubi uerò in ſublimi reſtitare ſolet, de **ἀντιδιαίρεσις.**
orſúmque ſubſidet, & ſinuat: ſiquidem uomicoſa pars nequeat pro arbitrio cõ-
mutari. Quale eſt in trunco corporis, ac ferè capite & parotidibus. In manu &
crure, etiamſi altius os ulceris poſitum ſit: poterit tamen ita inclinari, ut ſanies
liberè excurrat: tumq; manus quidem è mitella ſuſpendi debet, ut carpus gib-
bero ſit altior. Crus autem puluino innitatur, ſublato genu & decliui in coxas
femore. Vtrunque ea ratione collocandum, ut ſine dolore ita perſiſtat. At ſi cui
parti id denegatum eſt, nec ea poteſt pro libidine conuerti, aduerſa parte uul-
nus inferendum, quod ἀντιδιαίρεσιν appellant. In alijs quoq; manu & crure, quæ
commodè inuerti poſſunt, cum ſinus longior, cuniculoſum ulcus, ſordes ube-
rior, etiam aduerſa parte lanceola immittitur, ui duplici exitu dato, uitium cele-
rius expurgetur. Eſt cum ab ore ulceris ad fundum ducto gladiolo tota cauitas
detegitur, ut in fiſtulis: nonnunquã anguſtius orificiũ ferro ampliatur, aut quod
amplum quidem ſed rotundum, aucto uulnere in longum, aut aliter deforma-
tur. Sed hoc non tam purgando, quàm glutinando fit. Quibuſdam locis pluri-
mæ concurrunt arteriæ, plurima uitalis ſpiritus materia eſt. Hic paruo uulnere **Cautio.**
cõtentus eris, ne confertim ac ſemel erũpente ſanie, ſimul magna uis ſpiritus dif
fluat, unde animi deliquia, & nec opinatæ mortes conſequantur. Et hæc quidẽ
de ferro & cauterio in aperiendis uomicis breuiter dicta ſint. Reliquum eſt, ut **Medicamenta**
eodem compendio de medicamentis quæ aperiunt, dicamus: quibus ideò uten **aperientia uomicas.**
dum, quia mollior æger eſt, quàm qui uel ferrum uel cauterium ſuſtineat: quan-
quam medicamenta hæc cauteria quędam ſunt natura quidem cauſtica. Ideoq;
à quibuſdam ueterum cauteria frigida uocata, à recentioribus potentialia: cau-
teria quidem, quia reuera urunt: frigida, ut ad ferrum & ſimilia quæ igne rutilẽt,
comparentur. Neque tamen ſic urunt, ut quæ cauſtica & ſeptica poſtea deſcri-
bentur. Theriaca igitur adhibita, uomicas aperit: urticæ ſemen è uino tritum,

frangit,purgat,incarnat,cicatrice tegit.Cauliū radices uſtæ, tritæ & uetere axungia excerptę,ita è radice cannæ,uolutis oſtracodermωn,& teſtis prius crematis: adeps collectus è ranis uiridibus arboreis:lac ficulneum & tithymalli, cantharidum puluis,batrachij caulis & folia:caninum ſtercus album tritum:terebinthina uel adipe uetere concorporantur.Melligo anacardina ſimiliter excepta. Sed hæc ita inſiſtere oportet,ut aperiant,nec cruſtas ducant. Miſtum eſt: Fæcis cremati uini unc.duæ:fimi colūbini,propoleos,ſalis torrefacti,æruginis,ana drach. tres:aquæ marinę,uel in qua ſubduplum ſal illiquauerit unc.unam: olei antiqui aut feruefacti unc.duæ: arida ſeorſum tundito, æruginem, fæcem, ſalem in mortario ſimul terito: tritis in puluiſculum aquam conſpergito, & iterum oleum miſceto, ut fiat unum corpus. Ex quo fictili uaſe placido igne omnia coquito, dum tota exhalet aqua:poſtremò præmollitam propolim imponito:& ubi ſublata igne paululum refrixerint,columbinum fimum inſpergito, puſillæ plagulæ & oblongæ,quantum medicamento opus eſt inducito,& conuenienter adaptato:tum amplius ſplenium malagmate illitum ſuperdato. Fimi columbini,nitri, ana drach.quatuor:caricæ,ſeptem:quibus arida trita cōmiſceto, ac benè pinſito inducitoq́ue ut prius:quòd ſi durius medicamentum uidebitur,purgatā axungiam & mel coniungito. Arſenico,puluere angelico uel uocato mercurio, prudenter utendum eſt, ut habeatur ratio corporum & uomicarum. Excipiantur butyro,axungia,terebinthina,uiſco.Superponendum folium ex ijs quæ leniunt uel molliant: alioqui ſplenium epiceraſtico, uel malactico illitum. Obſeruandum in uſu horum medicamentorum, ut æſtus uomicæ & phlegmones acquieſcat: ut quantū uulnus eſſe uelis, tantum ſplenium conſtituas, in quo aperiens pharmacum poſitum eſt: uidendum ne uenam,neruum,arteriam uioles, ne diutius relinquas. Quòd ſi dolor acciderit,non committendum diutius ut uexetur æger, ſed ſtatim reuellendum pharmacum,& leniendus dolor eſt, pauloq́ue clementius agere oportet.Minus uexabit pharmacum,prius fota parte laxante remedio.Epiceraſtico iam facto uulnere,temperandus calor. Plura libro decimo quinto Aëtij,& capite de pyroticis.

De purgantibus. *Cap. VII.*

Ratio purgandi.

SEQVITVR ut purges.Ac ſi uomica dehiſcit foràs, neque fiſtuloſa eſt,molli flocco uel linteolo tum ſinum ipſum,tum labra ulceris expurgabis:deinde medicamentis in concerpto linamento cauum implebis dum rubens, ac nimium neque ſiccum, neque humidum cauum extiterit. Quòd ſi non ita expoſitum uitium eſt, ſed intus latet, difficilior cura eſt. Et ſi quidem capite includitur, neque per aures, nares uel aliter diffluit, modiolo, cycliſco ac terebellis patefacere uiam oportet. Ad thoracem unica ferè uia eſt ab ore per aſperam arteriam, niſi uulneris orificium in ſuperficiem ueniat: hic pyulcis, collyrijs, ſuctu, ſuppuratio exorberi poteſt ijſdemq́ue machinis, uel melicratum, uel aliquid tale inijcere licebit, ut aliquid ſputis repurgetur. Ad uentriculum & inteſtina prima per gulam aditus eſt. Clyſteribus

Καθαρτικὰ.

inteſtinum craſsius expurgabis. Medicamenta uerò καθαρτικὰ detergant modicè,& ſiccent.

Triplex excrementum ulcerum.

Detergenda ſordes, quæ corruptela corporis concreſcit. Exiccanda ſanies, humidúmque recrementum, quod ſtata naturæ lege ab alimento partis reliquum fit, aut aliunde illabitur: ac ῥυπτικὰ peculiariter appellant, quibus uis purgandi data eſt.

Vitanda.

Vitanda quæ aſtringunt, unde ſordes pertinacius inhæreat: quæ laxent, unde robur partium elangueat: acria, ut quæ colluuie ſordium cauum impleant. Sale & eadem materia ideò abſtinendū,quia ut detergant, aſtringunt tamen,& ſordes impingunt,ac ſæpenumero uellicant. Hęc autem ita inaudire neceſſe eſt, ſi non ſerpit ulcus, atque putredine uicina depaſcitur: ſi

non

non eſt callus, aut aliquid tale unde conſiliū euariet. Vt ſunt corpora & ſordes ulcerum, ita qualitas remediorū diſtingui debet. Adde quòd uel recens, uel inueteratum malum eſt. Molli corpori, recenti malo, nimium neque ſordido neq; humido, parti præterea ſenſus acrioris leniora auxilia conueniunt. In contraria conditione, contrarijs conſilijs locus eſt. Quòd ſi pars aliqua apoſtematis maturuit quidem, & pus reddit, alia uerò cruda eſt, huic ſympeptica, illi cathartica: ſi quid durius, illic malactica: ſi quid phlegmonodes, lenientia ſuis quæque locis eodem tempore accommodabis. In purgando plurimum ualet recta abluendi ratio, de qua obiter dicendum eſt. Vbi ergo molli uellere, uel linteolo ſinum & labra exterſeris, ſi præterea abluas, magnoperè curationem adiuuabis, ut ad cætera per ſe natura ſufficiat. Itaq; ſi ſanies acris eſt, ſero: ſi copioſa ſordes, melicrato: ſi multa ſimul & acris, ſero in quo ſacchari octuplum, uel tantundem mellis diffuſum ſit. Cum iam cœperit cauum eſſe purius, œnomelite: pòſt etiam uino è dulci auſteriuſculo utendum erit. In fœtido ſinu putri & cruento, oxycratum conuenit. Acetum, oxymeli, œnomeli, dilutum marrubij, abſynthij, aloës, myrrhæ, pauculo conditum melle, putredines efficaciter iuuāt: & aſſato melle uti, melius fuerit. In fluxis, humentibus & malignis ulceribus, ex atramento ſutorio, & caricis in cinerem uſtis, puluiſculus œnomeliti inſpergitur. Nec improbandum ligni ſancti remedium. Alij œnoſtagma probant, quia ſiccat, & putredinem prohibet, cui aliquid mellis infundere licebit. In nomis, phagedænis, chironijs, & omninò malis ulceribus, ueteres uſi ſunt ijs quæ & detergant & aſtringant: ſed hæc rectè diluas, ut liquida infundantur. Ideoq; aqua aluminoſa, uel in qua malicorium, myrta, cæteraq; eiuſmodi coxerint, uſurpari poſſunt: uerùm melius fuerit detergente materia prius expurgare, quàm aſtringentia inijcias. Lixiuium è calce ſæpius elota tergit & ſiccat, nec ſine re laudatum eſt. In calloſis, ægrè cohærentibus, cuniculoſis, nimium ſordidis, ex cinere ficus, tithymalli alijsq; id genus lixiuium fit, quo quotidie ſinus perfunduntur. Canceroſa adimit, quæ è ſanſa.i. oliuæ nucleo comparata eſt. Aqua è larigna deſtillata, & reſinis eiuſmodi detergendo idonea eſt. Melicrati, & eorū quæ mel uel ſaccharū recipiunt, modus eſt, ut ſit decupla, ſexcupla uel octupla aqua, dilutiore uti oportebit, cum iam purior ſinus eſt: in ſordidiore acrius conuenit. In ulcere ſatis expoſito linteolū prius inſuccatur, leniter exprimitur, inſinuatur cauo: humidiori, exactiſsimè triti puluiſculi inſperguntur. Sicciori & quod ſorde offarctū eſt, emmota uel ſine tiltis pharmaca mollia imponūtur: ex quo bene carminato uellere, os ulceris obſtipandum eſt: deinde ſuperponēda mollis ſpongia, uel quod Syriaca & iam uulgari lingua cotton appellatur. Alioqui linteo aliquoties in ſe cōuoluto, tota ulceris regio contegenda eſt. Atq; hæc omnia uino inculcabis, & expreſſa inijcies. Poſtremò artificioſe colligabis. Omninò tamen cauendum erit, ne quid durius aut grauius ulceri incumbat. Poſtea uerò quàm tempus redierit, in quo uincula ſoluantur, atq; reuellantur indita cathartica, recognoſcendum ſedulò, quanta qualisq; ſordes fuerit. Si enim minor appareat, bene eſt. Optimè uerò ſi durum ulcus eſt, & iam aliquid carnis ſuccreuit. At ſi ſolito magis ſordeſcit, ita diſtinguendum eſt. Nam ſi cauitas maior, nouus calor & dolor affuerint, id acriori medicamento attribues. Temperabis ergo cerato roſaceo, ſi maior calor eſt: ſi uerò flaccidum ulcus apparet, myrtino. Quòd ſi nihil horum extiterit, magis tamen obſorduerit ulcus imbecillius catharticum adiecto melle temperabis. Et ſi humidius, ſiccantem pollinem ſine mollibus inſperges. Aliquando uerò nimium ſiccando, & contractum & exuccum ulcus reperies, qua in re ſiccantia humido dilues. In ſumma: iuſtam pharmaci qualitatem æſtimabis, ſi purum ulcus inde redditum eſt, ſi naturaliter ſentit locus ulceris, qui ſenſu præditus eſt: ſi modicè rubet, ac nimium neque ſiccus neque humidus eſt. At quicunque ſenſu caret, ſi non naturaliter ſentit, ſi nimium aut aridus aut

Scopi diſtinguendi remedia.

Animaduertendum.

De ratione abluendi.

Catharticis quomodo utendum.

Probatio medicamenti.

flaccidus eſt:ſi pallidus,albidus,liuidus aut niger eſt,is nondum purus eſt.

Vermiculantia ulcera.

Accedit aliquando ad ſordes ulcerum,ut etiam uermiculentur,quo tempore aloë cremata inſpergitur,ueratrum album cum melle, polij & abſynthij puluis cum pice imponuntur,uel nuclei perſici è perſicariæ ſucco piſti:plantago areſacta,centaurium minus,marrubium,calamyntha, porrum & ſimilia uſurpantur. Arida teruntur,uel inde exprimitur ſuccus.Eidem rei lixiuiũ conuenit,urina,tilta denique imbuta ieiuni hominis ſaliua.

Cancerosa.

In cancerosis, cancri fluuiatilis cinis cum cadmia aut cerato inditur,irionis ſemen conlæuigatum melle, lens cocta cum melle: mel in tegula torrefactum, & ſolani ſucco madidum: oleæ uirentis ſurculi exuccati,malicorium uſtum,Aizoi ſuccus, umbilici ueneris,ſolani,intybi,lactucæ,pſyllij,omphacis,attriplicis.Exprimere oportet diu trita materia piſtillo & mortario plumbeis. Eodem modo tritus pompholyx diu conuoluitur, affuſo ſucco qui conueniat.Floccus aut uermiculus iiſdẽ ſuccis madidus imponitur ac ſæpius repetitur,ut ſucci frigus contineat.Sed hæc ad accidentia ulcerum magis pertinent, quanquam & quædam in his cathartica ſunt.

Materia.

Repurgant tincta melle linamenta:aridum mel quod melitæis uaſis inhæſit, quodq; in tegula crematum eſt: mel roſaceũ quod & alienũ calorem attemperat: ſerum lactis, terebinthina cum melle & roſaceo pari menſura. Eadem cum butyro neruis utilis eſt:liquefieri oportet, & unà commiſceri.Iris,ſerpẽtibus & plenis ſorde: marrubij ſuccus conditus melle:ærugo lota,caprinum ſtercus exuſtum & è uino piſtum deſperata ſanat.

Radix dracontij.

Maligna curat dracontij radix, colligitur ſub canicula, ſiccatur umbra,aliquot poſt diebus ſecta in taleolas, filo traijcitur,atq; ita pendens umbroſa domo aſſeruatur:uſus tempore trita inſpergitur: melli miſta uel cerato ne acrior ſit,imponitur. Ex eadem radice ceruſa factitia clementer purgat.Cicer,orobus,faba,hordeũ freſa omnia,& melli infriata:

Lupinus.

Lupinus uſtus, tritus & inſperſus,maligna tibiarum ulcera purgat,implet,cicatrice claudit.Teſtarum,& uoluminum crematorum cinis eorum,quæ ἐσχαχόδλιμμα. Erinacei cinis, amygdala,ſtœchas,anagallis,ariſtolochiæ,radix gentianæ,cyperi,urticæ ſemen & irionis,humidioribus,cãcroſis, putrilaginoſis,gangrænoſis mirificè proſunt. Dipſaci radix in cinerem uſta.Eadem ad melliginem uino cocta,& pyxide ſeruata.Radices ſolani,cortex,herba,ſuccus,cacoëthe iuuant, & nomode ulcera. In ſumma,quæ nitroſa & amara:quæcunque ita detergunt & ſiccant, ut non mordeant,non aſtringant, purgandis ulceribus idonea ſunt. Arſenicum, & quæ ex hydrargyro conficiunt,quandiu acrimoniã retinent,irritant ulcera,ſed putredini repugnant,ubi nec aſtringentibus,ut alumine ſciſsili: nec mordentibus metallicis ſimul & aſtringẽtibus,ut ſquamma æris,ferri, ſtomomatis abſtinendum eſt.Nam & arſenico & chryſocolla ueteres uſi ſunt.

Minium.

Miſta.

Minium quod è ſulphure & hydrargyro fit,his cõiungi debet.Clementius quod ceruſa uſta comparatur,uel plumbi gleba ſterili.Secundum genus Græci σανδυκα uocant.Ex quo diuturnis ulceribus & maleficis medicamentum parant.

E ſandice.

Sandic. lib. una:olei dulcis lib. duæ:coquantur lento igne,dum non inquinent.

Ex ærugine.

Aerugo octuplo, decuplo & duodecuplo cerato miſta. Ceræ terebinthinæ ana drach. ſex: uel unc. una: olei unc. tres uel quatuor: liquefiant in uaſe duplici. Liquefactis adde ærug. drach.

Viride Andromachi.

Clementius eſt uſta prius,& lota ærugo.Poteſt dupla ceræ terebinth.commiſceri:terebinth.lib.2.ceræ lib.1.roſacei unc.tres uel 4.ærug.unc.2.uel 3. Liquatis & coctis reliquis ærugo inſpergitur. Quod plus æruginis recipit, magis ſiccat & detergit:quod minus glutinando idoneum eſt.

Aegyptiaca.

Aegyptiaca ferè ſimilia ſunt. Aeruginis unc.1.ſquammæ æris unc.2.aceti unc.8.mellis unc.2.Arida cũ aceto terito,mel adijcito: omnia dum ruffeſcant coquito:maleficis cõuenit. Clementius eſt ex mellis & terebinthinæ pari pondere.

Cera uiridis.

Cera uiridis in Aegyptiacis numerari poteſt,trita inſpergitur,uel mollita oleo imponitur.Maligna iuuat:Lithargyri libra una:leniter coquatur in aceti libra una:olei lib.duab. Iam inſpiſſatis adde

ærug.

ærug.unc.1.iterum coquantur,dum ruffeſcant.Mellis lib.1.aceti lib.ſemis:ærug. unc.1.aluminis drach.4.coque ad ſpiſsitudinē dum ruffeſcat. Alij quoqꝫ aliter, modò uſta modò lota:aliâs etiā uſta & elota ærugine parant cathartica. Modus ſit,ut ne mordeat.Habes χλωρὰ è cruda: κιῤῥὰ è cocta deſcripta à Galeno primis libris de comp.pharma.κατὰ γένη.E farina hordei,cicerum,fabarum,orobi cum uitellis,momento mellis & terebinthinæ,fiat catharticum.Alioqui farinæ conuenientis unc.tres:ſucci apij,abſynthij,marrubij uel ſimiliū lib.1.mellis unc. nouem,ad iuſtum corpus cōcoquuntur.Hordeacea in duabus partibus aquę,una mellis roſacei percoquitur:purgat,lenit,calorē temperat:poteris addere momētum larignæ,quā è ſucco plantaginis elueris. Farinæ in memoratis ſuccis coctæ, contra cancros & fiſtulas ualent:in laboribus neruorū terebinth.conuenienter additur:myrrha & aloê in putredine:in calore,fabacea & hordeacea præferēda: calidior orobea,&è ciceribus.Amiciſsimū neruis quod ſequitur:Reſinę,mellis, terebinth.ana ſelib.myrrhæ,ſarcocol.farinæ,fœnig.ſem. lini ana unc.1. Liquatis alijs reliqua commiſcentur. Pus educit & purgat mellis ſelib. terebinth. unc.3. farinæ fœnigræci unc.1.radic.ireos drach.quatuor. Puri craſsiori, Galbani,ammoniaci,reſinæ,terebinth.ſepi taurini,ceræ,olei antiqui ana in aceto merſa, paulatim fundātur igne.Efficaciter purgat & ſiccat:Iris Illyricę unc.quinqꝫ: farinæ, orobi unc.tres:mānæ,thuris,calce lotæ ana unciæ tres: ariſtolochiæ unciæ tres, & drachmę quatuor:terantur omnia in puluerem:fiſtulas expurgat & glutinat. Quod ſequitur uetera ulcera repurgat,excreſcentem carnem reprimit, cicatricem ducit:Chelidoniæ,plantaginis,ſcabioſæ,liguſtici, urticæ, ormini ſylueſtris ana manip.1.conquaſſata ſeptem diebus in oleo macerātur:deinde cocta exprimuntur:expreſſo ſucco adde ceræ unc.3.terebinth.unc.6.reſinæ unc.2.bulliant ad corpus.Subductis igne adde ſarcoc.aloës ana unc.1.ariſtolochiæ longæ, æruginis ana unc.ſex.Fiat unguentum. Vnguentum Apoſtolorum uariè deſcribūt: reſpondet ferè ueneri antiquorum,quo hi uſi ſunt,attrahendo,molliendo,glutinando,& contra ferarum morſus: quod quia uariè deſcribitur, ex Aëtio uertimus,tantum thure addito & myrrha. Litharg. unc.25. ammoniaci unc.9. Colophon.unc.16.ærug.galbani ana unc.2.bdellij,opopanacis ana unc.tres:ariſtolochiæ longæ uel rotundæ,thuris maſc.ana unc.ſex:myrrhæ unc.4. ceræ, olei ana lib.2.Lithargyron in oleo coquitur,media ebullitione inditur ærugo[recentioribus decoctionis fine,ut melius purget]ubi non inquinant, puluiſculus Colophoniæ inſpergitur.Summotis igne,reliqua ex aceto trita immittuntur: poſtremò uerſata in mortario commiſcentur.Mellis cocti lib.1.thuris drach.quatuor: myrrhæ drach.2. Efficacius eſt ſi drach. 1. æruginis, & tantundem terebinthinæ exceperit.Plura ex primo de comp.pharmac. κατὰ γένη.14.& 15.Aetij.

Alia è farinis.

Neruis amicū.

Pus euocans.

Puluis Oct. ad fiſtulas.

Viride ex herbis.

De ſarcoticis. *Cap. VIII.*

QVOD iam purum quodqꝫ ἀπερίστατον ulcus eſt, carne impleri debet. Tale eſt quod ſordibus purgatū,modicè ſiccatū ſine rheumate, dolore,phlegmone,callo, intēperie conſtitutū eſt. In ſumma,cui nihil accidit quo minus impleri poſsit.Hic ergo carnem regenerato. Sed hoc naturæ opus eſt,quæ carnem è ſanguine conficit.Oportet ergo tantū taléqꝫ ſanguinem naturæ ſufficere,ut inde carnē procreet.Inſtituenda uitæ lex:cibi boni ſucci,uitatis acribus,auis,uenatio,ſuilla elixa dari poteſt.Vinum in dolore & phlegmone alienum eſt:datū alioqui modicè,nec ita uetus aliquando prodeſt. Reliquum uerò ſarcoticis medicamentis perfici debet.Quæ reuera ſarcotica iuſtam materiam naturæ comparant,modicè detergunt,ſiccant primo gradu: uel ita,ut ne nimis calfaciant.Licentiæ eſt uocare ſarcotica quæcunque repellunt, temperant, molliunt, intemperiem corrigunt: in ſumma, ſummouent omnia

Ἀπερίστατον ulcus.

Sarcotica.

Vitanda. quæ naturæ opus intercipiant. In ſarcoticis uitanda, quæ aſtringunt, immodicè ſiccant, quæq; acrimonia mordicant. Illa frugi humiditatem partiũ, & materiã carnis ebibunt. Acria colliquant, & aucta ſorde ulcera amplificant. Seligenda materia, quæ naturæ corporum & partiũ conueniat. Nec ſi quid Dionis ulcus impleat, ſtatim & Socratem iuuare poteſt: Nec quod in glande carnem inſtaurat, protinus & præputium incarnabit. Finge Socratem cui femur ulceratũ ſit: thure alioqui ſarcotico putredinẽ gignes: ariſtolochiæ puluere carnẽ reſtitues. Etenim Ariſtolochia carnẽ generat, ubi thus ſordes cõmouet. Ac rurſus Dion ſit paulò humidior temperatis: huic thus commodum, Ariſtolochia inutilis eſt. Thus quod in Dione carnem conſtituit, in humidiore uel ſicciore nihil tale efficiet. In ſiccioribus partib. ſicciora: in humidioribus minus ſiccantia utilia ſunt. Ideoq; & præputio & toti pelli, quę colem induit, ſicciora: peni & glandi minus ſiccantia conueniunt: carni etiam, quæ minus ſiccent: oculo minus quàm nari: huic quàm auri. Sinus humidior, ſicciore: aridus, minus ſiccante curari debet.

Diſtinguenda materia quomodo.

Thus & Ariſtolochia.

Naturapartiũ.

In nudatis oſſibus. Nudatis oſsibus uitanda pinguia, aridis utendum, ut carne impleas. Vlceribus pudendi, quę humidiora ſunt, anethum uſtum inſpergitur, cucurbita ſicca, uſta, pompholix, lapis hæmatites, pini cortex: horum aliquid in pollinem tritum, & mannæ momento miſtum. Quæ uerò madida non ſunt, aloe ſicca & mannę portiuncula incarnantur. Eadem ratio in ano, & eius naturę partibus ſeruari debet. Omnia ergo remedia ſuis finibus diſtinguenda, & naturæ partium ulcerúmque accommodanda ſunt. Languidius ſarcoticum uel ſaniem aceruat, uel mollẽ carnem flaccidamq; gignit. Efficaciore cauum exareſcit, uel calloſum germen enaſcitur: ſæpe etiam excitatur dolor & grauiter ulcus arroditur. Sarcoticorum genus, quod multa perficit, ſæpe uſurpatur: quia uidelicet eo cura celerius abſoluatur. Quod uolumus ſubiecto exemplo intelligas, idq; in uſu reliquorum pharmacorum ſemel dictum ſit. Glutinat, ſiccat, detergit & carne implet: Strobilinæ unc. tres: ceræ unc. I. æruginis raſæ drach. quatuor: thuris maſculi drach. 2. aceti quod ſufficit: æruginem pluribus diebus conterito: thus uno die: tum cæteris liquatum commiſceto: gangrænis, nomis putrilaginoſis & uetuſtis cõuenit. Fiet clementius, ſtrobolina mollita prius roſaceo: uel terebinthina, ſtrobolinæ loco miſta. Quod ſi terebinthina careas, quod ſæpe fit, larigna quæ omninò terebinthinæ ſimilis eſt, utendum erit. Alia larignæ differentia, cætera quidem terebinthinę ſimilis, ſed guſtu mordacior, ſenſu acrior & odore grauior eſt. Mitius quoque fuerit cerato miſto, cera lota, diutius trita ærugine, aceto non ita forti, ſed uinoſo: poſtremò, ſi æruginem minuas. Atque ubi uincit, conſilium glutinandi ſit thus pari pondere cum ærugine: ſi magis ſiccandũ, lithargyri uel ſimilis metallici benè triti partẽ aliquã commiſcebis. Ex alijs etiã acrioribus, ut ſquammis toſtis, tritis, lotis, aliquid poterit adiungi. Si flaccidior caro eſt, præter metallica, myrteo oleo uel melino: ſi calor extitit, roſaceo uti oportebit: ſi parũ proceſsit caro, ariſtolochiam, & aliquid è ſarcoticis unies. In duritie, adipes, medullas, ammoniacum & ſimilia colliquabis. Alumen interes, ſi quid affluit: Ladanũ quod ſimul mollit ac reprimit: Aloën quæ repellit, tergit, digerit, & ſarcoticon eſt. Sic ergo πολυχρηστον temperabis, quod & aliter alijs accommodes, & ad multa uitia transformes, ut interim carnem repleas. In contumaci ulcere animaduertendũ aliud quidem tale eſſe, quod ſuauiſsima deſyderet: aliud cui non niſi acribus, extremiſq; auxilijs prodeſſe poſsis. Pudendorum & ſedis ulcera maligna, neque acria neque uim ignis ſuſtinere poſſunt, qua uidelicet parte neruacea, & ſuauiſſimis medicamentis curari debent: qualia ſunt, oui candidum, cadmia lota, ceruſa, pompholyx, amylon, manna, myrrha, ſtyrax, ſuccus ſolani, Aizoi, & ſimilium extuſus in mortario plumbeo, piſtillo plumbeo: uel chymicorum oleum, quod extillant plumbo. Spodium, antiſpodium, quod fit ex oleaſtri floribus & folijs, ebore, cornu cerui, crematis nucleis dactylorũ, ficulno ligno, lẽtiſci, cytonij,

Vlcera pudendi.

Signa imbecilli ſarcotici, & acrioris.

Sarcotica improprie.

Viride Galen.

Ladanum.

Aloë.

Duplex genus ulcerum contumacis.

Antiſpodium.

nij,myrti folijs,cum tenerrimis ramorum partibus, moris immaturis in ſole are
factis,uel è buxi coma,rubi & terebinth. teſtis & uolutis oſtreorum,buccinorũ,
purpurarum & ſimilium,taurino glutine & linteorum cinere,fæce uſta & elota:
uruntur ea omnia crudo fictili in fornacibus, donec figlina percoquantur: te-
nuiſsimè læuigare, & ſi quid ſupereſſe putes qualitatis ignis eluere oportet: ſi
nolis aſtringere, aceto macerabis & ſiccabis. In fluxionibus leniter aſtringere
melius eſt:in putredinibus,aceto, oxycrato, œnomelite uel oxymelite: in can-
croſis,ſolani ſucco & plantaginis imbui,& inde ſiccari conuenit. Corallo ſimili
ter uti licet. Cryſtallũ laudant in oris ulceribus & cancris.In clemẽtibus auxilijs Criſtallus.
aloe eſt,fuligo thuris, terebinth.myrrhæ. E ſtyrace & pice liquida ualentior eſt: Fuligo.
ex œſypo & butyro ſuauior.Elui poteſt quæ acrior uideatur.Manna repellit,& Pix & reſina.
ad multa utilior thure eſt.Coloph.pix,reſina,præſertim ſiccę,humidioribus cor
poribus conueniunt.Coloph.modò per ſe,modò cum thuris polline ulceratis Colophon.
genitalibus inſpergitur.Caries lignorum,magis ex aſtringente & detergente ma Caries.
teria peculiariter, quæ ulmo collecta eſt expurgat, impletq; humida. In Chiro-
nijs,maleficis & extremorum ulceribus per ſe,uel cerato miſta uſurpatur:farina
corticis capparis interdum commiſcetur,quæ eadem purgat, ſiccatq; maligna:
farina hordei & fœnigræci humidiora corpora iuuare poſſunt.In ſecundum or- Secũd' ordo.
dinem referuntur:Ariſtolo.iris & ſimilia quæ detergunt,digerunt, euocant, fa-
rina lupinorum,orobi. Pumex crematur carbone puro, & uino albo eluitur: Pumex.
per ſe tritus,uel cum ſexta ſulph.parte,iuuat chironia:his longè optimum medi
camentum eſt plumbum uſtum & elotum, ut & putrilaginoſis, & canceroſis.
In acriore ſanie,contumaci ulcere parte humida,quæq; facilius putreſcat, acria
uitanda ſunt. Acrimonia multorum,partim uſtrina, partim lotura uel utroque Vbi uitanda acria.
diluitur,uel cerato roſaceo miteſcit. Talia ſunt quædam metallica, ſquamma, Metallica.
chalcitis,atramentum ſutorium,quibus uſtis, lotis & alijs rebus temperatis, &
parcè quidem utendum erit.Lauantur pluuia,ſi quæritur aſtrictio, alioqui pu-
teali,fluuiali uel fontana. Chryſocolla concreta ſanies è putri uena metallica, Chryſocolla.
difficilium ulcerum efficax remedium eſt:factitia quoque ex ærugine, quæ alu-
men recipit & ſalem,in ijs quæ nimio humore madent, & rheumate utilior eſt.
In hoc genere cẽſentur,quæ Græci uocãt κεφαλικὰ,& καταγματικὰ. Illa caluarię, Κεφαλικά.
hæc reliquis quoq; oſsibus fractis imperantur, quanquam interdum utriuſque Καταγμα-
ratio commiſcetur. Cephalica catagmaticis acriora ſunt, ſquammas & ramen- τικά.
ta oſsium detrahunt,foràs euocant,quæ in alto latent:utraque tergunt,digerũt
& ſiccant. Miſcetur his quod aſtringat,ſed oportet ex aceto forti tam diu in æ- Aſtringentia miſta cephalicis.
ſtu atteri,dum in tenuiſsimũ pollinem abeat. Sic enim quod influat repercuti-
tur, & uis tergentium altius penetrat. His autem ſic utendum eſt,nudato oſſe, Vſus cephalic.
quod in caluaria ſæpe fit ad uocatam διπλόην, arida inſpergenda. Nudatis enim
oſsibus pinguia malè conueniunt. Suntq; paulò acriora,ut non ſolum ſquam-
mas,ſed uiſcidum humorem ex alto trahant. Videndum etiam ne qua parte ſy-
deratum uel corruptum os liueat: elimandum enim ac omninò repurgandum.
Atq; ubi cœperit caro ſuccreſcere &os integi,cephalica cerato temperanda:ſic
enim coges ſarcoticon,quia uidelicet quæ euocant, tergunt,diſcutiunt, cerato
miſta implere poſſunt.Cerati modũ definient natura uitij,corporis, uirtus deni
que medicamenti.Parantur cephalica ex iri Illyrica,erui farina,manna, ariſtolo Materia cephalica.
chia,panacis Heraclij radice,magis cortice(opopanax calidior eſt)radice bryo
niæ:in ſumma his quæ detergant,ſed non rodant. Acria enim miſcentur, ut ra-
menta auferant.Cephalicõ quod tollit ſquãmas,oſſa corrupta rapit, & caua im
plet:Iridis Illyriæ,panacis ana drach.quatuor:ariſtolo.rotundæ:mannæ ana dra
chmæ duæ:tuſa leuiſsimè, & traiecta cribro inſpergũtur, uel melli miſta impo-
nuntur.Farina orobi rubri drach.octo:iridis drach.decem:mannæ,ariſtolo.ro- Ex orobis.
tundæ,ſquammæ ana drach.quinque: tritis, uel cum melle utitor.Sunt qui ad-

dant radicem bryoniæ,& aliter parent. Corticis pinei,ſquámæ,pumicis uſti, ana
drach. ſex:mannæ, thuris,ariſtolochiæ,iridis, reſinæ pityinæ, ana drach. quatu-
or:myrrhæ,aloës, ana drach. duæ: tritis utere,uel cum melle. Athenæus loco cor
ticis pini,drachmas quatuor gallæ miſcuit. Plura ex ſecundo & quarto de com-
poſitione pharmacorum κατὰ γένη. Iam uerò multa per ſe nocent, miſta ſarco-
Sarcotica miſta. tica ſunt. Oleum ſordes colligit, ſic & cera: ærugo rodit: tria hæc miſta carnem
regenerant: magis etiam ſi quid ſarcotici admiſceas. Sic enim purgant, & carne
implent. Quale eſt, Cerati roſacei lib. una: æruginis unc. I. mannæ, thuris, unc.
duæ: cerę, terebinthinæ, ana unc. quatuor: æruginis ex aceto lotæ, unc. una: uel
ut efficacius, unc. duæ: thuris, unc. duæ. Ita ex oleo, cera, ærugine, reſina, terebin-
thina, thure, manna, & materia ſarcotica, ſexcenta pharmaca confinges ea arte,
quam Galenus tradidit, quibus extergeas, ſicces, repellas ac ſimul impleas. Tri-
Trigener. gener, Cera, colophonia, terebinthina, pariter colliquatis: refrigerata hæc in fri-
gidam conijcies, diuq; manibus uolutabis: nuda oſſa capitis incarnat, ſquámas
In fracturis oſſium. deducit & cicatricem trahit. Admirandum eſt maſtiche pariter miſta in oſsium
fracturis. Iudæi, Colophon. lib. una: maſtiches unc. una: olei ſeſquuncia: liquata,
& in frigida piſta ſine linaméto ulceri impones: purgat & præ cęteris implet, ſed
E farina piſtrinali. cicatricem non generat. Optimè incarnat farinę piſtrinalis è tritico unc. duæ:
picis, Colophonię ualde tritæ, unc. una: arido cauum impletur. Gal. Cerę drach.
ſex: olei unc. tres: liquefactis adde thuris, iridis, ariſtolochiæ, ana drachmã unã:
æruginis drach. dimid. Aliud. Radicis Anchuſę unc. duæ: aloës unc. quatuor.
Theriaca. Fiat puluis. Theriaca efficacìſsimè purgat, incarnat, cicatricem ducit. Maleficis
Maleficis ulceribus tibiarũ. ulceribus tibiarum, litharg. unc. ſex: cum adipis caprilli, olei roſacei, ana unc. ſex
coquito: coctis adde maſtiches unc. ſex, parum refrigeratis miſce uitellos quin-
que ouorum. Hactenus experimenta ueterũ, nunc ad recentiorum remedia tran
Aureũ Meſuę. ſeundum eſt. Aureum Meſuæ. Cerę unc. quinq;: reſinæ unc. tres: terebinthinæ
lib. unã: mellis ſeſquunciam: maſtiches, thuris, ſarcocollę, myrrhæ, aloës, croci,
FuſcũNicolai. ana drach. tres: fiat unguentum. Fuſcum Nicolai multa habet unde cõcoquat,
Croceum. & emolliat. Similiter & quod Croceum deſcribunt. Tetrapharmacum dolo-
Tetrapharmacum. rem lenit, maturat phlegmonem, putrediné augere poteſt: ſiccare uerò & expur
gare non poteſt. Galenus locis aliquot Theſſalum reprehendit, & alios qui te-
trapharmaco ut ſiccante, purgante & incarnante uterentur. Actuarius iam à do
ctrina ueteri degenerans, uim molliendi, coquendi & incarnandi tetrapharma-
Omnia ulcera perſanans. co tribuit. Omnia ulcera perſanat: Artemiſię, ſcabioſæ, abſynthij, ormini, ſene-
cionis, tamaricis, apij, uerbenæ, piloſellę, lanceolę, pimpinellæ, linguę canis, mil-
le folij, chelidoniæ, ana manip. unus: ex omnibus reiectis radicibus exprimatur
ſuccus, cui adde axungiæ ueteris, libras duas: ſepi hircini libram unã: olei libras
Dia ireos. duas: mellis uncias tres: mediocriter bulliant, & in mortario piſta uniãtur. Dia
ireos: Sepi uaccini ſelibra: olei roſacei unc. tres: cerę unc. duę: radicis ireos unc.
una: thuris, ſarcocollæ, maſtiches, aloës, ariſtolochiæ, ana drach. duæ: cum tere-
Puluis Raſis. binthinæ unc. tribus, fiat unguentum. Puluis Raſis: Olibani, aloës, ſarcocollæ,
ſanguinis draconis, radicis ireos, ana. Ita cum maſtiche, farina fœnigræci, & id ge
Puluiſculi quomodo parandi. nus remedijs ſarcoticos pulueres confinges. Oportetq; exactiſsimè conleuari,
ne aſperitate lædant. Itaque materia in pila tunditur, tenui cribro ſecernitur, po
ſtea molitur, ac deinde tenuius cribratur: quicquid non tranſmeat, repetitur in
Vtẽdi modus. pilam, ac tam diu conteritur, dum ad extremam tenuitatem perueniat. Hæc ari-
da ſunt, quę humidioribus ulceribus conueniunt. Alia per ſe induntur cauo, uel
penicillo uulnerario capta imponuntur. In fiſtulas mittuntur clyſterio, ſed dilu
ta. Ab his thorulus mollis uino madens ſuperdatur. Vinum ſit è dulci auſteriu-
ſculum. Poſtremò omnia commodè alligantur. Aeſtate bis, hyeme ſemel in die
commutantur ſæpius etiam ſi dolor phlegmonæ, uel aliquid tale interceſſerit.
Ac lintei lanugo benè munda impacta cauo ſæpe ſufficit.

De epuloticis. *Cap. IX.*

Natura epulotici.

PLENVM ulcus clauditur cicatrice. Epuloticũ ſiccat, aſtringit, ſed citra morſum, atq; hinc reprimit, & quod in carnę humidum eſt, ſorbet: carnẽ contrahit & cute tegit, aut certè callo tenui, qui cuti ſimilis eſt. Ex quo ſiccare magis neceſſe eſt, quàm quod carnẽ gignit uel glutinat.

Secundum genus epulotici. Tertiũ genus. Epulotica.

Aliud genus eſt, quod quia excreſcentẽ carnem adimit, epuloticon appellant, acri natura, & iam mordaci. Addunt & tertium genus, quod ſiccat quidem ſed non aſtringit. Cicatricẽ ducunt, galla immatura, myrta, malicorium, æris ſquãma, chalcitis, miſy, ærugo uſta, lota. Et quod præſtantiſsimũ eſt, æs uſtum & elotum. Metallis acribus excreſcens caro conſumitur: uſtis & elotis trahitur cicatrix. Vruntur hæc fictilibus crudis, carbone puro: extinguuntur uino, mortario interuntur affuſa pluuia, mox ſiccantur, cribrantur linteo: in mortarium aliquoties repetuntur, ne quid arenoſum aut ſcabrum reliquum fiat.

Ratio urendi metallica.

Abluũtur etiam ea ratione, quæ ex Dioſcoride & Galeno repetenda: ut eadem materia excedentem carnem adimas, in duris ac mollibus corporibus cicatricem ducas.

Diſtinctio remediorum.

Eryſimi ſemen, ſcoria plumbi, ſtibia, cerato myrtino excepta. Erinaceorum, purpurarum, buccinorum, oſtreorum calculorum, marinorum, ſilicum & ſimilium crematorum cinere, metallis acribus ſimiliter utendum eſt: ut crematis quidem ſuperfluam carnem adimas, uſtis & elotis, cicatricem cõtrahas. Hęc omnia tam poſſunt manſueſcere lotura, quàm ſuauis eſt cera lota. Flaccidis carnibus balauſtia affatim inſperguntur. Liberalius inijci oportet, ubi caro demenda eſt: parcius & in ſubtiliſsimum puluerem conleuata, atq; acie cultelli capta, ubi cicatrice plaga tegenda eſt. In calloſo ſtupidiq; ſenſus corpore, ſi neque plethora neque cacochymia, acrioribus ad cicatricem uti licet. Quæ enim molliora corpora colliquant, duriora in cicatricem contrahũt: & acria cerato roſaceo fracta epulotica ſunt, ut uel pluuia, uel aſtringente uino lota.

Vinum.

Vinum ſit neq; recens, neque ætate mordax aut languidum: præſtat quod annis eſt & qualitate medium.

ἐπίπασα. ἐμπλαστρώδη.

Siccant nec ita aſtringũt, myrrha, argẽti ſpuma, oſtrea, diphryges. Iam uerò alia, ἐπίπασα, quæ arida tenuiſsimè inſpergũtur. Alia ἐμπλαστρώδη, & firmo corpore. Hęc in platyſmate adhibentur. Corpus accipiũt à cera quæ pinguis ſit, uel natura ſua uel myrtino, melino, lentiſcino, oleo remollita. Ac ſit olei pars decima uel duodecima. Terebinthina quoque, & larigna temperare licet: ut œſypo, ſi quid tumoris uel calli ulcerum labris reliquum fuerit. Eodem modo medulla cerui & uituli. Sic enim epuloticon diutius inſiſtet, neque breui exareſcet unde lædat, ſcabricie & ante tempus decidat: ac tertio quoque die abſoluere ſatis eſt. Cerata conueniunt è roſaceo, myrtino, melino, terebinthino, lentiſcino, fraxinino. In ceratis epulotica applicantur multò magis, ſi hæc acriora: nec ita malignum ulcus eſt. E larigna & dupla cera cerotum confici poteſt. Spodos factitia, quod antiſpodiũ uocant, in epuloticis cenſeatur: uis eius eluatur, ut ſunt corpora & ulcera:

Vitanda.

fugienda μαλτακώδη, quęq; μαλακτικὰ: adeps maximè ſuillus, oleum, cera, reſina, ammoniacum & ſimilia in ulceribus, quæ difficilius cicatricem trahant. Fugienda acria, piper, ſinapi, ſed præcipuè ubi uel plethora uel cacochymia. Ad hæc quæ humectant, ut aqua. Quod ſi omnibus ritè inſtitutis ulcus cicatrici pertinacius reluctatur, aut iam opertum clauſumq; reſcinditur horũ aliquid ſubeſſe conijcies. Nã uel plethora uel cacochymia eſt, unde perpetuò madeſcit ulcus: hîc purgante pharmaco, illic phlebotomia quæ uacuet & reuellat, opus eſt.

Cauſa rebellis ulceris.

Aliquando in quantitate & qualitate uitium eſt: tumq; primum phlebotomo, deinde cathartico medicamento occurrere oportet. Emulgendus atque etiam præcidendus uarix eſt, ſi inde materia trãsfluit. Quibus ab hepate, liene, capite, aut alia corporis parte ſcaturit colluuies, neceſſarium parti remediũ adhibebis. Aliâs uicina malè habita ſcalpro lacerabis: calloſa labra adimes: partem ægram, totamq; uiciniam, priſtinæ naturæ reddes: os ſubiectum ſi qua parte

ſyderatum,aut cariem duxit,abrades,aut etiam cauterio inures : uel ſi qua reſtitant ramenta,maturè detrahes. In ſumma omnia ſummouebis, quæ cicatricem

Redit ad materiam.

tardant,aut eandem refricant.Lithargyros per ſe trita attrita operit. Eadem è uino lota tritaq; reſiccatur : tenuis plumbi lamina, plumbum uſtum, lotum,ſummoperè medetur cancris.Implet & ad cicatricem ducit cadmia cremata, pluribus diebus ex aceto,uel uino,modò giluo modò albo auſteriuſculo terere oportet.Ladanum molle & recens è uino uel ſaliua piſtum,cum elegantia iuuat. Ce-

Miſta remedia

ruſa,pompholyx,calx elota, bolus armena, terra ſigillata & ſimilia quæcunque ſiccant,aſtringunt,nec mordent.In miſtis prætulit Galenus *διὰ καδμίας* & *διὰ λαδάνου* medicamenta.Quæ cum multa ſint ac uariè concinnentur, pauca & paratu facilia deſcribemus.Cadmiæ,lithargyri,ceruſæ,ana unc.1.ceræ unc. quatuor: roſacei unc.tres. Ceruſæ cadmiæ, ana unc. quatuor:ceræ, myrtini,ana unc. ſex. Plumbi uſti,unc.tres:cadmiæ,æris uſti,ana unc.duæ: Colophoniæ,olei myrtini, ana lib.duæ:uini antiqui odorati,quod ſufficit.Cadmia pluribus diebus in ſole teritur ex aceto,uel conueniente uino.Quòd ſi æs uſtum ſimiliter lauatur, meli-

Διὰ λαδάνου Critonis.

us eſt *διὰ καδμίας* medicamentum: *διὰ λαδάνου*, prætumidis ulceribus auxilio eſt, & ad cicatricem perducit.Picis aridæ,denar.centum:æruginis raſæ,denar.uiginti quatuor: æris uſti,denar.quindecim:ſquãmę rubræ,denar. uiginti quatuor:ladani unc.nouem:lithargyri lib.tres:olei, uini optimi ana unc. triginta. Litharg. oleo coquitur,coctione media reliqua metallica inijciuntur, uolutantur rude, dum non inquinent:hîc pix immittitur refrigeſcentibus ladanum unitur è uino tritum:omnia in mortario conficiuntur: hoc & reliqua medicamenta quæ ſiccent,& non mordeant,diutius coqui melius eſt. Adhibetur hoc in platyſmate, deligatur,nec ante quartum diem exolui debet.Alia quarto de compoſ.pharm.

Quomodo hæc adhibenda.

κατὰ γένη.Sunt & hæc epulotica:Aeruginis,æris cremati,ana ſemuncia:aluminis fiſſilis drach.duæ: ceræ drach. ſex : ærugine uſta melius eſt : metallica excipiuntur cera præmollita igne,uel cerato ex larignæ ſemuncia,& cerę uncia una:alioqui cerato myrteo uel roſaceo.Squammæ,æruginis ana uncia:ceræ pinguis,unciæ ſex:larignæ, ſemuncia. Liquatis ceræ & reſinæ reliqua trita coniunguntur: hæc in platyſmate apponuntur,quod ulceris locum nec eò amplius circumſcribat.Munitur uicinia bis,quæ phlegmonem arceant:tertio quoque die uel quarto,medicamentum reuellitur:auſtero uino fouetur locus, platyſma innouatur. Repetuntur hæc, dum cicatrix duci incipiat:reſinæ loco,uel œſypus,uel medulla eſt,ſi quid ineſt durius.Et hæc quidem efficacia ſunt, & maligna iuuant. Ali-

Album è ceruſa & litharg.

ud:Ceruſæ,lithargyri ana lib.una:olei myrtini, lib.duæ:ceræ, ſelibra:terebinthinæ,unciæ tres:aluminis ſciſſilis,uncia una:piperis, ſemuncia uel paulò minus:le-

Aliud.

uius erit ſi ſeſquunciam thuris addideris.Parabile & mirabile:Aluminis ſciſſilis ſemuncia,in uini,aquæ pluuiæ,uel quæ in cauis quercuum deſidet, unc.nouem, diluitur: linteolum uetus,ſed mundum,aqua inculcatur,exareſcit ſole: depectitur, & conceptum imponitur. In ſedis uitijs & inueteratis, uino quàm aqua uti melius eſt.Aliud,in quo ueterum & poſterorum conſenſus eſt:Linteolum aqua illa uel uino madens,ſed expreſſum, molliter apprimes loco : cui deinde perte-

Lamina plumbi.

nuem plumbi laminam induces & alligabis.Ceruſæ,drach.duæ:gallarum, myrti,recrementi,plumbi,ana drach.una:fiat puluis.In ignis exuſtionibus & calore: Ceruſæ,lithargyri,hordei toſti,ana unc. una: ceræ unc.tres : roſacei uel myrtini, unc.8. metallica è uino terito, ceram cum oleo liquefacito, hordeum cribratũ

Album Gale.

inſpergito,omnia coquito,excolato,in mortario conficito.Aliud litharg.ceruſæ,ana lib.1.coquantur in olei albi lib.2.aquæ puriſsimæ ſelibra, dum aqua exha-

Larigna potior eſt, quã terebinthina in malignis.

luerit,& purum pharmacum conſiſtat:purus ſit ignis.Liquatis adde terebinthinæ uel larignæ potius in malignis,uncias duas uel tres:ceræ albæ, uncias quatuor uel ſex:ut augentur reſinæ modus,ſic & cera augenda eſt.Poſtquàm uerò hęc cum cæteris coierint,adde thuris ſemunciã,pompholygis, oſtreorum, cadmiæ,

ana

ana unciam unam. Vſta hæc in cinerem trita, & ex aqua lota: dulci quidem in a- Ratio in his abluendi metallici.
cri ſanie: marina uel aceto in calloſis & tumentibus labris uſurpentur. Inopia
marinæ ſubduplum ſalem aqua diffundes. Quòd ſi multus humor affluit, uino
albo pellucido leniter aſtringente, commodè lauabis. Calx ſepties elota, è roſa Calx.
ceo uel aqua diluitur, in ęſtu medio ſubinde uerſatur, teritur, abluitur: poſtremò
cum iam ſatis lota tritaq́; exaruit, è roſaceo piſta imponitur: cicatricem trahit:
ulcera neruorum maligna & ambuſta iuuat. Probanda quoque remedia poſteri Recentiorũ pharmaca.
tatis: Ceruſæ uncia una: lithargyri ſemuncia: roſacei libra una: aquæ roſaceæ ſeſ- Vngueotum
quuncia: metallica in mortario fortiter perfricãtur piſtillo duro, quod cum fit, album communitatis.
deinceps ac paulatim liquida affunduntur. Vng. deſiccatũ rubrum. Album Ra- Album Raſis.
ſis: Olei roſacei libra una: ceræ unciæ duæ: ceruſæ unc. una: caphuræ drach. una:
albumina ouorum tria. Melius fiet cum drach. ſex lithargyri. Aliud: Balauſtiorũ, Puluis epuloticus.
ſanguinis draconis, cadmiæ argenti, æris uſti, loti ana: fiat puluis. Addunt ſanta-
los, nymphæam, minorem plantaginem, roſas, ubi calor ineſt. Vtraque plantago Plantago.
cum radice trita epulotica eſt. Emplaſtrum album è ceruſa non omninò diſſimi Album è ceruſa.
le albo Galeni. Ceræ unc. quatuor: roſacei lib. dimid. terebinth. unc. tres: ceruſæ
unc. duæ: lithargyri unc. una: thuris aluminis, cineris è cochleis crematis ana ſe-
muncia, cera, oleum, terebinth. ſimul funduntur, fuſis reliqua commiſcentur, pi-
ſta omnia in mortario uniuntur. Actuarij: Litharg. ſeſquilib. ceruſę lib. quatuor: Album è ceruſa Actuarij.
ceræ albæ lib. ſeptem: olei myrtini quantum ſufficit. Litharg. ol. coquitur, ceru-
ſa additur & cera. Litharg. nutritum Raſis & Auicennæ: Lithargyros tenuiſsimè Litharg. nutrita Raſis & Auicennæ.
teritur, ex aceto & roſaceo diu exercetur in mortario, ut quidam uolunt, plum-
beo. Modus eſt, ut inde craſsior fermẽtetur & exturgeat. Sunt qui addãt uni par
ti lithargyri iam nutriti, ſextulam æris uſti uel cremati plumbi: aut tantudem alu
minis, balauſtiorum, rubiæ, ſanguinis draconis, cadmiæ argenti. Idq́; ſingulari o-
pe in malignis & pertinacibus uitijs. In cancroſis ceruſa iungitur piſtillo & mor
tario plumbeo. Ceruſa per ſe curat abraſa: ex uino trita, humidioribus ulceribus Ceruſa.
idonea eſt: ex aqua roſacea lota pellit, cicatricem contrahit & calorem attem-
perat, butyro miſta mollit, coquit, & epulotica eſt, ut licet & emplaſtro deſicca
tiuo rubro, & alijs. Epuloticis utimur iam propè pleno, ſed nondum adæqua- Ratio uſus epulotici.
to ulcere. Celſus linamento è frigida preſſo integit: ubi iam æquatum eſt, ſicco:
ac benè fiet ſi in frigida alumen maduerit, & quod ſiccum imponitur, in ea mer-
ſum poſtea inaruerit. Et hæc quidem in leni ulcere faciunt ſatis. In malignis, lin-
teolo benè puro ſinum molliter extergebis. Epuloticum induces, quod pluri-
mum ſiccet: deinde ſi quid eſt durius, platyſma quod attenuet labra ſuperdabis,
quod æquali linteo conteges, ex quo ſplenion ſubijcies expreſſum frigida, alio-
qui uino ac frigiditatem ſplenij affuſa ſubinde frigida continebis: poſtremò cõ-
modè ligabis, tertio primum die ſolues. Hic linteolo ſicco, molli, puro, ſaniẽ de-
tergebis, & ut prius omnia reuocabis. Recentiores uino calido cui balauſtia cõ
coxerint aut ſimilia, ulcus fouent. Alioqui aqua, quæ uim aluminis conceperit,
ubi calor aliquis eſt, molli uellere humorẽ ſorbent, pharmacũ imponunt, ſuper-
dant ſtuppas uino madidas uel aqua omnia glutinantibus faſcijs conſtringunt.
Galenus interdicit aqua nec ulcus nudum contingere oportet. Plurima epulo-
tica ex 1.2.4. de compoſitione pharmac. κατὰ γένη & 14. Aëtij.

De glutinantibus. *Cap. X.*

L*ONGIVS* fortaſſe quàm res poſtulabat de glutinantibus ſermo di
latus eſt: uerùm ita nos coëgit, traxitq́; conſequens medelarum ra-
tio: nec alius locus obtigit commodior, in quo de illis orationẽ in-
ſtitueremus. Κολλητικὰ Græci uocant, συμφυτικὰ & τραυματικά. Qui- Facultas glutinantium.
dam ἔναιμα: & peculiariter quæ cruentis uulneribus adhiberentur. Siccant hæc

Cutis quam faciat ad celeritatẽ glutinationis.

omnia ad 2.ferè gradum,media ratione inter ea quæ cicatricem trahunt, & quæ carnem regenerant:non detergunt, ſed aſtringunt prohibentq; ne quid humoris labris ulcerum obueniat:nec in cruentis ſolum uſurpari ſolent, ſed ad ſinus fiſtulas,maligna uetuſtáque ulcera transferuntur. Opitulantur celerius, ſi integra partium natura eſt,ſi paucus ſanguis idemq; purus affluit, ſi non abraſa,non præciſa,ſed uel ſalua, uel parte aliqua etiamdum hærens cutis eſt. Etenim cuti cum ſubiecta carne naturalis quædam amicitia coijt,ut ægerrimè ſaneſcant,quibus omninò illa excidit:facilius,ubi incolumis ſeruata eſt. Mirum quòd præciſa,ſed loco ſuo reddita coaleſcit ac mortua reuiuiſcit, quodq; è plaga liuore ducto,non in iuuene ſolo,ſed etiam ſene uiuidum colorem recipit. Magna igitur cutis habenda ratio : nó ob id tantum quòd inde celerius glutinatur ulcus : ſed quia interiecta cute plurimis iuuatur,quæ nuda alioqui caro non perferat. Nudum ulcus linteo,lana,ſpongia irritatur:medicamentis paregoricis,ſordes colligit:uellicatur catharticis: iuuatur omnibus ſi familiari tectorio munitum eſt. Ideoq; & abraſa cutis & pendula,ſuo loco inducatur, & reducta molliter appri

Ratio adhibẽda labris.

matur:ſic enim unà cũ ulcere celerius coaleſcet. Animaduertenda quoq; labra

Ratio del gãdi.

ſunt,quia uidelicet alia cõtracta alia euerſa plurima dehiſcunt. Contracta deligatione abducenda,quæ in ulcere laxior,hinc inde ſana parte arctius contrahatur.Colligenda uerò quæ plurimùm hiant à ſanis partibus ineunte faſcia,quę ut ad oras propius accedit,ita firmius conſtringatur, ſed ita ut ne nimis cogendo nimis cõprimas & dolorẽ ingeneres.Euerſo tantũ altero ulceris labro, hinc lintea abduces & in alterã partem quaſi trahendo uolutabis. Si utrunq; euertitur, ea quam ἐκ δυοῖν ἀρχῶν ἐπίδεσιν uocant,neceſſaria eſt:&ut ſunt ulcera,ita remedia

Paruum ulcus non negligendum.

diſtinguũtur. In recenti paruoq; ulcere faſciola in orbem nexa, ſatis eſſe poteſt: niſi uel à cacochymia uel plethora,uel acriore ſenſu partium ſubeſſe periculum uideas:hic enim uel ſi acus minima pupugerit,dolor,phlegmone,conuulſio denique ad exitium ſequi conſueuit.Statim ergo colleticis abſtinendum, & paregoricis utendum erit.In maiori uulnere,maiora remedia quærenda ſunt,deligatio,ſutura,fibula,medicatio:hicq; audienda ſunt magnum & paruum in ſectio-

ἐπίκαιρον uulnus. μέγα.

ne, non quorundam ueterum more qui ἐπίκαιρον inſigne uulnus è natura loci: μέγα,è periculo ſtatuunt. Atq; in glutinando, natura corporum diſtinguenda: quia uidelicet ut illi loquuntur hoc δυσκολλὴς,illud εὐκολλὴς. Ac difficultas ferè na

Quomodo extergendus cruor.

ſcitur ex ijs quæ in rebelli ulcere proximo capite tradita ſunt. Primùm igitur in cruento uulnere,ſiquidem neq; profundum eſt,neq; hæmorrhagia extitit,ſpongia,lana ſuccida,molli panniculo detergendus cruor eſt,atq; illa prius inculcanda frigida, exprimenda atq; ita adhibenda. Quòd ſi altè deſcendit uulnus erupitq; ſanguis,frigidæ loco aceto utendum erit,ut inde grumum attenues & ſanguinem ſupprimas.In neruis ab aceto metus eſt:ideoq; ſpecilli extremo linteo-

Ratio glutinandi.

lum alligabis,quod uel ſapa uel melicrato madefacies. In lacunis ubi iam glutinandum,uinum & œnomeli idonea ſunt. At cum iam deterſus cruor eſt,nihilq; labris intercedit,qualia ſunt,pilus,grumus,oleum,pluma & ſimilia, ſequitur ut latera lateribus,oræ oris ritè coëant.Ponimus autem neque dolore, neque phlegmone, neque ullo alio uitio ulcus laborare : ac iuſtam carnem lateribus uul-

In rectis uulneribus.

neris intereſſe. In rectis uulneribus labra facilè adducuntur, multò magis ſi molle corpus eſt, adducta faſcijs continenda ſunt,ex duplici initio : alioqui ſimpli-

In tranſuerſis.

cibus, ſed ſutura interdum addita & fibulis. In tranſuerſo uulnere, oræ diſſident magis, quare ſuturis & fibulis opus eſt. In magnis & profundis uulneribus uincula ex duobus initijs neceſſaria:eadem quoque in latis ſimul & profundis,

Vinum nigrũ auſterum.

ſed hæc præterea altis ſuturis cogenda ſunt : neutra uerò præproperè glutinanda:ac faſcias auſtero uino & nigro maduiſſe iuuat, quod in uulneribus cæteris præferendum eſt,qui repellit,phlegmonem prohibet & cogit:in quo etiam aliquid eorum aſtringant licet incoquere:ſed modus ſit,ne nimis contrahas, unde

excitetur

excitetur dolor.In molli parte, extrema auricula, imo naſo, fronte, bucca, pericranio, palpebris, cute gutturis, uentre, membranis quæ non ſunt tendines, ſutura conuenit. In quibus ſuendum. Præputium aſſuitur & infibulatur,ut & carnoſum genus ubi nimium dehiſcit uulnus,nec oræ facilè coniunguntur. In quibus etiam fibula. Sed de his alio loco pluribus. Particularis materia, ut ſexus: ut molle durúm ue corpus: ut recens,uetuſtum,paruum magnumq; ulcus eſt,ita diſtingui debet,quod in faſcijs,ſuturis ac fibulis ſimiliter ſeruandum eſt. Particularis materiæ diſtinctio. Ebulus,ſambucus,ſymphytum,ſyderites, palmæ cortex,plantago,fraga,equiſetum,pini,tedæ,dracontij folia recentia, anagallis, ſalix,androſæmon,aſtragalus,phlonunculus,araneæ tela,& ea præcipuè cui è piſtrino farina inſederit.Spongia,lana ſuccida,linteolum expreſſa è frigida, uino uel liquore qui contrahat: caſeus recens & oxygalactiuus. Iſatis ſatiua neruos etiam præciſos in fine muſculorum iungit,& duriora corpora conglutinat. Iſatis ſatiua. Neruos etiam iuuat pentaphylli folium cum melle, allia aſſata tritáque myrrha, ſarcocolla,gummi genera & reſinæ quæ non mordeant,nec ita detergeant.Pix ſicca magis quàm humida:hordeum uſtum,aloë ex aqua trita:herbæ ſuccus & folia,quam ex India cóportant,& patrio nomine zambanam appellant. Zambana. Aloe uulgaris eſt,quæ tenace uita in multos menſes uiget: è laquearibus ædium & tabulatis magna uiroris commendatione ſuſpenditur. Aloe. Conſtat hoc remedium certo experimento nautarum. In colleticis quæ ad manum ſunt,præcipua laus attractylidi.Eius cacumina auſtero uino uel oxycrato incoquuntur: excipitur concha quod enatat:ulmi cortex alligatus,eiuſdem quoque folium intritum glutinat & ambuſta iuuat,ut ſine manifeſta cicatrice coëant. Vlmus & è folliculis aqua. Purgat,implet, cicatricem ducit,glutinat,& artificialibus balſamis miſcetur aqua quæ ulmi folliculis có cluditur,bene purgata uermiculis.Et balſamo quodam raro &præcioſo principes utuntur glutinando. Balſamum. Sunt qui aquam quæ caſtratis uitibus exudat uere uitreo uaſe excipiant, annum integrum benè operculatum uas & clauſum exponunt ſoli,loco ſubdiali,ſed qui ab iniurijs cœli tutus ſit:uas ſubinde ad ſolem uertunt,melligo tandem concreſcit quæ ſit balſamo uiribus æqualis. Aqua uitis. Efficaciora ſunt ſorbus,meſpilus,piraſter,quercus,& quæcunq; acerba ſunt: teruntur affuſo interdum uino, quod aſtringat: atque ita alligantur. Addunt bolum armenam,terram ſigillatam & ſimilia. Compoſita ſunt: Cerati myrtini unc.3. ceruſæ unc.1.uetuſta glutinat. Compoſita remedia. Aloe arida, œnomelite coquitur, emmotum inde tinctum imponitur: capitis ulcera coniungit.Galenus pharmaca temperauit mollioribus naturis ex lithargyro, oxelæo & œnelæo:durioribus ex bitumine,ærugine,ſquamma,aloë & myrrha:Litharg.unc.4.ol.& aceti ana unc.8. uel eo plus, ut diutius coquatur: Ex litharg. & oxelæo nigrũ. Oxelæo facilius liqueſcit argenti ſpuma: diutius tamen uexari mortario, ac deinde integrum diem excoqui neceſſe eſt, idq́ue luculento foco & ſereno aere: quod bene coctum ritè coijt, nigrum euadit, non abſimile ei quod nigrum uocant: fortius fit ſi oleum uetus eſt, acetum uerò tenue,pellucidum & acerrimum. Fiſtulas ſine callo,maiora minoráque uulnera, cruenta, lacunoſa, difficillima,& parotidas glutinat. Quod uerò ex œnelæo,cruenta iungit, Ex œnelæo. Litharg.lib.dimid.teritur diebus quindecim ex uini gilui,tenuis, & odori ſe libra uel libra una: deinde affuſa olei libra una,ut prius coquatur. Διὰ χαλκίτεως, Διὰ χαλκίτεως. fiſtulas & magna ulcera coniungit & cicatrice tegit.Axungiæ ueteris benè purgatæ fibris & ſine ſale lib.duæ. olei ueteris,lithargy.ana lib.tres: chalcitidis unc. ſex: conficiatur ex arte : quòd ſi ſpatha palmaria defuerit, ſaligna rudicula commouebit potius, quàm radice cannæ, cui non exigua uis ineſt abſtergendi.Diuturnis maximíſque ulceribus , & quæ ægrè cicatricem ducunt: E ſucco lilij. Succi foliorum lilij unc.quinque:mellis & aceti ana unc.1.coque,ad craſsitudinem efficaciſsimè glutinat.Cochlearum carnes cum thure & myrrha tritæ neruorum uulnera,& alia quoque uniunt. Cochlearum caro. Cruentis,ſuggillatis, exciſis, quacunque corporis parte: uitiligini, lepræ maculis & cruſtis auxilio eſt. Attractylidis effoſſæ cum

radice & ſiccatæ umbra, deinde tritæ, olei dulcis ana unc. 4. Colophoniæ unc.
18. ærug. unc. 2. ceræ unc. octo: liquabilia ſimul liquato: excolatis æruginem pri-
mùm: deinde attractylida commiſceto, miſta in frigidã conijcito, diu manibus
Barbara. uerſato ac per noctem frigida macerato: poſtridiè uſui reponito. Barbarũ Gal.
Recentiorũ. Ceræ, picis reſinæ, bituminis, thuris, ana unc. ſeptem. Aliud: Picis lib. 1. bitumi-
nis, ceræ, ana ſelib. ammoniaci, mannæ ana unc. 3. ceruſ. ſeſquunc. ol. drach. 18. a-
ceti unc. 18 Aliud ad cruenta: Aerug. raſæ, denarij 12. litharg. denar. 20. aluminis,
picis aridæ, reſinæ: pini aridæ ana denar. 1. aceti, ol. ana unc. 9. Plura primo & ſe-
cundo de comp. medica. κατὰ γένη. Iam uerò aſcribenda remedia poſteriorum.
Puluis ruber. Puluis ruber ex ſanguine draconis, & ſeſquialtera ratione, uel dupla thuris. Alij
calcem, bolum armenam, uel ſantalos commiſcent. Sunt qui hoc modo confici
ant: Simphyti maioris, boli armenæ ana unc. 1. picis Græcæ unc. 3. maſtiches, oli-
bani ana ſemun. ſanguinis draconis mummiæ ana drach. 2. Pulueres ſuturis in-
Sanguis draconis. ſperguntur, uel in cerato imponuntur. Sanguinẽ draconis colleticon uariæ con
ficiunt. Thus, maſtichen, bolum armen. æqualiter miſta, hirci ſanguine mactati
Auguſto menſe cõcorporant: alij aliter ex eadem materia: quidã bolum armen.
terunt, efficiuntq́; ut multum ſorbeat ſanguinis hircini, & ſorborum ſucci. Plini
us ſorborũ ſucco, & caprillo ſanguine compingit. In his omnibus prouidendũ,
ne ſupra modum contrahas: quod ſi metuitur, cerato pharmaca temperabis. Ei
dem Plin. & Solino ſanguis eſt draconis, qui dũ uulneratus elephas cõcidit, col
liſo caſu dracone colligitur. Aetius è ſucco herbæ Indicæ quam dracontеã uo-
Viride Bonantini. cant, fingi credidit. Dracontio noſtro uis ineſt glutinandi. Plantaginis utriuſq;
conſolidæ, betonicæ, uerbenæ, pimpinellæ, piloſellę, millefolij, linguę canis, cau
dæ equinæ ana manip. 1. Conquaſſata coque cum lib. tribus ſepi arietini: colatis
adde reſinæ, ceræ, galbani, ana quart. tres: ſarcocollæ quart. 1. terebinth. quart. 1.
E centaurio. & ſemiſſ. Liquata omnia miſcentur. Centaurij minoris manip. 6. macerẽtur per
noctem in uino albo: tum in eodem coquito, dum medium uinum conſumptũ
ſit: colatum ſuccum iterum coquito ad mellis craſsitudinem: poſtremò reponi-
to: uſus tempore accipito terebinth. lib. 1. ceræ nouę quart. 1. reſinæ, thuris, gum-
mi Arab. maſtiches ana unc. 1. ſucci prędicti unc. 3. lactis muliebris unc. 2. Fiat em
Dini. plaſtrum. Betonicæ, centaurij ana manip. 2. coque & cola ut prius: excolato ſuc
co adde reſinę quart. 1. terebinth. ſelibrã: ſarcocollę unc. 1. cerę unc. 2. Liquata o-
mnia bulliant, acetũ paulatim affundat: ubi refrixerint, omnia manibus è mulie-
Anſerini. bri lacte conuoluantur. Ceræ albæ, reſinæ ana quart. 1. olei unc. 2. terebinth. lo-
tæ unc. 1. thuris, maſtiches ana ſemunc. Fiat unguentum. Pimpinellæ, betonicæ,
melangianæ, uel loco huius telephij, uel maioris ſemperuiui, uerbenæ, uermicu
laris, aut potius ſemperuiui minoris ana manip. 1. coquantur uino ut prius, dum
duæ partes exhaluerint: & alijs ſimiliter percolentur, colatus ſuccus iterum co-
quatur, tum adde reſinæ lib. 1. ceræ albæ ſelib. maſtiches unc. 2. refrigerata ut pri-
Vnguent. gloriæ. us è muliebri lacte ſubigantur. Aliud: Olei bedegaris lib. 1. ceræ quart. 1. ſeminis
albarum roſarũ ſemunc. Fiat unguen. Oleũ bedegaris finges, cymis bedegaris,
aut ſi deſit, attractylidos in ol. & uino nigro coctis, dum uinum expirauerit. Se-
men roſarum eſt, quod detractis folijs & apicibus luteis, excuſſo capite decidit:
Viride ex herbis. Chelidoniæ, panis cuculli, ormini, lybiſtici, ſcabioſæ ana manip. 1. ſepi arietini
E uermibus. lib. 1. olei ſelib. ceræ, maſtiches, thuris, aloës, æruginis ana unc. 1. E uermibus ner
uoſis partibus glutinandis, utriuſq; ſymphyti, cynogloſsi, piloſellę, utriuſq; plan
taginis ana manip. 1. uermium terreſtrium. lib. dimid. trita omnia macerentur ſe
ptem dies in olei ſeſquilib. Deinde cocta leuiter excolentur: expreſſo ſucco mi-
ſce ſepi arietini purgati lib. 1. picis naualis ſelib. picis Græc. quart. 1. ammoniaci,
galbani, opopanacis, terebinth. ana unc. 1. thuris, maſtiches, ana ſemunc. macera
Vermes terreni. ta pinguia in aceto, & ſoluta cæteris uniantur. Lumbrici terræ per ſe triti & im-
poſiti neruos glutinãt. His ergo utendũ, ut prius cõſtituto ulcere, ſtuppa è uino

rubro preſſa ſuperponenda hypodeſmides, ſplenia, & reliqua lintea eodem uino inſuccanda: ligandúmque uulnus, ut contineas, reformes, cogas, quantum uidelicet ulcus expoſtulat.

De Pyroticis. *Cap.* *XI.*

Πυρωτικὰ ſunt δρώπαξ, σινηπισμὸς, φοινιγμὸς, καυθαιρετικὰ, σηπτικὰ, ἐσχαρωτικὰ: ignis denique et inde cauteria. Dropacas picationes uertũt, nõ è uerbo quidem, ſed πιττῶτα & πίτανα ueteres appellarũt, unde Latina uox conuerſa eſt. Alij etiã δρωπακισας è pice, et quarta uel quinta parte olei, quibus ſubdecuplũ, plus miníis ue piperis, pyrethri, euphorbij & ſimiliũ miſceri ſolet. Sic enim melius calfacit, ut accepto ſulphure, cinere ſarmentorũ, & ſale ſiccãdo magis conuenit. Nã & dropax quíque deſcribẽtur, ſinapiſmus & phœnigmus, eò ſunt, ut refrigerata calfaciãt, confirmẽtqúe partes, quæ partim frigore, partim aſsidua fluxione elangueſcunt. Alia quidẽ poſſunt plurima: hic tamẽ præcipuus eorũ uſus eſt. Et hæc in genere μεταςυγκριτικὰ ueteres appellarũt. Alutę dropax impĩgitur, uel linteis cõplicatis, quæ πτύσματα & διπλώματα Græci uocãt. Deglabratur cutis eraſo pilo, dropaciſmus calens inducitur: idẽ ſubindè reuellitur, priuſquàm refrigeſcat. Renouatur pharmacum, dum inde efflore ſcat locus in ruborẽ, et leniter extumeat. Nimiũ eſt, cùm mora pharmaci ſubſidet tumor, & exalbeſcit. Hoc enim uolumus, ut dropacis ope reuocata anima, pars uelut intermortua reuiuiſcat, calorẽ ſuum, ac ſpiritũ recipiat, & iam proprio alimento perfruatur: poſtremò etiã corporetur, quæ confecta macie intabuit: uerùm alia tardius, alia celerius uitã recipit. Quæ breui rubet, ea celeriter inſtauratur: tardius, quæ ægrè recaleſcit: deſperatio eſt, cùm neque frictione, neque fotu tepidæ, neque dropace melius coloratur. Alijs ſatis fuerit, ſi tribus aut quatuor diebus adhibeatur dropax, nec aſsiduè quidẽ, ſed bis hyeme, ſemel æſtate. Alijs bis ter ué ſingulis diebus, nonnunquã tertio, uel quarto quoque die, ut uidelicet uel facilè cedit, uel cõtumax languor eſt. Ac tepida prius fouiſſe confert: uel ſmegmate affricaſſe, quod aliquid thapſiæ, ſinapi, euphorbij, piperis, pyrethri, capparis receperit. Quod ſi affixus dropax pertinacius hæſit, tepida diluendus eſt: quem cùm detraxeris, furfurum decocto, & ſimilium, partem extergebis. Sinapiſmus paraliticos, coxarios, podagricos, inueterata rheumata, hemicranias quæqúe caloris inopia languent, adiuuat. Caricæ uno die aquâ mecerandæ: aut cappares, ſi grauius malũ eſt: uel ſi lenius, & acrior ſenſus eſt, panis triticeus: hícque magis, cùm in ſuperficiẽ tantũ agere oportet. Macerata tundẽda ſunt: lenis erit ſinapiſmus, qui ſubduplũ ſinapi ſeorſum triti acceperit: acrior, qui duplum: mediocris, in quo utrunque ex æquo tẽperatum fuerit. At quo tempore pinſitur medicamentum, paulatim affundenda aqua eſt, in qua illa maduerint. Sunt in ueteribus, qui acetum prætulerint: alij aquam, quod experimento didicerunt, ſinapi uim aceto exoleſcere. Eodem modo, quo dropax, uſurpari debet. Si quis dolor, aut feruor à medicamento extiterit, tepidæ, uel roſacei fotu, illitu cerati roſacei: ceruſa è roſaceo trita, & alijs id genus extinguitur. Phœnigmus rubore facto etiam ueſicas mouet, & exulcerat: in eorum genere, quæ quia illita exulcerant, uocantur ἀμυκτικὰ. Ex naſturtio, ſinapi, radice helenij, bryoniæ, lepidij, columborũ fimo, maxime ſylueſtriũ, caprillo ſtercore (unde σπακοπραγίας) aceto piſtis. Scilla trita, nucleis allij & tunicis, lacte tithymalli, ficulneo, pulegio, cãtharide, urtica, ranũculis, thapſia, euphorbio, fæce uſta, metallis acribus, & alijs id genus: lana ſordida benè carminata, et calẽte igne, aſsis carnibus, et ouis dũ uehementer calent, impoſitis. Viſco melle, axungia ueteri, terebinthina, cerato, acrioribus, gummi, & reſinis, ut res exigit, & corpora uel mollia, uel dura ſunt, excipere oportet. Aliâs quoque

Margin notes: δρώπαξ. — Vſus. — μεταςυγκριτικὰ — πτύσματα — διπλώματα — Modus. — Sinapiſmus. — Materia. — Phœnigmus. — ἀμυκτικὰ. — Materia.

triabilia affricantur: emplaſtra uerò imponuntur loco: hic prius palpatur manibus, exercetur ferulis, aut aſſerculis euerberatur: affricatur etiam, ut laxatis ſpi
Mel anacardinum. raculis medicamenti uirtus celerius penetret. Anacardia trita ſeptem diebus macerant aceto: in eodẽ coquunt, dum pars tertia euaneſcat: refrigerari ſinunt: excipiunt concha, quod enatat oleoſum. Id mel anacardinum eſt. Alij conquaſſant anacardos: ſepeliunt melle, dum hoc uim anacardij ſatis conceperit. Fermẽ tum aceto tinctum, anacardino melle, uel cauſticis rebus concorporatur. Puluiſculus ẽ ſinapi, piperis, euphorbij, ana drach. I. infricatur, uel inſperſus anacardino melli. Ita cerato è thapſia, & alijs utendum eſt. Breui mora rubor fit, deinde bullæ excitentur, ulcus etiam, ſi diutius inſtiterint: ueſicæ configuntur, humor exprimitur: relinquitur ulcus, dum uitium reddiderit, hac arte coxarij, podagrici, hemicranici ſæpe releuantur: repurgantur uiſcera, ſexcentaq; uitia percuran-
Cathęretica. tur. Cathæretica ſunt, æs uſtum non lotum, ærugo, ſquamma æris, & rubra magis: teſta & terra furnaria, teſtarum, concharũ, & ranarum cinis, alia quoq; in epu loticis deſcripta: hæc ferè in ſuperficiẽ agunt, excreſcentem carnẽ complanant,
Septica. ac leniter radunt. Septica altius ſubeunt, tenellam carnẽ tabefaciunt calore mul to, nec ita craſſo corpore. Arſenicum: Sandaracha, dryopteris, chryſocolla, pi-
Eſcharotica. ryocampe, aconitum, ſanguis equi admiſſarij. Eſcharotica ut nihilo plus caleãt, rodunt tamen acrius, craſsiore materia, quæ duris & calloſis corporibus conue niunt, ut ſepta mollioribus. In eſcharoticis calx uiua, uini fæx cremata, & aceti,
Vſus ſepticorum & eſcharoticorum. quæ ſecundum menſem non ſuperet. Nam quæ uetuſtior, exanimari ſolet: ignis denique & cauteria: utriuſque generis uſus eſt in calloſis fiſtulis, putrilaginoſis,
Ratio uitæ in uſu eſcharoticorum. humore fluentibus, ac ſolutis ulceribus. Eſcharoticis peculiariter utimur in can cris, carbunculis, hæmorrhagijs: hic frugalis uita, frigida liberaliter pota, uini ab ſtinentia, alimenta refrigerantia, magis etiam ſi ſubeſt febricula, imperanda ſunt.
Septica. Septicũ, quod exeſt ſine morſu: Sandarachæ, auripigmẽti, ana drach. duæ: calcis uiuæ, mannæ, thuris, ariſtolochiæ, ana drach. ſex: pumicis, reſinæ, ana drach. qua tuor: iridis drach. duæ: teruntur omnia. Arſenici lib. una: calcis uiuæ drach. duæ: diebus triginta in aqua merſa tundere oportet, idqúe in ſole, & bis quotidie aquam commutare. Auripigmenti, ſandarachæ, calcis uiuę, pumicis, ana drac. quatuor: eodem modo merſa, tuſa, & ſiccata uſurpantur. Squammæ æris drach. quatuor: ſandarachæ drach. duæ: ellebori nigri, aluminis ſciſsilis: uel auripig. ana drach. una. Squammæ ſandarachæ, auripig. ellebori nigri, ſeminis urticæ torrefacti ana cum roſaceo tritis utere. Sandarachæ, aluminis ſciſsilis, ana drach. quatuor: auripig. ſquammæ ana drach. una: in ſerpente ulcere, & humore fluido, utêris arido. In cancro & ſtruma cum roſaceo ſubiges: bis in die cómutatur. Atque hæc ferè materia ſepticorum eſt, quam exuras, eluas, cerato & alijs tempera
Elleborus. re poſsis. Elleboro magna uis ineſt contra callos, fiſtulæ iniectus, ad tertium diẽ
Callus quid. callum adimit. Callus, dura quædam eſt, & cópacta caro, unde pars ſtupet, albi-
ἐκτυλωτικὰ cat, nec expirat, ἐκτυλωτικὰ ſunt, quæ callos detrahunt. Oppugnantur calli, pri-
Curatio calli. mum quidem malacticis: deinde cauſticis: poſtremò igne & ferro: unguibus eraduntur, lacerantur ſcalpris, excinduntur cultris ad uiuum, & ſi quid reliquum fit, cauſtico remedio abſumitur, uel candente ferro inuritur: ſed fluxio reprimenda, prius quàm execetur callus. Exciſo callo tepida fouendum, tum abluendum aqua, ubi alumen diffluxerit. Repurgandum melle & ærugine, ſi qua
Materia. ſordes extiterit. Ectilotica ſunt: ſcilla cocta, & cum calce trita, nitrum, ſal, torrefacta: fæx cremata ueteris acríſque uini uel aceti: cortex ſalicis uſtus, & aceto piſtus. Vſta calx cũ pueri impubis urina: ærugo melli, ſali, thuri æqualiter miſta. Laſer aut calx cerato irino uel luguſtrino excepta: Teſta, terráque furnaria, pumex crematus ex aceto, trita, naſturtij farina aqua ſubacta: bdellium pingue cũ melle: ammoniacum aceto fuſum cum pari ærugine. Radix lilij uſta in cinerem: ærugo cocta, læuigata: amygdala è melle trita. Squammæ unc. I. æruginis drach.

duę

duę cerati lentiſcini, uel myrtini, unciæ octo, plus minúsue: harpax cum modica
ærugine. In hoc genere laudatur oleum lentiſcinum, quia præterquàm quod
mollit & digerit, etiam aſtringit, repellítque quibus omnibus difficilia ulcera
cum oris induratis egent. Terebinthinum ſimiliter & maſtichinum quæque ſi- **Olea ectilotica.**
milia ſunt. ἐκτυλωτικὰ & σηπτικὰ iiſdem rebus quibus amyctica excipi poſſunt, ui-
ſco & alijs. Satis profeciſſe putes, cùm ſuis marginibus uitioſum corpus à ſano
exceſſerit. Quod ſi ſeptis nihil effeceris, ad eſcharotica, ignem, & cauteria ueni-
endum, atque omninò uis pro magnitudine & contumacia ulceris adhibenda
eſt. Eſcharotica ex ſeptorum materia conficies, ſed ut firmor trahatur cruſta, è **Eſcharotica.**
metallicis acribus miſcendum erit, quod ſit craſſa & aſtringente potentia. Qua-
lis eſt cadmia, chalcitis, chalcanthum, quæ per ſe cruda, trita, & ſaliua hominis,
uel aceto capta, cruſtam contrahunt. Eadem uſta leniora quidem, uerùm eſcha-
rotica. Septa miſcentur, cùm altius imprimenda cruſta. Celerius operatur ignis, **Vſtio ab igne**
& melius ſi ęgri perferunt. Atque is non uno modo adhibetur. Conceptus aqua
feruida, ligneo tubulo, canali, penna ſcriptoria inducitur, extrema parte in ęqua
bilē circulum circumſcripta, quę clauos, uerrucas, & ſimilia quæ urere oportet,
includat: altero extremo dehiſcente, aqua feruens, plumbum fuſum, nitrum, & ſi
milia illiquantur: dum uim ſuam unà collabens ignis ſatis impreſſerit. Alioqui la
na mollis, ſpecilli nucleo alligata, feruente oleo uel butyro intingitur, atque ita
imprimitur. Fortius eſt, ſi uel è uitriolo, uel antimonio, & uocato ſublimato, ali-
isq; id genus, oleum fuerit extillatum. Quidam nucali teſta, uoluta cochleę & o-
ui urunt poſteaquàm igne incanduerint. Alij radice Ariſtolochiæ, gentianæ, ſtru
thij, ramento myrti, buxi, & ſimilium, cauteria effingunt. Oportet igne contine-
ri, dum extrema parte carbunculent. Vſtione arabica ueteres, ut pòſt etiam recē
tiores, uſi ſunt. Auro & argento lenius: ære & ferro acrius inurunt. Cęſim pun-
ctim cauteria imprimuntur: adiguntur longius & latius, & in circulum circum-
feruntur: uno loco uel pluribus: ſemel ac ſępius: ut natura rerum, partium &
corporum ſuſtinet, & uitia requirunt. Ex quo uariæ cauteriorum formæ af-
finguntur. Locum igni circumſcribere oportet, nucali teſta uel re ſimili, quæ
ſuis marginibus conſtans, pateat in medio: Cerato roſaceo: lana uino tincta
muniendæ ſunt uicinæ partes, ne iuſto latius euadat ignis uiolentia. Alioqui
ſplenijs imbutis, oui candido, muccagine pſyllij: cerуſa è rhodoſtagmate lota,
refrigerante ſucco & ijs omninò quæ ἀφλεγμαίνοντα Græci uocant. Cruſta non
ſtatim detrahenda: ſed nutare prius oportet, ac ueluti maturitate ſua excide-
re. Alioqui uis afferri ſolet: profundum ulcus relinquitur: dolor, fluxio, phleg- **Quę cruſtam detrahunt.**
monæ irritantur. Tempeſtiua deduci poteſt butyro & rhodoſtagmate loto,
farina tritici in porri uel rutæ ſucco. Lenticula cocta & cum melle miſta, foli-
is oleaſtri cum melle litis, ſulphure trito ex oleo, contuſis nucum interaneis,
porri folijs ſaliua tinctis, & in mollioribus lacte cum melle cocto: albo ſtercore
canino, cinere uſtarum hirundinum, & minoris centaurij: humano ſtercore ſic
cato, crematis cochlearum terreſtrium carnibus. Chalcite trita & ſubtriplo
melle uel chalciteos unc. I. ireos ſemuncia per ſe tritis aut cum melle. Nutrito
lithargyro cum uſtulato butyro, radice anonidis: columbino ſtercore è melle
quod & carbunculos ſcarificat. Inſumma, abſtergente & incidente materia,
quæ paregorico & molliente remedio temperari poteſt. Recentiores chirurg. in
ſeptis numerant, ſtuppas canabinas, hermodactylos, bryoniæ radices, alumen,
unguentū apoſtolorum. Et in carne dura & multa uitreoli genera & cuperoſam
quibus pro chalcantho & chalcite uti ſolent, æruginem. Vnguentū uiride Aegy **Recentiorum ſeptica.**
ptiacon: Trochiſcos è uiuæ calcis unc. quatuor tritis & cū melle iunctis: ſit aūt **Trochiſci è calce.**
mellis pl⁹ minús ue, ut ſunt corpora. Trochiſci capſula figlina ordine collocanť,
ſiccant in clibano: puluis inde utilis eſt. Succi radicis aſphodæli unc. 6. calcis ui-
uæ unc. 2. auripig. unc. I. arida ſucco merſa ſub canicula inſolētur, dũ ſqalleant.

Calcem uiuam modò melle, modò ſapone incorporant. Cantharidum uentres fermento cogunt uel ſepo: ſed à cantharidibus urinæ metuitur: Nam & hæ illitæ capitii id genus uitij inferre poſſunt, cui malo gargariſmus & inſeſsio è lacte ſuccurrit. Eadem quoque parata è paregoricis. Septa adipe uel ſebo excipiunt. In adipibus ſepticus eſt è ranis uiridibus, quas in arboribus uenantur. Quæ ſequitur ex quinto de compo. pharma. κατὰ γένη tranſtulerunt: Malicorij drach. 10. Ariſtoloch. rotundæ, gallæ, drach. 8. aluminis ſciſsilis, aloës ana drach. quatuor, myrrhę, chalcanthi (uitreolum uertunt) drach. 2. thuris drach. 4. Exedunt ſine morſu: Sandarachæ. 1. arſenici rubri, auripigmen. ana drach. 2. calcis uiuæ, drach. 4. mannæ thuris tantundē: tritis utitor: Sic enim Galenus. Recentiores hoc modo: Calcis uiuę lib. 1. auripigmenti rubri & citrini, alcali, acaciæ, ana lib. dimi. trita uniantur cum capitello. Eſt autem alkali, ſed niger quem è quercu, corylo, arundinis trunco, carbunculatis & aqua dulci uel marina coctis ueteres fingebant, nunc è braſsica marina, betis, & nitroſis rebus cōparari poteſt. Alioqui tor refactum ſalem cùm hydrargyro, tādiu piſtillo uolutabis, dum ſal nigreſcat. Alij aliter alkali interpretantur. Capitellum ita fit: Calcis uiuæ, ſalis ammoniaci, ana lib. 1. trita ſubigātur lixiuio è fabaceis ſcapis. Deponuntur olla quæ à fundo hiet anguſta rima: aliud figlinum ſubijcitur, in quod paulatim lixiuium diffluit: ſed uas utrinq; ſtatim initio defodi terra opus eſt, ubi ſeptem dies perſiſtet. Cathære ticon, ſepticon, & lene eſcharoticon capitellum eſt. Alij tres partes cineris fabaceorum, unam uiuæ calcis, ſubinde perfundunt aqua, identidem conuoluunt, et per quaſillum rarū tranſcolant. Rami ficulnei cremantur, cinis aqua maceratur, qui ubi in aquam uim ſuam demiſit, exprimitur & abijcitur, nouus aliquoties re uocatur. Eodem modò è ramis tithymalli & cauſticis cineribus lixiuium parari poteſt. In quo ſpongia ſubinde merſa apponitur. Alia capite de epuloticis: In humido ac ſordido ulcere, pingui abſtinendum: arida inſperguntur. In calloſo, & ſquallente malo arida pingui excepta adhibentur. Septica faciunt Arabes quæ à Græcis deſcripta ſunt, & alterum genus relinquunt: quod humido calore cum fœtore partes corrumpit. Quæ ex hydrargyro fiunt, pręcipitatum, ſublimatum cinabrium, braſsicæ ſucco, ſolani, limonum, & ſimilium attemperant. Licet etiam, quod ueteres factitarunt, non tribus, ſed triginta & quadraginta diebus terere in ſole ſub canicula, bis mutata àqua. Et ut ſunt corpora & uitia, ita magis minús ue acria comparari poſſunt: nec lotura ſolùm ſed uſtrina & miſtura diluuntur. Minium è micis metallicis, è ſterili gleba plumbi, è ceruſa uſta, quod alij ſyricon alij ſandicen uocant, ad epulotica potius referendum. Quod uerò è ſulphure & hydrargyro factitium eſt, in cauſticis cenſeri debet. Vſurpant præter hæc, aquas fortes, & ut dicunt Alchymiſtarum. Salis ammoniaci, auripig. rubri & citrini, cuperoſæ, æruginis ana trita in alembicum uitreum bene ſtipatū luto, & undequaque clauſum deponantur, & ita extillentur lento igni, quod primū fluit, uel abijcitur, uel in alembicum repetitur. Ignis augetur duplo: quod ſecundò ſtillat, fideliter reponitur. Alij ex aluminis rotundi, uitreoli Romani ana lib. 1. ſalis nitri aut ſi deſit crematę fęcis aceti ſeſquilibra aquam eliciunt, hæc calloſis naturis idonea ſunt, ſuſpecta in naſo, labris, palpebris, digitis aut pudendis, mollibus atq; exiguis partibus, ubi uena, neruus, arteria inſignis eſt: ac primùm quidem minimum ſit, quod imponitur: deinde ut res exigit, augeatur. Ali quando cerato roſaceo, unguento albo, dialthæas, & ſimilibus miſta retunduntur: muniunt uicina: doloribus medentur ut prius.

Margin notes: Trociſci de arſenic. — Alcali. — Capitellum. — Lixiuium ficulneum. — Minium. — Aquæ fortes.

De dolore. *Cap. XII.*

ACCIDVNT multa uomicis & uulneribus, quorũ remedia aliquot conſperſa locis ut proximo capite cõtra callos: alio contra uermes, cancroſa, putredines: & quæ rheumata intercipiãt: præcidantq́ phlegmonum cauſas, ac feruorem partium à pharmacis extinguant: alia quoq; obiter annotata ſunt. Iam de dolore & hæmorrhagia inſtituenda oratio, quæ ut plurimũ curandi cõſilia interturbant. Itaq; dolor omninò fit ſubita alteratione & ſolutione cõtinui, cui quàm celerrimè occurrendum, nunquã enim cõmittendum ut diutius crucietur æger, ſic enim rheumata cõmouentur oriuntur phlegmone, labefactantur uires, conuulſiones rapiũt ægros, ac ſæpe mortes. Et quod inſtitutũ maximè pertinet, ulcera inde madeſcere contingit: quæ ſicca eſſe, ſeruata naturali ratione, & uacua excrementis neceſſe eſt. Ἀνώδυνα uocãt & παρηγορικὰ quæ doloré leniunt, tenui ſubſtantia primo gradu calida, uel ita temperata ut familiaritate elementorum, naturæ partium conſentiant. Adde ſi uis, quæ qualitate contraria cauſam oppugnant, quale eſt oleum laurinum in refrigeratis, uiolaceum in calefactis, ſiccatis hydrelæum: humiditas non tam qualitate quàm copia dolorem facit. Ideoq; phlebotomia, catharticon clyſter, & ſimilia quæ ſublata copia dolorem tollunt, in hoc genere collocare licet. A calore & frigore dolor acerrimus: à ſiccitate mediocris: ab humiditate propè nullus, uel ſtupidus excitari ſolet. Tertium quoq; genus adijciũt, ſed impropriè eorum quæ ſtupefacto ſenſu dolori remedio ſunt, quia quod doleat ſentire neceſſe eſt, & extincto ſenſu dolor neceſſariò conquieſcit, ναρκωτικὰ & ὑπνωτικὰ talia appellant. Anodyna ſunt oleum dulce ætate medium, oleum Chamæmali, oleum è lini & althææ ſemine, & è dulcibus amygdalinum, oleum lumbricorum, uulpinum, melinum, è meli, è pullis cygni, extortum tritico candenti ferro, è farmentis uitium, ex ouis preſſum, Sambacinũ. Sambucinum, è floribus & alia, de quibus poſtea. In quibus diſtinguenda, quæ non ſolum leniant dolorem, ſed etiam cauſæ repugnant: quale eſt roſaceum, ubi à calore dolor eſt: aut à dolore cõmotus calor. Chamæmalinum ubi leniendum ſimul atq; diſcutiendum aliquid eſt. In anodynis ſunt butyrũ, œſypus, lana benè ſuccida, ſuillus adeps, uitulinus, è cercopitheco & ſimia, gallinaceus, anſerinus, humanus, ex anguilla & cuniculis, uulpinus, melinus, aſininus, lac muliebre & uaccinum. Althææ, maluæ, ſeminis lini & cydoniorum: lilij, uiolariæ, pedum arietis, capitum & interaneorum, hœdi ſimiliter decoctũ, & hæc lacte coqui melius eſt, aut cocta lacte butyro cõdiri uel conteri roſaceo. Crocum, thus, mannã, galbanũ & ſimilia pharmacis cõmiſcent, ut quæ aliquid habeant quod paregoricon ſit. Calorem temperant, & anodyna ſunt, aqua tepida, oleũ roſaceum, uiolaceum, nymphæon, papauerinũ cucurbitinum, & quod è candido alterci ſemine, priuatim uſurpatũ feruidis doloribus podagricorum: lactucinum, portulacinum, pſyllinum, cucumerinũ. Et ex horum oleorũ materia ſuccus ac mucago colligitur, uel eadẽ in lacte coquitur, ex conuenienti oleo ſubigitur: Linteola in decocto mergũtur, ſucco & mucagine imbuuntur, & ita iuuant. Ac ſubinde inculcare linteola & auxilium repetere neceſſe eſt. Cerata & enchriſta è cera alba lota, oleo conueniente, muccaginibus, ceruſa lota, populeo unguento & ſimilibus confingi poſſunt. Dolores è frigore iuuant, quæcunque ferè in anodynis numerata ſunt: oleum chamæmalinum, anethinum, è leucoio, meliloto, hyperico, irinum, atque his magis è baccis lauri & iuniperi uino maceratis extunditur mola, coxarijs & frigidis articulorum uitijs. In lue uenerea frigidos dolorés iuuat galbanarium. Sulphurinũ, ſtyracinum, in quo thus, manna & ſimilia diffuſa ſunt, & quod è nuce myrepſica, in cude & candenti ferro preſſa extringitur. Sed eadem conquaſſata, ut & cinamomũ oleo incoqui poſſunt: ita è calendula, maiorana, roremarino & ſimilibus parare licet. Irinum ex acori radicibus, centaurio, gentiana, ariſtolochia, bryonia,

Cauſa doloris. *Ἀνώδυνα & παρηγορικὰ* *2. genus.* *3. genus.* *Olea.* *Adipes.* *Materia decoctorum.* *Olea anodyna quæ refrigerant.* *Contra dolores frigidos.*

hyſſopo,thymo,pulegio,ubi craſſus humor impactus cruciat. Sinapinum,cni-
delæon,& alia id genus efficaciſsima ſunt. Vino ferè & pari oleo materia coqui
tur,quæ prælo uel mola oleum non reddit. Cum iam uinum exhalauit, ea expri-
Oleum terebinthinum. mitur,oleum reliquum uſui eſt. Terebinthinum oleum, è terebinthinæ lib.1. la-
terum antiquorum,uel ut Albucaſis recentium,quia plus olei combibant unc.
una maſtiches,& ſtyracis ana unc.1.lateres igniti extinguũtur oleo: extincti tri-
ticꝗ cæteris cõmiſcentur in alembico uitreo:tres liquores effluunt, quorũ terti-
us eſt optimus. Flores roriſmarini amphora uitrea duplici linteo obſtipata,dein
E floribus roriſmarini. de etiã cera includuntur:elicitur oleũ calida arena,Chymicorum more. Oleum
philoſophorum Meſuæ,petrelæon & quod ex euphorbio. Contra flatus & do-
lores frigidos uentris atꝗ uteri, quod ſequitur,plurimũ facit: Olei anethini lib.
1.ſem.agni caſti,ſeminis rutæ ana unc.3.cinnamomi unc.6.conquaſſata hæc 40.
diebus inſolentur merſa oleo: uel lento igne incoquantur: fotus è Chemæmali-
no & meraco uino calidus,dolores omnium partium corporis compeſcit. E ca
ryophillis oleum,& calamo aromatico efficaciſsimũ eſt. Radix cucumeris agre
ſtis in taleolas cæditur,cum abſynthij cacumine hydrelæo coquitur,hinc fotus
& cataplaſma hemicranijs ſingulare. Erinaceus terreſtris oleo & uino excoqui-
tur,dum ſolum oleum reliquum fit:contra dolores articulorum. E ſex uitellis
aſsis,myrrhæ drachmæ dimid.ellebori nigri granis 4. oleũ exprimunt ſingulare
ulceribus puerorũ,calloſis ac dolentibus ulcerum labris, putrilaginoſis ac uer-
miculantibus uitijs & ſcabiei. Styracis pinguis unc. 2. uel eo plus in ſeſquilibra
olei colliquãtur in duritie dolente,addita octaua parte ellebori albi,ſcabiei cõ-
uenit. Agrippa & Marciato quidã utuntur in frigidis doloribus. Vulgatum eſt,
anodynon: mica panis ſoluta lacte uel incocta ex tribus uitellis oui & ſeſquun
cia roſacei ſubigitur,cataplaſma fit. Sit panis lib.1.oua momento croci intingan
tur. In deſperatis narcotica uſurpantur:unguento roſato,& dialthæas aliquid
populei unguenti & opij cõmiſcetur. Cerati roſacei unc.3.opij drach.1.caſtorei
ſcrup.2.unguẽti roſacei unc.1.terebint.unc.dimid. colliquatis adde opij ſcrup.
1.croci grana 4. Aliquid etiam Philonij ſcriptis unguentis & ceratis miſcere li-
cet. Oleum in quo uiua torpedo coxerit,narcoticum eſt. Dialthçæ unc.2. galba
ni ſemunc.opij ſcrup.2.croci grana 6. Grauiſsimis quibuſꝗ doloribus ſingulari
ope ſuccurrit,ex aduerſa parte detractus ſanguis,qué ſtatim initio minuere me-
Phlebotomia. lius eſt. Sic enim præciduntur malorum cauſæ, & quæ nocent uulneribus om-
nia ferè ſanguinis uitio commouentur,dolor,phlegmone,gangræna, ſyderatio.
Multo magis,ſi affecta parte uenæ ſunt inſignes, quæ oppreſſæ copia dolorem
cient: poſteà uerò cum non expirent,gangrænam pariunt & σφάκελον,id eſt,ſyde
rationem:hoc uitiũ corruptela eſt,primum quidem oſsium,deinde partium reli
Scarificatio. quarum:cui periculo phlebotomo occurrendũ atꝗ etiam cultello ſcarifican-
Cucurbitula. dus locus eſt,ut leuatus onere & uitio,ad ſpiritũ liberè attollatur. Cucurbitula
quoꝗ ad hanc rem ſæpe contulit, de qua ſeorſum à nobis libellus æditus eſt.

De hæmorrhagia. *Cap. XIII.*

N*ON* ſolum è recenti,ſed & inueterato ulcere ſanguis effluit apertis,
ruptis,exeſis uaſis. Et ex arteria hæmorrhagia perículoſior: deinde
maioribus uenis,quæꝗ plus ſanguinis effundunt,quas inde *αἱμόῤῥους*
Apertis. uocauit Hippocrates. Apertis aſtringentia: ruptis,glutinantia: exe-
ſis,ſarcotica & boni ſucci alimenta,remedio ſunt. Aperta ſimul & rupta iuuant
plantago,balauſtia,hypociſthis,thus,omphacium,galla deflagrans, & uino uel
aceto tincta,acacia,malicorium,ſymphyti radix, porrũ contuſum, polygonon
peruinca,terra ſigillata & figlina,bolus armena,rhabarbari magma,rubigo ferri,
lapis hæmatites, paſſæ uuæ nucleus,gallæ flos, lanugo quæ cotoneo & maſcula
ſalice

ſalice inſidet,quæq; in ea paniculæ dependent,fraga herba, cynosbatus,aqua fri
gida,uinum aſtringens,acetum,oxycratum & alia quæ in epuloticis,glutinanti-
bus & repellentibus antea deſcripta ſunt.Peculiariter ruptis conueniunt, thus, Ruptis.
manna,aloë,maſtiche,tragacantha,amylum,gummi,glutinum,larigna, terebin-
thina,pix ſicca,colophonia,gypſum,farina piſtrinalis,cochlea cum domo trita:
horũ alia in puluerem comminuta inſperguntur:meliora ferè emplaſtica,ideoq; Vtendi ratio.
in oui candido,reſina liquida,cõueniente ſucco imponi debent.Linamenta,pi-
li leporis,lanugo illa ſalicis & cotonei ſuccis liquidis inculcantur, atq; inde pe-
nicillus aut uermiculus pharmaco madẽs hianti uaſorum ori inſeritur : floccus
ex eadem materia & pharmaco ſaturatus ſuperdatur,ligaturq; commodè, inie-
ctis uaſi modò tribus,modò quatuor faſciarũ orbibus,ad eam partem unde pro
fluit ſanguis ex quo faſcia radicem uerſus paulatim adduci debet,ut ſurſum uer
ſus magis magiſq; ſtringas atq; illabentem ſanguinem reprimas. Tertio die re-
ſoluenda lintea ſunt,neq; commutanda linamenta, flocci, uermiculi, ſiquidem
firmiter inhærent,ſed tantum irriganda pharmaco,ac ut prius colligãda. Quòd
ſi uacillant digitus uaſi imprimendus, reuellenda turunda & reliqua tum noua
ut prius omnia repetenda,eademq; ex præſcripto uincienda ſunt,idq; tandiu re
uocandum,dum renata carne ac benè ſtipato uaſe, extra periculũ omnia uide-
antur.Aliquando uerò ubi in ſuperficiem uaſa exponuntur, digitus impreſſus
hæmorrhagiam ſiſtit,coacto grumo.Quæ ſi in profundo latent, nec facilè digi-
to continguntur,hamo prehendere,leniter intorquere & laqueo intercipere o-
portet.Nonnunquam uolſella capta utrinque funiculo illaqueantur, & media Ferrum.
præciduntur,ut extrema in ſe reuulſa coëant. Id uerò in maioribus uaſis non ca
ret periculo.Deſperatis alijs auxilijs,ad ignem & cauteria ueniendũ,multò ma- Ignis.
gis ſi quid putre,uermiculoſum,ſerpens,rodens:ſi eiuſmodi locus eſt, qui facilè
computreſcat,qualis eſt ſedes,os,& genitalia,quiq; uim ignis ſine periculo ſuſti
neat.Eſcharotica hoc loco uehementius contrahere oportet,ut firmam nec de Eſcharotic.
ciduam cruſtã efficiant.Alioqui maior uis ſanguinis erũpet, ante tempus reſolu Phlebot.
ta cruſta.In remedijs laudantur phlebotomia,cucurbitula,ſanguiſugæ, uincula Sanguiſugæ.
aduerſa parte & κατ' ἰθυωρίαν reuellẽdo adhibita,& conſtringens epideſis. Cu-
curbitulæ ratio ex libello noſtro repetenda. De phlebotomia & ſanguiſugis a-
lio quod paramus opere diſſeremus.Purgatio ſæpe neceſſaria,ſed tardius opitu Purgatio.
latur,his ferè remedijs materiæ curſus retrahitur : quanquam non temerè reni-
tendum ſanguini:quia ex omni uulnere,niſi ſit in uentre, crebrò ſanguinem flue
re utile eſt:Author Hippocrates. Tempeſtiuè ergo ſupprimes, iuſta ratione le- Vſus refrigerãtium.
uato corpore:ut inde ſiccius effectum ulcus celerius poſsit coaleſcere. Ac for-
taſſe tutius fuerit ulcus emplaſticis obſtipare:frigidis & aſtringentibus medica-
mentis uias intercipere,quà ſanguis decurrit.Frigidum enim & aſtringens ulce
ribus mordax.Et in ijs frigido utendũ, unde fluit ſanguis uel fluxurus eſt, nõ ad
ipſa,ſed circa ipſa,inquit Hippocrates.Aliæ quoq; partes,ut thorax & quæ ner-
uaceæ ſunt,frigido læduntur magis.Ideoq; iam auerſa materia, neq; etiam locis
omnibus,frigida adhibere conuenit.Columbæ ſanguis peculiariter reprimit hę
morrhagias è membranis cerebri.Memorabile remediũ eſt quod ſequitur:Spõ- Spongiæ.
gia noua,alioqui uetus,ſed marina uel lixiuio querno repurgata, acerrimo ace-
to inebriatur,tum inquinatur liquefacta pice,deinde trito bitumine,galla uel re
ſimili conſpergitur, atque ita crematur teſta figulari clauſa,dum cinereſcat.Alij
aceti loco taurino ſanguine imbuunt, ex odoro uino propinant, ſingulari ope
dyſentericis,menſtruis,& alijs hæmorrhagijs. Emplaſtra ſunt, gypſum crudum,
gyris, ſi oui candido excipias: Thuris partes duæ, aloës pars una uel eo plus in
duriore natura: Loco thuris uſurpatur manna, ut quæ melius aſtringat, ſed thus
ἐμπλαστικώτερον pharmacum reddit : concorporantur liquore oui: uermiculus è
molliſsimis pilis leporis medicamento intingitur, & ſi fuerit opus, dehiſcenti

uaſi immittitur.Ex ijſdem pilis conficitur floccus qui eodem pharmaco imbui-

Hiſtoria.

tur:atque imponitur cauo, ut incumbat uermiculo. Eunucho è manu ſumma profluens ſanguis eo pharmaco non reſtitit, qui deinde linamentis ex dilutiſſimo oxycrato preſſis omninò cõquieuit.Loco pilorum leporis, lynoxilo quod uocatur cotton, & memorata lanugine benè depexa atque carminata uti licebit.In eroſione ubi uniuerſo corpori conſulueris, nec aliter mederi datum eſt:

In eroſionem.

ueniendum ad paſtillos Andronis,Paſionis,Polydæ,ex lib.5. de compo. pharm. κατὰ γένη.In uehementi hæmorrhagia primùm quidem ualidè aſtringẽtibus materiæ impetus retundi debet,quibus paulatim paſtilli commiſcentur,poſtremò

Vſus paſtillorum.

ſolis paſtillis utendum erit.ἴσχαιμα ueterum: Chalcitidis drach.16. alij 8.mannæ

ἴσχαιμα.

drach.12.alij 16.terebinthinæ frictæ & aceto extinctæ drach.12.Chalcitidis drac.

Eſcharotice.

6.mannæ drach.2.terebinth.colophoniæ ana drach.4. Mirabile:Chalcitis, reſinæ ana drach.8.mannæ drach.16.infriata ęnea pyxidicula reponuntur,uſus tempore par pondus gypſi commiſcetur. Adduntur his ad cruſtas, Chalcanthum, miſy,auripigmentum,ſandaracha,calx uiua. Debilior cruſta eſt à calce uiua, & auripigmento,niſi aſtringenti materiæ coniungantur, ferrum candens, æs, aurũ & argentum cauteria ſunt:ſed ab auro & argento mollior eſchara relinquitur. Celerius auxilium à ferreo cauterio percipitur. E ſubere uel ſpongia orbiculus tenuis feruida pice immergitur,& ita calens impingitur.Alij malicorio,galla, radicibus aſtrictorijs prius ignitis,cruſtas efficiunt. Recentiorũ eſcharotica ſunt: Vitrioli Romani ſemuncia, balauſtiorum unc.3.aluminis unc.1. fiat puluis. Colophoniæ unc.3.boli armenæ ſeſquuncia:maſtiches,olibani,ſanguinis draconis ana ſemuncia:radicis ſymphiti,roſarum ana drach.1.utuntur puluere rubro, ſanguine draconis & alijs,de quibus antea:ac plura eſcharotica ex proximo capite repetenda.Adhibitis remedijs membrum ita collocari debet, ut altior ſit locus unde hæmorrhagia,reliqua uena,quæ radici propior eſt: ut ueluti decliui uaſe quaſi deorſum ſanguis refluat. Sit membrum in quiete & ea figura ſitum, quæ dolorem non afferat:ac mitella confirmare manus, & puluino crura melius eſt: æger quoque aduerſa parte decumbat:Inſtituatur uita unde ſanguis acquieſcat, aquæ potus & ſimilia.Interdicatur ijs unde efferueſcat, qualia uina quædã ſunt fortia,& calida alimenta.

De vtili materia in vitijs oſsium. *Cap. XIIII.*

Celeriter medicandum oſſibus.

VITIIS quæ oſſa fecerint,eodem ferè momẽto ſuccurrere oportet: alioqui phlegmone ſuccenditur, quæ ſaniem facit, agit cuniculos, ulcera diſpergit alta,exeſa,& curanda motis,ἰμμότους inde uocat Hippocrates.Ex quo denigrantur oſſa,cariem inducunt & ſyderationẽ contrahunt.Laborant fracta,colliſa,fiſſa,forata oſſa & mota articulis. Acceſsio mali eſt,ſi cum uulnere lęſa ſunt,multò magis in articulis,ubi nerui tendines,nuda carne & oſſea loca ſunt,in qua laxa & commota excrementa corporis coire

Vitia in articulis.

ſolent.Adde quòd ibi chartilago quædam eſt,in qua cicatrix firmari nequit:hic ergo aſperior caſus,dolor,uigilia,conuulſio, deliria ſæpenumero commouentur.Atque ut maior articulus eſt,ita grauius periculum creare ſolet. Verùm nõ alia parte ditior ſuppellex ueteris diſciplinę,nuſquam hæc curioſa magis,quàm

Multiplex materia mechanica.

in oſsium medelis.Infinita propè reperit & literis tradidit, quædã etiam authoritate principum,ære publico in ciuitatibus extruxit, quæ ad hanc curam oſsium pertinerent:ferramenta uaria,cauteria,exciſorios cultros, ſcalpra raſoria,limas,ſpecilla,aliquot terebrarum genera,modiolos,forfices,μηνιγγοφύλακας,uolſellas,ſcalas, ſcamna, repagula, uectes, canales, gloſſocomia, ſphæria, ſtathmia, trochiſcos,pennas,inceratos,canaliculos,fiſtulas,ſetas, fila byſſo & auro texta, alia quoque plurima, quæ ad purganda, tendenda, reformanda, conſtituenda

denique

denique oſſa facerent. Et in una deligandi arte quàm plurima uſu diuerſa ſuis etiam nominibus ueteres diſtinxerunt: linteola, faſcias, hypodeſmidas, ſplenia, apodeſmos, regulas, ferulas, ſpathulas, habenas, laqueos, mitellas, puluinos modò ſcorteos modò molliuſculos, nodos, acus, acias, & alia ſexcenta: quorũ multa quidem retenta, alia antiquata, quædam deſerta, quia uidelicet multis in rebus facilior, nec tam operoſa cura inuenta eſt.

In deligando quàm multa.

Corruptum os ad uiuam ſcobẽ elimandum, exterebrandum, inurendum, excidendum, etiam ut aſperum, malum eſt. Atque hic medicamentis opus eſt, quæ uehementer ſiccent: quorum materia capite de purgantibus pharmacis & epuloticis inſtituta eſt.

Cõpendiaria curationis materia.

Nec ante uias claudere oportet, quę ad læſa oſſa pertinent, quàm hæc omni carie, nigredine, ſorde, corruptela ſedulò purgata ſint. Quin & præcluſum iter uel anguſtum, ferro ampliare neceſſe eſt, ſpongiáque aut penicillo implendum cauum, ut ne coeat, ſed dehiſcat uulnus, dum uel integendum carne, uel ferruminandum callo benè purum os & iam incolume, uideatur. In altis cuniculis, ſpongia, linamenta, penicilli ſumma parte deuincta ſint filo, quod foras propendeat, ut illa facilè reducantur.

Aperta ſit uia ad os.

Videndum quoq; priuſquàm impleas ne qua ſquamma uel fragmentum exceſſerit quæ ſi licet oſsi ſuo coaptanda ſunt, aut acumine carnem ſubintrant, molliter præcidere oportet, uerùm incolumi radice: alioqui elimanda ſcalpro. Quòd ſi nihil moleſtiæ afferunt, uerùm non poſſunt oſsi ſuo compingi: in horum altero conſilium eſt: nam uel medicamentis detrahes uel permittes dum ueluti maturitate quadam & ſponte ſua excidant. Ita enim os celeriter carnem inducet, uel callum contrahet: ex quo medicamentis, quæ mediocriter ſiccent uel aſtringant, cicatrice operies.

Squamma.

Quæ uerò ſquammæ, ante maturitatem rapiuntur ferro, aut ui reuelluntur, fiſtulas ægrè ſanabiles relinquunt. Omninò ergo declinanda uis eſt. Squammas detrahunt medicamenta, tum ſuperius capite de glutinantibus memorata, tum erucæ radix, cucumeris agreſtis, utriuſque bryoniæ: Ariſtolochia peculiariter elicit teſtulas caluariæ.

Quæ ſquammas detrahũt.

In abſceſſu paruo oſsium deligatio κατταγματικὴ idonea eſt, ſed paulò laxior, & ſine ferulis. In magno non eſt deligandum κατταγματικῶς. Satisfaciunt ſplenia, inſuccata uino nigro, ſubauſtero, quæ deinceps atque continenter, hinc inde adhibenda ſunt, non ut hoc illi inſideat. Longiores ſunto, quàm quæ ſolum ambitum membri comprehendant: nam ſi quadrãtalis circulus eſt partis, paulò longiores ſplenes trientalibus eſſe oportet. Obliquè inſeruntur membro, & aduerſa parte decuſſant.

Abſceſſus.

Splenes magnorum abſceſſuum.

Sanãtur ulcera alijs ſimiliter: niſi quòd oſſa magis ſiccantia deſyderant, & quæ continenter oſsibus generatur caro, ut eſt paulò ſiccior, ita magis ſiccantibus pharmacis gaudet: ut uerò ducenda carne ab oſsibus recedis, ita uis ſiccantium temperanda eſt, donec iam cicatrix trahenda ſit. Ac carne oſſa tegere ſæpe numero opus eſt, ubi callum cogere non licet, nimium diſsidentibus fracturæ labris, & ubi in circulum os exciſum eſt: uerùm è callo multò ſtabilius uinculũ eſt.

Incarnãtia oſſium abſceſſus & uulnera uicina.

In fractis oſsibus, & luxatis multarum rerum cura eſt: ac circa initia omninò prohibenda fluxio, dolor, inflammatio. Os ergo quod uel abijt loco, uel fractum diſsidet, omninò conſtituere oportet, deinde ita continere, ut ne excidat: In quo hæc ſunt præcipuè τάσις, διάπλασις, ἐπίδεσις, ἀπόθεσις, uel ὑπόθεσις. Extenditur membrum, ut diductis & adductis marginibus ſoluti oſsis oræ oris molliter conſueſcant, nihil exaſperetur, nihil diffringatur, quod in fracturis denticulatis, ſcabris ac ſerratis ſæpe contingit. Videndũ quoq;, ne in diſtentione neruus, uena, arteria, muſculus, contra naturam extorqueatur.

Τάσις.

Extenſum membrum, & loco redditum, manibus palpari, tractari atque legitimè conformari debet: διάπλασιν appellant. Quòd ſi tractatũ, tenſum, non conſtituitur os, ad μοχλίαν, lorũ, habenas & machinas eiuſmodi ueniendum erit.

Διάπλασις.

Sequitur ἐπίδεσις, quam κατταγματικὴν appellant: in qua multorum prouidentia eſt, ſed maximè, ut contineas, phlegmonem arceas, procures callum. Ac primùm an ſit deligandum, ſtatuere

ἐπίδεσις.

Κατταγματική.

opórtet: tum quæ deligandi forma, ac ferè ἐκ δύο ἀρχαίων uaria tamen ratione: ex quo decernendum, quibus, quàm multis, longis, latis, quàm denique firmis faſcijs opus ſit. Adhæc idonea forma linteis quærenda eſt. Cognoſcendum præterea unde primum inijcias, quæ ſit futura progreſsio, quàm multi, & quales circuli, quomodo diſtinguendi orbes, quibus interuallis, ubi & quando laxior uel aſtrictior deligatio, qua parte deſinat, quo loco, & qua arte nectantur nodi, aciæ figantur, conducantur habenæ, quando regulæ, ferulæ, puluinaria, mitellæ adhibenda ſint: quandiu continere omnia, & quando ſoluere oporteat.

Atque in ſano membro probanda prius deligatio, quàm in ægro periculum facias. Poſtremò prouidendum, ut in ea figura collocetur pars, in qua diutiſsimè conſtare poſsit, & minimè doleat. Iuſtos hæc commentarios deſyderant, uerùm hæc breuiter, nec tam docendi, quàm monendi cauſa dicta fuerint.

Quæ in faſcijs repellunt.

In faſcijs remedia adhibentur quæ repellant, & madorem ſciſsilium linteorum contineant: ſic enim prohibetur dolor atque inflammatio: faſciæ initio plures & aſtrictiores, ſi neque dolor neque phlegmone, uulnus uel aliquid tale prohibeat.

Vinum quale.

Ac ferè inebriantur uino craſſo, nigro, modicè auſtero: uinum hoc ſuperficiem cogit, uim ſuam ad repellendum altius imprimit, & ita præcidit inflammationum cauſas.

Vitanda.

Quod nimium ſtringit, dolorem excitat. Tenue, album, giluum, fuluum etiam ſi contrahat, repudiandum tamen eſt, ut reprimentium genus quod humectat, papauer, cicuta, mandragora, multo magis ſi in articulis & neruaceis partibus labor eſt. Nec enim qualitas ſola, ſed horum etiam corpus intrò penetrat & neruoſa lædit. Atque inde calor qui regit corpus, interdum extinguitur. Vino igitur craſſo, nigro, modicè auſtero faſciæ & ſplenes ſaturandi ſunt. Miniſter adſit, qui ſubinde affuſo uino ligaméta compluat: alioqui cum periculo reſiccantur, quod ne fiat noctu præcipuè prouidendū erit: hyeme uini

Oenelæum.

loco œnelæo uti ſatius eſt, quo etiá tempore ſuccida lana ſplenibus præferri debet: fumoſo uino & odoro abſtinendū, ne caput feriat.

Oui candidū cum roſaceo.

Iuſtum quoq; in ſuccandis linteis medicamentum ex oui candido, oleo roſaceo uel myrtino.

Acetum.

Alij aceto & oxelęo contra phlegmonem faſcias imbuunt. Detur id benè carnoſa parte & ſine ulcere.

Ceratum album.

Ceratum album in uſu eſt, ſuſpecta miniſtri diligentia, ne uidelicet lintea inareſcant: quod uino quidem minus efficax, repellit tamen & phlegmonem inhibet. Verū cerato uti poſt initia ſatius eſt, iam abeunte periculo inflammationis, & ubi fractura ſimplex nec in fragmenta uaria contritum os eſt. Cerato ergo pars ægra, faſciæ & ſplenes illinenda ſunt, adhæc extremæ partes, ſed manus præcipuè, ne quod deligatione extringitur, infirmū ſcilicet frigidumq; corpus imbibat: Ceratū καταγματικὸν è cera pingui & duplo oleo cóficitur, oleum ſit recens rhodinon uel myrteum. Cera ſiccior paulò liberalius oleo emollitur.

Ceratū piccatum.

Picato ueteres uſi ſunt ſi quid contuſum eſſet, ſi quid coquendum atq; mitigandum. Liquidiori cerato albo pix addita picatum facit. Omnia uerò lenia ſint & mollia ne aſperitate lædant: uitetur pondus, quod callum prohibeat & partem opprimat.

Perfuſiones.

Perfuſiones fiunt ex aqua tepida, ita calore temperata, ut in qua manum iucundè contineas: In frigoribus hydrelæum melius eſt. Perfunditur pars tertio ac quinto die, quoties uidelicet lintea diſſoluūtur, idq; liberaliter ut inde prurigo acquieſcat, & materia eius diſpergatur. In articulis tepida, tenſa relaxat, lenit dolentia, & phlegmonæ aduerſatur. Septimo die uel nono iam affunditur, non ut diſcutiat, ſed ut euocet ſanguiné unde cócreto poro oſſa cóſerantur (πώρωσιν Græcè uocant, & inde πωρωτικὰ quæ callū gignant.)

Πώρωσις. Πωρωτικὰ.

Callus neq; caro eſt, neq; os, ſed inter utrūq; ambigit. Itaq; depoſito metu inflammationis circa hoc tempus omninò cogitandum, ut coëat porus, unde effracta ſolidantur: ſic ergo moderāda perfuſio, ut inde pars uiuido colore efflorescat, & leniter attollatur: nimium eſt, ſi ſubſidet, & pallorem ducit.

Alimenta.

Alimenta ſunto quæ probū ſanguiné, multum, craſſum, uiſcidúmq; creent. Panis triticeus è farina primaria: triticum

legatur

legatur graue,denſum,unde ptiſana comparetur:chartilagineæ animalium par-
tes,neruaceæ,cutaceæ & pingues,ligamenta, tendines, petioli, uentres, linguæ,
roſtra:capita hœdorum,ueruecũ & porcellorum, agnina caro & ſuilla, palmu-
læ,caſtaneæ,uinũ ſtringens & ſimilia.Medicamenta ſunto emplaſtica, quæ mo- Medicamenta
dicè calfaciant è gyri, ſimila, thure, manna,gummi,fabrili glutine, maſtiche, tra
gacantha,liquore oui, pingui cera,oleo, lachrymis & ſuccis, quibus emplaſti-
cum nec ita calens corpus eſt. Ac iam antea de catagmaticis & cephalicis ſer-
mo habitus eſt: ſed hic quoque ea materia locupletanda eſt. Caninum cerebrũ Caninum cerebrum.
in linteo adhibetur: ſuperdatur lana inculcata oui candido: ubi ſqualeſcit re-
medium commutari debet: quatuordecim diebus ſolidat. Alijs purgatur hy- Hybiſcus.
biſci radix, atque hinc medulla eraditur, quæ perſe farinæ tritici miſta liquori
oui, effracta iungit.Radix hæc aquæ indita,& ſub dio poſita aquam cogit.Mu- Muſcus.
ſco uiticis utuntur ueterinarij: alij quernum præferunt. In honore eſt ueteri ex- Conſerua.
emplo,quam conſeruam uocant.Muſcus eſt denſus,herbaceus,ſpongioſus,hæ- Hiſtoria.
rens aquatilibus petris. Putator quidam ex alta arbore deciderat omnibus ferè
oſsibus confractis:præſtò aderant amici, qui corpus eius uniuerſum eo muſco
obligarunt: atque ita relatum domum in quiete tenuerunt, ſubinde conſperſa
aqua,ne muſcus emarceſceret: Rarò nec niſi deficiente herba remedium muta
tum eſt: Atque hac medela uix credibili celeritate conualuit. Aeſtate,benè car
noſo duróque corpore, recenti malo, exemplum uetus liceat imitari. Farinæ
triticeæ unc. ſex. ſanguinis draconis, maſtiches, thuris, ſarcocollæ ana unc. I.
trita hæc cum farina,& oui candido ſubiguntur. Triticea farina,gummi,& man
na incoquuntur aqua: fit cataplaſma, quod reprimit, continet & poron gene-
rat. Exiguis partibus effractis,pelliculæ affiguntur illitæ gummi & fabrili gluti-
ne. Canaliculi afformantur cauis, emplaſtro inducti, ut & contineant & ſoli-
dent.Fuligo thuris liquori oui & farinæ tritici coniungitur. Emplaſtra quæ per-
tinacius hærent,tepidæ fotu reuelluntur.Panalithes ad cõtuſa,fracta etiam cum Panalithes.
uulnere,uulnera neruorum,uertebrarũ, purgandas collectiones, inciſum ſcro-
tum,beſtiarum etiam uenenatarum morſus,&alia.Olei dulcis unc.9.bituminis,
ceræ reſinæ piceæ,picis aridę ana lib.I.litharg.ceruſę,æruginis ana drach.10. thu
ris ammoniaci,myrrhæ,aloës,ana drach.8.opij,ſucci pomorum mandragoræ a-
na drach.6.aluminis ſciſsilis,calcãthi,chalcitidis,croci ana drach.4. aceti quod
ſufficit.Omnia à litharg.ad crocũ in puluerem trita,& affuſa conducuntur mor
tario,ut ſit luti craſsitudo,oleum,cera,bitumen in fabales pillulas diuiſum nihil
uerſando colliquantur:liquatis pix & reſinæ admiſcentur,colantur omnia,atq;
recoquuntur.Aegyptium Andromachi,eadẽ poteſt, mollit ac maligna operit. Aegyptiũ Andromachi.
Ceræ litharg.ana unc.5.& ſemis ammoniaci unc.7.& drach.6.terebinth. unc.4.
ſuccidæ lanæ uſtæ unc.2.& drach.2.Ariſtolochiæ,thuris,ſquammarũ æris in ſto
momatis,id eſt perpurgati ferri ana unc.I.myrrhæ drach.3.opopanacis drach. 2.
olei ricinini, ſicyonij uel antiqui lib.3.litharg. oleo coquitur, dum concreſcat.
ſquamma inijcitur:ubi nõ inquinant,cera & ammoniac. exactiſsimè tuſum im-
ponuntur:liquatis terebinth.additur:ſublatis igne thus,& lanarum cinis inſper
guntur:refrigerata manibus ſubiguntur. Nigrum Aſclepiadæ mirabiliter unit la Nigrum Aſclep.
xata & confracta.Litharg.unc.8.bituminis unc.6.ceræ picis,ana unc.3.reſinæ pi
ceæ ſeſquuncia, aluminis, propoleos ana unc. I. ammoniaci drach.6. æruginis
drach.2.& ſemis.ol.quod ſufficit.In oleo litharg.coquitur dũ non contaminet:
cera & bitumen ſeorſum liqueſcunt,neq; commouentur:his pix adiungitur:tra
iecta colo omnia,lithargyro coctæ uniuntur: ammoniacum uehementer tuſum
immittitur atq; ita in ſolidum corpus omnia concoquuntur: hic præmollita ce
ra,& propolis coniunguntur:ubi coierint probè & igne deceſſerint, alumen &
ærugo in pollinem trita inſperguntur:uerſantur omnia & oxycrato merſa mani
bus ſubiguntur. Moſchionis ad eadem. Litharg. unc.3. picis aridæ, adipis uituli Moſchionis.

ana.20.terebinth.mannæ ana unc.10.ceræ unc.5. æruginis,opopanacis, galbani
ana unc.1. picis liquidæ ſelibra: aceti ſucci mororum, olei ricinini ana lib.1.li-
tharg.oleo coquitur,ubi efferbuerit,adeps inijcitur:Iam non inquinantibus,ce
ra & pix immittuntur,mororum ſuccus cum pice liquida ſeorſum coquitur,co
cta hæc alijs permiſcentur:Subductis igni manna & ærugo in puluerem reſolu-
ta inſperguntur:opopanax,aceto fuſus coniungitur:confectum pharmacum ui
no in tertiũ diem maceratur,& manibus piſtum ſedulò reponitur: uſus tempo-
re thorulũ madentem uino, uel faſciam ſuperponere oportet.Alutæ intenditur
uel duplo roſaceo dilutum non aliter quàm ceratũ album in faſcijs ac plagulis
uſurpatur,nam & fracturas conſerit, ulcera coniungit, & phlegmonæ aduerſa-
Signum concreti calli. tur.Concreti calli ſignum eſt,cũ iam ſine uulnere exudat ſanguis,qui lintea con
Conueniens callus. taminet.Id ferè fit criticis diebus 14.& alijs.Conueniens callus eſt, qui neq; ma-
ior neq̀ue minor, durior aut mollior quàm oportet, neque diſtortus eſt. Iuſtus
callus confirmari debet medicamentis, quæ ἔναιμα uocant, quæq; cruentis uul-
Quæ callum firmant. neribus adhibentur. Siccant leniter, & callum mediocriter confirmant. Ac de
Perfuſio. enæmis multa capite de glutinantibus. Perfundunt uino quod τεθαλασσωμένον
& θαλάττιον Græci, Latini ſalſum & marinum uocant,quod ſi deſit, ſalem uino li
queſcere oportet.Roſæ,balauſtia,myrta, muſcus è quercu albus, abſynthium,
& alia uino incoquuntur. Addunt pœroticis quæ callum contrahant bolum ar
menam,globulos,cupreſsi & alia. Sed hic moderatio quædam adhibẽda eſt: ne
nimium ſtringendo callum ſupra modũ atteras.Confirmãt pœron: Roſacei unc.
4.reſinæ unc.3.ceræ unc.2.colophon, maſtiches, thuris ana ſemuncia, coni cu-
preſsi,radicis rubiæ maioris ana drach.1. Melius fiet auctis emplaſticis, minuto
oleo,& adiecto momento croci.Thuris,maſtiches,picis farinæ piſtrinalis, boli
armenæ ana unc.2.ſepi arietini,cerę albæ ana ſelibra: Liquefactis cera & ſepo re
Sparadrapum liqua infriantur:In his linteum ſæpius inculcatũ fracturæ imponitur. Sparadra-
pum uocant. Vtuntur Apoſtolico,oxycroceo & alijs.Atq; hic meminiſſe opor
tet inſtituenda eſſe calloſis corporibus, quæ magis contrahant: mollioribus au
tem,quæ id mediocriter præſtent. Callus maior extenuandus eſt: deducta parte
alimenti & mutata qualitate.Diu leniterq; affricanda pars eſt ex oleo ſale,nitro:
Eademq; calida ſalſa foueri debet,induciq; malagmatis, quæ diſcutiant. Colli-
gandum arctius: oleribus utendum & uomitu. Alterum membrum ſinapiſmo
linere oportet,ut eò diuertat alimentũ. Paulus in recenti callo qui ſupercreuit
uehementer ſtringentia inſtituit, arctiſsimè ligat,lamina plumbea interdum ap-
poſita.In eo uerò, qui iam uetuſtate induruit, & unde pudendum, ac deforme
membrum eſt,neq; officium facit,cutem aperit, deradit pœron, lacerat ſcalpro,
terebra pertundit, & quantum ſupereſt execat. Quòd ſi nulla inde actio naturæ
intercipitur neq; conſpicuus membri pudor eſt,nullus deniq; dolor, præſtat ab
Minor callus. ſtinere ferro.Qui uerò infra modũ creſcit,aut non creſcit quidem ſuis terminis
alia ratione promoueri debet.Idq; contingit plurimum,cum nimis ac ſæpius fo
uetur locus: parum conuenienter alligatur, ſæpius & ante tempus faſciæ reſol-
uuntur. Sæpe enim in ratione uitæ peccatum eſt. Omnia ergo commutanda in
melius.Quòd ſi atrophia totius corporis callus non prouenit, in primis conſu-
lendum corpori. Sæpe etiã aſtrictioribus linteis, naturæ partis uitio membrum
quaſi ſyderatum ac marcidũ gracileſcit: hic affecto membro inſtaurãda uita eſt,
& laxanda deligatio.Id uerò in dropace magna ex parte deſcriptum eſt, capite
Extenuatorũ membrorum inſtauratio. de pyroticis. Extenuatum membrum uehementer iuuat commoda deligatio,
ſed contrà quàm in fracturis.Marceſcente tibia femur ſuperius alligamus,ab in-
guine ad genu faſcia: atque initio quidem arctior, paulatim relaxatur, ut com-
munibus uenis quaſi riuis deorſum ſanguis exprimatur, femore dextro con-
tabeſcente, uel toto crure, ſiniſtro femori faſcias inijcimus à genu ductis orbi-
bus, aſtrictius quidem, qui cum deſinant in inguine,hic etiam ita conſtringant,

ut parte aliqua ueluti diuerticulo,ſanguis in gracile membrum deriuetur. Sit autem deligatio ea ratione temperata, quæ neque dolorem creet, neque uniuerſum ſanguinem ab incolumi membro reprimat:hoc enim alere frugalius,nutrire tamen ſtatutum eſt.Eadem ratio in ſuperioribus membris ſeruari debet. Diſtortus callus ſiquidem mollis eſt, laxante fotu, & diaphoreticis exinaniri debet:fouetur tepida,hydrelæo,altheæ & ſimilium decocto. Diſcutitur arida ficu miſta ſtercori columbino. Sed de ijs generibus medicamentorum capite de reſoluentibus abundè dictum prius eſt. Si uerò occalluit,eadem quæ in ſupercreſcente & inueterato poro, conſilia ſunt. Mollior aſtringentibus emplaſticis firmari debet. At uix durior eſſe poteſt, niſi ea de cauſa fragilior ſit: atque hic totaginendi calli inſtitutio ſæpenumero repetenda eſt. Eſt cum è neruaceis partibus, & oſſeis muccoſus humor eliqueſcit, puri ſimilis, qui ferè in alto latet,nec facilè diſcutitur: quanquam laxata parte fuſa, inciſáque materia conuenientibus pharmacis diſsipari debet: alioqui facto uulnere repurgandus eſt. Atque is neglectus in ſcirrhum coit, qui præſcriptis ante remedijs capite de malacticis expugnari debet.

Diſtortus callus.

Mollior,& durior.

Muccoſus humor abſcedés.

Scirrhus.

F I N I S.

MARIANI SANCTI BAROLITANI ARTIVM ET *MEDICINAE DOCTORIS CELEBER*rimi, Compendium Chirurgiæ.

Marianus Sanctus Barolitanus ad Senatum Barolitanum.

DECREVERAM PATRES ATQVE SENAtores potius ſilere quàm hic aliquid adtentare, exiſtimans me obſtrepere magis, quàm aliquid ornatè concinneque dicere poſſe. Quis enim eſſet tam in dicendo inſtructus, aut eloquentia callidus, vt non vacillet ac frigeat, cum veſtra vndique ora tam attente dicentis verba trutinantia circumſpexerit? Quæ mihi nunc tam placida, tamq́ue benigna ſeſe offerunt, vt quaſi ad dicendum hominem non ſolum balbutientem, verùm etiam & mutum hortari videantur. Quare ergo patres à veſtra humanitate & benignitate impulſus, hunc locum (licet indigne) aſcendere auſus ſum, illum imitans, qui in medium harenæ ad pugnandum euolabit. Verùm antequam locum deſtinatum conſcendat, arma, & ſui defenſorem (ne quid ibi iniuriæ illatum ſit) parabit & conſtituet, maxime ſi nunquam aliâs inimicum ad cruentam pugnam compellauerit. Hoc idem mihi faciendum cenſeo, cum arma & loca, in quibus certamen erit ineundum, comparaui, quæ aggredi liberè adhuc non audeo, quando ſine defenſore iaceam, & multum horream: cum mihi conſideranti ſuccurret, non ſolum eſſe à me certandum cum inimicis, verùm etiam & cum amicis. Vnde ego, ne deſertus ab omnibus uiderer, vos Patres atque ſenatores mei certaminis defenſores paraui, vt authoritas veſtra me vbique locorum ac gentium tueatur, cui hæc mea præludia ſanctè pieq́ue dedicaui, animo quidem non extorquendi (quod plerique faciunt) ſed quam erga me voluntatem habueritis conſiderandi: quæ ſi (vt arbitror) meam non fefellerit opinionem ad maiora animum capeſſenda inuitabit. Nunc verò pro noſtra ætate hæc munuſcula, noſtras inquam lucubrationes ſuſcipere non dedignabimini. Quæ (vt ſpero) ſi fronte hilari, animoq́ue iocundo (ſicuti conſueſtis ſemper omnia facere) in veſtra authoritate ſuſcipietis, aliorum animos excitabitis, meq́; hæc vobis munuſcula porrigentem ſentietis omnia, quæ pro veſtra veſtrorumq́; commoditate ac vtilitate erunt, ſedulò eſſe conſecuturum. Dixi.

Ioannes Anthracinus Maceratenſis artium & medicinæ Doctor ad Lectorem.

SVPERIORIBVS annis(præſtātiſsime Lector)ætati noſtræ quàm plurimum gratulabar, quòd clariſsimus chirurgus Magiſter Ioánes de Vico Ligur nouū edidiſſet opus in chirurgia,quod copioſam inſcripſit:quale admirari omnia ſecula poterunt. Nunc iterum ætati noſtræ gratulandum & gaudendum cenſeo,quòd præclara quædā ingenia ſurgunt,quòd literatiſsimi quidam homines indies magis eluceſcant. Siquidē Marianus Barolitanus ſuperioris magiſtri Ioánis diſcipulus & alumnus, & qui nos etiam Romæ per plures annos in theoricis audiuit,& mirifice profecit,pręter alias diſciplinas profeſsioni chirurgicæ tantum incubuit,ut nouum opuſculum, quod elegans & apprime conſpicuum omnes inſpicere poſſunt, ipſe etiam ediderit,permultaq; (ni fallor,ut perſpicaciores ſunt iuniores omnes)egregie adinuenerit. Quæ noſtro huic & futuro ſæculo maxime cōductura (Lector elegantiſsime)comperies.Hunc itaq; libellum dilucidum,breuem, & omnibus canonibus,multiſq; ſecretis refertum,quiſq; ſibi comparare ſtudeat: Vnde profectò plurimum lucri, honoris, & gloriæ huius artis profeſſores conſequi facillime poterunt. Vale fœlix.

Aurelius Serenus Monopolitanus.

Apulia ô fœlix,Barolum cui præſidet ingens,
Cannarum oppidulo nobilitata quidem.
At nunc nobilior:doctum quia duxit alumnum
Hunc,qui Chirurgis edidit ipſe librum.
Qui uult inuigilans magni præçepta Galeni,
Aegrotis tantum præcipere ille cupit.
Sed dicas ferro medicari uulnera,plus eſt,
Vt non iuſſa ſatis ſit dare,ſed facere.

Ioannis Mariæ Tholentinatis Carmen ad lectorem.

Non Martis furias,dolos,rapinas,
Fulmen ſulfureo minans boatu,
Cædes,exuuias,ducum nec enſes,
Non hîc Nerea,turbidumq; pontum,
Syrtes,fulgura,turbines,procellas,
Aut fabri uetitos uiris uolatus,
Non riſus Veneris,ſales amantum,
Nec fictos geminos deos amorum,
Nec quicquid ſimulant ſacri poëtæ:
Sed Phœbi documen malis medelas,
Curas ulceribus ſatis ſalubres,
Fractis oſsibus,omnibusq; neruis,
Necnon uulneribus modum medendi
Cruris,pectoris,aurium, cerebri,
Ac herbas,oleum,ſacros liquores.
Flores,balſama, pulueres potentes,
Et quicquid docuit prius uetuſtos
Diuus Phœbigena: euocat dum auerno
Conuictus prece Virbium Dianæ,
Hîc ſcribit Marianus urbe notus.

Eiuſdem diſtichon.

Plectra canant alij Phœbi,currusq;,ſagittas,
Iuſſa ſalutifera at tu Mariane Dei.

COMPEN-

COMPENDIVM IN CHIrurgia ſtudioſis utiliſsimum Mariani Sancti Barolitani artium & medicinæ doctoris egregii.

PROOEMIVM.

COMPLVRES HOMINES (SICVTI HVMAna conditio eſt) arbitror eſſe dicturos me honoris cauſa opuſculum hoc meum inchoaſſe, cum me uiginti quinque annos natum minime deceret, ut mihi hanc ſcribendi prouinciam uendicarem: cum in hac re experto atque homine exercitato opus eſſet, ut è locis ſaltuoſis in planum ægritudines conduceret: cum multi ętate prouecti, & hoc ipſum pertractantes ſint uiſi in plano cæſpitare. Id quidem non aliã ob cauſam dicent, niſi quòd me odio perſequantur, measq; cõ
Hippocrates.
pilationes uituperent. Nam ego non paruã mei ſtudij partem in hanc artẽ exercendo conſumpſi, & ut mei incepti compos efficerer, quot labores perpeſſus ſum, qúas ue miſerias exantlaui? Idcirco ſi id mihi honori dabitur, non inuideant meo honori, cum labori & uigilijs non inuideant. Fortaſſe dicent nihil eſſe dictum, quod prius non ſit dictum. Fateor equidem & antiquorum lucubrationibus excerpſiſſe, quæ ad meam commoditatem congrua apparuerint, Auicennam principem inſequendo, id nempe illi uituperabunt, qui ſibi prædam ereptã exiſtimabunt. Nam commodiorem modum inueniri (ni fallor) uix poſſe opinabuntur, in quo ſuas (ſi modò habeant) cogitationes fabricent. At ſi quid muſſitando laudabunt, credendum eſt, id eos laudare, quod ſe imitari poſſe autumabunt (ut mos eſt inuidorum) cætera uipereis morſibus dilaniare fruſtra conabũtur. Hoc illis forſan eueniet, quia me audire nolent. quòd ſi prius meas inſpexerint rationes, aut tacebunt, aut mihi detrahere deſinent, niſi innata fuerit illis odioſa pertinacia. Cum ergo à patria ſtudendi cauſa deceſsiſſem, uidebatur illa quodammodo à me (quod per tot annos denegaueram) meum erga ſe officium petere ac honorem, quo optimus quiſque filius utitur erga parentem de ſe bene meritum. Non eſt itaque uiſum à ratione diſſonum, meos labores illi in quibus tantopere inſudauerim aſcribere, quod facere iure tenemur, ni ei contumaces eſſe uelimus. Quiſnam erit tam duræ ceruicis, tamq; ferocis indomitiq; animi, ut capitis periculum non ſubeat, dummodo ſe patriæ profuturum eſſe animaduertat? Hinc eſt illa Marci Scæuolæ combuſta manus. Hinc Decij præcipitatus, atque aliorum complures moriendi modi. Omitto iſta, ne uidear uelle hiſtorias deſcribere. Hæc fuit prima deſcribendi cauſa, ut meæ patriæ ſatisfacerẽ. Deinde ut noſtris amicis gratificarer, qui me maximè rogauere, ut ordinẽ, quo in curandis ægrotis utor, deſcriberem. Quoniam me tam breui aſpiciebant eo magnitudinis artis medicæ aſcendiſſe, quòd quaſi impoſsibile uidebatur. Cúmque hæc mihi tradita ſit ſcribendi facultas, deberém ne per ocium ætatem agere, ut ſomno ac uentri deditus eſſe uidear? Ob id certum eſt mihi potius incultè, indoctè inſulſeq; ſcribere, quàm Epicureum nomen uidear mea culpa ſubiturus. Et propterea uideo ſolertes beneficosq; homines id honori potius quàm uitio daturos. Hi uerò qui meam diligentiam uituperabunt, ſuam inertiam, maleuolentiam aſinali ſtoliditate nutritiam detegent: & ſtulti, inepti, luxurioſiq; ha

bebuntur. Sed de hoc hactenus. Cum me amici quidam conueniſſent, ut apoſte matibus, uulneribus ac ulceribus differerem, rogauerunt, ut id eorum cauſa facerem, quo ipſorum animus magis magisq́ ad hoc ſtudium fortior accenderetur, & per me ſibi liceret ut artem chirurgam adipiſcerentur. Ergo autem (ut ille qui nullum alijs pro ſe commodum claudi uoluit) differui cum illis eo ordine, quem modò deſcribam, ac ſi cum illis iterum ageretur: Vnde ſic natum eſt exordium.

IVLIVS.

EN quotiens Mariane nobis pollicitus es te de medicina chirurgica nobiſcum uelle confabulari, quod quidem factum eſſet, ni tempus dilapidare timuiſſes. Nunc autem quoniam hunc diem genialem agimus, ac caumata iſta nos ipſos ſeuocant à ſtudio, nequid temporis uacuum laboris demus nobis, aliquantulum confabulemur, ut noſtros animos, eo quod tantopere deſideramus, explere ualeas, & te à uinclo ſacramenti, quod nobiſcum contraxiſti exoluas. Ergo incipe multũ exoptate, quandoquidem nos arrecti aures longo ſilentio tibi fauemus.

MARIANVS.

ENimuerò hercle dies iſte genialis eſt. nam uos hilariores eſtis ac dudum mihi cum diſputabatis uidebamini. Erat enim illa inter uos litigioſa diſceptatio, nunquid in rebus æquale ad pondus trutinaretur? Pro cuius probabilitate noſter Iacobus de Iacomellis uiriliter præliabatur ſuis argutijs perplexisq́ ratiunculis, quæ eo ordine ac lege nectebantur, ut utrum ſophiſta an uerus ſit diſputator quis nequeat diſcernere: ita concinne uno oculorum nutu illius præcocis faciliſq́ ingenij mollities temperatur. Verum enimuerò iſtud hodie capeſſere nollem, quoniam abſq́ ulla hæſitatione uideor uidere uos meas confabulationes faſtiditum ire. Sed quando uos nullo cogente altam taciturnitatem mihi præſtituros promiſiſtis, incipiam exordiri: uerùm hac lege, ut ſi quid erratum erit, ignorantiæ meæ illud aſcribatis: & ſi quid boni dixero Deo maximo afferatis, à quo omne bonum dependet. Quem nunc oro atq́ exoro, ut me ea gratia aſpergat, qua uos explere ualeam. Nam ego ſemper cupidus fui uelle uobis in hoc ſatisfacere, de quo modo loquimur, apoſtematis definitionem introducendo. Hæc enim maxima cognitionis pars dicendorum exiſtit, ut monet totiens repetita illa Tulliana ſententia, quæ ubiq́ locorum ac terrarum colitur, & ſæpe inter nos citata cum in ſtudio diſceptaremus modo in medium duceretur: Cum „ omnis quæ à ratione ſuſcipiatur de aliqua re inſtitutio debeat à definitione pro „ ficiſci, ut intelligatur quid ſit, de quo ratiocinemur. Et cum noſtra inſtitutio ſit „ de apoſtematibus, iure ea diffinimus, deinde duo ipſorũ genera componemus. Verũ quid ſit ipſa Chirurgia, undé ue dicatur, prius dicere oportere credimus, quando de ipſa locuturi ſumus, & qualis debeat eſſe chirurgus, & quot ſint eius operationes, deinde conſtitutũ ordinẽ ſubſequemur. Eſt igitur medicina chirurgica? ſcientia docens modum & qualitatem operandi in corpore humano uiuente, quod à re contundente, uel apoſtemante, aut incidente, uel ulcerante labefactatum fuerit. Quid ergo audito nomine ſcientiæ expaueſcitis? An à uocabuli interpretatione expergiſcimini, ne animum incuruetis ad credendũ chirurgiam eſſe ſcientiam? Cum dicatur à chir Græcè, quod latinè manus ſonat, & ergon, id eſt, quaſi chirurgia ſit manuum operatio, & non ſcientia? Ad quod facile reſpondemus ipſam diuidẽdo, cum duplex ſit proculdubio ipſa chirurgia. Cuius pars una docet nos modum & qualitatem operandi in corpore humano.

Medicina Chirurgica quid, & quotuplex.

Alia pars eſt,qua utimur circa corporis ægritudines.Prima quidem ſcientia,ſed
non propriè dicta,Pars uero ſecunda practica nuncupatur. Sed non illa quam i-
ſti empirici practicam nominant.Nam practica diuidit qualitates unguentorũ,
& herbarum proprietates diſcernit,atq; ſimplicium naturas aggregat.Illa quidẽ
pars,quam Hebræi,ac noſtri empirici practicam uocant, quáq; ipſi gloriantur,
ſeruitus eſt utriuſq; partis medicinæ chirurgicæ, ut ita loquar. Cum non impe-
rat,ſed tantum ſeruit,ac diſtenta unguenta ægritudinibus componit,emplaſtra
conficit,cerota malaxat.Hanc mirum in modum partem antiqui chirurgiam in
terpretati ſunt,à manuum operatione,uolentes ipſam à theorica, & practica di-
ſtinguere,& diuidere:quæ utræq; indigno noĩe chirurgia nominãtur. Quod ne
minimirum eſſe debet,cum nos ipſi ſeruam appellemus & faciamus.Quod cer-
te maximè patet ex noſtrorum copia chirurgicorum. Namq; operepretium eſt
eorum conſiderare & uidere audaciam.Volunt ipſi medici chirurgici nuncupa
ri,cum non modo neſciant theoricam & practicam , ſed ne literas quidẽ unquã
legere uiſi ſint.Sunt hi enim uero muliones,lignarij,ſartores,piſcatores,barbitõ
ſores,& ferè omnium fæces hominũ.Qui cum ab arte quam ab incunabulis didi
cerunt,nullo ſtipendio ac mercede ſui laboris alliciantur , confeſtim ad chirur-
giam tanquam miſerrimorum hominum altricem confugiunt, ſiſi tamen malua
rum cognitione,& axungiæ . Cum medicus chirurgus debeat eſſe ab ineunte æ-
tate nutritus in literis , & eo maximè in principijs medicinæ educatus aut ſaltẽ
grammaticam non ignoret,ut cum opus fuerit, poſsit libros lectitare , eóſq; in-
telligere.Quoniam legere,& non intelligere,eſt authorum pręcepta & remedia
negligere.Iccirco mi compater Euangeliſta ſtude totis uiribus,operámq; literis
impende,ne in horum numero aſcribaris. Debet eſſe medicus chirurgus adole- *Medicus chirurgus qualis?*
ſcẽs manu ſtrenuus,ingenio potẽs,animo intrepidus,uiſu lynceus,placidus uer-
bis,& aliquãdo immiſericors , ita ut ululatus & infirmorum gemitus & ſuſpiria
floccipendat,neq; nimis quam opus eſſet ipſorum uocum & lachrymarum mi-
ſereatur,debétq; multorum practicantium facta inſpicere,eorúmq; intentiones
annotare, ut quæ ſint explodenda fugiat,& quæ colligenda extiterint,memorię
mandet animoq; intime recondat,ſic igitur debet eſſe medicus , ut uerè dicatur *Vna eſt medici operatio.*
chirurgus,cuius una eſt operatio,ſcilicet idonea inſtrumenta naturę adminiſtra
re,ut Galeno uiro optimo placet dicenti,Natura eſt operatrix, medicus uerò ei *Tripliciter natura operatur.*
us miniſter. Verum hac idonea inſtrumentorum exhibitione tripliciter natura
operatur.Aut enim continuum ſeparat,aut ſeparatum unit , aut ſuperfluum re-
mouet. Et ideò ſit diligens nec corporis ſegnitia, aut animi ſecordia teneatur,ſi
medici nomen boni cupit indui,ut ea,quibus idoneæ natura poſsit operari, ad-
miniſtret,nec unum pro altero præbeat naturæ oparanti uel operaturæ:quod ſi
accideret ambo quidem ocioſi eſſent,ſicq; nomen mali medici ſubiret. Quod ſi
quis effugere uelit,naturæ operationes diligentius attẽdat,ac membrorũ cõple
xiones conſeruet,quibus ſeruatis,cõmodius natura opabitur,honorẽ & utilita-
tem miniſtro diligenti accumulãdo.His igitur pręlibatis,ad apoſtematis defini-
tionẽ accedamus,ipſum deinceps in duo genera diuidẽdo . Eſt enim apoſtema *Apoſtema quid?*
morbus ex triplici morborũ genere cõpoſitus,ad unã magnitudinẽ: aggregatus
ſ.ex mala cõplexione,cõpoſitione,& ex continuitatis ſolutione . Mutatur qui- *Quomodo mutatur complexio*
dem cõplexio caliditate aut fragilitate,ſiccitate aut humiditate.Membrorũ aũt
cõpoſitio diſcomponitur,quotiens à ſua uera plaſmatione deformatur. Verum *Quot modis fit ſolutio cõtinui.*
continuitatis ſolutio fit, aut inciſione , aut corroſione,aut fractura, aut tenſio-
ne,ut recitat Galęnus ſecũdo Techne.Sed in apoſtemate fit tenſione,qua partes
diſgregantur.Dicamus igitur nunc, quando à definitione ſoluti ſumus , apoſte-
matum genera,quæ bicipiti diſcrimine ſecta comperimus.

OMnia enim apoſtemata,quæ in humano corpore oriũtur,aut calida,aut fri *Duplex apoſtema.*
gida, eſſe oportet. Quæ autem calida ſunt, proprijs ſignificationibus

dignoſcuntur.Ea uerò quæ frigori aſſociantur, frigoris ſigna ſequuntur.Et quæ tuo iudicio æſtuare uiſa ſunt,à cholerico uel ſanguineo humore exoriuntur.Eodemq́ modo quæ frigore tabeſcunt, à melancholico uel phlegmatico humore manare exiſtimatote. Sed hæc omnia,cura, nomine, ſignis, adinuicem differũt.

Apoſtematis ſanguinei accidentia.

Quoniam à ſanguine deductum apoſtema cum huiuſmodi accidentibus manifeſtatur:ſcilicet tumore eleuato,caliditate totũ corpus amplexa,q̃ raro eſt corpus ſine febre:colore aliqualiter obſcuro & non claro, tenſione ac impulſione. quia materia conculcata tactui repugnat. Pulſatione quia materia proſtrata arteriam comprimit,quam natura eleuare nitendo, maiorem pulſationem geminat.Ergo quanto magis arterioſo loco apoſtema erit,eo magis pulſationẽ grandiorem percipietis.Dolore,qui fit partium diſtractione, & ratione malæ complexionis calidæ,ac etiam conculcationis materiei in loco. Detectione uenarũ, quia ad illum locum ſanguinis concurſu uenæ, quamuis capillares,intumeſcũt.

Cholerici.

Eademq́ ferè ſigna in cholerico apoſtemate apparent, ſed aliquantulo mitiora ad ſui extenſionem:at in dolendo ſæuiora,propter humoris mordicationem & acuitatem. Verum ſanguinis apoſtema erit extenſione maius ipſo cholerico propter ſanguinis humiditatem,quę ad extenſionem facit,ut ipſius caliditas ad ſubtiliationem, ut ait Ariſtoteles in libris de generatione, quando loquitur de qualitatibus.Et propterea ſunt in ipſo dolores mitiores, quàm ſint in cholerico.Quoniam caliditas ab humido comprimitur. Cæterùm in apoſtemate cholerico,quantitas diminuitur,propter humoris ſiccitatem, quæ extenſionẽ comprimit. Sed accidentia doloris auget:quoniam huiuſmodi humoris qualitates dolorem cauſant intenſiorem, cum ſint omnino deſtructiuæ qualitates, quando ſimul ad certum gradum combinantur.Quæ uerò apoſtemata à frigidis humoribus cauſantur, ſua ſigna prænominatis accidentibus apponunt, quamuis apud ſaniei generationem pulſationem quandam plerumq́ detegant, cholericæ ſanguineæ ue pulſationi non eſt conferenda. Verùm apoſtemata, quæ à ſanguine & cholera ſcaturiunt taliſmodi nomina ſibi uendicant, Phlegmone,Eryſipelas,Formica,Ignis Perſicus,Veſica, Inflationes, Eſchara, Carbunculus, Bubones & ſimilia. At Phlegma & Atra bilis,has ægritudines maxime fouere ſolent: Oedema ſcilicet,Nodos,Scrophulas,Glandulas,Scirrhos, Cancros, Phlegmonas,Gangrænam,Eſthiomenos, & cætera id genus. Quæ quidem omnia prædicta in principio ſuæ generationis & augmentationis, apoſtematum uel exiturarum:in fine uerò ulcerum(ſi ad continui eruptionem uenerint) nomina ſortiuntur. Et quoniam compoſita corpora apoſtemata eſſe dicuntur,non uno conſtare humore uidentur:quamuis à quolibet humore,ea quaſi ſimpliciter dixerim, generari. Tamen ut placet Ariſtoteli in phyſicis, à ſuperabundanti humore denominationem concipiunt. Veluti à ſanguine uincenti,ueræ phlegmonę dicuntur:à cholerico prædominio,phlegmone eryſipelatôdes, uel eryſipelata phlegmonode,& hoc ſecundum quod prius fuerit. Nam iſta duo ſeſe ſubſequuntur. A phlegmate autẽ dominante phlegmone œdematôdes,uel œdema phlegmonôdes.A melancholiæ principatu phlegmone ſcirrhôdes nuncupantur. Habetis ergo ſigna,& eorum appellationes,nunc tantum ipſorum apoſtematum curationes & exiturarum prælibabimus, quandoquidem hoc uobis debere non poſſum. Nam ueſtra me familiaritas eo in loco intruſit,ut nullæ me inde excuſationes redimere ualeant.Sed antequam eorum curationes ordiar, pauca etiam de apoſtematibus diſſerere iudico oportere, quæ curationi maxime uſui eſſe ſolent.Cum quælibet ægritudo habeat cauſas,& curari non poſſit, niſi cauſæ illius ægritudinis ſciantur. Iccirco dicamus apoſtematum cauſas, ut inde facilius ipſorum curationes pertractemus.

Nomina apoſtematũ à ſanguine & cholera.

Nomina apoſtematum à phleg. & melanch.

A ſuperabundanti humore ſemper denominatio fit.

Cauſæ apoſtematum tres.

APoſtematum cauſæ ſolent eſſe tres. Quarum una eſt primitiua,altera antecedens,& alia coniuncta.Primitiua eſt,quod corpori extrinſece euenit:ut

inciſo

inciſio,fractura,percuſſio,caſus & ulceratio pedum,uel manus,aut alterius mẽbri,quod propter dolorem à natura deſiderata ſubſidia expetit: cui cum natura ſagax membro exiſtente depauperato ſuppetias denegare non poſſit,fit,ut ſua transmittat nutrimenta,quæ ſi in tranſeundo,uacua loca inuenerint, phlegmonem cauſando reſident,ſicq; apoſtema intumeſcit. Antecedens uero non uno modo dicitur eſt enim repletionalis,humoralis,cõplexionalis, quæ licet omnia ad unum ſcilicet humorum adæquationem conſiderentur: quotiens tamen æqualiter ultra debitum humores excreſcerent,repletionalis diceretur.Humoralis autem ſi unus tantum humor apoſtemaretur,ut in Eryſipelate cholera, & uerę phlegmonę,à ſanguine puro & laudabili genitæ feruntur.Complexionalis uerò,ſi ijdem humores à primis qualitatibus diſtemperarentur. Dico enim,à primis qualitatibus,ſi forma ipſorum in compoſito ſub bipedali quantitate terminata tripedalem ſibi uendicaret,unde ęgritudines à prędominio nomina ſortitę oriuntur.Compoſitionalis autem diceretur, ſi unus, alter alterum in gradu ſuæ qualitatis à natura in compoſitione pro membri exigentia tributo ſuperaret: unde tota compoſiti moles deſtrueretur febribus,alijsq; ægritudinum generibus.Quare nemini dubium erit complexionem,licet alij dolorem etiam cõnumerent,cauſam antecedentem exiſtere.Illud idem erit membri debilitas, additur & aquoſitas,atq; uentoſitas.Cęterum cauſa coniuncta eſt ipſa antecedens in loco ulcerato,uel ulcerationi proximo. Hoc idem ſilentio prætereundum eſſe non iudico,cuiuslibet apoſtematis quod ad ueram purificationem,uel ut apertius eloquar,maturationem euenerit,quatuor eſſe tempora: uidelicet principiũ augmentum, ſtatum & declinationem.Principium etenim præſentia coniunctarum cauſarum cum incipiunt apparere declarat.Augmentũ uero iudicatur per magnitudinis incremẽtum.Statum hercle nobis indicat materia aggregata,quæ in eo tempore ſolet aggregari. Declinationem profecto lenitas quædam ac debilitas conſideranti aperuit.Quæ quidem tempora non minus quàm ægritudines notanda eſſe arbitror.Auicenna quidem docens impoſsibile eſſe te ſanare ægritudinem,cum ipſam ignoraueris,uidetur quaſi ſequelam inferre quòd temporibus ignoratis,cura etiam ignoretur.Nam cum ſint diuerſa apoſtematis tempora diuerſis pro illius cura indigemus medicaminibus.Sed ante omnia ſcire debemus,quæque apoſtemata poſſe quatuor modis determinari,primo reſoluendo,ſecundo ſaniando,poſtremò putrefiendo, ultimo uerò petrificando. Qui quidem modi circunſcribuntur in fine capituli de phlegmone ab Auicenna medicorum principe: Quem non ſolum amandum, ac reuerendum, uerùm etiam ſuſpiciendum,& colendum eſſe autumo, & pro illorum cura duo ſunt omninò ratione uoluenda,quorum unum eſt fieri,alterum factum eſſe. Quod fieri diximus, materiam fluentem intelleximus.Quod autem factum eſſe protulimus,eãdem materiam ad locum fluxam ſignificauimus. Ad quæ curanda non animo tabeſcenti, non corpore languenti, ſed hilari uultu, facie iocunda nos ipſos offerre debemus: in principio repercuſsiua formando cum membri confortatione,eo quia quarta primi nos Auicenna docuit,membrum forte ſuas ſuperfluitates ad debile membrum tranſmittere, ex quo illorum humorum ingurgitatione ſuffocatur,ac etiam debilitatur,ergo ne ipſorum ſorbitione ſuffocetur & debilitetur,materiam repercutiendo,membrum ipſum confortemus, & contra illas corroboremus. Hoc autem potiemur, cum frigidis & ſtypticis utemur, ſicuti Galenus tertio Technę refert. Repellemus autem à patienti parte, ſi infrigidemus,& ſtyptica apponamus.Sed poſtquàm tempus & opportunitas nos,ut de repercuſsiuis ageretur,admonuit,honeſtum eſſe duximus, ut de caſibus,qui à repercuſsiuis abhorreant,diſſeramus:Quos tanquam ſcopulos in medio mari in aliquibus locis euitare debemus,ut læti portum intrare ualeamus. Quoniam non minorem uoluptatem medicis eſſe arbitror,cum rectè benèq; ægritudines

Apoſtematum tempora quot ſunt.

Quot modis poteſt apoſtema determinari.

Duo conſiderantur in curatione apoſtematum, fieri & factum eſſe.

curauerint, quàm nautis cum ab alto mari quęſitam urbem inſpexerint.ergo,ut naufragia periculaq; declinemus,in hoc parumper euagemur.

Sex ſunt caſus quibus repercuſsiua nõ applicantur.

MEmini ſæpenumero magiſtrũ meum Ioannem de Vico Ianuenſem (cuius uerba diligenter obſeruo,& quoad poſſum nunquam ab eius latere diſcedo)ſolitum enarrare phlegmonen,quæ corpori immundo obuiauerit,repercuſſiua omnino auerſari,niſi prius mundificetur.Nam materia multa repercuſsionem nõ admitteret:& ſi nos repercuſsioni inſtare perſeuerabimus,corpore prius non euacuato,maximè quidẽ erraremus.

Primo.

Quoniã repercuſsionis cupidi materiam ad locum ipſi conſtiparemus.Quod ſi efficeretur,aut nobis membri corruptionem portẽderet,aut petrificationem minitaretur, quòd ſi alterũ iſtorum contingeret, noſtra culpa ſine dubio mali medici nomen ſubiremus.

Secundo.

Secundo loca emunctoria nullo pacto repercuſsiua deſyderant.

Tertio.

Tertio materia exiſtente multa,pingui & tenaci,hæſitabitis in percutiendo, ne quod nobis primo dictum eſt eueniat. Nam (utiq; tertio Technæ Galenus præcipit) plenũ exiſtẽs corpus,repercuſsionem non recipit.

Quarto.

Quarto materia exiſtente uenenoſa,& furibunda in percutiendo nullũ ineatis cõſilium.Sed toti in prouocando eſte occupati.Quod ſi repercuteretis,maximè mea quidẽ ſententia, à recto itinere exorbitaretis.Quoniam materiã euaporandam, & in circumferentias prouocandam,in ipſo nempe centro includeretis.Ex quo uenenoſitas illa ueſtra opera uniretur,& fortior ipſa diſperſa contra naturalem uirtutẽ aliquid mali meditaretur.

Quinto.

Quinto illud idem faciendum erit,ſi materia extiterit depreſſa,atq; in loco contuſa, ne illic repercutiendo corrumpatur, & membrum à ſua poſitione deformetur.

Sexto.

Sexto & ultimo, ſi natura per uiam criticam exituram procreauerit, tunc pro illius repercuſsione ingenium deeſſe opinabimini, ne materia interius conuerſa iterũ pullulare machinaretur,quod eſſet priori deteſtabilius. Et ideo nos criſi opitulando,materiam ipſam euacuemus, ut Galenus aſſerit in cõmento aphoriſmi primæ particulæ,ſcilicet ea, Quorum criſis,&c. Pro quorũ omniũ curatione caſuum mollitiuis uti debemus. Sed ſi quis ueſtrum modò me percontaretur,quare repercuſsiuis nos utamur: huic quidẽ meritò reſponderetur, non aliam ob cauſam applicari, niſi ut materia fluens reijciatur, atq; retardetur, & nõ ut fluxa nobis tergiuerſetur.

In principio& augmento eſt repercuſsiuis utendum.

Et propterea canonice operãdo in principio & augmento repercuſsiua ordinabimus,quoniã materię his tẽporibus maximè fluunt & refluũt.Ideoq;(ut membrũ à propria qualitate formá ue conquaſſatũ, eiſdẽ remedijs confortetur,ut Galenus teſtatur in tertio Technæ. Vaſa ſtypticis pharmacis confortata plurimum à ſe repellunt)ſucceſsiuè dicere tenemur propter materiei defluxum repercutere,defluxa uerò reſoluere oportere.Sed ne longius ab incepto diſtrahar,faciendum duxi,ut ex quo noſtra oratio egreſſa ſit, illuc iterum regrederemur.

Cura apoſtematũ calidorum.

PErtractemus ergo curã apoſtematum calidorũ.Nam inde facilius ad aliorũ curationẽ peruenitur:cum ille philoſophorũ princeps aſſerat, contrariorũ eandẽ eſſe diſciplinam.quoniã ipſæ apoſtematum curationes in alio non differunt,niſi ſecundũ magis & minus.Et propter hoc maxime colluctari debemus, ne nos ſimpliciũ cognitio naturaq; effugiat.Nam quanto magis in hoc excelletis,eo facilius remedia illis ægrotis opportuna adhibebitis,quos ipſi curaturi eritis.

Conſideretur cui corpori acciderit apoſtema curandũ.

Et ut facilius iſtud cõſequamini,diligentius inſpicere oportebit, nunquid illud apoſtema pleno, an uacuo corpori occurrerit. Nã ſi uacuo obuiauerit,illud eſſe à cauſa primitiua iudicabitis, cuius cura alia nõ erit præter materiei extractionẽ reſoluendo aut mollificãdo. Reſoluemus quidem ſi ſtypticis frigidis cum calidis humectantibus utemur.quoniã frigidis repercutimus,ſi qua portio cholerę propter dolorẽ eſſet fluenda. Stypticis uerò membrũ confortamus, ſicut diximus ex intentione Galeni.Reſoluimus calidis, humectamus aũt ne pori cõgelaſcant,hoc dicimus in principio rei eſſe adminiſtrandũ.

Repercuſsi cũ

Cuius exẽpli gratia,

percuſsione & membri conſortatione.

tia,tale erit medicamen.R.ſucci ſemperuiuæ,ſucci lactucę ana unc.j.olei roſ.ca
momelini an̄.unc.j.olei myrtini ʒ.x.ouorũ numero duo,quæ omnia adinuicem
cõquaſſentur,cũ uitellis & albuminibus ouorũ,donec bene incorporãtur, po-
ſtea apoſtemati cum pecijs ſuperponãtur.uel Rec.boli armenæ, acaciæ an̄.unc.
j.olei roſati,myrtini,camomelini an̄.unc.j.ſ.farinæ fabarum unc.j.pulueris myr
tillorum,nucum cupreſsi an̄.unc.ſ.ceræ parum,quæ ad ignem incorporẽtur, &
loco dolenti ſeruantur. Verũ pro reſolutione apoſtematis calidi ab omni cauſa
cauſati,iſtud quod mirũ in modũ magiſter meus laudabat,& in rei ueritate eſſe,
ſicut prædicabat ſemper inueni,uos deinceps applicabitis, cuius ordinatio eſt

Reſolutiuum

huiuſmodi.R.capitum liliorũ alborum unc.v.radicum althęæ recentiũ lib. j. ca
momillæ,meliloti an̄.M.ſ.furfuris M.j.decoquantur omnia in aqua uſq; ad per-
fectã cocturam,deinde colentur & exprimãtur.Facta expreſsione colligãtur ra-
dices & liliorũ capita,quæ fruſtatim incidantur, piſtentur & cribellẽtur ultima
cribellatione,cui poſtea addãtur olei roſ.camomelini,anethini, de lilio an̄.unc.
ij.medullæ crurium uituli & uaccarũ,pinguedineſq; gallinaceæ an̄. unc. j.ceræ
albæ unc.j.ſ.carnis pomorũ ſub prunis decoctorum(ſi inueniri poſsint)unc.iij.
ſ.liquefacta omnia ad ignẽ lentum cũ prædicta cribratura bulliant ſemper bacu
lo agitata per dimidiũ horę,& fiat cerotũ,ex cuius uſu dona reportabitis. Si ue
rò reſolutioni,quoniã id plerunq; cõmentantur,non morigerabuntur,ad molli
tiua animũ conuertite ueſtrum,quæ duplici uia cõponuntur,aut.ſ. embrocãdo

Mollitiuum.

aut emplaſtrãdo.Fit enim hoc modo embrocatio.R.decoctionis maluarũ, uio-
larum,hordei,ſeminis cytoniorũ,ſeminis lini,foliorũ lactucarũ lib.v.farinæ hor
dei unc.ij.olei uiolati roſati an̄.unc.j.ſ.butyri unc.j.bulliãt omnia ſimul, donec
fiat ſimilis gallinarum iuri uel brodio,addẽdo in fine coctur ę uitellos ouorũ nu
mero quatuor.Et modus applicationis eſt,ut cum pecijs madefactis in dicta de
coctione actualiter calida fiat crebra mutatio unius poſt aliã,per tertiã partem
unius horæ.Sedat enim dolorẽ & reſolutioni opitulatur,materiam ad cutim at-
trahendo.Poſſunt etiã ex decoctione capitis arietis, & aliarũ carnium tales em-
brocationes fieri,dũmodo iura pinguia ſint,& hoc ſecundum quã habebitis in-
tentionem maturandi uel reſoluendi. Quã immediate tale ſequitur emplaſtrũ.

Emplaſtrum mollitiuum.

R.foliorum maluarũ,uiolarum & lactucarum an̄.M.j.quæ decocta,piſtata & cri
bellata,cũ farina hordei & eadẽ decoctione addendo olei uiolati unc.ij.ſ. buty
ri unc.j.ſ.ad ignẽ ſolidè emplaſtrentur. Et quando ab igne aufertur,incorporen
tur uitelli triũ ouorum,& ſuperponatur ægritudini.Si uerò tantũ laboris faſtidi
retis,& ſolum emplaſtrorũ adminiculo alliceremini,hoc aſtantibus utendũ or-

Aliud mollitiuum ex mica panis.

dinabitis.R.micæ panis lib.j.ſ.quæ imbibatur decoctione maluarũ, uiolarum,
& lactucarũ,uel brodio carnis arietinæ aut uitulinæ,aut lacte ouino uel caprino
calido.Poſt deniq; exprimatur & piſtetur: & in mortario in gyrũ piſtillo duca-
tur incorporãdo & malaxãdo,olei uiol.roſ.an̄.unc.j.ſ.butyri unc.j.croci ſcrop.
ſ.& iterum ad ignẽ parum inſpiſſetur. Hoc facto ab igne dematur addendo ui-

Aliud mollitiuum.

tellos duorũ ouorum,ſicq; erit factum emplaſtrũ. Vel,R.foliorũ maluarũ & uio
lar.an̄.M.j.decocta ſimul piſtentur cũ pinguedine porcina,& utiminor.Nã uno
iſtorum,credite mihi,maturationi cholericũ apoſtema ſubijcietur. Quam leni-
nitas tactus,& doloris ſedatio oſtendet,ut Aui.docet cũ de ſignificatione matu

Signa maturitatis.

rationis loquitur,dicens:Cum uideris lenitatẽ quandã, & ſedationem doloris,

Conſiderãda in facienda inciſione quæ ſunt.

tunc ſcias,ꝙ eſt in uia maturationis. Cum aũt locus fuerit inciſioni diſpoſitus,
uoſq; ad opus perficiendũ inuitauerit,ante omnia cõtemplaminor, ut perfora-
tio ſeu inciſio uillorũ poſitionẽ conſequantur, ne illorum motus deuaſtentur,
unde membrũ deformaretur.quando nõ ſolum utilitatẽ, ſed etiam formã mem
bri conſeruare debemus,pulchrãq; cicatricem inducere, quod propriũ eſt me-
dici chirurgici.Nã illo nihil erit aptius & cõmodius ad cicatricẽ citius inducen
dam. Ponaturq; ſemper in loco decliuiori, ut facilius inde defluat ſanies, & eo

magis ſi materia illuc ſerperet. Nã undecunq; natura maxime repit, inde ducere »
oportet per cõuenientes regiones, ut diuinus Hippocrates aſſerit. Eſtq; inciſio
ſimilis huic characteri facienda, ut placuit magiſtro meo. Si locus non fuerit ner
uoſus. Nam eo exiſtente neruoſo ſecundũ nerui longitudinẽ eſt facienda. Quo
niam ſi aliquantulũ tranſuerſus neruus ſulcaretur, timeremus ne fieret ipſius in
ciſio. Facta deniq; inciſiõe, locus uulneratus ſtatim ſtuppa albumine oui made-

Sanies totanõ eſt extrahenda facta prima inciſione.

facta cooperiendus eſt. Prius tamen os uulneris ſpecillo eadẽ ſtuppa madefacta
fabricato repleatis, ne materia una uice extrahatur. Quod ſi eueniret, uirtus (exi-
ſtente apoſtemate magno) multũ debilitaretur: quam diligentius obſeruare de-
bemus, ut bonum præbeat nutrimentũ, recteq; operetur. Nam, ut inquit Meſue
ex ſententia Galeni in tertio Technæ, Natura eſt operatrix, medicus uerò ipſius »
miniſter. Verùm illud idem cõſideratione maxime regendum eſt, ut cum locus
apoſtemetur, bene conſideretur, nunquid carnoſus, an neruoſus deuaſtetur. Nã
ſi in hoc oriretur, aliquantulum immaturus ſecaretur, ne nerui uel uilli immun-

In quo ſanies completa expectanda eſt.

da ſanie corrumpantur. Si uerò in altero generaretur, quoniã carnoſus erit, inte
gram maturationem expectaremus, cum à nocumento nullo excitaremur, ut il-
lud ante maturationem reſeremus: Quod in altero nobis nullo adhibito conſi-
lio interdiceretur. Cum ergo inciſionem bene obſtipaueritis, locum ipſum am-

Digeſtiuum fit ex uitellis ouorum & terebinthina.

plius non reuiſatis, niſi prius integerrimus dies uobis illuxerit. Quod cum fa-
ctum fuerit, illud apoſtema uiſitabitis medicamine ex uitello ouorum, & tere-
binthina compoſito, biduo aut triduo, aut eo plus, ut uos ipſa digerendi neceſsi
tas edocebit. Hoc uerò elapſo termino curã finietis cum abſterſiuo, quod ex fa
rina hordei & terebinthina, ac melle roſato conficitur. Et ſi fuerit cauernoſum,
aut barboſum [ſordidũ] (ut plerunq; accidit) iſtud abſterſiuũ uobis utendũ da-

Mundificatiuum.

mus. R. mellis roſati colati unc. j. ʃ. terebinthinæ claræ unc. ij. ſucci apij. un. ʃ. bul
liant uſq; ad ſucci conſumptionẽ, deinde cum tepidum erit, addatur farinæ hor
dei. q. ſ. & bene omnia miſceantur tantiſper dũm uobis uſui eſſe uidebuntur. Et

Ad remouendum carnem ſuperfluam.

quoniã multotiens ſolet accidere, quòd ibi mala caro oriatur, dicendũ eſt quo-
modo illa remoueatur. Ego aũt ſemper in remouenda carne ſuperflua, aut ſemi
putrida, uſus ſum unguento mixto: Cuius una pars eſt Aegyptiaci, altera uerò a-
poſtolorum. Si uerò locus fuiſſet multæ ſenſibilitatis, utebar puluere ſine dolo-
re carnis putridæ remotiuo mei magiſtri Ioannis de Vico Ianuenſis Iulij ſecun-
di maximi pontificis medici: Quem colo, ueneror, dicerẽ & adoro, ni me religio
detineret. Nam ſolum ipſum hac noſtra tempeſtate iudico amandũ, uenerandũ
& colendum eſſe. Cum Romæ ipſe omnibus de uita deſperantibus maximo præ
ſidio, ſubſidioq; ſit, cuius opus quod de chirurgia compoſuit Romæ imprimi-
tur, appellaturq; Copioſa in chirurgia, nomine quidem rei cõſimili: quod ut o-
mnes hanc artem exercere cupientes, habeant, hortor atq; animo. Quoniam o-
pus illud perfectum eſt, & ferè nihil in chirurgia dicitur, quod ipſe non tetige-
rit. Ad quod ſæpe me transfero cum conſilio & auxilio egeo in ægrotis curan-
dis, ubi præſentanea & ſalutifera chirurgiæ ſubſidia inuenio, quibus & honorem

Vnguentum

& utilitatẽ mihi paro. Deſuper autẽ unguentum, quo meus magiſter frequenter
utebatur applicabitis, cuius talis eſt deſcriptio. Rec. olei roſati, camomelini añ.
unc. iij. pinguedinis caſtrati unc. iiij. pinguedinis uituli unc. iij. medullæ cruri-
um uaccæ unc. ij. lithargyri auri & argenti añ. unc. j. ʃ. ceruſæ unc. ʃ. minij ʒ. iij. te
rebinthinæ claræ unc. iiij. ceræ nouæ unc. ij. omnia ſimul miſceantur ſecundum
artem, & bulliant lento igne in principio. deinde ignem fortificando ſemper cũ
ſpatumine pertractentur, donec colorem acquirant nigerrimum. Sicq; habebi-
tis unguentũ plagæ ſuperponendũ ceroti ſimile. Nunc aũt eius quod penè tran-
ſilieram, puſillanimitas Micropſychi, qui apud nos habitat, me in ipſo tempore

Cauteriũ potentiale.

admonuit. Qui cum apoſtemate uehemẽter cruciaretur, mortem prius ſeſe paſ-
ſurum prædicabat, quàm phlebotomo apoſtema illud aperiretur: ego autem
impor-

importunitatem hominis perpendens, hoc potentiali cauterio phlegmonē ſup poraui[aperui,]quod hoc ordine cōpoſueram. Accepi ſex librarū lixiuium ſadonis quod prius à colatorio emanat,appellaturq́ mater:quod nempe feruendum in cacciola ęnea poſui cū unc.j.uitrioli Romani,quę ſimul iūcta ad ignem cōpoſui ut ebullirent,donec quicquid ibi lixiuij eſſet feruendo deſiccaretur, & deſiccatum in fundo ibidem collectū ſeruo.Quod tantæ operationis eſt,ut qua ſi ſubito operari uideatur.Signum autē perfectæ operationis eſt, quando locus remanet denigratus,quo equidem uſus ſum in Micropſychi pertinaciā. Sed antequam applicaretur,peciolam unam cōfeci,qua tegerem apoſtema,ne cauterium alterā partem quam uellem perforaſſet.Quam hercle peciā illiniui unguento tenaci,& in medio illius tantum foraminis reliqui,quanto me pro illius apertione indigere cognoui.In quo cauteriū impoſui,ac deinde altera peciola eodē unguento tenaci (ne cauterium decideret ipſum cooperui, & ſic coopertū per dimidium horæ aut plus,minús ue ibi ſtetit. Deinde reuerſus ad Micropſychū, cauterium amoui aqua roſacea, & eſcharam quam nullo pacto ferro extirpandam arbitramur,butyro uel hoc emplaſtro cooperiendam amiciui.R.foliorum maluarū & uiolarum,añ.M.j.coquantur & piſtentur,cui addantur pinguedinis porcinę unc.ij.butyri unc.j.ſ.fermenti unc.iij.croci ſcrup.j.quæ bene omnia in mortario miſceantur & fiat emplaſtrum quod tepidum loco applicetur. Iſtud enim eſt eſcharæ remotiuū & doloris mitigatiuū.Cum ergo eſchara fuit remota curetur ulcus cura & ordine,quē modò uobis ſupra deſcripſimus. Hucuſq; de apoſtemate,quod uacuo corpori obuiauerit locuti ſumus. Nunc autem quoniam hac tranſit,cui mandata mei magiſtri referam,me aliquantulum morabimini.Nam cum ab illo diſſolutus ero,ad uos quàm primum me conferam. Vt de apoſtemate,quod plenum corpus aggreſſum ſit, ſermonē per uos inceptum noſtrum perſequamur. COSMVS. I felix, & quàm breui poteris illum expedias ad nos reuerſurus,ne ea iucunditate careamus, qua modo noſtros animos refocillari ſentimus. MAR. Et ſi hoc adulandi gratia dictum ſit,præſto tamē hic ad uos ero.Nam uobis mos omninò hodie gerendus eſt.

Modus applicandi ruptorium.

Emplaſtrum.

MARIANVS.

Enimuerò ille homo nobis hodie frugi fuit, cum me uno ſolo uerbo expediuit. CLEMENS. Verum eſt medius fidius: nam te longius abijſſe exiſtimabamus neq; tam cito reuerſurū cenſebamus. MAR. Sed ne tempus fruſtra conteramus diſſutam orationem reſarciemus. COSMVS. Id quoq; nos uolumus. MAR. Si uerò corpus repletū inuenerit apoſtema multo longius inſudabitis,quàm modò feciſtis,quando illud erit à materia antecedenti.Pro cuius curatione uos quatuor intentiōes ante oculos habere decebit. Quarum prima erit regiminis uitæ ordinatio cum humorū adæquatione. Secunda materiei peccantis minoratio.Tertia remotio cōiunctæ.Quarta accidentiū correctio & certa emendatio.Quæ quidem prima intentio ſex rerum non naturalium adminiſtratione tenetur:Scilicet aeris,cibi & potus,ſomni & uigiliarū, motus & quietis,inanitionis & repletionis,& animæ accidentium. Quæ omnia temone,maximaq; diligentia, pro materiei fluctuatione tenenda & gubernanda ſunt. Vt cum opus fuerit uelificatione mutata portu,quem tantopere deſideramus,facillime potiamur.Secunda oppoſite minuendo, uentrémque ſoluendo,ut pro illius opportunitate habebitur. Tertiam repercutiendo uel mollificando adipiſcemur ſecundum ægritudinis exigentiam. Hic uerò maxime animaduertendū eſt,ne antequam minuatur ſoluaturq́; corpus repletum exiſtens,localia applicentur.Ne forte id, quod cum de caſibus repercuſsionem reſpuentibus agebamus, diximus, maximo cū dedecore operantis eueniat, quo merito criminare-

Sex res non naturales.

mur.Si uerò delatores à tãto facinore aberũt, ne credite excelſum & glorioſum Deũ,qui iudicat cœlos,qui arguunt,& elementa quæ ſæuiũt omnino abeſſe. Et ſi non aliud,ſupereſt tamen in poſterum cruciatus gehennæ, ut diuus Meſue inquit.Iccirco à recto nõ declinemus,ne ubi æternam requiẽ inuenire concupiſci mus perpetuo pœnam luamus.Præcedenti igitur uentris ſolutione domeſticæ, repellemus repercuſsiuo ex oleo roſato,bolo armeno & ſandalis omnibus con

Repercuſsiuũ domeſticũ cũ quadam reſolutione. fecto cum albumine & uitello oui. Vel iſto:Recipe foliorum maluarum & uiolarum,añ.M.j.abſinthij,roſarũ rubearum,añ. manip.ſ. farinæ hordei unciam unã, olei camomillæ unc.iij.farinæ lentium unc.j.ſ.coquenda coquantur,& colata piſtentur.deinde omnia ſimul miſceantur,& ad ignẽ ſecundũ artem fiat emplaſtrum molle.Iſtud aũt meus Auicenna compoſuit,in quo apoſtematis reſolutio nem inueni cum membri confortatione:quod facillimè ab ingredientibus percipitur,ſi quis attente ipſa conſiderauerit.Quæ ſi parum ſufficere uiſa ſunt, nullo teneamini impedimento quin ad mollitiua ſupra dicta uoſipſos conferatis. Vel ſi materia ad uiſcoſitatem aptior magis erit,ſubſequentia eligite. Si cum an-

Maturatiuum. tedictis nihil profueritis,Recipe foliorum maluarum & uiolarũ, añ. M.j. radicũ liliorum alborũ unc.ij.radicum althææ unc.iij.bulliant omnia ſimul, deinde piſtentur & cribellentur:cui cribraturæ addantur butyri unc.ij. pinguedinis por-

Maturatiuum. cinæ unc.j.ſ.& fiat emplaſtrum in mortario lapideo. Vel Recipe radicum liliorum alborum unc.iij.radicum althææ unc. ij. foliorum maluarum & uiolarum, ana M.ſ.bulliant & omnia piſtata ſimul cribellentur, cui cribraturæ addantur, pinguedinis gallinæ unc.ij.butyri unc.j.axungię porcinę.unc.ij.fermenti uncia j.ſ.farinæ hordei unc.iij.croci ſcrup.j. cum eadem decoctione fiat emplaſtrum in bona forma,quo poſtea utamini. Cum ergo ad id faſtigij peruentum erit, ut uos arma capeſſere adhortetur, illico uos phlebotomo accingatis, ut cum ad conflictum uolaueritis, intrepidi conſiſtatis, ueſtraſq; operationes audacter agatis. Nam ego complures animaduerti Franciſce, uoſq; dilecti fratres, cum ſalutem infirmis præſtare uoluiſſent, timiditate quadam ſiliceſcere, nullóque modo apoſtemata percutere potuiſſe, ex quo dedecus ſibi maximum parauere. Vt ergo illud idem effugiatis uos,accincti manicas phlebotomo animoſe apo-

Vnguentũ cicatrizatiuum. ſtemata perforabitis. Quorum apertione celebrata, ordinem ſuperius narratum in digerendo & abſtergendo obſeruabitis. Verùm in loco cicatrizando utimini iſto medicamine, quod ex minij unc.j.& olei roſati myrtini añ.unc. j.ſ conficitur.Iſtud nanque multum in ſigillando ualet, ſemper tamen loco prius irrorato decoctione ex aqua plantaginis & roſata,ac alumine rochæ parũmque mellis roſati colati compoſita. Qua uſus ſum, & aſsidue utitur meus magiſter in ulceribus cicatrizandis. Quarta uerò intentio erit accidentium,quæ plerunq; apoſtematibus incumbunt, certa emendatio. Nam ſi illis diutius patiens uexaretur, uirtus eius proſterneretur:quod uobis maximo impedimento eſſet, ne quod incepiſtis feliciter perficeretis. Sunt iſta duo quippe accidentia in apo ſtemate ualde uerenda, doloris ſcilicet extenſio,& loci denigratio. Quando ab ipſo diuino Hippocrate docemur in primo prognoſticorũ dicente: Apoſtema uerò ſolidũ cum dolore horrendũ eſt,& cito mortiferum.Hanc quidẽ denigrationem ut plurimũ curatoris defectu euenire cõperti cupientis materiam fluxã exhalandã repercutere : quæ nempe fortibus repercuſsiuis in loco cõculcatur, ut ſuprà dictũ eſt,cum de illis,quæ repercuſsionẽ abominantur,tractabatur. Idcirco uos qui hanc artẽ exercitaturi eritis,fraterno amore ac deorũ numine adhortor,ne tantũ ſceleris patrare poſsitis,ut repercuſsiua,quibus uſuri eritis in loco dolenti, ad fermentationẽ potius,quàm materiei inacerbationem,ſeu incrudationem declinent.Nam pro materia defluxa, pororũ dilatatione indigemus. Quod facilè quis habere poterit,ſi noſtra repercuſsiua ſuperius formata frequẽtauerit.Si uerò illud accidens,ſiue per incuriã curatoris, ſiue per materiã contu-

ſam

ſam exilierit,hæc infraſcripta emplaſtrabitis,quibus in huiuſmodi caſibus ute-
bat.R.fabarum excoriatarũ lib.ij.foliorũ maluarum M.ij. bulliant ſimul in lixi- Cataplaſma ad putrefactionem.
uio uſqꝫ ad perfectam decoctioné,deinde piſtentur, & incorporentur farinæ ſe-
minis lini unc. iij. farinę lupinorum unc.ij.& cum ſapa fiat emplaſtrum.Iſtud e-
nim poros aperiens materiam exhalando membrũ confortat. Si auté emplaſtro
applicato prima & ſecunda die magis magíſqꝫ obfuſcabitur, erit neceſſariũ ad
ulteriora tranſire locum ſcarificando,&incidendo ſecundum morbi poſtulatũ, Scarificatio.
& loci tolerantiam.Nam iſta ſunt accidentia,quæ non ita facile tractantur,ſicu-
ti docentur,ſed maxima medici diligentia reprimuntur,& curantur.Et ideo qui Admonitio.
ad hãc erunt facultatem euolaturi,debebãt prius cum optimo exercitatóqꝫ ma
giſtro nidificare, & illius facta bene inſpicere, & dicta memoriter & ſubtiliter
penſiculare:ut cum è nido exilierint,ualeant firmato alarum remigio ſecure aë-
ra percutere,& nauigare,& non modo huc,modo illuc circumuolitare, & inter
ſcopulos illidere,ueluti perotarum [piratarum]fuga peracti ſolent indocti pela
gi nautæ facere.Facta deniqꝫ ſcarificatione ſubito locus irroretur lotione ex lixi Lotio ſequens ſcarificationé.
uio & ſale confecta.Irrorato igitur loco ſuperaddatur iſtud ex mẽte Guidonis.
Recipe farinæ fabarum, farinę orobi ana unc.vj. farinæ lupinorum unc. iij. quæ Aliud cataplaſma.
cum oxymelle decoquantur,donec emplaſtri formam acquirãt, & loco poſtea
tepide applicentur.Vel decoquatis fabas corio exutas in lixiuio barbitonſoris
cum lupinis,quibus ſimul in mortario tritis locus amiciatur. At ſi cum iſta ad-
miniſtraueritis,& carnem malam uel corruptam uideritis, ne conſulatis amicũ,
quin Aegyptiaco locum uiſitetis,facto tamen deſcriptione Auicennæ, quæ eſt Aegyptiacum ex intentione Auicennæ.
huiuſmodi.Recip.floris æris,aluminis rochæ,mellis,aceti boni añ.partes æqua-
les: quæ omnia ſimul tantiſper coquantur, dum rubeum acquirant colorem.
Quo poſtea locum ſæua ægritudine exacerbatum ueſtro iudicio deſœdabitis
biduo aut triduo,ſemper tamen iterando donec eſcharam produxerit & ſepara
tionem facere inceperit. Quæ omnino ferro extirpanda non eſt. Sed uno illo- Eſchara nõ eſt extirpanda.
rum mollitiuorum eradicanda, atque diſſuenda butyro aut pinguedine porci-
na,ut ſupra dictum fuit.Quæ cum ceciderit, ulcus quod remanſerit, ſicut alia ul
cera curandum erit. Quorum annuente deo plenam uobis dabimus notitiam.
Tenetis ergo curam putrefactionis, quam uenire maximè prohibere debetis.
Nam ſemel pereunti nulla deinde ſuffragia proſunt. Cæterùm deinceps deueni-
endum eſſe machinamur ad apoſtematis indurationé,ſi prius de ſedantibus do-
loré pauca dixerimus: cum dolor unum ſit de maximè naturã proſternentibus,
ut Ariſtoteles omnium doctiſsimus & acutiſsimus protulit:Scilicet dolorem&
putorem humanã diſſoluere naturã.Quoniã dolor eſt rei contrarię ſenſibilitas,
aut contrarię qualitatis exiſtentis in membro:uel aliter ſecundũ medicos,quod
dolor eſt quoddam aduenìens ex ſenſibilitate,& re contraria ſolutionem aut al
terationem faciente,uel utrunqꝫ ſenſum particularé & cómunem affligens: un-
de uerò naſcatur prorſus inueniri non poteſt ut Gal. placet. Conſequẽter igitur
huic etiã opitulari neceſſariũ uidetur,cũ tota noſtra intentio ſit humanitaté có-
ſeruare.Sed uos latere non debet doloris ſedationé eſſe malę cóplexionis altera
tioné,dummodo non ſit ex materierũ incarnatione(de qua loquimur)uel cóti-
nuitatis ſolutione,aut comeſtione.Iſta namqꝫ alia atqꝫ alia expoſcerent ſubſidia.
Dolores enim ſecundũ quem incumbunt locum,aut continuatis ſolutioné aut
ſubitas alterationes oſtẽdunt,ut ſupra dictũ eſt,ex Galeni opinione tertio Tech
næ recitata.Cumqꝫ hoc ſit,ex ueſtro ingenio alterãtia,uos adinuenietis.Nã frigi-
da pugnant calidis,& humectãtia ſiccis.Pro materierũ incarceratione non mul
ta prælibabimus,ne forte prę nimia inebriatióe ingeniũ ſopiretur.Sed tamé quę
magiſter meus Ioãnes & cópater,in caſu cholerico adminiſtrabat, uobis referã,
ne qđ prius dicere inſtituerã,deſeruiſſe uidear.Quare ſi quis ueſtrũ doloré miti
gare inhiauerit,iſtud in principio utendũ ordinare cófeſtim oportebit. R.ſucci

lactucæ,olei roſ.añ.unc.ij.albumina & uitellos duorũ ouorum, quæ ſimul omnia cõquaſſentur,dinde loco doloroſo applicentur.Poſtero uerò die iſtud erit loco ſuperaddendũ,unde primũ fuerit deiectum.R. medullæ panis decoctæ in lacte caprino aut ouino,uel in brodio pulli,aut capitis caſtrati,quod ſatius eſſet unc.vj.deinde exprimatur aliquantulũ,cui addantur olei roſ. olei camomil.añ. unc.j.uitelli triũ ouorum:quæ omnia adinuicẽ conquaſſata malaxentur,& iterum decoquantur lento igne donec aliquantulũ ſtipentur.quod cum fuerit,de coctũ uos ipſum tepidũ adminiſtrabitis.Si uerò his annotatis dolor ipſe non refrenabitur,iſtud uos ſucceſsiue tenebitis.Nam aliquando uehementia doloris cum aliquali materia faciet nos indigere medicinis mollificantibus abſq; attractione, & fortaſſe erit cum eis infrigidatio non prohibens mollificationem, ut ait Auic.loquẽs de phlegmone.Et propterea ſi iſta ſaperent maturationẽ, ne admiramini cum ab ipſo principe doceamur:Recipe maluarũ,uiolarũ añ.M.j.quę decoctæ piſtentur,cui addite farinæ hordei unc.ij.olei roſati.q. ſ. & iterũ bulliant parumper,donec emplaſtrũ fiat ſuper locum ponendum. Quibus ſi non cõtenti eritis iſtud aliud annotabitis.Recipe farinæ fœnigræci,ſeminis lini,florum camomillæ,pinguedinis gallinæ liquefactæ,olei roſati añ. unc. ij.miſceantur ſimul,& bulliant cum decoctione maluarum & uiolarum præter oleum & pinguedinem donec impaſtentur. deinde oleũ & pinguedo calefacta bene incorporentur addendo parum olei camomelini & anethini, & fiat emplaſtrum. Nam iſtud aperiet poros & materiei conculcatæ dolorem carminabit. In augmento uerò ægritudinis iſtud conformabitis:Recipe olei roſati, camomillini, añ.unc.j.ſ.uitellos.Aliud,Duorum ouorũ farinæ hordei unc. ſ. aut parum plus quæ bene ſpatula agitata cum uobis neceſſe fuerit in loco doloroſo collocabitis.Hæc pro dolore ſedando ſatis arbitror ſufficere.nam ex iſtis ueſtro marte ad infirmi utilitatem & ueſtram uoluntatem explendam conſimilia formare excogitabitis. Ab his quidem abſolutus redeo nunc ad apoſtematis indurationem, quam hercle intactam ob facilitatem reliquiſſem. Verùm ne ſermo noſter mancus appareat,quibus in huiuſmodi caſibus uſus ſum recitabo. Licet iſta intentio uaria apoſtematis ingenia lenteſcendi habeat,quæ conſumuntur ſecundum illius exigentiam. Quoniam (ut inquit Meſue capitulo de laſsitudine & debilitate corporis poſt purgationem) intentionem noſtram uertimus ad cauſam, & abſcindimus eam,quoniam hæc eſt rectitudo curæ & theſaurus operationis. Id circo ſi quando apparuerit ut locus indureſceret, antequam firmetur, ut facilius lenteſceret,iſto medicamine curatur.Recipe caricarum pinguium nu. x.radicum althęæ minutatim inciſæ unc.vj.decoquantur ſimul uſquequo radices bene fuerint decoctæ,poſtea ablatæ piſtentur in mortario marmoreo cum axungiæ porcinæ unc. ij.ſ. & croci ſcrup. ſ. quo facto locus lenteſcendus cooperiatur,& habebitis quam aucupamini intentionem.Si uerò à ueſtris retibus præda euolauerit ueſtraſq; manus ludificata fuerit,ne aliàs idem perpetrare ualeat,iſto ſecundo eam irritabitis.Recipe terebinthinam butyro admixtam & incorporatam,quæ medius fidius reſoluit & mollificat,ſed antequam applicetur,locus ſępius aqua tepida irrorandus eſt,quæ quidem eſt præuia ad maturandum diſpoſitio. Cum autem ad ſuppurationem iam deuenerit cauterio aperiatur potentiali aut falcaſtro, aut quouis alio modo & ingenio, dummodo rectè benèque tractetur.Facta deniq; apertione curetur,ut ſupra uobis recitauimus. Hæc ſunt quæ à me uobis hodie dicenda eſſe credidi. Quæ ſi non ita ornatè dicta ſunt, ſicuti uos forſitan expectabatis, meæ ſimplicitati indulgeatis. Nam ego, ut uobis eſſe compertum arbitror, oratoriæ loquacitati nunquam operam impendi. Cum ergo ſimplex ſim, ſimplici ſermone, quæ à me tractata ſunt, pertractaui. Quæ ſi uobis cordi extiterint, cras eodem modo ac ordine, quæ de uulneribus à nobis delibanda erunt, recitabimus. Verùm ſi quid in hoc ſermone deliquerim,

Sedatiuũ cholerici doloris.

Sedatiuũ doloris cũ materiei reſolutione.

Mollitiuum duritiei.

Mollitiuũ cũ reſolutione.

Nota.

deliquerim, & mendo dignum fuerit, emendatote. At ſi quid inde honoris aſ-
ſurrexerit, illud ueluti in principio noſtræ ſermocinationis diximus, Deo ma-
ximo ac uirgini Mariæ offeratis, ut illud Virgilianum nobis uendicemus, A Io-
ue principium. nam ſunt Iouis omnia plena: cuius nomen ſit benedictum.
INNOCENS. Satis ornatè ſplendideq; hodie Mariane te geſsiſti, & pocula
de maiore ſiti, quàm noſtra porrexiſti: quod nemini mirum eſſe debet, cum ſis
undique humanitate charitateq; circunfuſus. Quem Deus pro tanto à te in nos
munere coniecto ſecundet, tuáque opera erga ægrotos ſemper exercenda fœli-
citet, & patriæ tuisq; parentibus conſeruet, quando noſtram de te æſtuationem
condignis medicaminibus extinxiſti. Verùm te modò admonemus, ut cras huc
ad nos euoles, quàm citiſsimè, cum̃ ægrotos iam curaueris: ut quod promiſi-
ſti nobis, ſine uſura ac diſpendio perſoluas. Nunc uerò quoniam hora ipſa, ut
infirmos uiſites te admonet, memor noſtrum fœlici bonoq; ſydere abeas, quan
doquidem & nos craſtino huc reuerſuri bene diſcedimus. MAR. Ite fœlices
meq; ueſtrum eſſe non dubitate.

Finis tractatus de apoſtematibus.

Incipit tractatus de uulneribus.

BERNARDINVS.

PLERVNQVE accidere ſolet ſuauiſsime Mariane, ut ſi quid boni
uel mali immineat mortalibus, diuinus illud Hercle animus præſa-
giat. Quod quidem nobis contigit, dum uerebamur nequid tempo
ris fruſtra contereretur, diem expectando miſeri perdidimus. Quod
tua nobis cauſa factum eſt, ex quo, ut ingenue fatemur, tibi multum debaccha-
bamur. Quoniã quod nos ante capere oportebat, illud nempe poſtpoſuimus:
quod ni ſummã cum diligentia reſtituas, tibi dicam aſcribemus. MAR. Agi-
te ut lubet, quandoquidem totus ego ueſter ſum, omnes uos ſaluere iubens.
COSMVS. Ohè ſalue atq; iterum ſalue, quando ſine ambagibus exordière.
MAR. Aequè lubẽs, ut dicitis, faciam, definitionem omittens. Quamuis mul-
ti ſint quidem authores, qui cum de aliqua re dicturi eſſent, ab illius diffinitio-
ne incipiendum non ab re fore iudicauêre. Hi quidem hac, ut opinor, ſententia
tenebantur. Quod ſi quid difficile cognitu eſſet, de quo meminiſſent, nunquam
perciperetur, niſi à definitione exordium habuiſſent. Quod meritò fieri oporte
bat, ſi quod modò dictum eſt, interfuiſſet. Nam id ſemper facere debent, ut cum
aliquid nodi inter loquendũ accideret, ab ipſa definitione extricaretur. Quod
in meis dictis reor nõ poſſe euenire. Nam de uulneribus dicturus ſum, quæ om-
nibus manifeſta ſunt: cum humano generi à natura inſitum ſit, ut ea quæ nocitu-
ra ſint ſedulò cautéque declinet. Cumq; res hoc modo ſe habeat, dixi omnibus
eſſe compertam. Quod ſi aliter fore animaduerterem, commodius ab ipſa de-
finitione noſtrum inirem ſermonem. Nam quid facilius eſſet dicendum, quàm Vulnus quid.
quod uulnus ſit continui ſolutio ex tempore facta, & in mollibus aut duris par
tibus ſine putrefactione conſiſtens. Iccirco quoniam nullam inde poſſe oriri
utilitatem curatiuam uidebatur, ſilentio pertranſeundum eſſe autumaui. Sed ſi
quis ueſtrum definitionis percupidus exiſteret, illa quæ modò dicta eſt in loco
uti poterit. Nec ſibi perſuadeat à me aliam deſcribendam eſſe. Nam eo magni-
tudinis artis medicæ proceſſurus ſum, quæ nobis practicantibus utilitatem &
amicitiam parare debeat. Et quòd opportunè fabricare ualeam, à prima diui-
ſione me diſſerere iudico oportere. CLEMENS. Bene iudicas, ſed nos inde te
exordiri cupimus, ex quo nobis continua oratio cõtexeretur. MAR. Hoc idẽ

præcordia mea circumuoluebat. IVLIVS. Eia ergo te ad propoſitum conuertas nulla interiecta ſermonis interruptione. Niſi quãdo forte fuerit animum ſumendi neceſsitas.

MARIANVS.

Duplex uulnus.

DVplicia quidem uulnera eſſe cum in literarum ludis uerſaremur, mi Iuli, uosque cæteri fratres, accepimus. Quæ inter ſe nomine ita differunt, ſicut unius cura ab alterius curatione differt. Quorum alterum eſt ſimplex, alterum uerò compoſitum. Simplex enimuerò uulnus eſt illud, in quo non eſt ſubſtantiæ deperditio, & una tantum intentione curandi curatur, & conſolidatur. De qua nullam ob facilitatem faciemus mentionem, cum & mulieres hac noſtra tempeſtate huiuſmodi uulnera medicentur. Illud autem, quod compoſitum nuncupatur, eſt, in quo fit deperditio ſubſtantiæ, ac plures intentiones curatiuas ſibi maximè uendicat: ſicut eſt diuiſum continui conſolidare, & quod ab eo deperditum eſt, inſtaurare, & ſi quid apoſtematis intumuit, curare. Quorum quædam neceſſariò mortalia eſſe dicimus, quædam ſanabilia. Dicemus ergo, quæ letalia eſſe nominauimus: & à corde tanquam ab arce totius corporis nos incipere non abſonum à ratione exiſtit. Dicimus igitur omnia uulnera ſubſtantiam cordis offendentia, eſſe mortifera. Nam, ut Auicenna refert, cor non patitur (uita durante) continui ſolutionem. Et propterea ut uno ore omnia intercludam, quæ ad uitam neceſſariæ uirtuti impedimentum obijciunt, hominem ad Acheronta ſine uiatico emigrare hinc cogunt. Sicuti uulnera ſubſtantiæ cerebri adhærentia, tracheæ arteriæ, meri, pulmonis, hepatis, folliculi fellis, diaphragmatis; ſtomachi, ſplenis, inteſtinorum gracilium, renum & ueſicæ. Et ferè omnia intrinſeca periculoſa ſunt, quoniam ab extrinſeco aëre ipſa alterantur, & ſpiritus offenduntur, ac etiam uirtus, quę humanam naturam ſolet fulcire, deſtruitur. Et ratio autem iſtorum mortem fouentium eſt, quòd cum ſauciuntur difficillimè ob continuum motum cicatrizantur, cumq́; hoc illis denegetur, ſua officia uitæ neceſſaria perficere nequeunt. Reſtat deniq́;, ut de illis quæ muſculis accidunt, aliquid delibemus, cum non ſint minoris ęſtimanda, quàm prædicta in quibus manifeſta claraq́; cõſiſtit mortis ſignificatio: in his uerò digna prophetis & hominibus deorum numine lymphatis prognoſticatio. Nam ſæpe id ſolent commẽtari, quod tabidus anguis in herbis latitans, ut plurimum erranti homini facit. Aut enim tranſeuntes momordit, aut eoſdem pallore concuſsit. Iccirco mi facundiſsime Bernardine, uosq́; mei dilectiſsimi de illis paululum ratiocinemur: ne nos ſic non opinantes ducant falſo gaudio, & inde inter oſcitandum opprimant.

Vulnus ſimplex quid?

Vulnus compoſitũ quid?

Vulnera letalia quæ.

Vulnera periculoſa.

EXcogitemus ergo uulnera, quæ à tribus digitis ſuprà uel infrà ſecundum iuncturas muſculorum capiti ac lacertorum occurrunt, eſſe ualde periculoſa. Neruorum quoque puncturam propter eorum ſenſum & communitatẽ, quam cum cerebro habent, ſpaſmi ſolere eſſe generatiuam. Vnde illud diuini Hippocratis certificatur: In uulnere ſpaſmus ſuperueniens, ut plurimum mortale. Quæ quidem uulnera in iſtis locis non omninò contemnenda ſunt. Nam & medico dedecus parare ſolent, niſi cautè aſtantibus de huiuſmodi ipſe prognoſticetur. Quod mihi iam contigiſſet, cum uitam promitterem uni uulnerato per tres digitos à genu ſurſum: niſi me admonuiſſet magiſter meus Ioannes de Vico Ianuenſis, cui quantum debeam, non ualeo æſtimare. Nam ſi pro illius commodo uitam meam (qua mortalibus nihil charius eſt) dilapidarem, nullam ſuorum erga me meritorum partem attingerem. Quoniam ſi ſingula, quæ in me ab ipſo prouecta ſunt, cõmemorare uellem, prius Titan ſuos anhelantes equos à curru diſiungeret, quàm ego finẽ illis imponerẽ. Redeo unde quaſi erã delapſus: cum

Nota & memoriæ manda.

cum uitam illi ſponderem, his me uerbis ſecretè clamq; domeſticis interpellauit, uirtute conſentiente, nulló ue in uulnere apoſtemate emergente, ægrotoq; quieſcente ac ſi nihil perpeſſus eſſet: Perpende rationéque diſcurre, mi Mariane hæc ſigna, quæ in huiuſmodi uulneribus ſpaſmum inducunt. Cum hic nihil tumoris emineat, malum hercle nuncium affero, quod ex longa experiétia nactus ſum. Nam materia, quæ ad dolentem locum fluere deberet, in neruis imbibitur, unde ſpaſmū affore uideo. Quòd ſi non multa materia (nā idem multa facit) defluxiſſet ad locum, mihi bonæ ſpei de infirmo nuntium afferret. Id quidē ſignificaret materiam neruos relinquere, & foras aduentare. Et quoniam illud uſque intus ſopitur, malum de ipſo fore concipio. Quod quidem mirabile dictu fuit. Nam ſpaſmo ante quintum diem exiliente ægrotus è medio ad ſuperos ſine pinnis aduolauit. Vnde quaſi ego ſtupidus memoriæ illa ſigna tradidi, & adhuc tradita ſeruo. Quod & ut uos faciatis moneo, & ſi qua notanda ſunt, notate, ut cum illis eſſet opus, tanquam è promptuario eadem expromere uideamini. Ex quo uos ipſos appello ne nimis præcipites, in prognoſticando, ſed cauti ac maturi eſſe debeatis. Cætera uerò cum ab his diſceſſeritis uulneribus, quæ lethæa prædiximus, ſanabilia eſſe non dubitatis. Pro quorum curatione adipiſcenda duo capitales modi reperiuntur. Quorum alter fit uia primæ intentionis: alter uerò ſecundæ intentionis uia. Modus hic tunc fit, quando diſſolutum cum medio heterogeneo coniungitur, ut oſſa quæ cum poro ſarcoide uniuntur. Ille uerò, quando partes ſeparatæ ſuo homogeneo uniuntur. Quos ſemper ante oculos habere debemus, ne ea in uulneribus adminiſtremus, quorum poſtea ſit pœnitendum. Quod (ut effugiamus) iudico eſſe incipiendum pro eorum cura ab his, quibus in unoquoque uulnere utamur.

Tumefactio parua in uulnere ſignum bonum.

Modorū curatiuorum alter, uia primæ intentionis: alter uerò, ſecūdæ intētionis.

CVM primum animum ad curanda uulnera appuleritis, hæc uobis ſtatim ſubijciantur in uulneris curatione utenda: Scilicet regiminis uitæ ordinatio, uulneris localium adminiſtratio, eiuſdémque accidentium emendatio. Quorum primum óbtinebitis ſex rerum non naturalium exhibitione, ſo uergentium ſecūdum infirmi complexionem, aut accidentium requiſitionem. Quas diximus, cum apoſtema curabamus quod inuenit corpus repletum. Quandoquidem medicus chirurgus omnes medicinæ partes habet pertractare, ut Cornelius Celſus in principio ſeptimi ſuæ medicinæ ſcribit. Tertiam eſſe medicinæ partem, quæ manu curet, & uulgò notum, & à me propoſitum eſt, ea non quidem medicamenta, atque uictus rationem omittit, ſed manu tamen plurimum præſtat, eſtq́ue effectus eius inter omnes medicinæ partes euidentiſsimus, cum tamen illius ſit etiam uiuendi modum præcipere, & humores excreſcentes adæquare, intimáſque fluctuationum cauſas indagare, & ueras propriáſque illarum correctiones exhibere. Quæ pleraque omnia pauci attingunt: Non quòd abdita, & obſtruſa ſit in ſilicibus omninò medicaminum natura, ſed quia parum cum philoſophiæ adepti fuerint, abſque ulla medicinæ exercitatione & experientia (quæ quidem artem facit, ueluti Ariſtoteles recitat ex poli intentione proœmio metaphyſicali) iniant infirmos pertractare, illorúmque coria auidis dentibus dilacerare, nulla animæ adhibita conſcientia. Taceo illam tyrunculorum cohortem, qui modo militum inſignia ſuſceperunt, tanquam rude donati urbem ambiunt & peragrant, ac ſi tota illorum conſumpta ſit ætas in experimentis, & in naturis ſimplicium cognoſcendis. Ah quanto præſtantius mi Bernardine ſanctiusq; illis exiſteret, ſi te tanquam præceptorem omniúmque diſciplinarum datorem imitarentur. Cum hac noſtra tempeſtate qui tecum literis, moribus, & omnibus diſciplinarum generibus ſit conferendus, habeam neminem, & adhuc ferulæ manum ſubmittere (quod maximum eſt ſignum uirtutis & ſcientiæ) non dedignaris. Pertranſeo alia quæ in te ſunt, ne mea tuarū uirtutum cōmemoratio alijs, qui te non nouerint, plena adulationis

Cura uulneris ſimplicis & carnoſi & profundi.

uideatur. Et ideo me ipſum colligam, atq; eo unde oratio defluxit reuoluam. In ſecundo uerò localium regimine, andabatarum more non eſſe procedendum, ſed Argum uobis ſocium adhibendum uehementer perſuaderi debetis. Nam ſi aliquid in uulnere curando hallucinati fueritis, uel à uobis negligentia prætermiſſum, maximi ac plures naſcerentur errores, quemadmodum philoſophantibus. Ariſtoteles in primo phyſicorum demonſtrauit, ſcilicet ex uno inconuenienti dato, plura ſequuntur. Iccirco ne id accidat, acri oculorum intuitu perſpicatiſq; ingenij conſilio uidendum ac conſulendum arbitror. Ergo cum coram uulnerato homine aſtabitis, quonam modo uulnus collocatum, quale & quantum ſit, prius à uobis examinandum eſt. Nam ſi fuerit paruum & carnoſum, abſque ſubſtantiæ deperditione, ſolo nectendi uinculo curaretur. At ſi magnum & profundum fuerit, in hoc primo colluctamini, ut ſanguinis hæmorrhagiam (ſi ibi affuerit) aliquo medicamine uel ingenio coërceatis: Quæ deſcribam annuente Deo in capitulo de fluxu ſanguinis, cum de ulceribus meminero: ad quod poteritis aduolare, cum ipſo indigueritis. Nam ibi remedia dicemus, quæ huic congrue accommodabuntur. Quo facto, uniendæ ſunt partes diſgregatæ, & hoc ſutura cum filo ſubtili, & bene pollicibus contorto, ac etiam per ceram deducto, facilè perficitur. Sed antequam, quo modo ſuéda ſunt uulnera, dicamus, caſus, qui ipſam ſuturam formident, quàm breuiſsime poterimus recitabimus. Deinde ad inceptum præpoſitum reuertemur.

Caſus qui ſuturam fugiũt.

MEmineritis ante omnia, mi Bernardine uosq; dilectiſsimi, uulnera ex tereti telo, uel aliqua ſagitta profunde facta in primis diebus non eſſe uia

Primus.

primæ intentionis curanda, licet uia primæ curentur intentionis. Primo non curantur uia primæ intentionis, quia ipſa aperta tenemus, ne materia ibi incarceretur. Quæ ſi ibidem inſpiſſaretur, per communitatem, quam cum chordis uel neruis poſſent habere, dolorem maximum incurrerent. Et ideo in primis diebus non eſſe claudenda proferimus. Iſtud enim uidi hiſcemet oculis accidere cuidam pugillo in collo uulnerato, cum quidam medicus Bononiẽſis uulneris aperiendi conſolidationem uoluiſſet accelerare, uulnus apertione regendum conglutinauit, ex quo in extenſiſsimum dolorem, & quaſi ſpaſmum ægrotus ille incidit, cui niſi magiſter meus citius ſubueniſſet, ob nimium dolorem ad Acheronta nuntium tuliſſet. Eodem nunc reuoluor. Licet curentur uia primæ intentionis, ſic eſt illud intelligendum, quòd nihil deperditum in eis generatur.

Secundus.

Quæ uulnera ſutura dedignantur.

Quod ſi generaretur, eſſet ſecundæ intentionis cura. Secundo uulnus, cui aliqua ſui particula deerit, à ſutura omnino ſit alienum. Nam aliter bene curari non poſſet, niſi uia ſecundæ intentionis. Quæ non ſecus ſuum deperditum, ac mater unicum amiſſum gnatum, anxiè quæritat. Quod ſi inſtaurare uolumus,

Tertius.

uulnus prius ſuere non debemus. Tertio ſi uulnus fuerit profundum, & ab aere ſatis alteratum, ſuere ne cogitetis. Nam ex aërea alteratione occulte ſanies eſt generata, quæ digeſtionem cum abſterſione maxime proclamat. Quòd ſi ab illo uobis noto Hebręo fuiſſet factum, uir ille bonus mortuus non fuiſſet. Qui cum uulnus ſatis amplum in ſura accepiſſet, multumq; æri expoſuiſſet, ut ipſe rectè curaretur, Hebræum acerſitum miſit. Qui cum ægrotum conueniſſet, nulla interiecta conſideratione uulnus ſuit properè. Quo denique facto, dolores illico inſurrexerunt, tertio uerò die eſthiomenatus eſt, in ſeptimo quidem præteritum uixit ſibi deuote uendicauit. Quod ſi Hebræus ille, prius degeſsiſſet cũ abſterſione, deinde in ſuendo occupatus fuiſſet, fortaſſe illud minime excreuiſſet.

Quartus.

Quarto ſi uulnus ex contuſione fuerit, ſuturã facere ne attentetis. Nam fruſtra uos laboraſſe iam ipſi perſentietis, cum Galenus nos ipſos admoneat, dicens: Neceſſe eſt contuſum putrefieri, & in ſaniem conuerti: & addo ultima contuſione, nam in parua locum non tenet, ergo ſutura ipſa corrumpetur. Quod quidẽ uidimus cõtingere cuidam iuueni Romano nomine Paulo Blundo, qui cum

ad

ad taurum interficiendum ſpectatum cucurriſſet, neſcio quonam fato ductus ante taurum cecidit, à cuius cornibus coxa illius nobilis lacerata fuit. Ad quam curandam cum quidam empericus chirurgus properauiſſet, ſtatim contuſum uulnus conſuit, quod mox putruit. Et ni magiſter meus ſuppetias tuliſſet, forſan qui modo uitam degit, naturæ conceſſiſſet. Quinto dicimus uulneri ab alicuius animalis morſu edito ſuturam minimè conuenire. Quoniã locus ille morſus factus eſt concauus, uel cauernoſus, uel ſapit ſemicontuſi uulneris naturam. Sed iſte caſus ſuendus operantis iudicio relinquitur, cum partes ſeparatæ ex morſu poſſint etiam filo coniungi. Sexto cum uulnus os detexerit, ipſumq; fractum, uel ab almocati diſcoopertum manifeſtauerit, nunquam cum ſutura paciſcitur, ni prius os detectum amiciatur, & fractum integretur. Septimo uulnus, quod loco muſculoſo ex tranſuerſo acciderit, ſuturam omninò reſpuit, ut Auicenna refert in capitulo de qualitate ligandi uulnera, ubi ait de muſculis, & lacertis dicens: Aut fuerit lacertus, qui ſit diſruptus in latitudine, quoniam tunc non aggregatur. Immò ponatur in medio licinium timendo, ne incarnetur cutis, & remaneat lacertus non incarnatus &c. Quare ipſum ſolutum tantiſper uagari cupit, dum ſibi cura ſecundæ intentionis tribuatur, & hoc idem uulnera neruoſa affectare uidentur. Nam ſi ſuerentur, labia eorum conſolidarentur, & nerui ſubtus rheumatizarent: Quod nempe rheuma ibi incluſum apoſtema generaret, unde ſequeretur, uel diſſuere, uel nouam inciſionem facere. Ergo ne hoc patremus, uulnera huiuſmodi ſoluta aliquantulum ſpaciari ſinamus, ut ea facilius poſtea pertractemus. Licet hinc inſurgat illa tædioſa diſceptatio, Nunquid neruus mutilatus ſuendus ſit? cum hinc inde uariæ ſint authoritates atq; opiniones. Qua de re quidem pro utraque parte ſi diſputaturus eſſem, hanc tuendi facultatem utraſque opiones ſubſtentarem. Sed nunc magiſtro meo Ioanni de Vico Ianuenſi aſſentiar, Non quòd in illius uerba iurauerim, ſed quia ipſius ſermo magis rationi congruere uidebatur, ſequendo opinionem Auicennæ ſuper illud. Si autem diſrumpatur in latitudine, tunc neceſſarium eſt ſuere ipſum uulnus: & ſi non ſuitur, non conglutinatur uulnus. Tamen à me dimittetur, cum non ſit præſentis ſpeculationis. Sed quæſo animaduertite uerba Auicennæ, cum præcipiat ſui ipſum uulnus neceſſario. Ego autem diſſolutum eſſe patiar. Intellexit de uulnere amplo, à quo maxima membri deplaſmatio ſequeretur, ſi ſolutum relinqueretur: & ſi ſuitur, magnum ſit à puncto ad punctum interuallum. Ego uerò de nõ amplo uulnere intelligo, quod quidem praxis etiam uos docebit. Plura etiam doloroſa & apoſtemoſa ſuturam ipſam non admittunt, quæ facilitatis cauſa & manifeſtæ apparentiæ nunc à me non perſcribuntur, ac etiam eorum rationes cõſideranti aperiuntur. Hæc omninò uidebantur memoriæ eſſe tradenda, in quibus ſutura non utimur. Eò nunc fratres reuertar, unde huc ego diuerti.

[Marginalia: Quintus. / Sextus. / Almocati quidam interpretantur defectionẽ oſsiũ. / Septimus. / Octauus.]

CVm ergo illa, quæ ſuturam renuunt, pro noſtro poſſe recitauimus, curam ipſam perſeueremus. Contorto itaque filo, & per ceram deducto (ut ſuprà diximus) ſuite uulnus taliter ut ſutura capiat cutim à parte ſuperiori uulneris per unum digitum, & profundetur in parte intrinſeca uulneris tantum ut multum capiat carnis, & uniatur, nam ſi pellis tantum ſueretur, remanerent uilli carnis ſeparati & putreſcerent. Semper tamen aduertẽdo, ut extremitates uillorum carnis inciſorum ſimul ſemper coëant, namque pulchram facient cicatricem, quandoquidem in hoc ſolo medicus ſuperet naturam, & in parte decliuiori exituram ſaniei relinquatis. Quod cum feceritis, hoc medicamen ei ſuperimponendum eſt, quod cõſtat ex albumine oui parũmq; olei roſati. Et hoc ſit ne multum patiens affligatur, cum uolueritis medelam à uulnere remouere, quæ dicitur la chiara. Nam plerunque tantum doloris & maximè in locis uilloſis generare ſolet, ut patiens quaſi ſpaſmari uideatur. Et hoc tantum in uulnere conſiſtat, donec uigeſima quarta hora defluxerit, ſi ſanguinis fluxum timueritis. Quo elapſo ter-

[Marginalia: Modus ſuẽdi]

mino infirmum reuiſetis ridibundi,ac inter famulandum locum ipſum detega-
tis ab omni detectione,quem poſtea digeſtiuo filectis[filis conceptis] impoſito
Digeſtiuum aliud. illineatis,quod conficitur ex ouorum uitellis, & terebenthina clara. Vel loco i-
pſius cum uulnus fuerit in capite,uel multæ ſenſibilitatis, oleo roſato, cum quo
tamdiu erit in cura procedendum,quouſq; ſanies generata fuerit. Cúmq; ſanies
generata erit,tunc omninò digeſtiua prohibeantur.Eſſet enim,ſi ulterius eo trã-
ſiretis addere putrefactionem putrefactioni.Veruntamen uulneris circuitus hu
mectandus erit oleo roſato omphacino tepido.Facta uulneris uiſitatione, iſtud
Defenſiuum. defenſiuum à plaga per unius palmi ſpacium ſemotum diſtendatis. Recipe olei
roſati unc.ij.ß.ſandalorum omnium ana ʒ.ij.boli armeni ʒ.ij.ß.albumen unius o-
ui,aceti parum,ſi uulnus fuerit à locis neruoſis remotum, ſin autem neruoſum
fuerit,loco aceti ponatur uinum granatorum. Quæ omnia ſimul in mortario du
cantur,dum uobis utenda uidebuntur. Cum ſic per quatuor uel quinq; dies cu-
raueritis,ab ipſo quidem digeſtiuo quieſcendum erit, & ad mundificatiuum cõ
ferendum,quod ſic componitur.Recipe mellis roſati unc.ij.terebenthinæ claræ
Mundificatiuum. unc.iij.bulliant parum addendo farinæ ordei.q.ſ.croci ſcrup.ß.quæ omnia ad i-
gnem incorporentur,quo facto utiminor per octo dies,uel circa, ut melius uide
bitur uobis expedire.Pro cuius conſolidatione habeatis unguentum in curatio
ne apoſtematum deſcriptum,cum quo ferè omnia diſſolutionis genera conſoli
do, de quo poteſt Bernardinus noſter teſtificari, qui ſemper (ut ſe certificaret)
uoluit intereſſe,cum curaremus mulieri Hiſpanæ quoddam apoſtema ſub axil-
lis,quod Abenzoar Albumeron incurabile ponebat. Et ſi in loco cicatrizando
caro unctuoſa immineret, pro eius remotione utiminor unguento mixto,quod
Vnguentum mixtum carnis unctuoſæ remotiuum. ex unà parte unguenti Aegyptiaci, & altera unguenti apoſtolorum cõſtat. Vel i-
ſto puluere,quo uti frequentiſsime ſoleo,facto ex myrobolanorum citrinorum
ʒ.j.ß.terræ ſigillatæ ʒ.j.aluminis rochæ combuſti ʒ.ij. piſtentur, & terantur ſicut
Puluis carnis unctuoſæ remotiuus. alcohol,cum quo certè de uulneris uictoria triumphabitis. Hæc erit cura uulne
ris ſimplicis, & carnoſi, ac etiam profundi: quæ uerò ſequentur, de compoſito
uulnere diſputabunt.

VVlnera compoſita ea eſſe diximus,in quibus cum medio heteregeneo fit in
ſtauratio.Et hoc ſicut in neruis & oſsibus. Licet authores dicant in pueris
cum homogeneo medio oſsium diſlocationes conglutinari.Nam iſta ſpermati-
ca membra dñr, quę cum diſcontinuantur, nunquã conſolidantur niſi affuerit
Vulnera manus ſunt periculoſiora. pôrus ſarcoides,qui eſt ab oſsibus longè diſsimilis. Quem ut in cura obtinere &
generare poſſitis, modo dicendum eſt.Sed prius eligamus uulnus cubiti,uel ma
nus:quoniam iſta quando accidunt,cęteris ſunt periculoſiora.Sed horũ manus
periculoſius eſt ratione neruorum,& chordarum,ac paucitatis humorum nutri
entium.Idcirco iſtud nobis ſortiamur,tanquam ipſum curaremus. Pro cuius cu
ratione multa conſideranda ſunt,quorum omnium ſermonem faciemus.

DEbetis ante omnia mi *INNOCENS*, uóſq; mei ſocij cum ad huiuſmodi
caſum accerſsimini,uulnus ſedulò ſcrutari, ne quid fruſti oſsis intus refere
tur,quod punctura,aut dolore,ueluti ſtimulo uirtutem irritaret.Quæ ſiquidem
ſymptomata emerſerint, futurum apoſtema demonſtrabunt. Cuius aduen-
tum omnibus modis, uijs, ingenijs, incipere enitemur, ne ad locum uulnera-
tum irrepat. Et hoc quidem obtinebitis, ſi ordinem qui ſequitur, obſeruabi-
Purgatio uulneris. tis.Expurgato itaq; uulnere ab oſsis fruſto, ſi oſſa integrè amputata fuerint,ut
Locatio membri. commodius poteſtis ipſa collocare debetis. Cum ab hoc labore eritis expe-
diti,tabellam, in qua manus erit collocanda, aptatam, benéque ſtuppis ſufful-
Sutura. tam (ut aptius ibi manus acquieſcat) habeatis, ſtatímque ad futuram uulnus ar-
ctabitis,ſi amplum fuerit. Nam paruum(ut diximus) apertum erit curandum,
Caueat neruos ſutura. ut neruorum rheumata liberum facilémque habeant exitum. Quo facto, ſuite,
cautè tamen, ne nerui pungantur: ſemper hoc intelligendo ut in parte decli-
uiori

uiori exitus generandæ ſaniei remaneat. Facta deniq; ſutura, manuq; collocata, uulneratus locus amiciendus eſt albumine, quod ſtuppa imbiberit. Et ſic medio cri ligatura inuolutum (donec uigeſima quarta hora tranſierit) membrum relinquatur cum idoneo uitæ regimine. Quo elapſo termino ſtatim ad infirmum reuertamini à barbitonſore comitati, ut de latere oppoſito diuerſiuam phlebotomiam faciatis, ne materia apoſtemanda ad locum depauperatū laberetur. Nā ſi prima die extraheretur, bonū ſanguinem hauriretis. Facta igitur phlebotomia, uos ad uulnus curandum conuertatis, quod cum detexeritis, hæc in uulnere medicamina locabitis. Recipe terebenthinæ clariſsimæ & ſubtiliſsimæ unc. ij. olei hyperici unc. iij. & ad ignem ſimul iſta miſceatis, & tepidum in uulnere ipſum ad miniſtrate. Nam ſi frigidum applicaretur, forſan aliquid nocumenti excitare-

Regimen uitæ.

Phlebotomia diuerſiua.

Digeſtiuum cum ſedatione doloris neruorum.

Hippoc.

„ tur. Vnde illud extat diuini Hippocratis, Frigidum inimicum neruis, oſsibus,
„ dentibus, cerebro, ſpinali medullæ, calidum uerò utile & amicum. Sequitur ergo, quòd in omni ueſtra uulnerum compoſitorum operatione à frigore actu medicamina, quibus uſuri eſtis, caueatis, & membrum uulneratum ſicuti puerperam, à frigore cuſtodite. In circuitu uerò uulneris applicetur peciola imbibita oleo roſato, in quo fricti ſint lumbrici, id eſt, uermes terreſtres. Quod nempe læſam particulam confortabit, & ſi quid humoris illuc cucurrerit, exhalabit. Circa uerò cubitum pro materierum fluxu iſtud defenſiuum illinietis: Recipe olei roſati, myrthini ana unc. j. ſ. boli armeni, terræ ſigillatæ, ſanguinis draconis ana unc. ſ. ſandalorum omnium ana ʒ. i. ſ. ceræ albæ. q. ſ. & fiat defenſiuum molle ad formam unguenti. Cum ergo ueſtra cura ſic tranſierit per ſex octo dies, uel plus, donec nerui rheumatiſma inceperint euomere, ad alia migrare uos decebit, ad abſterſiuum ſcilicet, & unguentum, Quorum primi talis eſt deſcriptio: Recipe terebenthinæ claræ unc. j. ſ. ſyrupi roſati unc. j. bulliant parum ſimul addendo farinæ hordei quātum ſufficit: ſarcocollæ, thuris, ana ʒ. ſ. croci ſcrupu. ſ. omnia ſimul ſpatula agitate, donec benè incorporentur. Iſtud enim erit abſterſiuum ſine mordicatione, quo in huiuſmodi uulneribus indigemus. Super quo iſtud unguentum adminiſtrabitis, quod meus magiſter ordinauerat: Recipe pinguedinis uituli & uaccæ, ana lib. ſ. olei roſati lib. j. terebenthinæ claræ unc. iiij. picis naualis & Græcæ, reſinæ pini, ana unc. ſ. lithargirij argenti. unc. iij. ſ. uini odoriferi cyathum unum lumbricorum unc. ij. meliloti, hyperici, rubeæ tinctorum, anthos ana. M. ſ. bulliant omnia ſimul uſque ad conſumptionem uini præter mineralia, & terebenthinam, deinde colatis omnibus iterum ad ignem cum lithargyrio iam dicto bulliant, & baculo pertractentur, quouſque colorem acquirant nigerrimum, ultimo uerò loco addatur terebenthina prædicta, & ceræ albæ quātum ſufficit, & fiat unguentum molle, quod in neruorum uulneribus maximi iuuamenti eſſe inuenietis. His ergo omnibus adminiſtratis, uſque ad ipſius ſigillationem, tunc pro cicatrizatione iſta decoctione, qua in apoſtematibus ſigillandis ſcripta fuerit, utimini. Sed illa hanc meliorem inuenietis, quoniam eſt cū membri confortatione, qua uti rectè in iſto loco poteritis. Recipe roſarum myrtillorum, abſinthij, balauſtiorum, ana M. j. nucum cupreſsi numero x. bulliant cum uino ſtyptico uſque ad conſumptionem tertiæ partis, qua pro membri inſtauratione cum ſpongia bene expreſsa utimini. Hoc quidem fratres chariſsimi ordine huiuſmodi uulnera curaui, qui medius fidius mihi, & honorem & utilitatem peperit. Hæc ſatis eſſe puto, quantum ad uulnerum compoſitorum curam. Nunc autem tempus nobis adeſſe uidetur, ut de accidentibus, ſicuti prædiximus, pauca enarremus. Quod iam reliquiſſem, ni uos illud inhiare animaduerterem. Cum maxima pars curandi uulneris, & ulcerum, de quibus annuente Deo cras ratiocinabimur uobiſcum, exiſtat in remotione accidentium. Ergo ne uos tanto deſiderio defraudare uidear, iſtud oneris pro uiribus ſubire accingor.

In circuitu oleum lumbricorum.

Defenſiuum.

Abſterſiuum ſine mordicatione.

Vnguentum uulnerum neruorum.

Cicatrizatiuum.

De accidentibus uulneri contingentibus.

NOn poſſum equidem multum non admirari fratres chariſsimi naturam, humanam tot caſibus, tantiſq; periclis eſſe ſubiectam, cum accidentia, quæ uulnus ſolent conſequi, mecum ipſe cogito. Quæ cum acciderint, ſolertes ac ingenioſos homines maximè fatigant, nedum ingenij & doctrinæ pauperculos.

Nota hæc epitheta.

Quid tunc illam chirurgicorum plebeculam opinari creditis, cum doctum fluctuare conſpexerit? Nonne arbitramini amabo, cum mederi neſciat, ſinere humanam naturam dolore cruciari, apoſtemate lacerari, mala complexione uexari, febre comburi, ſpaſmo detorqueri, paralyſi detorpeſcere, ſyncope debilitari, ac alienatione inſanire? Ergo ne in eorũ numero aſcribamur, & huiuſmodi criminibus accuſemur, quoad nobis licuerit, ſtudeamus, ut quæ cũ uenerint, proprijs medicaminibus gubernemus. Nã ſi benè curentur, nobis honorem & utilitatẽ: infirmis uerò uitam (qua nihil dulcius homini recte uiuenti eſt) diripiunt. Quare omni indagine, exquiſitaq; diligentia contemplari debemus, quando dolor naturam multum infeſtauerit, nunquid tantum ex continui ſolutione, & uulneris exiccatione, an materierũ cumulatione inſurrexerit. Si uerò ex partium diſgregatione, & arefactione uulneris oriatur, tunc pro illius rectificatione, mollitiuo indigemus medicamine. Sin autem ex materierũ aggregatione factus erit, in ipſum quidem dolorem auxilia deſiccantia, quæ oleis, farinis, aliíſue rebus deſiccantibus componuntur ſine ulla temporum conſideratione miniſtrabuntur. His igitur bene libratis, principio ſi dolore ex indigeſtione facto diſtraheretur, his auxi

Doloris remotiuum.

lijs infirmum tueamini: Re. medullæ panis in lacte caprino decoctæ unc. vj. olei roſ. camomillini, ana unc. ij. uitellos trium ouorum, quæ omnia ſimul in olla miſceantur, & tantiſper bulliant ſine uitellis, dum bene oleum imbibatur, deinde auferatur ab igne immiſcendo uitellos. baculo agitentur, & fiat ſolidum emplaſtrũ, quo tepido in loco dolore agitato utamini. Vel iſto alio, ſi illud minimè ue-

Aliud.

ſtræ opinioni reſpõderit: R. decoctionis maluarum, & uiolarum, uel brodij carnis arietinæ, aut cuiuſuis comedendæ ab homine. q. ſ. ut medulla panis ipſo imbibatur, deinde ſicut dictum eſt in priori decoquatur. Verum in iſto erit parum croci addendum, quod & in altero addi poteſt, ſi operanti bene uiſum fuerit. Verum ſi ex materierum inundatione exilierit, iſta infraſcripta applicentur: R. fur-

Doloris remotiuum cum exiccatione.

furis bene triturati M. iij. farinæ hordei, & fabarum, ana unc. iiij. camomillæ, meliloti, abſinthij, minutatim inciſorum, ana M. ſ. uini odoriferi cyathos ʒ. bulliant ad ignem omnia cum ſapa ſufficienti, & in fine cocturæ addantur olei camomillini, roſa. ana unc. ij. ſ. anethi unc. j. ſ. croci ſcrup. j. & fiat emplaſtrum ad formam ceroti mollis. His quidem dolorem, qui ut plurimum ſolet materiam ad locum attrahere, ſedabitis, maximè ſi à frigore fuerit cauſatus. Si uero à calido, calida ingredientiá pro ueſtra neceſsitate corrigetis. Quo me hercle ſedato, facilè curam perficietis. Apoſtema uerò refrenabitis, ſi defenſiuum ſuperius deſcriptum applicabitis, facta diuerſiua phlebotomia, enemate tamen pręcedente. At ſi in uulneris circuitu rubedinẽ cognoueritis, malã complexionem adeſſe iudicabitis. Pro

Sedatiuũ malæ complexionis calidæ.

Aliud.

cuius remotione hęc adminiſtrabitis: R. olei roſ. unc. iij. miſceantur cum albumine & uitellis duorum ouorum, quę cum fuerint benè conquaſſata, adminiſtrate cũ pecia uulneri applicanda. Vel ſic: R. unguenti roſati unc. ij. olei roſ. unc. j. quę ſimul ponantur in mortario plũbeo, in quo bene piſtillo ducantur, cui inſtillabitis ſucci lactucæ unc. j. ſ. lithargyrij ʒ. j. ſ. terræ ſigillatæ ʒ. j. & cum ante dictis molabitis, quouſque fiat linimentum, ſicque malam complexionem omninò remouebitis. Verum ſi febris, ſpaſmus, paralyſis, ſyncopes, & alienatio propter materierum commotionẽ patientem moleſtauerit, uobis ſtatim ad propria capitula recurrendũ erit, cum multi ſint, qui de rebus ijs ad plenũ meminerint, inter quos maximè uiget Guainerius, qui apte omnia diſtinxit: nam illa medicabitur accidentia, quoniam ſi uellem ſyrupos, & pharmaca ordinare, quamuis iſtud ego poſſem, quoniã cum plus ocij nacti erimus, de febribus diſputabimus, uiderer tamẽ

omnes

omnes medicinæ partes ingredi,quod non eſt ad prçſens à nobis ſuſcipiendum, cum de chirurgia modo uobiſcum loquamur, quæ dięta, pharmacijs diuerſiuis, unguentis, fomentationibus, emplaſtris, alijsq; linimentis aliquantulum contentatur. Hæc ſunt, quæ à me hodie cudenda erant, ut eſſem ſoluendo, ne uos me nolentem in ius duceretis, quoniam uinclo ſacramenti me obligaſtis, ad quod ſeruandum, qui boni, ſynceríque haberi cupiunt, ultro obligantur. *VINCENTIVS.* O quam bene iudicas. Verum quia uſuram iſtius diei nobis *MARIANE* perſoluiſti, ideo diſcedamus. At cras huc conueniamus, ut ſiquid perſoluendum ſit, perſoluas, & quod nobis arraboni datum eſt abs te, reſtituamus. MAR. Sic fiat, quando eodem propoſito diſcedimus.

Finis, tractatus de uulneribus.

Incipit tractatus de ulceribus.

FRANCISCVS.

SOLITOS eſſe memini, qui alta uelis maria peruolant, quamuis benè inſtructa ſit, nauim unico tantum foramine ſubmergi. Quod quidem non parum conſiderationis affert de humana conditione. Quæ licet uarijs caſibus fluctibúſque obnoxia ſit, tamen unico turbine uentorum ſæpenumero conquatitur, ut quomodo inde poſsit emergere, diu anceps illa colluctetur, præſertim ſi à quo ſeruanda eſſet, deſeratur. Ego autẽ Romæ (ne longius exempla petamus) uidi hiſcemet oculis, qui ulcus ſanabile ante genu patiebatur, animam egiſſę. Illud hercle nõ culpa medicorum factum eſt, ad quod plerunque ignari confugiunt, ſed patientis inertia, deſidia, ac etiam dicerem auaritia, ſi uerbum iſtud ſcirem apud quoſdam pruitu aurium uacaturũ, quod ſæpe illorum aures unguibus ſcapellat. Quæ ſi non tam arcto, atque inextricabili nodo illius crumenam implicuiſſet, forſan modo, qua caret, uitalem auram nobiſcum aſſorberet, ſicq́; tartara petiturus tam exoſo nomine uacaret. Igitur mi *MARIANE* chariſsime ut à tanto periculo tantoq́; facinore abhorreamus, de ulceribus conſultemus, ut ſi quando (quod deus auertat, nam homines quippe ſumus) à tam moleſto tædioſoq́; ſtimulo uexaremur, ſciamus opportunè calcitrare, idonea auxilia formando. Quandoquidem huic quoq; facultati operam impendemus: ac facilius per te nobis iter præbeatur, ſicuti in ſuperioribus feciſti. Nam quomodo te geſſeris, ipſa res, ſi opus eſſet, eloqueretur: cum ipſe omnia memoriter enarrem, non mei ingenij bonitate, ſed tua facili explanatione, ac cócinna diuiſione. Quæ quantum animos aſcenderint, ſupra quàm cuique credibile eſt, exiſtere uidentur.

MARIANVS.

RÉcte quidem dijudicaſti. nam quod uolebam dicere, eripuiſti. Sed tu cũ me tãtum laudes, ueri amici limites tranſcendis. Nam ſi res controuerſiam ſuſtineret, neſcio quomodo tua dicta tuereris, quæ ita ſoluta, & adulatione plena uagantur, ut neſciant, unde fluxerunt, redire. Sed de hoc alias. Nunc uerò quod mihi eripuiſti, minimè tacebo. Cum illud ab re fore non iudico, quod nobis maximè uſui eſſe poſſet. Cum ego huc aduentare conſtitueram, & rectam uiam aggreſſus eſſem, quæ me ad uos, qui meis oculis mihi eſtis cariores, conducebat, ſtatim à nuncio quodam reuocatus eò deceſsi, ubi illum, qui me plurimum deſiderabat, conueni, patiebatúrque ulcus cauernoſum in coxa, & doloroſum, cuius maxima pars fuit medicorum inſcitia, & maximè illius, qui nunc eſt mihi infe-

ſtiſsimus,atque iratus,dico autem,qui nuper baptiſmate ſeſe immerſit,cuius ſententiam reuocauimus,& ægroto ſatis opportuna remedia compoſuimus, ac etiam membra illius fatigatione uexata ſitu placido, & delectabili quietauimus, ex quo dolor, quo miſer uehementer cruciabatur (cuius me ualde miſerebat) acquieuit, ſicq; ſopore aſperſus leuem quietem intercipit, ab hoc ergo abſolutus iterum quo uenire deſtinaueram, aduolaui, mecum ipſe reputans, quanto ingenio, quantá ue indagine ſit opus, qui medici officio utetur, præſertim in ulceribus. Nam rarò dantur ipſa ſimplicia, circa quæ ſi paululum aliquis fuerit hallucinatus, ad Acheronta ægrotus cogetur obulum afferre, ſine uiatico. Idcirco ne nobis eueniat, ut inſcij dicamur, huic negotio aliquantulum operæ tribuamus, quod uos me eſſe exoratum uolebatis. Verum cum incepero, ne quis ueſtrum me audeat interpellare, niſi ubi fortè fuerit ad ueſtram intelligentiam neceſſe percontari. IOANNES. Eloquere, cum nos huic tuę ſententiæ faueamus, uerum diffinitionem, quæ maximè nobis cordi exiſtit, non omittamus.

MARIANVS.

PLeriq; omnes, qui de hac re conſultauerunt, magis quàm opus eſſet practicātibus, promulgauerunt. Ac etiam quæ philoſophantibus aliquādo obſcura fuerunt, maxima cum diligentia inſeruerunt obſcurę promulgationi. Illud excogitaſſe magis uiſi ſunt, ut uiuacis ingenij uires oſtenderent, quàm hominum ignauiæ cōſulerent. Forſan ea tempeſtate quis dicet diligentiores extitiſſe homines, quam ſint in hôc ſæculo pręlijs, cędibus, obcęcuíſq; delectationibus turbulentiſſimo. hac equidē ratione ductus ea tantum hauriam, quę huius diſciplinæ ſitibūdorum ſitim extinguant, eorumq; deſiderium reprimant, nec futili inaniq; aure hominum ſententias, ſed utilitati ægrotantium, & practicātium cupiditabus accommodabo: ut inde uenari poſsint commoditatem, qua mendicis, egenis, pauperibúſq; auxilientur, & auaros diuites expilent. Ex quo uos ulceris diffinitionem, quam modo me rogaſtis, non omittendo fœliciter auſpicabimur.

Vlcus quid? EST enim ulcus cōtinui ſolutio ſanioſa cum putrefactione tempore facta. Generantur autem ab exituris, ut placet Auicennæ, exulceratis, puſtulis agitatis, & uulneribus malè tractatis. Vnde uulnera cum primum, ſicuti noſter princeps aſſerit in primo ulcerum in uniuerſali, debitum digeſtionis, abſterſioníſq; tempus tranſierint, & adhuc ſanioſa tabidaq; extabunt, non uulnera, ſed ulcera erunt appellanda. Ex quo ſequitur, quod omnis continuitatis ſolutio, quæ pus ſiue uirulentiam expuet, ulcus certe nominabitur. Quorum quædam à caliditate, quædam uerò à frigiditate nutriuntur. Ea quidem, quæ cum rubedine in circuitu & pruritu reperiuntur, à calido humore manabunt. Quę autem latas habebunt radices, & ſine pruritu, & eorum color non erit in rubedine eleuatus, frigidæ erunt complexionis. Et ulcerum quidem quædam ſunt ſine timore, & quædā periculoſa. Sunt autem periculoſa omnia, quæ ſaniem cum deberent generare, non generabunt, ac etiam cum apoſtemoſa erunt, & illorum apoſtema ſine ratione occultabitur. Nam ſi cum ratione euaneſceret, illud erit beneficio alicuius medicaminis hac operatione utentis. Nam ſi abſque ratione eliqueſceret, illud boni nihil portenderet, ſed mali non parum, ſicut ſpaſmum, & rationis permixtionem. Quamuis etiam ſint ulcera, quæ huiuſmodi habeant producere effectum, ueluti ſunt dorſalia, neruoſa, geniculoſa, & coxalia, & quæ maximè cum nucha ſeruant affinitatem, ut ibidem Auicenna refert. Et eorum quædam nobis morigerantur, quædam uerò noſipſos auerſantur, & in curando ſe odioſa præbent ac difficillima. Sunt autem curationis difficilis omnia, quæ ſuccedunt alicui ægritudini per uiam terminationis. Quoniam inde natura exoneratur à ſuperfluitatum malorum humorum reliquijs. Necnon corpora accidentaliter humida,

[Margin notes: Signa ulcerū calidorum. — Signa frigidorum. — Signa periculoſorum. — Quæ ſunt difficilis curationis.]

humida,uel ſicca,tardè cum ſanitate paciſcuntur.Sicuti accidit grauidis mulieribus,& hydropicis hominibus. Quod alteris propter humiditatem accidentalem,alteris uerò propter ſuperfluitatum retentionem euenire uidetur. Praeterea & ſicca, & hectica nempe non facile conſolidantur propter ſanguinis boni paucitatem. Similiter miſella ſenum corpora,tum propter ciborum indigeſtionem,ac chymi indecoctionem,quoniam in illis calor naturalis extinguitur,tum propter boni ſanguinis paupertatem aſsiduè ulceribus dilaniantur. Et multotiens membrum malè complexionatum eſt cauſa, ne citò ulcus conſolidetur, quare oportebit te non parum elaborare,ut illius complexio rectificetur. Quoniam nutrimentum,quod illuc repit,conuertitur in ſaniem, cum non reguletur à natura. Quid enim eſt ſanies,niſi nutrimentū corruptum,quod natura non potuit dirigere,nec in ſecundas humiditates conuertere. Hoc autem ut facere poſſitis,aliquantulum naturæ ſimplicium cognoſcendæ incumbatis, ac etiam è libris Technæ Galeni omnium ſigna complexionum eligatis, nec tempus in nugis,uentoſiſq; uerbis, ac diſtortis rationibus conteratis. Quid enim utilitatum ægrotantibus ueſtram opem implorantibus afferetis, cum tot cauillationes, totq; iacula contorſeritis de illa tædioſa ac famoſa corporis neutralitate. Cum enim nos uideamus eorum, qui de hac re meminerint, nullum nulli aſtipulari ac ſuffragari, ad quid iſtam temporis perditionem amplectimur? Idcirco ſequimini fratres chariſsimi omni ſtudio, omni diligentia, omniq; charitate magiſtrum Ioannem Anthracinum Maceratenſem, libros Technæ nunc interpretantem, qui quantum ualeat in explanandis libris, in recitandis opinionibus, excitandiſque diſcipulis, non poſſum mente nec animo concipere, adeò totus illius ſermo hubertate, latinitate, & ſententijs huberrimis eſt ornatus, & fulcitus, ut ferè alter Tullius eſſe uideatur. Quæ omnia non magis exoptare debemus, quàm ipſum colere, amare, & uenerari, cum homo ſit tanta dignus ueneratione, & amicitia literatorum, & principum, cardinaliúmque frequentatione & fauore decoratus. Et quæ ſunt facilis curationis, ſunt quæ ingruunt corpora benè complexionata, & bono ſanguine nutrita, cum pauca humorum ſuperfluitate. Iſtorum uerò quædam permanent in cicatrizatione, & quædam diſſuuntur. Et quæ iterum relaxantur, ſunt, in quibus generatur caro ante completam mundificationem, ut idem Auicenna docet, quoniam non munda ibi ſuperfluitas occultatur, quare oportet iterum corrumpatur continuitas proueniens ſecundo: & propterea fiſtulæ exiſtimantur quorum ulcerum genera quinque ſunt capitalia, ſcilicet, Virulentum, Sordidum, Cauernoſum, Putridum, & Corroſiuum. Sed antequam iſtorum curationes pertractemus, aliquantulum conſentaneum eſſe uidetur, ut accidentia, quæ nobis curam impediunt, computemus. Quo facto ad uniuſcuiuſque generis curam reuertemur, quoniam niſi accidentia corrigeremus, quæ maximam partem conferunt ad cognoſcendum quod quid eſt, ut recitat Ariſtoteles in primo de anima, nunquam uictoria pugnando obtineremus, cum ipſa cura ſe teneat ex parte materiæ & accidentium.

Sanies quid?

Quæ ſunt facilis curationis.

Quæ non permanent in cicatrizatione.

Genera ulcerum quinque ſunt capitalia.

SVnt autem ulcerum accidentia ſanguinis hæmorrhagia, Caro ſuperflua, Labia oſtracoſa, Dolor, Apoſtema, Durities, Putrefactio, Os corruptum, Varices, & Rotunditas. Quorum unumquodq; ſibi ſuam uendicat curationem, quæ ſi fortè petenti denegaretur, uel nos in ius duceret, daturos unicuiq; ſuum, uel nunquam fœdera, niſi debito ſoluto, nobiſcum contraheret. Igitur ne tanquam rei ad ius trudamur, uel tyrannide criminemur, dicamus quomodo iſtis ſatisfaciemus: & à ſanguinis fluxu exordiamur.

Accidentia ulcerum quæ cō ſolidationem impediunt quæ?

EXcogitaueram nempe inter loquendum, nunquid curriculo eſſet pertranſeundū, quod modo de ſanguine loquemur, an eſſet in eo paſsim inſiſtendū, cum multi authores, qui de hoc ipſo ſcripſerint humanę uitę ſanguinē theſaurū

appellauerint. Ego autem ni ab eorum fontibus poculum, quod ita ſitibundus ſorpſi, tam cupidè hauſiſſem, quo nomine nominandus eſſet, non facile inueniſſem: Cũ illud non uenis lateat, ut ſic tantũ eo natura ſicuti auari defoſſo auro gaudeat: ſed cum ſitibunda membra ſitiuerint, quod unicuiq; ſatis eſſet impartiretur pro illorum conſeruatione & alimento. Hoc cum tam auidè naturã cuſtodiat, afferamus laboranti ſubſidia, ut rectè, cum opus fuerit, officio fungatur ſuo. Nã quid crudelius, quídue inhumanius eſſet illo, qui cum aliquem ope, auxilio, conſilio tueri debeat, deſertum eſſe patiatur? Idcirco ne aliquando eueniat, quod ipſa de nobis iure conqueratur, ſub uno genere duplicem ſpeciem cõſtituamus, ut facilius cognoſcatur, quonam medicamine indigeamus, cum ſanguis præter naturam emanauerit.

De ſanguineo fluxu.

OMnis enim fluxus ſanguinis mi iucundiſsime FRANCISCE ſolet euenire aut à cauſa antecedẽte, aut à primitiua. Quarũ antecedens in præſenti negotio à nobis dimittatur, ne forte, cum noſtra limina tranſcenderimus, in aliena temerè irruamus, unde merito poſtea tãquam fures detrudamur. Vt ergo dedecus iſtud omni conamine declinemus, tantum fiet nobis ſermo de eo, qui cauſa primitiua uenas reliquerit. Eſt autem ſanguinis hæmorrhagia aut ex recenti continuitatis diſciſsione, aut ex illius putrefactione. Ex diſciſsione inuenimus ſanguinem à uenis reſudare, aut inde defluere, aut ſaltim deſerpere. Sudat enim uena ſanguinem, cum à proprio tegmine detegatur, unde ipſam amicire ſtatim iudicamus oportere, ut quod immiti ferro fuerat deuaſtatum, facili medicamine recuperetur. Illud autem condecenti futura comparemus. Si uerò ſanguis ille refractis obſtaculis effrenitabit, aut leni, mitiq; inceſſu gradietur, aut tolutario paſſu ſuos moueri gradus nitetur. Si aũt leniter placidéq; incedet, à uenis hercle ipſum ſubrubeum ac groſſum exire uidebimus. Sin uerò tolutim proficiſcetur, & rubeus, ſpumoſus, clarusq; foras prodiret, arterialis eſſe iudicabitur. Pro quorum curatione hæc primo cõſiderare debemus. Nunquid uena tota tranſuerſaliter, aut ſecundũ partem inciſa fuerit. Cum uerò totaliter interſecta fuerit, pro illius cura hunc ordinem tenebitis. Verum animaduertere quæſo fratres ſecundo debetis, ut primæ conſiderationi hanc etiam ſubnectatis, ut benè penſiculetis plaga profundáne, an ſuperficialis facta fuerit. Si uerò planum, id eſt, ſuperficiem tenebit, incarnantia applicabitis, quæ talia erunt: Recipe ſarcocollæ, myrrhæ, aloës hepaticæ, ſanguinis draconis, thuris, maſticis quantum uobis uidebitur oportere, quæ omnia ad placitum ualebitis doſare, prout ægrotantis complexio deſiderabit. Sicq; huic ſanguinis hæmorrhagiæ, quæ multotiens nobis ſolet eſſe moleſta, obuiabitis. Quo medicamine in uulnere proiecto ſtupeos glomerabitis plumaceolos, quos albumine oui cum puluere boli armeni conquaſſato imbibitos ſuper plagam ordine componetis. Qui quidem erunt tegendi panno linteo in eodem albumine madefacto, ſeruata denique concedenti ligatura, ne dolorem inferre ualeat. At ſi profunda fuerit, accurata animaduerſione cenſebitis, nunquid ſi profunda futura facta fuerit, potens erit meatum illum oppilare. Quod ſi ratione comprobabitis futuram nullo modo dimittetis, quam poſtea ſequetur linteus pannus infuſus in albumine cum puluere modo dictis, nullo poſthabita modo idonea ligatura, quæ quantum interdum operetur, ſolum iſtud natura conſiderat. Verum ſi futura ipſa non profuerit, hunc proſequimini ordinem, quo ſemper uſus ſum, & mihi & ægrotantibus benè ſucceſsit. In primis itaque uulnus uino ſtyptico lauabitis, & hoc duplici de cauſa, una quidem cauſa eſt loci confortandi, altera uerò, ut uiſui nihil ſanguinis obſtaculo fiet, ne ualeat æque bene ſpeculari: ubinam medicamina erunt applicanda: deinde totã à uulnere matrem ſanguinis ſtudioſe uerretis, ne ibi diu conſideat. Nam quantus ſit illius teter & putridus odor, mox naribus percipietis. Cũ uerò ab hoc negotio eritis ſoluti, alterius ſtatim laboris cura uos ſuſcipiet, ne ſegnes eſſe patiaſ.

Puluis incarnatiuus.

Lauacrum uini ſtyptici.

illutabitis

illutabitis orificium uenæ ſanguinem uomẽtis iſto remedio: R. albuminis unius
oui quantum ſufficit, coti combuſti unc.ſ. pulueris gallarum. farinæ fabarum, fa
rinę uolatilis ana ſcrup.ij. pulueris mei magiſtri (cuius receptam in fine deſcribã, Retentiuũ ſanguinis.
appellaturq́; præcipitatus) drach.j. miſc. & omnia ſicuti diximus orificio impo-
natis. Verum ſi ex putrefactione inundauerit, omnia incarnantia dimittite, & ad
putridi ſeparationem incumbatis, quod facietis unguento Aegyptiaco, ſi putre
do facta fuerit ſcilicet ſuperficialis, uel inter duas carnes, quod fiat deſcriptione
Auicennæ: conſtat enim, mellis, floris æris, aluminis rochæ & aceti parti- Vnguentum Aegyptiacum.
bus æqualibus. At ſi magis fuerit profunda, adminiſtrate trochiſcum in fine de-
ſcriptum, qui mortuum putridúmque à ſyncero ſeparabit, abſq; magno dolo-
re: hoc autem nemo bene poteſt conſiderare, niſi prius uiderit, quomodo admi-
niſtrentur. Idcirco ſi ad hoc adipiſcendum animum incuruaſtis, eligite ſodes ali-
quem practicum bonum: qui poſsit actu practico iſta uobis omnia diſtinguere,
quod ſanè libenter facerem, ni me ſtudium ab ipſa practica diſtraheret. Cum ue-
rò ſecundum partem mutilata fuerit, hæc duo ſtatim uobis ſubijciantur. Quorũ
unum inciſio, alterum uerò colligatio nominabitur. Fiet enim inciſio, cũ ea, quæ
ſuperius dicta ſunt, non contulerint, & hoc ideo faciendum eſt, ut uenę inciſę ca
pita ſub carnem contrahantur, ex quo ſequitur illorum oppilatio. Et tunc erit
hoc perpetrandum, cum uenæ paruæ uiſæ fuerint. Nam ſi magnæ groſſæque eſſe
cernerentur, tunc alterum ingenium non multum ab iſto diſsimile propagabi-
tis. Contemplamini igitur antequam incidatis, ſi parua carnis contractio facta
fuerit, poſsibile eſſet ipſam colligare in parte ſuperiori, quo nihil eſſet optabili-
us, commodiúſque ad incidendum. Si uerò non poſſet fieri, uos ipſam reſcindite
uenam ferro ignito, ac idoneo, ad illud, quod facere concupiſcitis, uerum non
multum profundabitis, ne arteria, qua uena incidenda comitatur, aduratur. quã
do paucæ dantur uenæ, quibus arteriæ non ſociantur. Ego uerò cum ad quen-
dam, qui fluxum ſaguinis triduo perpetiebatur, in quo reſtringendo multi &
quidem non ignari colluctarentur, eſſem accerſitus, & interrogando eos, qui a-
derant, cognouiſſem, quæ huic caſui eſſent adminiſtranda conſummaſſe, ne ui-
derer inter apes fucus, atque eos qui de me plurimum prædicabant, in tali nego-
cio fefelliſſem, tali uſus ſum ingenio, quo mihi utilitatem, ægroto uerò ſanita- Accidentia ad fluxum ſanguinis conſequentia.
tem comparaui: de qua iam erant deſperati, cum meminiſſent dictorum Aui-
cennæ dicentis ad hanc ſanguinis hæmorhagiam inſurgere accidentia mala, ue-
luti ſpaſmum ex inanitione, ſingultum ex ſtomachi uillorum arefactione: cum
ipſa humiditas deſiccetur à uenis meſeraicis, quæ irritantur à membrorum con
ſumptione: & rationis confuſionem, aliáque ſymptomata mortem frigidam ar-
guentia. Nam iſta ſunt accidentia, quæ hanc conſequuntur ægritudinem, quæ Nota uenam ligandam.
cum apparuerint mortem certam prognoſticant. Transfixi labrum uulneris
acu in parte ſuperiori uſque ad uenam inciſam, eámque intactam acu reliqui, ex
una parte. Deinde eandem acum deduxi ſub ipſam uenam ad partem alteram,
& iterum labrum ex infera ad ſuperam partem transfixi, ita quòd laqueum in-
ciſæ uenæ compoſuimus, cuius capita benè nectendo uenam cum labro colli-
gauimus: ſicque honorem ab inferis uita ægri citata reportauimus. Verum at-
tendite hoc quæſo fratres: ut in omni ueſtra ſanguinis conſtringendi opera-
tione ſuperimponatis (cum uulnus plumaceolis ſupradictis impleueritis) pe-
cias aqua & aceto roſato madefactas, ita quòd totum membrum, ex quo ſan-
guis emanat, ambiant. His igitur ingenijs contra hanc ſanguinis effrenitatem
maximo cum honore, uictoriáque, non trophæis regalibuſque ſpolijs nudata
triumphabitis. Satis iam ſatis hucuſque de ſanguineo fluxu dictum eſſe credi-
mus, quare ne tempus quod tam præcipiti rota à ſupremo mobili uoluitur, nos
deſerat, aggrediamur ulcerum curationes, ubi alia ulcerum accidentia proprijs
medicaminibus refrenabimus. Nam ſi de unoquoque ſpecialem ſermonem

texeremus, eſſet non iucunda nugatio, cum ipſa eadem in curando neceſſario citarentur.

Vnde ulcera nomina ſortiuntur. A cauſis. Ab accidentibus. Antecedens cauſa ulceris. Cõiuncta cauſa ulceris. Vlcerum diuiſio. A ſaniei qualitate. Diuerſa ſaniei nomina.

VErum enimuero mi *ABSTEMI* nihil modo ſuperflui noſtræ ſermocinationis eſſet, ut antequam ulcerum curationes aggrederemur, breui enarremus, unde ipſa ulcera ſpecierum nomina ſortiantur: cum tantum legendo inuenerim à cauſis, ſcilicet tanquam à materia antecedenti: & ab ipſis accidentibus proprias nominum appellationes ſibi uendicare ſolere. Dicuntur enim à cauſis ulcera cholerica, ſanguinea, phlegmatica, & melancholica, ſecundum quod humorum aliquis odioſe ulcera fouebit. Ab accidentibus uerò appellantur Dura, Cauernoſa, Fiſtuloſa, Putrida, Cancroſa, Formicoſa, Corroſiua, Doloroſa, Apoſtemoſa, Oſtracoſa, &c. id genus, ſecundum quod iſtorum aliquod ulceri ærumnoſe imminebit. Cæterùm uerę cauſę, à quibus ulcera ſuum eſſe concipiunt, duę ſunt. ſ. antecedens & coniuncta. Antecedens eſt corruptio cum nimia quantitate malorum humorum ex inordinato regimine genitorum cum potentia corrodere, ac corporis particulas uiciare, & corrumpere. Cauſa quidem coniuncta eſt malitia complexionis introducta in uulneratis particulis, & exituris, & puſtulis apertis male à medicis tractatis, ſicuti hac noſtra tempeſtate medici faciunt. Poſſem adhuc equidem ipſa ulcera diuidere, cum ſint ulcerum quędam plana, quædam profunda. Et horum quędam mollia, & quędam dura. Adhuc illorum quædam ſtantia, quędam ambulantia. Iſtorum uerò quędã corrodentia, & quędã putreſcentia. Sed cũ iſtę diuiſiones magis ad ingenij contuſioné, quã ad illius acuitaté faciant, decreui nullo modo de eis mentioné facere ſpecificã. Cũ iam in curãdo etiã pertractabuntur. Quandoq; etiã nominantur à ſaniei qualitate, quę à doctoribus quatrifariã dicitur. Eſt enim ſanies, pus, uirulentia, & ſordicies. A ſanie ſanioſum, à pure purulentum, à uirulentia uirulentum, à ſordicie ſordidũ ulcus nuncupabitur. De quorũ numero primũ erit agendũ de ulcere ſanioſo, deinceps ad uniuſcuiuſq; ſpeciei emendationé ſecundũ ordinem enarratũ deueniemus.

De ulcere ſanioſo. Sanies quid? Secundæ humiditates. Quando fit ſanies.

CVm ergo de ulcere ſanioſo dicturi ſumus, non uidetur à ratione diſſonum, quid ſit ſanies dicere, undé ue oriatur, & quæ ſint illius cauſæ, quando ex iſtorum noticia facilè conſequemur ulcerum curationem, quam quidem exiſtere cenſemus in cognitione cauſarum, complexionis rectificatione, & confortatione membrorum. Eſt igitur ſanies nutrimentum corruptum quod natura non potuit digerere, nec in ſecundas humiditates conuertere. Quæ appellantur, nomen non habens, ros, gluten, & cambium. Tunc enim fit ſanies, quando materia nutritiua defluens ad membrum, uel quę in membro exiſtit, non poteſt conuerti ad membri naturam ex illius debilitate cum attractione membrorum circunſtantium ſuperfluitatis. Quoniá, ut Auicennę placet, ad membrum debile tranſmittuntur ſuperfluitates membrorum circumiacentium, quæ in pus, uel in uirulentiam conuertuntur. Quare cũ ægritudiné curare uoluerimus, omni conamine eniti debemus, ut mẽbri debilitaté corroboremus medicamine aliquo, uel cataplaſmate, membrum debile cõſolante. Conſolabuntur enim membrũ debile pharmaca ſtyptica cum caliditate naturalé membri caliditatem non excedenti, ut Gal. tertio Technæ refert. Illud idé facient defenſiua eaſdé qualitates retinentia. Quomodo iſta fieri debeant, natura ſimplicium uos docebit. Ideo aliquantulum in naturis ſimplicium cognoſcendis operam date, ut cum opus erit, tanquam è promptuario illa uideamini exerere: & nõ quaſi exuſto ſtipite amiſſam acum in tenebris quærere, ſicuti noſtræ ætatis ignari medici faciunt. Adhuc huiuſmodi ſceleris cauſa eſt adminiſtratio unguentorum, quæ humidam, calidam ue complexionem habent, quæ utræque faciunt ad maximam putrefactionem. Nam humiditas, & caliditas non regulans humiditatem, ſunt cauſæ aduentu primo putrefactionis, ut philoſophorum princeps Ariſtoteles in Meteororum quarto aſſerit. Quare qui hanc artem exercere uoluerit, omni induſtria

colluctetur,

colluctetur, ne eum effugiat unguentorum cognitio. Non dico nomina, ſicuti faciunt Hebræi, ac etiam noſtri, qui artem medicam profitentur, cum ſciuerint nominare unguentum baſilicum, nigrum, raſinum, aureum, apoſtolorum ſiue apoſtolicum, atq; Aegyptiacũ, camphoratum, album, lithargyriacum, miniacũ, ceraſeum, &c. quibus gloriantur. Sed dico qualitatem, quam unguenta debeant habere in hac, uel illa ægritudine, ſecundũ intentionum curatiuarum exigẽtiam. Nam aliquando confortamus, aliquando uerò humectamus, deſiccamus, calefacimus, & infrigidamus. Idcirco non eſt admirãdũ, cum tam frequenter ceſpitẽt. Sunt enim iſti medici in bibliothecis impreſsi. Quoniã operantur ſecundum libros, ex quibus plurimi oriuntur errores, quando non rectè percipiũtur. Quod ille Damaſcenus aduertens in ſuis aphoriſmis non tacita uoce exclamat: Operari autem ſecundum libros abſq; perfecta doctrina & ſolerti ingenio, moleſtum eſt. Quare hortor uos fratres chariſsimi, ut in omni ueſtra actione, quã circa corpus humanum exercitaturi eſtis, medicamina ſecundum membri complexionẽ & ægritudinis intentiones ordinetis. Et ſi poſsibile eſſet, ipſemet ea componite, nec tantum pharmacopolis credite, ut aliquando ab eiſdem decipiamini illo benedicto, nolo dicere maledicto tractatu quid pro quo. Cum qui ipſum compoſuit, ſit iã uita defunctus. Nam ſicut homines non una uiſus ſpecie uariantur, nec una humorum qualitate, & quantitate, ac corporis complexione, quæ aſtrorum motu in corpora influunt: Sic & ipſa ſimplicia, cum ſint diuerſarum ſpecierum, figurarum, atq; locorũ unde propriam ſibi contrahunt qualitatem. Quod Auic. exclamat in canone ulcerum curationis dicens, Et medicamen quidem unum ſecundum quędam corpora facit naſci carnem, & ſecundum quædam eorum eſt corroſiuum uehementis abſterſionis, cũ corpora ſint leuia ualde &c. Ex quo infertur, quod ſecundum ulcerum exigentiam, & corporũ ac membrorum cõplexionem unguenta ipſa malaxentur. Quam quidem ſententiã ille facundiſsimus ornatiſsimusq; Cornelius Celſus, quem uos tanti facitis, tetigit in tertio ſuæ medicinę loquens. Ignorari non oportet, quod non omnibus ęgris eadem auxilia conferant. Et idcirco eſtote prudentes in componendis medicaminibus, ne aliquando uobis accidat dicere, non putaram. Sanies autem bona erit illa, quæ alba, lenis, & ęqualis erit, ut dicit Aui. quam ſententiã ab illo diuino Hippo. depræ datus fuit in lib. primo prognoſticorum dicente. Putredo ea laudatur, quę alba eſt, & ęqualis per totũ, neq; in ſuperficie inęqualis, neq; mali odoris, quę uerò cõtraria peſsima. Quare debeat iſtas qualitates habere ſanies diceturuolẽte deo in capitulo de iudicijs ſaniei, quãdo illud cõmentabimur. Vbi ad plenum rationes colligetis, quas modo ſi uellẽ narrare, longius ab incepto diſtraherer. Nã immenſum pelagus aggrederemur ſ. elemẽtorũ mixtiones, colorũ fractiones, ubi dicere oporteret à quibus qualitatibus prouenirẽt. Sicq; alchimiſtę potius, quã medici appareamus. Poteſtis etiã Gal. nõ negligere, ſed frequẽter lectitare in primo prognoſticorũ, ubi & diuina quędã relegetis pro illius rei cõplemẽto. Habetis ergo quid, unde & qualis, ſit ipſa ſanies. Nunc uerò contexamus curã ulceris ſanioſi.

Mesue. · Auicẽ. · Cornelius Celſus. · Sanies bona quæ.

Videor uidere uos uelle me quaſi percõtari, quid nam ſentiam pro ulcere ſanioſo, cum de ipſo ſermonem abſoluere deſtinaueram. Nam modo frontem contraxiſtis, cum ulceris ſanioſi curam uelle contexere dixerim. Pro cuius intellectione ignorare non debetis, ulcera eſſe duplicia. Quorum quædam ſunt ſimplicia, & quædam compoſita. Non dico ſimplicitate abſoluta, ſed ſimplicitate quadam. Conſtant enim ex mala cõplexione, & continui ſolutione, & aliquando cõpoſitione, ad quę cõcurrunt malę qualitates. Sed dico inquantũ opponũtur ulceribus cum accñtibus uerã cõſolidationẽ impedientibus repertis, quę cõpoſita eſſe dicũtur. Quare cũ ulcus ſanioſum nominauero, ex noſtra ſuppoſitiõe ſimplex intelligetis, quod omninò erit ab illis accñtibus remotũ. Verũ cum quadã aliquando alteritate inuolutũ. Idcirco de ſimplici planũ tenẽti, deinceps

Pro ulcere ſanioſo quid intelligimus.

de ſimplici concauo dicamus. Poſtea uerò de compoſito, eodémq; modo ac ordine ſermonem proſequemur, ad quod deus optimus maximus nos conſeruet.

De cura ulceris ſanioſi planum tenentis.

SVpponatur igitur nobis humanam uitam ſeruare cupiẽtibus, ulcera omnia, inquantum ulcera ſunt, exiccatione indigere. Quæ quidem bipartita eſt, cuius una pars eſt frigida, altera uerò calida. Et hæc adhuc cum mordicatione, & ſine mordicatione. Sunt enim cum mordicatione omnia, quæ ſub certo gradu caliditatis ſiccam habent complexionem, cum ipſa caliditas unà cum ſiccitate cõſtare uideatur, ut Ariſtot. primus omnium docentium doctiſsimè nobis demonſtrat in primo generationis, ubi prima elementa docet commiſcere, aitq; ſi terræ frigiditas cum caliditate commutaretur, iam non aridæ ſed ignis nomine potiretur, connectẽnsq; ſi eiuſdem ſiccitas cum humiditate mutaretur, amitteret terræ nomen, & aquæ appellationem ſortiretur. Quæ quidem exiccantia ſi cum huiuſmodi qualitatibus repetirentur, non modo mordicarent, uerumetiam & adurerent. Hoc nobis autem aſtipulantur ignis, & ſublimati qualitates. Verum unum altero erit tanto minoris mordicationis, quanto minus ſubmergetur in huiuſmodi qualitates, & ideo in eligendis talis modi exiccantibus, eſtote aliquantulo prudentiores, ne uno pro altero uteremini. Et hoc ut euitetis, exiccantium diſtinctionem accipite, quibus utimur ad ulcerum curationem. Quorum noticia facile peruenietis ad metam ulcerum curationis. Sunt enim frigida exiccantia ſandali omnes, myrobolani, terra ſigillata, ſanguis draconis, bolus armenus, tucia, camphora, ceruſa, lithargyrium, minium, zinabrium, coralli rubei, gumma arabica, &c. Calida ſine mordicatione ſunt aloe, hepatica, myrrha, ſarcocolla, gallæ non perforatæ, &c. Cum mordicatione ſunt flos æris, alumen combuſtum, &c. Ex quibus componetis optimum medicamen pro ulceris curatione ſi illius qualitatem diligentius prius cognoueritis. Poteſtis ulceris caliditatem cognoſcere, ſi ipſius circumferentiam inſpexeritis, quæ ſi rubicunda erit, caliditatem atteſtabitur. Adhuc erit caro ipſius ſubrubea, & ad tactum calida. Quæ rectificabitur hercle cum ungento albo, cuius hæc eſt deſcriptio. Rec. olei roſati. unc. 6. pinguedinis caſtrati unc. iiij. medullæ crurium uaccæ unc. ij. ceræ albæ unc. i. ſ. ceruſæ unc. iij. camphoræ ſcrup. iij. & fiat unguentum ſecundum artem, quod deſuper applicabitis inſpergendo ulceri hunc puluerem: Rec. myrobolanorum omnium, terræ ſigillatæ, corallorum rubeorum ana. ʒ. i. ceruſæ ʒ. ij. aluminis rochæ combuſti. ʒ. i. corticum compatrum ſiue cancrorum ʒ. i. piſtentur omnia ſimul, & piſtillo bene molantur, donec fiat puluis, ſicut alcohol, quem poſtea tegatis unguento ſuprà dicto. At ſi caro ſuperorietur in tantum, quod labia ulceris emineat, erit utendum pro illius obſtaculo unguento apoſtolorum, cum cautela tamen ne iterum inflammetur. Nam ſunt complexiones interdum ita delicatè nutritæ, quod ſolum illius nomine alterantur. Quod uidimus in ciue Romano, cuius nomẽ taceo cum fuerit noſtro artificio ingratus. Quo cognito cautelam ipſam ordinaui habentem intentiones membri confortandi, rectificandi, ac etiam corroborandi, quæ talis fuit. R. olei roſati unc. iij. olei myrtini unc. i. ſ. farinæ fabarum ʒ. iij. pulueris roſarum, myrtillorum, nucum cupreſſi, ana ʒ. ii. boli armeni, terræ ſigillatæ, ana ʒ. i. acaciæ. ʒ. ij. ſ, ceræ nouæ, q. ſ. & fiat defenſiuum inter molle & durum. Quod bina applicatione membrum rectificando, cum unguento apoſtolorum ulcus ad cicatricem deduxi. Quod dum medici, quos noſcitis, curabant, nonies in plenum orbem cornua lunæ coire uiderũt, quod nos luna non dum fronte rupta conſolidauimus. Cum uerò caro illa compreſſa fuerit, & intentionem cicatrizandi tenebitis, iſta lotione uos uti maximè expediet: Rec. uini boni ſubrubei cyathum unum, roſarum rubearum M. ſ. mellis roſati colati unc. ſ. aluminis rochæ ʒ. iij. croci quantum poſſit uinum colorare, quæ omnia ſimul bulliant dum alumen eliqueſcat. Quo tepido ulcus irrorabitis, deinde roré ipſum pãno liteo ſubtili citius ſubigetis [ſiccetis] ne multũ ibi ſuperſedeat.

Frigida exiccantia.

Calida ſine mordicatione

Vnguentum album

Puluis cicatrizatiuus.

Defenſiuum.

Lotio cicatrizatiua.

Quoniam ſaniem generaret,ſicuti accidit illi,qui mihi infeſtiſsimus eſt.Nam dū uolebat cicatrizare,uticꝗ ego faciebam,eodem uino ulcus concauabat. Quo facto,parum fileƈtæ adhuc ulceri imponite,ut ſi quid humiditatis inde reſudaret, poſsit deſiccari,ſuper quod locabitis iſtud unguentum, quod multum ad intro ducendam cicatricem operatur:Recipe olei roſati,olei myrtini.ana unc.j.ſ.minij unc.ij.bulliant ſimul uſqꝫ quo acquirant nigerrimum colorem, ſicqꝫ curam ipſam finietis. Ecce modo curam intellexiſtis ulceris ſanioſi planum tenentis. Nunc uerò curam ulceris calidi ſanioſi concaui perſequemur, de qua præmia reportabitis,ſi ad humores,qui illuc dilabũtur, intentiones curandi cõuertetis. Vnguentum cicatrizans.

SOlent enim fratres humorum acuitates carnem generatam deſiccare, & corrodere,ac etiam generandam prohibere,ne fiat concaui inſtauratio.Pro cuius emendatione tres conſtituantur intentiones. Quarum prima ſit uitæ ordinatio cum bono regimine. Secunda humorum prohibitio. Tertia carnis generatio cum conſolidandi operatione. Perficietur prima cum ſex rebus non naturalibus,& maximè in diætando,cuius cibatio in oppoſitam qualitatem humoris,qui ad ulcus defluit,ſeſe tota conuertat.Fit autem dupliciter humorum prohibitio, aut eos catartamo competenti educendo, aut pharmaco uel cataplaſmate membrum ipſum liniendo.Cuius officium ſit particulas confortando humores depellere.Quale eſt defenſiuum ſuperius ordinatum,aut ei cõſimile.Generabitur caro dupliciter,tum propter abnegationem contrarij,tum etiam propter puluęris,aut unguenti eandem qualitatem detinentis adminiſtrationem. Fiet quidem puluis ex ſimplicium exiccantium ſuperius narratorum admixtione,iuxta qualitatem & quantitatem,qua indigebitis poteſtis ipſa ſimplicia doſare. Verùm ſi unguento magis,quã puluere deleƈtabimini,ipſum ordinabo. Recipe terebinthinæ clariſsimæ unc.ij.mellis roſati colati unc. j.ſ. aquæ plantaginis ℥.iij.bulliant uſque ad aquæ conſumptionem,deinde addantur farinæ hordei,fabarum ana ℥.ij.croci parum.thuris ℥.j.& fiat incarnatiuum cum abſterſione,ponendo deſuper unguentum album ſuperius ordinatum,in cuius circumferentia defenſiuum ibidem diƈtum illiniatur,ne poſsit ulcus iterum inflammari. At ſi multum caro excreſceret,unguento apoſtolorũ comprimetur unica tantum,uel bina applicatione,aut quantum eo uidebitur uobis opus eſt.Quę cum adæquata erit labijs,finiatur cura ſicuti diƈtũ eſt ſuprà de ulcere planum tenente. Suntqꝫ multa alia ingenia,quæ ſcribi non poſſunt,ſed tantum operantis ingenio ac reƈtæ ipſius æſtimationi relinquuntur. Nam modo una qualitas, modo altera,aut furit aut blanditur.Quæ non minus tenenda eſt,ac ſi fluƈtuantē cymbam in medio fluƈtu modò huc,modò illud temone dirigi oporteret ſecundũ aurigæ extimationem.De quo etiam Auicen.quæſtus eſt in principio ſui operis dicens: Minus nanqꝫ quod medico neceſſarium eſt comprehendit:quod uerò ſuper additum eſt, incomprehenſibile eſt, ſcilicet quod medici æſtimationem non potuit docere,nec loquendo aut ſcribendo. Quare ut illam habeatis, aliquando operari uidere non dedignamini,ex quo iudicium ipſum colligetis, ut in omni ueſtri animi agitatione tuti eſſe, certè poſsitis. His itaque de ulcere ſanioſo calido prælibatis,nunc fauſto bonoqꝫ ſydere auſpicemur curam ulceris frigidi ſanioſi,eodémque modo ac ordine,quibus in calido uſi ſumus.

De cura ulceris calidi ſanioſi planum tenentis.

Vnguentũ incarnatiuũ cũ abſterſione.

Auiceñ.

CVM igitur ulcus frigidum ſanioſum ſe nobis curandum obtulerit (quod facile ex intuitu oculorum cognoſcetur.(erit enim caro illius in colore demiſſa,alba,aut liuida. Quamuis id ulcus interdum liuore à ſanguine cum bilis concurſu concoloratur.nec etiam manuum taƈtum latebit ipſius frigiditas) nihil ab ordine diſcedendum erit,quem in ulcere calido ſanioſo ſcripſimus. Verùm remedia aſſerimus(cum ipſa ulcerum genera differant à caliditate ad frigiditatem)ab illis longè differentia eſſe oportere. Quæ cum uaria ſint, ab ipſo defenſiuo, quoniam ſe in cura primum offert inchoabimus:cuius talis eſt compo-

De ulcere frigido ſanioſo.

Defenſiuũ humoris frigidi.

ſitio noſtra.Recipe olei camomillæ,olei myrtini,ana unc.ij.anethi unc.j.puluerum camomillæ,meliloti ana ʒ.ij.roſarum rubearum,myrtillorū, nucum cupreſſi ana ʒ.j.ſ.farinæ fabarum,farinæ hordei ana ʒ.iij.ceræ nouæ.q.ſ.& fiat inter molle & durum,quo tibiam ſeu aliquem alium locum circa ulcus inficietis. Quo facto ad ulcus ſtatim curandum animum intendatis, in quo primum iſtum puluerem proijcietis: Rec. aloës,myrrhæ, ſarcocollæ,ana unc. ſ. ſanguinis draconis, balauſtiorū,ana ʒ.iij.thuris ʒ.ij.croci ſcrup.ſ.de omnibus fiat puluis, quem in ulcere ponetis,deinde ipſum cooperite unguento iſto:R.olei roſati unc.ij.olei camomillæ,olei myrtini,ana unc.iij.pinguedinis caſtrati unc.iiij.pinguedinis gallinæ unc.j.medullæ crurium uaccę,medullę cerui,ana unc.j.ſ.lithargyrij unc.ij. ceruſæ unc.j.bulliant uſq; ad colorem nigrū: deinde addatur terebinthinæ claræ unc.j.ſ.picis naualis unc.j.ceræ nouæ unc. ij. & iterum parum ferueant, poſtea ab igne remoueantur,& ſpatulà agitentur,donec congelaſcant, ne fiat mineralium hypoſtaſis,& habebitis unguentum appellatum baſilicum noſtræ intentionis.Si uerò caro uiſa fuerit humida uel pinguis,ut deficcetur, macreſcátque,applicatione unguenti apoſtolorum indigemus, quod ſine hæſitatione reducet ad æqualitatem conſolidandi.Deinde finiatur cura cicatrizando cum illa lotione ſuperius ordinata, ordine ac modo ibidem recitato. Sicq; ueſtra domum manus ære grauata redibit.

Puluis incarnans. *Baſilicum noſtræ intentionis.*

De ulcere cōpoſito.

CVM ergo ſimus ab his abſoluti iure tenemur iactare modò fundamenta ulceris compoſiti, ut facilè ædificemus in corpore humano. Quod inſtaurando,uel quod ab eo conquaſſatum,ac delapſum fuerit,fulciēdo integre conſeruemus. Quare iterum meminiſſe oportet accidentium, quæ ſuperius ſcripta ſunt,ut unumquodq; emendare ualeamus. Quod cum euenerit non poſsit à uera nos conſolidatione ignominioſe arcere, quæ ſecundum ordinem ibi enarrata perſequemur.Oblato igitur nobis curando ulcere compoſito, prius inſpiciamus,quænam ibi erunt accidentia, ut demum ipſam impediant conſolidationem.Nam ſi plures combinabuntur ægritudines,ab illa erit initiandum,quæ illi rei magis fuerit moleſta,ut Auic.recitat in ultimo primi lib.capite aſſerēs: Cum „ multæ cōiunguntur ægritudines,ab ea incipere debemus,in qua una harum tri „ um proprietas exiſtit. Vna earum eſt,quòd alia ſanari non poteſt, antequàm ip- „ ſa ſanetur,ſicut apoſtema,& ulcus cum coniunguntur.Medicamur enim apoſte „ ma,donec cōplexionis malitia,quæ cum eo uenit,remoueatur,abſq; cuius ſana „ tione ulcus ſanari non poteſt. Poſtea medicamur ulcus, &c. Quare ut illud ca- „ nonica obſeruatione pertractemus, ſecundū quòd ægrū aliquod accidentium moleſtauerit,principales intentiones ordinabimus. Quarum prima erit uitam ægri ordinare.Secunda humorem peccantem uel iuxta infirmi complexionem purgare. Tertia ulceris qualitatem ac malitiam emendare.Adhuc etiam iſta diuidetur ſecundum ulceris diſpoſitionem, qua partiales uendicat intentiones. Quomodo uita ægri ordinabitur,iam uoſmetipſi poteſtis iſtud conſiderare ex illius uitæ regimine,quod ante,uel cum ipſa ęgritudine inglutiuerit,illud mutando in qualitates prius aſſumptis qualitatibus contrarias. Dico ſi uſus fuerit frigido & humido ante ægritudinem, uel in ipſa ægritudine, regimine, uos in oppoſitum ipſum conuertetis gradatim paulatimq;. Quoniam natura non tolerat repentinas,ſeu inſtantaneas mutationes,licet iſtud in humoribus non detur abſque longa ciborum chymorúmque tranſmutatione.Purgabitis humorem ſecūdum urinæ ſignificationem,quæ quidem bipartita eſt.ſ.in ſubſtantiam,& colorem, additur etiam his hypoſtaſis, ſeu quod nos ſedimen uocamus ,& paucitas, & quantitas:ex quibus omnibus conſideratis,totam ægri complexionem ſcrutabimini.Nam ſi urina erit in ſubſtantia ſpiſſa, & in colore rubea,ſāguinē dominari ſignificabit.Si uerò tenuis in ſubſtantia,& in colore rubea, choleram cæteris humoribus præeſſe non dubitabitis. Sin autem in ſubſtantia ſpiſſa, & in colore

Auicē. *Intentiones curatiuæ.* *De urinæ ſignificatione.*

lore alba fuerit, phlegma imperabit. At ſi tenuis in ſubſtantia & color albus extiterit, hæſitabitis melancholiam humores cæteros ſuffocare. Ex ſedimine uerò tempus pharmacandi ſumetis. Nam cum illud inceperit apparere, humoris purgandi digeſtionem oſtendet. Verùm ſunt & poſtea colorum refractiones, & ſediminum eleuationes depreſsionesq́;. Quæ uel dominium uel ſeruitutem caloris naturalis, uel humidi ſubſtantifici conſumptionem portendunt. Quæ omnia nunc computare minimè decet, cum iſtud negotium ad medicum potorium pertineat. De quo ſi Deus clementiſsimus uitæ terminum conſeruabit, ne à noſtrorum ſcelerum grauamine intercipiatur, phyſicali quoque ſermocinatione inter nos ſicuti in chirurgia facimus, cofabulabimur. Nunc tantum iſta quæ de urina dicta ſunt, accipite pro ulceris ſanandi commoditate. Quomodo humor ipſe euacuabitur, perlegite diuinum Meſue, qui illa pharmaca iuxta humoris peccatum componit. Vel habeatis Copioſam à meo magiſtro compoſitam, ubi purgandi modum ad plenum inuenietis. Nam ſi pharmaca uellem diſtemperare, aut bolos conficere, uel pilulas aggregare, fortaſſe uobis moleſtus ero, aut animi torpore audiendi faſtidio afficientur: uel mihi continget, quod ubique locorum prouerbium tritum eſt, noctuas Athenas. Quoniam eſſet inſipida mea ſermocinatio, ſi cibis expleto propinaretur, ut conuiuis ſolet plerumque accidere, ne in fine menſæ queant confecta perguſtare. Licet ipſa ſapore quodam dulci faſtidio habeantur. Et ideo uobis iſta tanquam nota relinquimus ad ulteriora quidem accincti, & ulceris qualitatem ac malitiam emendandam. Emendabimus enim ulceris qualitatem, cum frigida fuerit, ſi calida applicabimus. Cum calida extiterit, ſi frigida illis inuoluemus. Sícque humefactando & deſiccando faciemus. Ipſius uerò malitiam refrenabimus, digerendo, mundificando, corrodendo, incidendo & adurendo, & aliquando mollificando, ſecundum quòd operanti uiſum fuerit. Quomodo autem & quando oportebit iſtos modos exercere, ſigillatim modò recitabimus, cum ſingula ulceris accidentia propellere inquiramus. Quæ omnia ordine, quem diximus, proſequemur, dimittendo, quæ iam dicta ſunt, ut ab alijs remedijs noſtra ſint primordia.

SVperius iam abundè determinauimus de ſanguinis fluxu à cauſa primitiua exorſo, quo uos permeare oportebit, ut inde huc illuc, quo uobis opus erit, tranſportetur. Nam ſi iterum illius meminiſſem, fortaſſe uobis ſuperfluus æſtimarer. Hac equidem cauſa interceptus ad alia accidentia extirpanda euolo, ac ſi de ipſo modo ſermocinati fuiſſemus. Illud idem de carne addita diceremus, ſi cauſam illius poſuiſſem, cum ulceris ſanioſi curam deſcribebamus. Cauſa enim carnis additæ eſt nimia humectatio, necnon incompleta mundificatio, ut Cauſa carnis additæ quæ?
„ Auicennæ placet in uniuerſali ulcerum ſermone dicenti: Et de ulceribus, in Auicenna.
„ quibus naſcitur caro, quædam ſunt, in quibus naſcitur caro addita, & quædam
„ in quibus non naſcitur illud. Et illa, in quibus generatur caro addita, ſunt illa,
„ in quibus fit feſtinatio naſcentiæ carnis ante mundificationem. Et illa, in quibus non naſcitur illud, ſunt illa, in quibus non naſcitur caro niſi poſt mundificationē. Quare animaduertite, ne multum in humectando procedatis. Ex quo patent ipſius remedia, cum cauſam ægritudinis habuerimus, quæ ſecundum maiorem uel minorem ipſius eleuationem, & pinguedinem in ſiccitate, aut corroſione corroborabuntur. Nam aliquando uidimus ipſam pinguedinem cæteris remedijs abominatam cauterium actuale popoſciſſe. Quod ſi unquã uobis acciderit, & remedia læuia non contulerint, qualia ſunt unguentum apoſtolorũ, Aegyptiacum, puluis mei magiſtri, & alumē combuſtum, ne terreamini candenti ferro eandem deſiccare. Quod ſi hanc operationem feceritis, & eſchara ſuper inducta fuerit, remoueatur, ſicuti dictum eſt, cum de apoſtemate dicebamus, de inde ad curam ulceris reuertamini.

De cura oſtracoſorum ulceris labiorum.

AT ſi in ulcere oſtracoſa labia abfuerint, quæ conſolidationem impediant, tota uos cura ſuſcipiat, ut illa inde demoliamini nulla interpoſita diecula. Quoniam ſi aliter facere tentaremus, irritus quidem labor nos celeris curationis auidos fruſtraretur, ſicq́ præcapiendum tempus poſtponeremus. Igitur ne tempus fruſtra dimittatur, ad ipſa amputanda accedamus. Amputabitis equidem labia oſtracoſa pedetentim, nullóque doloris præconio excitato, ſi pul uerem hunc immediatè ordinatum appoſueritis. Quoniam in ulcere nunquam debemus, ut ait Auicen. dolorem commouere, niſi coacti, ſicuti in huiuſmodi cura, cui cum lenia medicamina non contulerint, ad fortiora erit tranſiendum. quoniam bene cognouerat ſicut prudens ſagáxque artifex quoddam genus hominum fore ad humanæ uitæ excidium uenturum, quod eodem magiſterio gloriaretur, nullam habiturum canonicam regularémque rationem, qua infirmos dolorem perpeſſuros leuigaret, atque animaret ad id fortiter uiriliterque tolerandum. Sed tantum illam peſtiferam, letalemq́ uocem ſeruaturum, quam noſtra hac tempeſtate ſophiſmatici medici in prouerbium redigerunt, Scilicet miti facilique medico uulnus uermiculaſcere: ac ſi ignara medicorum immanitas eſſet curationis cauſa. Loquor de immanitate, quam ignari medici in unoquoque paruulo furunculo, ut docti practici ue habeantur, omni induſtria, fucatáque diligentia exercent: & non de illa, ad quam coacti non ſolum regulis, & autenticis medicorum canonibus, ſed etiam nectareis mellitiſque poëtarum perſuaſionibus inducimur. Vtq́ præcipitur ab illo facundo delectabilíque Ouidio, dicente, Immedicabile uulnus Enſe recidendum eſt, ne pars ſyncera trahatur. Ad quod hercle perpetrandum, adhuc trudimur ab Aquinate Iuuenale ſatyrica ſua perſuaſione, ne forte à marcido, putridó ue membro cætera conſpiciantur ſyncera, unde ait. Vuaq́ conſpecta liuorem ducit ab uua. Nec non adeſt ille amenißimus omniumq́ poëtarum doctißimus Virgilius, qui ferro etiam cauſam compeſcendam aſſerens, dicit: Continuò culpam ferro compeſce prius quàm Dira per incautum ſerpant contagia uulgus. Quare cum in huiuſmodi operationem incideritis, forti immitiq́ animo pro infirmi ſalute omnia, quæ ad illam conſequuntur, operamini. Quod ſi feceritis, non immitis indomitiq́ animi, ſed miſericordis (quando uitæ hominis inualidi ſuffragia auxiliáque attuleritis) appellationes nullo inuidorum liuore maculatas ſortiemini. Satis hercle à propoſito noſtrorum ignauia medicorum ſumus deuiati, & ferè meritò. Quis nam iſtorum ignauiam inſcitiamq́ tam fortiter ferret, ut aliquando nó excandeſcat? cum quotidie ab eiſdem maleficijs irritetur, eo quòd boni non poſſunt bene uiuere, adeò doctis omni conamine, omní ue animi procacitate inſidiantur. Dimiſſa hæc modò faciam, ne uidear uelle maledicere, cum iam ab iſto dicendi genere longè noſtra abhorreat inſtitutio, & magis aueat puluerem componere, quem labijs oſtracoſis imponetis: Cuius quidem talis eſt noſtra deſcriptio. Rec. mirabolani citrini unc. ſ. corallorum rubeorum ʒ. ſ. gallarum non perforatarum ʒ. j. ſanguinis draconis, terræ ſigillatæ, ceruſæ ana ʒ. ij. floris æris ʒ. ij. aluminis combuſti ʒ. j. ſarcocollæ, myrrhæ, thuris, maſticis, ana ʒ. j. ſ. miſce & fiat puluis ſubtiliſſimus, ſuper quem unguentum, quod ordinauimus in cura ulceris ſanioſi frigidi ponetis, appellatum baſilicum noſtræ intentionis. Sic erit procedendum donec remoueatur illa oſtracoſitas. Ea uerò remota, curatur ulcus ſicut ſuprà dictum eſt. Sin autem puluis parum propter ſui debilitatem uideatur proficere, ita quod cum illo ſperes non poſſe amputari, ad fortiora remedia erit permeandum: quorum iſtud eſt primum: R. olei roſati unc ij. pinguedinis caſtrati unc. ij. medullæ crurium uaccæ unc. j. aquæ in qua fuerit ſublimatū liquefactum unc. j. bulliant omnia ſimul paulatim uſq́ ad aquæ conſumptionē, deinde addatur ceruſæ unc. j. & iterum bulliant parum, & poſtea auferatur ab igne: & ſpatula tandiu agitentur, donec congelaſcant, quod in peciola ſuper ulcus

Puluis corroſiuus.

Vnguentū corroſiuum.

eus collocanda diſtenditur, & fortaſſe cum iſto proficietis. Si uerò adhuc inſtare remotioni perſeuerabunt, iſtud aliud ſine ulla temporis intercapedine in manus ueſtras uictoriam reportabit. Verùm erit prius admonendum, ne in locis neruoſis ſuperponatur: ne forte cum uictoriam ſperaueritis, in ſeruitutem incidatis. Sicut accidit mihi, cum primum bellum inire uolui cum quadam muliere, quæ ulcus oſtracoſum in pede patiebatur, quod nunquam potui ipſum in de arcere, licet alij nuntij præfuiſſent, niſi ductorem ah nimium audacem pugnando præeſſe uoluiſſem: Qui non uictoriam, ſed latam noſtri boni nominis commilitonibus ſtragem attulit. Verùm ſi neceſsitate aliqua ad id truderemini, præmittite prius uniuerſalem corporis euacuationem, ac etiam utimini nuchæ confortatione. Vt ſi forte ſicarij fumi ad ipſam eleuarentur, qui uel ſpaſmum, uel apoplexiam facere meditarentur, ualeat (hac prima corroboratione facta) eos fugare ac ſpargere, nullo illato nocumento. Quo facto ad locale deueniatur, quod tale eſt: Rec. ceruſæ, minij ſublimati ana ℥. iij. miſce, & fiat puluis ſubtiliſsimus, de quo tantum ulceri inſpargetur, quantum partem remouendam ualeat ſalire: quem ſtatim cooperiat iſtud emplaſtrum, quod maximè faciet ad dolorem mitigandum, & eſcharam remouendam: Rec. foliorum maluarum, uiolarum, & lactucarum ana M. j. bulliant ſimul in brodio carnis caſtrati, deinde piſtentur: cui piſturæ addantur farinæ hordei lib. ß. olei roſati completi unc. ij. butyri unc. iij. uitellis duorum uel trium ouorum, & fiat emplaſtrum, cum quo procedatur, donec eſchara, quæ ibi fuerit, remoueatur. Qua abſciſſa curam ipſam perſequamini digerendo & abſtergendo, & finaliter incarnando, ſicuti dictum fuit, cum de uulnere dicebatur. Hoc denique modo faciendo, hiſq; auxilijs utendo, uictoriam acquiretis: ſicq; famam & gloriam cum pecunia augmentabitis. Quando igitur habetis labiorum curationem oſtracoſorum, accedamus ad dolorem euitandum. Qui quidem tantum habet ferocitatis atque immanitatis, ut non ſolum ulcerıbus curationem, uerùm etiam & uirtutibus animalibus & ſpiritualibus operationem interdicat, quare meritò de ipſo nunc loquamur.

Puluis maxime corroſiu'.

Emplaſtrum eſcharæ remouuus & doloris ſedatiuum.

QVoniam dolor eſt ueluti uentoſa attrahens materiam ad locum, authores ſemper in eo ſedando maximam adhibuêre diligentiam, animaduertentes ſymptomata, quæ inde poſsint ſcaturire: ſicut uirtutis proſternatio, & ſpirituum defectio, necnon neruorum contractio. Quæ omnia in unaquaque corporis humani ægritudine uerenda ſunt, & periculoſa. Quare ut iſta (ſi euenerint) canonicè euitarent, duplicem doloris cauſam edidêre, quarum unam eſſe dixêre continui ſolutionem, alteram qualitatum corporis partium alterationem, ſicuti Galenus retulit, dicens: „ Dolores ſecundum quem incumbunt locum, aut ſolutionem continui, aut ſubitas alterationes oſtendunt. „ Soluitur igitur continuitas quadrupliciter, ſcilicet inciſione, corroſione, fractura & tenſione, id eſt, apoſtematione. Alteratur uerò ſubſtantia, caliditate & frigiditate, ſiccitate & humiditate. Conſyderate fratres qua ſint uſi diligentia in doloris cauſis inueniendis pro corporis humani conſeruatione, cui ut poſsitis adminiculari, hæc mente à uobis teneantur, ut reminiſcamini cauſas doloris ex ſolutione inſtigati, ſi uultis illius fieri correctores, & ueſtri animi ac curationis compotes. Nam ſi ex inciſione, ut fit in uulneribus, emerſerit, dolor erit ſedandus (facta prius ſutura & curata) oleo calido omphacino in uulneris circuitu illinito. Et hoc non ſemel, non bis, ſed doloris exigentia faciendum, donec magna ex parte ſedetur. Si uerò ex corroſione inſurrexerit, quod proprium eſt ulceris accidens, debet ipſe remoueri, ſi uolumus ipſum finem conſequi. Verùm iſtius rei cauſa poteſt eſſe duplex, propria ſcilicet & dependens. Propria eſt ipſius carnis malignitas, quam noſtri appellant proprietatem occultam. Dependens uerò cauſa ſunt humoris, qui cum ad coniunctam uenerint, corroſionem faciunt,

De dolore.

Galenus.

Continuitas ſoluitur quadrupliciter.

uelut eſt humor cholericus ſalſo phlegmati admixtus. Et iſta quidem indiget euacuatione cum caſsia, manna aut diacatholico. Illa uerò temone alio regenda eſt, confortando ulceris circunferentiam defenſiuo complexionem carnis fouente, & in ulcere ſpargendo puluerem carnis malæ remotiuum mei magiſtri, qui & præcipitatus dicitur, cuius recepta, & cóficiendi modus in fine ponetur. At ſi ex fractura exierit, inſtauratione comprimetur cum recta illius membri poſitione. Nam licet benè fractura adæquaretur, tamen inepta locatione facta diſglutinaretur. Quomodo autem fiat oſsis inſtauratio, poteſtis tot libros lectitare, cum ſint tali munere cumulatè referti, præſertim quem magiſter meus nuperrimè edidit totius artis medicæ repletum. Sin aũt extenſione aleretur, quã apoſtema ipſi dicimus, mollitiua medicamina maximè ad illius materiei præparationem, ut exeat, facient, quæ iam dictã ſunt, cum de apoſtematibus meminerimus:

Auicenna.

quò, ſi eis indigueritis, recurratis, ad quod etiã nos ab Auic. impellimur, dicẽte: Et uehementia doloris facit nos indigere medicamine mollitiuo. Verùm enimuerò fratres, ſi ex ſubſtantiæ alteratione increuerit, illius rei cõtrario decreſcet. uerbi gratia. Si nimium in caliditate ulcus diſtemperaretur, quod rubedo in ulceris circuitu atteſtabitur, unguento frigido temperabitur. Si ad frigiditatẽ ipſa ſubſtantia ſeſe ſubripuerit, unguentũ raſinũ, aut ei ſimile à uobis cum rectificandi intentiones ſeruaueritis, compoſitũ ad ſuam qualitatem abiget. Si uerò ſiccitate quadam iraſceretur, humiditate uobis amicabitur, quæ quidem humiditas includatur in unguentis, quæ ulceri applicanda ſunt. At ſi humiditate plecteretur, ſiccitate à noxijs liberabitur, quæ in unguentis, aut pulueribus, ſeu in emplaſtris reperietur. Hoc deniq; modo operando totum dolorem, qui cretus ſit ab una qualitate alteram excreſcente, demoliemur. Sicq; proprijs medicaminibus humanæ uitæ ſuffragabimur, quando proprias ægritudinis cauſas attingemus. Nec ibimus per mendicata ſuffragia, uti faciũt iſti empirici, qui ſe practicos profitentur, & quid ſit ipſa practica penitus ignorant. Nam & quod ipſi faciunt, & pueri faciunt, qui cum uelint ludere, ſibi ſcopum figunt, à quo parum diſtant clauſi oculos binda, ter quaterque ſe in pedes circumuoluunt, quo facto, ire ſtatuunt ad fixum ſcopum, quem cum credant attingere, longè aberrant, licet in principio parum diſtent. Hoc idem accidit iſtis practicis, qui tempora ægritudinum, & ſubſtantiæ qualitates, cauſaſq; neſciunt diſtinguere, ac etiam unguentorum proprietates: uelut ille, qui præ ſe ferebat practicum maieſtate quadam uerborum, cum interrogaretur à meo compatre Euangeliſta, qualis eſſet qualitatis unguentum miniacum? inconſideratè reſpondit, calidæ? uah uox quidem digna homine practico, quare hortor uos omnes, ne torpore quodam ignauiæ, aut deſidiæ afficiamini, ut non ſtudeatis, & ſimplicium & compoſitorum naturis cognoſcendis. Quod ſi fortè uobis acciderit, non medici, ſed artis medicæ mendici nomen induemini. Intellexiſtis modò doloris cauſas, & illius curationes. Pergamus igitur ad apoſtematis emendationem, ſicut accidentium ulceris narratorum ſeries expoſtulat.

Da apoſtemate.

DE apoſtemate nihil eſſet dicendum, cum iam abundè dictum ſit, quando de apoſtematibus loquebamur. Verùm ne uidear deſerere, qui hac ualitudine præpediretur, paululum adhuc commentabimur, ut illis, quæ ibi dicta ſunt, aliquid addamus. Cum ergo aliquod ulcus ab iſta ægritudine detineretur, ne ad ſanitatem quiret peruenire, ab ea ipſum eximere debetis auxilijs, quæ apoſtematibus appropriauimus. at ſi illis minimè contentaremini, iſto utamini, in quo tantam utilitatis inuenietis, quòd non parum certè admirabimini. Verùm hoc maxime cõſiderabitis, nunquid frigido, an calido apoſtemate ulcus ipſum fatigabitur. Nam ſi calido uexaretur, alio conficiendi modo indigetis, quàm ſi à frigido corriperetur.

Emplaſtrum.

Calido exiſtente apoſtemate, iſtud applicabitis: Recipe foliorum maluarum, & uiolarum, ana M. ij. fabarum decorticatarum lib. duas.

bulliant

bulliant in aqua ſimul omnia, donec benè fabæ decoquendo macerentur. quo facto piſtentur, & ſi quid olei eſſet addendum, parum addetur olei roſati omphacini, deinde diſtendatur apoſtemati ſuperponendum, quod erit doloris ſedatiuum, & materierum reſolutiuum. At ſi frigido ulcus apoſtemate diſtraheretur, idem emplaſtrum componetis, uerùm alia decoctione, quàm ea, quæ modò dicta eſt, quæ talis eſt: Recipe foliorum maluarum manipulos duos, fabarum decorticatarum libras duas, lixiuij barbitonſoris quantum ſufficit, ut benè decoquantur. quæ decoctæ piſtentur, & loco applicentur. Nam quæ operabitur, ſatis cógrua ueſtræ intentioni erũt. Sed attendite quæſo fratres, tuq; mi ABSTEMI, quòd iſtud emplaſtrum in operando rectificabitur, ſecundum quod lixiuium erit maioris uel minoris acuitatis. Hoc deniq; modo faciendo finem imponetis ægritudini, de qua ſatis dictum eſt, ſi iſta inſeretis illis, quæ de apoſtematibus dicta ſunt. quare nunc ſermonem de duritie exigamus.

Optimus quiſque medicus mi ABSTEMI, dum benè rectéque curare uoluerit, bipartitam ſibi intentionem ſtatuit. Quarum unam præſeruatiuam, alteram curatiuam nominare licet. Iſtarum prima aucupatur cauſas ægritudinis. Secunda uerò effectum illius cauſæ intercipere, ſeu deſtruere machinatur. Vt ergo cauſas remouere, & effectum impedire noſtra indagine ualeamus, dicamus quot ſint duritiei cauſæ, ut ipſa ſi aliquando concupiuerit emergere, noſtris medicaminibus comprimatur. Cum ergo Atticam eloquentiam ſectitarem, ſenſim in quintum Galeni de ſimplici medicina lapſus ſum, ubi tres duritiei cauſas eundem ponere annotaui. Aut enim accidere ait à nimia ſiccitate, aut à congelatione, aut à repletione. Si uerò à nimia ſiccitate componetur, humectando ipſam deſtruetis. Et hoc faciendum eſt cum emplaſtris, unguentis, aut embrocationibus, ſicut ipſe Auicenna facit. Sunt hercle embrocationes aqua calida, aut brodium carnis arietinæ. emplaſtra ſunt omnia, quæ ad maturationem apoſtemata ducunt, quæ dicta ſunt in cura apoſtematũ. Vnguenta uerò ſunt, unguentum de mucilaginibus, & aliquando triapharmacũ, licet Dinus illud in huiuſmòdi ęgritudine operetur, tamen nunquam ipſum humectare uidi. ego uerò credo Dinum poſuiſſe unguentũ triapharmacũ in duritie ex congelatione facta, quoniam uirtutem habet incidendi, quando cum aceto conficitur, quod maximè ad humoris uiſcoſi inciſionem facit. Si à repletione reſultaret (uti accidit aliquando apoſtematibus) euacuatio ipſam ſanabit, ut diuinus Hippocrates ait. Quæcunque ægritudines fiunt ex repletione, inanitio ſanat eas. Et ſi fortè uelletis ipſam reſoluere, aliquo prius per uos remolleſcat medicamine mollitiuo, deinde reſolutiuo exhaleſcat. Si iterum uideretur ſilicеſcere, iterum mollitiuo matureſcat, ut ait Auicenna in lib. primo cap. de medicationibus apoſtematum, quam remollitam ſequitur reſolutio. Mollitiua habetis in tractatu de apoſtematibus. Ibidémq; inuenietis maximè emplaſtrum de meliloto cum ſapa, & lixiuio confectum, aut quod de fabis & maluarum folijs cum lixiuio decoximus, cum de apoſtemate ulceris loquebamur. Cæterùm hoc uos ignorare non oportet, ſcilicet tertiam duritiei ſpeciem ulceri non accidere: ſed duæ primæ dictæ ulcera moleſtant, quæ ſi nó rectificantur, ut dictum eſt, collaqueantur, & curentur, ut labia ulceris oſtracoſa curauimus.

De duritie.

A triplici cauſa duritiеs in ulcere fieri poteſt.

Auicenna.

Hippocrates.

Auicẽn.

De corroſione, ni dictum eſſet, cum dolorem temperabamus, plenum ipſius ſermonem contexere proculdubio aggrederemur, cum ſit accidens longè alijs moleſtius. Verùm quia ibi remedia non poſuimus, hic paululum etiam illius rationes computabimus: cum corrodens illud eſſe arbitremur, quod acuitate, quam in ſe retinet, humidum membri reſoluit, conſumit, & deſiccat. Quo certè reſoluto ſubſtantia carnis minuitur et ulceratur, cuius rei cauſam duplicem ſtatuimus, ſcilicet propriam, & dependentem. propriam diximus eſſe

De corroſione.

carnis malignitatem, quam medici proprietatem occultam nominauere. Pro cuius remotione membri complexionem conſyderare oportet, ut illam defenſiuis, & linimentis, & unguentis temperetis, & corrigatis. Quæ talia poteſtis ſecundum ueſtram intentionem curatiuam componere, quale eſt illud, quod ad infirmi complexionem, & ægritudinis intentionem compoſui: Rec. olei myrtini, olei roſ. olei uiolarum ana unc. j. ſ. boli armeni, terræ ſigillatę, ſanguinis draconis ana ℥. ij. acaciæ ℥. iij. pulueris roſ. myrtillorum, nucum cupreſsi, ana ℥. j. ſ. ceræ albæ unc. ſ. miſce & fiat linimentum, quo utemini in ulceris circuitu, & in ipſo ulcere. Verùm ſi caro mala curam impediret, iſte puluis ſuperaſpergatur, quo ulceris malignitas rectificabitur: R. myrobolani citrini, terræ ſigillatæ, ceruſæ, añ ℥. iij. tutiæ præparatæ ℥. j. ſ. ſanguinis draconis ℥. ij. aluminis combuſti ℥. ij. ſ. miſce & fiat puluis ſubtilis, quem poſtea in ulcere inſperſum tegetis eodem linimento in peciola diſtenſo, aut unguento albo, uel unguento de minio. Cauſam uerò dependentem intelligimus cauſam antecedentem humorem ſcilicet cholericũ ſalſo phlegmati admixtũ, qui cum ad coniunctam defluxerit, corroſionem facit. Et pro eius curatione bifidam intenſionem ordinauimus: pars cuius altera humorem fluentem reprimet. Altera uerò defluxam emendabit. Reprimet herclè humorem labentem caſsiæ exhibitio. cum diacatholico, aut manna. Emendabit humorem fluxum linimenti adminiſtratio, & pulueris, quæ modò ordinauimus. Verùm ſuper puluerem hoc unguentum applicabitis: Rec. olei myrtini, olei roſati, olei uiolati ana unc. ij. pinguedinis caſtrati unc. iij. ſepi hircini unc. j. ſ. ſucci caulium unc. iij. bulliant ſimul uſque ad ſucci deſiccationem, cui addentur poſtea minij ℥. iiij. ceruſæ ℥. iij. lithargyrij ℥. ij. & bulliant tandiu, donec acquirant colorem nigrum, & ſemper ſpatumine agitabitis, ne fiat mineralium aduſtio in fundo aheni. Quo facto addentur terebinthinæ unc. j. ceræ nouæ drach. vj. & fiat unguentum inter durum & molle ad formam ceroti, quod etiam cicatricem producet. ſic ergo faciendo tanti certaminis eritis uictores. Si cum hoc profeceritis, hoc in tali caſu utiminor: cuius eſt mirabilis operatio etiam in ulceribus formicoſis, quod appellatur unguentum Marianum de ſolatri, cuius recepta talis eſt: Recip. olei myrtini, roſati, uiolati, nenufarini, ana unc. ij. ſucci ſolatri unc. iiij. ſucci ſemperuiuæ unc. iij. aceti boni unc. ij. ceræ nouæ unc. ij. ſ. lithargyrij unc. ij. ceruſæ unc. iiij. bulliant omnia ſimul, donec formam unguenti ſuſcipiant, & utiminor. nam mirabilis eſt operationis in talibus, & ſimilibus caſibus & ulceribus.

Linimentum. *Puluis.* *Vnguentum.*

SVbſequitur hunc ſermonem, mi FRANCISCE, qui de corroſione dictus eſt, putrefactionis ſermocinatio: cuius deſcriptionem tibi modò tuiſq; ſocijs recitamus: quam cauſæ, quæ illius ſceleris propagatrix erit, accommodabitis, ut ualeatis ægritudinem certificare. Eſt enim putrefaciens, quod corrumpit, uel impedit, aut prohibet ſpiritum in membro exiſtentem, complexionémque defœdans. Quo quidem corrupto, aut prohibito humiditas illius particulæ minimè regulatur: quare putreſcit. nam ut ait Ariſtoteles quarto Meteororum, humiditas & caliditas humiditatem non regens ſunt cauſę aduentu primo putrefactionis. quæ me hercule triplicem cauſam habere uiſa eſt. Quarum una corrumpit uitalem ſpiritum debitam ipſius euentationem detinendo, ueluti ſunt narcotica ſtupefacientia, ut opium, & repercuſsiua nimium frigida, & ſimilia. Illa uerò, quæ impedit, ſunt humores groſsi, uiſcoſi, frigidi, qui ſua uiſcoſitate, & multitudine ſpiritui meatus impediunt. at illa, quæ prohibet, ſunt cauſæ primitiuæ ut plurimum, ſicut contuſio, percuſsio, & nimia ligaturæ conſtrictio, quæ membrum mortificat tranſitum ſpiritui prohibendo. Quod ego uidi cuidã optimo uiro accidere in hoſpitali ſanctæ Mariæ conſolationis. Erat ille ſacriſta, patiebatúrq; puſtulã in pede dextro inter mediũ & annularem digitum,

Putrefactionis quid? *Ariſtoteles.*


Quam cum ille, quem ſcitis, perforauiſſet, tantũ inde ſanguinis fluebat, quod ſincopen timebat futuram. Ob idq; maximam ligandi membri conſtrictionem uenit, quãdo illi alia ingenia ſanguinis compeſcendi deerant, quod membrum mortificauit. Ex quo mortuus eſt infirmus triduo poſt incisionem. Quare uobis cauere nunc expedit, ne in huiuſmodi facinus incidatis ueſtra negligentia, aut carnificum nomina induamini, quibus ille non ſpoliabatur ab omnibus tanti ſceleris accuſatus. Et idcirco benè uos penſiculatote, quando putrefaciens dupliciter conſyderari poteſt: Primo modo ut diſponit ad putrefactionem. Alio uerò, ut iam pùtredo inducta eſt. Si uerò primo modo ipſam contemplabimini, ad contrarium cauſarum, quæ dictæ ſunt, reuertiminor: iuxta illud Hippocratis, Quæcunque ægritudines fiunt ex repletione, inanitio erit illarum ſanatio. Quo facto ſtatim effectus impedietur, ut inquit Ariſtoteles, remota cauſa remouebitur effectus illius cauſæ. Verùm ſi ſecundo modo putredinem circumſpexeritis, duo quidem oculi, quos Galenus medico retribuit, accuratè teneantur. Quorum dexter cauſam putredinis: ſiniſter autem putredinem inſpiciat. Cæterùm dexter oculus contrarius illius cauſæ utetur. Siniſter uerò unguenta, & emplaſtra putridum rectificantia adminiſtrabit, quæ talia erunt: Rec. floris æris, aluminis rochæ, mellis ana partes æquales, aceti parum, & ad ignem tandiu detineatur, donec ex uiridi in rubeum colorem commutetur: quo poſtea utiminor, ſuper quod iſtud emplaſtrum diſtendetis: Rec. farinæ hordei, fabarum, lupinorum, ana lib. 5. lixiuij barbitonſoris. q. ſ. & bulliant ad ignem donec ad modum paſtæ miſceantur, quod in pecia adæquabitis. At ſi in tantum ipſa putredo creuerit, quod ab Aegyptiaco partibus æqualibus facto non remouetur, iſtud ſecundabitis, quod profectò putridum demolietur: Rec. mellis unc. iij. aluminis rochæ, floris æris, ana unc. ij. ſublimati ℥.iij. & ad ignem omnia ſimul incorporentur, donec benè decoquantur, & putrido ſuperponantur, cum eodem emplaſtro. Verùm ſi eſchara inducta fuerit, remoueatur digeſtiuo ex terbentina & uitellis ouorum compoſito, aut butyro & emplaſtris, ſicut diximus in cura apoſtematum, quæ cauterio potentiali perforabamus. Ea uerò remota, ſicut uulnera ipſum ulcus curetur, ſicq; habebitis putridi uel putredinis rectificationem. Pergamus igitur, quando ita ſubſequitur, ad os corruptum emendandum.

Hippocrates. *Ariſtoteles.* *Vnguentum Aegyptiacũ.* *Emplaſtrum.* *Putredinis remotiuum.*

INſinuamus deinceps, mi iucundiſsime IVLI, uoſq; cæteri fratres emendationem oſsis corrupti, quod quidem cognoſcendum propria habet ſigna, ſcilicet exteriora interioráque. Exteriora erunt hebes caro, & flaccida, ut Auicenna in capite de uentoſitate ſpinæ recitat. Interiora dico, quæ oculis non cernuntur, ſed ſpecillo indagantur. Nam ſi quis ſpecillo hoc intimè ſcrutaretur, non occultam oſsis corroſionem, ſed ueram ipſius diminutionem ſpecularetur. Quare ſi ipſam inuentam emendare, curaréque uoluerimus, duo ante omnia conſyderabimus, quoad ipſius curationem & infamiam fugiendam attinebunt. Effugiemus noſtrum quidem dedecus, ſi capita magnorum oſsium corrupta & iuncturarum deuiabimus. Nam ſi in huiuſmodi particulis operaremur, propter magnorum neruorum colligantiam, aut chordarum, ſiue capita muſculorum, omninò à ſpaſmo aut aliquo alio accidente, quo fortaſſe dedeco rabimur, tuti ſecuriq; non erimus. Quod ibidem Auicenna deſcribit, quem lectitare poteritis, ſi idipſum uobis complacuerit. Curabimus equidem cum periculoſa loca declinabimus, oſsis corruptioné aut alterationé, quæ in focilibus, uel in medio adiutoriorũ fuerit, adminiſtrando, quæ magis cógrua uidebuntur. Erunt medius fidius congrua ad oſsis corruptioné & alterationé ferramentorũ genera, quæ raſpatoria & trapana dicuntur, aut alia ferramenta ad hanc operationem exercendam accommodata. Et unguentum etiam Aegyptiacum deſcri

De oſſe corrupto. *Auicen.* *Auicen.*

ptione Auicennæ factum ſatis erit opportunum ad hoc ipſum obtinendum. Verùm aliquantulo remiſsius operabitur, quàm ſi cauterio actuali cremaretur. Ego uerò ſemper uſus ſum cum in taliſmodi operationem inciderim, cauterijs actualibus, quoniam membrum confortant & rectificant.



Quorum unum hanc figuram habebat, A litera deſignatum quòd uulgò dicitur buctone, quoniam caput habet ad buctonis ſimilitudinem. Verùm pars æqualis erit, quæ oſſi adurendo inhærebit. Sed hac equidem diligentia fungi ſoleo, antequam os aduram, habeo unum ferrum digitali ſimile ad hanc ſimilitudinem formatum, & litera c. notatum, in medio ſui habens foramen per quod cauterium os cauterizaturũ inijcitur, ne caro ab igne aduratũ, & illo utor in oſſe plano.

Alterum uero ſecundum quippe dicitur cauterium punctuale. b. litera inſcriptum, quod hercle operor in oſſe corrupto & perforato. Súntque alia ferramentorum genera, quæ ſecundum quam eritis operam facturi conflabuntur: quibus uti poteritis ad oſsis corruptionem arcendam, quæ nempe duplicem cauſam retinet antecedentem ſcilicet & primitiuam, quarum antecedens erit deterior, quoniam os ipſum corrumpetur, antequam carnis fieret putrefactio. Erúntque humores corrupti ad os defluentes, & id corrodentes, quæ certè corruptio ab Auicenna uentoſitas ſpinæ nominatur. Quomodo ipſa curanda erit atque cognoſcenda, ab eodem, qui ſpecialem ſermonem de ea compoſuit, docebimini, quando ipſam curare non intendimus, eo quia longius diſtraheremur, cum in ipſa curanda non una intentio implicetur. Eſt quidem cauſa primitiua, quæcunque ab extrinſeco eueniunt, ſiue inciſio, ſiue coutuſio, aut aëris alteratio: non quod aër alteretur, ſed quòd ex aëre os inficiatur, uel unguentorum adminiſtratio extiterint. & idcirco conſyderate, nunquid ulcus à uulnere, an ab apoſtemate ortum habuerit, ob idque ad oſsis corrupti cauſam ſupputando deuenerimus. quoniam ſi ab apoſtemate fuerit, erunt cauſa humores, qui os corruperunt. Nam à uulnere cauſa fuit aut aëris alteratio, uel unguentorum adminiſtratio. Et ſi à uulnere, an os inciſum fuerit totum, an diminutum, aut aliquid fruſti oſsis inde ui extractum ſit. Nam multum intereſſet uí ne, an ex natura ipſa expelleretur. Nam ſi ui demeretur, fiſtulam timeremus, ut ait Auicenna in eodem capitulo de uentoſitate ſpinæ. Quod ſi ſuapte natura uomeretur à uulnere, illud non timeremus. Quare ſi omnes iſtas particularitates ſcire concupiſcitis, perlegite Auicennam, ubi omnia iſta, quæ dicta ſunt, colligetis pro ueſtri animi ſatisfactione. Hæc tantum dicta ſint pro oſſe corrupto, quare cum tempus ita breue ſit nobis determinatum ad ſuſequentia pergamus.

Auicenna.

De uaricibus.

RESTAT, ut de uaricibus dicamus, quæ ſunt uenæ in tibijs repletę ſanguine melancholico, generato aut ex ſplenis oppilatione, aut ex hepatis debilitate, aut ex nimia regiminis comeſtione, ad humorem melancholicum generandum procliui, aut ex nimia ante reges aſtatione, ſicuti aſtant palatini, uel pedum fatigatione, aut ęrumnoſa ponderũ geſtatione, ut baiuli faciunt. quæ curandæ, licet factu aſperũ difficileq́ ſit, tres ſtatuunt ſibi intentiones. Quarũ prima eſt regiminis ordinatio. Secunda humoris purgatio. Tertia localium adminiſtratio. Erit itaq; regimen illud, quod abhorreat ab omnibus melancholiam generantibus,

ut

carnes ſunt bouinæ, bubalinæ,uaccinæ: ſalitæ etiam prohibendæ ſunt, necnon
legumina quantũ poſsibile ſit,caules,& caſeus ſalitus.uinum etiã rubeum groſ-
ſum in iſto caſu ſpernendũ eſt,& cætera id genus. Purgabimus humores, ſi quæ
melancholiæ conferunt,exhibebimus,quod fiet phlebotomia,digeſtiuis, & po
tionibus.Fit phlebotomia ex baſilica,quæ ſit cũ foramine largo, ut ſanguis groſ
ſus poſsit exire.Verùm ut facilius hoc fieri poſsit, operæprecium erit infirmum
aliquantulum elaborare,ut fiat humorũ cõmixtio,quam phlebotomiã ſequan-
tur ſyrupi de thymo,de epithymo, de fumo terræ, euacuando poſtea cum pilu-
lis de fumo terrę,& pilulis indis,quę omnia uos doſabitis melius pro infirmi exi
gentia,quã ego eorundem reminiſcar. Hęc quantũ ad materiam antecedentem
dicta ſint:quam ſi rectè curare uolueritis,ad curam iſtius ægritudinis principalẽ
intentionem accõmodabitis.Nunc uerò de localibus,& materiei cõiunctæ cu-
ratione agamus.Cum igitur uarices curare uolueritis,præmiſſa uniuerſali purga
tione,ad particularẽ intentionem deſcendite,quæ tres in ſe retinet cõſideratio-
nes.Quarũ prima defluentẽ prohibet materiã.Secunda fluxam remouet.Tertia
membrum cõfortat uenas ſtringendo, & coagulatũ ſanguinem reſoluendo, &
carminando. Prohibebitis materiã fluere, ſi defenſiuum applicabitis ſub genu,
quod eſt tale:R.boli armeni,argillæ,añ ʒ.iiij.ſanguinis drac.unc.j.terræ ſigillatæ   Defenſiuum.
ʒ.iij.puluerizentur omnia ſubtiliter,& incorporẽtur cum duobus albuminibus
ouorũ & olei myrtini unc.j.& ponatur ſub genu,&cũ pecia ligetur ligatura,nec
nimis forti,ne membrum mortificetur,quod eſſet peius priori, nec nimis larga.
quoniã non conſtringeret,nec ſanguinẽ prohiberet quin deſcenderet. Sed ſit li
gatura inter utranq;,quæ poſsit & uitare ſanguinẽ,& membrum non mortifica
re.Quo facto ſequenti die uenã,quæ ſuper cauiculã apparebit, phlebotomabi-
tis,faciendo foramen latum,ut ſanguis groſſus poſsit facilius exire. Facto igitur
foramine,manibus tibiam demulceatis,à defenſiuo deorſum deſcendendo, ut
totus ſanguis,qui in uaricibus detinebatur,exeat, aut ſaltem pro maiori parte à
tibia:quæ erat aqua calida prius humectanda quàm exprimatur.Exhauſto itaq;
ſanguine,& uena obturata,tibiam totã emplaſtrabitis hoc ſequenti emplaſtro.
R.camomillæ,meliloti,abſynthij,añ.M.vj.myrtillorum,roſarum rubearum,ana   Emplaſtrum.
M.iij.nucum cupreſsi nu.xx. acaciæ unc.iij.furfuris M. iiij. farinæ fabarum, fari-
næ lupinorum,ana lib.j.ſ.piſtanda piſtentur ſubtiliter,& bulliant ſimul cum ſa-
pa & lixiuio barbitonſoris, in quo fuerint decoctæ tamarices, taſſus, barbatus,
apium,& radices capparum,& tandiu ferueãt,donec acquirant formam paſtæ,
miſcendo parum aceti boni,ut uirtutem habeat incidendi,cum quo totam tibi-
am inuoluetis.Habet hoc quidem emplaſtrum(ut patet conſideranti ingredien
tia) uirtutem deſiccandi, confortandi, reſoluendi & incidendi, quibus omni-
bus indigemus pro cura iſtius moleſtæ ægritudinis. Hoc denique modo facien
do curam finietis. Verùm ſi defenſiuum inceperit deſiccari, & dolorem inſtiga-
re,ipſum commutabitis,præcipiendo ſemper,ut infirmus teneat tibiam in lecto
ſituatam & eminentem,ne ſanguis deſcendat,ſi cupit ſanari.Nam uulgò dici ſo-
let,gamba al letto,& brazo al petto: Et cum ſanus aliquantulum fuerit, iterum
iubebitis purgari. Nam periculum eſſet, ne hydropicus aut phthiſicus, uel ma-
niacus euaderet. quoniam materia,quæ ſolita erat deſcendere,dętineretur,quæ
talia habet accidentia commouere & producere, iuxta illud diuini Hippocra-   Hippocrates.
tis,hæmorrhoides ſanari antiquas,ſi non una fuerit relicta, periculum eſſet fieri
hydropem,aut phthiſicũ,aut maniam. Et alibi, Maniacis, hæmorrhoidibus, aut
uaricibus innatis maniæ ſolutio fit.quare ſi ex illarum prouocatione mania ſol-
uitur,ergo illarum conſtrictio eſt cauſa maniæ. Vnde habetur apud Ariſt.in lo-   Ariſtoteles.
cis,Cuius adeſſe bonum eſt, illius abeſſe malum eſt. Et ideo ut omnia iſta euite-
mus,purgabitur patiens ſingulis menſibus cum humorem melancholicum edu
centibus. Sunt & alia ingenia,quæ uenam ligant & incidunt, quæ non tango,

tum propter ſæuitiam & crudelitatem, & periculum infirmi, tum etiam quod ea nunquam alias operatus ſum, nec operabor, quando modus ille tutus mihi non uidetur.

De rotunditate. DE rotunditate autem ulceris nihil dicemus, quando mathematicæ diſcipli næ ſatis incubuiſtis, in qua quidem ut mihi uidetur, nó parum profeciſtis, quoniam facile ſcitis triangulos erigere, lineam ſecare, circulos diuidere, & ſi oporteret eoſdem quadrare, licet adhuc circuli quadratura non fuerit inuēta. Verum ſi ipſam diametraliter diuideretis candenti ferro, aut nouacula bene incidenti, circuitionem uillorum deſtruetis: quæ maxima eſt conſolidationis prohibitio. Sicq́ obuiabitis circuitioni, quo facto poteſtis uel curam inciſionis, aut combuſtionis cum cauterio factæ proſequi, uel ſecundum quod fueritis operati. Quare accedamus ad capita ulcerum curanda, quando ab accidentibus, quę nobis curam impediunt, ſumus abſoluti, & primo agamus de ulcere uirulento.

De ulcere uirulento. SOlent enimuerò omnes, qui humani corporis curam ſuſceperunt, cauſam ęgritudinis ſedulò indagare, indagatamq́ abſcindere, ut faćilius ſit curandi onus. Quare nos ne ab illorum inſtituto aberremus, cauſas ulceris uirulenti prius dicamus, deinde intentiones ordinemus. Sunt quidem cauſæ ulceris uirulenti humores cholerici facti cum phlegmatis ſalſi admixtione acuti. Qui propter

Virus unde. aduſtionem quandam uirulentiam acquirunt. Cum uirus non generetur, ut dicit Auicenna, niſi ex ſubtilitate humorum aquoſorum, & ipſorum calido. Generantur autem à malo uitæ regimine. Icćirco antequàm ad coniunctam cauſam deſcendamus, intentiones conſtituamus, ut in illis regimen quoque rectificetur, quæ me hercle numero quinq; erunt. Quarum prima eſt uitam ordinare: Secunda corpus purgare: Tertia humorum fluxum prohibere: Quarta defluxos humores deſiccare: Quinta ulcus conſolidare, & membrum confortare. Complebitur ordine quidem prima, ſi acria, pontica, ſalita & calida omnia, ſicut cinnamomum, piper, zinziber, quæ ſanguinem poſſunt alterare in caliditatem & aduſtionem, prohibebitis: cæteraq́ ſanguinem regentia propinabitis, ut boragines, lactucas in brodio pulli decoctas. Nam brodium pulli humores adæquat, uirtutem rectificat, complexionē conſeruat. Hæc igitur dicta ſunt exempli gratia, ut inde uos ad alia prohibenda atq; eligenda deueniatis. Purgabitis enimuerò ægroti corpus, ſi quæ choleram cum phlegmate educentia exhibebitis, ſicuti ſunt electuarium de ſucco roſarum, aut electuarium ſolutiuum, uel cum diaphœnicon, aut aliquo alio pharmaco eandem uirtutem habenti. Prohibebitis fluxus humorum, ſi facta uniuerſali purgatione defenſiuum applicabitis, in ulceris circuitu per quatuor digitos, aut plus minús ue eo, ſecundum quod magis

Defenſiuum. congruere pro illorum obice uiſum fuerit. Quod cóficietur boli armeni, & ſanguinis draconis ana unc. ſ. farinæ fabarum unc. j. pulueris myrtillorum, roſarum ana ℥. iij. olei myrtini unc. iiij. ſucci ſemperuiuæ unc. j. pinguedinis caſtrati unc. j. ſ. ceræ parum, & bulliant oleū, & pinguedo cum ſucco, donec deſiccetur ſuccus. deinde addantur cætera, & fiat defenſiuum ad modum unguenti, quod ſicut dictum eſt, operamini. Verùm humores deſiccabitis, ſi exiccantia adminiſtrabitis, Cum uirus (ut inquit Auicenna) indigeat exiccatiōne, quæ poſſunt ua

Exiccatiuum. rijs, multisq́ modis effici, quorum unum eſt tale: Recipe cineris anethi, plumbi uſti, terræ ſigillatæ ana ℥. j. lithargyrij argentei, balauſtiorum, gallarum non perforatarum, ana ℥. j. ſ. corticum compatrum ſiue lumacum combuſtorum ceruſę ana ℥. ij. aluminis rochæ combuſtæ ſcrup. j. miſceantur omnia ſimul, & fiat puluis ſubtiliſsimus, & utimini. Si iſto minimè proficere uideremini, adminiſtrate puluerem rubeum, qui & præcipitatus dicitur ab alchymiſtis, quem ſibi magiſter meus uendicauit, cuius recepta, & modus conficiendi in ultimo dicetur,

Digeſtio ulceris. qui ſine dubio ulceris uirulentiam rectificabit cum maxima digeſtione. Ne credatis amabo, quòd ulceris digeſtio ſit ſaniē generare (ut quidā indocti ſentiunt)

ſed

ſed humores caliditati digeſtiuæ proportionare, quæ benè poſsit decoquere,& digerere ad expulſionem eoſdem præparando. Eſt enim digeſtio humoris ſubtilis ingroſſatio,& groſſorum ſubtiliatio,cum præparatione expulſionis. Et ideo in calidis frigida,& in frigidis calida componimus. Conſolidabitis inquam,ſi unguentum de minio,aut triapharmacum,aut unguentum camphoratum, ſiue de ceruſa adminiſtrabitis. Aut ſi loco iſtorum defenſiuum ordinatum in hac eadem cura in ulcere diſtendetis: Vel iſtud,quod uobis modo deſcribo. R. olei myrthini unc.ij. olei roſati omphacini unc.j. pinguedinis caſtrati unc. ij. minij unc. j. ſ. ceruſæ unc.j. bulliant ſimul donec colorem nigrum acquirant, addendo in fine ceræ nouæ unc. ſ. & quando aufertur ab igne incorporentur camphoræ ſcrup. iij. tutiæ præparatæ ʒ.ij.& fiat unguentum ad formam ceroti,quod membrū confortabit,complexionem emendabit, & ulcus ad cicatricem deducet. Quod cū eo peruenerit,lauabitis aqua aluminoſa, quæ pro cicatrice in cura ulcerum deſcripta eſt: ſicq; ulceris uirulenti curam perficietis. Verum hoc unū maximè mēti tenendum cenſemus,quod ſi in huiuſmodi ulcere deſiccantia poſueritis, & uirulentiam augmentari,uel ulcus concauari uiſum erit,oportebit uos ad leuiora medicamina deſcendere,nam illud,quod æſtimabitis eſſe pro illius curatione,erit corroſiuum,& carnem ad fluentem humiditatem reſoluet, quam uirus iudicabitis. Signum autem erit ſi à medicaminum deſiccatione, uel nimia abſterſione unguentorum emergeret,quod ulcus erit ſimile apoſtemoſo, & ſentiet infirmus manifeſtam mordicationem cum dolore pungitiuo, uel mordicatiuo ut inquit Auic. Quare hortor uos,ne talis ſigni obliuiſcamini,ex cuius uſu prēmia ueſtris operationibus digna reportabitis. Nunc uerò dicamus de ſordido ulcere, quando uirulenti curam præſcripſimus.

Vnguentum camphoratū.

Notandum in ulcere.

QVanta ſit noſtri uiuendi modi ingluuies,perſpicuum eſt,id ipſum conſiderare ex ſanguinis alteratione: qui non modo ad caliditatem & aduſtionē, ſed ad ſorditiem & putredinem alteratur ex inordinato uiuendi regimine. Idcirco maximè præcauere debemus,ne in talem ingluuiem incidamus, unde poſtea non ſolum acuti,ſed ſordidi & corrupti humores generentur, qui cum ad coniunctam uenerint,ulcus ſordidum fouebunt. Eſt quidem ſorditiesres alba, ſpiſſa & coagulata, aut ad nigredinem prodiuis,aut ſicut fex: Quæ pro ſui ſanatione indiget abſterſione,ſicut uirus exiccatione. Quod quidem ulcus aut erit planū, aut concauum, pro quorum emendatione quatuor indigemus intentionibus, quarum Prima eſt uitam ordinare. Secunda humores purgare. Tertia ſorditiem abſtergere. Quarta ulcus conſolidare. Ordinabitis igitur uitam, ſicuti in ulceris uirulenti emendatione diximus,quando iſtæ curæ non differant inter ſe, niſi ſecundum magis,& minus. Et propterea diæta reſpiciat qualitatem, quam ibi ordinauimus. Humores etiam purgabitis iuxta illud quod dictum eſt. Sorditiem abſtergetis,ſi ſubſequentia ordinabitis: Recip. mellis roſati colati unc.ij. terebēthinæ claræ unc.iij. bulliant omnia donec miſceantur, quo facto addantur farinæ ordei.q.ſ. croci parum,& fiat mundificatiuum,quo rectè uti poteſtis. At ſi nō profecerit,iſtud ſubſequatur. Rec. terebenthinæ claræ unc.iij. mellis roſati colati unc.ij. ſucci apij unc.ſ. bulliant uſq; ad conſumptionem, deinde addantur farinæ ordei.q.ſ. thuris ʒ.ſ. ſarcocollæ ʒ.j. croci parū,& fiat abſterſiuum molle,quod poni poſsit in ulcere concauo cum tentis. Sin ueſtram fruſtraretur intentionem hoc facitote: Reci. terebenthinæ claræ,mellis roſati colati, ana unc. iij. ſucci cynogloſſæ.j. linguæ canis unc.j.ſ. ſarcocollæ,thuris,myrrhæ,aloes hepaticæ, ana ʒ.j. bulliant omnia ſimul uſq; ad dimidiam partem ſucci,ſemper agitando ſpatumine. Quo facto,colētur,& colaturam adminiſtrate in ulcere tam plano quàm concauo. Et ſi adhuc deciperemini,iſtud facitote,quo honorem, & utilitatē reportabitis: Re. lixiuij barbitonſoris unc.iij. pulueris rubei, qui præcipitatus dicitur,unc.j.ſ. mellis roſati colati unc.ij. miſceantur omnia bene, & iſto abſtergēdo

De ulcere ſordido.

Sordities quid?

Abſterſiuum.

Aliud de ſucco apij.

Aliud de ſucco cynogloſſæ

Aliud de præcipitato.

proculdubio deſiccabitis & abſtergetis:Cum in ulcere,ut placet Gal.generētur duę humiditates: quarū altera abſterſionem, altera deſiccationem expetit, quæ utręq; ſunt in iſto medicamine,ſi rectè ingredientia reputetis. Conſolidabitis,ſi unguenta qualitati ulceris extraneę aduerſa collocabitis:utputà,ſi qualitas ulceris fuerit calida,uos frigidis:& ſi frigida,calidis utimini,ſicq; cōſolidabitis.Quid enim eſt carnem generare,aut diſcontinuum conſolidare, niſi qualitaté quæ uirtuti nutritiuæ aduerſatur, rectificare, & ad membri complexionem adæquare? Quo facto,natura quidem fortificata carnem generabit, quod patet non ſolum in hominibus,ſed etiam in brutis animalibus. Et ideo unguenta non compono niſi illa, quæ dicta ſunt in ulceris calidi, & frigidi curatione, ad quæ ire poteſtis, cum illis indigueritis, quare modo de cauernoſo ulcere dicamus.

Quid eſt carnem generare aut ſolutionē conſolidare?

De ulcere cauernoſo.

Miramur ſi antiqui in cognitionem rerum,cauſarum, ægritudinumq; deuenerunt,cum ſint edocti ab ipſa natura,quam diligētius priſci obſeruabāt. Et ideo ad id ſcientiarū faſtigij uenerunt,quod nos modo uix cogitatione attingimus,ipſi pręoculis habebant.Hoc aūt maximè conſidero ex talpæ ſubterraneis cuniculis,qui me ad ulceris cauernoſi conſiderationē iniecere. Nam cū hortulanus quidam talpariæ cauernę os obrueret aut obſtrueret (talpa cauſa terrę hiatus non remota)ſeptē ex una hora ebullierūt.Quod quidē non negligendū circa ulceris cauernoſi curā pernotaui ipſum curaturus. Quod cum rectè pertractare cupimus,illius cauſas inueſtigamus,quas aucupabimur aut ab humoribus, aut ab accidentibus,uel à ſaniei qualitatibus.Et idcirco cum taliſmodi ulcus uolueritis curare,benè prius ipſum ſcrutamini,rectéq; conſiderate, nunquid aliquod accidētium ſuperius narratorū cauſa ſit,quod conſolidationē impediat. Quod ſi affuerit,manifeſtéq; ipſum accidens eſſe comprobaueritis,ad curam illius accidentis,quod ueſtrum magiſterium impedíret,recurratis. Quo quidem emendato,fine optato fruemini. Verum ſi iſtorum nullum eſſe cauſam cognoueritis, qualitatem ſaniei contemplamini. Quæ ſi ſaniem,uirus aut ſorditiem oſtendet, ad curam ulceris ſanioſi,uel uirulenti,aut ſordidi properate, & ſecundum quod ibi dictum eſt,facite,quoniam abſq; dubio tanti certaminis eritis uictores.Si uerò humores erunt,quod carnis colores oſtendēt,ipſos purgabitis. Nam ſi color erit rubeus,& cum pruritu,choleram ſignificabit:Si rubeus demiſſus,ſanguinem indicabit.Si albus,phlegma arguet.Si fuſcus,melancholiam accuſabit.Sicq; operando terminum ueſtro deſiderio complantabitis.

De ulcere putrido & corroſiuo.

De putrido autem & corroſiuo eſſet dicendum, niſi de his ſermonem habuiſſemus,cum accidentia emendabamus, ubi cauſas & curas poſuimus,ad quæ ire poteſtis,cum ipſorum curatione uobis opus fuerit. Hæc ſunt, quæ pro ueſtri animi ſatisfactione diu mecum detinueram. Quæ ſi erunt omnibus complacitura ignoro.Nam ille in dicendo factus ſum, qui in medio foro domum ædificat,circa quam de altitudine & depreſsione controuerſiam ſpectantes excitant,& commouent,cum & patrono æqualitatem proportionemq; habere domus ipſa uideatur.Quod equidem uereor ne fortè alijs nimis abiectus,& depreſſus noſter ſermo uideatur:alijs uerò nimis ornatus & altus, cum omnibus complacere non poſsim, exiſtimans mediocrem dicendi modum retinere: maximè cum mihi nunquam placuerit per arborum cacumina euolare, ſed lento gradu plumbeóque pede incedere,ut me quicunque conſequi cuperent, facilius attingerent. Diximus.

Modus conficiendi pulueris rubei ſic fit.

Recipe aquæ,cum qua argentarij ſeparant aurum ab argento unc. vj. argenti uiui unc.iiij.miſceantur ſimul in elambico uitreo, quod benè illutabitis. Habet enim elambitum bocciam, quæ illutanda eſt, in qua ponuntur elambicanda,& capellum,& recipientem. Cuius forma talis eſt. Sed. A. eſt illutanda, quę dicitur boccia. Punctus nominatur capellum. B. uerò dicitur recipiēs, ſicq; ordinato



ordinato elambico,& in fornace poſito,diſtillabitis igne temperato. Aqua uerò,quę ſeparat aurum ab argento, fit hoc modo:Reci.ſalis nitri,aluminis rochæ,uitrioli Romani,ana lib.ij. miſceantur in mortariò molendo cum piſtillo tandiu donec benè miſceantur. Quo facto, puluis groſſo modo factus ponatur in boccia, quæ ſit illius pulueris capax,& ut dictum eſt,illutata. Verum etiam orificia omnia illutabitis,ne aqua exhaleſcat, ſicq́ deſtillãdo aquam extrahetis,qua rectè uti poteritis. Signum autem ſuæ bonitatis eſt, quod quando de ipſa parum in humum ceciderit,ſtatim ipſam ebullire uidebitis. Habetis ergo modum pulueris,& aquæ conficiendæ,qui eſt tantæ uirtutis, quantam nemo exiſtimabit.

Ruptorium fit hoc modo.

RĘcipite lixiuij quod primum manat à colatorio, quæ dicitur mater, lib. v. aut quantum uos uolueritis iuxta quantitatem, quam facere concupiſcitis:quod ponatur in caciola ænea feruendum, cui aſſociabitis ℥. vj. uitrioli Romani,quæ ſimul tandiu bulliant, donec quicquid lixiuij eſt feruendo deſiccetur,& quod in fundo petrificatum eſt,ſiue induratum,colligite,quo, cum operari uolueritis,utemini. Nam tantæ operationis eſt, quod ſubitò operari uidetur,nullumq́ dolorem ad aliorum comparationem excitat. Si uerò quomodo lixiuium fiat ſcire non negligitis,hunc quæſo attendite ordinem, quo ipſum ego ſemper ſolitus ſum facere:Habui tinam paruam, in cuius fundo erat foramẽ unum,unde lixiuium deſtillare potuiſſet,quã cinere ex ſarmẽtis facto,aut quouis alio cinere,dummodo fortis ſit,implebam deinde circualiter ipſum ſeparabam,in quo calcem uiuam ponebam,cui tantum aquæ inſpergebam, quantam calx imbibere potuiſſet:quo facto antequam fumaret, in ipſum cinerem calcẽ obruebam,ne fumi qui inde leuabãtur,exhaleſcerent. Sicq́ biduo permanebat foramine tinę clauſo. Tertio uerò die cinerem cum calce commiſcebam,quam benè commixtam manibus comprimebam,ne aqua ſuperimponenda citius penetraret ad fundum,quo facto tinam aqua implebam aperto exiſtente foramine,unde lixiuium emanaret:quod primum ad ruptorium conficiendum colligebam in quo unum ouum proijciebam: quod ſi ſupernatabat in lixiuio, cauterium ex ipſo faciebam:nam illud eſt ſignum proprium ad cognoſcendũ ipſius bonitatem. Habetis igitur modum ruptorij,& lixiuij conficiendi.

Trochiſci fiunt hoc modo.

RĘcipite aquæ plantaginis unc. vj. ſublimati puluerizati unc. ſ. bulliant ſimul uſque ad quartæ partis aquæ conſumptionem, deinde reſideat per unum diem,cum qua aqua poſtea impaſtabitis tantum farinæ, quanto indigebitis pro faciendorum quantitate,& numero trochiſcorum, farinæ etiam admiſcebitis tantum minij:quantum poſsit farinam colorare:de qua formabitis trochiſcos,quos factos decoquatis in furno debili: uel in ſole eos deſiccabitis, & ſic habebitis trochiſcos longe diſsimiles ab alijs, & in materia & operatione difformes.

Vnguentum nobile aduerſus ſcabiem.

RĘcipe uini boni & odoriferi lib. j. ſ. ſulfuris unc. iij. thuris ℨ. ij. ſalis unc. iij. ſ. ſtructi unc. iiij. ceræ albæ unc. j. ſ. & ſi uis adde in fine ebullitionis ſtoracis liquidæ ℨ. j. ſ. bulliant omnia ſimul uſq; ad conſumptionem tertiæ partis, uel dimidij uini,deinde permittas reſidere,& congelari,quo poſsis uti in palma manus linituræ particulam corporis infectam.

Io. Al. Vopiſci diſtichon.

Hic oſſa,hic caput,hic reparantur uulnera:Credas
Obuerſum Marti munus Apollineum.

Abſtemius Firmamus ad librum.

Ire quid expectas in lucem docte libelle?
Ad tua quot clamant limina nonne uides?
Dicere quæ ſolitum dubitas ignobile uulgus?
Et celeris curſus crimina ferre times?
Dum placeas doctis,multóſq; uocabis ab orco,
Ac doceas multos:nil tibi uulgus obeſt.
Non celer eſt curſus,quando mora damna minatur,
Non iter eſt ſubitum,quum nocitura quies.
Aſpicias quotiens primum curabile uulnus
Dilatum ſubitam contribuiſſe necem?
Quare frange moram,ſanis ægríſque ſalutem
Affer,& ad multos tardius ire caue.

INCIPIT TRACTATVS DE CAPITIS LAESIONIBVS CHIRVRGO CVRANDIS.

Marianus Sanctus Barolitanus Domino Mario de Scapuccijs artium & medicinæ Doctori excellentiſſimo,ſuoq; benefactori S. P. D.

CVM me omninò domine Mari ab incepto compendio,quod de chirurgia compoſui, abſolutum circumſpexerint noſtri amici maximè rogauerũt,ut capitis ægritudines, quę à cauſa primitiua ſcaturiunt, omni indagine exquiſitaq; diligentia,prout opis eſt noſtræ commẽtaremur.Quibus cum ab eorum honeſtate ægrorumq; utilitate, ac dignis precibus caperemur, honeſtè denegare non potuimus, pollicẽtes pro ingenij noſtri uiribus,illorũ precibus ſatisfactam iri. Ob idq; tractatũ unum compilauimus, quem tibi dedicatum ad te tranſmittendum eſſe duximus, ut ſiquid menda dignum exiſteret, aut aliquid obeliſco notandũ, uel aſteriſco feriendum eſſet, id emendetur,notetur,ac etiam feriatur.Nam hac noſtra tempeſtate,qui magis capitis læſiones faciat,penſiculet,cauteq; agat,quàm tu,qui infirmorũ utilitati,ac præſidio ſubſidioq; ſies,neminem habemus,quare rogo,oro obſecroq; te domine Mari,ut tutè,ſecurè, libereq; Romanam urbem undiq; inuidorum linguis refertam peragret quando ſine tanto numine periret,illi tuam extremam manum imponas:Vt ſi cui maledicenti(quod uitium commune eſt) occurrerit, tua authoritate dignitateq; munitus, ſe ab inuidorum dentibus obſcœniſq; faucibus tueri ualeat.Quod cum tu noſtris munuſculis non dedignatus feceris, nos,noſtriq; amici,de quibus iam benè meritus es,neſtoreos annos tibi à deis imprecabimur,& quibus noſtrę lucubrationes gratę fuerint,cordí ue extiterint,immortales in poſterum gratias agent.Benè uale,meq; ut ſoles dilige.

IN TRACTATVM DE CAPITIS LAESIONIBVS.

Franciſcus Palmerius Sabinus ad librum.

Quid dubitas culte in uulgus prodire libelle,
Tutaq; iam tumido credere uela freto?
Auſpicijs Marij totum decurre per orbem:
Tam celeri cunctis uindice tutus eris.
Hic eſt cui dederant (reliquis quod fata negarunt)
Omnia noſſe animo, cunctáque poſſe manu.

Author

Author, materies, uindex, te coget amari:
En propera in uulgus tendere culte liber.

Abſtemius Firmanus.

I liber in populum: ſiquis te lumine cernat
Liuidus aduerſo, dic meliora leges.
Cum liber in populo fueris, dictiſque malignus
Non parcat, dicas non meliora facis.
Cum liber è populo abſcedes, laribúſque receptus,
Deficiet ſubitò quicquid obeſſe poteſt.
Carus eris cunctis, alijs multúmque ſalubris,
Blandiciáſque ferent, qui maledicta dabant.
Nam mala dum corpus morbi contagia lædent,
Protinus obſtabis, auxiliúmque feres.

IOANNES MARIA.

MOs eſt omnium MARIANE dilectiſsime, qui alijs gratificari cupiunt, petita amicorum non negligere, immò omni animi charitate amplecti, & maximè ſi quæ petuntur, iuſta, honeſtaq; fuerint, nullumq; incommodum illi, à quo petuntur, afferentia. Quod ſi alicui ingrueret, iniuſtitia, inhoneſtaq; uiderentur, cum iuſtum, atq; honeſtum nō magis placeat illi, qui petit, quàm à quo petitur, longè quidem errarent homines, ſi iuſtum & honeſtum alterius incom modo parari arbitrarentur. Cum ergo nos animaduertimus, non minus tibi cō placere, quàm nobis gratum fore, quod te modo exoratum uolumus, cum tibi dicendi, nobis audiendi maximè uacet, ut capitis ægritudines, quæ à cauſa fiunt primitiua, una cum illarum curis commemores. Quando ad id animę conſcientia, ac ægrorum pietate excitemur, & animamur, ut audacter petamus. Quod ſi timidè peteremus, forſan nobis, quod omnibus gratum exiſtet, iure negaretur. Cum ipſa timiditas duo portendere uideatur, ut uel quod petitur, iniuſtum, inhoneſtumq; fiet: uel ille, à quo petitur, immanis, ferox, immitisq; ſit. Quare cum iuſtum, tuq; MARIANE ſuauiſsime mitis, amicisq; munificentiſsimus ſis, uelis de ipſo negotio nobiſcum ratiocinari, ut tua concinna animaduerſione ualeamus tot capitis pericula declinare, ad quæ iſti noſtri emperici ueloci greſſū irruunt, aut ſi qua euenerint, emendare. Cum tu ſolus ſis, qui & curare, & emendare poſsis capitis læſiones, quod tunc nobis cognitum fuit, cum graues capitis caſus in hoſpitali ſanctæ Mariæ conſolationis peregiſti: quo tempore de chirurgia compendium abſoluiſti. Perge igitur MAR. amicis tuis amātiſsimis obtemperare, & poſterorum incommoditatibus prouidere. Nam ſi tanti laboris prēmia digna non feres à nobis, qui parum poſſumus, Deus ipſe optimus maximus tua facta fœlicitabit.

MARIANVS.

IAm pridem mihi cognitum ueſtri ſermonis initium penè taciturnitate nimia à noſtra exciderat memoria: Quam debilem collapſamq; habeo tot laboribus & anguſtijs: quas modo ex re noſtra familiari capio, quando natura ita uoluit, ut pater è medio diſcedens animam egerit. Quam deus clementiſsimus nō noſtrorum beneficiorum meritis, ſed ſua pietate miſericordiaq;, qua nunquam expoliatur, excitatus, ſalute requieq; ſanctorum condonet. Ex qua quidem ſententia quid pro amicorum conſuetudine faciendum ſit, excerpſimus, Sed nunc medius fidius non ignoramus, quàm difficile atq; factu aſperum ſit, amicorum petitionibus ſatisfacere. Cum & animus non modo ſuſpirat gemátque, ſed lachrymarum profluuio, quas ex paterna fraternáque morte oculos miſerè terendo exprimo, liqueſcat. Poſſúm ne ea commoditate, qua utebar, cum de

apoſtematibus,uulneribus,ac ulceribus loquebamur, ueſtros animos, quibus gratificari cupio, ita concinnè explere,ut ulterius nõ aueant? Ah quidẽ animo crucior, corporeq; torqueor, cum ſentiam uobis non ita me fore ſatisfacturum. Verùm ne uidear uobis,qui mihi longè animo ac oculis eſtis chariores,ter giuerſari,hunc laborem ſubitò,fretus tamen prudentia,ſolertia, diligẽtiaq; megiſtri Marij Scapucij artiũ & medicinæ doctoris præſtantiſsimi, quem non minus amare debetis,ac ſi ex illius renibus cecidiſſetis:cũ ſit noſtri amantiſsimus, omniumq; ſtudentiũ neceſsitatibus ſubſidio & pręſidio. Qui poterit noſtrã ſermocinationẽ librare,ut ſi quid noſtro mœrore relictum fuerit, aut nimia animi uobis ſatisfaciendi uoluntate pullulauerit, abruncet, & propaget. Cæterũ hoc uos omnes exoratos uolo,ut cum exordiri incepero,nequis ueſtrum me audeat interpellare,niſi fortè cum contextam habuerimus orationẽ: Nam tẽpus breue eſt,ad quod initiamus abſoluendum. Quod ſi aliter fore tempus cenſerẽ,nullam maiorem haberem uoluptatem,quàm in unoquoq; uerbo interrogari.

FRANCISCVS.

IStud idem in corde omnes ruminabamus,nam quod animo conſtitueramus, precario gratioſeq; impetrandum ac multo antequam huc conueneramus, inglutiremus,tu uno uerbo ſolo eructaſti.Igitur quando omnes de dicendi modo inter nos cõgruimus,incipe fœliciterque auſpicare. Quoniam nulla erit maior nobis uoluptas, quam ſtylum ac ueſtrum dicendi modum intelligere, poſt habita illa precioſa,quam ex tuo ſermone expectamus,utilitate.

MARIANVS.

ANimaduerte mi FRANCISCE uóſque cæteri fratres magiſtrum Ioannem Antracinum Maceratenſem, cum in ſtudio frequenter lectitaret (ſub cuius diſciplina ſemper militaui, quicquid deniq; habeo, uel totum ab ipſo, uel non ſine magno ipſius fauore ab alijs accepi) paterna charitate omnes, qui ſuis adfuiſſent lectionibus,admonere,ut cauſas ægritudinum,quoad ſibi liceret,intimè indagarent,ſcrutariq; uellent,ne unam pro altera medicaminibus pertractarent:quod multum quidem obſtaret ſanitati,uehiculum mortis afferens.Ob idq; mihi ſtatuo,quando uos ita uultis, ut capitis ægritudines, ac ipſarum curationes, quibus utor, pertractem genera ægritudinum, quæ capiti occurrunt,memorare: Ne fortè ad id, quod dictum eſt, imprudenter incidamus, quę quidem numero quinq; ſunt capitalia,uidelicet Apoſtema,Vlcus,Vulnus, Contuſio,& Fractio.De apoſtemate extrinſeco,& ulcere nihil dicemus, quando in noſtro tractatu ſatis diximus,ad quem poteſtis,cũ eo indigueritis, redire. De contuſione uerò,uulnere,ac fractióe,prout noſtræ uires ſufficiẽt,calculabimus,quare modo ipſorũ cauſas & curatiões inſinuemus,à cõtuſione auſpicati.

Genera capitis ęgritudinũ

De contuſione capitis.

COntuſionis cauſæ ſunt caſus,& percuſsiones, ad quam ſequitur numerus ſolutionis continuitatis.Appellamus equidem contuſionem largo nomine,omnem carnis humanæ attritionem,quę duplex eſſe poteſt,ſcilicet cum uulnere,& ſine uulnere.quæ uerò eſt ſine uulnere,facilioris erit curationis,niſi fuerit ſub ipſa os ſciſſum.Nam multotiens accidit,ut craneũ ſcindatur,abſq; quòd cutis laceretur. Quam quidẽ lęſionẽ ipſemet infirmus medico demõſtrabit,unguibus ſcalpendo frequenter locũ,aut tangẽdo, uel aliquo alio modo & ſigno. Verùm ſi infirmi ſignificationibus non caperemini,aut in ancipiti ratione conſiſteretis,qua plerunq; diſtrahimur,ideoq; dum animus huc atq; illuc impellitur, conſiderare nempe oportebit percutientem,quantæ impulſionis eſſe poſſet,& rem qua facta ſit percuſsio,necnon locum ſi ab alto quid ceciderit. Nam quanto erit fortior percutiens,altiorq; locus,eo maior grauiorq; contuſio ęſtimãda erit.

erit. Grauia nanque motu naturali fortius deorſum in fine tendunt, quàm cum ex refractis obſtaculis deſcendere inceperint. Hiſque conſideratis ad cranei fractionem incidetis, quam gubernabitis, ſicut inferius de ſciſſura cum cranei depreſsione dicetur. Si uerò ex illorum, quæ dicta ſunt, coniectura os non eſſe fractum augurati eritis, ad contuſionis curam ueſtras conuertite intentiones, quæ proculdubio conſiſtent in medicamine reſolutiuo ſecum ſtypticitatem adiungente, cum putrefactionem timeamus, quando omne quod contunditur, neceſſe ſit putreſieri, & in ſaniem cõuerti, ut Galeno placet. Verùm uidemini uos me uelle percontari, quum in omni materierum principio fluentium repercuſsiuis indigeamus, quomodo in cõtuſione, in qua fit maxima materierum inundatio, reſoluentia applicemus? Non immeritò quidem dubitaſtis, quãdo id faciet multum ad curam contuſionis. Pro cuius ſolutione aduertere ſatis debetis, contuſionem ſubſequi ſanguinis effuſionem à uenarum orificijs propter contuſionẽ abſciſsis, qui ædepol egreſſus iterum uenas ingredi non poteſt: quare putreſit, & membrum corrumpit. Idcirco reſoluentia domeſtica in principio applicentur ſtypticitati aſſociata, ut ſanguinem extrauenatum reſoluant. Et ne iterum refluat, adminiſtramus ſtyptica, quæ fluxui cõtraria ſunt. Ex quo patet empyricorum, ac Hebræorum medicorum inſcitia, qui ad unamquamq; capitis contuſionem in principio repercuſsiua ſine reſolutione adminiſtrant. Vnde conſequenter ſequitur illius inciſio, ſi cupiunt carnis putrefactionem deuiare. Et propterea ne in tanti ſceleris reprehenſionem incidamus, medicamen, quo ſemper in tali ægritudine uſus ſum, receptabimus: Recipe camomillæ, meliloti, furfuris, ana manipulum unum. farinæ fabarum, lupinorum, ordei, ana drach. ij. myrtillorum manipulos duos. nucum cupreſsi numero quindecim, piſtanda piſtentur ſubtiliter, & bulliãt ſimul omnia cum ſapa, & lixiuio barbitonſoris, quouſq; acquirant formam ceroti, addendo in fine olei camomillini, anethini, myrthini, ana unciam unam, ſi putrefactio abeſſet. Nam ſi adeſſet, olea omninò prohiberemus, & iterum bulliant, donec olea benè incorporentur, & tepidum facite. & ro tum iſtud applicetur, quo certè finem obtinebitis. Nam ſi uellem quot homines iſto medicamine ſalui facti ſint, dicere, eos quippe numerando diem conſumeremus. At ſi contuſio cum uulnere extiterit, antequam aliquid operamini, penſiculare benè debetis, nunquid pericraneum inciſum ſit, an non. Si uerò ſectum non fuerit, curetur uulnus, ſicuti diximus in cura uulnerum. Verum digeſtiuum conficiatur cum oleo roſato omphacino, & uitellis ouorum, cui ſemper medicamini ſuperponite emplaſtrum modo dictum, quod eſt putrefactionis prohibitiuum, & ſanguinis contuſi carminatiuum. Eóque modo procedatur, donec ſanies generatur: cúnque generata fuerit, digeſtiua prohibeantur, & abſterſiuum adminiſtretur, quod tale eſt: Recipe terebenthinæ clariſsimæ uncias duas, ſyrupi roſati unciam j. ſ. aquæ plantaginis unciam ſ. bulliant ſimul uſque ad aquæ conſumptionem, deinde addantur farinæ ordei quantum ſufficit, croci parum, quod tantum ualeat ipſum mundificatiuum colorare, & ab igne auferatur, antequam farina proijciatur, & ſpatumine agitetur, donec benè incorporentur omnia adinuicem, quo facto utiminor, ſuper quod baſilicum noſtræ deſcriptionis ordine componite, cuius talis eſt recepta: Recipe olei roſati, camomillini, ana uncias tres, myrtini unciam j. ſ. pinguedinis caſtrati uncias quatuor lithargyrij. ceruſæ, ana unciam unam. minij unciam ſ. bulliant omnia ſimul ad ignem, donec acquirant colorem nigrum, quo acquiſito addantur terebinthinæ claræ unciæ duæ. piſcis naualis uncia una, ceræ nouæ unciæ duæ ſ. & parum bulliant, deinde ab igne auferatur, & ſpatula ſemper agitetur, donec benè congelaſcat. Et quia aliquando ſolent iſta uulnera propter membri ſenſibilitatem eryſipelari, ideo dicamus quomodo iſti ægritudini occurremus. Et hoc ut facere poſsitis, hæc de eryſipelate annotate, animóque

Dubitatio.

Emplaſtrũ capitis.

De contuſione cum uulnere.

Abſterſiuum.

Baſilicum noſtrum.

De eryſipelate.

recondite,poſſe id ſcilicet ex humoris ebullitione, ac materierum putridarũ re
tentione accidere, uti fieri uidimus cuidam apoſtema patienti, quod propter
retentionem materiei eryſipelate correptus eſt. Cuius cura eſt materiæ relaxa-
Hippocrat. tio,ut inquit diuinus Hippocrates: Quæcunq; ex repletione fiunt ægritudines,
euacuatio ſanat eas. Si uerò ex humoris ebullitione irritaretur, medicaminibus
Io.de Vico. eam cohercebitis, quibus utebatur magiſter & compater meus Ioannes de Vi-
co Ianuenſis, pro cuius commodo ſi uitam nedum bona mea periculis obiecta
rem, nullam uiderer partem ſuorum erga me meritorum attingere, adeo de me
benè meritus eſt: quem modo neſcio, quis mihi iratum facere nititur, aut con-
tra me inſtigat & ſtimulat. Sed ò tu, qui peſtiferam uocem ore mellito retines,
fruſtra laboras, arenæq; ſemina mandas, non profecturis littora bobus aras. No
ui enim ingenium eius, noui & animi affectiones illius, cum ſit benignus, affabi-
lis & pacificus, nec ſolum amicis, ſed & inimicis liberalis & munificentiſsimus.
Quid ergo tentas? quid conare? quid audes perfida lingua loqui? Tu ne animũ
ab illo meum diuides? an illum à me abſtrahes? Neſcis neſcis peſtifera, perfida,
impia, iniqua, doloſa, putrida, uirulenta, fœtida, cruentaq; lingua, quid tibi pro
tanto ſcelere apponetur? Nonne ſagittæ potẽtes cum carbonibus deſolatorijs?
Nolo equidem in illam inuehi, ne dum maledicta linguæ doloſæ recitabo, ego
quoq; uiderer uelle maledicere, aut eandem imitari, quapropter Deo optimo
maximo relinquo, ipſamq; condono, qui uerè & rectè dijudicabit. Cum ergo
apparuerit eryſipela? ſtatim ipſum unguento roſato illinite, & uulnus quoq; eo
dem illutate, ut ſi qua ex unguentorum mordicatione, aut caliditate, ſæuitia ef-
frenitauit, ſua linitione & frigiditate refrenetur, & comprimatur. Deinde uul-
Sparadrapum heriſipellæ. nus hoc regimine amiciatur, quod tale eſt. Recipe olei roſati omphacini, myr-
tini, ana uncias duas unguenti roſati unciam unam, unguenti populeonis unci-
am ʒ. ceræ albæ uncias tres, & ad ignem omnia ſimul liqueſcant. Quo facto pe-
cia linea, qua caput capillos abraſum tegendum ſit, infundatur, eóque tota ma-
deat, poſtea inde eam eximitote, ac in aquam frigidam proijciatur, ut iterum
congelaſcat, quam digitis pertractabitis, quòd capiti ponenda lenteſcat, ſicq; i-
pſam capiti applicabitis, qua certe ægritudo illa curabitur. Verum unam alterá
eodem unguento fabricabitis, ut illam, quæ manè capiti adhæſit, cum altera no
cturna permutetis. At ſi inciſum fuerit, & os diſcoopertum, maiori diligentia
opus erit, maximè in ſcrutando os detectum, ſciſſum ne ſit, an comminutum.
Quod ſi utrunq; iſtorum abeſſet, nihil aliud eſſet innouandum præter curã uul-
Puluis capitalis. nerum, niſi quòd in oſſe detecto hunc puluerem inſpergetis: Recipe aloës hepa
ticę, ſarcocollę, myrrhę, ana drach. tres thuris drach. j. ʒ. ireos drach. ʒ. & fiat pul
uis ſubtiliſsimus, quo facto utiminor, & curã perſequimini, ſicut cura uulnerũ
perficitur. Cæterùm quum ſciſſum ſit, alia uos cura ſuſcipiat ab antecedentibus
longè diſsimilis. Verum ut uos ipſos certificare de ſciſsione oſsis ualeatis, ſigna
os fractum arguentia pernotabitis.

De ſignis ob capitis fractũ demonſtratiuis. SVnt itaque oſsis fracti ſigna hęc, quæ modo dicimus: ſcilicet Vomitus, Sco-
tomia, Vertigo, Obcęcitas, Caſus, quę omnia intelligunt in actu percuſsiõis:
& aliqando Apoplexia, Stupor, & Febris exoritur cũ rigoribus. Nã ſi ſine rigori
bus febricitaret, nõ multũ eſſet periculoſum, cũ illud cauſetur à cauſa primiti-
ua, quę plerunq; mouet antecedentẽ: cũ impoſsibile ſit percuſsionẽ hanc nõ in
uenire corpus repletũ, aut uacuũ. Nã ſi uacuo corpori huiuſmodi fractio occur
rerit, erit patiẽs abſq; febre. Sin aũt repletũ, & cacochymum occuparet corpus,
nõ ſine periculo debet à medicis iudicari percuſsio, & difficilis curatiõis. Cum
nos doceamur ab Auicenna dicente: Et uulnera quidem, & ulcera omnia peri- „
culoſa ſunt, quæ obuiant ſuperfluitatibus corporis maligni, quamuis etiam pe „
riculoſum ſit in principio infirmum febricitare. Attamẽ eſſet magis ſuſpectum: „
ſi à triduo, aut quatriduo poſt acceptam læſionẽ caloribus eſtuaret febribúſq;
comburere-

comburer etur, quãdo illud à ſanguine putrefacto, & ſub craneo ſuper panicu
lis retẽto ſcaturiret, quod cognoſcitur ex ſymptomatũ incremẽto, licet quoq;
eſſe poſsit circa generationẽ ſaniei. Cum Hippoc. ille in ſuis aphoriſmis aſſerat: Hippoc.
» Circa generationẽ ſaniei, dolores & febres magis accidere, quàm facta ſanie. Ve
rum in hoc accidentia remittuntur, quæ in altero augmentantur. Cum igitur in
die, quo percuſsio facta fuerit, taliſmodi accidentia ſubſequuta fuerint, credere
maximè operæpretium erit fracturã cranei eſſe completam, quam ſi rectè cura-
re uolueritis, hæc uobis ilico ſubijciantur. In primis itaq; cum eo peruentũ fue- De cura fractu
rit, ubi operari uos oportebit, uulnus ipſum amputare figura triangulari, uel or ræ cranei.
thogonaliter, aut crucialiter nõ dubitate, & almocatim ab oſſe remouete. Quo
facto impleatur uulnus plumaceolis albumine oui imbibitis. Verum illi, qui oſ-
ſi adhærebunt, uino calido madeant, ne oui frigiditate commaculetur, & altere
tur: Cum habeamus ab illo ſanctiſsimo Hippocrate: Frigidum inimicum neruis Hippoc.
oſsibus, dentibus, cerebro, ſpinali medullæ: calidum uerò utile & amicum. & i-
deo ab oſſe frigida prohibeantur, ne in tali errore ceſpitemus. Hac deniq; ope-
ratione celebrata, præcipietis infirmum ſic quieſcere, donec alter dies illuxerit,
cui ordinabitis, antequam ab ipſo diſcedatis, regimen, quo ſuam poſsit uitam
degere. Quod ſit panatella, aut farrum ordei, cum lacte amygdalino. Potus ue-
rò ſit aqua cocta, & iſta diæta ſeruetur per quatuor dies. A quatuor uerò diebus
detur loco panatellæ panis brodio pulli imbibitus, aut carnis arietinæ, ne infir-
mus ea diæta multum debilitetur. Sequenti autem die ad eundem reuertimini,
& uulnus detegite. Quo facto benè cauteq; os ipſum ſcrutamini ſpecillo argen
teo, nec adeo groſſo ut rimulam pertranſeat, aut ita tenui, ut commiſſuram in-
grediatur, ipſum ſuper os ducendo, quòd ſi liberè laberetur, à nulláque ſciſſura
moraretur, erit ſignum illæſæ caluariæ manifeſtum, quòd ſi aliquid obſtaret, i-
pſumq; præpediretur, rimulam adeſſe arbitramini. Sed quando de rimulis me-
minerimus, prius ipſas diſtinguere oportere credimus, quàm ipſarum curatio-
nes perſtringamus.

SOlent enim rimulæ capiti humano accidere à re contundente, & incidente De rimulis &
quæ uerò à contuſione manifeſtantur, ſciſſuræ nominandæ ſunt. quæ aũt ab ſciſſuris.
inciſione fiunt, ueræ rimulæ dicuntur, & quælibet ipſarũ aut erit parua, aut ma-
gna, & oblonga. Sed quæ à re contundente proueniunt, aut ſunt ſciſſuræ, aut fra
cturæ cũ oſsis depreſsione, eodemq; modo fiunt à re incidente, maximè ab illa,
cuius acies obtuſa fuerit. Verũ in hoc differunt aliæ ab alijs, quòd illæ, quæ con-
tingunt à cõtuſione, ſemper exiſtimãtur cũ penetratione. Et hoc dico in homi-
nibus, [adultis:] quoniã in pueris, qui nondũ ſeptimũ agunt annum, falleremur,
quãdo iſtud nos experiẽtia docuit. Eſt nanq; ipſorum caluaria non benè adhuc
corroborata. quoniã humiditas in pueris ſuperabũdat ſiccitatẽ, quod non fit il
lis qui ætate adulti ſunt, quorũ prius craneum frangit, ſcinditurq;, quàm cõpri-
matur & plicetur, quare quod pueris accidit frequẽtius, eodem ætate prouecti
homines priuantur. quomodo unaquæq; iſtarũ curanda ſit, ordine dicemus, cũ
intentiones (quæ ſeruandæ erunt uolenti benè recteq; capitis pericula cuſtodi-
re) ſubordinabimus. A quibus cum primum erimus abſoluti, ſpecialem & rimu
læ & ſciſſuræ, cum oſsis depreſsione ſermonem complebimus.

PRæſuppoſito igitur uitæ regimine, intentiones erunt hæ primæ, & princi- Intẽtiones ca-
pales circa membrum curandum. Scilicet ſeruare membri complexio- pitis curatiuæ.
nem, & apoſtemata prohibere, localiá que opportuna adminiſtrare. Con-
ſeruabimus equidem membri complexionem, ipſamq;, ſi collapſa fuerit, recti-
ficabimus cum emplaſtris, ueluti Auicen͂. refert in tertio libro fen prima tracta- Auicen͂.
tu tertio capitulo de plaga & inciſione cutis capitis, ubi ait: Et principium qui-
dem conſiſtit in emplaſtris, & erit eius rectificatio uelociter. Prohibebimus a-
poſtemata, ſi quæ ſuffert ægri diſpoſitio, operabimur, ut præcipitur ab Auicen͂.

ibidem dicente: In cura uerò conſiſtit principium ad prohibendum apoſtema » cùm eo quod tolerat diſpoſitio. Tolerabit hercle diſpoſitio, ſi apoſtematũ cau » ſas intercipiemus.

Cauſæ apoſtematis calidi capitis.

Sunt nempe cauſæ apoſtematis calidi ſi phac res pungens, ideſt, fruſtum oſsis duram matrem pungentis, Grauedo tentarum, Frigus uelamini adueniens, Multitudo cibi & potus, & Res occulta, quam ego intelligo malignitatem maſſæ ſanguineæ, & ſuperfluitates corporis maligni, quas purgando, & phlebotomando decidemus. Purgabitur patiens iuxta urinæ ſignificationẽ, cum illa humoris prędominium ſignificet, ut diximus in cura ulcerum, quando intentiones ponebamus, phlebotomandi uerò duplex eſt intentio, euacuandi ſ. & prohibendi. Sed quando de phlebotomia agimus, hoc quæſo attendite, quod ad maximam infirmi ſalutem facit.

De phlebotomia.

Animaduertite inquã fratres chariſsimi infirmum poſſe ueſtras ſubire manus eodem die, quo uulneratus fuit, uel poſt quartum. Nam à primo die uſq; ad quartum excluſiuè poteſtis phlebotomiam diuerſiuam facere, cum iſtud ſit tempus, quo poteſt materia apoſtemanda fluere. Et hoc efficietis à uena communi brachij oppoſiti, ſed maximè uobis cauendum erit, ne à uocabulo oppoſiti decipiamini, ſicuti alij & parum adepti grammatices decepti ſunt.

Opponere quid?

Cum opponere ſit contrà & ex aduerſo ponere. Contra ponuntur enim, non quæ in eodem latere dextro ponuntur, ſed quæ in ſiniſtro collocantur. Nam quidem corpus humanum erigitur tetragonali figura, quæ eſt quadrilatera, ſed non quadrata, habens angulos rectos, quæ ſic figuratur: cuius diameter eſt ab angulo .a. ad angulum b. & ab angulo c. ad angulum d. Ex quo patet duabus commenſurari diametris. Cuius latera ſunt a. d. & c. b. quæ quidem opponuntur.



Intentiones phlebotomię.

Iſta uerò collocata figura facile eſt uidere, qua ex parte facienda ſit phlebotomia, quæ, ut diximus, duas habet intentiones. ſ. euacuandi & diuertẽdi. Si autem fuerit diuertendi intentio, fiat ex parte aduerſa. Verbi gratia, exiſtente uulnere in parte dextra phlebotometur à parte ſiniſtra, Et ſi in parte ſiniſtra uulneraretur, à dextra fiat phlebotomia, & hoc ſit à uena communi. Si uero intentio extabit euacuãdi, iſtud operabimur à uena, quæ magis illi membro fuerit appropriata, ſicut ſunt uenæ cephalicę utriuſq; manus quæ à capite uacuant. Ob idq; male agunt illi, & perperã ſubdoleq; operantur, qui ſiue unam, ſiue alterã in principio (cum diuertendi ſit intentio) manum phlebotomabunt, euacuant quidem ipſi, & non diuertunt, & per conſequens debilitatum membrum magis debilitant, ad quod tranſmittuntur ſuperfluitates aliorum membrorum, ut Auic. placet.

Auicen.

Certum eſt enim cum primũ uulneratur, membrum debilitari. Quare ſic faciendo aditum apoſtemati prohibendo aperiunt, & cauſæ ſunt mortis infirmi, quod nempe Hebręi doloſe agũt,

Hebræi.

cum nedum aueant Chriſticolas interficere, ſed ſanguinem ipſorum potare, & ſi poſsibile eſſet nomen Chriſtianorum delerent. Quibus non ſolum medendi munere interdicere deberemus, ſed pedibus eos noſtris ſupplantare, atq; in ſeruitutem redigere, ueluti Mauri & Turci faciũt. Si uerò corpus ſit plethoricum, phlebotomiam reiterabitis ex eodem loco, quo prius ſanguinem hauſiſtis. At ſi in emunctorijs fieret apoſtema, ſcilicet ſub aſcellis, auribus, & inguinibus, ut inquit Dinus in capitulo de apoſtematibus exiſtentibus in glandulis, nullo modo phlebotomarem: quoniam nullam inuenio cauſam, qua illud deberem facere. Nam apoſtemata in emunctorijs non poſſunt euenire, niſi ex malignitate membri mandantis: aut ex membrorum uicinantium ſuperfluitate. Si à membro mandante locus apoſtemaretur, phlebotomia non competeret, intromitteremus equidem, quod natura expueret. Sin ex ſuperfluitatibus membrorum

intumeſceret,

intumeſceret,nec ſatis adhuc eſſet ad propoſitum, quoniam ab ignobilibus ad
principale membrum materiam aduocaremus, ſicq́; nocumenta maiora ſeque-
rentur.Necnon prohibemur,ne in emunctorijs materiam repercutiamus. Ve-
rum ſi mihi contingeret, quando cum delitioſis uiuimus hominibus,in quibus
aliquando contra omnes canones & regulas operamur, ut illis gratificemur &
complaceamus, phlebotomarem uenam hepatis. Nihil enim referret, ſi dex-
tram, uel ſiniſtram phlebotomo percuteremus, dummodo apoſtemata ſint in
parte ſuperiori, at ſi in parte infera fuerint, & ab hepate, & à pede partis oppoſi-
tæ poſſet fieri phlebotomia,ſecundum quòd uobis magis uiſum fuerit. Verum
tutius eſſet ab hepate eiuſdem lateris, quàm ſi à pede ſanguinem extrahere-
mus. Eſſet enim periculum, ne in glandoſis carnibus humiditas aliqua re-
tineretur,quæ apoſtema irritaret,ſicut diximus de apoſtematibus. Satis nunc
dictum eſt de phlebotomia, reſtat dicere de localibus, quæ in cura dicen-
tur.Quare accedamus ad cranei curationem,& primo agamus de ſciſſura.

PRiuſquam incipiam cranei curationem,noſtra ſatis intereſſe arbitror, quem *Duo ſunt mo*
uellem ſequi medendi modum dicere: cum apud Auicennam duplicem eſſe *di offenſi capi*
inuenerim. Quorum unus eſt purè humectatiuus,alter uerò deſiccatiuus. At mi- *tis curatiui.*
hi iſtorum neuter diſiunctim complacet. Nam ſi in cōtuſo uulnere humectandi
uia fungerer, putrefactionem quidem extimeſcerem, cum maximè modus ille
humectatiuus faciat ad putredinem. Fit enim oleis & uitellis ouorum, quæ pu-
trefactionem in loco contuſo augent, ille uerò deſiccandi modus, qui fit aqua
uita,& pulueribus ab Auicenna compoſitis in capitulo de inciſione cutis ſupe-
rius allegato,non totus placet. Habet quidem duas partes,quarum una putre-
dinem prohibet,altera certè contuſum non ſeparat. Quapropter ne in alteru-
tram partem inciderem, aut penitus deſiccarem, aut omninò humectarem,ex-
cerpſi ex illis quendam modum & ordinem medendi,qui inter utrunque uer-
ſatur. Retinet profecto humectationem & deſiccationem ſimul & ſemel,cum
medicinæ capitis debeant eſſe actu humectatiuæ,& potentia deſiccatiuæ. Nam
deſiccatione complexionem oſsis & panniculi ſeruamus, & cuſtodimus: cum
Galeno maximè placeat, oſsis complexionem & panniculi ſiccam eſſe. Cum *Gale.*
parua quidem humectatione,ſiquid contuſum,aut laceratum fuerit, digeſtio-
nem procuramus. Et hoc obtinebimus cum mellis roſati colati exhibitione, *De mellis uir*
& aquæ uitæ ſimul cum pulueribus, quæ omnia in cura ordinabimus. Nec *tutibus.*
uos admiremini ſocij,ſicut & quidam admiratus eſt, cum ex me audierat mel
actu humectare,& uirtualiter deſiccare. Materia quidem,ſeu, ut ita dicam,
ſui corpulentia humectat, qualitates uerò ſeu eius uirtutes deſiccant.Nondum
ipſe uoluerat Ariſtotelica uolumina (nec philoſophica principia olfecerat)
qui admiratus eſt. Quoniam ignorantia admirationem facit, ex qua primo
philoſophi cœperunt philoſophari, ut ait Ariſtoteles. Cuius libri ſi lecti fuiſ- *Ariſtot.*
ſent, & maximè ubi elementa docet commiſcere, ex quorum mixtione mel
eſſe huiuſmodi complexionis ac mixtionis comperiretur,ſiquis attentè ipſius
eſſentiam penſiculabit, & authoris uerba trutinabit, quemadmodum facit
tyrunculis philoſophantibus noſter Damianus Siculus, cum in unoquoque
uerbo Ariſtotelico inſiſtat, multúmque colluctetur, obſtruſum authoris ſen-
ſum expiſcari, atque omnibus concinnè enucleare, ac diuidere, ut audien-
tes ulterius non aueant. Qui quidem quantum habet philoſophiæ ac bo-
narum literarum cumuli, tantum & bonorum morum conſuetudinis, & u-
ſus,quem omnes admirari imitaríque debemus,quum credam à natura eſſe geni
tum,ut omnium humanarum actionum maximum ſit hominibus exemplū. Sic
quiſq́; facere debet,qui in Ariſtotelis uerbis,& ſententijs inſudare uoluerit. Nā
ſi tanquam transfuga Ariſtotelica uerba perlectitabit circa illud quod mirum
in modum inuenire cōcupiſcet,hallucinabitur. Quare uos ſcire debetis,me nul

lam aliam medendi uiam ſcripturum eſſe, niſi illam qua ego frequenter utor, & honorem & utilitatem comparo: quam modo ordine deſcribam.

De cura ſciſſuræ.

INuenta igitur ſciſſura ex contuſione facta, hunc ordinem ſeruabitis, cum recte curare uolueritis. Ante omnia conſiderare, nunquid ſit cum cranei depreſſione, an non. Nam ſi cum cranei depreſsione eſſet, totum extraheretur quod comminutum eſſet. Quoniam ſi ibi maneret, apoſtema irritaret, cum eſſe non poſsit quin ſub craneo ſit aliquod oſsis fruſtrum, quod duram matrem pungat. Nec intelligantur illi, qui partem inferam iubent perforari. Non enim cauſam apoſtematis remouent, cum in qualibet parte comminuti poſsit eſſe res pungens, quæ eſt maxima pars apoſtematis. Et ideo ut cauſam apoſtematis effugiamus, totum os contuſum & depreſſum euellamus. Verum ſi ſciſſura erit abſque oſsis depreſsione, non ipſam totam abſcindetis, ſed partem illam, qua ſanies facilius exire poterit, perforabitis. Ad quod quidem patrandum tria habemus inſtrumenta, quorum unum dicitur raſpatorium ſiue carratorium. Alterum uerò dictum eſt terebella, & aliud trapanum. Iſtorum quippe magis dilectum eſt mihi terebella, eò quia plures in eo inuenio utilitates. ſ. facilitatem perforandi, nullum infirmo dolorem excitando, quod cum raſpatorijs non poſſumus effugere, ad hoc etiam idoneam faciendo ſaniei euentationem. Verum hoc unum maximè habet nocumentum, quòd niſi ab idoneo practicó ue homine teneatur, facile cerebrum perforabit. Et hoc erit, ſiquis imprudens motu circulari ſemper perforabit, quod eſſet motu tremulo faciendum, quoniam ſi terebella pertranſiret motu circulari, & matrem duram tangeret, ipſam quidem ſcinderet atque laceraret, quod non accidet tremulo motui, licet tangat duram matrem, punget tantum ipſam, & non perforabit, quare illæſam deſtituet. Et idcirco qui hanc operam exercitaturus erit, manu ſit leuis, conſilio potens & æſtimatione, nec aſſuetus grauia pertractare, ut uineas fodere, aut arbores incidere, uel equos ſtrigile curare. Habent hi quidem manum humoribus grauatam, nec facile ſentiunt oſsis perforationem, ſi terebellæ parum incumberent. Ob idq́ maxima cum diligentia & ſolertia facienda eſt hæc operatio, ne dum uelimus infirmos ſaluare, eoſdem interficiamus. Et ideo aliquantulum operam dabitis, ut benè operari inſpiciatis, quod poſtea tutius ſecuriúſque operabimini. Facta igitur perforatione, citius, ne ab aere ſiphac cerebri alteretur, inſtillabitis tantum mellis roſati colati, quantum ualeat membranam cerebri cooperire. Deinde ſuper infundite aquam uitæ, qua poſsit totum foramen impleri, ad quod ponite tantum iſtius pulueris, quantum poſsit à membranula

Puluis capitalis.

eleuari ad altitudinem unius cultelli, uel ſpagi: Reci. aloes hepaticæ, ſarcocollæ, myrrhæ, ana ʒ.ij. thuris ʒ.j. ſanguinis draconis ʒ.ſ. croci ſcrupu.ſ. miſce, & fiat puluis, quo utamini, ſicut diximus, & hoc ideo facimus, ut panniculi & oſsis complexionem ſeruemus, ex intentione Auiceñ. & Galeni loco ſuperius allegato.

Spongiam eſſe imponedã.

Quibus peractis habeatis ſpongiam marinam, de qua tantum capiatis, quantum ualeat foramen obturare. Quod ego facio duplici cauſa motus: Vna. ſ. ne fiat grauedo tẽtarum cerebro, quoniam cedit ſpongia ipſa diaſtolæ cerebri, quod tentarũm glomeratio non facit, quæ eſt cauſa aliquando apoſtematis. Alia uerò cauſa, ut ſaniem attrahat, ne multum in membranula conſideat, quod poſsit cerebrum alterare, ac etiam ne fiat materiei incarceratio, quod uulgus nominat, materno uocabulo cucumare, quod frequenter euenit iſtis empericis, ac Hebræis. Deinde uulnus impleatur aqua uitæ, & pulueribus cum paucis filectis, ſuper quas ponite unam peciam unguento baſilico ſuperius ordinato illinitam, quæ poſsit medicamina in uulnere retinere. Cum hæc itaque omnia ordine, ut dictum eſt, feceritis, capiti capillos abraſo hoc emplaſtrum ſuperponite: Reci. ca-

Emplaſtrũ capiti imponendum quare?

momillæ, meliloti ana M.iij. myrtillorum M.ij. nucum cupreſsi nuc.xv. roſarum rubearum, abſynthij, ana M.j. farinæ fabarum, farinæ lupinorum, ana unc. iiij.

piſtanda

piſtanda piſtentur ſubtiliter,& bulliant omnia ſimul cum ſapæ & uini ac lixiuij barbitonſoris partibus æqualibus, donec acquirant formam ceroti, ſiue paſtæ. Deinde tepidum in peccia,qua caput tegetur,diſtendite,& capiti ipſum applicate,quod fit multis de cauſis.Primo ut caput confortet cóplexionem ipſius corroborando.Secundo frigus à capite abarceat, aerémque in capite incluſum rectificet.& hoc eſt quando Auicenna dicit,oportet ut uehementer caueatur frigus etiam in æſtate,quoniã in eo eſt timor magnus. Intelligit ut rectificetur aer, ſcilicet qui caput ingreditur hora mutationis, quoniam non datur uacuum in natura,ut philoſophi dicunt.Et non aër rectificetur,qui eſt in tota domo, ſicuti malè ſentiunt iſti qui uolunt practici nominari, atque iſtarum curationum nimis ſatagere uideri.Melius eſſet,tutiúsque operarentur,ſi totius ciuitatis aërem rectificarent,& non cameræ aut domus,cui rectificationi adeò incumbunt,ac ſi pauper patiens peſte aut cauſo laboraret,intentum principale deſerendo. Tertio digeſtionem procuret:Quarto ut attrahat ſaniem,cum primum fuerit generata,& in ſpongia retenta: Quinto ut reſoluat, ut poſsit apoſtemari. Nam multotiens(ut inquit Paulus ab Auicenna citatus)poſt omnium generum ferramentorum operationem ſubſequitur apoſtema:cui obuiabitis, ſi emplaſtrum capiti ſuperponetur,ut patent conſideranti ingredientia. Sicq; curam ipſam perſequemini, donec ad cicatricem fuerit peruentum, ſemper reiterando medicamina, cum defecerint. Verùm quia caro ſolet ultra debitum excreſcere, ipſam comprimetis,& retinebitis alumine rochæ combuſto,ſemper ipſum in circuitu carnis additæ ponendo,& parum ſit:ne poſsit ſua mordicatione dolorem excitare. Quo hercle medendi modo non unum,non duos,ſed centenos homines curaui:inter quos fuit non ſine mortis periculo famulus domini Ioannis Baptiſtæ de Fabijs, in quo Romanorum magnanimitas & animi iocunditas reſidet. Affuit etiam & famulus domini Stephani de Fabijs, in quo ſolum relucet uigetq; Romana eloquentia,ac ſtudium bonarum literarum, necnon conſilij excelſitudo,atque pectoris fortitudo.Inter quos ducerem, ſi mihi colonos dediſſet, dominum Antonium de Frigepanibus,cum fortitudo & liberalitas non rectè ſe habeant abſque iuſtitia & temperantia. eſt enim hic inter iuſtos iuſtiſsimus, intérque temperatos temperatiſsimus. Qui quidem quantum iuſtitia & temperantia,tantundem & conſilio ac literarum ſtudijs potens exiſtit. Súntque & alij innumeri,& maximè quos in hoſpitali ſanctæ Mariæ conſolationis anno à partu uirgineo M.ccccc.xvj. medicatus ſum.Nobiles etiam iſtud teſtificarentur, uerùm ne uiderer uelle me inaniter iactare,potius ſilendum eſſe duxi, quam eorũ nomina citare,quod plerique faciunt cupientes ſuis uerbis fidem adhiberi qualitates hominum citantes,ut cardinalium,principum,regum,imperatorũ, pontificum,omninò humanitates deferentes. nos uerò pauperes citamus humanitatem cum hominum qualitatibus compenſantes, in qua ſi qualitates illæ reducuntur,& principes,reges,imperatores,pontifices curauimus.At quòd iam prę terieram,diligentius attendite,rectéque conſiderate, quam uolueritis rimulam perforare, ne commiſſuram aliquam tetigeritis. Quæ numero quinque ſunt, duæ ſcilicet mendoſæ:cæteræ ueræ commiſſuræ dicuntur. quarum hæc ſunt nomina,uidelicet Coronalis,ab uſu coronæ,& eſt in ſyncipite:Lauda,quæ in occipite,& ſagittalis ſiue diſcriminalis,eò quia eſt ſub capillorum diſcrimine, cuius extrema tangunt utranque commiſſuram, ſcilicet coronalem & laudam. Duæ uerò mendoſæ ſunt laterales,in temporum regionibus collocatæ, quarum ſi utramuis ſciſſura tangeret,maiorem adhiberemus diligentiam, quando rimulæ poſſunt accidere commiſſurę,aut per latitudinem,ita quòd mediam ſecet commiſſuram quatuor rectos angulos conſtituendo, aut per longitudinem. Nam ſi per longitudinem fieret rimula, hinc inde erit perforandum os, ne diſcrimen duræ matris tangatur, cum ſit poſsibile ſanguinem, qui à uenis defluxerit,poſſe

De carne in uulnere addita.

De commiſſuris capitis.

in utraque parte diſcriminis coagulari. nam ſi commiſſuram,in qua dura mater alligatur,limaremus,uel ferreis inſtrumentis laceraremus, ſicuti iſti qui à clitellis ad chirurgiam uenerunt,faciunt,timeremus cerebri ſuffocationem,cum à ſiphac relaxato comprimeretur.Et ne fiat in huiuſmodi loco extendendi operatio, docemur à Cornelio Celſo in capitulo de caluariæ curatione, confeſsione tamen diuini Hippocratis, præcipueque in eo miniſterio, quod utilitatis cauſa poſteris traditur:Qui memoriæ prodidit more magnorum uirorum, & fiduciam magnarum rerum habentium,ſe à futuris eſſe deceptum. quare in commiſſura non operemur,ne eadem ratione decipiamur, qua antea diuus Hippocrates deceptus fuit.At ſi per latitudinem rimula inciderit commiſſuram, perforabitis ex utraque parte diſcriminis rimulam,ſemper tamen præſuppoſito, ne cõmiſſura,uel diſcrimen à perforatione tangatur. Quibus iam peractis foraminibus,curam perficietis modo & ordine, ut ſupra dictum eſt. Hoc idem ſeruabitis in rimula,ſi certi eritis de ipſius penetratione. Si uerò non pertranſierit uitream tabulam,ſed tantum ad os ſpongioſum uenerit,ſolum cum aqua uitæ,& pul ueribus in ipſius curam procedite,quam rimulam poteſtis,ſi uobis placuerit,ra ſpatorijs adæquare,ex quo fiet facilior modus & uia incarnandi. Hæ ſunt quidem regulæ,curæ, & ordines,quibus utor & uſus ſum in capitis læſionibus,quę à cauſa primitiua oriuntur.

Com. Celſus.

Habetis igitur,quod à me tantopere efflagitaſtis, munus mea quidem ſententia prout noſtræ uires ſuffecerunt in tantis mœroribus, ac paternis fraternisq; luctibus recitatum.Quod perinde erit,ut uos ipſum accipietis.Sed uereor ne mihi contingat, uti nuper optimo concionatori ſuam orationem cenſendam,alteri cõmonſtranti accidit.quam cum ille maximus orator audiuiſſet, eamq; ſententijs uarijs grauidam,& ornatam uerborum poſitione, & ſuis locis apte concinnéque digeſtam cognouiſſet, aiunt dixiſſe, huic facundæ & locupleti orationi nihil deeſſe,niſi conſenſum audientium,qui concionem fœlicem & facundam faciunt, quando non omnibus idem ſenſuum iudicium dominetur. BERNARD. Etſi tuam iſtis fictitijs uerbis MARIANE doctrinam,& eloquentiam celare cupis, nos eam tamen mellifluam ducimus, laudamus, & meritò omnes plaudentes extollimus, cum maiora nobis cito præ te fers eſſe daturum.Diſcedamus ergo,nam hora iſta ad cœnam nos hilares conducet. MARIANVS. Valete omnes:quando ego à uinclo ſacramenti, quod uobiſcum contraxi, modò ſolutus ſum,& quoad ualui, fidem præſtiti,nemini amplius obligatus.

Valete.

FINIS.

EXCELLENTISSIMO ARTIVM ET MEDICINAE DOCTORI DOMINO SILVIO LAVRENtio à Portu Caballenſi, Marianus Sanctus Barolitanus medicus S. P. D.

CVM mihi contigiſſet (Silui chariſsime omniúmque diſciplinarum refertiſsime) ab Epidauro, Rhaguſio nunc dicto, maria transfretando, montes aſcendendo, flumina tranando, Peruſiam ſeditionum grauidam commigrare, ibiq; nonnullos meorum præcipuorum amicorum conueniſſem, in quorum numero unus artium & medicinæ doctor excellens magiſter Fabius Francolinus, & alter excellens medicus Nicolaus Antonius Panarellus Monopolitanus, extitêre, qui me maximè rogare cœperunt, cum noſtrum lectitaſſent libellum aureum de lapide à ueſica per inciſionem extrahendo intitulatum, ne ſibi mancus eſſe uideretur, ut, quando mihi uacauerit, etiam de lapide renum, eorúmque curationes pertractare liceret, innui, quando ſatis honeſta uidebatur eorum petitio, multisq; etiam profectura. Inſcripſi tamen ad eorum preces, prout doctrina & experientia mea dictauêre. Quoniam Notandum. ſatis compertum habeo doctrinam ſine experiẽtia mendacium eſſe, & experientiam ſine doctrina fallaciam. Indéque fieri mendaces, qui ſine experientia doctrinam profitentur: & fallaces, qui ſine doctrina experiuntur. Inſcriptum non nulli legêre, & cum legiſſent, animo promulgandum fore conceperant, ne poſteritas hoc munere priuaretur. Cúnque obſtare precibus eorum decreto non potui, exiſtimaui fore corrigendum & emendandum. Et quia tu mihi es tanquam oraculum Apollineum, duxi ad te tranſmittendum eſſe, ut, ubi foret opus aſteriſco feriendo, uel obeliſco percutiendo, feriatur & percutiatur. Nam ſi tua trutina libratum ſtatarij homines legent, deſinent fortaſſe maledicere, niſi innata fuerit illis maledicendi pertinacia. Quamobrem te oro atque obteſtor, mi doctiſsime Silui, ne uelis hoc amicitiæ munus ſpernere, tibi referendas ab alijs gratias ingentes pariturum. Vale, méque ut ſoles, dilige. Venetijs decimo ſexto Kalendas Iunij. M. D. XXXIIII.

SILVIVS LAVRENTIVS A PORTV CABALLENſis, clariſsimo Mariano ſuo Barolitano fœlicitatem D.

REMITTO ad te tuum de lapide renum atq; ueſicæ, Mariane priſcorum medicorum decus, doctum libellum, quem nuperrimè nõ tam cognoſcendi ad me, quàm emendandi cauſa tranſmiſiſti, quem profectò ita, te iubente, quoad uires nõſtræ effunderentur, diligenter ac curatéque, & ſine ulla reprehenſione, ſine ullo aſteriſco, ſine ulla nota percurrimus: & eo quidem libentius hoc ſumus aggreſsi, cum facillimè coniecturam fieri liceat, te hominem eſſe in hiſce tuis ſecretarijs ſcriptis uarium, doctum, multifarium. Tanta enim in eo eſt ſuccoſa rerum cognitio, quantum in nullo apud noſtros noſtri temporis eſſe apertè & conſtantiſsimè cõtenderim. Et ſanè haud obſcurè credimus: quod hæc tua quiſquis attentè legerit, niſi homo omnino ſit nauſeoſus, ſupercilioſus, aut mente corruptus, planè perſpiciet Marianum meum non minus ſcitè quàm graphice de utroque lapide aureum ſcripſiſſe meritò libellum. Qui ſicut uerbo dicitur, ita re ipſa aureus conſpicitur. Nec iniuria ſi Fabius ille Francolinus, & Nicolaus Antonius Monopolitanus, uiri quidem in rep. licteraria non poſtremæ notæ, publicæ utilitati conſulentes non putarunt

opus in abſtruſo habendum, immò te efflictim maturo iudicio, & latiſsima prædicatione ſunt hortati, ut hanc tandem tuam omnifariam & irreprehenſibilem lucubrationem in excuſſoris officinam traderes. ego quoque, quod ad me attinet, ita tua admiror & laudo monumenta literaria, ut ea non modo æterna tui nominis fore confidam, uerùm ſtudioſis & candidis lectoribus mirum in modum continuò profutura. Exeat ergo tandem cum noſtris etiam inuitamentis & fœlici ſidere in lucem precioſus libellus. Nec turbæ metuas Mariane literatiſſime ſubire ronchos. Vale, & tuum Siluium, ut ſoles, ama. Septimo Idus Iulij à Natali Chriſtiano. *M. D. XXXIIII.*

Marcellus Palingenius Stellatus ad Lectorem.

PAeonio tu quiſquis eges medicamine, & optas
  Veſicæ & renum calculus exiliat:
Ecce liber, liber ecce tibi, qui proderit, & te
  Haud mora lætitiæ reſtituet ſolitæ.
Non opus eſt Delphos, Epidauriáue arua requiras,
  Vt quo torqueris, decutias lapidem.
Appulus hoc Marianus aget, qui condidit iſtum,
  Quem ſpectas librum, conſulat ut miſeris.
Nempe bonus, nempe eſt haud paruo dignus honore,
  Qui ſtudet ut miſeris afferat auxilium.
Non ſolum nobis, alijs quoque naſcimur, illum
  Fama canet, multis commoda qui tribuet.
Ergo hic iure liber uitam, laudémque meretur,
  Cuius tanta palàm cernitur utilitas.
Quam prudens lector mercare, & perlege, habebis
  Ingentes paruo diuitias pretio.

Ad Lectorem.

Pagina quid ſapiat breuis hæc, ſi fortè, requiris
  Verſibus en geminis, lector amice damus.
Veſicam, renéſque grauis cui calculus intra eſt,
  Ne pereat, noſtri ſentiet artis opem.

MAGNANIMO AC ILLVSTRI COMITI GVIDONI RANGONO DOMINO SVO DIGNISSIMO MArianus Sanctus Barolitanus artium & medicinæ doctor fœlicitatem exoptat.

QVANTVM pericli ſit, illuſtris ac magnanime Comes, noſtra hac tempeſtate aliorum ſe quenquam iudicijs exponere, non erit difficile cognitu, ſi mores hominum contemplemur, qui fucata magis ſimulatione, quàm libera uiuendi conſuetudine funguntur. Ob idq; à ſcribendi genere penitus diffideram, ne in maledicorum linguas incidiſſem: Quæ ubique locorum non modò pullulant, ſed etiam maledicendi prurigine ſcaturiunt, quod quidem omnibus innoteſcit. Verùm enimuerò cum me abſtinere non ualeam, quãdo plures me amici precibus coegiſſent, ut libellum de lapide renum compilarem, noſtro aureo libello de lapide ueſicæ adiungendum, ac etiam tua illa ampliſsima atq; antiqua heroica propago, cui multum debeo, ad id me capeſcendum adhortaretur ſua claritate, iuſtitia, fortitudine, & liberalitate, animum ad ſcribendum inducens ſpopondi ſedulò me pro uiribus eſſe facturum. Cum mecum ipſe exiſtimarem, honorabilius fore amicorum precibus obtemperare, quàm inuidorum atque hypocritarum ſuſurrationibus tergiuerſari. Cum nemo adeò (meo quidem iudicio) in uita circũſpectus ſit, qui ab iſtorum liuoribus non inficiatur. Ego autem mecum reſipiſcens ſatis laudatum eſſe illum exiſtimaui, qui ueſtri ſplendoris umbra tegeretur. Hac igitur ſpe animatus ad componendum libellum animũ appuli, amicisq; tradidi, traditum promulgandum deſtinauêre. Ego uerò, qui non ſum paſſus, ut ſine patrocinio in urbe Venetijs uagaretur undique maledicis referta, exiſtimaui ſatis corroboratũ in mediũ proſilire, ſi tua benignitate decoratus ab illuſtri ueſtræ proſapiæ ſplendore armaretur, quando cum uerboſis & maledicis, non armis, ſed affabilitate & benignitate ab eo erit dimicandum, quibus iratos atque maledicos deuincire ſoles. Nanque natura ad id te genuit, ut mortalibus fores exemplum dotibus animi, & corporis uiribus. Nam qui ueſtram belligerandi rationem armis æmulari uoluerit, regem aut imperatorem eſſe oporteret, in quibus tantum excellit tua illuſtris magnanimitas conſilio, & animi fortitudine, quantum Sol radians inter planetas erraticos ſplendere uidetur. Quamobrem ſub hac umbra in uulgus prodire uolui. nec propterea me audacem exiſtimari uelim, quando humanitas tua, atque affabilitas ad id patrandum me coegit, ſi hunc paruulum inter ueſtros famulos aſcribendum eſſe iudicaui tuæ ampliſsimæ dignitati dedicatum. Licet enim indignus tanto ſplendore paruulus iſte uideatur, non propterea ſpernendus eſt, cum regij mores ſemper fuerint parua non ſpernere. Quãobrem dignitatem tuam rogo atq; obſecro, ne tali munere dedignetur, cum ubique locorum ac gentium ſuus appellari geſtiam: Cum ea, quæ pollent, uirtute omnes cupiunt ſeſe domino ſuo gratificari. Ego autem cum maximo tenear uinclo ſeruitutis, & aliam non habeam uiam, qua poſsim meam ſeruitutem oſtendere, uolui & uolo iſtum libellum tuæ ampliſsimæ dignitati eſſe dedicatũ, ut dantis animum cognoſcat, quem ſi æquo animo & benigna fronte ſuſceperit (ut ſpero) ad maiora me capeſſenda adhortabitur, illuſtri dignitati ueſtræ obtemperaturum, quam Deus omnium rerum opifex conſeruet, & meliori ſidere ſecundet, ſui Mariani Sancti deuoti non obliuiſcentem. Vale, diúque fœlix uiue.

LIBELLVS DE LAPIDE RENVM MARIANI SANCTI BARO

litani artium & medicinæ doctoris excellentiſsimi
fœliciter incipit.

OMNES HOMINES, QVI RERVM OMNIum eſſentiam complexionemq́ indagare uoluerint, ſumma ope niti deceret, ut compoſitionem eorundem ſolerti indagine inquirerent, inquiſitamq́ diuiderent ad elementa uſq;. Eoq́ modo fierent notæ complexiones, quæ inſurgunt in ea, qua uel elementaria, uel artificioſa compagine corporalis machina conſtrueretur. Quandoquidem cuiuslibet compoſiti ad ſua elementa enodandi duplicem complexionem eſſe comperimus: quarum una dicta eſt complexio prima in ſimplicibus proueniens à mixtione elementorum inter ſe refractorum ſecundum gradum refractionum, quem Deus omnium creator pro uniuſcuiuſque ſpeciei conſtitutione præfixerat. Altera uerò complexio ſecunda, quæ & propria dicitur, proueniens ex partium mixtione, per quam unum ab altero differt propriam ſpeciei differentiam ſuſcipiēs. Cum igitur noſtra inſtitutio ſit, de lapidis generatione cum noſtris ratiocinari, foret neceſſarium de totius corporis humani plaſmatione ſermonem exquiſitum contexere, ut cuiuslibet membri humani, & præſertim renum complexionem indagaremus: ſed quia philoſophicam perſonam magis, quàm medicam induceremur, ad eam partem deueniendum eſſe cenſuimus, quæ tantum ad medicum pertinere uideatur pro huius curatione affectionis corporis humani, ſupponendo complexionem humani corporis huius, uel talis ſua natiuitate, methodo tali conſtitutam, pro conſeruanda nutriendáque ſanitate, quæ ſi infrà uel ultrà ſuæ terminationis gradum uagaretur, affectiones malas corporis generaret: quemadmodum alterata renum complexio generat aliquando arenulas, aliquando lapidem, de quibus erit noſtra ad præſens ſermocinatio. Veruntamen, quid ſint arenulæ, prius erit à nobis diffiniendum, deinceps quid lapis, ut intelligatur, de quo ſit noſtra inſtitutio. Quandoquidem, non quod alij dixerunt, aggregabo, ut grande aliquid feciſſe uidear, ſed quod operatus ſum, & operor, breuiter deſcribam. Nec ideo reprehenſione dignus ero, cum tot ſint ſimplicia, & compoſita, non tantum ab Auicenna, ſed etiam à doctiſsimo Galeno pro huius moleſtiſsimæ ægritudinis remedio numerata, quod mihi tam pauca ſcribere libuerit. Non enim aliam ob cauſam id feci: ſed pertæſus infirmorum pericula & remediorum confuſionem adinuicem contrariorum, uolui longam eorundem ſeriem cum paucorum probatorum utilitate compenſare pro renalis lapidis eductione. Vnde ſic anatomia renum relicta, quando in ipſis inciſionem fugimus propter pericula & ſæua accidentia, quæ in operatione ſolent accidere, exordiamur ab arenularum tantum generatione, quæ ſunt materia non ſolũ renalis lapidis, ſed etiam ueſicalis, ut infrà dicetur.

Complexio prima. *Secunda.*

Arenulæ qd. SVnt enim arenulæ corpora quædam arida parua, quæ ab hærendo, uel arendo dictæ ſunt, ex caliditate ſuperflua renum, & phlegmatis aduſtione in humano corpore genita in renibus, uel uijs renum, quæ emulgentes dicuntur, ortum habentes à uena caua, quarum quælibet ad renum concauitatem protenditur à parte ſuperiori, à parte uerò inferiori ueſicam uerſus oriuntur duo pori uritides dicti, qui ad ueſicam terminantur. Quemadmodum dicetur in anatomia

mia

mia ueſicæ,ubi inciſióne opus erit. Dictæ autem arenulæ ſunt à ſimilitudine,quã cum maritimis arenulis habent. Nulla eſſet enimuerò nominum ægritudinis diuerſitas,niſi uno ſeptem modorum unaquæque appellaretur,quos primi inuentores ægritudinibus nominandis impoſuère, ſcilicet à membro, ab accidente,à cauſis,à ſimilitudine, à curatore,ab eo qui talem primum paſſus ſit ægritudinẽ, à ſui ſubſtantia & eſſentia, ut refert Auicenna in fen. 2. primi libri doctrina prima capite octauo: accipiens quidem à ſuo doctiſsimo præceptore Galeno in 2. Therapeuticæ, ubi omnia facundiſsimè recitat,tanquam docens,non autem aggregans,ut Auicenna fecit. Et quoniam nihil, quod præter naturam eſt in corpore humano fit abſque cauſa,ut Galenus primo Therapeuticæ aſſerit, iccirco earum cauſas inquiramus,quæ & quot ſint. Quarum eſſe dicimus materiam,& efficientem, ut placuit etiam Auicennæ in tertio libro fen. 18. capite de lapide renum dicenti,lapidis generationem non compleri, niſi ex materia patiente, & uirtute agente. Materia uerò bipartita eſt, in propinquam ſcilicet & remotam. Propinqua autem earum patiens eſt humiditas uiſcoſa phlegmatis, aut ſaniei aut ſanguinis aggregati in apoſtemate. Veruntamen ab hoc raro fit, ut eidem Auicennæ placuit, accipienti fortaſſe à Galeno in 14. Therapeuticæ dicente:

„ Ad eundem modum & calculi generantur in renibus, aſſo ſcilicet in his craſſo

„ glutinoſóque ſucco. Remota uerò propinquam conſeruans, ſunt cibi & potus phlegmatis generatiui, circa quorum emendationem maximè erit inuigilandum. quandoquidem quicquid erit cauſa cauſæ,erit etiam cauſa cauſati, maximéque ſi complexio hepatis ad hoc etiam iuuerit. Non enim tantum opinamur eſſe credendum,ut contrarium generare non poſſe arbitremur, ut Auicenna in capite de qualitate generationis humoris dicit. Neque oportet ut ſit credulitas, quod omnis complexio ſibi generat ſimile,& non ſui contrarium per accidens, licet non ſit per eſſentiam. complexioni enim multotiens accidit, ut contrarium generet. frigida nanque complexio & ſicca, plerunque generat humiditatem extraneam, non propter conuenientiam, ſed propter digeſtiuæ debilitatem. ideóque aſtu cauendum erit ab ijs,quæ cauſa huius humiditatis groſſæ uiſcoſæ phlegmatis eſſe poterint, quales ſunt cibi lactarij, recénsque caſeus,& carnes groſſæ,& præſertim magni corporis, quales dicimus eſſe bouinas, uaccinas, bubalinas, hircinas, caprinas, porcinas: nec non aues paluſtres,& ſylueſtrium animalium ſuccos groſſos, quales fiunt ex ceruis: nonnulláque alia animalia, quę humano eſuiſſe pabulis non ex natura, ſed ex hominum ſurcoſitate exhibuere. Accedunt etiam & piſces omnes præſertim ſquammis carentes, quorum ſucci multas ægritudinum ſpecies fouent. Quod animaduertentes ueteris legis fautores, in quorum tutela populus duræ ceruicis extiterat, ne talium eſu corrumperetur ſub titulo pœnæ omnipotentis Dei indignationis tulerunt eſſe omnimodo à talibus abſtinendum. Subſequuntur nonnulla olera, quorum ſuccus poteſt ſanguinem uel ingroſſare, uel adurere: qualia ſunt cæpe, allia, porri, eruca, ſinapi, lactuca,& atriplex, & piperata omnia, &c. id genus, cauſæ humorum adurendorum. Quid dicam de pane nedum crudo, uerùm etiam & azymo? de paſtillis? de farinacea ptiſana? de fructibus acetoſis difficilis digeſtionis, & malichymi? & de malis immaturis? & de nauſeatiua repletione? cauſis quidem malorum crudorúm ue humorum generandorum, nedum in pueris, ſed etiam in iuuenibus & ſenibus. Quid nam de aquis turbidis & groſsis? quid de uino nigro & groſſo? præſertim debili exiſtente digeſtione propter debilitatem uirtutis digeſtiuæ: & propter multitudinem eius quod ſumitur, & deſtruit uirtutem: & propter malitiam ordinis, & exercitij ſuper repletione. Quid de mutata & prandendi & cœnandi conſuetudine dicam? cum conſuetudo ſit in nobis altera natura: Cumq; maximum periculum, & nocumentum immineat illis, qui prandere & cœnare in die aſſueti ſint,& non prandent. Non enim natura

Arenulę unde

Arenularum cauſæ.

repentinas atq; inſtantaneas ſuſtinet alterationes, quod facilè eſt comprehendi,
Hippocrates. ut Hippocrates refert in ſecundo regiminis acutorum. Mala nanq; diæta cibi &
potus, quæ ſecundum ſimile fit, ſecurior eſt in omni tempore tueri ſanitatem,
quàm ea quæ melior eſt, ſi in ea mutatio ſubito fiat. Deficerent nempe, ſi à ſolito
Hippocrates. uſu in alium ſubitò traducerentur: ut placet Hippocrati in eodem libro dicenti:
Qui ſemel uel bis in die ſumere cibum conſueuêre, ſi à ſolito uſu in alium ſubi- »
tò mutentur, nocumentum eis generat & defectionem: quibus autem non eſt
conſuetudo prandere & prandent, mox deficiunt & grauantur corpora eo-
rum, ac torpent atq; molleſcunt, ſi cœnant, poſt eructuant acidum. Alij autem
ſunt, qui naturæ mollitiem patiuntur, propterea quòd ſtomachus eorum con-
tra curſum ſuæ naturæ grauatur, cui uidelicet exinanitio fuerit aſſueta, non au-
tem bis impleri, & bis digerere poſſunt in die. Similiter autem, & qui bis in die
comedere conſueuêre, ſi prandium dimiſerint, corpora eorum in ſe deficiunt, at
que ab omni opere exeunt, præcordia dolent, adeò ut eorum uiſcera ſibi ſuſpen
ſa uideantur, urina cholerica, uiridisq; coloris, ſtercus incenſum. Quidam au-
tem oris amaritudinem, oculos obductos, tempora formicantia, frigidos ſenti-
unt articulos. Quæ accidentia, ſiquidem etiam ſanis contingunt ex mutatione
diætæ diei mediæ, in contrarium quàm ſolebant, iuſtum eſt apud me, ut nequic
quam in ægritudine ſubiungatur, aut ſubtrahatur, multáque alia, ut diximus in
commento de caluariæ curatione, in capitulo de ordinanda diæta, ad quod re-
currere poteritis, ſi in eo indigueritis. Indéque patet quàm ſit erronea phyſico-
rum præceptio aſſuetam & prandendi & cœnandi conſuetudinem immutare.
Quæ quidem omnia ſunt quandoque materia, ſanies ulcerum in renibus, aut a-
lijs, & præſertim ſi retentor materiei in renibus exiſtens, eſſet debilitas uirtutis
expulſiuæ, propter complexionem, aut apoſtema calidum, & eryſipelas, & ulce
ra in renibus: aut conſtrictio, & retinerentur in eis ſuperfluitates reſidentes om-
nis aquoſitatis, quæ prouenit ad eos, & quicquid eſſe poterit phlegmaticorum
humorum cauſa generandorum ſicut legumina ferè omnia.

Virtus arenu- larũ efficiens. VIrtus uerò agens eſt caliditas egreſſa ab æqualitate, quapropter renũ tem-
peramentum diſproportionatur ab ea quæ eſt ſecundum naturam conſi-
ſtentia. Quandoquidem ſit oſtenſum à Galeno in primo Therapeuticæ, Vnam
quanque rerum talèm eſſe, qualis eſt propter calidi, frigidi, humidi & ſicci tem-
Caliditas ab æqualitate egreditur duobus modis. peramentum. Verùm enimuerò caliditatem ab æqualitate egredi duobus
quidem modis contingere poterit. Primo enim ſi aliquis gradus caliditatis
ultra renum caliditatis temperamentum adderetur, ab æqualitate egredi di-
Primo. ceretur caliditas renalis propter uehementiam caliditatis ſibi additæ. Iſte ue-
rò caliditatis exceſſus, aut eſt ſeparabilis, aut inſeparabilis. Si autem inſeparabi-
lis fuerit, illud erit à principijs intraneis naturalibus ſibi coæuis, qui curationem
minimè recipit. Si uerò ſeparabilis, dicetur caliditas accidentalis, aut propter
intemperatum aeris calorem, aut propter laborem, aut propter acceptionẽ ca-
lefacientis, aut propter oppilationem ſuperfluitatũ aggregatarum, aut propter
frigus conſtringens per antiperiſtaſim dictam per contraoperantiam, aut apo-
ſtemata oppilantia frigida & dura, aut propter comitatem [uicinitatẽ] membro
rum propinquorũ, ſicut inteſtinorum & aliorũ, aut propter renũ complexionẽ
ex qua in eis accidit oppilatio: & deniq; omne inordinatũ exercitiũ, præſertim
Secundo. quando cum eo inordinata fames toleratur. Secundo modo fit per ſubtractio
nem gradus caliditatis, & hoc quidem dupliciter contingere uidetur. Aut enim
ex ſe, ſcilicet à proprijs principijs naturalibus intrinſecis obtunditur caliditas.
Aut frigiditas maiorem ſuper caliditatem habet proportionem, unde appare-
bit caliditatem diminui, non quòd diminuatur, ſed quia ſuum contrarium ei do
minetur per qualitatẽ, quam ex membrorum propinquorum comitate nanci-
ſcitur. Sicq; erunt duæ uirtutes agentes, caliditas & frigiditas. Si enim frigiditas

in

in congelando non ageret,& caliditas in exiccando ocioſa eſſet, per temperamentum nempe qualitatis caliditas ſuperbundans dicetur agere, à quo etiam & complexio calida nominabitur,quæ ſi ſola uagaretur, compoſiti molem exurgeret. Eodémque modo frigiditas ſuper temperamentum qualitatum abundans aget,& complexio frigida perhibebitur,non quòd in tali complexione extincta ſit omninò caliditas,ſed quòd à minori proportione inæqualitatis ipſius appellatio non fiat. Nullum eſſet corpus phlegmaticum uiuens,ſi remiſſa caliditas in contraoperando uitalem ſpiritum non foueret, frigiditate uigorem uiuidum ſuffocante.Nec eſſet opus calidũ uiuens,ni frigiditas contraoperaretur caliditatis actionibus refrigerandam animam ſuffocantibus, quando inter ſe contrariæ ſunt, & quicquid de uno dicitur,& de reliquo dici neceſſum eſt. Si enim caliditas eſſet datrix formarum,& frigiditas etiam. Non enim caliditas eſt datrix formarum, ut quidam ſentiunt, ſed uirtus informatrix calido frigefacto & frigido calefacto tanquam ſuis inſtrumentis potioribus utens ijs effigiandam formam cælare aſſueſcit. Præterea non eſſent duæ qualitates actiuæ, ſi unius effectus ab alterius effectu non reprimeretur. Veruntamen non uno & eodem modo,& ſecundum præſuppoſitam materiam unum congelaret,& alterum deſiccaret. Nam caliditas indurando congregat homogenea ipſorum heterogeneum ſegregando, uel exiccando. Frigiditas autem non tantum homogenea, ſed etiam heterogenea congregat, non exiccando & diuidendo, ſed congelando, quod quidem mihi aſtipulari uidetur Ariſtoteles in ſecundo generationis Ariſtoteles.
» & corruptionis, dicens: Calidum enim id eſt, quod congregat cognata. Nam diſgregare, quod quidem ignem facere autumant, eſt congregare cognata, cui accidit alienigena expellere. Frigidum uerò id eſt, quod coniungit, & congregat ſimiliter & cognata & alienigena, &c. Hæc fortaſſe aliquibus abſurda, & rationis expertia uidebuntur, niſi terminos calidum & frigidum benè ruminauerint, maximéque ſi inſueti fuerint talia audire, uti recitat Ariſtoles in fine
» ſecundi metaphyſices, dicens: Contingunt autem auditiones ſecundum con-
» ſuetudinem entibus. Nam ut conſueuimus, ita dignamur dici ,& quæ præter ea
» non ſimilia uidentur, ſed præter conſuetudinem, minus nota, & magis extra-
» nea. Nam conſuetum notius, &c. Si enim hæc abſurda dicunt ſenſibus apparentia, abſurdiora etiã eſſe confitebuntur. Si quis diceret imaginatiuam uno & eodem tempore, uel inſtanti, & eodem membro contraria ſimul & ſemel imaginari, in actu uerò poni non poſſe, non ratione agentis, ſed ratione inſtrumenti, cuius operatio ad unum oppoſitorum uel contrariorum inclinatur. Apparet enim ex uirtute motiua duos eſſe contrarios motus ipſius manus, ſi unus digitus eleuaretur, alter uerò deprimeretur, uno & eodem momento factos. Vnde ſequitur animam moueri motibus contrarijs ſenſibus alligatam. Indéque fiunt impoſsibilia nedum medico, ſed etiam philoſopho, quæ naturæ ſunt poſſibilia, cum non poſsint imaginari per quæ media impoſsibilia nobis uiſa operetur natura, quæ nobis inſenſibilia fiunt. Quando modis, & terminis id exprimendi careamus,ſenſibus alligati. Ideóque frigiditas lapidis crementum operatur congelando: caliditas uerò in renibus, humiditate phlegmatis conſumpta,generat exiccando arenulas aliquando albas, nonnunquam citrinas, & interdum rubeas, ſubrubeáſque ad nigredinem tendentes. Inſurgunt quippe colores iſti ex uarietate graduum caliditatis,non autem à loco, uel materia,ut nõnulli dixerunt. Quòd quidem minimè latet Alchymiſtas, qui die noctúque inuigilant ignem ipſum temperare, adeoq; operę incumbunt,ut magis ſeſe transformari ſentiant,quàm illud elixir punctuale,per quod forma introducitur ſuppoſitæ materiæ,nanciſcantur,ſeq; ſuamq; fortunam incuſantes, ſi paululum uigiles à ſomno corriperentur, præſertim cum uideant ſe in fine operis eſſe deceptos,idque non ignorantiæ,ſed ignis actioni attribuere, aut quia lentus fuit, & Elexir.

non benè decoxit, ideo non fuit benè coloratus: uel quia parum magis fortificatus, croceum uel rubeum elixir colorauit: uel quia fortis ignis arſum, & ſubnigrum potius quàm temperatum reddidit. ſicq; nunquam excuſatione uacat, qua non tantum alios auaritiæ inhiantes, ueluti guloſos, qui antequam ſol & natura delectabiles fructus ſuo tempore producant, auidè inhiant, ſed etiam ſeipſos operam & oleum perdentes decipiunt. Dimittamus igitur uentoſos homines, & ad noſtrum propoſitum accedamus.

Cum ergo humiditas phlegmatis à calore conſumpta fuerit, remanet illa terrea materia tali affecta qualitate, ut regreſſum ad humiditatem amplius habere non ualeat. quæ ſi caſu aliquo ab humiditate uiſcoſa conglobata fuerit, lapis in renibus agglutinaretur, quãdo res arida & ſicca nunquam in unum compingeretur, niſi cum humiditate aſſociaretur. Latè quidem patêre exiſtimo, ſi terram frigidam & ſiccam, cum aqua frigida & humida, uel cum uino calido & humido temperatam inſpiceremus, non à calido uel frigido, ſed ab humido in globum aceruatam diceremus. Quæ quidem arenulæ, ſi in ueſicam ab emulgentibus, & renibus per poros uritides laberentur, in maiorem lapidem glomerarentur. Vnde notum eſt arenulas in renibus generari, & in ueſica in magnum lapidem cumulari ab ipſa frigiditate agente, uiſcoſitate ipſa cooperante: cum proprium ſit calidi à ſiccitate corroborati, & frigidi humiditati aſſociati congelare. Ea enim quæ à caliditate & ſiccitate congregãtur, à frigido & humido diſſoluuntur. Et quæ à frigiditate, & humiditate erunt concreta, à caliditate & ſiccitate liqueſcent. Ex quo ſequitur, uno medicamine lapidem poſſe educi, ſolui uerò non poſſe, cũ qualitates contrarias in ſe retinere non ualeat, licet ex ſimplicibus contrarijs unũ conficiatur: tamen cum miſcentur & componuntur, ita ut uniantur & adueniat eis cõmixtio, aduenit complexio ſecunda compoſito medicamini, per quam operatur in ægritudinem, ut Auic. placet. ergo diligens ſit medicus, qui lithiaſim curare uoluerit, ut omni ſolertia inquirat, lapis ne à caliditate, an à frigiditate indureſcat? Satis quidem hoc manifeſtabitur, ſi ſolerti indagine corporis habitudinem, & eiuſdem urinam inſpexerit. Nam ſi patiens erit bonæ habitudinis, & in colore debitæ coloratus, & urina eius erit colorata aliquo colore, qui à ſanguine & ſpeciebus choleræ, cum quibus ſtat uita humana, coloratur, & ſedimen eius non multũ in matula deſcenderit, & arenulæ rubeæ, uel croceæ apparuerint, liberè ratiocinari poteris, lapidem in tali à calido & ſicco in renibus generari. Sin autẽ contraria ſigna habitudinis extiterint, & urinæ ſigna ſuper frigiditatem atteſtantia, & ſedimẽ erit groſſum, & uiſcoſum uel mucoſum, non dubites prognoſticare à frigido & humido lapidem ipſum in ueſica augeri. Hinc operæprecium eſt uidere pleroſq; homines, qui falſo medici nomine funguntur, quàmplurimos quorũ credulitatis me maximè tædet, ſæuorũ accidentium irritamenti corporis affligendi, promiſſione quadam frangendi lapidem in ueſica cum ijs, quæ inglutiuntur, ad Acheronta miſerrimè credulos tranſmittere, nulla congelati lapidis conſideratione habita. Sunt autẽ hi, qui nõ rationibus & experientijs, quæ nempe fidem inuentis faciũt, ſed auiditate nummorũ ad id perpetrandũ excitantur, hoſtes generis humani pernicioſiſſimi. At qui lapidem renalẽ facilè patiũtur, ſunt pingues, tum propter uiſcoſi nutrimenti ſuperfluitatẽ, tum etiã propter meatuũ conſtrictionem à partium inhærentia cauſatam: eoſq; ſubſequũtur tenues & macri, propter caliditatis exceſſum à nimia ſiccitate contenti. Hi aũt magis lithiaſi mente & corpore in ueſica, quàm in renibus cruciantur, quamuis urinam groſsiorem, & plurimam mingant à naturæ ſiccitate. Ex his igitur colligimus lapidẽ eſſe arenularum glomerationem in corpus durum conuerſam, uel à caliditate ab æqualite egreſſa cum humiditate concoctam, uel à frigiditate cum humiditate uiſcoſa compactam. Qui quidem duplex eſt, alter renalis, alter uerò ueſicalis, denominationẽ ſuſcipientes à loco, ubi

Lapis quomodo agglutinatur.

Generatio lapidis à calido & ſicco.

Generatio lapidis à frigido & humido.

Qui facile lapidem patiuntur.

Lapis quid.

Duplex lapis.

ubi plurimum generantur. Quamuis etiam in alijs corporis particulis generetur, uerùm inter ſe non parum differunt. Eſt enim renalis lentor parumper, & minor, propter loci conſtrictionem, & magis ad rubedinem declinat, propter caliditatis fixionem. Veſicalis autem eſt durior & maior propter loci capacitatem, decliuis magis ad nigredinem, præſertim ſi caliditas non erit æquè ſufficiens humiditatem ipſam exiccare, ut patet in lignis humidis ab igne urendis, & etiam ad citrinitatem luteum colorem dictam, propter maiorem humidi exiccationem à calido factam, & ad albedinem, propter frigidi coagulationem, & ſecundum gradum actionis, aut mollior uel durior compingetur. Non eſt hic modò locus diſcuſsionis, ſit ne morbus, an morbi cauſa lapis in renibus, uel in ueſica, cum ad ipſius curationem intendamus. Sæpe enim curatores morbi, & cauſæ morbi onus ſuſcipiunt, ut ad priſtinam ſanitatem dignus miſeratione ægrotus reducatur. Huic etiam conſiderationi annecteretur ſit ne hæreditarius, cum plerique omnes conueniant dicere, omnia orta ſua atteſtari principia. nec dicam quid in quadripartito Ptolemæus referat, quando mathematicè dem onſtret, plerumque filium patris fortunam fore ſecuturum. Quapropter hæc omnia poſtponentes, ne noſtræ longæ ſermocinationis faſtiditos tæderet, ad ipſius curationem accedamus.

Lapis renalis. Lapis ueſicalis. Dubitatio.

VErùm prius nonnulla ſigna, quæ ipſius generationem in renibus, ac eiuſdem fixionem ſignificant, enumeremus, ad hoc ut ſit factu facile uel præſeruare, uel affectionem ipſam emendare. Tunc enim præſeruatione à renum lapide opus eſt, ſi querulans in regione dextra uel ſiniſtra renum pruritum obtuſum ſenſerit, & manu diſtinguere (ſi forſan palpitauerit) neſcierit, ubi nam illa fiat iectigatio, quæ in pruritu ſentitur. Quæ ſunt quidem ſigna lapidis renalis generandi. Hæc eadem ſubſequitur lumborum grauitas in eis, qui cum geniculati fuerint, in ſe erigendo dolorem paruum ſentiunt. Fixus dolor cum punctura paruum locum occupans, & in iunctura lumborum grauitas, præſertim in oſſe alchatim, generatum lapidem in renibus manifeſtè arguunt: & maximè ſi crurium, ac etiam pedum, nedum digitorum formicans dormitatio, ab alijs ſtupor dicta, præceſſerit. At ſi frequenter querulis lamentationibus patientem lamentari ſenſeris: & aliquando eundem uomere, propter ſtomachi, & diaphragmatis colligantiam uideris: maximéque ſi eidem ilia dolerent, eundem pati renalem lapidem tutò ariolari poteris. Et maximè ſi arenulæ in matulam cum lotio defluxerint, per quas diſtinguitur à cholica, in qua non ſolent arenulæ apparere. Reſtat etiam unum animaduerſione dignum, quod affectio iſta paroxyſmalis dicitur, ut Auicennę placuit, & à paroxyſmo ad paroxyſmum intermediat aliquando menſis unus, interdum quatuor, nonnunquam integer annus, ſecundum quod tardius, aut celerius lapis ipſe conglobatur. Qui quidem inſurgit tali aliquando celeritate, ut mori patiens præ dolore, qui à generatione lapidis ſtantis in aliquo meatu urinæ accidit, ſubitò uideatur. Quemadmodum mihi olim Rhaguſij arenulis, lapillis, podagris, chiragris, & arthriticis doloribus, non dico Gallicis, referto contigit, ut quaſi mori uiderer, quod adeò præſto fuit, ut uix tempus fuerit meum puluerem ſumendi, præſidio atque ſubſidio cuius liberatus fui, qui tantæ operationis eſt, ut ſi non una die, ſaltem in tribus diebus à languore patiẽs cũ lapidis extractione liberetur. Quem peculiarem habet excellẽs ac ſtrenuiſsimus capitaneus dominus Antonius Rincon cubicularius, & Chriſtianiſsimi regis cõſiliarius de Germola & Petralata dominus, cui plurimum debeo tum propter ſingularem ipſius uirtutem & animi conſtantiam, quibus alijs procellere uidetur. Iſtæc miſſa faciam, quando cui plurimum debeas, tacere me hercle ſatius eſſet, quàm de eo pauca dicere, ob idq; ad lapidis renalis curationem accedamus.

Signa lapidis renalis.

Diuiſio curæ lapidis renalis

CVra quidem omnis renalis lapidis duplici diuiditur conſideratione, præſer
uatiua ſcilicet & curatiua. Præſeruabimus equidem ab arenularum genera
tione cruciandum, ſi ſex rerum non naturaliũ regimen[cauſæ]præcedenti con-
trarium eidem ordinabimus non ſolum in quantitate, ſed etiã in qualitate, præ-
ſertim uirtute digeſtiua ſtomachi debili exiſtente. Quandoquidem ſupra cau-
ſam eſſe diximus cibos, quorum ſuccus habet humiditatem uiſcoſam & groſ-
ſam generare. quo facto, eò conſiderationis deueniendum erit, ut id euacuetur,
quod in uijs renum exiſtens cauſa eſſe poſsit lapidis generandi, idq; maximè eui
tabimus, ſi hunc ſyrupum utendũ receptabimus illi, cuius arenularũ generatio
fuerit à caliditate, quo ego utor, & uſus ſum cum maxima infirmorum utilitate,
Syrupus. cuius recepta talis eſt: R. ſy. endiuiæ, acetoſi, nenufarini, ana unc. ſ. aquarum fœ-
Galenus. niculi, endiuiæ, ana unc. j. & ſ. miſce, & capiat. quem nos collegimus à Galeno
in eo, qui de cura lapidis inſcribitur, libro, dicente: Et ad ultimum quando inue »
nitur in acuitate complexionis, exquirat ſtudium in infrigidando, ſumat hunc »
ſyrupum, ſiue medicinas in aqua, quam narraui, & utatur ſyrupo de endiuia, &
Vnctio renũ. ſyr. acetoſo, & ſy. nenufarino, &c. partes renum inungendo unguento roſaceo,
uel infrigidante Galeni, ut caliditas renalis refrenetur. Quando omne agens in
contrarium ſuum agendo repatiatur, uel in ſe remittendo, uel ſuam operationẽ,
Vſus theriacę. quam nos effectum dicimus, tardius inducendo. Si uerò à frigiditate cognoue-
rit earum eſſe generationem, exhibeat theriacæ magnæ drach. j. ſyr. de cortici-
bus citri unc. j. aquæ calefactæ unc. j. & ſ. uel duas, in modum ſy. calefacti, quem
Galenus. ego à Galeno didici in eodem loco dicente: Quando ergo uehemens ſit frigus „
aeris, & figitur hyems, accipiat de theriaca magna omnibus decẽ diebus drach. „
j. cum tanto aquæ calefactæ, quantum capiat os ſemel, permixto ei de ſyrupo „
de corticibus citri. Et quando poſsibile eſt, ut utatur cibario facto ex olere urti
cæ, fiat ei cibarium oleum decoctum factum cum carne hœdi uel leporis, quod
ſumat in principio ſuæ comeſtionis. Hoc regimen ſufficit ad auferendas cauſas
huiuſmodi accidentis, præſertim ſi aliquod materiei in renibus, uel in uijs me-
dijs reſidentis eductiuum propinabimus, quale dicimus caſsiæ nouiter extractę
per ſetam drach. vj. benedictę drach. iij. aquarum fœniculi, plantaginis, añ unc.
j. aſparagorum unc. ij. & fiat potus: quem patiens capiat in media nocte aliquan
tulum impranſus, & ſuperdormiat. Quandoquidem priuatio illius, cuius præ-
ſentia cauſam morbi generat, ſit non tantum cauſæ, ſed quicquid inde oriundũ
ſit, curatio. Curationem modò dicimus materialis cauſæ lapidis, & efficientis
prohibitionem, in eo quod poſsibile eſt ſuccis mutatis, & qualitatibus altera-
tis. Multa quidem primo poſsibilia, & factu facilia ſunt, quæ poſtmodũ impoſsi
bilia & curatu difficilia exiſtunt. Indéque ortum eſt illud tam frequenter dictũ.
Principijs obſta, ſerò medicina paratur. Cum mala per longas conualuêre mo »
ras. Ah quàm facile prouideretur, ſi principijs lepræ confirmandæ, & cancri, &
podagræ inſtitiſſemus qualitates membrorum accidentales, & nutrientium ſuc
coſitates contrarias inducendo, non propterea totius machinæ complexio na-
turalis mutaretur, quamuis accidentaliter mutata dicatur. Nequeo imaginari
qualitates membrorũ ſimilium partiũ, & organorũ, quæ ex elementorũ mixtio
ne in plaſmatione inſurgunt, (ex quibus dicta eſt animati corporis complexio
propria calida, uel frigida, aut humida, uel ſicca) poſſe permutari machina non
deſtructa. Accidentaliter mutata, & non eſſentialiter apparent. Vtinam hoc eſ-
ſet medicis conceſſum. Nam indiuiduum hominem perpetuaremus, quando
mors naturalis nil aliud ſit, meo quidem iudicio, quàm propriæ ſimilium parti-
um, & organorum qualitates corruptæ. Ex quibus tam artificioſa & admiranda
humana moles animæ rationalis organica deſtrueretur. Satis quidem hucuſque
euagati ſumus, redeundum igitur eſt ad id, quod erat nobis inſtitutum.

Curabimus

CVrabimus nempe renalis lapidis affectum,ſi dolorem mitigando lapidem
medicamine quodam à renibus foras excutiemus, qui aliquando tantum
dolorem ſubito excitat,ut patiens ueſania quadam animatus frequenter quæri
tet,quomodo ſanguinolenta manu ipſum extrahere poſsit, quando ſe tantum
ſentiat cruciari doloribus, qui à partium diuiſione,quam lapis foras exiturus
cauſat,querulis lamentationibus atq; altis è corde ſuſpirijs animam quaſi à cor
pore euellentibus multiplicatur:quando hi non ſolum tanquam accidẽtia, ſed
ueluti crudeliſsimus inimicus proſternendæ uirtuti atrociter immineant,uti re
citat Gal. Canonem Alguazir Albulezor afferens in eodem dicens: Acciden- Gal.
» tia,à quibus conuenientius eſt cauere, & à quorum tractatione cautela eſt adhi
» benda,ſunt dolores propter timorem,qui eſt in eis.Debilior nanq; eorum pro-
» ſternit uirtutem,& ſoluit inter hominem & inter ſuas ſalutes.Et ipſi quidem nõ
» ſunt,ſicut accidentia,in quorum curatione interuenit latitudo.Et ego iam mul
» totiens eo præſente dixi,quod hoc accidens eſt ſicut inimicus &c.Quibus præ
ſto ſuccurrendum eſt, quando mora plurimorum cauſa malorum exiſtit, idq; Gale.
facilè euitabitur, ſi ſuccenturiatus medicaminibus aderis, uirtute quorum id
totum,quod præter naturam in particula eſt,euacuetur:idq; maximè ſi glutino
ſum,aut craſſum, uel infixum,affectionem fecerit doloroſam, mollificando,&
liquefaciendo,atq; leuiter euellendo,ne quod gnauiter exiccatũ fuerit, in lapi-
» doſam duritiem conuertatur:ut doctiſsimus Gal. in decimoquarto Therapeu
» ticæ aſſerit dicens:Siquidem humor,unde uitium eiuſmodi naſcitur, aut gluti-
» noſus eſt,aut craſſus,aut utriuſq; rationis particeps,curandi uerò eius commu-
» nis indicatió eſt,ut quod præter naturam in particula eſt,totum uacuetur. Mo-
» dus uacuationis eius proprius eſt. Nam detergere id,ubi cõtumaciter inhæret,
» oportebit,quod ſiquis ijs,quæ uehementer trahunt digeruntq; medicamentis
» uacuare tentet, nec ijs quæ humectant & excalfaciunt, molliat ac liquet,huic
» paucis primis diebus egregiè proceſsiſſe curatio uidebitur. Cæterùm quod de
» affectu reſtabit, id inſanabile erit, ſiquidem toto, quod in eo tenuium partium
» erat,digeſto,quod reliquum eſt,ueluti lapidoſa concretio linquetur. Ne igitur
curator in curatione ceſpitet, ab enematis ordinatione incipiemus, deinde ad
reliqua ordinanda dolorem mitigantia ſubſequemur, cuius talis eſt deſcriptio:
Rec.milij unc.vj. aquæ pluuialis libras quatuor bulliant ſimul uſq; ad aquæ di-
midij conſumptionem,deinde colaturæ capias tantum,quantum ſit pro clyſte Enema.
re ſufficiens,cui addantur olei anethini, camomil.butyri, ana unc.ij.ſalis parũ,
& fiat clyſter,qui mirabilis eſt non tantum in doloribus renum, ſed etiam in do
loribus iliacis,& colicis.Si autem non habueris milium, quando ubique loco-
rum non inuenitur, hoc ſequens receptato: Recipe decoctionis foliorum ma-
luarum,caulium ſiue braſsiccarum, parietariæ, lib. j. olei communis,camomil.
anethini,ana unc.j.& ſ.butyri unc.ij.ſalis parum,& fiat enema, quod ſubſeque
tur cataplaſma tepidum dolenti loco prius butyro calido inuncto ſuperimpo- Cataplaſma.
nendum,cuius talis eſt ordinatio. Recipe foliorum caulium, praſij, maluarum
decoctarum in iure capitis caſtrati.M. iij. radicum althææ in eodem iure deco-
ctę & cribellatę lib.j.mucillaginis ſeminis lini,fœnugręci,añ lib.ſ.olei anethini,
camomil.liliorum alborum ana unc.iij.butyri unc.vj.mellis communis unc.vj.
piſtatis piſtandis ſimul omnia miſceantur, & poſtea dilatentur cum decoctio-
ne,in qua decocta fuerunt folia herbarum,& radices,& ad ignem bulliant addẽ
do tantum farinæ frumenti & ordei,quantum ualeat ipſum in formam paſtæ re
ducere: quo tepido utendum eſt, & quouſq; caliditatem actualem retinebit,
permanere in loco debet: cunq; infrigidare patiens idem ſenſerit,permutãdum
erit non ſemel,non bis,ſed totiens,quotiens opus fuerit, ut dolores obtundan-
tur.Nam eo ordine ſeruato,priuſquam opinatus fueris, dolores mitigabit. Ve-
runtamen quia ſunt nonnulla ſimplicia,quę non ita in promptu ſunt,ut cõfici

Emplaſtrum. cataplaſma poſsit, hoc deinceps emplaſtrum ordinato. Recipe micæ panis in lacte, uel in quouis iure decoctæ & piſtatæ lib. ij. butyri unc. iij. olei anethini, roſati, camomil. ana unc. ij. croci puluerizati ſcrup. ij. uel ℥. j. mellis cõmunis unc. quatuor, omnia ſimul in cacciola bulliant, & ſi tibi liquidum apparuerit, adde farinæ frumenti quantum ualeat ipſum aliquantulum informare, ut formam emplaſtri ſuſcipiat, deinde addentur uitelli ſex ouorum, quæ benè baculo agitando incorporentur. Et fiat emplaſtrum applicandum modo, & ordine, quo ſupra dictum eſt de cataplaſmate. Nam indubitatè uno duorum dolores mitigabuntur. Ab ijs igitur abſolutus, ſi in dolore non proceſſerunt arenularum apparitiones, patienti propinabis ℥. vj. benedictæ diſſolutæ cum calidi uini albi clari boni odoriferi ℥. quatuor, quo aſſumpto, præcipies infirmum pannis benè amictum quieſcere, ut ſudare poſsit. Quoniam liberabitur à doloribus fortaſſe cauſatis à phlegmate retento, uel ſanie compacta. Si uerò proceſſerint arenulæ, & etiam cum dolore in urina apparuerint, hunc puluerem propinabis. Quo omnes, qui ferè mori præ dolore uidebantur, liberati fuère. Nam extraducit lapidem à renibus nullum nocumentum inferens, quem prægnantibus abortum præ dolore facere uolentibus exhibui, & in Dei nomine liberatæ fuère. Eumq; pro ſecreto hucuſq; ſeruaui, nunc autem placet mihi pro hominum utilitate eundem manifeſtare: quemadmodum faciemus in noſtro commento totius medicinę chirurgię, de qua Auicenna locutus ſit, ubi nouum modum medendi uulnera, quamuis periculoſa, docebimus ſola aqua dulci clara uina [uiua] fore curanda nõnullis etiam interiectis uerbis, quando medicina omnis in uerbis, & in herbis, & in lapidibus conſiſtat, ubi demõſtrabimus id canonicè fieri, quod hucuſq; non ſolum occultum, ſed etiam obſtruſum fuit, quando ſic me facere amici rogauêre, præſertim egregij, ac excellentiſsimi artium & medicinæ doctores magiſter Fabius Francolinus & Nicolaus Antonius Panarellus Monopolitanus, uiri quidem omnium uirtutum eruditiſsimi. Et propterea iſtis gratias agite, quęſo uos omnes, qui noſtris uſuri eritis lucubrationibus. Ipſi enim me, cum animi gratia Peruſiam bilioſam migrauerim, impulerunt, ut tractatum iſtum adderem aureo tractatui de lapidis extractione à ueſica per inciſionem facienda, ſeruabis ergo hunc ordinem, qui puluerem tam precioſum conficere uolueris: Recipe ſeminis petroſelinis, radicis eiuſdem ab anima mundatæ ana drach. iiij. floris cardi, quem ſtellatum appello à ſpinis ſtellatis drach. viij. quæ tantum ſeparata in furno lento deſiccentur, donec eadem uideas trituranda poſſe trituratione ſuſcipere, deinde ab igne auferas, & unaquæq; ſeparatim tritura. Quibus trituratis unus fiat puluis, de quo capias ſcrup. j. ſ. uel ſcrup. ij. ſecũdũ quòd magis robuſtior erit, cui propinandum puluerem parabis. Et cum uino albo bono, uel iure pulli gallinacei eundem propina patienti calculum tam in renibus, quàm in ueſica, & dolores illorum, quos noſtri ſianchum appellant, & ſanabitur, ſi tribus diebus ieiuno bibatur, ſeruato ordine prædicto, & competenti diæta iuxta naturam, & infirmi conſuetudinis exigentiam. Et ſi caſu aliquo doloribus ſedatis infirmus mingere non poterit, quod eſſet fortaſſe ob calculi obturationem, uel propter nimiã phlegmatis uiſcoſi ſuperabundantiã. Si uerò à phlegmate cauſaretur ipſa lotij retentio, hoc in foramine uirgæ per ſyringa inijcito:

Puluis precioſiſsimus.

Potio. Sudor.

Decoctio per uirgam inijcienda. Recipe olei ſiſamini unc. vj. aquæ unc. xv. zinziberis drach. iiij. tribuli drach. x. tere medicinas groſſe, & proijce in uaſe cum aqua, & oleo ſiſamino, & decoquatur donec conſumatur aqua, & remaneat oleum deſtillandum in foramine uirgæ, de iſto uerò alio bibat.

Oleum bibendum. Recipe olei ſiſamini, & lactis uaccini dulcis, & ſucci tribuli humidi, omnium ana lib. x. penidiorum alborum lib. v. zinziberis lib. ij. ſ. terantur penidij, & cribellentur, & proijciantur omnia in uaſe figuli, & accendatur ſub eo ignis lenis, donec conſumantur aqua tribuli, & lac, & remaneat oleum ſolum, & bibatur de eo omni die unc. v. & adminiſtratur etiam in clyſtere.

Si uerò

Si uerò fuerit ob calculi obturationem, quoniam figetur in lotij meatu lapis, qui à renibus decidit, noſtrum electuarium, uel puluerem eiuſdem electuarij ſecundum quòd tibi magis tenere placuerit ordinatum, dabis: Cuius talis eſt recepta. Recipe ſtercoris murium, columborum, porcellionum (ſunt autem porcelliones uermes terreſtres in cellarijs inuenti, dicti ad porcelli ſimilitudinem, qui cum tangantur ſeſe in ſphæricam pilam contrahunt, ut facilè dicas eſſe materialem pater noſter) ana unc. j. mellis deſpumati libr. j. ſ. & fiat electuarium, cuius doſis ſit unc. ſ. cum brodio, uel uino, ut infirmi neceſsitas magis popoſcerit. Si uerò te magis delectabit in morſellis puluerem hunc tenere, uti ego facio, capias tantundem zuccari fini, quantum eſt mellis pondus, & facias electuarium in morſellis, de quo unc. ſ. cum iure gallinaceo, uel uino dabis, & faciet eum mingere, ſi continuabis ipſius exhibitioné tribus diebus, quamuis etiam in prima die utilitatem maximam percipiet, quoniam lapidem renalem effarinabit. Sin autem tibi commodius uiſum fuerit puluerem præparatum magis tenere, cumq; dare uolueris, ſit eius doſis ſcrup. ij. cum iure uel uino, ut tibi opportunius uiſum erit uel exhibeas ſeminis tribuli humidi drach. j. cum iure gallinæ. nam franget lapidem & mingere faciet. Idem faciet ſemen antheræ ſi cum uino albo ſcrup. ſ. propinetur. nec etiam priuantur tali munere mandibulæ lucij piſcis (qui lupus dicitur) ſi in cinerem redigerentur & in uino albo biberentur. Hoc idem faciunt mandibulæ hericij terreſtris. Sed multotiens ſolent ſtranguriam pati, qui tali uexantur ægritudine, pro cuius emendatione dabis pulueris porcellionum abſolutorum ſcru. j. cum uino bono albo. hoc idem multum ualet ictericis. Illud idem faciet aqua cepæ albæ deſtillatæ. Sicq; operando compos uoti fies pro arenularum & lapidis affectione curanda.

Electuarium.

Porcelliones. Si notum in Columba G.

Electuarium in morſellis.

Puluis.

Tribuli.

Anthera.

Mandibulę lucij.

Illud idem ſeruandum ducimus pro ueſicalis lapidis præſeruatione, quod de renali lapide dictũ eſt, quádo eius materia ſit arenularum cum humore uiſcoſo agglomeratio, aliquando ex membrorũ uicinorum caliditate deſiccata, uel eorundem frigiditate conglutinata. Cuius ſigna demonſtratiua ſunt retentio urinæ in mingendo, frequensq; mingendi deſiderium cum maximo pectinis dolore, & aliquando inuoluntarium lotij ſtillicidium, & nonnunquam poſt mictũ incenſiuus ardor. Et in capite uirgę adeſt faſtidioſus pruritus & aliquado prope anum in collo ueſicæ poſt egeſtionem & mictum ſentitur quaſi parua quædam inflammatio. Quæ quidem expetunt pro ſui emendatione ſingularem curationem. Nam retentio urinæ in mingendo non aliam ob cauſam fit, niſi quod lapis in meatu urinæ figitur, qui ſi paruus erit frangetur noſtro electuario, uel foras excutietur, ut ſuprà dictum eſt, quo facto liberè minget. Si uerò magnus & attritu facilis, eodé confecto conteretur. At ſi durus & tenax fuerit, ut demolitu nó facilis ſit noſtræ aureæ extractioni ſummittetur, quando fortia lapidem frangentia per os ſumpta non modo accidentia ſæuiſsima, ſed etiam extimeſcenda mortis incommoda maximo infirmi cruciatu excitant. Debilia uerò nihil proficiét. Nam uirtus eorum, antequam ad ueſicam deſcenderet, longis, & ſinuoſis anfractibus euaneſceret, ut habetur à Galeno in 5. Therapeuticæ dicente. Quæ uerò
» inferius ſunt ſita per ea, quę inijciuntur. quando neq; ad ea, quæ uicina uentriculo ſunt, ſubire poteſt quod per ſedé infunditur: nec integris uiribus ad inferiora
» pertingere quod per os eſt ingeſtũ. Et propterea dũ ſe unũ, quod dicunt periculũ declinare lapidoſi homines concupiuerint, in aliud horrendũ, quod mortis imago dicitur, incidunt falſa phyſicorũ perſuaſione illaqueati. Verũ ſiquis modus erit lapidis in ueſica frangendi, uel ſoluendi ſine nocuméto & periculo, experientia cóprobatus, dicetur in noſtro cómento, quod in tertio à capite ad pedes uſq; Auicennæ cóponemus, ſub quo indicans ratio, & experimentũ alliciés merentur. Sedabitur dolor pectinis, ſi praſiũ decoctũ cataplaſmetur, prius tamen loco inuncto cum oleo de ſcorpionibus, qui ex uentoſitate urinæ, quã mi-

De lapide ueſicæ.

Signa lapidis ueſicæ.

Retétio urinę

Gale.

Dolor pectinis.

ctus excitat, cauſatur, frequenſq́ mingẽdi deſideriũ, & inuoluntariũ urinæ ſtilli cidiũ medicaminũ curationẽ non ſuſcipiunt. Sed manuum dexteritatẽ expetũt cauſam horũ intercipientẽ, quã eſſe lapidis pondus uirtutẽ expulſiuam excitãs, & muſculum collum ueſicæ conſtringentẽ relaxans dicimus. Ardor uerò incẽſsiuus ex mordicatione urinę factus in ulcere in collo ueſicę exiſtente, quem lapidis aſperitas, & arenularũ frequens profluuiũ excoriando fecerant, curabitur, ſi hoc potu frequentiſsimè utetur patiens, cuius deſcriptio talis eſt: Re. nucleorum auellanarum unc. j. piperis pulueriꝫati ſcru. j. piſtentur ſimul ſubtiliſsimè, & cum uini boni cyatho uno dilatẽtur, & bibatur calidum, interpolatis diebus totiens, quotiens opus fuerit, auferet enim urinæ ſtillicidij anguſtias, & uentris dolorẽ remouebit. Si uerò cum iſto non profeceris, iſtud ſequens ordinato: Re. radicum althææ unc. iij. foliorum maluarum, parietariæ ana M. ij. ſeminis lini, fœnugræci, ana unc. j. iuiubarum nu. xxx. liquiritiæ mundatæ lib. j. radicum ſparagorum, fœniculi, petroſelini ana unc. ij. aquę pluuialis libr. x. bulliant omnia ſimul, uſq; quo tertia pars bulliendo remaneat, deinde coletur, cui colaturæ addatur tantũ zuccari boni, quantum ſufficiat, ut fiat ſyr. longus ad lentum ignem ſecundum artem: quo utatur alternis diebus ſemper iterando ipſum donec ſanus fuerit. Nam breui ſe à tanto urinæ ardore liberũ ſentiet. Vel ſic facias & pro ſecreto idem reſeruato. Re. radicũ petroſelini cichoreę, fœniculi, aſparagi, bruſcandoli, parietariæ, capparis, ſe. tribuli humidi, ana unc. ij. uini albi boni phialas tres bulliant omnia ſimul uſq; ad conſumptionẽ tertię partis uini in olla noua contecta paſta, facta ex farina ordei, & fiat foramen paruũ in medio, unde poteris conſumptionẽ uini ſpeculari, de quo capiat infirmus ſingulis diebus unc. iij. ieiuno ſtomacho more ſyrupi, & uidebis mirabile in breui, quod non eſt meum nunc enarrare. Ex his omnibus dictis quicunq; ſciuerit eligere ea, quę dicta ſunt, non tantum dolores mitigabit, ſed etiam lapidem attenuabit.

Ardor.

Syrupus longus.

Potus.

Phialas.

Multotiens etiam ex frigiditate adeo conſtringuntur muſculi, ut non ſolum urinam retineant, ſed etiam ſyringa non admittunt, & dolores ex retenta urina adeò increſcunt, ut hominem interficiant. Ne igitur hoc accidat, aperiantur inſtrumento in ſiphone uel in canali uirgæ iniecto, nam ſtatim minget, & ſanabitur, quod ego roſtrum arcuatum appello à ſimilitudine roſtri animalis, quod Veneti arcuatum nominant, nos autem terlinum ab ipſo uocis ſonitu dicimus, cuius forma talis eſt multum ei conſimilis: & tantæ eſſe debet longitudinis,



quanta eſt ipſius mentulæ elongatio, ad hoc ut collum ueſicæ explicet dilatando, ſi quando erit neceſſaria ipſius operatio. Si uerò moleſtaretur talis affectionis cruciatu ad tempus infirmus, non expectet, quin ſe aureæ, tutæ, ſalutiferæq́ noſtræ extractioni ſummittat, antequam ſæua ac crudeliſsima accidentia inſurgant, in quibus talis operatio nõ ſolum erit ſuſpecta, ſed etiam & ipſum uiuere. Ideoq; ille, qui talem patietur affectionem, ſit audax nihilq; timeat, phyſicis perſuaſionibus relictis, qui dum pericula fugienda ſuadent, perpetuo cruciatui miſerrimum deſtinauẽre, dummodo diligens reperiatur operator ſecundum noſtræ extractionis modum, qui modo ſubſequitur.

Præcla-

PRAECLARISSIMO ARTIVM ET MEDICINAE DOCTORI IOANNI ANTHRACINO MACERAtenſi præceptori ſuo chariſſimo, Marianus Sanctus artium & medicinæ Doctor S. P. D.

PETITIONES meorum amicorum, ad quas me tu dulciſsime præceptor componendas illo ſuaſu, quo ægros inſtauras, priſtinæq; ualetudini condonas, impuliſti, ſumma cum diligentia & attentione, ut nobis ſuffecerunt uires, compilauimus, & in libellum congeſſimus, congeſtumq; eiſdem noſtris communibus amicis tradidimus, traditum illi non parua cum expectatione admiſerunt, & legerunt. Et cum ea, quæ in ipſo continerentur, recenſuiſſent, decreuerunt eundem promulgare, quemadmodum meum in chirurgia compendium promulgauerāt. Cum ergo ab huiuſmodi conſilio eos abducere precibus non ualeam, neq; deceret ut per urbem claudicans uagaretur, quando tot tantiſq; inuidis & maledicis occurreret, decreui corrigendum emendandumq; fore. Quapropter mi pater & dilecte magiſter eundem ad te corrigendum tranſmitto, cum non ſolum hominum mores & uerba, uerum etiā intimos naturæ igniculos corrigere poſsis uirtute, eloquētia, doctrina, & moribus, quibus ferè nulli ſecundus ab omnibus, qui te noſcunt, exiſtimaris. Quamobrem mi facūdiſsimè pręceptor te rogo, ne dedigneris in hoc meo paruo opuſculo, cuius tu fuiſti potiſsima cauſa, ſiquid addendum, limandumq; eſſet, & addere, & limare, ut tua lima dilucidatum, inter inuidos & maleuolos tutò urbem libereq; peragret. Benè uale, meq; ut ſoles dilige.

IOANNES ANTHRACINVS ARTIVM MEDICINAEQVE Doctor Mariano Sancto Phyſico & Medico excellenti & ſolertiſſimo S. P. D.

HORTABAR ego te olim Mariane non ſolum auditor, ſed mi tanquam fili ſuauiſsime, ut opuſculum illud egregium, quod de lapidis extractione incœperas, & componeres, & aliquādo perficeres. Sed poſteaquam nunc illud compilatum, & abſolutum ad me recognoſcendum, & ubi foret opus, caſtigandum miſiſti, tantum in illo doctrinæ, ingenij, dexteritatis, facilitatiſq; adinueni, ut iam te ad illud promulgandum, ac etiam imprimendum ad tuam, ad amicorum laudem, ad publicam utilitatem & commoditatem non ſolum horter, ſed quàm maximè te rogem & obteſter. Opus enim undequaq; tam conſummatum edidiſti, ut non ſolum præceptores tuos, ſed etiam noſtram hanc tempeſtatem noſtraq; ſæcula ſis apprimè illuſtraturus. Vale.

REVERENDISSIMO DOMINO DOMINO VICENTIO CARAPHAE ARCHIEPISCOPO NEAPOLITANO ALMAE *Vrbis Gubernatori, Marianus Sanctus Barolitanus artium & medicinæ doctor de ſe benemerenti perpetuam fœlicitatem exoptat.*

CVM diu eſſem reuerendiſsime domine auerſatus meorum ſodalium petitiones, qui à me aſsiduis precibus flagitabant, ut libellum componerem de lapide ab ipſa ueſica per inciſionem extrahendo: quanquam id mihi moleſtum eſſet, quod cælandum duxeram, in uulgus prodere, tamē uictus eorum precibus domeſticisq́ argumentis, non potui illis in hoc morem non gerere. Quis enim eſſet tam ferus, aſper, indomitusq́, ut precibus non uincatur, amicitia non miteſcat, & aſsidua conſuetudine non manſueſcat? Quamobrem ſcripſi, & in libellum hunc paruulum, quæ me diu exorauerant, congeſsi. Cum igitur non deceret, ut per urbem ſine tutore uagaretur, quādo tot tantisq́ inuidis & maledicis occurreret, ſtatui exiguum hoc munus tuæ dignitati dedicare, ſub cuius umbra facilè maledicentium dicta paruifaciens inuidorum ſuſurrationes abominabitur, cum hac noſtra tempeſtate, qui tecum pietate, iuſtitia, & liberalitate conferēdus ſit, habeam neminem. Cuius quidem rei non paruum teſtimonium affertur, quòd cum maximum almæ urbi ſede uacante per obitum fæ. me. Leonis. X. Pont. máx. periculum immineret, te iuſtum, prouidum, & ſagacem iſtud ſacroſanctæ Rom. Eccleſiæ Collegium, te neſciēte, ſpontè gubernatorem elegit, ut urbi inteſtinis odijs grauidæ ſummo præſidio ſubſidioq́ eſſes. Quod quidem illius ſacri Collegij opinionem non feſellit, cum ſanctius religioſiusq́ uixiſſent homines, te gubernatore, quàm cum à iuſtiſsimo illo Octauiano Imperatore regerentur: cum tu ſolus ſies hoc in noſtro ſæculo, qui priſcorum dogmata tua cum ſumma prudentia & doctrina obſcurare poſsis. Nam non minus in regendo rectores omnes anteis, quàm ſol terram irradians, luminis claritate planetis cæteris antecellit: ob idq́ non parum ætati noſtræ, omni adulatione depoſita, gratulandum cenſeo. Quapropter reuerendiſsime domine te oro atq́ obteſtor, ut ea, qua ſoles gratia homines allicere, uelis hoc meum paruum munuſculum ſuſcipere. Quod ſi, ut ſpero, à tua benignitate ſuſceptum erit, ſanè ad maiora excitabor capeſcenda, & Deum optimum rogare non deſinam, ut quæ pro ampliori tua faciant fortuna, fœlicibus ſideribus contribuat. Benè uale.

LIBELLVS AVREVS DE LAPIDE A VESICA PER INCISIONEM EXTRAHENDO EIVSDEM MARIANI SANCTI

Barolitani medici excellentiſsimi ſubſequitur.

Proœmium.

QVANTVM inextricabile uirium ſuauiſsimæ amicitiæ
uinculum habeat,quãquã id ipſum poſsit ab unoquoq;,
qui taliſmodi neceſsitatis uallo circunſepiretur,late pate
re,tamen non paruam affert cauſam hoc idem conſide-
randi meorum neceſſariorum cõſuetudo. Quę me à pro-
poſito,quod in animo conſtitueram ſeruandum, rationi
bus exemplisq; domeſticis longius diſtraxit, meq; conui
ctum ad id rerum agendarum faſtigium intruſit, ad quod
exequendum nullus antiquorum authorum,nec modernorum uſq; ad hanc no Galenus.
ſtram tempeſtatem,qui de huiuſmodi rei negotio commentaria promulgauê-
re,uerã imaginationem & operandi modũ applicuerunt. Verùm hoc non poſ-
ſum non confiteri,principium ueram operandi qualitaté, modumq; in opera-
tione exequendi poſteris eoſdem tradidiſſe. Quemadmodũ illi priſcorum phi-
loſophorũ,qui de rerũ naturalium principijs modo cõtraria, modo paululum
ad uerũ accedentia,imaginantes,materiam præbuerunt, ut uera principia in tã
aſperis incultisq; campis uenaretur, qui princeps omnium philoſophorum nũ
cupari mereretur. Quapropter gratiæ ingentes eiſdem agendę ſunt, cum nobis
in re tam difficili tamq; ardua uiam licet tortuoſam,aſperam,& ſalebroſam de-
monſtrarint. Quod illis ob rei difficultatem contigiſſe arbitror: cum nos ipſi cõ
ſideremus hoc idem Hippocratem pluries fuiſſe aggreſſum, à ſpeq; deceptum,
tanquam diffiſum id conſequi poſſe,in ſuo iureiurando ſcripſiſſe,laborantẽ la-
pillo haud quenquam exciſurum,ſed expertis eius artis hoc negotium permiſ-
ſurum quaſi ſpiritu prophetico afflatum hoc de meo pręceptore (cum mos me
us ſit præhonorare magiſtrum in omni,quã didicerim,facultate) Ioanne de Ro-
manis Cremonenſi,à quo hanc artem ſum edoctus,fuiſſe prognoſticatum. Cum
uſq; ad hanc noſtram ætatem modus extrahendi lapidem à ueſica per mendica
ta ſuffragia inquireretur,quemadmodum illi faciunt,qui per mendicata ſuffra-
gia quotidie noua uolunt edere opuſcula,qui etiam in ſuis operibus ſcripſerũt,
quo modo lapillus à ueſica eſſet extrahendus, cum nulla in eis præceſsiſſet ex-
perientia,quæ eſt rerum magiſtra. Quapropter non poſſum non admirari,cum
tantam ſibi ſcribendi licentiam uendicaſſent,ut etiam in ea,quæ ipſi experimen
tati eſſent, licentioſa plurima inſererent, cupientes ex aliorum experimento fi-
dem ſuis uerbis adhiberi. Quod arroganter eſſe dictum neminem exiſtimare ue
lim,cum ſim nullius aſſcriptus iurare in uerba magiſtri, Sed quo me cunque ra-
pit tempeſtas, deferor hoſpes: ac etiam ab ipſa ueritate impulſus, non poſsim
uera non dicere: cum amicus Socrates, amicus Plato, ſed magis amica ueritas.
Quemadmodum ipſemet Auic. refert in capitulo de intentione ad curationes
uniuerſales febrium putredinis,cũ in Raſim inueheretur, cuius uerba hęc ſunt:
„ Quia omnis contradictor,in primis,cum eſt ſuper ueritatem,eſt excuſatus &c.
Quamobrem,quæ uera ſcripſerint,in eiſdem laudãdi ſunt: quę minus apta pro-
diderint,in eiſdem explodendi ſunt. Et ideo quæcunq; dixero,ne idem mihi cõ
tingat,experimento & ratione probata erunt: maximè uerò in meo magno ope
re Baroli incæpto, ſi deus mihi terminum uitæ meæ prolongauerit ut in illo ex-
tremam manum imponam,hæc,quæ nunc dico uera omnia eſſe cognoſcentur.

Quanquam nunc ipſe uideam multos ſuſurratores atq; obtrectatores meã ſcribendi opportunitatem uitio daturos. Nonnulli etiam dicent, quando idem aſſequi non poſſunt, talem eſſe animaduertendam diligentiam, quod quidem nõ ob aliam cauſam machinabuntur, niſi ut me ab incœpto diſtrahant, meq; à ſcribendi genere impediant. Ego uerò Marianus Sanctus Barolitanus illorum dicta paruifaciens, decreui ſcribere quoad poſſum, ut amicis gratificer, de lapide à ueſica perincisionem extrahendo: ad quod illa delectabilis amicorum copia me impulit, quos omnes incolumes reuiſi, cum à paterna morte Barolum Roma deceſsi: qui Diadaſcolis ſententiam reminiſcentes, qui non ſibi, ſed alijs ſapiens natus eſſe diceretur, me pigritia curioſam ſcribendi facultatem peroſum increparent. Aliqui uerò mihi Platonicam ſententiam puluinari ocio languenti exprobarent, atq; obiectarent, dicerentq; nõ ſolum nobis nos ortos eſſe, ſed & noſtri ortus partem patriam, partem parentes, partemq; amicos uendicare ſolere. Quamobrem non potui iure denegare iuſta petentibus, quãdo iam noſtrum lectitaſſent compendium in chirurgia, utiliſsimum quidem uolentibus hanc artem exercere, & pręferẽdum huic nouo operi, quod Romę compoſuimus tempore, quo dominus Sebaſtianus de Veteranis almæ urbis protomedicus, me doctoratus gradu unà cum ipſo collegio decorauit, exiſtente meo promotore domino Alexãdro de Spinoſis Sutrenſi uiro doctiſsimo. Erat autem iuſta & honeſta eorum petitio, licet onus eſſet impar meis uiribus, tamen prout noſtræ ſufficerent uires, ſpopondi omnia, quæ iam me exorauerant, ſedulò me eſſe facturum. Verum uos omnes qui meas eritis lecturi lucubrationes, exoratos uolo, ut ſiquid boni in legendo uobis occurrerit, unde aliquid exoriatur laudis, illud totum amicorum diligentiæ tribuatur. Et ſiquid, quod intra aures ueſtras malè & importunè tinnuerit, ſenſeritis, illud idem clamoſæ raucæq; meorum neceſſariorum importunitati, & dulciſsimo ſuauiſsimoq; amicitiæ uinculo, quo id facere ſum impulſus, imputetur. Abhorrebat enim ſemper (nam omnibus complacere non poſſumus) à ſcribendi genere mens noſtra, quæ longa taciturnitate ſopita à componendi genere penè diffiderat, ob idq; durum & factu aſperum putabam ſcribere. Quoniam taciturnitas ipſa acutam ingenij aciem obtundit & animi puſillanimitatem faciens, diſertæ linguæ loquendi farraginem præſtat. Ergo meus iſte libellus, ad quem componendum ipſa me amicitia impulit, non facundiam Tullianam, non Iſæi torrentem ſermonem, non acutam diſſerendi dialecticam legentibus monſtrabit, ſed ſalutiferam ægrotantibus medicinam, & ægritudine languentibus idonea uitæ alimenta, & conſolatorem ſermonem merentibus condonabit. Nec id omnibus, ſed amicis, & placidis, uerùm inimicis & inuidis iliorum contorſiones, & tormina membrorum affatim adminiſtrabit. Nam genus humanum ſic hac in noſtra tempeſtate morigeratum eſt, ut quicquid boni dicti aut facti, quando ingenio careat, in legendo inuenerit, dolores ilia tendẽtes incurrit. Et ſi fortè ingenio abundans in illud idem inciderit, mordaci liuore frendit atq; mugit. Quapropter nunc Deum tota mente animoq; oro, ut dignetur mihi famulo ſuo auxiliari, ſuffragariq;. Nam diuino inuocato ſuffragio (ut ait Meſue) fælicitabuntur opera noſtra, & tutus animoſiusq; in maledicentium linguas irruemus, quando alias euitare nõ ualemus, cum nullus ſit liber qui odio careat. Quod ſi cui accideret, non ab humano ingenio excuſſus, ſed ab immenſa ſpiritus gratia paracleti emanaſſe diceretur. Ergo cum iſte libellus in tam exigua officina confletur, quomodo poterit aliter, niſi Dei optimi uirginisq; Mariæ impetrato auxilio, maledicentium linguas paruifacere? Quod ergo gratioſius imprecemur, his uerſibus uirginem alloquamur.

Virgo Dei genetrix ſupplex tua numina poſco,
Vt mea dicta tuo numine tuta fient.

Et

Et pariter nati faueat clementia, linguæ
Ne noceant dictis murmure uirgo meis.

Caput I. In quo procedendi ordo deſcribitur.

IMpetrato igitur ſuffragio, deinceps dicendus eſt ordo, quo in ſcribendo utar, quando ipſe ordo duo facere uideatur memoriam ſcilicet, & ſcientiam, qui quidem talis erit. Primo dicemus ipſius ueſicæ anatomiam. Secundo ſubſequetur idonea temporum electio, in quibus taliſmodi operatio fieri debet. Tertio narrabimus inſtrumenta, ponendo etiam illorum nomina, & formam, & de ſingulo ſingulum capitulum contexemus. Quarto ſituabitur incidendus, bindisq; ligabitur. Quinto, quo modo exequenda ſit lapidis extractio. Sexto quo modo inciſio ſeruanda à nocumentis cuſtodiatur, & qui ſit iacendi modus. Septimo diætam ordinabimus. Octauo & ultimo accidentia, ſiqua euenerint, corrigemus. Quæ quidem omnia ordine dicto recitabuntur. Quanquam aliqui potuiſſent dicere, prius eſſe tractandum de potionibus, quæ in hac curatione competerent, quàm infirmus lapidis extractioni ſubmitteretur. Mea uerò intentio non eſt hominem curare, quamuis id poſſem facere ſecundum humoris peccantis exigentiam, ſed tantum amicis, qui maximè id me rogauerunt, ordinem, quo uſus ſum, & utitur meus magiſter, deſcribere, in quo tantum ea perſtringam, quantum ad meam explendam intentionem neceſſaria erunt. Verùm ſiquis incidendum purgare uoluerit, ſit eius intentio digerere, & choleram purgare. Quoniam nullus humor in uulneribus eſt magis nociuus, quàm cholera, præſertim ubi natura doloribus irritatur. Digeritur autem à ſyrupis de endiuia, Syrupus. buglossa, uiolis, roſis, nenufare, & ſimilibus cum ſuis aquis. Purgatur uerò caſſia, manna, rhabarbaro, ſyrupo de roſis ſolutiuo dicto de tribus infuſionibus Purgantia. cum decoctione florum & fructuum cordialium pondere & quātitate, quibus infirmi corpulentia indigebit. Quare nunc exordium ab ipſa anatomia, ceu ipſa materia expoſtulat, fœliciter auſpicemur.

Caput II. De anatomia ueſicæ.

QVoniamquidem cuiuslibet eſt artificis conſiderare materiam, & formam uſq; ad certum terminum illius rei, circa quam artifex ipſe uerſabitur, ueluti Ariſtoteles recitat in ſecundo de phyſico auditu his uerbis: Si autem ars imitatur naturam, eiuſdem autem ſcientiæ eſt cognoſcere ſpeciem, & formam uſque ad hoc, ut medici ſanitatem, choleram & phlegma, in quibus eſt ſanitas, &c. Ideo cum nos ſimus artifices, & curatores ut nunc lapidis ueſicæ, neceſſarium eſſe uideretur, ut materiam, & formam ipſius conſideraremus, prout ad noſtrum ſpectaret propoſitū: quanquā nota ſit unicuiq;, qui medicinę die noctuq; inuigilauerit. Tamen pro nunc eius anatomiam, quando ſine ipſa hæc operatio rectè exerceri minimè poterit, dicere conſtituimus, cuius principium ſumemus à poris uritidibus, qui à renibus ad ipſam ueſicam protenduntur, ibíque terminantur iuxta medium ipſius, quam paruis & obliquis foraminibus ab utriſque lateribus perforant intra tunicam & cooperimentum. Cuius rei cauſa potiſsima fuit, ne cum urina plurimum diſtenderetur, quod in ea ſuperflueret, iterum ad renes impelleretur, ex quo fit, quanto magis aquoſitate illa turgeſceret, eo magis alteri altera tunica inhæreret. Verùm enimuerò ſiquis eam medio ſcinderet, illicò concauitatē neruoſam aſpiciens, illiuſmet quantitatem conſiderabit. Qui; quidem ſi paululum ulterius progrederetur, obuium ſibi fieret collum carnoſum atque muſculoſum, ut cum opus eſſet, ho-

mo urinam expelleret,idemq; cum à neceſsitate cogeretur,ſanguinis ſuperfluitatem,ſeu aquoſitatem in concauitate illa opportunè aggregaret. Quod ſi caſu aliquo uulneraretur,conſolidationem integram reciperet, cum carnoſum muſculoſumq; exiſtat.Si uerò profundius.ſ. ipſa neruoſitas diſcontinuaretur,nullo modo partium unitas coiret.Quapropter ſummo opere cauendum eſt in adminiſtrando ipſum dilatans,ne tantum dilatetur quòd ad ipſam continui diſſolutionem attingat.Quod ſi ad hoc peruentum erit,duorum alterum nullo modo effugeretur,aut infirmi perditio,aut mictus urinæ inuoluntarius.Circa quæ ratione claudicantes ignari operatores ſæpiſsime ceſpitant.Quod quidem cautum erit,ſi prius calculi extrahendi quantitas fiſtula ipſa tentatiua cõſideretur. Quę ſi oui magnitudinẽ in uiris excederet,talis operatio,diligentiori ſolertia adminiſtranda erit,ne mali medici nomen ſubeundum ſit.Collum autem ipſius foratum eſt foramine paruo (quod os dicitur) per quod urina defluit ad canalem uirgæ,ex quo ipſamet urina emanat.Protenſum eſt autem collum ueſicæ uſque ad os femoris, cum quo uirga continuatur alligata multis ligamentis & chordis:quæ oriuntur ab oſſe femoris,cum multis neruis ortis à nucha: & ideo multæ ſenſibilitatis eſt, & idoneæ extenſionis, quemadmodum dicit Mundinus in tractatu quem de anatomia compoſuit. Verùm hæc, quæ nunc de uirga dicuntur,non ſunt ad conſiderationem, qua utimur ad calculi extractionem, ideo hæc nunc prætermittantur, quando ad id regrediemur, cum de ipſa inciſione ſermonem exquiſitum contexemus.Nunc uerò de temporis electione quando ad id multum confert,aggrediamur.

Caput III. de temporis electione.

Electio tẽporis ad incidendum.

CVm animus noſter dicere temporis electionem, quæ ad talem pertineat operationem conſequendam , maximè cogitet:non ab re fore ducimus,ut paulò altius principium repeteremus,omittẽdo quæ de ipſo accuratiſsimè philoſophi ratiocinantur.Verùm cœlum primo ipſum more aſtronomorum fabricabimus,ad hoc ut facilius,quæ de eo dicuntur,percipiantur,quando noſtrum non eſſe cenſemus cœlos adire, circulos diſtinguere, & multiplicare regulis & ordine, quibus utuntur noſtri conterranei, Ioannes Buttaloglia dictus,& Ioães de Cichillis,circa quæ adeo uerſati ſunt,alter natura,alter uerò arte edoctus,ut cæteris alijs eiuſdem facultatis hac in noſtra tempeſtate facillimè antecellant. Ex quo illa uaticinandi facultas unà cum planetarum aſpectibus,& coitibus exorta eſt: quæ quicquid mortali generi portenderetur, uerificat. Quamuis fine aliquando fruſtretur propter uoluntatem diuinam,quæ plerunque ſolet alio ordine res humanas diſponere,quám quo per ſtellas cœlum plurimis mortalium minitatur,atque ab humana coniectura concipitur. Cum ergo ita ſit,imaginemur ſecundum noſtrum intelligendi modum,cœlum ipſum talis modi indagine deſignari. Primo

Coluri.

igitur ex circulis æneis duos magnos coluros dictos, ſecundum globi quantitatem ac magnitudinem conſtruendo, ſeſe orthoganaliter interſecantes collocemus. Quorum puncta interſectionum mundi poli appellandi ſunt,quibus alium circulum à polis æquidiſtantem ſuperpoſitum æquinoctialem nominamus. Cui etiam unus à dextris, alter uerò à ſiniſtris circulus adiungendus eſt,quos ambos inter aſtronomos tropicos nuncupari conſuetum eſt. Reſtant etiam duo alij inter polos & tropicos circulos ſituandi: quorum unus arcticus circulus, alter antarcticus dicitur: qui quidem omnes à polis paralelliter (ut ita dicam) in ipſa mundi machina immobiliter figendi ſunt. Eſt & alius circulus zodiacus dictus,in ipſa ſphæra aggregandus: qui æquinoctialem interſecans, ab eodem in duas æquales partes interſecatur, quarum una ipſius medietas

Poli. Aequinoctialis. Tropici. Arcticus & antarcticus. Zodiacus.

medietas obliquatur uerſus ſeptētrionem,ſeipſam terminans ad circulum tropicum Cancri dictum. Altera eius medietas uerſus auſtrum declinans, ad circulum tropicum Capricorni determinatur. Quanquam omnes alij circuli in ſphęra ueluti linea uel circunferentia intelligantur: tamē zodiacus ut ſuperficies intelligitur in ſua latitudine duodecim gradus retinens. Scinditur autem ad imaginationem iſte ſecundum latitudinem in duas ęquales partes, quarum diuidēs ecliptica dicta eſt. Secundum uerò longitudinem in duodecim partes æquales diuiditur, quæ & cœli ſigna feruntur: quorum nomina his uerſibus continentur. Sunt Aries, Taurus, Gemini, Cancer, Leo, Virgo, Libraꝗ, Scorpius, Arcitenens, Caper, Amphora, Piſces. Punctum autem interſectionum zodiaci & circuli æquinoctialis dicitur primus gradus Arietis: quando in triginta gradus quodlibet ſignum, & gradus in bis totidem minuta diuidatur. Cum igitur Sol ſub ipſa ecliptica regulariter decurrendo (nam cæteri planetæ aliquando ſub ecliptica exiſtentes, modo ad auſtrum, modo ad ſeptentrionem uagantur) à primo gradu arietis tria ſigna integrè peragrauerit, unam anni quartam perfecerit, quæ uer dicitur, quod calidum & humidum eſt, ut refert Hippocrates in lib. quem de aëre & aqua ac regionibus edidit. Cum uerò trium aliorum ſignorum gradus defluxerit, tunc aliam compleuerit quartam, æſtatem nominatam, quæ calida & ſicca eſt. Si uerò tria alia ſigna transfugauerit, iam aliam partem autumnum dictam collegerit, qui & frigidus & ſiccus eſt. Quòd ſi huic numero elabendo tria alia addiderit, hyemem quæ frigida & humida eſt, nobis aſsignauerit. Cum itaque eo unde anhelantes equos decurrendo fatigauerit, continuò labore cō quaſſatus reuertetur, unica tantum reuolutione facta, tunc annum nobis annotabit. Quapropter creditum eſt annum his quatuor partibus conſtare: Ex qua igitur anni diuiſione facilè cognoſci poteſt, quæ pars maximè conducat huic calculi extractioni: Quanquam quęlibet idonea ſit lapilli extractioni, cum à neceſsitate ad id aggrediendum compellimur. Veruntamen ſi induciæ à talismodi ægritudine darentur, maximè illa eligenda eſt, quæ ipſius ueſicæ complexioni conformis ſit. Quamobrem autumnum in hoc primo eligimus: cum ipſius ueſicæ complexio, ratione neruoſitatis & muſculorum, frigida ſit & ſicca. Quem poſtea ſequitur amœnum floridumꝗ uer cum æſtatis principio. Verum enimuerò aliqui malorum uentorum fugiendi ſunt, quales meridionales, qui omninò in tali re corruptiui exiſtunt. Necnon hercle frigiditates actuales in hoc opere propter nimiam ipſorum mordacitatem cauendæ ſunt, iuxta illud Hippocratis. Vlceribus frigidum mordax cutim indurat, dolorem ſine ſanie facit, nigrores, rigores, ſpaſmos, tetanos, & febres. Eſtꝗ alia temporis ſignificatio à planetarum aſpectibus eligenda: quemadmodum ille facit meus conterraneus Antonius Piſcis in omni ſua actione, uir quidem doctiſsimus. Cum in tali operatione non minus Saturni quàm Martis quadratura cum Luna, ſeu oppoſitio, euitanda ſit, maximéque ſi Libra Scorpiúſque uagantem Lunam fuerint hoſpitati: cum præcipiatur ab illo optimo aſtronomorum iudice Ptolomæo in ſuo uigeſimo enunciato dicente: Membrum ferro ne percutito, cum Luna ſignum tenuerit, quod membro illi dominatur, quod certè ſilentio præterijſſem, ni me admonuiſſet, ut id facerem, cum ſimul de aſtronomia ratiocinaremur, quando idem ſatis deuulgatum eſſe crediderim, excellens dominus meus Federicus Carrapha filius illuſtriſsimi domini Ioannis Franciſci Carraphæ ducis Ariani, quo quidem filio non Dux tantum, uerum Rex Imperatórque gloriaretur, quem ego credo naturam genuiſſe, ut mores hominum edoceret, & ingenij uires experiretur, militaremꝗ artem intrepidis conſtantiſsimíque animo uiris oſtenderet, cum non tantum literis, quæ propriæ nobilium eſſe deberent, uerumetiam moribus, fortitudine, iuſtitia, temperantia, pietate, & quocunque alio uirtutum genere homines illuſtrantur, præfulgeat & decore-

Ecliptica diuidens zodia cum ſecūdum latitudinem.

Signa zodiaci.

Primus gradus arietis.

Ver.

Aeſtas.

Autumnus.

Hyems.

Annus.

Tempus ad incidendum.

Venti fugiēdi.

Hippocras.

Oppoſitiones uitandæ.

Ptolomæus.


Federicus Carrapha.

tur. Aſtronomia enim cum multum afferat utilitatis in omni ægritudine, in hac
potiſsimum uitam præſtat. Quam qui ſciuerit, mirabilis, ſtupendúſque dicetur
Hippocrat. iuxta illud Hippocratis in primo ſuorum prognoſticorum dicentis: Eſt etiam
quoddam cœleſte, in quo oportet ipſum medicum prouidere: cuius ſi tanta ſit
prudentia, mirabilis eſt nimiumq; ſtupenda nónne illius eſt, ut futurum pericu-
lum uel omninò prohibeat, uel competéti adminiculo tolerabilius fiat: & ſi mo
rituro finem, alij uerò ſalutem prænunciet, nunquid accuſationem in altero me
Haly. retur? Quod quidem aduertés ille doctus Haly in prologo, quem in librum Hip
pocratis de ſtatu ægrorum ſecundum Lunam compoſuit, his uerbis prorum- »
pens hæc ait: Dixit Hippocras medicorum optimus, cuiuſmodi medicus ſit, »
qui aſtronomiam ignoret, eſt enim tanquam cæcus uiam baculo examinans, »
huc illucq; miſerabiliter ceſpitans: pro qualibet boni, malí ue apparentia phan »
taſtica, & inani, ut fatuus, trepidans & exultans, nullus homo ſe mittere debet »
in manus illius, quia non eſt medicus perfectus, nec nomine medici meretur de- »
corari. Quapropter non poſſum non deridere illos, qui aſtronomiam medico
neceſſariam non eſſe dicát, cupientes hoc modo ignauiam ſuam tegere & igno-
rantiam, fidem non præſtando uerbis illius doctiſsimi uiri, quem fingunt hoc i-
pſum ſcripſiſſe, ut aſtronomiam, quam tanti fecerat, tali ſententia illuſtraret, ad
eamq; capeſſendam audientes feruentius excitatos animaret, ueluti omnes fa-
ciunt authores in ſuis operibus. Enimuerò ſatis eſſet illorum fucata atq; colera
ta excuſatio, cum aſtrologum magis quàm medicum talem uirum cenſeant: niſi
huic uiro ſuppetias afferret, ſuccenturiatusq; ueniret ille facúdiſsimus magnúſ-
Galenus. que Galenus loquens in fine tertij libri de ſpermate, capitulo de cognitione æ-
gritudinis ſecundum planetam, diem, & horam, hæc uerba: Scire etiam medicũ »
decet planetam & ſignum in quo æger ægrotare cœperit, & tempus ſecundum »
diem, & horam, ſi infirmitas fuerit ſecundũ ſigna & planetas. Nam ſi accidenta- »
liter ex acutione ſigni & planetæ eſſet, habet aliam diſtinctionem. Si uerò medi- »
cus neſciuerit infirmitatem per numerum, id eſt, per naturam ſigni & planetæ, »
perſcrutetur pulſum & horas, ut dictum eſt, &c. Hoc idem in Canticis olfecit »
Auicenna. Auicenna obſcurius tamen in 403. dicens hoc modo: Cauſa quidem criſis, ſi ſit »
eorum relatio uera, eſt quoniam Luna uariat actionem in morbis, & in 404. ſub »
iungit: Iam quidem peragrat & abſcindit celeriter circulum ſuum: eſt quidem »
cauſa celeris motus & mutationis, fortificatur quidem interdum in hoc, & in- »
terdum debilitatur: Hoc autem notum eſt in arte aſtronomorum. Quid autem »
ſentiat in hoc princeps, Auerroes ibidem enodabit: Quapropter ſiquis hoc ſci- »
re concupiuerit, conſulat dominum Gauricum Neapolitanum omnium aſtro
nomorum hac in noſtra tempeſtate celebratiſsimum. Cui equidem, ſi ætas tu-
liſſet, adnecterem dominum Matthæum Thaphurium Salentinum, qui ab om-
nibus tanquam Apollinis oraculum in aſtronomia ſanè habetur. Quantum
ergo præſtet ipſa aſtronomia arti medicæ, teſtes ſint ipſi Galenus in eodem li-
bro, & Auicenna contra tales ignaros atque audaces. Vt igitur reuertar ad ſen-
tentiam Haly, ſi ergo non eſt medicus, nec medici nomine meretur decorari,
qui aſtrorum ſcientiam ignorauerit: quid dicendum erit de illo, qui partem i-
pſius medicinæ, ſeu (ut rectius eloquar) medicationis auerſaretur? cum res me-
dicationis una tribus rebus compleatur: una earum eſt regimẽ & nutrientia, alia
eſt medicinarum exhibitio, & tertia eſt manualis operatio, quam cum aliquis i-
gnorauerit, non hæres legitimus, ſed ſpurius ipſius medicinæ reputandus eſt.
Quapropter ut unuſquiſq; uerè eius filius dicatur, exercere ſe debeat in quali-
bet ipſius parte medicinæ. His igitur omiſsis, ad cuiuslibet inſtrumenti, quo in
tali re utimur, formam, & dicenda nomina accedamus.

De inſtru-

De instrumentorum nominibus, & figuris Cap. IIII. de Fiſtula ſiue Syringa tentatiua.

MAnifeſtum eſt igitur quenque artificem formam ſuorum inſtrumentorũ, quibus in ſuo opere utendum eſt, neceſſariò præcognoſcere, ac etiam materiam, qua ipſa conflanda ſint: Ideoq; res modò nos conuocat huiuſmodi inſtrumenta emoliri, quæ quidem promulgabuntur eo ordine, ac ſi ad ipſam operationem nos ipſi accingeremur. ad quod ut facilius habeantur, de ſingulis ſingula capitula facientes, principium ſumemus ab ipſa Fiſtula, quæ & alio uocabulo Syringa tentatiua dicta eſt, eo quia per ipſam in canalem uirgæ poſitam exploramus intimos ueſicæ anfractus, in quibus ſępe latitare ſolet lapillus, quo humana natura ſæpenumero cruciatur: cuius quidem forma talis eſt.



Eiuſq; longitudo ſit tredecim pollicum ſecundum latitudinem ſuperimpoſitorum, teretiſq; figuræ, & ad modum fiſtulæ concauata, ſitq; argento bono fabricata, omniq; aſperitate uacans, ne inter imponendum ueluti ſtrigil naturam irritaret. Sitq; lubrica, tenuiſq; ne multa materia grauetur: cuius extremitas, quæ in canalem uirgæ ponenda eſt, ſphæricè ſit conſolidata. Verùm ab ipſa extremitate parum altius, duo oblonga foramina ſibi oppoſita terebellanda ſunt, ex quibus urina (ſi qua in ea retenta ſit) citò per fiſtulæ canalem excutiatur: Altera uerò extremitas, quæ uirgæ extremitatem ſupereminet, ad tubæ formam malleetur, nec ipſa rectè diſtenta ſit, ſed ab ipſius dimidio uerſus illam partem, quæ ueſicam ingreditur, ſit aliquantulum arcuata, qua poteris longius ſpeculari, intiméque lapidem expiſcari. Scripta eſt igitur fiſtula, quæ & ſyringa tentatiua inter uulgares homines appellari ſolita eſt.

Cap. V. de Itinerario.

SVbſequitur hanc altera, non longè à prima diſsimilis, quæ paululum groſsior, ſolidiorq; dicta eſſe debet. Verùm à dimidio ſui, uſque ad extremũ quod uirgam ingreditur, in ſua conuexitate, concauam eſſe oportet: Cuius nomen Itinerarium dictum eſt, eò quia ſuper ipſum inciſio facienda eſt, quoniam ipſa quo uſque protendatur, nobis fidelisſimè collum ueſicæ patefacit: unde ſibi tale nomen aſſumpſit: Cuius enimuerò forma talis eſt.




Concauumq; habet dorſum: ad hoc, ut cum inciditur talem nouacula concauitatem ingreſſa, completam inciſionem, uſque ad canalem ueſicæ impreſſam emoliatur: Quapropter ſolers, diligẽſq; ſit operator ipſe, ne hinc inde medietatẽ

itinerarij relinquens, altius quàm neceſſe eſt nouacula imprimatur, quod ſi accideret, maledicis & inuidis operator, nedum infirmus miſerrimo periculo exponeretur.

Cap. VI. de Nouacula.

DEinceps neceſſarium eſſet, ut de nouacula, forma cuius talis eſt,



ſermonem ipſi exordiremur: ni per ſe ſatis cognita exiſteret, quando barbitonſorum peculiare ſit inſtrumentum, qua cum uolunt barbam depexam abradere, uno ipſius tractu mille ruunt pili. Veruntamen iſtam, qua nos ad hanc faciendam utimur operationem, macriorem minorém ue illa, quàm utendam barbitonſores habent, neceſſe eſt eſſe: ne ſua grauitate medicinales manus fatigentur: Cuius quidem acuitas tanta ſit, ut uno impulſu concauitatem, quam in ſua conuexitate itinerarium habet, quemadmodum cum de ipſo loquebamur, diximus, facilius attingat. Nam ſi ſecando incideremus, ſatis ipſam naturam, quæ minus quàm poſsibile ſit, fatiganda eſt, irritaremus, nullo poſtea ſibi exhibito blandimento acquieturam.

Cap. VII. de Exploratorio.

IAm furtim & pedetentim locum ſibi exploratorium uendicauit, quod proprium exploratorum eſt, ut idoneo aptóque tempore inimicos, quos per longas inſidiarum obſidiones arrectis ſenſibus cubauerunt, ſciant taliter irretire, ut ab inextricabilibus nodis uix ſe collaqueatos ualeant diſſoluere. Quapropter ne nobis ab eodem inſidiæ parentur, quod ſuum eſt, ipſi modo tribuamus. Eſt igitur exploratorium, cuius forma talis eſt, nempe



fiſtula argentea, quæ & uia dicitur, eò quia ipſam ingreditur inciſionem uſque ad concauitatem Itinerarij, quam in ſua conuexitate habet, & per eandem uſque ad eiuſdem extremum, quod in ueſica eſt, delabitur. Quæ, cum illuc peruentum fuerit, ſtatim ſi quid urinæ ibidem fuerit retentum exhauriet. Quod rectum & extenſum eſt ad quantitatem unius palmi, ad hoc ut ueram rectam uiam, à qua nomẽ explorandi ſumpſit, ductoribus commonſtret: de quibus nunc ſermonem facere à nobis conſtitutum eſt.

Cap.

Cap. VIII. De duobus Ductoribus.


OPeræpretium eſt uidere, qua nunc maieſtate ductores ipſi ad nos aduentantes incedunt, poſtulaturi ſua magnifica & egregia facinora literis commendari: ceu militum glorioſorum mos eſt, quos laudatæ gloriæ tentillago ad pericula ſubeunda compellere non deſiſtit, cum cæteris omnibus ſe uirtute militari antecellere frequentiſsimè iactitent. Quamobrem ne à tali ſpe decidant, morem illis geramus neceſſe eſt. Sunt igitur ductores argentei, quos & alij ſtilos uocant, non multum ab exploratorio diſcrepantes, quorum quidem figura talis eſt.



Eorúmque longitudo menſura duorum unius palmi tertiorum menſuretur: uerùm ſolidiores, craſsiorésque exploratorio eſſe debent, quando per eos aperiens ſiue dilatans in uulnus intromittendum eſt, à quo ductores ipſi nominati ſunt. Quorum capita per duos digitos circunflexa foramen habent tranſuerſale, in quibus ſtili conclauandi ſunt, ne inter indicem & medium digitum collocati in ueſicam Aperiens recta uia admiſſuri intropellantur. Quapropter cum tali opere glorientur, ſtant forti conſtantiáque animo indubitatam uiam aperienti inſinuantes, quam ipſum ne timiditate quadã corripi uideatur, animoſius quàm ſua ferat natura, aggreditur.

Cap. IX. de Aperiente.

SI quis modo inſpiceret, qua hilaritate Aperiens geſtiat, cum Ductores locum, quem illud uiam ad lapidem extrahendum faciet, præparaſſent, ipſum denique crederet non minorem uoluptatem animo fouere, quàm qui ad diruendam urbem, quæ diu obſidione milites fatigauerit, accinguntur. Quod quali inſultet apparatu & forma, quæ talis eſt, hîc apparet.




Nunc dicendum eſt: Conflentur igitur duo çqualia crura ferrea more forcipum conclauanda: quæ clauata cum aperiuntur, crucem unam conformabunt. Sed hoc maximè conſiderandum eſt, ut illa duo capita, quæ uulneri primo obuiabunt, ſint in duplo breuiora, quàm illa quæ noſtris manibus capulũ præbebunt, quæ tali erunt curuatura complicanda, ut cum aperientur, duas conſtituãt cruces, cũ uerò claudentur crux una ſine capite appareat. His igitur huiuſmodi fa-

bricatis,duo chalybis latera ad quinq; pollicum longitudinem elongata inhærenda ſunt,quæ in tres partes æquales diuidantur, & in fine unius partis,& alterius principio paruum eſt foramen terebrandum, in quo unum crus breuius taliter eſt clauandum,ut liberè more artuum in illo paruo foramine eludat. Sed breuior pars ſit illa,quæ primo uulnus ingredi debet. At uerò extremum duarũ aliarum partium,quod crus maius abſciſſum intrauerit, utiq; malleandum eſt, quod uulgò dicitur rebattere,ut poſsit liberè in taliſmodi cruris abſciſsione ſurſum deorſumq; decurrere:eodemq; modo & ordine alterum latus componendum eſt.Quo facto,iam Aperiens ſiue Dilatans habebitur.Cui etiam hoc addendum eſt,ut una pars ſuperioris cruris,quæ manibus noſtris ſe capiendã præbet,alteram abſciſſam ingrediatur:ad hoc ut firmius in claudendo atq; aperiendo ſit.Hoc etiam inſpiciendum eſt, ut cum fuerit clauſum, partes extremæ laterum,quæ retuſæ latitudinis ſint,inſimul cõcurrant.Quæ ex parte ſuperiori,quæ carni inciſæ,cum in uulnus impellenda erunt,iunguntur,læuia ſint, omniq; aſperitate careant,ne cum ad operandum aptentur,uulnus ualeant cruentare. Sicq; erit Dilatans ipſum,quod maximo deſyderio, quando extractioni uiam præparauerit,forcipem ad id patrandum aduentare deſyderat. Quapropter,ne tali auiditate priuetur,mordacem forcipem, quoniã ſine ipſo fruſtra operatum eſſet Dilatans,confeſtim ſubſequi ordine ſuo præparemus.

Cap. X. De Forcipe.

EN quo modo plauſu Forceps in ore patulo ferratiles dentes afferens uiam ad doloroſum lapidem extrahendum affectat,annum ſibi exiſtimans quicquid temporis ad bolũ faucibus auidis capeſſendũ elabatur.Quapropter ne tali auiditate nos mordeat (manũ eñ ſcribentis aſpiciẽs,quaſi ſeſe deſignari cupit, quæ ſua ꝓpria erunt,dicere incipiamus. Verũ quia forma ipſa,quæ taliſmodi eſt




omnibus nota eſt, cum ſint duo ferrea haſtilia ad inſtar crucis inſimul conclauata,nihil de eo eſſet dicendum: ſed ne uideamur aliquid, quod ad noſtrum facere propoſitum,dimittere,dicamus igitur, quòd cum fuerint ipſa haſtilia conficata ſimul pars illa anterior, quam in concauitatem ipſius ueſicæ impingemus, ſit à commiſſura ad dimidium unius palmi extenſa ad inſtar anſeris roſtri fabricata,cuius pars ſuperior,quæ corpori adiungenda eſt,lenis ſit, ne ualeat naturã infeſtare: pars uerò interior aſpera & ſpinoſa, ne lapis quem comprehenderit, poſsit ab eorum faucibus excidere.Poſterior uerò pars, quæ duos annulos noſtrorum digitorum capaces habet, ad eiuſdem menſuræ longitudinem præter annulos dictos ab eadem commiſſura elongetur. Quo facto ipſius longitudinem,qua nos ipſi indigemus in tali operatione,nacti erimus. Verùm à tergo ipſorum annulorum duo parui unci oriantur,ut cum opus fuerit,funiculus qui alligata uno annulorum erit,ab uno unco conuerſa in alterum alligetur. Hæc eſt igitur forma ipſius forcipis,qui ſibi duo Latera aliquando iungi uehementer uociferat,

ciſerat,cum bolum,quem ipſe comprehenderat,præ magnitudine ſine duorum laterum auxilio foras extrahere minimè ualuerit.Dicamus ergo qualis ſit illorũ forma,quando forceps eorum ſuffragia in aliqua lapidis extractione aueat.

Cap. XI. De duobus Lateribus.

HAEC duo latera, quorum ſubſidia tantopere forceps inhiat, huiuſmodi ordine conficiuntur.Caleſcat igitur chalybs igne follibus inſufflato, calefactusq́ in formam retuſæ latitudinis,quorum talis eſt forma



redigatur,& ad inſtar roſtri anſeris,ut de forcipe dictum eſt, malleis extendatur ad tantam longitudinem, quanta ultimum forcipis, quod in ueſicæ cauum intromittendum eſt,ualeat complecti ab ea parte commiſſuræ, quæ operantis manus inſpiceret. Sitq́ rectæ longitudinis, qualia ſunt forcipis roſtra. Verùm à parte poſt aliquantulum curuetur, & in formam temonis contundatur, quæ pars ſit quatuor digitorum oblonga,& in ſuperficie dilatata,ſecundum latitudinem unius pollicis, multisq́ foraminibus perforata. His igitur peractis,unum latus erit confectum, eodemq́ modo & ordine alterum conſtituendum eſt. Verùm unum iſtorum taliter aptandum eſt,ut in eo æqualis tabella eludens, oppoſitis foraminibus ſuperponatur,ut latus alterum intra ſe concipiant, quod conceptum in uno tantorum foraminum clauo paruulo ſuſpenſo poſito retineant. Quæ quidem Latera cum ſic fuerint expoſita, forcipem unum facient, quæ ita ſe habebunt,ut de forcipe dictum eſt,quando pars exterior læuis ſit,interior uerò aſpera & ſpinoſa.Quoniam hæc forcipis officio aliquando unà cum eodẽ forcipe fungentur,tum maximè quando forceps ab ipſa cauerna bolum prę magnitudine deficeret effodere. Abſoluti igitur à Lateribus, ſubdamus nunc ſermonem de Frangente in curam non admittendo.poſtea de Verniculo agendum erit,quod calculi euulſionem ſubſequitur.

Cap. XII. De Frangente in curam non admittendo.

SVbſequeretur illud medius fidius inſtrumentum pertractare,eiusq́ formam & modum operandi dicere, quod Frangens dicitur, niſi ab eo maximum, dum adminiſtraretur, periculum talem ægritudinem patienti manibusq́ preca rio expetiti pręceptoris ſubmiſſo inferretur.Quod cum ab exercitatiſsimo quo que in operationem ducatur,fit,ut nedum periculo,uerùm etiã morti infirmus exponatur:ob idq́ de eo ſilendum duxi,ne huic aureæ operationi incredulitas paretur,dum à minus practicis & expertis agitaretur,cum hac in noſtra tempeſtate audaciores magis,quàm doctiores ſint homines, ſibiq́ multum præſumãt atque arrogent,& uideri magis medici,quàm eſſe cupiunt, imitantes ſophiſtarum importunitates.Quapropter de eo nullam faciam mentionem in ipſa calculi extractione,tum quia multũ in operando temporis cõſumitur,difficiliorq́

ſit eadem ab ipſo magiſtro in tali operatione miſerrimum patientem laceraturo: tum etiam ueſica ipſa fractione cóquaſſata aëri & frigiditati exponitur, quo maximè ipſius complexio alteratur: ac etiam longa lapidis frangẽdi inquiſitione ueſica ſæpe læditur, & peſtiferæ lætalesq; inflammationes excitantur. Adde etiam quòd ſecti in ipſa inquiſitione deficiunt: præſertim cum maxima eſſet in tali operatione cura adhibenda, ne fruſto abſciſsi lapidis ueſica illiſa ab eodem incidatur, quemadmodum ait ille elegans facundusq; Cornelius Celſus. Quæ pleraque omnia miſerrimæ necis cauſæ exiſtunt: Cum taliſmodi operatio uno oculorum ictu, ſi poſsibile eſſet, perſtringenda ſit. Quamobrem nos de eo ſilentes, ad capitulum de Verriculo accedamus.

Cap. XIII. De Verriculo quod & buctõn dicitur.

POſtquam lapillus forcipis morſu à domicilio, quod ſibi parauerat, fuerit euulſus, in cauum illud eſt quoddam inſtrumentum inijciendum, ad hoc ut ſi quid lapidis uel ſanguinis coagulati ſit, ab ipſo ueſicæ fundo ad eiuſdem orificium fideliter uerrat: ex quo ſibi nomen Verriculum uendicauit. Cuius forma talis eſt, & ſit hoc modo.



Capiat argentarius argentum, quod ſibi oblatum fuerat, idemq; malleis diſtendat ad longitudinem unius palmi. Quod diſtenſum teretis ſit figuræ, omniq; internodio careat & aſperitate, ueluti iuncus, qui limoſa palude exoritur, in cuius extremitate, quæ primo uulneri inhærebit, pila una argentea conglutinanda eſt: cuius quantitas unius ceraſi magnitudinem non excedat. Stilus bono fiat argento, ut operator ad quam uoluerit poſitionẽ, eum flectere, & complicare poſsit. Sicq; habebitur inſtrumentum, quod ego Verriculum nomino, quanquã à uulgaribus uulgariter bucton dicatur. Cuius quidem operationem ſtatim alterum inſtrumentum à me Abſtergens dictum ſubſequitur, de quo nunc loquemur.

Cap. XIIII. De Abſtergente ſiue Cochleare.

VLtimo uerò ſequitur poſt Verriculi operationem inſtrumentum Abſtergens, eò quia illud quod Verriculum ad oſtium ueſicæ aggregauerat, iſtud auferendo abſtergit, ex quo hercle dictum eſt: cuius forma hæc eſt,



quæ non multum diſcrepat à forma cochlearis, quo utuntur Turcæ, ex quo etiam Cochlear dicitur, cuius concauum debet eſſe oblongum, & in extremitate, quæ in uulnus immittitur, ſit lunaris reductus, cuius extremitates per quatuor

digitos

digitos in longum protrahantur, quæ in fine ſimul coëant. Vnde poſtea haſtile manibus capeſſendum oriatur ad dimidiū unius palmi extenſum. Verùm in anteriori prora fundum ſit altum, quod cum ad alteram ſui extremitatem ducitur, ſemper ad nihilum deducatur. Sicq; erit Abſtergens, quod alij Cochlear nominant, quo poterit, ut dictū eſt, foras extrahi, quod in ore ueſicę fuerit à uerriculo aggregatum. His igitur expletis neceſſarium eſſe duco, ut eò reuertamur, unde hucuſque deceſsimus, poſtquam illud, quod iam promiſeramus, omni noſtra diligentia præſtitimus.

Cap. XV. De ſitu incidendi.

ORdo, quem nos ante inſtrumentorum digreſsionem ſubſequebamur, qua ſi indignatus nobis non parum minitatur, cum tanto tempore ſui immemores uagaremur. Quamobrem ne iure de nobis conqueratur, nunc ordinem diſſutum iterum conſuere aggrediamur. Quapropter cum domum lapillo laborantis primum ingreſsi erimus, locum inſpiciamus ubi nam lectulus, in quo infirmus ſituabitur, ſternendus eſt, ne uenti hominem denudatum frigore concutiant, aut calore fatigent, ſi quando neceſsitas æſtatis tempore talem eſſe operationem ſubeundam anguſtijs doloribusq; intimis fatigatum hominem aſtringeret. Quo quidem tempore talis eſt meo iudicio fugienda operatio, ne aliqua uulnus corruptione inficiatur. Et ideo tali tempore huiuſmodi officio fungi omnimodo caueamus. Inuento igitur loco, tabella ſiue menſa taliter parieti clauis infigenda eſt, ut ſi ab aliqua parte impelleretur, conſtans immobilisq; maneat, qua ſuper poſitus lectulus ab ea parte, qua magiſter operabitur, talem accliuem ſitum faciat, ut cum in eum infirmus aſcenderit, ſedere potius, quàm cubare ab aſtantium oculis cernatur. Quem cum nos in tali loco præparato locauerimus, bindis undiq; uinciemus. Verùm quomodo ſit ipſa ligatura facienda, eandem nos dicere modò tempus nactum opportunitatem uehementer deprecatur. Quare ne à tam aſsiduis precibus fatigemur, de ipſa ligatura capitulum proprium initiemus.

Cap. XVI. De ligatura.

MAnifeſtum eſt illi medius fidius, qui hac in re benè conſyderauerit, magnam partem in tali operatione ligaturam poſsidere. Quoniam nullo alio modo ita idoneè adminiſtraretur, ſicuti hac, quam nos dicemus, ligatura, quæ huiuſmodi eſſe debet. Capiantur pro illius conſtructione, duæ æquales bindæ longitudine ſedecim palmorum commenſuratæ, quarum una alteri in medio ipſarum concatenetur, quæ ſic inſimul anellatæ humeris incidendi applicentur in ea parte, quæ collum dicitur, quam ab uno latere miniſter unus firmiter teneat, ab altero uerò magiſter hoc modo incipiat ligare. Sumat duo capita unius bindæ, quorum quidem unum ante pectus deductum, alterum uerò per humerum in ſubaſcella ad funis formam contorqueat: ſicq; complicando deſcendat quantum ipſum adiutorium extenditur, deinde liget crus iuxta poplitem, eodemque modo, ut prius fecerat, deſcendendo ueniat propè calcaneum. poſtea uerò incruciet ipſa ſuper pedis ceruicem bis pedem circundando: iterum in pedis ceruice cruciet, quæ poſtea in eodem loco, uel ſi longiora fuerint, in ſura connodet. Quo facto altera duo capita, quæ miniſter gubernauerat manibus ſuis apprehendat, & ab ordine non diſcedendo, alterum infirmi latus huiuſmodi capitibus firmiter arctet. Sic itaq; erit ligatura finita. Expeditus igitur à tali ligatura operator ipſe inciſioni ſe maximè præparet cum ſuis inſtrumentis, ut ordine inciſionem talem ſubſequatur. Nunc uerò quomodo id faciendum ſit, dicere propoſuimus.

Cap. XVII. De medici præparatione.

ANtequam in exequenda inciſione manus cõferat,ſua inſtrumenta, de quibus iam ſuperius diſſeruimus ordine,diſponere medicum oportere cenſemus, ne dum uno indigeat,alterum ſibi à minus ſolerte miniſtro exhibeatur. Quo quidem non parũ in operando impediretur,dum propria utenda ſibi expoſceret. Quapropter ne quid temporis fruſtra labatur, nunc ipſum operaturũ cum inſtrumentis exponamus. Poſtquam igitur lectulus, in quo æger ipſe cubet omni diligentia, ut ſuperius dictum eſt, cum de eo ſermonem faciebamus, ſtratus eſt, antequam incidendus bindis irritetur, clam furtimq; ſua ſurripiat inſtrumenta, ne talium apparatu infirmus expaueſceret. Quæ inter tunicæ & diaploidis manicas,omnia diſponat argentea,ordine,quo ſuperius ſcripta ſunt, à Fiſtula ipſa tentatiua per cætera diſcurrendo, donec ad ipſum Dilatans ſe applicuerit: Quod propter diſtenta brachia in caligis ſuper umbilicum eſt cælandum,ibidémque Forceps parum inferius occultandus eſt, quem ultimo propter affinitatem, quam ſecum duo Latera contraxerant,in huiuſmodi extractio ne commodè ſubſequetur. Idq; etiam fieri debet, ut aliquantulum caleſcant, ne ſua frigiditate ualeant ueſicam alterare,cum ipſa frigiditas nedum inimica ſit oſsibus, dentibus, neruis, & medullis, uerùm etiam humani corporis deſtructiua. His igitur ſic abſconditis, debet etiam manicas ambas paruo linteo panno annodare, tum ne inſtrumenta, dum infirmus pertractatur, toruis oculis ab eodem inſpiciantur, tum etiam ne à ſanguine, ſi quid ab ipſo uulnere effluxerit, eiuſdem manus cruententur. Sic itaque magiſter præparandus eſt, ut à tali operatione expeditius abſoluatur.

Cap. XVIII. Quo modo ſit exequenda lapidis extractio.

POſtquam ab illis, quæ neceſſariò inciſionem præterierant, pedetentim receſsimus,& ad eam perpetrandam in ipſo tempore acceſsimus, quam omni,qua decet,cura,diligentia,& attentione nunc perſtringemus, hæc duo ante inciſionem,quando ad ipſam non parum adiumentj afferant, neceſſarium eſſe medicum animo & oculis prouidere,nec non fiſtula tentatiua diligenter expiſcari,omnibus,qui rationibus idem conſyderabunt,facillimè apparebit. Quorum primum eſt incidendi urinã inſpicere,inſpectamq; conſyderare, ſi quæ ſanguinis guttulæ in ea apparuerint,uel eadẽ ſanguineo rubore infecta fuerit. Qui-

Lapis ſpinoſus. bus quidem uiſis,ſtatim ipſe aſperum,ſpinoſumq; eſſe lapidem prognoſticabitur. Huius autem ſignum eſt,quòd in mingendo doloribus atque incenſiuis ardoribus

Lenis lapis. miſer infirmus cruciabitur. Si uerò eadem lactea turbidaq; extabit, læuem lubricumq; lapillum foras eijciendum dicere minimè erubeſcat, eò maximè,quod prognoſticum ſigno huiuſmodi corroborabitur. Nam cum minxerit, pondus quoddam circa pudibunda ſentiet,& dolores non incenſiuos, ſed potius propter urinæ detentionem, qua ueſica diſtenditur, grauatiuos patietur. Cũ uerò his ſignis operator certior factus fuerit,accepta fiſtula tentatiua(quod ſecundum erat conſyderandum,& prouidendum) & in ueſicæ canalem iniecta incipiat calculum explorare atque expiſcari,quo inuento,leui manu circa lapidem fiſtula,cuius rei cauſa adinuenta fuerit,circunducatur. Quo facto ni hebes plumbeuſq; fuerit operator eidem quantitas lapidis manifeſtabitur, quæ multum

Dilatatio. proderit ad dilatantis operationem. Nam ſi paruus,paruam:ſi uerò magnus fuerit lapis ampliorem dilatantis apertionem faciemus. His uerò prælibatis,inciſionem ipſam nunc aggredimur. Purgato igitur ſecundum humoris exigentiam,ut in principio dicebamus,& ſituato ligatóque infirmo,ut in proprijs capi-

Miniſtri tres. tulis ſuperius diximus,tres oportet medicum miniſtros ſecum habere,quorum unus

unus manu ſiniſtra à femore proiecta, ambos teſticulos ſurſum ad pectinem comprehenſos attrahat, dextra uerò manu compactis æquatisq; digitis, pelliculam ad ſiniſtræ natis latus contrahat, ut commiſſura ad latus declinet, ne ſuper ea incidatur quoniam eſſet malum. (Eſt enim commiſſura ſecundum experientiæ ueritatem locus mortalis, ſi ſuper ipſa incideretur.) Cuius diligentia ſit talis, quòd pudibunda æqualiter cum pellicula diſtenta firmiter teneat, quouſque operator ſuum perficiat opus. Duorum quidem aliorum unus ſiniſtrum, alter uerò dextrum pedem firmiter comprehendat, ne in utrunq; latus in adminiſtratione infirmus uacillet. Quo facto, ante pudibũda obſcœnaq; membra operator ipſe geniculetur, eodemq; modo ſtans, primũ nouacula pilos inter anum & coleos natos abradat, poſtea benè rationibus examinet, ubi nam inciſio facienda ſit, cum in hac malè examinata duo poſsint nocumenta inſurgere: quorum primum erit inuoluntarius urinæ mictus, tum maximè hoc accidet, ſi muſculorum os urinam conſtringentium incidatur, qui propè os femoris terminantur, cum quo uirga ab oſſe femoris exortis alligata neruis iungitur, ut in anatomia dicebamus. Alterum eſt hercle, quod non ſine mortis periculo fieret, ſi multum inferius iuxta anum abſcinderetur, cum maximè uereremur, ne aliqua hæmorrhoidalium uenarum incidatur, unde multũ ſanguinis ſuperflueret, tum etiam, ne in dilatando aperientis operatio multum extenderetur ad ipſam ueſicæ neruoſitatem. Quamobrem ut hæc omnia declinemus, locum ipſum deſignabimus inter anum & oſsis femoris extremum, quod duorum extremorum medium dictum eſt. Quo deſignato erigat ſe, & manu ſiniſtra uel dextra, ſi ſiniſter erit, priapum accipiens, dextera uerò, uel ècontra ſecundũ quòd magis idoneus aptusq; fuerit, inſtrumentum itinerarium in eiuſdem canalem immittat, & complicando inſtrumentum uerſus umbilicum uſque ad ueſicæ cauum impingat. Iterumq; reuerſus eo unde ſurrexerat, pollice ac indice manus ſiniſtræ firmiter capiat, quicquid itinerarij ſuperius eminuerit, quod umbilicum uerſus deflectat. Altera uerò totius manus parte priapum ad ſe impellat, & manus dextræ auriculari digito locum, in quo inciſio fiet, ſuper itinerarium frequenter palpitet, quem (ſi tenſum inuenerit: ſin autem non, manu ſiniſtra tantum Itinerarium impellatur, donec locus incidendus intendatur) uno impulſu incidat à latere dextro, ſi dexter erit, ſin autem ſiniſter, à ſiniſtro ſecundum longitudinem. Nam ſecundum hanc inciſionem facilius uilli muſculorum, & inciſa cutis quando ſuas ſequetur rugas, conſolidabuntur. Quapropter non poſſum ſcriptores alios non admirari, teq; præſertim mi Celſe Corneli, cum alij ſecundum latitudinem uillorum, tuq; rugarum, inciſionem faciendam eſſe iuſſerũt, cum in idem maximè inciderent, quod euitandum duxerant tali facta inciſione. Quis ergo in hoc dubitaret, ſiue diſtenſus, ſiue quauis corporis poſitione cubaret, dummodo crura ſimul coirent, uulneris labia non parum diſtare? quod in tali loco fiſtulæ generandæ fomentationes adminiſtraret frequentiſsimo urinæ ſtillicidio. Quam ſi iuxta rugarum longitudinem & uillorum poſitionem ſituaremus, eſſet mirabile dictu, quàm citiſsimè coeuntibus labris conſolidaretur. Igitur ne in talem errorem incurrere ualeamus, fiat inciſio ſecundum longitudinem, & eo uſque nouacula imprimetur, donec operator ipſam in cauum, quod in conuexitate eſt Itinerarij, penitus elapſam ſenſerit, ibiq; parum ſecet, ad hoc ut ſuperficies canalis interior reſecetur. Cuius longitudo ſit ad unguis pollicis latitudinem, aut parum plus. Quo facto præcipiat aliquem tenere nouaculam in ipſa inciſione donec Exploratorium acceperit, quod per latera ipſius nouaculæ aliquantulum inclinatæ intromittat in cauũ ipſius Itinerarij, quod per idem ad ultimum eiuſdem elabatur. Quod cum tetigerit, in concauitate erit ipſius ueſicæ, ex quo cum illuc peruentũ fuerit, ſi quid urinæ fuerit retentæ, foràs effluet, quemadmodũ in ſuo capitulo dictũ eſt. Quod cum factum fuerit, altera manu

Commiſſura cauenda.

Miniſtrorum officium.

Operatoris accõmodatio.

Corn. Celſus.

Exploratorium in eodem loco cōſeruet, altera uerò Itinerarium à uirgæ canale euellat. Deinde unū ex ductoribus ſumptū per latera eiuſdem Exploratorij, ne rectam uiam ad ueſicam exorbitet, immittat. Quo poſito, Exploratoriū ſuo functum officio foras eruat, idq; perpetrans, alterum ductorem per ſocij latera ipſe operator in ueſicam impellat. Quos poſtea inter indicem & medium digitum receptos, & conclauatos, ut in ſuo capitulo ratiocinati ſumus, tantum ſegreget, quantū ipſi inſtrumentū Aperiens ſiue Dilatans inter ſe ualeant collocare: inter quos operator per coſtas ponat ipſum Aperiens, poſitumq; in ueſicam impingat, continuò uniformiq; impulſu, ne impulſus uariatione natura irritetur: hoc ſemper tamen aduertens, ut ductorum unus dextro, alter uerò ſiniſtro lateri adhæreat taliter, ut ab ipſis coſtæ aperientis in ueſicam labi uideantur, quod tantum intrudi debet, in quantum parum ipſorum laterum ſuperemineat. Quo facto, conſtringatur, ut fiat dilatatio tanta, quanta indigere uideatur exiſtimata lapidis magnitudo, quam, dum ipſe exploraret, medicus conceperat, per quam ſtatim forceps in ueſicā per eoſdem ductores inijciatur. Vbi iniectus eſt ductoribus exemptis in utrunq; latus inclinandus eſt, ut appareat lapillus & teneatur. quia ſi apprehenſus eſt, ille ſimul inclinabitur. Quem cum apprehenderit, nulla ui propter feſtinationem admota extrahat, ſi paruus ſiue lubricus, aut ſpinoſus ſit. Si uerò magnus, quem propter boli magnitudinem cognoſcemus, non eſt ſic ſimpliciter extrahendum. Sed quid agendum ſit, modò dicemus, quando uarietas rerum quaſdam etiam animaduerſiones deſyderat. Cum ergo bolum adeò magnum cognouerit, ut uix aut nunquam ab ipſa dilatatione extrahi poſsit, hoc præcipuè agendum eſt, ut forpex ligetur à parte poſteriori in uncis taliter, ne poſsit elicere [elabi] bolus quem momorderat. deinde medicus capiat illa duo Latera, de quibus dictum eſt in ſuo capitulo, quorum unum per inciſionem forcipi ſubdat, intantum quòd cognouerit ſuper ipſum lapidem collocaſſe. Poſterior quidem pars eiuſdem ſuperemineat, alterum uerò forcipi ſuperimponat, & per inciſionem uſq; ad lapidem impellat, donec idem lapidi ſupereſſe concipiat. Pars uerò eiuſdem poſterior deorſum aſpiciat taliter, quòd cum altera crucem facere uideatur: deinde tabella illa, quæ more artuum in uno Laterum eludebat, ſicut in capitulo eorum diximus, unum cum altero aggreget, & crucem unam conſtituat, quam tantum poterit dilatare, quantum ad extractionem lapidis neceſſariā eſſe præſenſerit. (Cum hac uia poterit extrahi lapis quantumcunque magnus ſit: licet ipſe in capitulo de anatomia dixerim, ſi oui quantitatem excederet, diligentiori ſolertia extrahendum eſſe, ne nomen mali medici ſubeundum ſit: quod equidem non ob aliam cauſam dixi, niſi ne iuuenes ante quàm exercitarentur apud exercitatum præceptorē, in ipſam lapidis extractionem temerè irruerent: cum nihil penſi habeant hominem lacerare, dummodo ſui deſyderij compotes efficerentur.) Quod cum fecerit, clauo illo paruulo cōclauet, ſicque duobus forcipibus lapis ille comprehenſus erit. Quam poſtea leniter parumper extrahat manibus ſuis ambos ſimul forcipes ſumentibus. hoc denique modo calculus foras euelletur. Quo extracto capiat ſtatim medicus Verriculum, quod & bucton dicitur, & in ueſicam immittat, quod immiſſum in gyrum per ueſicam ducat, quærendo ſi quid lapidis, uel alter intus remanſerit, quando non unus, nec duo, ſed quatuor, & octo interdum inueniantur. Quod facilè cognoſcetur, ſi lapidem foras extractum manibus acceptum medicus diligenter inſpiciat, quem ſi ab una parte compreſſum eadémque lubricum, & confricatum (quando id ex duorum uel plurium illiſione, & confricatione fiat) eſſe cognouerit, ſtatim alterum forcipe extrahat, extractúmque conſyderet, ſi priori ſimilis eſſet. Si uerò ex pluribus partibus compreſſus eſſet, alterum intus eſſe iudicabit: ſi uerò non, exhauſtam lapidibus ueſicam eſſe dicet. Cum ergo nihil ineſſe intus certificatus fuerit, ultimo ſumere debet inſtrumentū

Signum alterius lapidis.

abſtergens

abſtergens,ſiue cochlear dictum, quod per inciſionem in ueſicam impoſitum, quicquid ſanguinis congelati ſit,foras educet,&hoc non bis,ſed ter quaterque, uel totiens quotiens neceſsitas ipſa exigeret,reiterari debet,ſitq́ꝫ diligens operator, dum Cochlearis officio fungetur,ne aliquod lapidis fruſtũ remaneat,quod ſi caſu aliquo à forcipis morſu exilierit,cauſa iterum fiat regenerãdi lapidis. His igitur hoc ordine expeditis,uera indubitatáque lapidis extractio complebitur. Quo meus magiſter uſus eſt, & frequenter utitur Ioannes de Romanis Cremonenſis de Caſali maiori Romanus incola. Cui etiam plerique omnes inuident, cum ipſi ſexaginta annis chirurgiam exercuiſſent, & nunquam attingere potuiſſent hanc ueram & nouam artem de lapide extrahendo, quam ipſe à natura inſtitutus reperiſſet. Ideóque nunc Deum exoremus, ut hunc uirum nobis conſeruet, quando ipſa natura eum genuerit, ut præſidio ſubſidióque eſſet humano generi, quod per tot ſæcula doloribus lapideis cruciabatur. Quapropter deſinat illa priſcorum authorum fama tollere ſe cœlo, quam laudat longa uetuſtas Hippocratico ſacrata præconio, & huius uiri gloria, per infinita ſæcula propagetur.

Cap. XIX. quo modo inciſio ſeruanda à nocumentis cuſtodiatur, & qui ſit iacendi modus.

EVulſo igitur lapide, ordine & modo quo ſuperius dictum eſt, ante omnia inciſus à uinclis ſoluendus eſt, ſolutusq́ꝫ alio à priori longè diſsimili ordine ligandus eſt, qui talis eſſe debet. Capiat unam bindam operator, eamq́ꝫ per renes deductam ſuper pectinem circuncruciet, capitibus cuius coleos circunuolutos tantum ſuperius attrahat,quantum per miniſtrum diſtenſi tenebantur, ad hoc ut pellicula illa,quæ in peritonæo eſt, diſtendatur, & labia uulneris facilius coëant. Tum etiam ne ſanguinis fluxu, ſi in ea acciderit, teſticulorum pellicula ſiue oſcheum impleatur,unde facilius eſthiomenarentur,& eſſet error peior priori:nam ſi prius doloribus cruciabatur, tunc Acherontis impulſu cymbam aſcendere trudetur ſummo cum operantis dedecore. Hac deniq́ꝫ ligatura facta præcipiatur infirmo aſſurgere,qui cum primum aſſurrexerit,in lectum deducatur,ductusq́ꝫ cubat in eo tali poſitione,qua ſibi commodius quieſcere uiſus ſit. Verùm ſub eiuſdem natibus ſacculum furfure plenum magiſter æqualiter diſtendat,ut cũ urina ab inciſi uulnere deſtillabit, in eodem imbibatur. Collocato igitur infirmo, pannis calidis ſuper uentrem eiuſdemq́ꝫ pedes utendum eſt,ut uulnus à nocumentis,quæ per algorem induci poterant,pręſeruetur:ſicq́ꝫ ipſum uulnus taliſmodi adminiſtratum naturæ ipſi dimittemus,nullo ſibi exhibito medicamine,quod tali tantaq́ꝫ diligentia cuſtodiet, quanta ullus unquam uti in huiuſmodi curatione ualuerit, præſertim cum in omni ægritudine natura ſit curatrix,medicus uerò eiuſdem diligens ſolersq́ꝫ magiſter.

Cap. XX. in quo diæta ordinatur.

NEceſſarium eſt autem, poſtquam ipſum collocauimus, ordinare diætam, qua ſuam degat uitam, cum impoſsibile ſit ſine nutrimento homines nutriri,quare quid appetendum, quíd ue fugiendum in hac ſit ægritudine, modò enarremus. Locato igitur infirmo die primo exhibebimus panem brodio pulli ſine ſale imbibitum, atque uinum benè lymphatum potui propinemus:cum omninò peſsimum & mortiferum ſit,aquam puram ſiue coctã exhiberi. Sequenti uerò die poterit gallinam cum quadam moderatione comedere, uel carnem arietinam,uitulinam atque hœdinam,& ferè quæcunque ſint facilis digeſtionis & boni nutrimẽti,fugiendo cibos groſſos,quales ſunt carneſ bouinæ, uaccarũ,

bufalinæ,atq; auium paluſtrium.& denique omnia ſumma cum diligentia decli net,quæ poſsint lapidem regenerare,quales ſunt piſces, fructus acetoſi, & uirides,panis azymus,& crudus,caſeus recens,uinum groſſum atq; turbidum,aqua quoque turbida,& quæcunq; ſint uiſcoſa, & difficilis digeſtionis, & mali chymi:Cum præſertim ab omni repletione,& crapula ſe cauere debeat. Et ſi fortè in media nocte potum auide inhiaret, quoniam aliquando genio indulgemus, buccellam panis benè fermentati igne aliquantulum torrefactam,uinóque inbibitam prius comedat, quàm poſtea uinũ unius cyathi benè aqua pura & cocta lymphatum ſubſequatur.Iſto ergo ordine per octo dies utatur,deinde ad priſtinum ſuæ uitæ regimen ſe conuertat,ſemper illo intellecto,ut aqua tanquam res perniciosa & humanæ uitæ calamitas deſeratur.

Cap. XXI. in quo accidentia corriguntur.

Expediti ab ipſa diæta,deinceps dicere debemus,ſi qua in ea curatione acciderint,quæ ipſam ualeant impedire,ad hoc etiam ut ipſa corrigantur, ordine ſubſequamur. Primum omnium eſt uentris arefactio,quam ego ſecum detentionem appello,circa quam inſiſtendum eſt alternis diebus clyſtere ex hominis urina,& melle atq; oleo communi ſecundum quantitatẽ qua indigeret addendo ſalis parum.Et ſi febricula aliqua(nam hæc aliquando à primitiua cauſa oritur)pullularet,curanda eſt ſecundum ſuum periodum ſyrupis taliſmodi febriculæ appropriatis,in quibus aqua non utatur infirmus. Nam ea, ſicut ſuperius dictum eſt,tanquam peſtis à medico fugienda eſt. Et ſi fortè inter curandum euacuatione indigeret,id enemate dicto faciat,addẽdo aliquid humoris peccantis eductiuum.Verùm mihi in hoc magis complacitum eſt,ut ſi ſola diæta febricula proſternenda ſit,quòd ad ulteriora minimè procedatur,idq; totum ſecundum humoris peccantis exigentiam prouidendum eſt. Et quia poſſet aliquando ſanguis effluere,regendus eſt cum pannis lineis bis triplicatis in aceto, & ſale imbibitis,circa uulnus applicatis. Cum taliſmodi medicamina repercuſsiua, nõ in loco,ſed circa locũ uulneratum adminiſtranda ſint,iuxta illud Hippocraticum.In his uerò oportet frigido uti,unde ſanguis fluere futurus eſt, non ſuper locâ, ſed circa ea,ex quo apparet error noſtrorum chirurgorum ſuper uulnus frigida applicantium,&c.Quando hoc non ſufficeret, cucurbitulæ coxis & femori adhibendæ ſunt, quæ diuertendo ſanguinis fluxum opprimunt. Hæc de ſanguine reprimendo ſufficiant: quando ſpeciale capitulum in meo compendio,quod de chirurgia ſcripſimus,inueniatur:ad quod recurrendum eſt, ſi hæmorrhagia ſanguinis operatorem nimium moleſtaret. Si autem aliquid ſanguinis in ueſica concretum ſit,(cuius rei ſignum eſt urinæ detentio, & cum emittitur urina conando, aliquid de ſanguine concreto ad muſcæ quantitatem unà extramittitur,uel imus uenter intumuit:) Quæ cum apparuerint, à uulnere per ſyringam in ueſicam inijciatur talis lotio, quæ aceto & ſale cum hominis urina componatur, ſecundum quod extimatum eſt ſanguinem induruiſſe, qua quidẽ eliquatus (quoniam inciſiuam habet uirtutem) fruſtatim decidet. Si uerò adhuc detineretur,per plagam Verriculum,quod & bucton dictum eſt, immittendum eſt,quo quicquid ſanguinis concretum ſit,foras poterit educi, nullo in ueſica dolore cauſato:quando hoc maximè effugiendum eſt,ne ſua irritatione natura proſterneretur taliter,quòd poſtea nullo ſibi præſtito adminiculo eleuaretur.Cum ergo ab iſtis plagatum ipſum eſſe tutum per tres uel quatuor dies cognitum fuerit,ſtatim tota medici intentio ad uulnus conuertatur,in quo ſi quid humidæ carnis oriretur conſolidationem impediens, pulus aluminis Rochæ combuſtæ ponendus eſt, aut puluis ex concharum marinarum teſtis in furno cõbuſtis ſuperinſpergatur.quo nihil eſt pręſtantius,& magis taliſmodi uulneris conſolidati-

Fluxus ſanguinis retinẽdus.

Hippocrates.

Si ſanguis in ueſica concretus ſit.

conſolidatiuum. Oriuntur autem hęc conchylia Tarenti, quorum exterior cor ticis color ſubniger eſt, interior uerò margaritis ſiue perlis ſimilis. Ipſorũ quidē forma iuxta illud latitudinem duorũ, at ſecundũ longitudinem quatuor digito rum eſt, ſecundũ quod maius, uel minus eſt: Veruntamē non amittet formã, qua lem natura ſagax illis ſpecificam præbuerat. Hæc igitur accidētia ſunt in tali cu ratione emendanda, ſummaq; diligentia animaduertenda, poſt quę ſanitas nul li pretio cōparanda in Dei nomine conſecuta erit: cuius nomen per infinita ſę cula collaudetur, ſicut ipſius meretur celſitudo.

Caput XXII. Quomodo mulierum cura ſit facienda.

HVcuſq; de cura, quę tam iuuenibus, ſenibus atq; ipſis adoleſcentulis communis eſt, ratiocinati ſumus ſecundũ noſtrum operari: quod tantum in ſe ſecuritatis habet, quantum ulla unquam lingua dici poteſt, adeò quod ipſa ope ratio aurea appellari mereretur, non quia ipſam operamur, ſed quoniam tutiſsi mos effectus in huiuſmodi operari aſsiduè ſortitur. Quapropter neminē poſſe hac uia periclitari creditum eſt, ut ipſa experientia operationi quotidie aſtipu lari uidetur: pręter illum, quem Deus opt. max. ob ſcelerum nefandorum perpe trationem, uoluerit hac ſumma punitione punire. Quamobrem unuſquiſq; in uita ſua ita ſe præparet, ne ira omnipotentis Dei, quæ ad uindictam lento gradu procedit, eiuſdem turpiſsimis ſceleribus iraſcatur. Nunc uerò ab ipſa ratiōe di ſcrepare non uidetur, ſi quid etiam de curatione paupercularum mulierum di ceremus. Quæ licet rarò ſubijciantur huic ægritudini, tamē aliquando adeò in feſtantur, ut gemitu & ululatu ſibi plerunq; mortē deprecentur. Idcirco ne ge nus fœmineum timidum atq; puſillanime ibi relinquatur: unde homines fortiſ ſimi, atq; animo conſtantiſsimi ſeſe exemerunt: dicamus earum curationē, quæ ſimilis eſt illi, quam maſculis tradidimus in exequenda lapidis extractione. Ve rùm quædam fœminarum propria conſideranda ſunt, antequam ad inciſionē accedamus. Cum primum mulier ſe pertrectandam medico obtulerit, eam me dicus, qua decet reuerentia & honeſtate, omni animi procacitate depoſita, inci piat blandis, phaleratiſq; uerbis alloqui, intemeratã taciturnitatē, qua plurimæ capiũtur, & ſanitatem proſperam offerendo, manibus eandē capiat, quando na tura ad id exequendũ retinentes ſint, & in locũ collocet præparatũ, collacatęq; inſtrumento ueſicã incipiat inquirere, & lapidem expiſcari. Quem ſi paruũ eſſe cognouerit, quod facilè (ſicut dictum eſt in ſuperiori cura) fiſtula tentatiua cir ca lapidē circunducatur manu leui, omninò cognoſcetur, naturæ ipſi relinqua tur, cum is urinã in ceruicem nō cōpellat, quę breuior & laxior eſt, quàm in ma ribus, ex qua ſæpe per ſe excidit. Si uerò magnus fuerit, eadē curatio, quæ de ma ribus eſt dicta, neceſſaria erit mulieri talem calculũ patienti. Verùm locus inci dendus eligatur inter os femoris, & urinæ iter in mulieribus, quando non mul tum propter collũ matricis inferius deſcendere licebit hoc ſcilicet ordine. Poſi to igitur Itinerario in ueſicę canale, quod medicus extra ad ſe impingat, ut dictũ eſt, cum inciſionem facere ſuperius uolebamus. Miniſter uerò capiat cunni la brũ ipſius lateris, in quo fieri debet inciſio, & ipſum ad ſe attrahat taliter, quòd locus inciſioni latè pateat: deinde incidat in latere dextro uel ſiniſtro ſecundũ quòd aptius ad manum uenerit per diſtantiam unius digiti ab oſſe femoris, & fa cta inciſione ordine uti debet, quo in adminiſtrandis inſtrumentis utebamur, cum lapidis à uiris extractionem tractabamus. Nec quenquam decet terreri, ſi plus ſanguinis ex muliebri quàm uirili corpore profluxerit, ad quam curandã omnia, quæ dicta ſunt in ſuperiori cura, huc tranſportari facillimè poterunt. Hæc eſt igitur cura ipſarum mulierum, quæ ad talem operationem ſubeundam hæreditaria paſsione aliquando impelluntur.

Caput XXIII. Exhortatorium ad eos, qui uolunt hanc artem exercere quid facere debeant.

POſtquam igitur promiſſa amicis, ut uires nobis & experientia ſuffecerunt, omni diligentia præſtitimus, iudico oportere modo aliquantulum ratiocinari cum illis, quos uideo deditos eſſe medicinæ chirurgicæ, ne ita præcipites ad eam irruant, antequam ſe exerceant cum aliquo bono exercitato præceptore. Cum omnis doctrina, & omnis diſciplina ex præexiſtenti fiat cognitione, ut Ariſtoteli placet. Cognitio autem eſt (ut ad meum eloquar propoſitum) ut uideant pręceptorem operari, & quę inter operandum recordatione digna ſe præbent, intimæ ſuæ memoriæ recondant: ut ſi quando operari uoluntas eos ceperit, uideantur ſibi ac ſi coram præceptore operarentur, unde ſuæ omnes operationes fœlicitabuntur, quādo aliter ipſam operationē impoſsibile eſſet haberi, maximè ſi inſtrumenta ignorarentur. Cum nos uideamus non ſolum artificem, ſed & naturā ipſam ocioſam eſſe, cum ad operandū debita inſtrumenta ſibi defecerint, quod maximè patet, ſi ſenſuū ſenſationes obtunderentur. Quapropter qui hanc artē exercere uoluerint, ne dedignentur, ſi ipſam ignorauerint, ſibi aliquem præceptorem parare, à quo modum operandi & utendi inſtrumentis fideliter ediſcant: cum taliſmodi operatio non circa bruta, ſed rationalia animalia frequentiſsimè uerſetur, quæ circa ſiqui, quod neceſſariū, eſſet hallucinarentur, ad Charonta miſerrimū hominem migraturum propria ignauia cruciabūt, pro cuius uindicta non ſolum cœli, elementaq; aderunt, ſed in poſterum cruciatus gehennæ, ut ipſe ait Meſue. Quamobrem, ut hæc omnia declinent: & ne huic certiſsimæ operationi incredulitas illorum audacia & ignauia paretur, omnes illos rogatos eſſe uolo, ut quoad ualuerint, diligenter operā nauent huic facultati, qua non ſolum amicos, quorum conſuetudo delectabilis eſt, uerumetiam incredibiles opes, ad quas cupidi & auariſsimi homines inhiant, atq; curſitant domi tutiſsimè congregabunt, illuſtresq; fient. Cum omnis peregrinatio ignota, obſcuraq; ſit, quorum induſtriæ domi & operationes illuſtres eſſe poſſint. quod ſi facient, ut ſpero, quando animam ſe habere ſentiant, Deus optimus max. à quo omne bonum dependet, mentes eorum ad operandū illuſtrabit gratia ſancti ſpiritus, & operationes omnes fœlicitabit, & proſperabit: cui gratias agimus infinitas, cum dederit nobis perficere hoc opuſculum: cuius nomē ſemper ſit collaudatum & benedictum per infinita ſæcula ſæculorum.

AD DOMINVM FABIVM DE SYRODDIS ROMANVM *artium medicinæq; Doctorem inſignem, cæteróſque amicos.*

EN quodà me tantopere petijſtis, in noſtra parua officina excuſum uobis tranſmitto, quod perinde erit, ut uos illud accipietis, atque à maledico tuebimini uobis occurſuro: Qui ſi maledicere perget, meo hæc illi nomine dicitotè: Si meram liberámque maledicendi facultatem nanciſci deſideras, conſimile ædito: quod ni factum fuerit, tibi dica iniuriarum aſcribetur, & tanquam fur, maledicúſque in ius deductus publicè de tuis ſceleribus plectèris. Cætera tuæ mi Fabi prudentiæ ingenióque committo, quo alios in diſputando uincis, eodem maledicos, ni mea ſuffecerint, coerceto, acutóque rationum ſpiculo, eoſdem nauiter perterrefacito.

Valete omnes, méque ueſtrum eſſe non dubitetis.

Ioannes

IOANNES DE ROMANIS DE CASALI MAIORI CREmonenſis Chirurgus Mariano Sancto Barolitano phyſico & medico excellentiſſimo. S. D.

NON leui certè lętitia affectus ſum Mariane chariſsime, cum libellum tuum de lithiaſi, eiuſq; remedijs, non abſolutum modo, uerumetiam chalcographis ædi paratum uidi. De quo, ut tibi uerè meam promam ſententiam, poſſe eum exiſtimo fieri ſalubrem, & noxium. Mirabere quando hæc audies, quaſi non probem. Non mirabere, ſi conſideres, ac perpendere uelis, quæcunq; in humanis ſunt, eiuſmodi eſſe: bona, ſi benè utantur homines: mala, ſi malè. Si itaq; opus hoc tuum ad doctiſsimorum & tui ſimilium peruenerit manus, non dubito forè ut & propter rei nouitatem, de qua ad huc ſcriptum non uidimus, & propter ingenij in ijs excogitandis acumē, & ob aptè diſpoſita membra, atque elegantiam, ſummas ac propè diuinas laudes indipiſci poſsit. At rurſus cum Empiricorū patebit iniuriæ, qui nil prorſum penſi habent, niſi ut prædentur, & in coccinea ueſte & crepidis, geſtu compoſito, quicquid animi aut uirium habent, linguæ committunt, uulgumq; fallunt peſsimi circulatores. Tum ego (ni me coniectura fallit) uaticinor forè, ut magno plurimorum malo opus hoc prodeat. Tu ſiquidem in eo, tum inſtrumentorum pictura, tum demonſtrandi facilitate, uiam ad hoc ipſum paraſti. Enimuerò quia ruditas atque imperitia eſt ſuperbiæ mater, illi, cum hæc uiderint, ſtatim ſe ſabros putabunt. Neque id agent, ut diſcere prius quàm profiteri uelint: uti tu ſcilicet tali ingenio præditus ac diſciplina feciſti. Qui ex Barolo Apuliæ urbe Romam profectus, ne uerbum quidem hiſcere antè auſus es, quàm te mihi in amicitiam fidemq; crediditi, meq; plurima experiri in arte conſpicatus es, ac ſumma pariter tum ingenij, tum manuum dexteritate es operatus. Quòd ſi inquam illi in hoc opus inuaſerint, quibus linguæ promptitudo pro ſapientia eſt, quantam futuram putas perniciem hominum, qui calculo malè affecti ſeſe eis crediderint. Nempe hi & ſcientiæ omnis & experimenti impotes, non nugis modo, ſed præmij utilitate alliciunt: cum æquum ſit, uile eſſe, quod nullius eſt pretij. Porrò homines natura minimo mercari quærunt. Quare ut hic tuus liber pari ſit in omnes libra, & ad iuuandum inſtitutus, æquè omnibus proſit, optandum eſt: aut ut illi quidem reſipiſcant à garrulitate & nugis, ſeq; ad diſciplinam ſimul & ferulam comparent, nec homines neci dare pro nihilo habeant: aut ut languentes ipſi non ita deſipiant, ut arcæ potius quàm uitæ parcere uelint, ac pretij uilitatem ſectati ſeſe ipſi perimant. Sed doctos & experientiæ compotes, qualis tu es, nulla non præmij & honoris mercede inuitent. Ita futurum uidelicet arbitrari poſſumus, ut æternas laudes opuſculum hoc mereatur, & gloriæ tibi comparet immortalitatem. Vale.

EXCELLENTISSIMO ARTIVM ET MEDICINAE DOCTORI DOMINO ANTONIO COMMENduno ſuo chariſsimo Marianus Sanctus Barolitanus S. D.

QVANTI ego te fecerim,& iudicium,& doctrinam tuam, mi Antoni chariſsime,facile innoteſcit ex eo,quòd pluris ſemper exiſtimauerim,quodcunq; à tuo mellifluo ore,& facundiſsimo pectore acutiſſimoq; iudicio & intellectu effluxerit ueritate ſuffultum,& amica ratione ornatum. Ex quo omnes coguntur non ſolum te amare, uerum etiam & colere atq; obſeruare. Quæ quidem omnia mihi inuitamenta ſunt,tum propter non fictam amicitiam, tum etiam propter ſingularem uirtutem, modeſtiam,& ſcientiam,quibus facilè cum omnibus contẽdere potes, ut ad tuum ueridicum iudicium,& ad ueram & non ſophiſticam doctrinam meum libellum quidditatiuum de modo examinandi medicos chirurgos, mitterem corrigendum & emendandum. Quamobrem te oro,atq; obſecro mi Antoni, ut tuo doctiſsimo calamo meus paruulus libellus notetur,feriaturq;,ut ubi opus ſit lituris,lituretur,ut ſine mendis,quoad fieri poſsit, (quándo nullus ſit liber, qui odio careat) per manus maledicorum,qui ubiq; inertes atq; nauſeoli pullulant, ſecurius,tutiúſque migraturus euolare poſsit,tibi ingentem laudem paraturus,quod ſi (ut ſpero) feceris,te non ſolum charum,ſed etiam chariorem mihi præſtiturum cognouero. Vale,meq;,ut ſoles,dilige. Datum Venetijs, decimo Kalendas Iulij, anno dominico M. D. XLIII.

PERITISSIMO ARTIVM AC MEDICINAE DOCTORI Mariano Sancto Barolitano Antonius Commendunus Brixianus Salutem.

NEQVEO non admirari acutiſsimum ingenium tuum Mariane omni diſciplina cumulate, ſanctamq; in humanum genus pietatem tuam attollere,ac ſummis laudibus commendare. Tu enim circumſpiciens ab imperitis pluribus dei optimi medicatiuum munus chirurgicum mortalibus maximè neceſſarium tractari periculis ægrotantium,opus tuum hoc ſaluberrimum parere maturaſti, laudis quippe & gloriæ magis quàm pecuniæ auidus ignorantium caligines nihil morborum diſcriminis habentium illuſtrans, quid quæq; ſit ægritudo,lucidiſsimo & aperto calle ſignificaſti. Quis enim eſt cui ſit incompertum, morbo, cuius non eſt uera cognitio, uera medicinæ auxilia præſtari non poſſe? Quas ob res cum eſſentiam ęgritudinum, & accidentia legitima cuiuſq; curationis fundamenta benè digeſſeris, i propera,& ſtude cudatur,atq; in lucem edatur opus mea quidem ſententia nullius maledici morſus formidaturum.

Vale,ac me tui nominis ſtudioſum dilige. tertio Kalendas Iulij, anno dominico M. D. XLIII.

Reueren-

REVERENDISSIMO ET ILLVTRISSIMO

DOMINO PHILIPPO TRIVVLTIO ARCHIEPISCOPO RHAguſino, ſuoq́ domino plurimum obſeruandiſſimo Marianus Sanctus Barolitanus ſalutarem fœlicitatem exoptat.

S*EMPER* ſibi præpoſuêre, reuerendiſsime & illuſtriſsime Philippe præſul digniſsime, qui uerum rei militaris peritiam habuêre, tria ad debellandos hoſtes, qui contra obſtare poſſent, præcognoſcere. Quorum primum illorum genus, Alterum proprios & patrios mores, Poſtremum, modum bellandi, profligandiq́ hoſtes. Quandoquidem non parum intereſſe arbitrabantur, cum Gallis ne, an cum Hiſpanis bellum geratur: præſertim cum illorum mores inter ſe maximè diſsideant. Cum alterum corporis delitijs, non dico luxui, & uentri deditum eſſe, alterum uerò inedijs & algoribus deſtinatum à patria conſuetudine compertum ſit. Inde fiunt uarij præliandi modi. Nam Galli, ſi primo impetu hoſtes adorti eſſent, humanas uires excedere, quando ipſi nequeant improbos ferre labores, dicerentur. At ſi quoquo modo dilati forent, ne ſubitas manus conſererent, nimio luxu inſoleſcentes effœminarētur. Hiſpani uerò, ſi ſubitò ad prælia ineunda ſine duce Italo accingerentur, timere aliquantulum iudicarentur, gloriæ & honoris maximè cupidi. At ſi dies conſerendi manus paululum dilata eſſet, prudentiores, & in periculis ſubeundis animoſiores ſeſe, pluſquam cuique credibile foret, præſtarent. Nam inter cæteras nationes ſolus Italus, aut qui in Italia educatus fuerit, ſciet ordine milites diſponere, futura pericula præuidere, præſentia declinare, reſq́ oppreſſas erigere, erectas magnificare atque gubernare. Non hæc ideo, quia Italus ſum, profero, ſed quia omnium, qui rectè ſapere dicuntur, tale eſt iudicium, uti Conſaluus Ferdinādus cognomine Magnus capitaneus non obſcuro præconio idipſum prædicabat. Clariſsimis hoc idem exemplis latè patere exiſtimo, ſi in medium adduceretur chriſtianiſsimus ille Rex Gallorum Carolus, qui Neapolitanum regnum inuadens, ferè totius Italiæ dominus efficiebatur, conſultoribus & ductoribus Triuultijs, tuo auo Theodoro & Ioanne Iacobo tuo conſobrino, uiris illuſtriſsimis, atq; magnanimis, ſi tantorum uirorum conſilia ſubſecutus fuiſſet. Sed fortuna, quæ bellicis rebus aſsiduè dominatur, multum eidem inuidens tantum regi perſuaſerat, ne fidem Italis tribueret, per quos regno potiretur, quaſi captiuum eundem Italiæ potentatibus feciſſet, ni fœdifragæ fortunæ fida conſilia tuorū, & uirtutes eo tempore obſtitiſſent, quod ſuo cum magno periculo Rex poſtea cognoſcens, auſus eſt dicere experientia comprobante, Italiam nullo alio modo, niſi ducibus Italis ſuppeditari poſſe, quod quidem aduertens ſapientiſsimus & inuictiſsimus Carolus quintus Romanorum ſemper auguſtus, cum infidam fortunam uelle ſecum nimium iocari præuideret, tanquam perfidam illā paruifaciens, ſuo fœliciſsimo exercitui Italos, uel qui in Italia educati fuerint, pręeſſe uoluit, ut unam, & alteram cum inſtabili fortuna proſperè pugnarent pugnam, quamobrem non tantum Italiæ, ſed etiā monarchię frenum atq; habenas premere, & laxare ſciens quadam monarchali maieſtate fiet perpetuus poſſeſſor, Italorum ſequens in armis conſilia. Ideoq́ taceant, qui Italis detrahere ſtuduerint, quando nihil præclari fiat ſine ſubſidijs atq; Italorum præſidijs. Miſſa nunc iſtæc faciam: nam ego ſcripturus non ſum hiſtorias. Cum igitur Philippe præſul Reuerendiſsime libellum de modo examinandi medicos chirurgos componerem, non ab re forè iudicaui in illo optimorum militum conſuetudinem obſeruare. Sit mihi ergo genus illud, curioſi interrogatores, proprij & patrij mores, accōmodatę reſponſiones: modi uerò belli gerendi profligandiq́ hoſtes, rei medicæ diffinitiones, atq; deſcriptiones. Quibus in-

terrogator hoſtili pugna uincatur, quo uicto palma acquiratur caſtrẽſis, & ac-
quiſita triumphali gloria conſeruetur. Opus quidem utile, uerùm meo iudicio
inuidioſum, ſi ſine tutore per urbem Venetam, ubi innumera inuidorũ multitu
do circumcurſat, uageretur. Non eſt ergo mihi uiſum à ratione diſſonum, tuę di
gnitati libellum, quem modo compoſuimus, dedicare, ſperantes ſatis tutum fo
re, quicquid umbra alarum tuarum protegatur, & canonica atq; imperiali lege,
ac inſtitutione defendatur, & moribus honeſtiſsimis ornetur, necnon amica di
lectione hortetur, per quæ omnia ſecundus nemini mihi uideris, adeò omnibus
uirtutibus, & ſcientijs, affabilitate, & dilectione alijs antecellis: cum tu ſolus ſi-
es, qui Imperiali iuſſu malorum hominum facinora iudicare poſsis, & canoni-
ca eorundem ſcelera cenſere, affabilitate perſuadere, caritatiuo ſermone hor-
tari, ut mala fugiant, & bona conſequantur, ſi boni fieri cuperent homines, quá
do te ad inſtar exempli omnium uirtutum habere deberent, qui humilitatem,
fidem, pietatem, charitatem, iuſtitiam, temperantiam, diligentiam, ſolertiam, a-
cuitatem, & optimorum conſilia, & neceſſariorum conſuetudinem imitari ac-
cingerentur. Ergo ut meus libellus omnes habeat partes, & ad corrigendum, &
ad perſuadendum, ut rectè diſcant, qui medico frui officio concupiuerint, ne
dedignetur tua ampliſsima dignitas eundem ſub umbra alarum tuarum ſuſce-
ptum collocare. Nam cum ſenſerit ſe inumbratum tali fauore, & tanto patroci
nio animatum, poterit tutè per ora maledicentium animoſius decurrere, nullo
liuore denigratus paruulus meus libellus quidditatiuus de modo examinandi
medicos chirurgicos, quem modo tibi Philippe illuſtriſsime præſul atq; reuerẽ
diſsime damus, dedicamusq;. Qui etſi paruulus ſit paruula nãq; ſemper magna-
nimis nobilibuſq; grata fuêre, non propterea ſpernendus eſt officioſiſsimum a-
nimum dantis ſecum afferens. Quod ſi gratioſe atq; benignè ſe aſſecutum ſenſe
rit, quod ſperat, fortior animoſiorq; fiet in linguas detrahentium conterendas,
ſicq; tutus per orbem, & per manus legentium charior euolabit: teq; pontifica
li ſidere afflatum Neſtoreos annos fœliciori lapillo numeraturum, tanquam de
ſe benemeritum (ut optimus maximuſq; deus fatali iuſſu permittat) ut ad maio
ra conſcendas, perpetuo fiet ueneraturus, obſeruaturus, atq; deprecaturus. Ne
uerò te lateat huius libelli occaſio, qualis fuerit, ſic modo accipiat tua reueren-
diſsima dignitas: Cum ueniſſent ad me quidam de induſtria tentãdi gratia, quã-
do nimirum inter ſe commentati eſſent, ut ex ſua interrogatione, & mea reſpon
ſione, tractatum componerent ad medicos chirurgos conducturum eo modo
& ordine mecum ratiocinari cœperunt, quales modo deſcribam, ac ſi i-
terum res ageretur, nec addendo, nec aliquid diminuendo, ut fida
ſit noſtra deſcriptio, unde ſic natum eſt illorum exordi-
um, Iacobo, Andrea, & Mariano in-
terlocutoribus.

Libellus

LIBELLVS QVIDDITATIVVS DE MODO EXAMINANDI MEDICOS CHIRVRGOS, AB EXCELLENTISSIMO PHIloſopho & medico domino Mariano Sancto Barolitano nuperrimè compoſitus. Interlocutores Iacobus, Andreas, & Marianus.

IACOBVS. Poſtquam huc uſq; elapſi ſumus mi ANDREA frater chariſsime, dum noſtras ſupputabamus rationes, progrediamur aliquantulum illuc uſque, ut facetiſsimum atq; familiariſsimum hominem, cuius fama inter doctos diuulgata eſt, interpellemus, quandoquidem nil gratioſius ſibi etiam laſſo opportuna interpellatione ſubuenirē poteſt, qua de medicina nos eundem percuntemus. Tu uerò mi ANDREA fac taceas. ANDRE. Tacebo. IACOBVS. Dum hominem interrogem. ANDRE. Quam libentiſsimè. IACOBVS. Nam huiuſmodi eſt ingenio præditus ad quæſita tantū reſpondere. ANDREAS. Id quidem ſcio. IACOBVS. Nam ſi gradatim hominem interrogemus, forſan ex noſtra idonea interrogatione, & docta illius reſponſione compilabimus modum examinandi medicos chirurgos, quorum Romæ atq; ubiq; locorum tanta eſt copia, ut me omninò illorum pudeat, cum ſe medicos dicant: & quid ſit poſtea medicina penitus ignorent. Nam ſi iſti noſtram (ut ſpero) habuerint collocutionem, facilè ex ignaris poſſent euadere docti. ANDREAS. Vera mi IACOBE prędicas. IACOBVS. En hominem, tace. ANDREAS. Taceo. IACOBVS. Sic eum modo adoriar. AND. Modeſtè tamen. IACOBVS. Quis hominum hic miſerrimis iſtis egenis atq; pauperculis medetur? MAR. Ego cenſorie. IAC. Tú ne medicus es? MAR. Medicus. IAC. Dicas mihi amabo, quid eſt medicus ſi tibi modo uacat à tuo magiſterio. MAR. Et ſi mihi minimè uacaret, ut uobis morem geram, omnia poſtponam, dum me accommodem aptè ad quæſita ueſtra reſpondere, nam de induſtria me tentandi cauſa huc ueniſtis, ut ariolor, quando ſic ex abrupto incepiſtis nulla facta prius ſalutatione, ſiccine hominem barbatū decipere cupitis iuuenculi? Et quoniam me interrogaſtis, quid ſit medicus dicere: dico, quòd medicus eſt artifex ſcientificus, qui humani corporis diſpoſitiões cognoſcit ex parte, qua ſanatur, uel ab ea rēmouetur, & practicus ſuæ operationis, & conſilij directiuus ad ſanitatem conſeruandam, uel ad deperditam recuperandā. IAC. Vnde dicitur medicus? MAR. A medicina dicitur. IAC. Et quid eſt medicina? MAR. Dico quòd medicina, in abſtracto dicta medicineitas, eſt principiū quoddam nobis intrinſecū, quo anima rationalis induit ſeipſam de ſimilitudinibus ipſius per negociationē quandam acquiſitis, per quod fit poſtea habituata ratione cuius fit habitus, quo concernit ſubſtantiales partes, & accidentales diſpoſitiones corporis humani in eſſe cōſeruatiuo, & curatiuo, dumq; hoc fungatur officio habitus iſte, dicitur medicina. IACOB. Quomodo diffinitur habitus iſte? MAR. Sic diffinitur: Medicina eſt ſcientia, qua humani corporis diſpoſitiones noſcuntur ex parte, qua ſanatur, uel ab ea remouetur, ut habita ſanitas conſeruetur, & amiſſa recuperetur. IACOBVS. Quare dixit Auicenna eſſe ſcientiam? MARIAN. Vt nobis habitum illum demonſtraret, cum ſcientia ſit habitus per indubitatam affirmationem, & fidem negociationis acquiſitus. IACOBVS. Ergo ſcientia & habitus ſunt unum? MARIAN. Vnum. IACOBVS. Quare? MAR. Quia diffinitio & diffinitum ſunt unum. IA-

Medicus qd?

Medic⁹ unde?

Medicina qd?

Diffinitio habitus.

Scientia quid?

Diffinitio & diffinitū unū.

COBVS. Eſtne uniuoca uel æquiuoca medicina? MAR. Medicina nanque
Medicina ē æquiuoca nominis ſignificatioe, non autem appellatione.
ipſa eſt æquiuoca nominis ſignificatione, non autem appellatione. IACOB.
Quo modo eſt æquiuoca nominis ſignificatione? MARIANVS. Quia plura uno nomine ſignificat. In prima nanq; ſignificatione eſt ſcientia uerè dicta.
In ſecunda autem eſt ſcientia communiter dicta, quia immediate à prima cau-
Medicina præcipiens.
ſatur, de qua omnes meminerunt authores. Eſt & medicina ipſum præcipere,
quæ quid ſit fugiendum, quid ue retinendum, quid addendum, quid reſecandũ
Medicina etiã operari.
in aliqua ægritudine, admonet, præcipit, atq; perſuadet. Eſt & medicina ipſum
operari, quod etiam diuiditur in exhibitionem, & adminiſtrationem. Quod ex
Quod exhibetur, aut ē cib⁹, aut potus.
hibetur, aut eſt cibus, aut potus, quod adminiſtratur, aut eſt cataplaſma, aut emplaſtrum, aut unctiones, aut fomentationes, & quicquid ab extra applicari poſ
Quod adminiſtratur.
ſit, aut cuſtodiendo, aut curando, aut palliando, quæ omnia medicina dicuntur. IACOBVS. Effectuatur ne ipſa? MARIANVS. Effectuatur. IACO.
Inſtrumenta medicinę quę?
Quomodo? MARIANVS. Proprijs ſuis inſtrumentis. IACO. Quot ſunt
inſtrumenta medicinæ? MARIAN. Tria. IACOB. Quæ ſunt? MAR. Diæ-
Diæta quid?
ta, potio, & manualis operatio. IACOBVS. Quid eſt diæta? MAR. Diæta ſecundum medicos eſt cibi, & potus ſecundum quantitatem & qualitatem nutritiui uel alteratiui ægritudinis exigentiam & uirtutis conſtantiam, unius diei ordinatio. IACOBVS. Quare dixiſti ſecundum medicos. MARIAN. Quia diæta etiam apud modernos ſignificat, ſecundum principum & militum conſtitutionem, diem ad conſilium rei dubiæ capiendum præfixum ac conſtitutum, ſignificat etiam priuationem cibi & potus ſecundum mores hominum uiuen-
Potio quid?
tium, quæ etiam abſtinentia & ieiunium dicitur. IACOBVS. Quid potio?
MARIANVS. Potio eſt ſecundum medicos quicquid liquidi per os aſſumitur alterandi, aut purgandi, aut corroborandi cauſa inglutire: quamuis etiam ſub forma pilularum, uel boli, abuſiuè tamen, exhibeatur. IACOBVS. Quid
Operatio manualis quid?
manualis operatio? MARIANVS. Manualis operatio eſt, quicquid medicus chirurgus circa apoſtema, uulnera, & ulcera, & contuſiones, fractiones, & diſlocationes ab extra faciendum, & manibus applicandum præcipit & operatur, quamuis etiam cibi, & potus rationem non omittat medicus chirurgus. IAC.
Dixiſti medicum chirurgum? MARIANVS. Dixi ſi benè percepiſti. IAC.
Ergo plures ſunt medici? MARIANVS. Non. IACOB. Quot ergo ſunt?
Medicus unus
MARIAN. Vnus eſt medicus, uerùm poteſt denominationem multiplicem ſuſcipere. IACOBVS. Quomodo? MAR. Aliquando ab inſtrumentis medicinæ, aliquando à membris, & aliquando ab ægritudine. IAC. Hoc equidem quàm maximè abs te ſcire cupimus: quandoquidem non ſatis, quo nam pacto
A diæta medicus diætarius.
fiat intelligimus. MARIAN. Arrigite ergo aurẽs, & quæ modo dicam, ſenſibus percipite. Nam res eſt non parua, ad nonnullorum ignauiam phyſicorum declinãdam. Quandoquidem à diæta dicitur medicus diæteticus, uel diętarius.
Medicus potionarius.
A potione appellatur medicus potionarius. A manuali operatione nominabi-
Medicus manualis.
tur medicus manualis. A membris autem, ut ab oculo medicus oculiſta, à teſti-
Medicus oculiſta
culis teſticularius, à genu genugriſta, & ſic de ſingulis. Ab ægritudinibus, ut ab
Medicus teſticularius.
hernia hernarius: à morbo gallico, gallicurarius medicus, à peſte peſticurator
Medicus genugriſta.
medicus, & ſic de ſingulis. IACOBVS. Poſtquam ſic rationando mi MA-
Medicus hernarius.
RIANE tanquam pater dulciſsime deuenimus ad manualem operationem,
Medicus gallicurarius.
quæ concernit apoſtematum curationem: uulnerum, & ulcerum, euagemur aliquantulum circa iſta declaranda. Nam pauci ſunt, qui manuali operatione utuntur, hac in noſtra tempeſtate, qui ſciant, quo modo & qualiter operentur.
Medicus peſticurator.
MARIANVS. Interroga, nam paratus ſum ad quæſita reſpondere, quandoquidem tanquam digladiator aſto. IACOBVS. Exordiamur ergo primo ab apoſtemate, deinceps ſubſequamur uulnera, quæ ad inciſionem apoſtematum ſequuntur, ultimò uerò ſermonem contexemus de ulceribus, quæ

à uulne-

à uulneribus,ut plurimum oriuntur,quando ulcus ſaniem faciens uulnus dicatur:ut iſti emperici ex noſtra confabulatione habeant,quo ſe poſsint regulare, regere,& gubernare circa hæc omnia curanda,& initiemus à diffinitione apoſtematis. MARIANVS. Percuntamini, quando mihi nihil hoc gratius præſtabitis,præſertim cum hæc,quæ iocando dicimus,plurimis profectura uideantur. Incipe. IACOBVS.Quid eſt apoſtema? MARIANVS. Auſculta antequam ad quæſitum æquiuocum reſpondeam, nam eſt prius id nòtandum, quòd apoſtema duplicem habet diffinitionem,quid nominis, & quid rei. IACOBVS.Quid eſt apoſtema quid nominis? MARIANVS. Apoſtema quid nominis eſt humoris, uel humorum ad certum & determinatum membri locum ſequeſtratio,à Latinis autem dicta abſceſſus,quando particula humoris illa abſcinditur. IACOBVS. Quando diffinitur apoſtema quid rei? MAR. Quando humor ille partes adeò diſgregat unitas, & alterat ſua malignitate locum affectum,& loci tumefactionem faciens,diffinitur ſecundũ quid rei. IAC. Quomodo diffinitur ſecundum quid rei apoſtema? MARIAN. Hoc modo: Apoſtema eſt morbus ex triplici morborum genere compoſitus ad unam magnitudinem aggregatus.ſ.ex mala complexione,compoſitione,& continui ſolutione. IACOBVS. Quot ſunt ergo genera apoſtematum? MARIAN. Duo. IACOB.Quæ? MARIANVS.Calida & frigida. IACOB.Quæ ſunt calida? MARIANVS. Quæ ueniunt à ſanguine & cholera. IACOBVS. Quæ ſunt frigida? MARIANVS.Quæ ueniunt à phlegmate & melancholia. IACOBVS. Quæ ueniunt à ſanguine? MARIANVS. Phlegmone, & eſſere ſanguineæ. IACOBVS.Quæ ueniunt à cholera? MARIANVS. Eryſipelas & formica, & eſſere cholericæ. IACOBVS. Quæ ueniunt à phlegmate? MARIANVS.Oedema & apoſtemata uentoſa, & aquoſa, & frigida fluxa,& dura. IACOBVS.Quæ ueniunt à melancholia? MARIANVS.Nodi,ſcirrhi,& cancri. IACOBVS. Ergo fiunt ab humoribus? MARIANVS. Ab humoribus. IACOBVS. Quot ſunt humores? MARIANVS. Quatuor. IACOBVS. Qui ſunt? MARIANVS. Sanguis, cholera, phlegma, & melancholia. IACOBVS. Habentne cauſas apoſtemata? MARIANVS. Habent. IACOBVS.Quot ſunt cauſæ apoſtematum? MARIANVS.Tres. IACOBVS.Quæ? MARIANVS. Antecedentes, primitiuæ & coniunctæ. IACOBVS.Quæ ſunt antecedentes? MARIAN. Repletio humorum. IACOB.Communicantne in aliquo antecedentes & coniunctæ? MARIAN. Communicant. IACO.In quo? MARIAN. In hoc quòd ambæ ſunt res corporeæ.ſ.humorales,aut complexionales,aut compoſitionales. IACO.Differuntne aliquando inter ſe? MAR. Differunt. IACOB.In quo? MARIAN. In eo,quòd cum cauſis antecedentibus nõ aduenit diſpoſitio, ſed inter eas aliæ exiſtunt cauſæ, quæ ſunt diſpoſitioni propinquiores antecedentibus. IACOBVS.Cauſæ antecedentes communicantne cum primitiuis? MARIANVS. Communicant.IACOBVS.In quo? MARIANVS.In hoc,quòd inter eas diſpoſitiones aliquid exiſtit medium. IACOBVS. Differuntne à primitiuis cauſæ antecedentes? MAR. Differunt.IACOBVS. In quo? MAR. IN hoc,quòd ipſæ ſunt corporales,& etiam inter antecedentes & inter diſpoſitionem proculdubio interuenit medium,ſed in cauſis primitiuis nõ eſt hoc neceſſarium. IACOB. Quæ ſunt cauſæ primitiuæ? MARIAN.Primitiuæ uerò cauſæ ſunt,quæ extra corporis exiſtunt ſubſtantiam, aut ex parte corporum extrinſecorum,ſicut quod ex uerberatione, aut caſu, aut morſu accidit,& ex caliditate aëris,& ex cibo calido & frigido,quę corpori adueniũt,aut ex parte animę.Anima enim aliud eſt à corpore,ſicut quod accidit propter irã,& timorem, & ſimilia. IACOBVS.Differuntne primitiuæ à coniunctis? MAR.Differũt. IACOBVS.In quo? MARIANVS. In hoc quòd cauſæ coniunctæ ſunt

Apoſtema qd'

Apoſtema qd nominis?

Diffinitio apoſtematis ſecũdum quid rei.

Apoſtematũ genera quot.

Eſſere,ſere uel ſaſſe Arabum, ἐpinyctides Gręcorũ ſunt, ut Manardus conijcit.

Quot ſunt humores.

Cauſæ apoſtematum tres.

Cauſæ primitiuæ.

corporales, & etiam quòd inter cauſas coniunctas & inter diſpoſitionem non eſt medium: in cauſis uerò primitiuis non eſt hoc neceſſarium, immò duæ res in eis ſunt poſsibiles. IACOBVS. Quæ ſunt cauſæ coniunctæ? MARIANVS. Cauſæ coniunctæ ſunt cauſæ corporales, ex quibus diſpoſitiones proueniunt primo aduentu, ſed abſque medio. Cauſę primitiuę ſunt cauſæ non corporales, ex quibus proueniunt diſpoſitiones aduentu primo, aut non primo. IACOB. Quare dicitur coniuncta? MARIANVS. Quia eſt unà cum morbo, & morbum fouet cum diſpoſitione membri. IACOBVS. Quot ſunt diſpoſitiones apoſtemata admittentes? MARIAN. Plures, ſicut uirtus expellentis, & debilitas membri recipientis, quoniam ad debile membrum effunduntur ſuperfluitates membrorum, ut habetur in tertiodecimo Therapeuticæ à Galeno dicente: Nam tibi arbitror non excidit, utpote ſæpe à nobis monſtratum, ſuperuacanea, quæ à ualentioribus partibus ob redundantiam uel qualitatem expellun tur, in imbecilliores procumbere, atq; hinc accidere ut glandulæ, quas adenas uocant, facilè fluxiones recipiant, & maximè quæ rariores natura ſunt &c. Et etiam ad quod eſt præparatum ad ſuperfluitates recipiendum, aut propter ſubſtantiæ materiam, quoniam ipſum ſit creatum ſicut cutis, quæ eſt tanquam ſentina omnium humorum: aut propter ſui laxitatem, ſicut caro laxa, quæ eſt in tribus reflexionibus, ſcilicet poſt aures in collo, & in axilla, & inguine: aut propter uiarum, quæ ad ipſum perueniunt, dilatationem, & earum, quæ ab ipſo uadunt, coanguſtationem: aut propterea quòd inferius poſitum eſt: aut propter ſui paruitatem, quoniam illud, quod ex cibo ad ipſum uenit, colligere non ualet: aut propter debilitatem ſui, quoniam illud, quod ad ipſum uenit, ex cibo, digerere non poteſt, propter nocumentum, quod eſt in ipſo: aut propter percuſſionem, quæ materiam in ipſo retinet: aut propterea quòd reſolutio eius deficit ei, quod ab eo reſolui debet, propter exercitium: aut propter calorem ſuperfluum, qui eſt in ipſo, unde contrahitur, ut ipſe refert Auicenna in Doctrina ſecunda Fen ſecundæ primi libri, capite de cauſis apoſtematum. IACOBVS. Habet ne tempora apoſtema? MARIANVS. Habet. IACOBVS. Quot ſunt tempora apoſtematum? MARIANVS. Quatuor. IACOBVS. Quæ? MARIANVS. Principium, augmentum, ſtatus & declinatio. IACOBVS. Quid eſt principium apoſtematis? MARIANVS. Principium apoſtematis eſt præſentia humoris, uel humorum antecedentium, cum incipiunt apparere, & alterare. Augmentum eſt magnitudinis incrementum. Status eſt quando materia aggregata eſt, quæ in eo tempore ſolet aggregari. Declinatio autem eſt materiei reſolutio, apoſtema facientis, quam oſtendit lenitas tenſionis, & debilitas accidentium. Sed notate quòd tempora apoſtematis aliquando denominationem uariant. Nam cum eſt in principio dicitur præſentia humoris, uel humorum abſceſſus uel apoſtema, quando uerò eſt in augmento dicitur exitura, quoniam tunc materia augmentatur, & aggregatur ab exeundo dicta. Quando autem eſt in ſtatu dicitur dubelet, quoniam materia aggregata in ſaniem conuertenda cubum facit, in quo materia ſaniata clauſa retinetur uomica dicta à uomendo, tanquam à receptaculo quodam fluenda ſit ſanies. Declinatio nempe eſt materiei reſolutio uel eiuſdem extractio: Quando omnis ægritudo, quæ ex materia retenta fit, curetur ex illius extractione, quæ eſt dicta curatio. IACOBVS. Quot modis terminatur apoſtema? MARIANVS. Duobus modis. IACOB. Quibus? MAR. Aut reſoluitur, aut in exituram conuertitur. IACO. Quid eſt exitura? MAR. Exitura eſt humoris uel humorum pręter naturam in uno loco facta collectio ad formam ſaniei ſuſcipiendam decliuis. IAC. Quot modis terminatur exitura? MARIANVS. Tribus. IACOBVS. Quibus? MARIANVS. Aut reſoluitur, aut induratur, aut in dubelet conuertitur. IACOBVS. Quid eſt dubelet? MARIAN. Dubelet eſt illa exitura, quę com pletam

Cauſę coniunctæ.

Plures ſunt diſpoſitiones apoſtemata admittentes.

Quot ſunt tempora apoſtematum.

Abſceſſus. Apoſtema. Exitura. Dubelet. Vomica.

Quot modis terminatur apoſtema.

Quid eſt exitura?

Quot modis terminatur exitura?

Dubelet quid?

pletam habet ſaniem,& materiã,ſiue paucam ſiue multam,aut latè, aut profun-
dè aggregatam.IACOB.Differt ne ab exitura? MARIANVS. Differt ſecun-
dum aggregationem & formam ſaniei,quoniam eſt ſaniem faciens, de qua ſpe-
ratur magis,quod fiat ulcus,quàm quòd reſoluatur,& propterea Auicenna di-
xit in capite de ſignificatione,quòd apoſtema fiat exitura.Cum uideris pulſa-
tionem plurimam, aut duritiem prolongatam, & caliditatem, tunc exiſtima,
quòd apoſtema eſt in uia,ut fiat exitura. Vt autem denotaret, quòd exitura fie-
„ ret dubelet,dixit:Cum uideris lenitatem quandam,& ſedationem doloris,tunc
„ ſcias,quòd eſt in uia maturationis,ut fiat dubulet,cum dubulet ſit exitura com
„ pletam habens ſaniem, ut dixi. IACOBVS. Quot modis poteſt determinari Quot modis terminatur dubelet?
„ dubelet? MARIANVS.Tribus.IACOBVS.Quibus? MARIANVS. Aut
„ reſoluitur,aut ulceratur,aut putrefit. IACOB.Quid eſt reſolutio? MARIA- Quid eſt reſolutio?
NVS. Reſolutio eſt materiei ex digeſtione uaporoſa per inſenſibiles nobis po-
ros facta exhalatio.IACOBVS. Cum quo fit reſolutio? MARIANVS.Cum Cum quo ſit reſolutio?
calidis & humidis ſecundum membri exigentiam temperatis.Dico temperatis:
nam multotiens applicui maturantia,& reſolutum eſt:aliquando reſoluentia,
& maturatum eſt,in hoc autem nullam habeo certam regulam,cum calor natu
ralis ſæpe proculdubio contra medici coniecturam operetur. IACOB. Quid Quid eſt maturatio.
eſt maturatio? MARIAN.Maturatio eſt humoris,uel humorum in uno loco
præter naturam aggregati in ſaniem conuertendi præparatio. IACOB.Cum Cum quo ſit maturatio?
quo ſit maturatio? MARIAN.Maturatio fit cum eo, in quo cum calore exi-
ſtit oppilatio, & glutinatio, ut per ipſum calor retineatur, uerùm in hoc maxi-
ma utendum eſt conſideratione. nam quicunq; maturationem efficere uolue-
rit cum aliquo, quod ſit cum calore oppilatiuum,& glutinatiuum,maximè at-
tendere debet,ut ſi uiderit calorem innatum debilem, & membrum iam decli-
nare ad hoc,ut corrumpatur,remoueat ab eo glutinoſa & oppilatiua, & ponat
aperientia,& ſcarificationem faciat profundam:deinde adhibeat medicinas, in
quibus exiſtat reſolutio,& exiccatio.Si uerò apoſtema fuerit profundum, & e-
rit tibi neceſſarium trahere ipſum ad partem cutis,attrahe ipſum, & ſi non cum
alio,ſaltem cum uentoſis ignitis. IACOB. Quæ conſiderantur in apoſtemate Quæ conſiderantur in apoſtemate curado?
curando? MARIAN.Duo,fieri ſcilicet & factum eſſe. IACOB.Quid ſibi ex
petit fieri? MARIAN.Propelli.IACOB.Quid factum eſſe? MARIA. Cu-
rari.IACOB.Quid eſt curatio? MARIAN.Curatio eſt malè affectæ particu Quid eſt curatio?
læ morbum uel alterationem per artem emendare. IACOB. Quotuplex eſt cu Quotuplex eſt curatio?
ratio apoſtematum? MARIAN.Duplex.IACOB.Quæ? MARIAN.Vna di
citur cura per ſe,altera uerò cura per accidens. IACOB.Quæ eſt cura per ſe? Quæ eſt cura per ſe?
MARIANVS.Eſt illa, quæ immediatè talis eſt per naturam. IACOBVS.
Quæ eſt immediatè talis per naturam? nam id quidem non ſatis intelligo. MA-
RIANVS. Dicam, eſt curatio apoſtematis inquantum apoſtema. IACO-
BVS.Quæ eſt curatio apoſtematis inquantum apoſtema eſt? MARIANVS.
Eſt extractio materiei. IACOBVS. Quæ eſt cura per accidens? MARIA- Quæ eſt cura per accidens?
NVS. Eſt illa quæ non immediatè, ſed alio mediante eſt talis, non per natu-
ram. IACOBVS. Quæ eſt illa, quæ alio mediante eſt talis non per naturam?
MARIANVS. Eſt illa, quæ nos diſtrahit à cura per ſe, ſicut eſt repercutere,
aut partim repercutere, & partim reſoluere. IACOBVS. Quæ apoſtemata Quæ apoſtemata curãtur cura per ſe?
curantur cura per ſe? MARIANVS.Quæ inuenerint corporis mundifica-
tionem.IACOBVS.Quæ inueniunt corporis mundificationem? MARIA-
NVS. Quæ fiunt à cauſa primitiua. IACOBVS.Quare? MARIANVS.
Quia cum apoſtema accidit à cauſa primitiua, non deeſt quin cauſa primi-
tiua & eius ueſtigium inueniat aut mundificationem corporis, aut repletio-
nem, quòd ſi obuiat mundificationi, non eſt neceſſariũ niſi curatio apoſtematis

inquantum eſt apoſtema, & curatio apoſtematis inquantum apoſtema,eſt extractio materiei extraneæ,quæ facit accidere apoſtema. Et illud fit per mollificantia,& reſoluentia leuia, ſicut emplaſtrum de farina tritici cocta cum aqua, & oleo,& quandóque excuſat ſcarificatio laborem, & propriè quando apoſtema eſt multæ materiei.Cum autem inuenerit corporis repletionem, cura eſt illius per accidens,quoniam tunc oportet,ut non tangas apoſtema cum mollificatiuis,quoniam attrahetur ad ipſum ſuprà quod reſoluetur ab eo: immò oportet ut euacuetur materia per phlebotomiam, & fortaſſe indiget ſolutione uentris, & cum feceris illud, adminiſtra mollificantia & eius quidem curatio eſt proxima curationi eius, cuius cauſa primitiua inuenit mundificationem corporis,& differt ab ea in hoc,quòd non indiget curatione cum repercuſsione plurima in principio,ſicut indiget illa,immò minus illa. IACOBVS.Quando ergo debemus uti cura per accidens? MARIANVS. Tunc utimur cura per accidens,quando cauſa eſt antecedens non primitiua,tunc enim curatur apoſtema cura per accidens, quoniam oportet, ut incipias cum euacuatione, & comple ei,quod meretur ex phlebotomia,& ſolutione uentris, ſi indiget ea, & neceſsitas quidem eius eſt,aut quoniam corpus eſt immundum, aut quoniam ægritudo eſt magna, quare neceſſaria eſt euacuatio, & minoratio materiei, & attractio ad contrarium, & licet corpus non ſit multarum ſuperfluitatum, tamen in membro quandóque aduenit quod ipſum debilitat, quare attrahuntur ad ipſum materiæ corporis:licet non ſint materiæ ſuperfluitatis, & oportet ut obſerues conditiones prædictas in hoc ex ætate & tempore, & regione,& alijs,& incipe cũ repercuſsiuis,niſi in locis uetitis,quæ ſunt in collo,& ſub axilla, & inguine,deinde oppone augmento cum intromiſsione mollificatiuorum,& humectantium cum refrenatiuis,& quantum procedit in augmento, procedas in additione mollificatiuorum paulatim,& apud finem,& ſtatum,& ultimitatẽ magnitudinis,& additionem ſuæ ultimitatis,fac uincere mollificantia, & fac ea purà,& exiccantia ſunt quæ ſanant in fine,uerùm humectantia,& mollificantia ſunt ad dilatandos poros,& ad ſedandum dolorem.Et exiccatiuum eſt illud,quod ſanat,& prohibet remanere aliquid,quod fiat ſanies, ſi autem non ſanat integrè,& dimittit aliquid, non relinquit niſi rem modicam,quam reſoluit illud in quo eſt acuitas.IACOBVS. Quid eſt propellere? MARIANVS. Eſt repercuſsiuum adminiſtrare.IACOBVS.Quid eſt repercuſsiuum? MARIANVS.Quod eſt materiei ad aliquem locum fluendæ,ne fluat, propulſiuum,infrigidandi, atque ſtypticandi uirtutem habens.IACOBVS. Quando fit propulſiuum? MARIANVS. Quando membra recipientia confortamus. IACOBVS. Quando confortamus membra? MARIANVS. Quando uirtutem eius corroboramus.IACOB. Quot modis membra confortamus? MARIANVS.Tribus.IACOB.Quibus? MARIAN. Aut frigidis & humidis, aut frigidis & ſiccis,aut frigidis & ſtypticis,& ſic tria ſunt genera repercuſsiuorum apoſtematum calidorum.IACOB. Quare ſunt tria repercuſsiuorum genera? MARIAN. Quia tripliciter poſſunt membra debilitari.IACOB. Quo modo? MARIANVS. Aut enim relaxantur membra caliditate & humiditate,& ſic confortantur frigidis & ſiccis,quæ ſunt propria illorum contraria:aut caliditate, & ſiccitate, & ſic confortantur frigidis & humidis : aut caliditate & pororum laxitate,& ſic condenſantur frigidis & ſtypticis.IACOB. Differtne ſiccum à ſtyptico? MARIAN. Differt in hoc, quòd ſiccum deſiccat ſua propria ſiccitate,& per accidens conſtipat,ut ſolet argilla facere,quando alicui mẽbro humido applicatur, ſtypticum uerò condenſat ſua propria ſtypticitate,& per accidens prohibet defluxum.IACOBVS.Quot ſunt apoſtematũ differentiæ? MARIANVS.Tres.IACOBVS. Quæ? MARIAN. Aut ſunt mollia,

uel

Quid eſt propellere?

Quid repercuſsiuum?

Quando fit propulſiuum.

Quare confortamus mẽbra?

Quot modis membra confortamus?

Quare ſunt tria repercuſsiuorũ genera?

Differt ſiccum à ſtyptico?

Quot ſunt differentiæ?

uel dura:aut extrinſeca,uel occulta:aut ulceroſa. IAC. Quomodo curantur duræ? cum de mollibus iam dictum ſit. MARIAN. In apoſtemate duro, quod ſtatus terminum pertranſiuit, regula eſt, ut mollificetur quandoq; cum eo, in quo exiſtit caliditas & ſiccitas parua. IACOB. Quare id fieri debet? MARIAN. Ne quod ex eo ſpiſſum eſt, propter multam reſolutionem fiat lapis. immò totũ ad reſolutionem præparetur, poſtea ſuper ipſum reſolutio fortior fiat. deinde ſi timetur ex reſolutione eius, quod reſoluitur, ne quod remanſit, lapis fiat: iterum ad mollificandum ipſum ſecũdo redeatur, & inceſſanter fiat hoc, donec totum finiatur inter mollificandi & reſoluendi uices. IACOB. Súnt ne inflata apoſtemata? MARIAN. Sunt inflata & aquoſa. IACOB. Quomodo curantur inflata apoſtemata? MARIAN. Inflata apoſtemata curantur ex eo, quod calefacit ſubtilitate ſuæ ſubſtantiæ, propterea quòd uentoſitates reſoluat, & poros amplificet. IACOB. Quæ cauſa eſt apoſtematum inflatorum? MARIAN. Cauſa in apoſtematibus inflatis eſt uentoſitatis groſſities, & pororum clauſura, ideoq; ſtudium quoq; eſt adhibendum in prohibendo materiam, ex qua uentoſus prouenit uapor. IACOB. Sunt ne ulceroſa apoſtemata? MARIA. Sunt. IACOB. Quæ ſunt ulceroſa? MARIAN. Sunt illa quæ ſunt ſicut formica. IACOB. Quomodo curantur? MARIAN. Cum infrigidantibus ſicut phlegmone, ſed non ſunt mollificanda. IACOB. Nónne apoſtemata ſunt mollificanda? MARIAN. Non propterea quòd ſunt apoſtemata, ſunt mollificanda, immò ſunt ſiccanda. IACOB. Quare? MARIAN. Quoniam accidens hoc iam ſuperauit cauſam: accidens enim eſt ulceroſitas, de qua timetur, quod accidat, aut quod iam acciderit. IACOB. Quod eſt illius medicamentum? MARIAN. Medicamentum quidem ulceroſitatis eſt exiccatio, quoniam res ei magis contraria eſt mollificatio. IACOB. Sunt ne apoſtemata occulta? MARIAN. Sunt. IACOB. Quomodo cognoſcuntur? MAR. Non cognoſcuntur manuum & oculorum ſenſu & præſentia, ſicut extrinſeca apoſtemata, ſed rationabili coniectura & ſignis. IACOB. Quomodo ergo curantur, cum ſint cognita rationabili coniectura & ſignis? MAR. Occultorum apoſtematum cura eſt, ut materia minoranda ſit phlebotomia, & uentris ſolutione. & oportet, ut ea habens à balneo, & uino, & motibus corporeis, & animalibus ſuperfluis, ſicut ira & ſimilibus, caueat. Poſtea in principio rei adhibeatur ei, quod abſque nimia ſuperfluitate repercutit, & propriè ſi in membro fuerit, quod ſit ſicut ſtomachus, aut hepar. cúnque hora reſoluendi affuerit, non debes dimittere, quin ſtypticas medicinas bonum habentes odorem admiſceas. & hepar quidem & ſtomachus plus indigent hoc, quàm pulmo. Oportet præterea, ut mollificantia ſubtilia, quæ iſtis adhibentur, ſint medicinæ in quibus exiſtit maturatio, & ſint apoſtematibus conferentes, ſicut ſolanum & caſsia fiſtula. ſolanum nanque proprietatem habet reſoluendi apoſtemata calida, quæ ſunt occulta. IACOB. Eſt ne cibandus? MAR. Non eſt dandus cibus, niſi ſubtilis, & non in hora paroxyſmi, ſi ibi fuerit: neque in principio ſui, niſi propter multam debilitatem fiat. Cum autem ſymptoma ſuperuenerit propter collectionem apoſtematis interioris cum caſu uirtutis, in itinere mortis exiſtit. quoniam uirtus non ſuſtentatur niſi nutrimento: & nutrimentum eſt res magis timoroſa ægro. Si reſolutum fuerit, ualdè bonam erit. quòd ſi aperta fuerint, danda ſunt eis, quæ lauent, ſicut aqua mellis, & aqua zaccari. poſtea dentur eis, quę ſuauiter maturent cum ſiccitate. Et poſtea in fine rei non adhibeantur niſi exiccantia. IACOB. Poteſt ne in his error committi? MAR. Aliquando in apoſtematibus occultis, quæ ſub uentre ſunt & exiſtunt, contingit error. IACOA. Quare? MAR. Quia aliquando non ſunt apoſtemata, ſed rupturæ, & in perforando ea, erit timor, & plerunque apoſtema occultum non exiſtit in panniculo, ſed in ipſo inteſtino, & eſt in apetiendo ipſum timor. quare cautè ages, quicquid ages. IAC.

Quomodo curantur duræ?

Quomodo curantur inflata apoſtemata?

Súnt ne ulceroſa apoſtemata?

Quomodo cognoſcuntur apoſtemata occulta?

Quomodo curantur occulta apoſtemata?

Proprietas ſolani.

Sunt ne mortalia apoſtemata?

Fient ne iſta mortalia, an periculoſa apoſtemata? MAR. De apoſtematibus quidem quædam ſunt mortalia, & quædam periculoſa. IACOB. Quæ ſunt mortalia?

Quę ſunt mortalia apoſtemata?

MAR. Mortalia ſunt, quæcunque fiunt in cerebro, in pia matre, in mediaſtino, & aliquando in pleureſi, in capſula cordis, in hepate, in ſplene, in renibus: & ferè omnia intrinſeca, non ſunt ſine mortis periculo. De extrinſecis »
uerò, quæcunque acuta exiſtente paſsione fuerint in hypochondrijs cum tumo »
re & dolore, mala ſunt, ſi in principio ſubitam mortem non intulerint. Et quæ- »
cunque ſolida, ubicunque apparuerint, maximéque ſi in ano, & matrice fuerint, »
cum dolore horrenda ſunt, & citò mortifera: & ferè omnia eminentia, & quę o- »
mninò extrà ſunt, & minus intrà, & peracuta, laudabilia ſunt. Quæ uerò ſpacio- »
ſa, & minus acuta, peſsima. Hæc Hippocrates in primo prognoſticorum aſſerit, »
& apoſtemata in acuta febre malum. Squinantia peſsima, & citò mortifera eſt, »
quæ in gutture non apparet, nec extat in ceruice cum rubenti tumore, dolore tamen acutiſsimo exiſtente, & ſpiritu orthopnœæ, ut placuit in tertio prognoſticorum, & ferè apoſtemata omnia, quæ in capite lacertorum, & muſculorum fiunt, non omninò tuta ſunt.

Aperiuntúr ne apoſtemata?

IAC. Aperiuntúr ne apoſtemata? MAR. Aperiuntur. IACOB. Quot modis? MAR. Duobus. IACOBVS. Quibus? MAR. Aliquando aperiuntur per ſe, aliquando aperiuntur medico adiutorio. IACOB. Quæ ſunt, quæ aperiuntur per ſe?

Quæ ſunt quę per ſe aperiuntur?

MAR. Quæ ſunt calida, & acuti capitis, & cutis tenuis. IACOB. In quanto tempore per ſe rupturam faciunt?

In quãto tempore per ſe rupturã faciunt?

MAR. Apoſtematum quædam ad uiginti uſque, quædam ad quadraginta, quædam ad ſexaginta dies rupturam differunt, ut placuit Hippocrati ſecundo prognoſticorum. IAC. Quæ aperiuntur medico adiutorio? MAR. Quæ ſunt frigida, uel obtuſi capitis, uel duræ cutis. IACOB. Quotuplex eſt adiutorium medicum in perforando? MAR. Duplex. IACOBVS. Quod?

Quid eſt cauterizatio?

MAR. Cauterizatio, & inciſio. IACOBVS. Quid eſt cauterizatio? MAR. Cauterizatio eſt potentia quædam ignea ex calido & ſicco in materiam quandam reducta. IACOB. Quotuplex eſt iſta potentia ignea? MAR. Duplex.

Quę eſt potẽtialis cauterizatio?

IACOB. Quæ? MAR. Potentialis, & actualis. IACOB. Quæ eſt potentialis? MAR. Quæ ab experto medico componitur ex calce uiua, & cineribus inter ſe aptè menſuratis, atque debito igni ſubiectis.

Quæ eſt actualis?

IACOBVS. Quæ eſt actualis? MAR. Quæ fit ab igne elementario in materiam combuſtibilem recepta.

Quid eſt inciſio?

IACOB. Quid eſt inciſio? MAR. Inciſio eſt continuum in partes diſſoluere.

Quot modis diſſoluitur cõtinuum?

IACOB. Quot modis poteſt diſſolui continuum? MAR. Quinque modis. IACOB. Quibus? MAR. Inciſione, corroſione, tumefactione, percuſsione, & caſu. IACOB. Quo modo appellatur continui ſolutio à re incidente facta? MAR. Vulnus. quæ uerò fit à corroſione appellatur ulcus. quæ à tumefactione uenit, dicitur apoſtema. quæ à percuſsione contuſio, uel attritio. quæ à caſu, fractio uel diſlocatio.

Quot modis medicus inciſionem operatur?

IACOB. Quot modis operatur medicus inciſionem? MAR. Tribus. IACOB. Quibus? MAR. Secundum longitudinem, latitudinem, & circularem. IACOB. Quando utitur medicus inciſione ſecundum longum? MAR. Quando ſequitur poſitionem neruorum, chordarum, muſculorum, & uillorum, ut illorum operationes conſeruentur. IACOBVS. Quando ſecundum latum? MAR. Quando eſt intentio ut illorum operatio deſtruatur, ut in ſpaſmo tranſuerſe neruum uel muſculum incidimus, ut induiduum conſeruemus. melius eſt enim ut uno membro debilitato uiuat homo, quàm ſpaſmo torqueatur & moriatur. IACO. Quando utitur inciſione ſecundum circulationem? MAR. Quando ſinus alicuius apoſtematis adeò magnus eſt, & nos ueremur totam poſitionem inciſione ſequi, perforamus fundum ſecundum formam Lunæ, ut faciliter ſanies poſsit exire, & perforatio aperta cuſtodiatur. IAC. Ergo poſſunt in inciſione medici errare?

Quõ poſsim' reprehenſio-

MAR. Poſſunt. IAC. Quomodo poſsimus reprehenſionem fugere in facienda inciſione?

ſione? MAR. Semper fugiemus accuſationem,ſi poſitionem rugarum ſemper ſequemur in omni inciſione,præterquam in fronte,in qua debemus cutim contra poſitionem rugarum incidere.quoniam ſic muſculi procedunt. IAC. Cum quibus fit inciſio apoſtematum? MAR. Cum inſtrumentis. IAC. Quot ſunt inſtrumenta medici chirurgici ad incidendum? MAR. Tria. IACO. Quæ? MAR. Inciſorium,gamaut & lancetta. uerùm inciſorio & gamaut utimur ad aperienda apoſtemata: Lancetta autem ad uenam phlebotomandam. IACO. Quid eſt inciſorium? MAR. Eſt inſtrumentum arte & induſtria fabricatum ad abradendũ pilos hominũ primo: quamuis etiam,abuſiuè tamen, ad cæterorũ animalium pilos incidendũ transferatur,habens acutiſsimã aciem, & tergũ groſſum ad ſimilitudinem Perſici gladij,ab acie acinacis dictum,malleatum,dictum etiã ab alijs nouacula,& ab Auicéna embula. IAC. Quid eſt gamaut? MAR. Eſt inſtrumentũ acuta cuſpide in ſpeciem falcis deductum, ex ſui concauo præacutiſsimam aciem ſeruans,obtuſum uerò eſt à conuexo,quod tergum dicitur. IAC. Quid eſt lanceola? MAR. Lanceola eſt acutum inſtrumentum ad ſimilitudinem folij herbæ dictæ lanceolæ cuſum, ex utroq; latere aciem habens,ad uenas phlebotomandas inuentum,phlebotomum etiam dicta: quo etiam utuntur Medi ac etiam Turci,qui ſe haberi uolũt prophetas,quos ego uidi inſequentes caſtra Turcorum apud Belgradum,eo tempore, quo Carolus quintus imperator inuictiſsimus,& Sultan Suliman Ottomanus Turcorum imperator unus aduerſus alterum caſtra mouebant, ut apud Budam collatis ſignis concurrerét, quod diuino myſterio fuit prohibitum. Nam unus alteri terga uerſantes ad proprios lares reuertère, quamuis illud non fuiſſet ſine maxima Turcorum calamitate celebratum. Nam inter eos dummodo huc, atq; illuc ad rapiendum, & captiuos captiuasq; uirgines, atq; matronas faciendum, diſcurrerent, ut mos eſt militaris,relictis compluribus Turcorum militibus cæſis atq; trucidatis,uulnerati quàm multi rediere.

nem fugere in facienda inciſione.

Quot ſunt inſtrumenta medici ad incidẽdum?

Quid eſt inciſorium?

Quid eſt gamaut?

Quid eſt lanceola?

Interrogatio de vulnere.

IACOB. Quando ad inciſionem ſic ratiocinando deuenimus,quæ uulnus dicitur,ſubſequamur ſi modo libet mi facundiſsime atque iucundiſsime Mariane,de ulceribus ſermocinari. Nam ut uideo atq; audio ſemper noua excogitas, quæ ex ueterum doctrinis malè à noſtratibus,qui philoſophiã profitentur, huc uſq; intellectis,tua prudentia & doctrina quotidie excerpis, adeò ut rectè ad te referri poſsit,quod in uim prouerbij reductum eſt, Nunquam ad te accedimus, quin doctiores recedamus. MAR. Sequimini.nam ut dixi, hodie uobis moré geram,quibus diem hunc ex animo dedicaui,quàmuis uidemini aliquantulum adulari.Incipite ergo,ut ſemper facitis,interrogare à diffinitione,nã plenus diffinitionum tu mihi Iacobe uideris, quando à ſimilibus alliciantur homines,qui bus omninò rumpereris,ni hac atq; illac perflueres, ut ariolor, uel forſan pater tuus,nam orta ſemper atteſtantur ſua principia,diffiniens appellabatur, quãdo totus in diffinitionibus ſuffoceris. IAC. Iſtud ego modo capeſſam duabus excitatus cauſis,prima,ut tuum ſequar imperium: ſecunda, ut me à diffiniente patre ortum eſſe certificeris. Primo tamen uenia impetrata, petimus, quid eſt uulnus? MAR. Vulnus eſt cõtinui ſolutio à re incidente ex tempore facta in mollibus aut duris partibus,ſine putrefactione cõſiſtens. IAC. Quotuplex eſt uulnus? MAR. Duplex, ſimplex & compoſitum. IACOB. Quid eſt ſimplex? MAR. Simplex uulnus eſt illud, in quo non eſt ſubſtantiæ deperditio, & una tantum intentione curandi curatur & conſolidatur. IACOB. Quid eſt compoſitum uulnus? MAR. Compoſitum eſt,in quo fit deperditio ſubſtantiæ, ac plures intentiones curatiuas ſibi maximè uendicat: ſicut eſt diuiſum continui

Quid eſt uulnus?

Quid eſt ſimplex uulnus?

Quid eſt compoſitũ uulnus?

unire,& conſolidare,& quod ab eo deperditum eſt,inſtaurare, & ſiquid apoſte matis intumuerit,curare, & ſanguinem fluxum coërcere, & moroſagiam [hæmorrhagiam] ſanguinis abſtergere. IACOB. Differunt ne uulnera inter ſe? MAR. Differunt. IACO. Quo nam pacto? MAR. Quia quædam ſunt ſalubria,quædam periculoſa, quædam mortalia.

Quę ſunt uulnera mortalia?

IACO. Quæ ſunt uulnera mortalia? MAR. Omnia uulnera ſubſtantiam cordis offendentia eſſe mortalia nõ dubitabis,quoniam cor non patitur continui ſolutionem, & uulnera ſubſtantiæ cerebri adhærentia,tracheæ arteriæ,meri, pulmonis, hepatis, folliculi, fellis, diaphragmatis,ſtomachi,ſplenis,inteſtinorũ gracilium,renum & ueſicę.& ut uno ore omnia intercludã,quæ ad uitam neceſſariæ uirtuti impedimentũ objiciunt,mortalia ferè ſunt,ut placuit Hippocrati dicẽti libro quinto aphoriſmorũ: » Veſicam inciſam,aut cerebrum,aut cor,aut hepar,aut diaphragma, aut uentrẽ, » aut renes,aut inteſtinorum aliquod gracilium,mortale.

Quæ ſunt periculoſa?

Periculoſa uerò ſunt omnia intrinſeca,quoniam ab extrinſeco aëre ipſa alterãtur,& ſpiritus offenduntur,ac uirtus quæ humanam naturam ſolet fulcire,deſtruitur, ac etiam uulnera, quæ à tribus digitis ſuprà,uel infrà ſecundum iuncturas muſculorum capiti ac lacertorum occurrunt,ſunt ualdè periculoſa. Neruorum quoq; punctura, propter eorum ſenſum,& cõmunitatem quam cum cerebro habent,ſpaſmi ſolet eſſe generatiuam. Cætera uerò , cum ab ijs diſceſſeritis uulneribus, quæ mortalia & periculoſa diximus,ſanabilia eſſe non dubitabitis. IAC. Curantúr ne uulnera? MAR. Curantur. IACOB. Cum quibus? MAR. Suis proprijs modis.

Quot ſunt modi curãdi uulnera?

IACOB. Quot ſunt modi curandi uulnera? MAR. Duo. IACOB. Qui ſunt? MAR. Vnus dictus eſt uia primæ intentionis,alter uerò uia ſecundæ intentionis.

Quid eſt uia primæ intentionis?

IAC. Quid eſt uia primæ intentionis? MAR. Via primæ intentionis eſt iudicium, uel oblatio prima mentis medici circa cõtinui ſeparationem curatiua. IAC. Quid eſt prima mentis oblatio circa uulnera curanda? MAR. Eſt ſeparatum atq; diſcontinuum unire.

Quot modis poſſunt uniri uulnera?

IACOB. Quot modis poſſunt uniri uulnera? MAR. Duobus. IACOB. Quibus? MAR. Sutura & ligatura.

Quid eſt ſutura?

IAC. Quid eſt ſutura? MAR. Sutura eſt labia uulneris ſeparata acu & filo idoneè unire, ut unius lateris pars alteerius parti aptè cohæreat,ut cicatrix pulchra,& nõ deformis facta conſolidatione remaneat.

Quid eſt ligatura?

IACOB. Quid eſt ligatura? MAR. Ligatura in uulneribus eſt panno lineo labia ſutura coniuncta decenti ſtrictura ſeruare. IACOBVS. Quare dixiſti in uulneribus? MAR. Quia ligatura plura ſignificat,ne ſophiſtarum laqueis(quorum ſtudium tantum eſt, uelle decipere,& non ſcire) intricaremini. IACOBVS. Quæ ſignificat? MAR. Significat enim id,quo aliquid ligatur,juxta illud : Ligaturam fatidicæ acceperunt, qua homines feroces ſuis ſceleribus ad trucidandum damnati truduntur, quæ alio uocabulo dicitur ligamen, & ligaculum. Significat etiam partes diſgregatas condecenti poſitione coniunctas,iuxta illud : De lignarijs,quod ſerra, aut bipenni caſu aliquo ſcinderetur, ligatura combinabat,ut magis innatum,quàm commiſſum aſpicientes admirarentur. quæ etiam dicitur ligamentum & commiſſura. Transfertur etiam ad pictores,iuxta illud:Colores adeò ligatura adnectebat,ut natura magis,quàm arte factum cenſeretur. Dicitur etiam de modo ligandi idoneè, & aptè facto, ut diximus.

Quotuplex ligatura?

IACOB. Quotuplex ligatura? MAR. Multiplex. IACOB. Quare? MAR. Quia quædam dicitur æqualis, & quædam retentiua, quibus utimur in ſimplicibus uulneribus, quædam expulſiua, quædam compreſsiua, & quædam incarnatiua, & quædam inſtauratiua, quibus utimur in compoſitis uulneribus. quædam autem dicitur mortificatiua,qua utimur in amputando membro putrefacto & mortificato.

Quid eſt uia ſecundę intentionis?

IACOB. Quid eſt uia ſecundæ intentionis? MAR. Via ſecundæ intentionis eſt iudicium medici introducendæ ſanitati uulneris compoſiti proportionatum. IACOBVS. Quando proportionatur iudicium medici? MAR. Quando ſuas conſtituit

inten-

intentiones curatiuas,quæ iudicia proportionalia ſanitati appellantur. IAC. Quando conſtituit intentiones medicus? MAR. Quando ſibi uiam proponit executiuam curandi uulneris,& in mente ſua decernit remouere omnia impedientia conſolidationem,& applicare delibérat, quæ faciant ad uulneris compoſiti generationem & unionem. IAC. Quæ ſunt impedientia unionem uulneris compoſiti? MAR. Apoſtemata,& quicquid ſuturam fugit. IAC. Quæ ſunt illa,quæ ſuturam fugiunt? MAR. Sunt uulnera ex pugillari,uel tereti telo, uel aliqua ſagitta profundè facta.Quia ipſa aperta tenemus,ne materia ibi incarceretur:quæ ſi ibidem inſpiſſaretur,per communitatem,quam cum chordis uel neruis poſſent habere,dolorem maximum incurrerent, & ideo in primis diebus non ſunt ſutura uel ligatura claudenda. Secundo uulnus,cui aliqua ſui particula deerit, à ſutura omninò ſit alienum.Nam aliter curari non poſſet, niſi prius deperditum regeneraretur.Tertio ſi uulnus fuerit profundum, & ab aere ſatis alteratum,nam ex aërea alteratione occultè ſanies eſt generata, quæ digeſtionem cum abſterſione maximè proclamat. Quarto ſi uulnus ex contuſione fuerit,cum neceſſe ſit contuſum uulnus putrefieri,& in ſaniem conuerti. Quinto ſi uulnus ab alicuius animalis morſu factum fuerit.Quoniam locus ille morſus factus eſt concauus,uel cauernoſus,uel ſapit ſemicontuſi uulneris naturā. quamuis iſte caſus ſuendús ne ſit, aliquando operantis iudicio relinquitur, cum partes ſeparatæ ex morſu poſſint etiam filo interdum coniungi. Sexto cum uulnus os detexerit,ipſumq́; fractum, uel ab almocati diſcoopertum manifeſtauerit,nunquam cum ſutura paciſcitur,ni prius os detectum amiciatur, & fractum integretur. Septimo ſi uulnus profundè factum in loco muſculoſo ex tranſuerſo acciderit,ſuturam omninò reſpuit,ut Auicenna refert in capitulo de qualitate ligandi uulnera,ubi de muſculis & lacertis dicit:aut fuerit lacertus,qui ſit diſruptus in latitudine:quoniam tunc non aggregatur.immò ponatur in medio li cinium,timendo ne incarnetur cutis,& remaneat lacertus non incarnatus, &c. Quare ipſum ſolutum tantiſper uagari cupit,dum ſibi cura ſecundę intentionis tribuatur.Et hoc idem uulnera neruoſa affectare uidentur. Nam ſi ſuerentur,labia eorum cōſolidarentur,& nerui ſubtus rheumatizarēt, quod nempe rheuma ibi incluſum apoſtema generaret.unde ſequeretur,uel diſſuere,uel nouam inciſionem facere.ergo ne hoc patremus, uulnera huiuſmodi ſoluta aliquantulum ſpaciari ſinamus:ut ea facilius poſtea pertractemus. IAC. Quomodo completur curatio uia primæ intentionis? MAR. Vnione partium,& unguentorū adminiſtratione, & ligatura condecenti:quam etiam mulieres ſciunt facere applicatione diuerſarum herbarum,de qua propter ipſius facilitatem nihil dicimus. IAC. Quo modo completur curatio uiæ ſecundæ intentionis? MAR. Proprijs ſuis intentionibus. IAC. Quot ſunt intentiones? MAR. Duæ. IAC. Quæ? MAR. Prohibere accidentia facta,uel uentura, & uulnus conſolidare. IAC. Quot ſunt accidentia uulneris? MAR. Duo. IAC. Quæ? MAR. Propria & concomitantia. IAC. Quæ ſunt propria? MAR. Sanguinis fluxus, apoſtema,& putrefactio. IAC. Quę ſunt cōcomitantia? MAR. Cōcomitantia ſunt mala cōplexio,febris,dolor,ſpaſmus,paralyſis,ſyncopa,& alienatio. IAC. Quid eſt ſanguineus fluxus? MAR. Eſt à uena uel arteria inciſa corroſa uel rupta,ſanguinis emanatio. IAC. Quomodo curatur ſanguineus fluxus? MAR. Infrigidantibus in circuitu appoſitis, & exiccatiuis & glutinatiuis medicinis in loco uulneris iniectis,quamuis temperatus fluxus ſanguinis prohibeat apoſtema. IAC. Quot modis prohibetur apoſtema? MAR. Duobus. IACOB. Quibus? MAR. Phlebotomia,& euacuatiōe. IAC. Quid eſt phlebotomia? MAR. Phlebotomia eſt ſanguinis nutritiui euacuatio. IAC. Cum quo fit? MAR. Cum inſtrumento dicto lancetta à ſimilitudine lanceæ.nam lancea per diminutionem dicitur lancetta:quod à Galeno appellatur craſsion,quod etiā dicitur phlebo-

Quando conſtituit intētiones medicus?

Quæ ſunt impediētia unionem uulneris compoſiti?

Quæ ſunt uulnera ſuturam fugientia?

Quomodo cōpletur curatio uia primæ intentionis?

Quomodo cōpletur curatio uiæ ſecundæ intentionis?

Quot ſunt accidentia uulneris?

Quid eſt flux⁹ ſanguineus?

Quot modis prohibetur apoſtema?

Quid eſt phlebotomia?

Lancetta, Craſſion, Phlebotomum.

Propter quid ſit phlebotomia? tomum. IAC. Propter quid ſit phlebotomia? MAR. Propterea quia ſanguis aut eſt multus, aut eſt malus, aut propter utrunq;. Quia omnis phlebotomãdus, aut phlebotomatur propter ſanguinis multitudiné, aut propter ipſius malitiá, aut propter utrunq;. Et propterea Auic. dixit, Phlebotomia eſt euacuatio uniuerſalis, quæ multitudiné euacuat, & non omnes humores euacuat, cum ſint diſtincta loca aliorum humorum. Et propterea errant, qui dicunt eſſe omniũ humorum euacuatiuam. Nam etiam Galenus in libro de curandi ratione per ſanguinis miſsioné dicit: Febrilis calor multum ſanguinis digerit, atq; abſtinenter „ laborans uictitat, neceſſariò breui illum nutrimentum ex ſanguine deſtituit, &c. „ ſubiungens, Interimq; uirtus exoluitur. Et propterea malè operantur iſti noui, „ qui Galeniſtæ fieri uolunt, phrenetica quadam & puerili iactantia atq; arrogantia uexati, dum uolunt maximam ſanguinis copiá indifferenter euacuare, neſcientes ex illa magna ſanguinis emiſsione uirtutem exolui, & plurimorũ cauſam eſſe malorum, cum operari ſecundũ libros, abſq; perfecta doctrina, & ſolerti ingenio ſæpe in hoſpitali, & ubiq; locorum degentibus, moleſtum ſit. Omittamus iſtos inutiles, ne ab illa, quam dicendam ſuſcepimus, prouincia diſcedamus.

Quotuplex eſt phlebotomia? IAC. Quotuplex eſt phlebotomia? MAR. Multiplex. Nam alia eſt diuerſiua, nutrimentum ſanguineum aliò traducens. alia uacuatiua, ſuperfluum ex ſanguine nutrimentum euomens. alia retentatiua fluxurum ſanguinem impediens. alia attractatiua, ab uno loco ad alium nutrimentum euocans. alia tentatiua, uir-

Vnde uacuatiua? tutem ex inertia ſopitam excitans. IACOB. Vnde fit uacuatiua? MAR. Fit

Vnde diuerſiua? ab eadem diametro ſecundũ longitudinem à parte inferiori. IAC. Vnde diuerſiua? MAR. Fit ab eadem diametro ſecundũ latitudiné. IAC. Retentiua unde fit?

Retentiua unde? MAR. Fit à diametro à parte ſuperiori. IACOB. Attractiua unde? MAR. At-

Attractiua unde? tractiua fit per duas diametros ſecundum longitudinem & latitudinem à parte

Tentatiua unde? oppoſita. IACOB. Tentatiua unde? MAR. Secundum uirtutis exigentiam.

Euacuatio quid? IAC. Quid eſt euacuatio? MAR. Euacuatio eſt materiei peccantis per medicinam eductio. IACOB. Quotuplex eſt medicina eductiua? MAR. Triplex

Medicina eductiua quotuplex? ſcilicet catharticum, pharmacum & medicina. IACOB. Quid eſt catharticũ?

Catharticum quid? MAR. Catharticum eſt quod uirtutem habet uentrem ſoluere, & ulcera purgare, ſicut dicimus ſcammoneam uentrem ſoluere, & ulcera pedum cholerica purgare, quæ habet iſtam proprietatem à uirtute cœleſti & ſpecifica. IACO. Quid

Pharmacũ quid? eſt pharmacum? MAR. Pharmacum eſt quod immutat. quapropter medicina quælibet multum immutans, quocunque modo immutationis, pharmacum

Medicina quid? dicta eſt. IACOBVS. Quid medicina? MAR. Medicina in iſto loco eſt adiectio, & ablatio: adiectio quidem eorum, quæ deficiunt, ablatio uerò eorum, quæ ſuperabundant, ut placuit Galeno in undecimo de ingenio ſanitatis capite duodecimo. IACOB. Obſeruantúr ne conditiones in euacuando? MAR.

In euacuando quot conditiones obſeruandæ? Obſeruantur. IACOB. Quot ſunt? MAR. Decem. IACO. Quæ? MAR. Repletio, uirtus, complexio, accidentia, figura, ætas, tempus, diſpoſitio aëris, & diſpoſitio regionis. IAC. Quid eſt putrefactio? MAR. Putrefactio eſt mem-

Putrefactio quid? Putreſcẽs quid? bri uel eius particulæ corruptio à putreſcente proueniens. IACOB. Quid eſt putreſcens? MAR. Putreſcens eſt quod corrumpit uel impedit, aut prohibet ſpiritum in membro exiſtentem, complexionémque defœdat, quo quidem corrupto aut prohibito, humiditas illius particulæ minimè regulatur, quare putreſcit. IACOB. Habet ne cauſas? MAR. Habet. IAC. Quæ ſunt? MAR.

Quæ ſunt cauſæ putrefactionis? Vna eſt quæ corrumpit uitalem ſpiritum debitam ipſius euentationem detinendo. alia, quæ impedit, ſicut humores craſsi, uiſcoſi, frigidi, qui ſua uiſcoſitate & multitudine ſpiritui meatus impediunt. alia, quæ prohibet, ſicut cauſæ pri-

Quot modis conſyderatur putreſcens? mitiuæ, ut contuſio, percuſsio, & nimia ligaturæ conſtrictio. IACOB. Quot modis conſyderatur putreſcens? MAR. Duobus. IACO. Quibus? MAR. Primo modo, ut diſponit ad putrefactionem. alio quidé modo, ut iam putredo

inducta

inducta eſt. IAC. Putreſcens ut diſponit, quomodo appellatur? MAR. Aſcachilos [Sphacelos] & gangræna. IAC. Putrefactio ut inducta eſt, quomodo appellatur? MAR. Eſthiomenus. IAC. Quid eſt complexio? MAR. Complexio eſt qualitas, quæ fit ex actione adinuicem, & paſsione contrariarum qualitatum in elementis inuentarum, quorum partes ad tantā paruitatem redactæ ſunt ut cuiuſq; earum plurimum contingat, plurimum alterius prouenit. IAC. Quid eſt febris? MAR. Febris eſt calor extraneus accenſus in corde, & procedens ab eo, mediantibus ſpiritu & ſanguine, per arterias & uenas in totum corpus, & inflammatur in eo inflammatione, quæ nocet operationibus naturalibus, non ſicut iræ caliditas & laboris, cum nō ultimatur, & impedit operationem, ita ut retineatur. Vel dicas quòd febris eſt calor ſpiritualis, qui cōtinuè à corde manat, alteratus aut à corruptis humorum qualitatibus, aut ipſorum uenenoſitate, aut eorundem putrefactione, & etiam ab illo, quod poterit ipſum alterare, eatenus perdurans alteratus, quatenus humoroſitate illa naturalis calor cibaretur ſicuti flamma ignis non extinguitur, quandiu habet illud humoroſum ex lignis quo epuletur. IAC. Quid eſt dolor? MAR. Dolor eſt rei contrariæ ſenſibilitas, aut contrariæ qualitatis exiſtentis in membro. Vel dicas, quòd dolor eſt quoddam adueniens ex ſenſibilitate, & re contraria ſolutionem, aut alterationem faciente, ſenſum particularem uel communem affligens. IAC. Quæ ſunt cauſæ doloris? MAR. Cauſa doloris aut eſt ſolutio continui, aut ſubita alteratio. IACOB. Quid eſt ſpaſmus? MAR. Spaſmus eſt ægritudo neruoſa, qua mouentur lacerti ad principia ſua, & inobedientes ſunt in dilatatione. IACOB. Quæ eſt cauſa ſpaſmi? MAR. Eſt repletio & inanitio. IACOB. Eſt ne alia cauſa? MAR. Non: nam Galenus in octauo Miamir capite ſeptimo dixit: Ego autem in ſpaſmo quidem tertiam cauſam præter repletionem & euacuationem nullam uidi. IACOB. Quot ſunt ſpecies ſpaſmi? MAR. Duæ. IACOB. Quæ? MAR. Vna quæ dicitur proportionatus ad materiam. altera, quæ dicitur non proportionatus ad materiam. IACOB. Quotuplex eſt proportionatus ad materiam? MAR. Duplex. IACOB. Qui? MAR. De inanitione & repletione. IAC. Quæ eſt materia ſpaſmi de repletione. MAR. Materia quidem ſpaſmi ſecundum plurimum eſt phlegma, & quandoq; eſt melancholia, & quandoq; ſanguinea materia. IAC. Quæ eſt materia de inanitione? MAR. Materia ſiue cauſa ſpaſmi de inanitione eſt caliditas & ſiccitas. IAC. Quid eſt ſpaſmus non proportionatus ad materiam? MAR. Eſt ægritudo eueniens à cauſa rei impedientis, à qua nerui fugiunt, & congregantur ad expellendum ipſam. IAC. Quæ eſt cauſa illius? MAR. Aut eſt dolor ex cauſa dolorem faciente, aut ex humore calido mordicatiuo, aut à qualitate uenenoſa proueniente ad cerebrum, & ad neruos: ſicut accidit ei, quē pupugit ſcorpius ſuper neruos, aut propter qualitatem non uenenoſam: ſicut cū ſpaſmus accidit, ab infrigidatione uehementi cōgregante neruum & lacertū, & inſpiſſante ipſum, & contrahitur ad caput ſuum. IAC. Eſt ne periculoſus ſpaſmus in uulneribus? MAR. Omnis ſpaſmus ſequens uulnus ſecundum Auicennam eſt mortalis. IAC. Quid eſt paralyſis? MAR. Paralyſis eſt mollificatio, ſeu relaxatio membrorum cauſata propter neruorum oppilationem, neruos relaxantem, in qua ſenſu & motu membra omninò illa priuantur. IACO. Quotuplex eſt paralyſis? MAR. Duplex. IAC. Quæ? MAR. Vniuerſalis & particularis. IACO. Quæ eſt uniuerſalis? MAR. Vniuerſalis eſt illa, quæ totius corporis medietatē, uel totū corpus, excepto capite, comprehendit. nam ſi caput etiam comprehenderet, apoplexia & nō paralyſis dicetur. IAC. Quæ eſt particularis? MAR. Particularis eſt, quæ unū particulare membrum comprehendit, ſicut eſt manus, brachij, pedis, linguæ, & cruris, &c. IAC. Quot ſunt cauſæ paralyſis? MAR. Duæ. IAC. Quæ? MAR. Vna eſt intrinſeca, & altera extrinſeca. IAC. Intrinſeca quæ? MAR. Humores

Aſcachylos.
Gangræna.
Eſthiomenus?
Cōplexio qd?
Febris quid?
Febris quid alio modo?
Dolor quid?
Dolor aliter.
Quæ cauſę doloris?
Spaſmus qd?
Quæ eſt cauſa ſpaſmi?
Species ſpaſmi quot ſunt?
Quotuplex proportionatus ad materiam?
Quæ eſt materia ſpaſmi de repletione?
Quæ materia de inanitiōe?
Quid ſpaſmus non proport. ad materiam?
Eſt ne periculoſus in uulneribus ſpaſmus?
Paralyſis qd?
Paralyſis quotuplex?
Paralyſis uniuerſalis.
Paralyſis particularis.
Cauſæ paralyſis.

quilibet eſſe poſſunt. IAC.Extrinſeca quæ? MAR.Res quælibet non naturalis oppilationem neruorum inducere potens,ut ſenſu & motu membra priuentur,quamuis etiam ſecundum Auic.mala complexio ſine materia paralyſim aliquando inducat,membrum taliter diſponendo ut nequaquã ualeat impreſsionem ſpirituum admittere. IAC.Quid eſt ſyncopa? MAR.Syncopa eſt acuta, ſcilicet momentanea uirtutis concilio. IAC.Quæ eſt cauſa? MAR.Cauſa eſt quicquid ſpiritum uitalem inficere, aut corrumpere, ſeu intercipere potuerit. Sed ſi hæc exquiſitè ſcire uolueritis, legite Galenum in duodecimo de ingenio ſanitatis capite quinto,ubi ſingulas cauſas ſyncopæ colligetis. IAC. Quid eſt alienatio? MAR.Eſt inordinatæ mentis,uerborum & ſermonis prolatio.IAC. Quotuplex eſt alienatio? MAR.Duplex:propria & accidentalis. IAC.Quæ eſt propria? MAR.Eſt illa quæ inſania dicitur. IACO. Quæ eſt accidentalis? MAR.Eſt illa quæ dicitur accidens alicuius acutiſsimæ febris. IAC.Quando fit? MAR.Quando calidi fumi caput aſcendunt. IAC. Qui ſunt iſti calidi fumi? MAR. Sunt illi qui exhalant per neruos ad cerebrum ex humoribus calidis,aut ex cibo & potu alteratis,aut ex aliqua putrefactione corruptis,aut aliqua uenenoſitate infectis,aut ab aërea caliditate ebullientibus. IAC. Quid eſt uulnus conſolidare? MAR. Eſt partes uulneris ſeparatas aliquo medicamine conglutinatiuo coniunctas inſimul firmare. IAC. Quæ eſt medicina conſolidatiua? MAR.Eſt illa quæ ſua uirtute aggregat carnem, & reſtringit, & auget, & ſiccat in ulceribus,quæ ſunt in corporibus,quouſque facit eam mutari in cutim. IAC.Quid eſt cutis? MAR.Eſt caro indurata atque exiccata, opera naturæ & medicaminum uirtute. IAC.Quare? MAR. Quia in re medica duo ſunt agentia. IAC.Quæ? MAR.Principale,& inſtrumentale. IACO.Quid eſt agens principale? MAR.Eſt ipſa natura, quæ principaliter ad aliquid opus faciundum intendit abſolute,uel aliquo mediante. IACO. Quid eſt agens inſtrumentale? MAR. Agens inſtrumentale eſt illud per quod habet natura inducere talem effectum,qui per aliud à natura non poſſet induci, quod propriè eſt à forma ſpecifica, uel quia tale. IACO. Ergo non eſt opera medici ſanare? MAR.Non. IAC. Quare? MAR. Quia natura eſt operatrix, medicus uerò eius miniſter. IAC.Quæ ergo eſt operatio medici? MAR. Operatio medici eſt idonea inſtrumenta naturæ operanti,uel operaturæ,aptè & opportunè exhibere. IAC. Quid igitur eſt propriè medici? MAR. Propriè medici eſt naturã admonere(ut pulchram,& non fœdam cicatricem tam in uulneribus, quàm in ulceribus inducat)diligentia ſua quotidie non deſiſtere,& membra diſlocata propriæ pyxidi & articulo componere.

[Margin notes: Syncopa qd? — Quæ cauſa ſyncopæ? — Alienatio qd? — Quotuplex alienatio? — Propria quæ? — Accidentalis quæ? — Quando fit? — Quid eſt uulnus conſolidare? — Medicina conſolidatiua q? — Cutis quid? — Quot ſunt agentia? — Agens principale quid? — Eſt ne opera medici ſanare? — Quæ eſt operatio medici? — Quid propriũ medici chirurgici?]

Interrogatio de vlceribus.

IACOBVS.

POſtquam de ulceribus mentionem feciſti, non eſt conueniens mi amantiſſime Mariane, ut ea ſilentio pertranſeamus, quamuis aduesperaſcat. Nam & nos ſcimus quàm perfacilè ſit tibi non tantum ratiocinari, ſed etiam ſi uelles librum componere,& propterea id diei, quod modò ſupereſt, plus quam quod neceſſe ſit,ſufficere nobis ſatis compertum habemus ad ratiocinandum. id autem dicimus, ne temporis intercapedine audeas inficias ire, cum non ſemel,nõ bis intellexerimus abs te dictum eſſe, uno die, ſi uelles, componendo atq; ſcribendo librum unum te poſſe complicare, præſertim ſi maleuolorum ſtimulo exciteris.Quanto ergo id faciliùs modo expedies conſuetudine amicorũ,quos oculis chariores non amicabili modo uinculo, ſed quaſi conſanguinitate quadã alligatos animo & toto corde cõplecteris? MAR. Proſequamur ergo,quã do me uinculo amicitię circumſeptũ, atq; dulcedine ueſtra irretitũ poſsidetis.

uerùm

uerùm ſi noctesceret, antequam ab huiuſmodi rei negotio abſolueremur, non
mihi, ſed uobis importunitas iſta temporalis aſcribatur. IAC. Aſcribatur: & ſi
licet etiam nos importunos dici, dicamur, dum potiamur modo eo, quod tan-
topere efflictim abs te expectabamus. MAR. Ordimini ergo, ut ſæpe facitis,
à diffinitione, ne id temporis, quod modo tacito labitur curſu ueſtros animos
inexpletos relinquat. IAC. Periocundè admones. Dic ergo quid eſt ulcus? Vlcus quid?
MAR. Vlcus eſt continui ſolutio cum putrefactione in tempore facta. IAC.
Vnde generantur ulcera? MAR. Generantur ab exituris exulceratis, & puſtu- Vnde generantur ulcera?
lis agitatis, & uulneribus malè tractatis. IAC. Ergo à uulneribus fiunt ulcera?
MAR. Fiunt. nam uulnera cum ſaniem faciunt ulcera dicuntur. IACOB.
Quare? MAR. Quia cum debitum digeſtionis abſterſioniſque tempus tran- Vulnus ſaniē faciens ulcus dicitur.
ſierint, & adhuc ſanioſa, tabidáque extiterint, non uulnera, ſed ulcera erunt ap-
pellanda. unde ſequitur, ut omnis continuitatis ſolutio, quæ pus ſiue uirulen-
tiam, aut ſaniem expuet, ulcus nominetur. IACOB. Súnt ne facilis curatio-
nis? MAR. Aliqua ſunt facilis curationis, & aliqua difficilis curationis. IA-
COB. Quæ ſunt facilis curationis? MAR. Sunt illa quæ ingruunt in corpo- Quæ ſunt facilis curationis?
ra benè complexionata, & bono ſanguine nutrita, cum pauca humorum ſu-
» perfluitate. Nam Auicenna refert, Et corpora ſuſceptibiliora curationis ulce-
» rum ſunt, quæ ſunt melioris complexionis, & paucioris humiditatis ſuperfluæ,
» cum inuentione ſanguinis boni in eis. Illa uerò, quæ ſunt multæ humiditatis, aut
ſiccitatis, ſunt tardè ſuſcipientia rectificationem ulcerum, quamuis humida, ſi-
cut infantium, ſint ſuſceptibiliora quàm ſicca. IAC. Quæ ſunt difficilis cura- Quæ ſunt difficilis curationis?
tionis. MAR. Sunt illa omnia, quæ ſuccedunt alicui ægritudini per uiam ter-
minationis? IAC. Quare? MAR. Quia inde natura exoneratur à ſuperfluita-
tum malorum humorum reliquijs. IAC. Súnt ne alia? MAR. Sunt etiam illa
quæ corpora accidentaliter humida uel ſicca moleſtant. IAC. Quæ ſunt illa?
MAR. Sunt ea quæ accidūt grauidis mulieribus & hydropicis hominibus. IA-
COB. Propter quid? MAR. Propter humiditatē accidentalem in mulieribus
grauidis: in hydropicis hominibus propter ſuperfluitatum putridarum retentio
nem. ac etiam quando ulceribus malis aſſociatur color corporis malus, ſicut al-
bus, plumbeus, aut citrinus, tunc illud eſt ſignificatio propter corruptionem
complexionis hepatis, & corruptionem ſanguinis, qui uenit ad ulcus: quare fit
difficilis eius conſolidatio. IAC. Quæ ſunt corpora ſicca? MAR. Hectica & Quæ ſunt corpora ſicca?
maraſmatica. IAC. Propter quid in ſiccis corporibus tardè conſolidantur?
MAR. Propter ſanguinis boni paucitatem. ſimiliter miſerrima ſenum corpora
tardè ſanantur, tum propter ciborum indigeſtionem, ac chymi indecoctionem.
quoniam in illis calor naturalis extinguitur: tum propter boni ſanguinis pau-
pertatem aſsiduè ulceribus dilaniantur, & propriè quando complexio eſt ra-
dicalis ſicca priuata ſanguine bono mundo. IACOB. Súnt ne alia? MAR.
Sunt etiam illa quæ obuiant ſuperfluitatibus corporis maligni, & inueniunt
membra malè complexionata. IAC. Quare? MAR. Quia membrum malè
complexionatum eſt cauſa, ne citò ulcus conſolidetur. Quare oportebit non
parum elaborare, ut illius complexio rectificetur. IAC. Quamobrem? MAR.
Propterea quòd nutrimentū, quod illuc repit, cōuertitur in ſaniem, cū non regu
letur à natura. IAC. Quid eſt ſanies? MAR. Sanies nil aliud eſt quàm nutri- Quid eſt ſanies?
mentum corruptum, quod natura non potuit digerere, nec in ſecundas humidi
tates conuertere. IAC. Cicatrizantúr ne iſta? MAR. Cicatrizantur. IAC. Per-
manént ne in cicatrizatione? MAR. Quædam ſunt quæ permanent in cicatri-
zatione, & quædā quæ non. IAC. Quæ ſunt, quæ nō permanent. MAR. Sunt il Quæ ſunt quæ non permanent in cicatrizatione?
la in quibus orta eſt caro ante completam mundificationem. IACO. Quare?
MAR. Quia ibi non munda ſuperfluitas occultatur, alitúrque uitium, uiuitq;
tegendo: quare oportet iterū corrumpatur continuitas proueniens ſecundo, &

Quot ſunt genera ulcerum capitalium?

Quot modis poſſunt nomina ſortiri?

propterea fiſtulæ exiſtimantur. IAC. Quot ſunt ergo genera ulcerum capitalia? MAR. Sex. IAC. Quæ? MAR. Saniosum, uirulentum, ſordidum, cauernoſum, putridum & corroſiuum. IAC. Sortiuntur ne ſibi alia nomina? MAR. Sortiuntur. IAC. Quot modis poſſunt ſibi nomina ſortiri? MAR. Quinq; modis. IAC. Quibus? MAR. Primo ab humoribus, ſecundo à ſanie, tertio ab accidentibus, quarto à morbo, quinto à comparatiua animaliũ ſimilitudine. IAC.

Quomodo ab humoribus?

Quomodo ab humoribus? MAR. Hoc modo à phlegmate dicuntur phlegmatica, à ſanguine ſanguinea, à cholera cholerica, à melãcholia melãcholica. IAC.

Quomodo à ſanie nominantur?

Quadrupliciter ſanies nominatur.

Ab accidentibus quomodo?

Quomodo à ſanie nominantur? MAR. A ſanie nominantur quadrupliciter. IAC. Quare? MAR. Quia quadruplici nomine uenit nominanda ſanies. IACOB. Quonam pacto? MAR. Dicitur enim ſanies, pus, uirulentia, & ſorditiẽs. à ſanie appellatur ulcus ſanioſum, à pure purulentum, à ſorditie ſordidum, à uirulentia uirulentum. IACOB. Quomodo ab accidentibus? MAR. Appellantur primo à duritie dura, à cauerna cauernoſa, à fiſtula fiſtuloſa, à putrefactione putrida, à corroſione corroſiua, à cancro cancroſa, à formica formicoſa, à dolore doloroſa, ab apoſtemate apoſtemoſa, ab oſtracis oſtracoſa: & cætera id genus, ſecundum quod iſtorum aliquod ulceri ærumnoſe imminebit: quando iſta ſunt, quæ conſolidationem impediant, & nunquam ſanerentur, niſi iſta prius emendarentur. IAC. Quid eſt phlegma? MAR. Phlegma eſt humor frigidus & humidus, ex ſubſtantia chymorum & chylorum primo ex caliditate remiſſa productus, aptus ad nutriendum, ſi ab æquali caliditate ulterius decoqueretur, frigiditatis qualitatem remittens, formam ſanguinis ſuſciperet. IACOB.

Phlegma qd?

Sanguis qd?

Quid eſt ſanguis? MAR. Sanguis eſt hnmor calidus & humidus, ex decoctione temperata phlegmatis ad nutriendum productus, de cuius proprietate eſt, ut fiat pars ſubſtantiæ nutriti, & aſsimilari ei: ſolus enim exiſtit materia reſtaurationis eius, quod ex ea diſſoluitur. IACOB. Quare eſt calidus & humidus?

Quare calidus & humidus ſanguis?

MAR. Placuit enim Deo ut calido uita uegetabilis ſeruaretur, & humido nutritio augeretur, quando à philoſophis omnibus concluſum ſit: calido uiuere & humido nutriri animantes. IACOB. Quid eſt cholera? MAR. Cholera eſt humor calidus & ſiccus, in decoctione ſanguinis ſuperflua tanquam eiuſdem ſanguinis purgamentum genitus, ad nutriendum ineptus. IACOB. Quo modo ineptus ad nutriendum? MAR. Quia nutritio ſolum à calido & humido fit, & cum cholera ſit calida & ſicca, patet ſua ſiccitate ineptam eſſe ad nutriendum. IACOB. Quid eſt melancholia? MAR. Melancholia eſt humor frigidus & ſiccus, ex multum ſuperflua ſanguinis decoctione productus. Nam ſicut ex ſuperflua ſanguinis decoctione producitur cholera rubea, ſic ex multùm ſuperflua decoctione generatur melancholia, quæ eſt dicta cholera nigra, purgamentum ex multùm ſuperabundanti ſanguinis decoctione. IACO.

Cholera qd?

Melancholia quid?

Sanies quid?

Quid eſt ſanies? MAR. Sanies eſt nutrimentum corruptum, quod natura non potuit digerere, nec in ſecundas humiditates cõuertere, ut ſubſtantia fieret nutriti, ut dictum eſt. IACO. Quotuplex eſt ſanies? MAR. Duplex. IAC. Quæ? MAR. Bona & mala: ſiue dicas, laudabilis & illaudabilis. IAC. Quæ eſt bona ſiue laudabilis? MAR. Eſt illa, quæ eſt alba, læuis & æqualis, cui non eſt odor horribilis, in qua non operata eſt niſi caliditas innata, licet non ſit excuſatio à communitate extraneæ. IAC. Quare à communitate extraneæ? MAR. Quia ſi calor naturalis aget in humidum digerendum, & complexio membri à ſua temperatura non diſproportionaretur aliquo modo, conuertet totum illud in ſubſtantiam aliti: ſed ſi complexio membri à ſua temperatura aliquantulum deciderit per caliditatem, calor naturalis à caliditate illa extranea alteratus digeret illud in ſaniem bonam; cum ſanies bona ſit nutrimentum corruptum, parum diſtans ab eo, quòd fiat ſubſtantia nutriti à caliditate naturali parum alterata in ſua naturalitate. IACOBVS. Quid eſt digeſtio? MAR.

Sanies quotuplex?

Quæ eſt ſanies bona ſiue laudabilis?

Digeſtio qd?

Digeſtio

Digeſtiô primo modo conſyderata nihil aliud eſt, quàm ordinata diſpoſitio, atque diſtributio operationis caloris naturalis, uel innati in humidum decoquendum ad augmentationem & partium nutritionem faciendā: ſecundo uerò modo conſyderata digeſtio eſt, ordinata quædam diſpoſitio caloris naturalis, uel innati ab intelligentia non errante excitati, ad humorum expellendorum præparationem, uel ingroſſando, uel eoſdem ſubtiliando, à uirtute expulſiua ſecundum exigentiam accōmodata. IAC. Quando fit iſta digeſtio? MAR. Quando humiditates ſuſcipiunt præparationem caloris innati, uel naturalis, ordinati ad eundem affectum, ad quem talis operatio dirigitur. IACOB. Quid eſt ſanies mala uel illaudabilis? MAR. Eſt nutrimentum corruptum multùm diſtans ab eo quòd fiat ſubſtantia aliti à calore naturali, multùm alterato à caliditate extranea, & ſecundum ſuam alteritatem talem ſpeciem malæ saniei producit. IACOB. Quot ſunt ſpecies malæ ſaniei? MAR. Tot ſunt, quot ſunt alterationes impedientes proprietatem caloris naturalis factæ à diſproportionata membri complexione in ſubſiſtendo, uel decreſcendo. Nam ſi calor naturalis à frigida complexione membri in decoquendo arctaretur, pus generabit: ſi uerò idem calor naturalis diſtenderetur, fotus ab alterata in calidum complexione membri generabit uirus, uel ſorditiem ex nutrimento, quod ad membrum illud repſerit. IAC. Quid eſt pus? MAR. Eſt ſanies mala facta ex nutrimento, & ſuperfluitatibus membrorum uicinantium ad corruptionem uergentibus ob debilitatem membri, & calorem naturalem alteratum, quæ ſi corrumperentur ob corruptionem ſubtilem, generabitur pus ſubtile, quod nominatur uirus. Si uerò ad corruptionem groſſam, generabitur pus groſſum, quod nominatur ſordities. IAC. Quid eſt uirus? MAR. Eſt pus ſubtile genitum ex ſubtilitate, & caliditate humorum aquoſorum, quos calor naturalis decoquere non poteſt ob ſuperabundantē aquoſitatem. IAC. Quid eſt ſordities? MAR. Eſt pus groſſum genitum ex groſsitie humorum: quę tripliciter eſſe poteſt, ſecundum quòd tripliciter calor naturalis alteratus agere ualuerit. Nam ſi calor naturalis parum alteratus potens eſt decoquere illos, generabitur res ſpiſſa coagulata alba, ſed ſi calor naturalis magis alteratus in illos furioſe decoquendo graſſaretur, ſicut ignis in uiridibus lignis, generabitur res ad nigredinem decliuis. Si uerò idem calor nimium alteratus eoſdem effrenatim decoquere aggrederetur, ex actione illa & groſsitie humorum generabitur res ſicut fex. IAC. Quid eſt duries? MARIAN. Durities eſt quoddam ſolidum ac firmum tenacitate ipſa corruptionē ſui facilè non admittens. IAC. Vnde cauſatur durities? MAR. A triplici quidem cauſa durities fieri poteſt. IAC. Quomodo? MAR. Aut enim prouenit à nimia ſiccitate, aut à congelatione, aut à repletione. IAC. Quid eſt cauerna? MAR. Cauerna eſt concauitas quædam terræ uacua atq; obſcura, ad ſimilitudinem cuius ulcera plures in ſe uacuitates habentia cauernoſa dicuntur. IAC. Quid eſt fiſtula? MAR. Fiſtula eſt ulcus profundum habens orificium anguſtum, & uiam calloſam, pus frequenter effundēs, denominationes plures à membris, tam ſimplicibus quàm compoſitis, ſecundum quod illorum aliquod tetigerit, ſortiens. Nam ſi carnoſam partem fiſtula tetigerit, fiſtula carnoſa nominabitur, à uenis uenoſa, ab arterijs arterioſa, à neruis neruoſa, à cartilagine cartilaginoſa, à muſculis muſculoſa, ab oſſe oſſuoſa, à lachrymis lachrymalis, ab ano fiſtula ani, ſicq; frequenter appellationem ſibi uendicat. IAC. Quid eſt putrefactio? MAR. Putrefactio ſecundum Ariſtotelem in quarto Meteororum eſt corruptio quædam in unoquoque humido propriè, & ſecundum naturam caliditatis ab aliena caliditate, quæ eſt ipſius continentis. IACOB. Quare dixit corruptio quædam? MARI. Vt partem principalem & initiatiuam corruptionis oſtenderet, ſine qua corruptio eſſe non poteſt, cum nulla ſit corruptio ſine putrefactione, neq; putrefactio ſine aliqua corruptionis parte. IAC.

Quando fit digeſtio?

Quid ſanies mala uel illaudabilis?

Quot ſunt ſpecies mali ſaniei?

Quid eſt pus?

Virus.

Quid eſt uirus?

Quid eſt ſordities?

Quid eſt durities?

Cauerna quid

Quid fiſtula?

Fiſtula carnoſa, Venoſa, Arterioſa, Neruoſa, Cartilaginoſa, Muſculoſa, Oſſuoſa, Lachrymalis, Fiſtula ani

Putrefactio quid?

Quare dixit in unoquoque humido propriè? MAR. Vt partem compoſiti primam corruptionis ſuſceptiuam tanquam ſubiectum notificaret. Nam humidū propriè eſt corruptionis fomentum, ex ſibi innato principio caliditatem extraneam ſuſcepturo, ab aerea qualitate expergiſcendam[excitandam]propter quā habet ſymboleitatem. IAC. Quare dixit in unoquoque humido? MAR. Vt omnia humidorū genera ſignificaret eſſe putrefactionis ſuſceptiua, qualia ſunt humidum radicale, & ſubſtantificum, & humidum nutrimentale, & cibale, & humidum humorale, quæ omnia corruptionis fomenta ſunt, cum nutrire amplius non ualeat. IAC. Quæ eſt cauſa ne nutrire amplius ualeant? MAR. Triplex eſt cauſa, quarum una corrumpit uitalem ſpiritalem debitam ipſius euentationem detinendo, ueluti ſunt narcotica ſtupefacientia, ut opium, & repercuſſiua nimium frigida & ſimilia. Altera uerò, quæ impedit, ſunt humores craſſi, uiſcoſi, frigidi, qui ſua uiſcoſitate & multitudine ſpiritui meatus impediunt. Alia uerò cauſa eſt illa, quæ prohibet, ſicut ſunt cauſæ primitiuæ, ut plurimum ueluti contuſio, percuſſio, & nimia ligaturæ conſtrictio, quem membrum mortificat, tranſitum ſpiritui prohibendo. IAC. Secundū uerò medicos chirurgos, quid eſt putrefactio ſiue putredo? MAR. Putredo eſt tranſmutatio totius ſubſtantiæ corporis, uel particulæ putreſcentis ab alieno, uel exteriori calore, & non à proprio excitata. IAC. Quare? MAR. Quia quod corrumpitur, à contrario corrumpitur, à proprio autem conſeruatur. IAC. Quotuplex eſt putredo? MAR. Vna eſt putredo. IAC. Quare? MAR. Quia unum aliquid idémque in omnibus ſpeciebus putredinum ineſt, cuius gratia omnes aliæ eandem appellationem ſortiuntur. IAC. Propter quod accidit corruptio & putrefactio corpori, uel particulæ? MAR. Accidit propter cauſam corrumpentem complexionem eius, & ſpiritum animalem, qui eſt in ipſo: aut propter aliud prohibens eum peruenire ad ipſum, aut propter aliquid congregans utraſq; intentiones, ſicut uenena calida & frigida, & ea quæ cum ſua ſubſtantia ſunt contraria ſpiritui animali, & ſicut apoſtema, & puſtulæ, & ulcera mala ambulatiua, uenenoſæ ſubſtantiæ: & ea, in quibus erratur, ſicut erratur effundendo oleum in ulceribus profundis, quare putrefit caro, & cum infrigidatione uehementi ſuper apoſtemata calida, quare corrumpitur complexio, quæ eſt in ipſo. IAC. Quid eſt prohibens ſpiritum prouenire ad ipſum, uel ipſum, aut aggregans utranq; intentionē? MAR. Eſt oppilatio. IACO. Quotuplex eſt iſta oppilatio? MAR. Duplex. IAC. Quæ? MAR. Antecedens, & primitiua. IACO. Quæ eſt antecedens? MAR. Antecedens ſunt humores, qui faciunt oppilationem corporalem, ſicut apoſtema calidum, malum, fixum, magnum, groſſæ materiæ, oppilans meatus, & introitum anhelitus, quo indiget & ſpiritus animalis, & hoc cum hoc, quod retinetur, etiam corrumpit complexionem. IAC. Quæ eſt primitiua? MAR. Primitiua eſt ſicut conſtrictio quorundam membrorum in radice ſua fortis. nā quando perſeuerat, corrumpit membrum propter retentionem ſpiritus animalis ab eo, aut retentionem uirtutis ſparſæ ſuper ſpiritum animalem, qui eſt in ipſo, qui expāditur ex corde & anima: quare corrumpitur complexio eius, & moritur. IAC. Quot ſunt ſpecies putredinis? MAR. Tres. IAC. Quæ? MAR. Gangræna, aſcachiles, & eſthiomenus. IAC. Quid eſt gangræna? MAR. Gangræna eſt corruptionionis uel putrefactionis principium, ſenſum adhuc particula uel membro putreſcente ſeruante. nam quod de hoc eſt in principio, & nō corrumpitur cum eo ſenſus eius, cui eſt ſenſus, nominatur gangræna, & propriè quod eſt phlegmonôdes in principio, & quandoq; gangrænæ fiunt aſcachilos, [ſphacelos,] immò ſunt uia ad ipſam. IAC. Quid eſt aſcachilos? MAR. Aſcachilos eſt partis membri, uel membri putrefactio ſenſum amittens, carnem & oſſa corrumpens, & quod ita confirmatum eſt, ut deſtruatur ſenſus eius, cui eſt ſenſus, & illud eſt, ut deſtruatur caro, & quod ipſam ſequitur, & uſq; ad os, ſiue

Putrefactio ſecundum medicos quid?

Propter quid accidit corruptio?

Quid eſt prohibens?

Cauſa antecedens.

Cauſa primitiua.

Quot ſunt ſpecies putredinis?

Gangræna quid?

Aſcachilos uel ſphacelos quid?

ſit incipiens,aut ſuccedẽs apoſtemati nominatur aſcachilos, & totum hoc accidit in carne,& accidit in oſſe. IACOB. Quid eſt eſthiomenus? MARIA.

Eſthiomenos quid?

Eſthiomenus eſt membri completa corruptio,perambulans,membrumq; totũ manducans,nam cum eius corruptio incipit perambulare in membro, & apoſtematur, quod eſt in circuitu corrupti, & fortaſſe peruenit ad corruptionem completam,tunc dicitur totũ accidens eſthiomenus,& dicitur diſpoſitio membri,quæ iam putrefacta eſt, & niſi eſſet propter groſsitiem materiæ ſuæ non adhæreret,ſed expelleretur. IACOB. Quid eſt corroſio? MARI. Corroſio eſt

Corroſio qd?

carnis acuitate humorum facta conſumptio,&quod in ſubſtantiam nutriti cõuertitur,reſoluens,conſumens,& deſiccans,quo reſoluto ſubſtantia carnis minuitur & ulceratur. IACOB. Quæ ſunt cauſæ corroſionis? MARIA. Duæ.

Quot ſunt cauſæ corroſionis.

IACOB.Quæ? MARIAN.Propria,& dependens. IACOB. Quæ eſt propria? MARIAN.Propria eſt carnis malignitas,quam medici proprietatẽ occultam ruſticorum nominauêre,complexionem membrorum ſedantem. IAC. Quæ eſt cauſa dependens? MARIAN. Sunt humores cholerici falſo phlegmati admixti,qui cum ad coniunctam defluxerint,corroſionem faciunt. IAC. Quid eſt cancer? MARIAN. Cancer eſt morbus ex materia frigida & ſicca

Cancer quid?

per putrefactionem calefacta productus,duritiem faciens ſecundum putrefactionis gradum,dolorem excitans,colore cancrorum elixatorum ſimili coloratus,ad cuius ſimilitudinẽ morbus iſte cancer dictus eſt,& propterea ulcus cancroſum dicitur,quod labia dura,& ſubrubea habens pus fœtidum & ſubnigrũ continuò exprimit. IACOB.Quid eſt formica? MARIAN. Formica eſt pu

Formica qd?

ſtula,uel puſtulę ambulatiuę,à calido humore puro,uel phlegmati admixto genitę,latitudinem non habentes,morſionem ad ſimilitudinem formicarum excitantes,& rubedine quadam coloratæ ad ſimilitudinem milij uel lupini uagantur,quæ ſi in circuitu ulceris apparuerint, & cum mordicatiuo pruritu extiterint,dicetur ulcus formicoſum. IACOB.Quid eſt dolor? MAR. Dolor eſt

Dolor quid?

quoddam adueniens ex ſenſibilitate, & re contraria ſolutionem, aut alterationem faciente,ſenſum particularem uel communem affligens,uel eſt rei contrariæ ſenſibilitas. IACOB.Quæ eſt cauſa doloris? MARIAN.Aut eſt ſolutio

Quæ eſt cauſa doloris?

continui,aut ſubita alteratio. IACOB. Quot modis ſoluitur continuitas?

Quot modis ſoluitur continuitas?

MARIA.Aut ſoluitur inciſione,aut corroſione,aut tumefactione,aut fractione. IACOBVS. Quot modis fit alteratio? MARIANVS. Fit aut à

Quot modis fit alteratio?

caliditate,aut frigiditate,aut ſiccitate,aut humiditate,uel horum mixtionibus. Et propterea cum uideris ulcus doloroſum,dicas una,uel pluribus iſtis enarratis alteratum uel affectum. De apoſtemate autem ſatis dictum eſt quid ſit,à quo ulcera etiam apoſtemoſa dicuntur,cum eorum labia uel circunferentia tali fuerint morbo affecta. IACO.Quid eſt oſtreum? MARIA.Oſtreum eſt quod-

Oſtreum qd?

dam genus concharum,ex uno tantum latere teſtam habens, ex altero uerò latere ſcopulis aut lapidibus infixum fortiter agglutinatur,calloſum quid, rotundum,albicans intus habens,guloſis maximum irritamentum gulæ, quod uulgari ſermone dicitur patella, à quo dicitur ulcus oſtreatum, quando labia illius ſunt calloſa,alba,aſpera atq; ſcabra.Habent etiam nonnullas alias apellationes ulcera,ſed quia ad iſta omnia ſupradicta rediguntur,nullam faciam de illis mentionem. IACO.Quotuplex eſt ulcus? MARIAN. Duplex,ſcilicet ſimplex

Quotuplex eſt ulcus?

& compoſitum, quandoquidem uulnera duplicia ſint ex quibus ulcera fiunt. IACO.Quomodo ſimplex? MARIAN. Nota quòd non dico ſimplicitate abſoluta,ſed ſimplicitate quadam.Conſtant enim ex mala complexione,& cõ-

Vlcus ſimplex

tinui ſolutionẽ,& aliquando compoſitione,ad quæ concurrunt malæ qualitates,ſed dico ulcus ſimplex inquantum opponitur ulceribus cum accidentibus ueram conſolidationem impedientibus repertis,quę compoſita eſſe dicuntur.

Vlcus ſanioſum.

Et ideo cum dico ulcus ſanioſum ex noſtra ſuppoſitione, ſimplex intelligatis,

quod erit ab illis accidentibus remotum, à ſimplici uulnere factum atque deductum, uerùm cum quadam alteratione inuolutú, quam ex ſaniei diffinitione co

Vlcus compoſitum quid?

gnoſcetis. IACOB. Quid eſt ulcus compoſitum? MARIA. Vlcus compoſitum eſt illud, quod fuerit cum aliquibus, uel pluribus accidentibus enarratis inuolutum, quæ te faciunt à cura ulceris ſanioſi deuiare. Nam ſicut cura uulneris compoſiti à ſimplici curatione, ita compoſiti ulceris gubernatio à ſanioſi ul

Quæ eſt cura ulceris ſanioſi

ceris tractatione uariat. IACO. Quæ eſt cura ulceris ſanioſi? MARIA. Cura ulceris ſanioſi, in quantum ulcus, eſt exiccatio. nam omnia ulcera ſanioſa in quantum ulcera exiccatione temperata indigent. IACOB. Ergo una eſt cura

Quotuplex ē cura ulceris cō poſiti

ulceris ſanioſi? MARIAN. Vna. IACOB. Quotuplex eſt cura ulceris cō poſiti? MARIAN. Triplex eſt. Nam aliquando ſe tenet ex parte humorum, qui materia ulcerum dicuntur, aliquando à ſaniei ſpeciebus, & aliquando ab accidentibus. IACOB. Quomodo ergo ſuſcipiemus curam ab iſtis omnibus, ut rectè ea regere & curare ualeamus? MARIAN. Quomodo à diffinitionibus, quæ circa medicinam uerſantur, ſemper fient tibi notæ cauſæ materiales, efficientes, & qualitates propriæ & accidentales, ad quarum notitiam ſequitur iſta curatio. quandoquidem omnis curatio, aut ſe tenet ex parte materiæ, aut ex parte efficientis, aut ex parte qualitatum, quas modo accidentia uocamus. IAC. Declara hoc nobis? MARIAN. Non indiget declaratione hoc omnibus notum iam in prouerbium deductum, atque celebratum, remota cauſa remouebitur effectus illius cauſæ. Nā ſi cauſa fuerit materialis, cura erit ipſius euacuatio, quandoquidem omnis ægritudinis quæ ex repletione fit, euacuatio eſt ſanatio. Si uerò cauſa fuerit efficiēs, occupatione quadam illam intercipite, ſi uerò qualitates, uel accidentia fuerint, ex illorum contrario emendationem retinebitis. Nam omnis cura fit à contrario, præterquam in illis, in quibus fortificationem membri, uel caloris naturalis requirimus, quæ fiunt aliquando à ſimili: quod te

Hippocrat.

tigit Hippoc. aphoriſmo uiceſimotertio particulæ quartæ dicens: Eſt autē ubi »
in tetano, ſiue uulnere, iuuene benè carnoſo, æſtate media, aquæ frigidæ multa »
infuſio caloris reuocationem facit, calor uerò hoc liberat. IACOB. Sunt ne ſalubria uel mortalia ulcera? MARIAN. Quædam ſunt ſalubria, quædā mortalia, quædam ſpaſmoſa, & quædam mala. IACO. Quomodo cognoſcuntur?

Signa ulcerū ſalubrium

MARIA. Suis proprijs ſignificationibus. IACOB. Quæ ſunt illæ ſignificationes? MARIAN. Sunt illæ, quas Auicenna de ſalubribus loquens dixit: Et »
meliores ſignificationes ſignificantes ſalutem ulcerum, & uulnerum ſunt, cum »
in ſuccedentia eorum decliuia ſunt ad ſanitatē, & alibi dixit: Et meliores ſignifi- »
cationes ſignificantes ſalutem ulcerum & uulnerum ſunt, cum in ſucceſsioni- »
bus eorum eſt ſanies, quæ eſt cum medicina faciente pus, & ex operatione natu »
ræ. Illa enim operatio naturæ eſt ſecundum curſum naturalem, & nō generatur

Signa ulcerū mortalium.

ſanies niſi à digeſtione naturali. Mortalia ſunt illa, de quibus dicitur in ſignis mortis uelocis, cum ſunt homini apoſtemata & ulcera leuia, & deſtruitur eius

Vlcera ſpaſmoſa.

ratio, moritur. IACO. Quænam ſunt ſpaſmoſa? MARIA. Vlcera quæ accidere faciunt ſpaſmū, & ulcera putreſcentia, ſcrophuloſa, & algeromatri & corroſiua, & canceroſa, & quæ eorum curſu currunt, ſunt in quibus non generatur ſanies: immò quando apparet in ulcere ſanies & apoſtema, eſt ſignum bonū, cum quo nō timetur ſpaſmus, & permixtio rationis, & his ſimilia, quamuis ſint in loco, quod facit illud neceſſarium, ſicut ſunt membra poſteriora, & anteriora, & niſi res pertranſierit terminum, quòd ſi apoſtema occultatur ſubitò, & redeat, non ſoluetur per pus, aut ei ſimilia. Amplius ſunt uicinantia membris neruoſis, ſicut ulcera dorſalia, quoniam ſunt in uicinitate dorſi, & nuchæ, & ulcera quæ cadunt in anteriore parte coxæ, & genu, quoniam ipſa iterum ſunt ſicut la certi neruoſi, in quibus res conuertitur ad ſpaſmum, & permixtionem rationis. Si autem euenit in membris neruoſis, plurimum quorum eſt in antecedente ex tenſio-

tenſionis corporis,timetur aut curſus ſanguinis, ſi ceciderit in medietate inferiori extenſionis,ſimiliter timetur ex eis quandoq; permixtio rationis: & timetur,quòd cadat pleureſis,& ſanioſitas poſt ipſam, aut quod proueniat ſputum ſanguinis,ſi ceciderit in medietate ſuperiore eius. IACOB. Quæ ſunt mala? MARIAN. Mala autem ſunt illa ulcera,dura,incipientia ire uerſus uiriditatẽ, & nigredinem,ſunt mala. illa quoq; ulcera generata ſucceſsione ægritudinum ſunt mala. Quoniam natura expellit ad ea reſiduum corruptionis ſuperfluitatum,& ulcera deijcientia pilos,ab eo quod ſequitur ea, ſunt mala. IAC. Quæ ſunt cauſæ malignorum ulcerum? MARIAN. Cauſæ malignorum quidem ulcerum ſunt quandoq; uulnera obuiantia ſuperfluitatibus malignis corporis, aut regimini corrupto,& quandoq; ſunt ſequentia puſtulas malas, quare fiunt ab eis feſtinantia ad ulcerationem poſt puſtulas,& ſignificat malignitatem ulceris eius putrefactio,& ipſius ambulatio,& corruptio eius,quod eſt in ipſius circuitu,& difficultas ſanationis in ſeipſo cum rectificatione curationis exhibitæ ei. IACOB. Quomodo hæc omnia ſigillatim conſequemur? MAR. Si legeritis noſtrum compendium in medicina chirurgica, inuenietis ad plenum omnium curationem,ut facilè ex iſtis,quæ hodie diximus,& illo,in tribus mẽſibus theoricus& practicus aliquis,medicus euadet chirurgus,nam ibi pertractantur canones,curationes,emplaſtra,cataplaſmata,unguenta,prohibentia, digerentia,mundificantia,conſolidantia,& cætera,quę circa apoſtemata,uulnera,& ulcera curanda,& conſolidanda adminiſtrantur, ordine poſita reperietis, ut nemo in illis errare poſsit. IACOB. Reſtant etiam complura alia interroganda: ſed quia hora iam nos diſgregat ab iſto dulcidulo colloquio, hoc unum à te mi iucundiſsime Mariane petimus,ut noſtrę petitiones,quas hodie te induſtria(ut prius ariolatus es)facere propoſuimus, multiſq; etiã profecturas eſſe ducimus, eo quo dicta ſunt ordine ſcribantur,qu amuis fortaſſe te labore iſto grauamus, ne uelis in hoc ipſo nos,qui ueſtri & animo & fide ſumus,defraudare, ſed digna re amabo hæc ad noſtram: & aliorum utilitatem literis commendare,ut præcedant compendium quod tam ornatè compilaſti: ad hoc ut ex noſtra idonea interrogatione,& tua doctiſsima reſponſione,extet modus quidditatiuus examinandi medicos chirurgos,qui non regulis, ſed errore reguntur. Satis enim habent garruli iſti empirici,ſi tanquam carnifices ſe conferant ad curanda apoſtemata,uulnera,& ulcera,atrocitatem potius quàm rationẽ præ ſe ferẽtes. Nanq; ſatis quidem ſe ſcirę dicunt, dummodo ſi ab illis,qui ſapere atq; ſatrapare uidẽtur,dicantur animoſe hanc operationem feciſſe, quã etiam carnifices faciunt: ſed quomodo,& quando,& qualiter quod proprium eſt artificum fieri debet, penitus ignorant. Quamuis ſcimus multos fore nos de hac re incuſaturos mendaces,noſtraſq; rationes & diligentiam irriſuros. MAR. Et propterea libenter iuſſa ueſtra capeſſam,opuſculumq; iſtud ordine & literis digerendum, atq; inſcribendum aggrediar eo ordine quo dicta ſunt neq; addens neq; diminuens. Non enim eſſet uirtus,ni ęmulos mordaces,loquaces,ſuſurratores,inuidos,atque maledicos haberet,ite & forti animo eſtote atq; conſtanti,nec aliqua iſtorum irriſione commoueamini. Nam & ſi ipſi coram aſtantibus noſtra irridere, atq; ſubſannare uideantur,intrinſece tamen ſyntereſi quadam,(quæ eſt uis quædam animæ,quæ uitijs contrariatur, cupiens ſemper ſe inſontem à peccatis, & à perpetrandis ſceleribus conſeruare) dilacerantur atq; cruciantur, quod proprium eſt inuidorum. Ite ergo felices,& iſtos paruiſacite,cum ſeipſos inuidi par uifaciant. AND. Tu quoq; felicibus ſideribus, quę modo oriuntur mane,quãdoquidem expleti animos diſcedimus,& fidem quam nobis modo dediſti, præſtandam eſſe fateare. MAR. Fidem ergo nominaſti? tanquam te pudeat apertè diffinitionem fidei percontari. nanq; de ea,ut modo meus præſagit animus, me diſputantem cum illo fratre Aureliano præſenſiſti,cunq; ea non ſatis ad propo-

Quæ ſunt ulcera mala?

Quæ ſunt cauſæ malignorũ ulcerum?

Syntereſis quid

ſitum quæſitum congruere uideatur, ſub fidei nominatione, & nõ interrogatione, ipſius diffinitionem noſtram intelligere exardes. AND. Id quidem cupio. nam iracundia quadam exarſi uoluntaria, cum id mihi relatum fuiſſet, magna ex parte diem me abſente te altercatione illa conſumpſiſſe, uerùm ſi modo diffinitionem tantum, non autem altercationem me dignum intelligere effeceris, plus ex hoc uno, quàm ex tot ſupradictis mihi ipſi profeciſſe uidebor. MAR. Ni tu mihi adeò cognitus eſſes, proculdubio te neophytum modo appellarem, quandoquidem te tam efflictim iſtud uideã expetere, ſed nota quando pauxillulum iſtud temporis ſic nos ratiocinari cogat. Quòd fides ſecundum naturam loquendo, duo mihi primo dicit, abſtractum & concretum. Fides in abſtracto dicit potentiam illam intellectualem, nobis inſitam, qua credibilia à præceptoribus nos ſuſcipimus. Fides autem in concreto uirtutem illam theologalẽ per gratiam infuſam nobis eſſe intelligimus. Indeq; inſurrexit illa fraterna altercatio. nam dum de illa naturali loquebar, de nobis per gratiam infuſa me diſſerere putabat. nanq; naturaliter loquentem nunquam te intelligent fratres theologici, niſi tu uerbis fraternis utaris, abſonum enim eſſe putant, ut ſupernaturales naturaliter loquantur, & quod fides dictũ eſt à me modo, fideitas, ut fraterno uocabulo utar, nominabitur, ut clarius me intelligant. Et dico quòd fides uel fideitas (ne in hoc illos defraudes) eſt potentia illa noſtro naturaliter intellectui inſita à naturali agente, ſed aliquando à ſupernaturali per gratiam excitãda, qua quidem à natura excita nos credulitatem accipimus illius, quod diſcimus, ſperamus, credimus, & uiſuri ſumus ex noſtro libero uiuendi arbitrio ſuum in nobis exiſtere dependens actuari dictum. Cumq; ea nos à ſupernaturali agente ſupra intellectus operationes per gratiam excitata fruimur, uirtus theologica fides nuncupatur, quęnos de inuiſibilibus tanquam uiſibilibus, & de futuris tanquã præſentibus certos facit. Eſſe autem illius de intelligibilibus ſubſtantia dicitur, tanquam intelligibilia nobis ſubſtentantur in fide tanquam in ſubiecto, ut iuxta illud, oportet addiſcentem credere, id eſt, credulitatem habere, ac ſi diceret, fac ſit tua credulitas diſcendi in fide. Eiuſdem uerò eſſe de inuiſibilibus argumẽtum dicitur, quoniam argumentum eſt id, ratione cuius probationem admittimus illius, quod eſt dubium per id, quod dubium nõ eſt. Nanq; fides confirmat nobis dubium tanquam firmum, quæ per auditum & uiſum excitatur in nobis per gratiam, ut credulitatem faciat, quod ſanctus Paulus in ſua diffinitione declarans dixit, fidem. ſ. qua nos à ſupernaturali agente ſupra intellectus operationes, per gratiam excitata fruimur, eſſe ſubſtantiam rerum ſperandarum, & argumentum non apparentium. Intellextin modo meam fidei diffinitionem? ANDR. Intellexi ſatis mihi periocundam, obidq; ingentes tibi gratias agentes fœliciter diſcedimus. Vale. MAR. Iterum Valete.

Fides quid?

FINIS.

ANGELI BOLOGNINI
DE CVRA VLCERVM EXTERIORVM LIBER PRIMVS.

Curatio ulcerum in quibus conſiſtat. *Caput I.*

CHIRVRGIA ARTIS MEDICAE SVI ANTIquitate& certitudine pars famoſiſsima, plures habet particulas, quarum una eſt ulcerum exteriorum curatio, de qua in hoc libello agere intendimus. Curatio autem ulcerum in duobus maximè conſiſtit, in cognitione uidelicet eorum quæ conſolidationem impediunt, & eorum impedientium remotione: quo fit, ut hic libellus in duas partiatur partes: pars una conſiſtit in cognoſcendo impedientia, altera in eorum remotione: prima quidem theorica eſt, contemplatur enim ea quæ impediunt, uidelicet quæ, & quot ſint, ad hæc quomodo noceant, ſimiliter quomodo cognoſcantur. Secunda uerò pars practica, medicamina tam generaliter quàm ſingulariter adminiſtrare docet. his enim ſcitis propoſitam habebimus intentionem ad amicorum noſtrorum ſatisfactionem qui me ſæpe ad hoc impulerunt.

Conſolidationem ulcerum quæ impediant. *Caput II.*

DIcimus igitur quod ea quæ conſolidationem impediunt; aut ſe tenent ex parte ulceris, aut ex parte annexorum cum ulcere. Si ex parte ulceris, cum ulcus communiter deſcribatur quod eſt ſolutio continui, à qua reſudat pus & ſanies: aut ergo hoc impediens ſe tenebit ex parte ſolutionis continuitatis, aut ſaniei. Si ex parte ſolutionis continuitatis, uel erit merito figuræ ſolutionis continuitatis fiſtularis, uel alterius figuræ fiſtulari proportionatæ. Si ex parte ſaniei, aut merito ſubſtantiæ, aut ſuæ qualitatis. Si merito ſubſtantiæ, aut quia ſubtilis, Vlcus quid? fluida: aut quia groſſa, uiſcoſa. Si merito ſuæ qualitatis, aut quia acuta & corrodens per ſe, & eſſentialiter, aut quia per accidens. & hæc de his quæ ex parte ulceris conſolidationem impediunt, quæ duo fuere, uidelicet figura & ſanies: figura inquam, uel figura fiſtularis, uel alia: ſanies, uel groſſa, uel ſubtilis: aut acuta, & corrodens per ſe, aut per accidens. Impedientia autem ex parte annexorum, aut ſe tenent ex parte eorum quæ immediate contraria ſunt cauſis ad conſolidationem facientibus: aut ex parte eorum quæ contraria ſunt ulceri, in eo quod ad deteriorem naturam quàm ulcus habeat in quantum ulcus diſponunt. Si ex parte eorum quæ immediate contraria ſunt cauſis ad conſolidationem facientibus, aut quia contraria cauſæ materiali, aut quia cauſæ efficienti. Si cauſæ materiali, erit ſanguis à natura alienus ipſi ulceri, & cuilibet membro etiam pro nutrimento delegatus, qui contrariatur ſanguini laudabili, requiſito ipſi ulceri pro materia reſtituendæ bonæ carnis. & tunc contrariatur, quia peccans in quanto, aut in quali: ſi in quanto, aut quia ſuperfluus, aut quia diminutus: ſi in quali, & tunc iſtud erit, quia peccans in complexione uidelicet calida, frigida, humida ſiue ſicca, ſimplici uel compoſita, cum materia, uel ſine materia. Si uerò cauſæ efficienti, erit ſimiliter ea complexio quæ contrariatur complexioni naturali ulcerati loci tanquam cauſæ efficienti, & ſic contrariatur quia nimis calida ſiue frigida, humida ſiue ſicca, ſimplex uel compoſita, mate-

rialis uel ſine materia. Si ex parte eorum quæ ulceri contraria ſunt in eo quod ad deteriorem diſponant naturam quàm ulcus habeat, aut ulceri contraria pro ut accidentia, aut prout ægritudines: ſi prout accidentia, accidentia erunt hæc, uidelicet dolor, fluxus ſanguinis: ſi prout ægritudines, ægritudines erunt apoſtema, oſtracatio carnis, ſuperadditio carnis, caro mollis, ſerpigo, corroſio, putrefactio, quæ de ſe ſunt ægritudines loco ulcerato ſuperuenientes. Et hæc ſint dicta de impedimentis ex parte annexorum, quæ ſunt in genere duo, uti diximus, uidelicet impedientia contraria cauſis efficientibus, uel materialibus conſolidationis, aut impedientia contraria ulceri tanquam accidentia, aut tanquam ægritudines. Quæ igitur, & quot ſint impedientia ulceris conſolidationem, dictum eſt.

Quonam modo præfata conſolidationem impediunt.
Caput III.

ENumeratis his quæ conſolidationem impediunt, nunc diuerſi ſunt docendi modi, quibus talia impedimenta impediunt. Dico igitur in primis, quod Figura fiſtularis. figura fiſtularis, & quæcunque alia tali figuræ proportionata, conſolidationi reſiſtunt, eò quia ipſis conſequitur indebita tranſpiratio ſaniei in ulcere congeſtæ, quæ poſtea in eo ulcere plus quàm debeat moram contrahens, nitroſitatem & uenenoſitatem adipiſcitur, quæ ex parietum ulceris contactu, in eo maiorem concauitatem generat, & membrum debilitat, ad quod ſuperfluitates Saniei ſubſtantia. totius corporis tranſmittuntur. Saniei uerò ſubſtantia conſolidationem impedit, quia ſubtilitas eius fluida, membri ulcerati ſubſtantiam corrigendo nimis eam humectat & remollit, & ſic putrefactioni diſponit, quum ea quæ putre- Groſsities adhærens. fiunt, molliora prius reddantur & laxa. Groſsities uerò ſiue uiſcoſitas poris membrorum adhærens, membrum putrefacit & corrumpit: quod enim à pu- Saniei qualitas. trido tangitur, putrefit. Saniei uerò qualitas acuta, & corrodens, tam per ſe, quàm per accidens, conſolidationem ulcerum retardat, cum humiditatem Sanguis peccans uel diminutus. membri, qua mediante fit partium continuatio, reſoluat & conſumat. Sanguis autem peccans in quanto conſolidationem impedit, ſuperfluus calorem membri ſuffocat naturalem. Diminutus uerò, defectum ponit nutrimenti, unde fruſtatur natura pro generanda carne. At ſi fuerit peccans in complexione, ſiue ſimplici, ſiue compoſita, ſiue materiali, ſiue ſine materia, tunc impedit conſolidationem, uirtutes naturales membri offendendo diminutè, ablatè, ſiue corruptè. Quum enim membri complexio ab aliquo offenditur, neceſſe eſt ali- Mala complexio. quam, uel aliquas, & fortè omnes uirtutes naturales deijci, aut diminui, uel corrumpi, cum ipſa complexio ſit harum uirtutum famula, ſiue miniſtra. Mala loci ulcerati complexio tam calida quàm frigida, humida ſiue ſicca, ſimplex uel compoſita, materialis uel immaterialis conſolidationi obſtat, naturalem deijciens complexionem, qua ſicuti inſtrumento natura utitur ad nutrimenti conuerſionem in membrorum ſubſtantiam, & rei ſuperfluæ & nociuæ expulſio- Accidentia ſuperuenientia. nem. Si impedientia conſolidationem fuerint accidentia ſuperuenientia ulceri, de quibus unum eſt ſuperfluus fluxus ſanguinis, tunc inanitione materia carnis reſtaurandæ, & ſpiritus neceſsitas ſubtrahitur, unde conſolidatio aufertur. Dolor. Dolor autem uirtutem totius corporis & membri patientis proſternit, & hu- Apoſtema. morum defluxum ad locum efficit, quare conſolidatio deficit neceſſario. Apoſtema etiam, quod eſt ægritudo una ex tribus morborum generibus compoſita, uidelicet mala complexione, mala compoſitione, & ſolutione continui: multo magis credendum, quod obuiet conſolidationi, cum plures ægritudines Carnis oſtracatio. magis naturam moleſtent, quàm una ægritudo. Carnis oſtracatio conſolidatio

nem

nem prohibet,ex eo quod talis oſtracatæ carnis poroſitates ſunt compactæ & conſtrictæ ualde, unde ineptæ ſunt tranſitu materiæ proportionatæ carni generandæ,& conſolidationis perficiendæ. Carnis ſimiliter ſuperadditio curatio ni oppugnat,tanquam quid ſuperfluum in corpore extra naturam artificio auferendum.Caro autem mollis,corroſio,& putrefactio conſolidationem impediunt,cum materia pro carne delegata à carnis mollitie alteretur,& à corroſione & putrefactione forma ſubſtantialis membri corrumpatur & deſtruatur. Et hæc ſatis ſint dicta de diuerſis modis, quibus præfata impedientia curationem ulcerum impediunt. Superadditio. Caro mollis. Corroſio.

De ſignis eorum quæ conſolidationem impediunt.
Caput IIII.

Aſſignatis ſpeciebus,& declaratis modis quibus conſolidatio impediatur, ſubſequenter ponenda ſunt eorum ſigna. At quia conſolidationem impedientium nonnulla ſunt ſenſibus apparentia, itaque ſignis non indigeant, ſicuti ſanies ſubtilis, fluida, ſimiliter ſanies groſſa, uiſcoſa, fluxus ſanguinis, dolor,apoſtema ſiue inflatio, caro mollis, caro ſuperflua, & ſimilia. Alia uerò occulta & ſenſibus immanifeſta,ita quod ſignis indigent ea ſignifican tibus, ut fiſtularis ulcerum figura, & ſimiliter quæcunque alia figuræ fiſtulari proportionata,ſaniei qualitas locum ulceratum inficiens, mala complexio, ſanguis à natura alienus,corroſio,putrefactio: ideo condignè mihi uiſum eſt hoc loco tantum eorum ſigna tradere, quæ occulta ſenſibus, & immanifeſta ſunt. Dicam igitur,quod figura fiſtularis, cuius proprietas eſt habere orificium ſtrictum,& fundum profundum, abſconſum, & cauernoſum, & ſimiliter quæcunque alia figura huic proportionata, denotantur per ſubtilem inquiſitionem cum tentis & probis de argento, de plumbo, de radicibus, de cereis candelis, ſeu coloratis iniectionibus. Saniei uerò qualitas acuta & corroſiua per ſe comprehenditur ex his: nam color eius tendit ad colorem rubeum ſiue citrinum, uiridem, ſiue nigrum. In ea quæ per accidens,& in ea quæ etiam per ſe, ſentitur arſura, & compunctio, rubor, & inflammatio ulceris, & partium ei adiacentium: ex qua contingit, quod quicquid ab ea de ſubſtantiali forma membri occupetur, deſtruatur & corrumpatur, adeò tam naturæ malignantis exiſtit. Sanguis à natura alienus peccans in quanto quia ſuperfluus, cognoſcitur ex patientis carnoſa & robuſta habitudine, uenarum totius ſui corporis inflatione, ſeu repletione ſaniei ab eo ulcere ſanguinolentæ emanatione. Si uerò diminutus,ita quod non defluit ad ulcus materia, ex qua caro generetur in eo ulcere, tunc ex oppoſito cognoſcitur, uidelicet macilenta, ſeu extenuata patientis habitudine, uenenarum totius ſui corporis inanitione, ſaniei ab eo ulcere quàm ulcus requirat diminuta reſudatione. Si in quali, quia peccans in complexione calida, tunc ſignificatur ex colore corporis, & faciei, & oculorum, uergente ad nimiam citrinitatem ſiue uiriditatem, habitudine ſicca, & extenuata, ſanie colorata, colore citrino, ſiue uiridi. Et ſi peccans fuerit in calidate nimis ſuperflua, præfata ſigna erunt uergentia ad fuſcedinem & nigredinem. Si uerò peccans fuerit in complexione frigida, cognoſcitur diſcoloratione faciei & labiorum, ſanie cum ſubſtantia groſſa uiſcoſa, ſeu cum ſubſtantia ſubtili aquoſa, habitudine phlegmatica, phlegmatis abundãtia. Si in complexione humida, indicatur ex colore corporis tendente ad albedinẽ, ſanie ſubtili aquoſa, tumore faciei & oculorũ, frequenti abundantia ſaliuæ. Si in complexione ſicca, demõſtratur ex colore corporis uergente ad nigredinem, ſiue ſubnigredinem, oculorum liuiditate, habitudine ſicca, ſanie nigra, cinerulenta, lutoſa. Mala autem

Figura fiſtularis. Saniei qualitas. Sanguis ſuperfluus. Diminutus. Qualitate peccans.

Mala complexio loci. loci ulcerati complexio calida demonſtratur per ruborem, & per inflammationem, & per caliditatem extraneam ulcerati loci, partiúmque ei adiacentium, & per reſudationem ab eo ulcere ſaniei, rubeo, ſiue citrino, uiridi, ſiue nigro colore coloratæ. Frigida ſimiliter complexio manifeſtatur membri & ulceris liuiditate, ſub albedine, mollificatione, locíque frigiditate, quo ad tactum & patientis ſenſum, ſaniei groſſæ, & uiſcoſæ, & indigeſtę, ſeu ſubtilis cum ſubſtãtia aquoſa reſudatione, priuatæ tamen omni mordicatione & incendio. Humidæ uerò dyſcraſiæ & exuberantis ſigna ſumuntur ex his: quoniam caro in tali ulcere, ad humidum ſuperfluum dyſcraſiato, tendit ad laxitudinem & mollitiem: quare eſt facta ſqualida, mollis, & ab ea multa humiditas ſanioſa redundat. Siccam autem complexionem demonſtrant loci ulcerati ſiccitas, durities, & aſperitas, ſaniei ſubtilitas, interdum & paucitas, membri & labiorum ulceris gracilitas, ſiue accidat à mala complexione calida exiccante, ſiue priuatione

Putrefactio. ſubſtantificæ humiditatis. De putrefactione dicendum, cum alia ſit de proximo futura, alia iam facta ſit: quæ facta eſt, alia ſit perambulans & procedens, alia ſit ſic in ſuo eſſe ſtans. Signa igitur futuræ de proximo eliciantur per alterationem coloris carnis, tendentis ad colorem malum, uidelicet liuidum, uiridem, ſiue nigrum, & per diminutionem aliquam ſenſus eius. Signa uerò iam factæ, quoniam color carnis iam factus eſt malus, & priuatus eſt locus ulceratus ſenſu omninò, ita quod dolor non percipitur, dato quod ille locus pungatur, aut incidatur. Signa iam factæ & perambulantis à poſteriori denotatur, quoniam ad partes circunſtantes ipſius putrefactionis fit dilatatio. Et hæc ſatis dicta ſint de ſignis eorum, quæ conſolidationem impediunt.

ANGELI BOLOGLININI
DE CVRA VLCERVM EXTERIORVM LIBER SECVNDVS.

De regulis & modis generalibus curationis ulcerum. Caput primum.

QVAENAM, ET QVOT FVERINT IMPEdimenta in ulceribus conſolidandis, & quot modis conſolidationem impediant, ſimiliter & eorum ſigna, quibus modis appareant, ex iam dictis & pro poſſe ingenioli mei ac uiribus, cuique perſcrutandi ſatis innoteſcet. Reliquum autem eſt, ut accommodata tradatur eruditio, qua unumquodque prædictorum, ne conſolidationem impediat, prohiberi poteſt. Hoc autem eſt curam ulcerum docere, & hoc primo in generali, & ſub quadam ſumma, deinde in particulari magis. Pro qua eruditione dicendum, quod tale conſolidationis impedimentum prohiberi poteſt triplici artis medicæ artificio, uidelicet

Diæta. diæta, potione, & chirurgia. Diæta, cibando ægrum cibis, qui ſubſtantia, quantitate, & qualitate opponantur illis, quæ conſolidationem impediunt

impediunt.Potione uerò totius corporis plenitudinem euacuante, materiam Potio.
antecedentem eorum quæ conſolidationem impediunt digerente, complexio
nem totius corporis rectificante, ſi mala fuerit, hepatis maximè, membrorúq;
hepati deſeruientium,ut ſanguinē laudabilem in quanto & quali generet. Chi- Chirurgia.
rurgia ſeu manualis operatio in generali uniuſcuiuſque eorum quæ conſolida-
tionem impediunt,ſubminiſtretur in hunc modum. Et primo ſi fuerit in cau-
ſa figura fiſtularis,annihiletur, ſeu deſtruatur:& ſi non eſt poſsibile, tunc ſanies Figura fiſtularis.
in eo ulcere congeſta,merito figurę ipſius ulceris expulſioni rebellis,antequam
nitroſitatem adipiſcatur aliquo ingenio ad exteriora ipſius ulceris educatur.
Si ſubſtantia ſaniei ſubtilis fuerit humectans,& remolliens membri ſubſtantiā, Sanies ſubtilis.
& conſequenter eam putrefactioni diſponens,exiccatiuis,in gradu proportio-
nato,quæ putrefactioni reſiſtunt,& humiditatem illam extraneam conſumūt,
curetur. Si uerò fuerit ſubſtantia ſaniei groſſæ uiſcoſæ, orificijs pororum car- Sanies groſſa uiſcoſa.
nis ſui uiſcoſitate adhærens,& ſic membri ſubſtantiam putrefaciens, medicinis
quæ ipſam ſaniem attenuant & diſſoluunt, & conſequenter eius groſsitiem &
uiſcoſitatem deſtruunt,ab orificijs pororum carnis elongetur. Si autem qua-
litas ſaniei acuta & corrodens,medicinis acuitatem ipſius ſaniei refringentibus Sanies acuta.
corrigatur,necnon ſaniei antecedens materia ad oppoſitas partes diſtrahatur.
Si cauſa fuerit ſanguis peccans ſolo quanto,quia ſuperfluus, plenitudo ſangui- Sanguis nimius
nis minoretur. Si peccans fuerit in quanto,quia diminutus,nutrimentum quā Paucus.
tulumcunque ſit,loco ulcerato attrahatur. Si peccans fuerit in quali, quia in Prauus.
complexione, quæcunque ſit illa contrarijs rectificetur. Si ſuperfluus fluxus Fluxus ſanguinis.
ſanguinis,loco à quo ſanguis fluit reparetur,& ad oppoſitas partes diſtrahatûr.
Si dolor,membri calor naturalis confortetur,ſeu doloris cauſa abijciatur. Si in Dolor.
cauſa fuerit caro mollis,humidum ipſius extraneum exiccetur. Si caro ſuper- Caro mollis.
flua,amputetur. Si caro oſtracata,cum eo quod lenit & reſoluit,reſoluatur:& Caro ſuperflua. Caro oſtracata.
ſi reſolutioni repugnat,abſcindatur. Si apoſtema, fluens materia repellatur, &
fluxa reſoluatur,& ſi indigeat,reſolutioni præparetur. Si in cauſa fuerit corro- Apoſtema. Corroſio.
ſio,materia antecedens diuertatur,& fluxa,& ſimiliter loci malitia iam à mate-
ria coniuncta impreſſa conſumetur. Si putrefactio quæ iam facta eſt, corru- Putrefactio.
ptum & putrefactum abſcindatur.Si uerò eſt de proximo futura, ne omnes gra
dus ad putrefactionem requiſitos acquirat, prohibeatur. Si autem perambu-
lans fuerit putridum remoueatur,& ſubſequenter humidum extraneum in mē
bri ſubſtantia impreſſum, merito cuius iterum perambulatio fieret, quod ta-
men non fuit per putridi abſciſsionem totaliter remotum, diſſoluatur. Sint er
go hæc dicta ſatis pro documento curationis in genere & ſub quadam ſumma,
qua unumquodque eorum quæ in ulceribus conſolidationem impediunt, re-
moueri habear. Nunc autem de unoquoque in particulari dicendum,
prædicta tamen declarando,uidelicet quæ poſtremo artis medicæ inſtrumen-
to tantum enumerata ſunt.

De cura formæ ulcerum fiſtularis. *Caput II.*

CVm in præhabito igitur capite dictum ſit, quod figura ulcerum fiſtularis
prohibet ne conſolidationem impediat,eam figuram fiſtularem deſtru-
endo & annihilando, ſeu ſaniem expulſioni rebellem merito formæ ulceris ad
exteriora ipſius ulceris,antequam nitroſitatem adipiſcatur, aliquo ingenio e-
ducendo:hoc autem in loco dicendum erit in particulari, qualiter, quonam
modo talis figuræ deſtructio & annihilatio perficiatur: ſimiliter quæ ſint ea in-
genia,ſaniē ad exteriora ulcerū cū tali forma educentia. Dicatur igitur, quod fi-
gura ulcerū fiſtularis deſtruat,ſecudū ſe totā,aut ſecundū aliquā ſui partē. Secū
dū ſe totam deſtruatur, ſecando figuram ulceris uſq; ad eius radicem, ita quod

nil de eius forma fiſtulari derelinquatur, niſi ubi non eſt poſsibile: quoniam ſi ibi adeſſent nerui, uenæ, & chordæ, tuæ ſectioni ſe interſecantes, ſeu opponentes, ſeu os, aut magna loci diſtantia, ſeu cutis groſsities, tunc & eo caſu à tali exquiſita ſectione eſſet deſiſtendum, & ad aliam ſectionem ſeu alia ingenia deuiendum. Secundum aliquam ſui partem figura ulcerum fiſtularis deſtruatur, illius orificium dilatando, & ampliando, ſeu portam in fundo ulceris conſtituendo. Fiat itaq; figuræ ulcerum fiſtularis ſectio ſecundum ſe totam, aut ſecundum aliquam ſui partem cum nouacula aut cauterio: ſimiliter orificij ulceris dilatatio, & amplificatio cum eiſdem, ſeu impoſitione tentarum raræ & ſiccæ ſubſtátiæ exiſtentium, ſicuti de melegario, de ſambucco, de ſpongia præparata, de radice ariſtolochiæ, de gétiana, & ſimilibus. Educatur utiq; ſanies ingenioſe ad ulcerũ exteriora expulſioni rebellis merito figurę ulceris, altero iſtorum modorum, uidelicet medicinis lauantibus, & currentibus curſu, & lubricitate ſua, quam facit ablutio, ſaniem ad exteriora ulcerum educentibus, ſicuti ſunt hæc in modo ablutionis adminiſtrata, uidelicet aqua ordei, uinum melitite, aqua maris, aqua aluminis, aqua cineris, decoctio iridis, decoctio centauriæ, cum uino non multum uinoſo. Licet etiam prædicta alio modo ſaniem ad ulcerum exteriora excutiant, & hoc eam exiccando, & abſtergendo, ſeu propulſione ipſius ſaniei ad exteriora ulceris, inſtitis mediantibus, una cum plumaceolis ſuper figuram fiſtularem decenter comprimentibus, aut ea ſituatione membri, quod orificium ulceris inferius exiſtat, & fundum ſuperius. Solet præterea à quibuſdam ſanies ingenioſe ad ulcerum exteriora educi, præparatione ulceris, ita quod ab eo ulcere ſanies ad exteriora currat, & non retineatur, imò quod ea liberè euentetur & expiret, & hoc cum tentis cannulatis de braſsica, de plumbo, de argento, & ſimilibus. Expeditis his pro cura figuræ ulcerum fiſtularis & ſimiliter cuiuſcunque alterius figuræ fiſtulari proportionatæ, nunc ad regimen ſubſtantiæ ſaniei tranſeundum eſt.

Saniem educentia.

De cura ſaniei ſubtilis. *Caput III.*

Regimen igitur humiditatis ſubtilis ſanioſæ, remollientis ſubſtantiam partis ulceratæ, exiccatione perficitur maiori & minori, tamen ſecundum quòd à loco ulcerato fit maior & minor humiditatis ſubtilis ſanioſæ reſudatio, pro qua exiccatione optima ſunt, & ſimplicia, & compoſita, uidelicet bolus armenus, plumbum uſtum, ceruſſa, lithargyrum, antimonium, plantago, lanceola, tela aranei, galla, ariſtolochia combuſta, myrobalanorum genera, cortex thuris, maſtiche, myrrha, aloé, ſarcocolla, rheubarbarum, panis aſſatus, raſura panni uetuſtiſsimi, ſpongia combuſta, ſymphytum uel conſolida maior, cauda equina, pix, reſina, alumen, & ſimilia. Item aqua aluminoſa, aqua marina, aqua ardens, aqua azurea, unguentum de ceruſſa, unguentum de minio, unguentum de tuthia, unguentum de plumbo, unguentum nigrum compoſitione patris mei, unguentum citrinum uſuale, unguentum de lino, unguentum irinum, unguentum de calce, unguentum de pulueribus. Vnguentum bonum pro ſanie ſubtili exiccanda: Recipe unguenti de lithargyro, unguenti de ceruſſa, ana unc. j. ſ. ceræ albæ unc. ſ. miſce, diſſolutis primo cera, & unguento de ceruſſa, & ultimo unguento de lithargyro. Aliud: Recipe ceruſſæ lotæ drach. vij. lithargyri drach. iij. ſcoriæ argenti, uel climiæ drach. ij. uitreoli drach. j. ſ. ceræ albæ unc. ij. ſ. olei roſati unc. vj. terebinthinæ unc. ij. fiat unguentum. Aliud: R. lithargyri benè puluerizati cum aceto & oleo roſ. miſceatur, & imbibatur in mortario plumbeo, & benè agitetũ cũ piſtillo ſuo, donec ad augmẽtationẽ deueniat, & albificetũ: deinde R. antimonij, ęris uſti, balauſtiorũ, uermiũ terreſtriũ exiccatorũ & puluerizatorum, gallarum, ſanguis draconis, aluminis, climiæ

climæ argenti,ana omnium,terantur,& cribrentur, & de eis quantum eſt ſexta pars unguenti, in mortario ponantur, & cum piſtillo incorporentur, donec benè uniantur ad inuicem. Aliud: Recipe terebinthinæ, ceræ, reſinæ, ana unc.iij.olei roſati uel communis unc.iiij.pulueris ariſtolochiæ rot.myrrhæ, olibani,aloës,maſtiches,ana drach.ij.ſ.puluerizatis puluerizandis fiat unguentũ. Aliud:R. unguenti baſiliconis,unguenti de tuthia, unguenti de calce, ana unc.j.miſce,& alia plura tam ſimplicia quàm compoſita, quæ in libris antiquorum facilè eſt reperire.

De cura ſaniei groſſæ & uiſcoſæ. Caput IIII.

SAniei uerò groſſæ,& uiſcoſæ,orificijs pororum carnis ſui uiſcoſitate inhærẽtis,& ſic membri ſubſtantiam putrefacientis,regimen complicatur applicatione localium,quæ ſui ſubtilitate ſubſtantiæ in ipſam ſaniem penetrant,& ſuo calore eam attenuant,& diſſoluunt:unde deſtructa eius groſsitie& uiſcoſitate, prohibetur ipſius ſaniei orificijs pororum carnis adhærentia, qua membri ſubſtantia corrumpebatur:quę ſimiliter ſaniei groſſæ & uiſcoſę attenuatio & diſſolutio intendatur & remittatur ſecundum diuerſitatem quantitatis ſaniei ſubtiliandæ, & ſimiliter ſecundum diuerſitatem ſaniei peccantis in groſsitie & uiſcoſitate maiori & minori: de quibus optima ſunt farina ordei, fabarum, cicerum,orobi,lupinorum,alkanna, ariſtolochia, hypericon, acetum, cinis anethi, fermentum,crocus,laurus,iris,uel ireos,centaurium,gentiana,abſinthium, apium,baurach,mel,& omnes medicinæ habentes aliqualem amaritudinem, uel acuitatem,quæ ſemper cum melle præparentur.Item aqua lactis,aqua ordei, aqua mellis,aqua cineris,uinum melitite,mundificatiuum de melle,unguentum uiride,herbarum totius communitatis, mundificatiuum commune, mundificatiuum de iride uel ireos,mundificatiuum de apio, unguentum de centaurio. Vnguentum pro ſanie groſſa attenuanda bonum:Reci.mellis roſati,terebenthinæ non lotæ,ana unc.ij.thuris,myrrhæ,ana unc.iij.miſce. Aliud:R. mellis,terebinthinæ non lotæ, ana unc. ij. coquantur ad ſpiſsitudinem aliqualem, deinde adde myrrhæ,ſarcocollæ,aloes,iridis,ana unc.j.ſ. Aliud: R. terebinthinæ claræ unc. vj. mellis roſati col.unc.iiij.ſ.myrrhæ,iridis, ariſtolochiæ longæ, ana unc. iiij.farinæ ordei q.ſ.ad inſpiſſandum,diſſoluta prius terebinthina cum melle,& ultimo additis pulueribus,fiat unguentum. Aliud: Rec. iridis,ariſtolochiæ,ana unc.iij.terantur optime,& miſceantur tanta quantitate mellis,quod eã conglutinet,& in formam unguenti adducat. In maiori groſsitie & uiſcoſitate.R.mellis unc.ij.uiridis æris unc.v.miſce.Item aliud:R.fecis olei roſati aceti puri, mellis,ana unc.j.ariſtolochiæ longæ,aluminis ſciſsi,iridis,ceruſſæ, ana unc.j. ſ. uiridis æris unc.ij.miſce omnia aduincem. Valet præterea unguentum græcum maius,unguentum ægyptiacum.

De cura qualitatis ſaniei acutæ & corrodentis. Caput V.

REgimen curatiuum qualitatis ſaniei acutæ & corrodentis tam per ſe quàm per accidens,quæ humiditatem membri,qua mediante ſi membri partium continuatio,reſoluit & conſumit,perficiatur, præhabito conuenienti regimine in ſex rebus non naturalibus,præhabitaq́ euacuatione materiarum peccantium,& defluentium diuerſione,& ſimiliter conſtrictione uiarum & ductuum, per quæ talis materia poſſet deferri & deflui ad locum ulceratum. Si fuerit qualitas acuta & corrodés per ſe,unguento de ceruſſa,albo unguento de lithargyro,unguento rubeo camphorato,unguento de bolo,unguẽto de tuthia, unguento de ceruſſa cocto. Vnguentum bonũ pro cura qualitatis ſaniei acutæ &

corrodentis:R.tutiæ lotæ, ceruſſæ lotæ ana partes æquales,puluerizentur,& in mortario plumbeo cũ aqua plantaginis,cũ piſtillo ſuo diu ducant,addita terra ſigillata,& aliquanto boli armeni, & cum cera ſufficienti & oleo roſato fiat unguentum.Aliud: R. lithargyri drach. viij. in mortario cum aceto tandiu ducatur, donec infletur , tumeſcat & albeſcat, & cum drach. iij. ceruſſæ,& drach.ij. terræ ſigillatæ,pulueris gallarum,-oſarum,ana drach.j.cum oleo roſato & cera fiat unguentum.Aliud:Rec. gallarum,arnogloſſæ ſiccæ,ana drach.v.olei roſati unc. v. ceræ albæ unc.ij. terebinthinæ unc.ij.miſce, & fiat unguentum in bona forma.Si autem fuerit ſaniei qualitas acuta & corrodens per accidens , abſcindatur cura,quæ eſt cura cauſæ,utputa,ſi fuerit in cauſa figura ulcerum fiſtularis, ad quam ſequitur indebita tranſpiratio ſaniei, quæ diutius in loco detenta , adepta eſt nitroſitatem & acuitatem, tunc curetur curatione data capite ij.partis huius noſtræ practicæ.Et hæc de cura qualitatis ſaniei acutæ & corrodentis, tam per ſe quàm per accidens dicta ſint.Nunc uerò ad curationem eorum quæ immediate contrariantur cauſis ad conſolidationem facientibus dicendum eſſe uidetur.

De cura ſanguinis peccantis. Caput VI.

SAnguis autem peccans dicitur,ut ſuprà habitum eſt,aut quia peccãs in quãto,aut in quali: & ſi in quãto,aut quia ſuperfluus,aut quia diminutus:& ſi in quali,aut quia peccans in complexione, uidelicet calida, frigida, humida ſiue ſicca, ſimplici uel compoſita, cum materia uel ſine materia.

Sanguis nimius.

Si igitur ſanguis peccans fuerit in quanto quia ſuperfluus, cura perficiatur diæta tenui, phlebotomia ſanguinis minoratiua, & extractione ſanguinis peccantis in quanto ab ulcere & eius circuitu ſanguiſugis, ſcarificatione, & ſimilibus.

Sanguis diminutus.

Si ſanguis peccans fuerit in quanto quia diminutus, curatio compleatur diæta lata & groſſa, boni & multi chymi generatiua,trahaturq; nutrimentum ad locum ulceratum frictionibus,fomentationibus maluæ, bismaluæ, uiolarum, donec membrum infletur & rubeſcat:piceis emplaſtris, quorum forma una erit hæc:R. picis naualis,picis græcæ,reſinæ pini,ana partes æquales, diſſoluantur in cazola ad ignem,deinde per ſtamen in aqua frigida colentur,& manibus inunctis oleo emplaſtrum malaxetur,& uſui reſeruetur.

Sanguinis qualitas peccans.

De purgationibus.

Si ſanguis peccans fuerit in quali,quia in complexione calida materiali,euacuetur materia calida:ſi fuerit ſubtilis cum rheubarbaro,myrobalanis,prunis, tamarindis, pulpa caſsiæ, aqua pomorum granatorum,manna,& ſi neceſſe fuerit cum electuarijs de ſucco roſ. de pſyllio Meſue,de prunis,de ſebeſten.Si autem fuerit groſſa per aduſtioné,cum electuario lenitiuo diacathol. confectione Hamech,diaſena,caſsia uigorata cum ſena, pilulis Indis,pilulis de fumo terræ,aqua lactis,ſena,& ſimilibus: hoc ſemper attendendo,quod ante euacuationem materia calida ſubtilis digeratur cũ ſyrupo roſato, de endiuia, acetoſo ſimplici, oxyſacchare, nenupharino,uiolato,cũ aquis endiuiæ,uiolarum,acetoſæ,ordei,hepaticæ,plantaginis, cucurbitæ,portulacæ,nenupharis,ſolatri, & ſimiliũ. Materia autem groſſa per aduſtionem cũ ſyrupo de pomis,de bugloſſa,de lupulis,iuleb uiolato,& alijs talibus. Notãdo tamen quod ſemper uitæ regimen in cibo & potu, & alijs rebus non naturalibus,ſit proportionatum peccato in his & in alijs.Et ſi fortè in his affuerit febris, tanto magis prædicta augeantur in gradu frigiditatis,aut minuantur,quanto febris fuerit ualidior,aut remiſsior.At ſi peccãs fuerit in cõplexione calida ſimplici uel compoſita ſine materia,tunc alterantia ſola prçfata ſine euacuatione ſibi cõueniũt. Cæterùm ſi peccatũ fuerit in mala cõplexione frigida materiali, tũc materia ipſa euacuet.Si fuerit phlegmatica,cũ aloe,agarico,polypodio,turbit, electuario de dactylis, electuario Indo, pilulis aggregatiuis, pilulis de agarico,

pilulis

pilulis cochijs,diaturbit,benedicta: præparata prius materia cum ſyrupo de by-
ſantijs completo, ieleniabin, oxymelle ſimplici & compoſito, ſyrupo acetoſo
compoſito,diarhodon & alijs,cum aquis fœniculi,boraginis,apij,meliſſę,maio
ranæ, mentæ,abſynthij,aqua mellis & ſimilibus: quæ quidem alterantia & ſimi-
lia conferunt etiam in mala complexione frigida ſine materia, exceptis euacua-
tiuis. Si peccans autem fuerit in complexione humida materiali, curetur cu-
ra prædicta immediatè:& ſi peccans fuerit in complexione humida ſine materia
ſola digerentia conueniunt,euacuatione excepta. At ſi peccans fuerit in com-
plexione ſicca materiali,cura erit per euacuationem materiæ melancholicæ nõ
aduſtæ,cum rectificatione membrorum illam generantiũ. Et ſi immaterialis fue
rit,cura eſt cum calidis & humidis. Et hæc pauca de cura ſanguinis peccantis
dicta ſint: nunc ad curam malæ complexionis partis ulceratæ tranſeundum eſt.

De cura malæ complexionis partis vlceratæ. *Caput VII.*

PRo cura igitur malæ complexionis partis ulceratæ dicatur, quod ſi in par-
te ulcerata peccauerit mala complexio calida, ſiue materialis, ſiue immate- Cõplexio calida.
lis fuerit,localibus curetur,unguento uidelicet de ceruſſa, albo unguento de tu
thia,unguento de plumbo, aqua roſata, ſucco plantaginis, ſucco ſolani,ſucco
de ſemperuiua. Si mala complexio frigida, unguento baſilico,unguento citri- Cõplexio frigida.
no uſuali,unguento dialthæa compoſitione patris mei, unguento fuſco, lotio-
ne uini boni tepidi, aqua cineris, aqua aluminis. Si mala complexio humida, Cõplexio humida.
curetur exiccatiuis iam dictis,& alijs uigoratis in ſiccitate, ſecundum quod lo-
cus ulceratus magis & minus abundat humidatibus,& ſimiliter ſecundũ diuer-
ſitatem corporum & membrorum, in quibus exiſtunt ulcera, ſicuti unguento
uiridi herbarum,unguento gratia dei,unguẽto de diapalma,unguento dialthæa
compoſitione noſtra,ſeu cum hoc,quod ſummè ualet in omni membrorũ com
plexione: R.olibani, maſtiches, aloes,ana ℥. ij. picis græcæ unc.j.ſ. ariſtolochiæ
longæ combuſtæ ℥.j.ſ. olei roſati unc.iij. terebinthinæ,ceræ,ana unc. ij. fiat un-
guentum. Aliud: R.olibani,maſtiches,aloes,ſarcocollæ,ſanguinis draconis, bo
li armeni,pulueris molendini,omnia puluerizentur ſubtiliter, & per pannũ ſub
tiliter cribra,& cum terebinthina miſce,donec ad ſubſtantiam denſam deueni-
ant. Aliud: R.unguenti apoſtolorum unc.j.uiridis æris ℥.j.miſce. Si autem pec Complexio ſicca.
cauerit mala complexio ſicca,id eſt,parum humida,curetur unguento baſilico,
unguento de pice,unguento fuſco,unguento diaquilone nigro diſſoluto in ca-
zola,id eſt,cochleari ferreo,cui addatur pro qualibet unc. diaquilonis ℥.j.pulue
ris roſarum. Seu cum hoc: R.maſticis,olibani,picis græcæ,boli armeni, ana ℥.j.ſe
pi arietini unc.ij.ceræ unc.ſ.olei roſati una.ij.miſce. Et alijs leuibus exiccatiuis,
præmiſsis ſemper materierum peccantium euacuatione, ſi fuerit cum materia,
& defluentium diuerſione,& ſimiliter conſtrictione uiarum,& ductuũ, per quæ
tales materię poſsũt deferri & defluere ad locũ ulceratũ, ſiue à toto corpore ple
nitudinẽ habente defluuant,ſiue ab aliquo membro nobili & forti plenitudinẽ
habente. Pro notitia ſuperiorum aduerte, quod in omni parte ulcerata pro- Notanda. 1.
pter ipſius debilitatem aggregatur humiditas ſuperflua,non ſolum per uiã pau-
latinæ cõgeſtionis,imò & aliquando per uiam defluxus,ſiue à toto corpore de-
fluat,ſiue ab aliquo membro nobili & forti plenitudinem habente, quæ humidi
tas in loco aggregata,uirtutis loci debilitate putrefit, & in ſaniem conuertitur.
Et ſi talis humiditas multa, & malæ qualitatis extiterit, reddit ulcus ſemper
compoſitum cum alia ægritudine,puta corroſione,ſiue putrefactione, oſtraco-
ſitate,ſeu alia diſpoſitione,conſolidationem ulceris prohibente. Aduerte ſe- 2.
cundo,quod in omni mẽbro ulcerato,& maximè ubi quęritur carnis generatio
& incarnatio,debemus adminiſtrare medicinas ſecundum duplicem reſpectũ,

primo quidem habendo reſpectum ad complexionem corporis, & membri in quo exiſtit ulcus, ut complexionem ipſius naturalem, à parte ſuæ ſimilitudinis conſeruent. Si enim in curatione morbi, complexio naturalis membri & corporis non conſeruaretur, morbus non poſſet deſtrui, cum cõplexio naturalis membri ſit inſtrumentum proprium, quo mediante natura membri utitur ad conuerſionem nutrimenti in membrorum ſubſtantiam, & rei ſuperfluæ & nociuæ expulſionem. Secundo, habendo reſpectum ad morbum, ut ipſum à parte ſuæ contrarietatis deſtruant. Poſitis his pro cura eorum, quæ contrariantur cauſis ad conſolidationem facientibus, nunc de cura eorum quæ ulceri contrariantur, prout ſunt ei accidentia dicendum eſt.

De cura doloris. Caput VIII.

Doloris diuiſio.

CVM doloris cura diſtinguatur penes ipſius doloris intenſum & remiſſum, necnon penes diuerſitatem ſuæ efficientis cauſæ, idcirco non abſque ratione per nos dolor diſtinguetur in quietum & clamoſum. Et clamoſus in eum, cuius acumen inducias concedit, & in eum cuius acumen inducias non concedit: quorum dolorum cauſa in parte ulcerata communiter eſſe affirmatur mala complexio, aut ſolutio continui, ſeu utrunq; ſimul. Et cum ulcerata membra ſecundum quadruplicem poſſint labi complexionem, ut in præhabitis dictum eſt: & cum cæteris etiam in efficiendo dolorem uehementiora ſint caliditas & frigiditas, quia tenuis impreſſuræ: ideò impræſentiarum tantummodo de dolore à mala complexione calida, & ſimiliter à mala complexione frigida contingente dicemus.

Cauſa.

Dicimus igitur, quod ſi doloris cauſa fuerit mala complexio calida, cuius tamen doloris acumen inducias concedit, præmiſſis uniuerſalibus, ualet unguentum de lithargyro, unguentum de ceruſſa album cum camphora, unguentum de minio, unguentum de tuthia, unguentum de plumbo, unguentum rubeum camphoratum, album oui conquaſſatum cum oleo roſato & lithargyro, & redacta ad formam linimenti in mortario plumbeo cum piſtillo ſuo, quod unguentum poſtea bulliat lento igne in libra una ſucci ſemperuiuæ uſque ad ſucci conſumptionem. Valet præterea album oui conquaſſatum cum oleo roſato, emplaſtrum de paruis maluis & plantagine coctis & piſtatis, cum cribratura furfuris & oleo roſato, bolus armenus cum terra ſigillata, oleo roſato & aceto, ſuccus ſolatri, ſeu ſemperuiuæ cum aceto. Item ualet aliud hoc in caſu: R. ceræ albæ unc. iiij. olei roſati unc. x. ſandalorum alborum & rubeorum, roſarum, myrrhæ, olibani, maſtiches, ana ʒ. ij. camphoræ ʒ. ſ. terebinthinæ unc. ij. ſ. fiat unguentum.

Complexio calida.

Si uerò doloris cauſa fuerit mala complexio frigida, ualet unguentum fuſcum, unguentum baſilicon, unguentum citrinum uſuale.

Complexio frigida.

Solutio continui.

Si autem doloris cauſa fuerit ſolutio continui, cuius doloris ſimiliter acumen inducias concedit, præmiſſis ſemper uniuerſalibus ualent ea quæ quemcunque dolorem indifferenter ſedant. Ea autem ſunt, quæ calorem membri naturalem multiplicant & confortant. Calor enim naturalis membri confortatus repugnat omni rei nocenti, uti uitellus oui, terebinthina & crocus, terebinthina cum oleo roſato, oleum abietis cum oleo roſato: hæc ad intra ulcus applicentur, cum etiam aliquali exiccatione humiditatem medicinarum humectantium refringente participent, merito cuius etiam ulceri conueniunt. Ab extra uerò oleum roſatum cum amygdalino, oleum de kyro, butyrum recens, pinguedo recens, pulli gallinæ, anatis, porci & ſimilium, hyſſopus humida, oleũ de oliuis maturis, fæx olei, oleum roſarum, oleum uiolarum, oleum chamæmelinũ, oleum uulpinum, mumia, oleum de ſiſamo, mucilago ſeminis lini, fœnugræci. Emplaſtrum ualens in caſu: R. foliorum maluarum manip. j. ſ. farinæ ſeminis lini, fœnugræci, ana unc. ſ. olei chamæmelini, liliorum alborum, ana drach. vj.

oleiroſati unc.iij.mucilaginis althęæ unc.j.ſ.farinæ hordei q.ſ.cum duobus uitellis ouorum fiat emplaſtrum. Si uerò doloris cauſa fuerit mala complexio, & ſolutio continui ſimul,cuius doloris etiam acumen inducias cócedit, ex iam dictis habita eſt curatio. Nunquid cura compoſitæ ægritudinis ſumitur ex curatione ſimplicium ægritudinum,ipſam inquam compoſitam componentium? Quare ſuppoſitis uniuerſalibus, ad intra ulcus applicentur ea, quæ ſunt uerè & propriè doloris ſedatiua.exiccatiuis aliqualiter, & laudabilibus commixta: ab extra uerò extraneæ complexionis remotiua. Si tamen doloris acumen inducias non concedit, loco dolenti & circundolenti narcotica applicentur, ut emplaſtrum ſatis leue de contritis folijs papaueris albi:& urgente magis dolore applicetur emplaſtrum uidelicet de folijs mandragoræ, emplaſtrum de folijs iuſquiami cum puluere chamæmeli,philonium etiam perſicum illinitum, theriaca recens emplaſtrata.Ex oleis,oleum de mandragora,oleum de papauere, oleum de nenuphare,cum opio ſucco hyoſcyami,opium diſſolutum cum lacte ouillo, ſeu mulieris,& ſimilia. Et hæc de cura doloris dicta ſunt. Nunc de cura ſuperflui fluxus ſanguinis dicendum eſſe uidetur. Mala complexio,& ſolutio ſimul.

De cura ſuperflui fluxus ſanguinis. *Caput IX.*

PRO regimine curatiuo ſuperflui fluxus ſanguinis, cum ſanguis non niſi à uenis effluat, in primis eſt ſciendum, quod diuerſitas in modo ſiſtendi ſanguinem, non ſolum ſumitur penes diuerſitatem cauſæ facientis talem fluxum, ut ſi fuerit corroſio, uel putrefactio, ſeu ab extrinſeco eueniens ſolutio,uerumetiam ſecundum quod uena à qua ſanguis egreditur eſt profunda in membro, aut ſuperficialis occulta, aut manifeſta, magna, aut parua. His præmiſsis dicatur, quod ſanguinis fluxus curationis genere duabus intentionibus perficitur, uidelicet diuerſione, & reparatione loci, à quo ſanguis fluit. Diuerſio quidem fit aliquando per ſanguinis euacuationem ad oppoſitam partem, uti per phlebotomiam, uentoſas ſcarificatas, ſanguiſugas, quæ tamen modificari debent ſecundum uirtutis & ætatis tenorem: aliquando cum præfatis abſque euacuatione, & cum ligaturis, uentoſa ſuper hepate & ſplene, quæ mirabilis eſt. Loci autem reparatio à quo ſanguis fluit, ſic completur: ut ſi fuerit in cauſa corroſio ſiue putrefactio, tunc locus à quo ſanguis fluit, cauterizetur cum ferro ignito, ſiue medicina cauterizante, & eſcharam inducente: ut cum hoc: Recip. unguenti populei drach. ij. uitrioli uſti drach. j. argenti ſublimati drach.j.ſ. miſce, & locus à quo ſanguis fluit tantummodo repleatur. Siue cum hoc alio: Rec. argenti ſublimati, lapidis hæmatitis, uitrioli Romani,lithargyri, ana, & fiat puluis, & cum albumine oui & puluere iſto licinia liniantur,& loco applicentur. Exiccatione autem cauterij fit rectificatio corroſionis & putrefactionis, & exiccatione & corrugatione partis à qua ſanguis egreditur facta per cauterium, fit ſanguinis fluxus reſtrictio: quare nil cauterio præſtantius in cura fluxus ſanguinis euenientis à corroſione ſiue putrefactione. Si autem uena fuerit parua, manifeſta, & ſuperficialis, tunc cum acu & ſerico perforetur ſub & ſupra uenam, & ligetur uena, dummodo apoſtema ſiue dolor non contradicat: quoniam ſtante dolore ſeu apoſtemate, talis ligatio prohibenda eſt: & in medio inciſionis ponatur medicamen habens has proprietates, uidelicet quod ſit congelans, ut ſanguinis fluentis fiat ingroſſatio: nec non inuiſcans, ut fiat ſanguinis ſuper caput uenæ conglutinatio: & exiccans, ut fiat ſuperfluitatum defluxarum & congeſtarum conſumptio, & conſequenter ſolutæ continuitatis incarnatio, qua mediante fit uera & propria ſanguinis fluxus reſtrictio: cuius medicaminis deſcriptio talis eſt: Recip. thuris albiſsimi, uiſcoſi, aloës, ſanguinis draconis, boli armeni, ana partes æquales, puluerizentur

Diuerſio. Loci reparatio. Cauterium. Venæ ligatio. Si uena ſit parua.

ſubtiliter, & cum albo oui miſceantur, & ſtuelli ſiue licinia in eo medicamine tingantur, & in inciſione ponantur, in circuitúque ulceris & ſupra ſtuellos ponantur ſtuppæ plures in aqua roſata, ſeu communi, & aceto madefactæ, & aliqualiter expreſſæ, & cum ligatura ſatis comprimente ligentur, dimittatúrque ulcus à quo ſanguis egreditur cum illa ligatura uſque ad tres uel quatuor dies, quoniam ante illud tempus non putatur quod natura fecerit tantum de carne quod ſit ſufficiens ad oppilandum uenam. Si uerò uena fuerit magna, reparetur locus per impletionem corporis uenarum, cum ſtuellis linitis in ſupradicto medicamine, ſine alijs infrà dicendis. Et ſi uena fuerit profunda, immanifeſta, magna aut parua, ſiue alterius diuerſitatis diuerſificantis curationem fluxus ſanguinis, reparetur locus ille modo iſto ſatis communi huic, & alijs etiam diuerſitatibus in fluxu ſanguinis contingentibus, uidelicet ponendo digitum ſuper orificium uenæ, dummodo talis impoſitio ſit poſsibilis, & aliquantulum tenendo, donec ſanguis aliquo modo congeletur: deinde ponantur ſtuelli plures liniti in albumine oui agitato cum aliquibus ex medicinis dicendis, iam dictas proprietates habentibus, & cum ligatura decenter comprimente, ligentur. Medicinæ ſimplices in compoſitione medicinarum, pro reſtrictione fluxus ſanguinis facientium connumerantur hæ, uidelicet tela aranei, terra ſigillata, cortex thuris, pentaphyllon, plumæ gallinæ combuſtæ, bolus armenus, cinis raſuræ chartarum combuſtarum, coriandrum torrefactum, cauda equina, cornuum raſura, cinis lignorum ſtypticorum, corrigiola, omnia oſſa combuſta, puluis rheubarbari torrefacti, pilus leporis combuſtus, ſanguis draconis, ſpongia combuſta & puluerizata, uirga paſtoris, ſanguinaria, fuligo furni, karabe, acacia, folia ſalicis, galla combuſta extincta in aceto, lapis hæmatites, conſolida maior, raſura panni uetuſtiſsimi, lanugo adhærens corticibus caſtanearum à parte intrinſeca, thus gummoſum, aloë, gypſum, farina uolatilis molendini, amylum, uiſcum, gummi arabicum, dragagantum, raſura corrigiarum uel coriorum à parte intrinſeca, omnes ſpecies gummi. Ex medicinis compoſitis fluxum ſanguinis cohibentibus, prima forma erit hæc: R. pilorum leporis torrefactorum ſcrup. ʒ. boli armeni unc. j. ʒ. ſanguinis draconis, terræ ſigillatæ, ana ʒ. j. thuris gummoſi ʒ. ij. miſce, & fiat puluis. Secunda forma, gypſum cum albumine oui & mumia. Tertia forma: R. gallarum torrefactarum, boli armeni ʒ. ʒ. olibani, aloës, maſtiches, ſanguinis draconis, pilorum leporis minutim inciſorum, ana ſcrup. j. miſce & fiat puluis. Quarta forma compoſitorum: R. gypſi unc. j. mumiæ, telæ aranei, fuliginis furni, boli armeni, dragaganti, ana ʒ. j. miſce. Et hæc de cura accidentium conſolidationem ulcerum prohibentium ſic dicta ſufficiant. Nunc autem ad curationem accedamus eorum, quæ ægritudines denominantur.

Si uena ſit magna.

Si profunda.

Medicamenta ſanguinem reprimentia ſimplicia.

Compoſita ad idem.

De cura apoſtematis. *Cap. X.*

DE apoſtemate, quod eſt ægritudo una ex tribus morborum generibus compoſita, uidelicet mala complexione, mala compoſitione, & ſolutione continui, incidentaliter præmittendum, quod cura eius diſtinguitur ſecundum diuerſitatem temporis ipſius apoſtematis, ſecundum diuerſitatem materiæ apoſtematis, necnon ſecundum diuerſitatem locorum in quibus fiunt apoſtemata. Quare hoc præmiſſo, intendens hoc in loco pertractare tantummodo de cura apoſtematis ulceri ex defluxu humorum contingentis, cum ſecundum plurimum, ad ipſum ulcus conſequatur apoſtema calidum ſanguineum, dicatur quod ſi tale apoſtema fuerit in principio, ſuppoſita diæta, conuenienti diuerſione, & humorum peccantium minoratione, & non prætermiſſa cura ulceris, curetur ſuperponēdo emplaſtrum ex grano dulci, integro, decocto cū uino

pontico,

pontico,cum cortice ſuo:ſeu emplaſtrum de malis cydoneis,&piris decoctis in aqua,& uino rubeo,& poſtea in mortario contritis, & incorporatis cum puluere myrti:ſiue emplaſtrum de lentibus decoctis, & roſis contuſis & incorporatis cum terebinthina & puluere corticũ granatorum. Si aũt apoſtema fuerit in augmento, curetur emplaſtris prædictis, quibus adiungatur farina fabarũ, ordei, tritici,& chamæmeli. Exiſtente aũt tali apoſtemate in ſtatu, curetur emplaſtro ex folijs abſynthij,& maluarũ,decoctis in uino dulci,& piſtatis cum ſapa, & cribratura furfuris.Et ſi apoſtema tendat in uiam exituræ,tunc maturatiuis appoſitis adiuuanda eſt ſaniatio:& de maturatiuis propriè in iſto caſu eſt emplaſtrum de folijs maluarũ decoctis in aqua,& in mortario cõtritis cũ farina ſem.lini,fœnugræci,& axungia porci recenti,& ſimiliter emplaſtrum ex farina tritici,aqua, oleo, & croco:& facta ſanie, perforatione ſaniati loci extrahatur: ſeu ſi ad orificiũ ulceris talis ſanies declinare uideatur,tunc tentis ſeu expreſsione aut ligaturis ad eum deducatur.Si aũt apoſtema ulceri ſuperueniẽs eſſet aliud à phlegmone,tunc quęrãt cura poſita tractatu noſtro de apoſtematib.Et hæc ſatis pro nũc dicta ſint de cura apoſtematis ulceri ex defluxu humorum contingentis.

De cura oſtracatæ carnis,ſeu calloſæ & duræ. *Caput XI.*

POſita cura apoſtematis,de cura oſtracatæ carnis agendũ eſt. Curatio autem eius diſtinguitur ſecundum intenſum & remiſſum duritiei talis carnis: nam carnis oſtracatæ alia eſt duritiei intenſæ, alia remiſſæ. Ea igitur quæ remiſſa eſt medicinis lenientibus, in quibus ſit reſolutio aliqualis, curari & rectificari poteſt. Cæterùm carnis duritiei intenſæ cura perficitur altero iſtorum modorum, uidelicet inciſione cũ nouacula, aut cauterio:& ſi cauterio, aut cauterio actuali,aut potentiali, conſiderata primo anatomia loci. quia ubi eſſet timor de diſruptione alicuius uenæ, ſeu arteriæ, & conſimiliter de effuſione ſanguinis, eligenda potius eſſet carnis oſtracatæ remotio per cauterium potentiale, quàm per inciſionem cum nouacula, aut cauterio actuali. nam per cauterium potentiale fit remotio carnis oſtracatæ, & prohibitio effuſionis ſanguinis, ſi diſruptio nem uenæ ſeu arteriæ fieri contingat:& quonam modo conſidera. Præterea ſi talis caro oſtracata ſecundum totam eius ſubſtantiam non fuiſſet abſciſſa, applicatione inciſionis ſiue cauterij actualis, tunc maior fiet ab ægris abominatio reiterationis cauterij actualis,& inciſionis cum nouacula,quàm potentialis:quare magis dilectum apud me eſt cauterium potentiale quàm inciſio,& quàm cauterium actuale. Medicamen per me pluries expertum, quod pro efficaciſsimo habui à patre meo: R. lithargyri, lapidis hæmatitis,uitrioli Romani, ana ℥. ij. argenti ſublimati ℥.ij. ʒ.miſce. Et pro pleniori notitia medicaminum in caſu ualentium, recurras ad ea quæ ſcribuntur in de amputanda carne ſuperflua eximiæ ſiue miræ quantitatis. Carnis uerò duritiei remiſſæ curatio compleatur inferius dicendis, incipiendo primo à ſimplicibus, deinde gradatim procedendo ad compoſita. Ex ſimplicibus, & primo ex oleis oleum liliorum alborum, oleum amygdalarum dulcium,oleum de lumbricis,oleum uulpinum,oleum de granis ſeſami, fex olei, œſypus humida ex mucilaginibus, mucilago althęæ, ſeminis lini,fœnugræci. Ex pinguedinibus & unctuoſis, pinguedo gallinæ, anſeris,uituli, bouis, cerui, & propriè medullæ eorum, & adeps hirci & aſini & rapacium,ſcilicet leonis, urſi, leopardi, lupi, uulpis,& rapacium ex auibus, ſcilicet aquilæ, uulturis, & ſimilium: & meliora earum ſunt, quæ ſunt minoris antiquitatis,& exiccationis, & uehementioris humiditatis. Ex compoſitis præparatis, unguentum baſilicon,unguentum diaquilon album cum gummis, & ſine gummis, unguentũ de medulla cruris uituli, unguentum mollitiuũ, unguentum de mucilaginibus,hyſſopi cerotum,emplaſtrũ bonũ pro remittenda duritie carnis

Cauteriũ potentiale.

oſtracatæ duritiei remiſſæ, de farinis ſeminis lini, fœnugræci, cæpis lilij, pingue di ne gallinæ, porci, ſine ſale, hyſſopo humida, oleo lilij, chamæmeli, & medulla uituli. Aliud: R. medullæ cruris uaccini, olei roſati, omphacini, ceræ parum, miſce. Aliud: R. medullæ cruris uituli, mucilaginis, ſeminis cydoniorum, dragagāti, olei amygdalarum dulcium, cum cera & modico terebinthinæ fiat unguentum. Aliud: R. œſypi humidæ, adipis anatis, gallinæ, cerui, mellis, ana, ceræ q. ſ. Aliud: R. caput unum caſtrati ſemicontritum, & in uino dulci decoquatur uſq; ad carnis diſſolutionem, & quod ſupernatauerit collige, & uſui reſerua. Aliud: R. medullam cruris equi bullitam in uino albo dulci, ut ſuprà de capite caſtrati, collige & reſerua. Aliud: R. unguenti de ceruſſa, medullæ cruris uaccæ, adipis anatis, gallinæ, ana.

De cura carnis mollis. *Caput XII.*

POſtquam de curatione oſtracatæ carnis eloquuti fuimus, nunc de cura carnis mollis dicendum erit. Dicimus igitur, quòd cum mollities carnis conſequatur ad malam membri ulcerati complexionem, ſeu ſanguinis delegati malitiam, aut ulceris inſufficientem mundificationem, quod pro eius curatione, ſi fuerit in cauſa mala complexio, corrigatur medicinis deſcriptis capite ſeptimo huius partis noſtræ practicæ. Si delegati ſanguinis malitia, caſtigetur aſsignatis cap. vj. Si ulceris inſufficiens mundificatio, mundificetur antidotis quæ humiditatem extraneam, ad quam mollitio carnis conſequitur, exiccant & conſumunt, poſitis capite tertio & quarto, & tertiodecimo, in de amputanda carne ſuperflua quantitatis paucæ, huic artificioſe ſuppoſito. nam ad carnis mollitiem, niſi prohibeatur, carnis ſuperadditio conſequitur.

De cura carnis ſuperadditæ atque ſuperfluæ. *Caput XIII.*

SIcuti carnis creatio, & ulceris conſolidatio actione naturæ fiunt, ita & per oppoſitum amputatio, & carnis ſuperfluæ diminutio, de qua ad præſens agit ſermo noſter, non fit actione naturæ, ſed medicinarum applicatarum qualitate. Et ideò cum medicinæ tales ſint diuerſorum modorum, quia quædam debiles, quædam fortes, quædam magis fortes, ne ex earum applicatione contingat error, prætermittendum erit, quod diuerſitas in applicanda medicina carnis diminutiua, ſumitur penes diuerſitatem quantitatis diminuendæ carnis, necnon penes diuerſitatem nobilitatis, ſeu ſenſilitatis membri ſuper quod cadit generatio carnis amputandę, ut in dura matre, & ſimilibus. Hoc prēmiſſo, ſi caro amputanda ſiue diminuenda fuerit quantitatis paucæ, diminuatur medicinis his ſatis debilibus, uidelicet alumine rochino uſto, permixto cum bolo aut ſine bolo, alumine zuccharino, & hermodactylis, ſimul cum tartaro, nucleis dactylorum uſtis, cinere conchylium combuſtorum, cinere quercus, cinere ficus, borace, nuce, candido ſale & melle, aqua aluminoſa cum ſale, aqua ardenti ſola, aqua ardenti cum ſulphure & ſale, ſemine urticæ, ſerpentaria, unguento apoſtolorum. Si uerò caro amputanda fuerit quantitatis notabilis, amputetur medicinis ſatis fortibus, uidelicet radice uel cinere uitis albæ, radice aſphodelorum, uitriolo Romano, uiridi æris, unguento apoſtolorum fortificato cum uiridi æris, unguento Aegyptiaco, unguentis uiridibus uigoratis cum ſale gemma, aqua roſata cum uiridi æris, aqua ardenti cum uiridi æris. ut: R. aquæ ardentis unc. ij. uiridis æris ʒ. ij. miſce. Aqua mirabilis in remotione carnis ſuperfluæ quantitatis notabilis: R. argenti ſublimati ʒ. ij. aluminis rochini ʒ. v. aquæ roſ. ſiue plantaginis unc. vj. miſce, & bulliant ad conſumptionem quartæ partis. Si autem caro amputanda fuerit eximiæ ſiue miræ quantitatis,

tis, amputetur medicinis prædictis fortioribus, uidelicet trochiſcis calidiconis, trochiſcis ex alkali, & calce non extincta, permixta cum aqua in forma luti, & redacta ad formam trochiſcorum, puluere ex alumine zuccarino, thure, & arſenico, & calce uiua, puluere ex calce uiua & melle ſimul malaxatis in modum paſtæ, & redactis ad formam magdaleonis, qui in paſta tritici reuoluatur, & in furno decoquatur aqua, per quam fit ſeparatio auri ab argento, oleo de uitriolo, aqua roſata in qua argentum fuerit ſublimatum diſſolutum, unguento ex argento ſublimato drach. ij. ʒ. unguento populeo drach. j. puluere ex lithargyro, lapide hæmatitis, uitriolo Romano, argento ſublimato partibus æqualibus. Expertum per me pluries: R. aquæ roſatæ, ſucci limonum, ana unc. ij. argenti ſublimati ʒ. iij. ceruſſæ ʒ. ij. ʒ. miſce, & bulliant ad conſumptionem quartæ partis. Aliud expertum: R. ſalis nitri, uitrioli Romani, aluminis, ana unc. ʒ. argenti ſublimati ʒ. ʒ. aquæ plantaginis unc. vj. aceti acris unc. ij. miſce, & bulliant modo præſcripto. Item ſecundum, quod loco medicinarum hoc tertio in loco deſcriptarum, ab aliquibus laudatur carnis ſuperfluæ amputatio per cauterium actuale, à nonnullis per inciſionem, ab alijs per compoſitionem iſtorum duorum modorum ad inuicem, uidelicet cauterij áctualis & inciſionis, in hunc modum: Sumptis forficibus benè & notabiliter incidentibus, & in ignem poſitis uſque ad rubrificationem earum, ſic per illos, eo inſtrumento taliter præparato, caro amputanda amputatur, poſitis nonnullis cauſticis, quibus caro ſuperaddita remoueri habeat. At pro eorum applicatione erudita, dicimus quod in remotione carnis ſuperfluæ utendum eſt potius medicinis à mordicatione denudatis, quàm quibuſcunq; alijs, niſi neceſsitate ductus, in qua neceſsitate adhuc meliores erunt & laudabiliores illæ, quæ erunt minoris mordicationis. Præterea notandum etiam, quod quum remotiua carnis ſuperfluæ mordicantia applicantur, linitio facta circumcirca membrum in parte ſana cum unguento defenſiuo communi ſolo, ſeu unguento populeo ſecum admixto, aut ſuccis frigidis, aut plantaginis, ſolatri, ſemperuiuæ, & his ſimilibus, multum iuuatiua eſt. Ex dictis iam clarè demonſtratum eſt, quis ſit modus carnis ſuperfluę curatiuus. Nunc autem ad curam ſerpiginis ſiue pruriginis accedamus. Forfices ignitæ.

De cura ſerpiginis ſeu pruriginis, in circuitu vlceris contingentis.
Caput XIIII.

CVm non rarò contingat partes ulcerum circumadiacentes ſuperficialiter ulcerari multis & paruis ulceribus, ſituſq; inordinati, cum earum partium punctione & arſura, ex quibus ulceris conſolidatio difficultatem conſequitur: ideò priuſquam modus curatiuus prænominatæ diſpoſitionis explicetur, duo erunt præmittenda: & primum, quod talis diſpoſitionis cauſa poteſt eſſe intrinſeca, aut extrinſeca. Intrinſeca ſecundum plurimum, ſanies ab ulcere reſudans acuta, mordicatiua, cuius ſaniei materia dicitur cholera aduſta, ſeu phlegma ſubtile choleræ aduſtæ admixtum, locum ulceratum & partes adiacentes inundans, & eas contingendo ſui acuitate ſuperficialiter ulcerans. Extrinſeca uerò cauſa, uti calefacientium appropinquatio magis, quàm diſpoſitio ulceroſa & membri natura requirant, humores in loco contentos diſſoluentium & acuentium, necnon antecedentem materiam ad locum attrahentium. Secundo præmittendum, quod poſita hac diſpoſitione duo ad inuicem coniunguntur, quorũ quodlibet neceſſariò trahit ad ſe curam, uidelicet mala complexio calida, & ſuperficialis ulceratio. Diſpoſitioni igitur huic ſuccurrendũ diæta, cauẽdo à ſalſis, & ab acutis, & potione materiã peccantẽ euacuãte, & hoc maximè ſi cauſa fuerit intrinſeca. Item ſuccurrendũ in recenti ſerpigine localibus alterãtibus mala complexionẽ calidã, & exiccantibus ſaniẽ ſubtilem ab ulcere ſuperficiali

reſudantem,& ſecundum quod trahit ad ſe curam magis una paſsio iam dictarum quàm altera, ſic compoſitum antidotum in exiccatione prædominetur, ſeu in alteratione malæ complexionis calidæ, ſecundum prædominium unius iſtarum diſpoſitionum ſuper alteram. Et quia accommodata ſiccitas ad curationem ulcerum non ſemper requiſita ſtat cum frigido, quare nimirum calida cum frigidis in aliquibus dicendis admiſcemus, immò in tali diſpoſitione conſequitur multotiens ex applicatione purè infrigidantium, humoris conſtipatio, ſuæq́ malæ caliditatis concentratio, quæ poſtea eſt cauſa deterioris malignitatis ipſius morbi: de quorum alteratiuorum & exiccantium in recenti ſerpigine eſt linimentum ex lithargyro, ceruſſa lota, oleo roſato cum aceto forti, confectum in mortario plumbeo cum piſtillo ſuo. Item unguentum album cum aceto acri. Item aliud: ℞. radicum lapathi, chelidoniæ recentum, ana unc. j. aluminis uſti, ſalis communis, ana drach. ij. ℥. cum axungia porci rancida & ſalita, & ſucco plantaginis, fiat linimentum in mortario contritis conterendis. Certa autem experientia ſcio etiam iſta in caſu ualere, quorum aliqua iuuatiua ſunt ſui exiccatione, alia exiccatione & ſtypticitate ſimul, uidelicet oleum de tartaro, oleum de frumento, oleum de uitellis ouorum, aqua maris, decoctio acetoſæ, aqua fabrorum in qua ferrum extinguitur, aqua exiſtens ſub rota fabrorũ ubi acuuntur ferramenta ſiue inſtrumenta. Vnguentum bonum per me quotidiana experientia comprobatum, quo patiens uolis ſuis ambarum manuum locum ſerpiginoſum, ſiue pruriginoſum inungat, & taliter fricetur, donec unguentum ingrediatur, & imbibatur in membrorum ſubſtantiam: & quonam modo tale unguentum taliter adminiſtratum ſit ſerpiginis curatiuum conſydera: ℞. axungiæ ueteris unc. iij. tartari, thuris, ana unc. ℥. argenti uiui extincti cum ſaliua, unc. ij. ſucci abſinthij q. ſ. miſce, & fiat unguentum in mortario abſq́ igne. Item aliud: ℞. axungiæ porci unc. iiij. aceti acris unc. ij. argenti uiui unc. ij. ℥. diſſoluatur axungia ad ignem, & bulliat aliquantulum cum aceto, & per pannum coletur, & in mortario diu aceto conteratur, & incorporetur: deinde adde ultimo argentum uiuum cum ſaliua extinctũ, & modo præfato locus ſerpiginoſus etiam inungatur. Itẽ aliud: ℞. ſepi caſtrati, medullæ bouis, ana ʒ. ij. ſucci ſaluiæ unc. j. ℥. argenti uiui unc. ij. thuris ʒ. vj. miſce, & fiat emplaſtrũ abſq́ igne, mortificato prius argento uiuo cũ aceto acri. Conuenit etiã in inueterata ſerpigine pro eius cura, præhabitis uniuerſalibus, euacatio materiæ contentæ in loco per ſcarificationem, uentoſas ſcarificatas, ſanguiſugas, & per ſimilia: & dum neceſſe fuerit, conuenit etiam apertio uenæ reſpicientis locum tali ſerpigine infectum, ut ſi in coxis fuerit, ſaphenę, ſi in brachijs, ſaluatellæ. & ſic de alijs corporis partibus: deinde ad localia iam dicta deuenire. Et hæc de cura ſerpiginis ſiue pruriginis in circuitu ulceris euenientis dixiſſe ſufficiant. Quis autem ſit uerus modus corroſionis curatiuus, ex ſequenti capite quiſq́ ſufficienter intelligere poterit.

De cura corroſionis. *Caput XV.*

CORroſio, quæ eſt diſpoſitio in qua humiditas terminans inter partes membri reſoluitur, ita quod partes membri remanent diſcontinuatæ, abſque hoc quod humiditas quæ remanet in membro ſit corrupta, cuius cauſa fortè dicitur cholera aduſta, quæ propter ſui acuitatem & aduſtionem fraudulenti-
1. am adipiſcitur, ſeptem his inſtrumentis curetur: quorum primum erit prohibi-
2. tiuum, ne materia faciens corroſionem multiplicetur: ſecundum erit minorati-
3. uum materierum corroſionis antecedentiũ: tertium erit diuerſiuum materierũ
4. corroſionis defluentium: quartum erit eductiuum ab ulcere & à partibus ulce-
5. ri proximis materiæ corrodentis: quintum erit remotiuum carnis corroſæ, in
6. qua fortè etiam malitia corroſionis fundatur: ſextum erit alteratiuum malæ comple-

complexionis calidæ derelictæ,partim ab humore corrodente,partim à medicina cauſtica,qua mediante facta fuit remotio carnis corroſæ:ſeptimum erit exiccatiuum ſuperfluitatum in loco exiſtentium. Primum itaq; inſtrumentum perficiatur debito regimine in ſex rebus non naturalibus, uergente ad frigidum & humidum. Secundum inſtrumentum ſubminiſtretur euacuatione facta per ſeceſſum,educente choleram aduſtam:pro quo recurras ad caput de cura ſanguinis peccantis in complexione calida nimis ſuperflua. Tertium inſtrumentum compleatur phlebotomia partis oppoſitæ, eductione omni die ſuperfluitatum primæ digeſtionis cum clyſteri,uel ſuppoſitorio,ſi ſponte non educerentur. Et omni alio modo diuerſionis, ex uentoſis,frictionibus, refrigeratione partis ſuperioris,cum ſuperappoſitione medicinarum frigidarum ſtypticarum, uti ſolani,plantaginis,materiam fluentem ingroſſantium,& uias & ductus per quę fluit materia conſtringentium, nec non & membrum confortantium, ut à ſe materiam depellat,& non recipiat. Quartum ſimiliter inſtrumentum perficitur educendo materiam cum ſcarificatione ulceris,& partis circumadiacentis, ſeu applicatione ſanguiſugarum ſuper membro. Quintum inſtrumentum perficiatur cauterio actuali cum ferro ignito, ſiue potentiali,cum hoc: R.argenti ſublimati drach.ij.ſ. unguenti populei uel dialthçæ (quod multum acuitatem ſublimati refringit) drach.j.miſce. Sextum inſtrumentum unguento de minio,unguento de ceruſſa albo, unguento de ſucco ſolatri, unguento de tuthia,unguento rubeo camphorato,& ſimilibus. Septimum uerò & ultimum inſtrumentū cōpleatur unguentis prædictis, ſiue cum hoc,& melius: R. unguenti de tuthia, unguenti de calce,ana unc.j.miſce.Seu cum hoc:R.aluminis, fecis aceti, pulueris gallarum,ana partes æquales. Valet præterea ſua exiccatione, repercuſsione, & membri confortatione,aqua plantaginis,ſiue uinū mellitum,decoctionis aluminis.Poſita cura corroſionis,de cura putrefactionis dicendum eſt.

(Right margin, in order: 7. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7.)

De cura putrefactionis. *Caput XVI.*

QVum putrefactio in ulcere, quæ eſt corruptio ſubſtantiæ membri abſque eius diſſolutione, conſequatur ad corruptionem complexionis membri, ſeu ad prohibitionem aduentus ſpiritus ad membrum.Ideò antequam ad curationem putrefactionis accedamus,cōnumeranda erunt à quibus membri complexio corrūpitur, & ſimiliter à quibus fit prohibitio aduentus ſpiritus ad membrum. Membri complexio corrumpitur in genere ab omni eo quod ſibi contrariatur, quia quod corrumpitur, corrumpitur à ſuo contrario in ſpecie, ſicuti à ſaniei ſubſtantia, ab humoris tranſmiſsi ad ulcus malignitate & uenenoſitate,ab intenſa ab intrinſeco, ſeu ab extrinſeco euenienti caliditate,frigiditate ſeu humiditate: à uenenorum morſu, ut canis rabidi, ſcorpionis, uiperæ, & ſimilium: à uenenatæ ſagittæ, ſiue rei alterius ueneno infectæ diſruptiōne, ſiue punctura. Prohibitio aduentus ſpiritus ad membrum utique in genere fit ab omni eo quòd in uijs tranſitus, per quos deferuntur ſpiritus, oppilationem inducit, ſicuti in ſpecie à materia incuneata, & conſtricta, ſiue per cauſam primitiuam, ſiue antecedentem, ab immoderata frigiditate, à forti & exaſperata ſtrictura, ſiue illaqueatione, à materiæ coniunctæ exceſsiua quantitate, ſeu multitudine, à materiæ coniunctæ groſsitie & uiſcoſitate. Aſsignatis cauſis tam in genere, quàm in ſpecie putrefactionis in ulcere euenientis, tali quali modo dictum eſt, nunc dicendum conſequenter quod cura putrefactionis diſtinguitur ſecundū quod ea putrefactio eſt de proximo futura, aut iam facta eſt:& quę iam facta eſt, aut ſecundū quod eſt perambulans & procedēs ad partes uicinas corrūpendo per uiam corruptionis cōplexionis membri, aut ſecundū quod nō eſt perambulans nec procedēs partes uicinas corrūpendo ſaltē pro tēpore,ſed ſic in ſuo oſſe

ſtans. Cura itaque putrefactionis, quæ eſt de proximo futura perficiatur, ne talis putrefactio omnes gradus ad putrefactionem acquirat, ut ſi in cauſa fuerit ſaniei ſubſtantia, perficiatur antidotis deſcriptis capite tertio & quarto, huius noſtræ partis practicæ. Si in cauſa fuerit ab intrinſeco ſeu ab extrinſeco eueniens caliditas, cura compleatur ſucco ſolatri, ſucco plantaginis, albumine oui conquaſſato cum aqua roſar. Si frigiditas, decoctione chamæmeli, meliloti, & ſimilium. Si humiditas, aqua cineris, aqua aluminis, emplaſtro ex farina hordei, orobi, fabarum, aqua cineris, aceto, & melle, & alijs exiccatiuis fortioribus fortè. Si uerò fuerit in cauſa humoris malignitas, & uenenoſitas, ſeu rei alterius extrinſecæ uenenatæ morſura, diſruptio, ſiue punctura, tunc talis malignitas & uenenoſitas eradicetur & conſumatur cauterio, ſeu ſcarificatione, appoſitio. uentoſarum ſuper loco, ſuctione cum ore & alijs. Si materia incuneata & conſtricta, relaxetur ſcarificatione loci, & circumuicinæ partis. Si in cauſa fuerit fortis & exaſperata ligatura, diſſoluatur, & à tali deſiſtatur. Si materiæ coniunctæ multitudo, minoretur ſcarificatione, ſeu ſanguiſugarum appoſitione. Si uerò materiæ coniunctæ uiſcoſitas & groſsities fuerit in cauſa, tunc ipſius fiat ſenſibilis diſſolutio ſcarificatione loci, & circumuicinæ partis. Cura uerò putrefactionis quæ iam facta eſt, & non perambulans, nec procedens ad partes uicinas corrumpendo, ſaltem pro tempore, ſed ſic in ſuo eſſe ſtans, compleatur abſciſsione putrefacti cum nouacula, ſeu quouis alio modo corruptum abſcindente, ſumpta indicatione de profunda & ſuperficiali abſciſsione, ſecundum quod talis putrefactio magis & minus in membro profundatur. Cura autem putrefactionis, quæ eſt perambulans & procedens, in hunc modum adminiſtretur, inciſione corrupti iuxta ſanum, accipiendo etiam de parte ſana, & conſequenter cauſticatione reſidui, cum igne: & melius: aut medicinis cauterizantibus, ut humidum extraneum in membri ſubſtantia fortè derelictum. quia non per inciſionem & amputationem totaliter remotum, aptum partes uicinas ſanas corrumpere & inficere, conſumatur & exiccetur: ſeu cum his, quæ in illam humiditatem extraneam exiccando & conſumendo cauterio proportionantur, ſicuti uitriolo Romano, calce uiua, ſeu unguento tali: R. uitrioli rubei ℥.x. aluminis ℥.iiij: calcis uiuæ ℥.v. pſidiæ ℥.v. thuris ℥.xj. gallarum ℥.j. ʒ. ceræ ℥.xl. olei ℥.vj. pinguedinis uituli ℥.xl. incorporentur more unguenti. Idem ualet hoc aliud: R. aquæ primæ unc.x. calcis uiuæ, argenti ſublimati, aluminis, ana unc.j. miſce, & bulliant ſimul ad ignem, donec ad ſubſtantiam denſam deueniat. Item etiam unguentum Aegyptiacum, & ſimilia. Hæc itaque de cura putrefactionis, & uniuerſaliter earum diſpoſitionum quæ in ulceribus ſuperueniunt, dicta ſint.

Putrefactio facta.

Putrefactio perambulans.

De cura corruptionis oſſium. *Caput XVII.*

CVM ad ulcera multoties conſequatur oſsium corruptio, qua exiſtente ulcus in carne non poteſt ſanari, niſi prius oſsis corruptio eradicetur: ideo & rationabiliter data prius ulcerum cura, in calce huius noſtri libelli curationem corruptionis oſsium aggreſſus ſum, non diſtinguendo tamen putrefactionem à corroſione, cum curatio, quæ perficitur poſtremò artis medicæ inſtrumento, pro ſui maiori parte penes hæc non diuerſificetur. Dico igitur, quòd corruptionis oſsium curatio diſtinguitur ſecundum quod talis corruptio eſt de proximo futura, aut iam facta eſt, & ſecundum quod eſt in oſſe magis & minus profunda, aut magis & minus ſuperficialis, ſimiliter ſecundum diuerſitatem membrorum in quibus fundata ſunt oſſa, ut in capite, dorſo, coxendicibus, iuncturis & cõſimilibus. Scita hac diuerſitate, dicendũ ſecundo, quod oſsis corruptio quæ de proximo futura eſt, denotatur ex iſtorum præſentia, uidelicet apoſtematis naturæ inobedientis, doloris in loco, & cum perſeuerantia infeſtan-

infeſtantis,coloris oſsis naturalis, coloris liuidi conditiones aſſumentis, carnis ulceratæ in corruptionem tendentis,ulceris ſub imperio annui ſe ſupponentis. Oſsis corruptio quæ iam facta eſt denotatur,quoniam ſecundum plurimum & quaſi ſemper facta eſt oſsis denudatio à panniculo eum naturaliter cooperiente,quæ comprehenditur ex facili penetratione carnis,& panniculi uſque ad ipſum os,tenta plumbea ſiue argentea mediante. Item caro quæ ſuper ipſum exiſtit os facta eſt mollis,nec non ſanies ab ulcere emanans eſt cum fœtore,& facta prætenuis.Si igitur oſsis corruptio fuerit futura de proximo curetur,ne omnes gradus ad corruptionem acquirat,& hoc remotione ſuæ cauſæ facientis talem corruptionem,circa quam fiat diligens conſideratio. Si autem oſsis corruptio iam facta ſit & ſuperficialis exiſtat,eradicetur frictione ſeu ſcalptura ipſius oſsis corrupti,uſquequo peruenias ad ultimum corruptionis eius,cognita oſsis corrupti eradicatione dum eius fit frictio quod ſanguis ex eo egreditur. Si uero corruptio profunda fuerit,abſcindatur ipſum os corruptum fricando ſeu ſcalpendo,& ſubſequenter cum cauterio actuali cauterizando, ut inde ſi quid humidi fuerit extranei, non iam ex toto per frictionem remoti,apti particulas uicinas adhuc inficere, exiccetur & conſumatur: & ſi oſsis corruptio profunda uſq; ad ſui medullam comprehendatur, curetur ipſum os malleo & ſcalpello, ſed alijs inſtrumentis conuenientibus, concauando & remouendo cum ſui medulla. Si uerò oſsis corruptio fuerit uniuerſalior,ita quod totum os ſit corruptum,ſerratura totius oſsis deſtruatur.Si oſsis corruptio exiſtere uideatur in capite, dorſo, anchis ſiue iuncturis,aut membris nobilibus propinquis, annihiletur medicinis complexionem ipſius oſsis conſeruantibus, & humidum corruptum & extraneum in oſsis corrupti ſubſtantia contentum exiccantibus & conſumentibus, ſicuti cum unguento de agarico,cuius hæc fertur eſſe deſcriptio:R. ſalis,agarici,tartari,ana,fiat puluis,& cum melle unguentum. Siue cum alio: R.ariſtolochiæ rotundæ,ireos,myrrhæ, aloës, corticis plantæ opopanacis, cambil aduſti,ſcoriæ æris,corticis pini,ana,miſce,& fiat puluis,ſeu cum melle unguentum. Item ualet in caſu radix dragonteæ, betonica, radix peucedani puluerizata, radix uitis albæ cum uino emplaſtrata,euphorbium puluerizatum, uitriolum Romanum,& ſimilia. A nonnullis uerò fit humiditatis corruptæ in oſsis ſubſtantia contentæ conſumptio & reſolutio medicinis his quæ cauterio proportionantur,uidelicet oleo feruenti,radice aſphodelorum ignita ualdè,cum uino,ſulphure ignito,aqua per quam fit ſeparatio auri ab argento. Tu tamen de membri ulcerati nobilitate,& ad membra nobilia propinquitate,& ſimiliter de prædictorum medicaminum fortiori & debiliori potentia conſidera, ne ex eorum applicatione in membro ulcerato cadat error. Quot igitur ſint impedientia curationem ulcerum,& quibus diuerſis modis impediant, & per quæ ſigna impedientia occulta cognoſcantur, quæ ad theoricam pertinent curationis ulcerum: ad hæc autem quæ ſint, & quot ſint ingenia auferentia præfata impedie͂tia, quia tria,ſcilicet potio,diæta,& chirurgia,tam generaliter in quadam ſumma, quàm particulariter circa unumquodq;,quod ad practica͂ attinet, in hoc noſtro compendioſo libello qui de cura ulcerum exteriorum inſcribitur,quæ eſt chirurgiꝗ pars,ſufficienter dictum eſt.

ANGELI BOLOGNINI LIBRI DE CVRA
ulcerum finis.

ANGELI BOLOGNINI DE VNGVENTIS QVAE COMMVNIS HAbet uſus practicantium hodiernus in ſolutæ continuitatis medela, Liber.

PRAEFATIO.

CVM IN FLORENTISSIMO BONONIENſi ſtudio, à Senatu Bononienſiũ ſtipendio adductus fuerim, ut chirurgiæ principis lectiones non paucæ ſcholaſticorum multitudini publicè profiterer, eorũ & doctorum quidem maior pars ingeminatis in dies precibus, ut quæ unguenta communis habeat uſus practicantiũ hodiernus in ſolutæ continuitatis medela, & quonam modo & uia ea unguenta ſolutis continuitatibus applicata, in illis operationes à medico intentas inferant, deinde in quo tempore ſolutis continuitatibus applicanda ſunt, poſtmodum quonam modo & quo in loco applicari habeant, adhuc quanto tempore in eorum applicatione continuandum erit, ultimo eorum deſcriptionem & componẽdi modum deſcribere uellem, & eis cæteræꝗ ſtudioſæ iuuentuti imprimi curarem, ſæpiſsimè me efflagitauit. Aſsiduis igitur eorum debitis ac precibus non obtemperare arbitratus ingratiſsimum, his paucis, non omnia, ſed quæ opportuniora & meliora ad rem uiſa ſunt dicens, ero contentus.

Quot & quæ ſint vnguenta in communi practicantium vſu. *Caput I.*

VNguentorum quæ ſunt in communi practicantium uſu pro curandis ſolutis continuitatibus, quædam ſunt quæ pluribus membris,
quædam quæ pluribus ſolutis continuitatibus ſunt communia: alia
quæ uni determinato membro, nonnulla uni ſolutæ cõtinuitati tan
tum ſunt propria. Quæ pluribus membris pluribusꝗ ſolutis continuitatibus
Vnguẽta communia. ſunt communia, dicuntur eſſe hæc, uidelicet unguenta defenſiua, unguenta di-
geſtiua, unguenta mundificatiua, quæ unguẽta non magis ùni particulari mem-
bro determinato quàm alteri, & ſimiliter non magis uni particulari ſolutæ con
Capitalia. tinuitati determinatæ quàm alteri, ſunt appropriata, nec pro illis principaliter
inuenta, ideo in hac parte communia dicuntur. Quæ uni membro determinato
ſunt propria, ſiue illi appropriata, ſunt unguenta capitalia, quæ pro curandis ſo-
Mercurialia. lutis continuitatibus in capite tantum contingentibus principaliter fuerunt in
uenta. Quæ uni ſolutæ continuitati ſimiliter ſunt propria & appropriata, ſunt
unguenta Mercurialia, quæ utique procuranda ulcera quadam ſcabie miro
quodam modo reperta ſunt.

De vnguentis defenſiuis. *Caput II.*

A Communioribus rationabiliter incipiens tanquã notioribus, de unguentis defenſiuis dicendum, quorum officium & operatio eſt quum frigidis & ſtypticis ſint compoſita, frigiditate ſua & ſtypticitate ſanguinem fluentem et humores admixtos ſanguini, congelare, condenſare, & ingroſſare, & ſic ex eorum tali acquiſita ſubſtantia, ineptos fluxui reddere, nec non ſubſtantiam membri patientis inſpiſſare, poroſitatesꝗ ipſius conſtringere, caliditatem eius attractiuam refringere, uirtutes membri læſi unire, & unitas fortiores in ſuis operationibus

tionibus reddere, uidelicet in expellendo maximè,& ſic ex his defluentes hu-
„ mores loco ſoluto copulari prohibere. Virtus enim ùnita, fortior eſt ſeipſa di-
„ ſperſa:quod idem eſt, Omnis potentia manens impartibilis,maior eſt. Humoribus itaque in fluxu,ſeu de proximo influere exiſtentibus, applicentur defenſiua in parte ſana,uidelicet ea parte qua exiſtunt uiæ & ductus per quos defluunt humores & ſpiritus ad locum læſum. Quibus defenſiuis continuandum erit, donec & uſque humorum defluxus ceſſauerit, quod comprehendi poterit priuatione doloris, deliteſcentia tumoris, ſi apparuerint,bonitate ſaniei in ſubſtantia & qualitate,ipſiuſq; proportionata ulceri quantitate:quorum plurimæ deſcribentur formæ, quarum prima forma erit unguenti defenſiui cõmunis,quæ talis eſt:R.olei roſ.unc.j.ſ.myrtini unc.ſ.ceræ albæ ʒ.vj.boni põderis.boli arm.unc.ſ. ſanguinis draconis,terræ ſigillatæ,ana ʒ.j.ſ.Conterendorũ unumquodque per ſe primo,ſubſequenter commixta in unum in mortario ſubtiliſsimè conterantur (& non ab re, dum dicitur unguentum ſubtile & emplaſtrum groſſum) & per ſetonem ſubtilem tranſmittantur, diſſolutaq; cera in oleis ad ignem lentum & ferè infrigidatis dentur pulueres,ducendo tale commixtum continuè bacculo uſque ad ultimam infrigidationem. Vltimo in aqua roſata,ſeu aceto roſato infundatur & abluatur. Tale autem defenſiuum ſub tali forma adminiſtratum, conſuetum eſt non remutari, niſi de tertia in tertiam diem, applicando ipſum eo modo & loco quibus ſuprà. Solet præterea à quibuſdam pro unguento defenſiuo communi,& alijs unguentis defenſiuis particularibus, in nonnullis particulis humani corporis (licet in omnibus etiam) linimentum unguento ſuprà ſcripto proportionatum adminiſtrari,cum non in illis particulis accommodatè unguentum adminiſtrari poſsit, cuius forma erit hæc: R.olei roſ. unc.ij. boli armeni unc.j.aceti drach.j.miſce,& in mortario tale aggregatum ducatur, factáque eorum ſimplicium adinuicem bona permixtione, eo linimento partes circunſtantes uulneri ſiue ulceri ſpatio trium digitorum illinantur,cooperta prius tamen ſolutione continui, tentis, licinijs, ſeu faldellis & petijs emplaſtratis unguento,ſeu unguentis ſolutæ continuitati illo tunc tempore conuenientibus, & opportunis:quæ linitio omni tempore medelæ præſtitæ reiteranda eſt.Ab alijs uerò tempore magni æſtus & caloris, ſeu infirmorum inopia, loco unguenti defenſiui,& ſimiliter linimenti de quibus ſuprà,ſubminiſtrantur nonnullæ defenſiuorum formæ,ſub forma embrocæ : quarum prima erit hæc:R.ſucci ſolani partes duas,plantaginis partem unam,aceti parum,miſce. Infuſa petia una in tali aggregato & aliqualiter expreſſa,partes circunſtantes ſolutæ continuitati embrocentur,& extenſa ſupra membrum uſque ad tempus mutationi congruum permittatur:& iterum imbibita in tali medicamento applicetur,cooperta prius ſoluta continuitate tentis.faldellis, ut ſuprà habitum eſt.Alia forma:R.aquæ roſatæ unc.iij.aceti unc.ſ.miſce,& applicetur ut ſuprà. Alij aliter defenſiua loco & tempore quibus ſuprà applicanda applicant, & hoc modo tali, uidelicet loco ex oleo roſato circumquaque inuncto, eidem pulueres ſanguinis draconis & boli armeni hincinde ſuperaſpergunt, & eorum digitis non ualdè comprimentibus prædictos pulueres leniunt & diſſoluunt.

Locus applicandi.

Tempus.

Conficiendi modi.

Tempus ad tres dies.

Linimentum.

Embregma.

De vnguentis digeſtiuis. *Caput III.*

DEſcriptis nonnullis in defenſiuorum materia, de quibus in proœmio nos declaraturos eſſe diximus,nunc de unguentis digeſtiuis dicendum, quorum officium & operatio eſt tam in uulneribus,quàm in ulceribus indigeſtis & crudis, ſui caliditate cum humiditate & unctuoſitate permixta, præparare ad expulſionem, caliditate digeſtiuam uigorando,multiplicato calore naturali,& humiditate & unctuoſitate diſponendo ad alterationem ſimilem illi quæ fit in

generatione ſaniei cum putrefactione permixta, molliendo & leniendo. In uulneribus dico ſanguinem, & ſuperfluitates admixtas ſanguini, congelatum ſeu conſtrictum in extremitatibus uenarũ notabilium, & capillarium partiũ ſolutarum, & in locis proximis ambientibus ipſam ſolutã continuitatem, quæ ſanguinis congelatio, & conſtrictio conſecuta fuit applicatione albuminis oui, ſiue frigiditate aëris circundantis, ſeu alia de cauſa. Et ſimiliter præparant ad expulſionem ſuperfluitates quæ aggregantur in loco, partim per uiam defluxus, uirtute expulſiua forti membrorum, potentium ſuas ſuperfluitates ad membrum debile expellere, partim per uiam congeſtionis, uirtute digeſtiua & expulſiua debili membri patientis. In ulcerationibus uerò crudis & indigeſtis, præparant ad expulſionem humores digeſtioni rebelles ſui cruditate, heterogeneitate ſeu fortè multitudine. Exiſtentibus igitur uulnere in ſua ſecunda ſiue tertia die, ulceratione indigeſta & cruda in ſuo tempore, applicentur digeſtiua, replendo uulnus ſiue ulcus tentis, faldellis ſeu licinijs & petijs in ipſo digeſtiuo intinctis. Quibus digeſtiuis procedendum erit in eorum adminiſtratione, donec & uſquequo tibi uiſum fuerit ſanies ex ipſa ſoluta continuitate proportionata reſudari, quæ ut plurimum in uulneribus hyemis tempore ſextam ſiue ſeptimam, in æſtate quintam ſiue ſextam diem inſequitur. In ulcerationibus uerò procedendum, donec præ cæteris dolor & tumor delituerint cum præſentia ſaniei laudabilis in ſubſtantia & qualitate, quorum digeſtiuorum plurimæ deſcribentur formæ, quarum prima erit unguenti digeſtiui communis, quæ talis eſt: R. uitellorum ouorum numero j. olei roſ. unc. j. miſce. Alia forma: R. terebinthinæ unc. j. ſ. uitellorum ouorum numero. v. olei roſ. unc. ſ. miſce: huic compoſito potes addere parum croci ſi placet, & erit magis in ſuis operationibus efficax, & in ſedatione doloris præſtans. Alia forma: R. terebinthinæ lotæ unc. ij. uitellorum ouorum numero. ij. croci ſcrup. ſ. olei roſ. unc. ſ. farinæ ordei. q. ſ. ut bonæ formæ & compoſitionis reddatur. Alia forma magiſtralis: R. axungiæ porci liquefactæ ſiue butyri unc. j. ſ. ceræ albæ terebinthinæ, ana unc. ſ. croci ſcrup. ſ. diſſolutis axungia ſiue butyro & cera ſimul, & ultimo terebinthina, & quaſi infrigidatis detur crocus, & ducatur aggregatum ex his bacculo, donec ad ultimam infrigidationem deueniat. Itẽ alia forma ſatis mihi domeſtica in ulceribus & in uulneribus etiã à tertia ſiue quarta die citra adminiſtrãda cũ humiditate & unctuoſitate exiccationi permixta participet: R. unguenti baſilico. ſerap. unc. j. dialthęæ unc. ſ. miſce.

Tempus.

Modus.

De unguentis mundificatiuis. *Caput IIII.*

CVm unguenta mundificatiua ea denominanda ſint, quæ ſolutas continuitates mundas reddunt, eapropter non immeritò hoc in loco dicendum eſſe puto, mundificatiuum tripliciter ſumi poſſe, uidelicet largè, ſtrictè & ſtrictiſſimè. Si largè ſumatur, ſic omnia unguenta quæ habent mundare ſolutas continuitates, ſiue mundent eas à ſanie, cruſtis, eſcharis, ſiue ſquammis, carne molli, carne putrida, carne oſtracata, & ſic de alijs, mundificatiua dici poterunt. Si autem ſtrictè ſumatur, mundificatio ex unguentis celebrata propriè ſolutæ continuitati ulceroſæ tantum competat. Sic ea dici poterunt mundificatiua ſtrictè, quæ habent ipſum ulcus mundare ab altera duarum ſuperfluitatum, ſolutas continuitates ulceroſas inſequentium: ex quarum præſentia tale ulcus interdũ ſortitur denominationem, ut à ſanie ſubtili qua ulcus uirulentum denominatur, ſeu à ſanie groſſa qua ulcus ſordidum. Si ſtrictiſſimè, ſic ea unguenta quæ habent mundare ſolutas continuitates ulceroſas à ſuis proprijs ſuperfluitatibus ſimul & collectiuè, uidelicet à ſanie ſubtili & groſſa ſimul, quæ duę ſuperfluitates ſecundum plurimum ſolutas continuitates ulceroſas inſequuntur. Non contrahentes tamen tale ulcus ad aliquam differentiam determinatam, mundificatiua ſtrictiſsimè

Vlcus uirulentum.

Sordidum.

ſtrictiſsimè denominanda ſunt. Data hac mundificatiuorum diſtinctione, de
mundificatiuis ſtrictiſsimè ſumptis, de quibus in hac parte principaliter fit ſer-
mo noſter, ſubſequenter de ſumptis ſtrictè, ultimo de ſumptis large dicendum
erit. Officium itaq; & operatio unguentorum mundificatiuorum eſt ſolutas cõ
tinuitates mundas reddere. Et cum in ſolutis continuitatibus ulceratis, ut ſuprà
dictum eſt, duæ ſuperfluitates inueniri ſoleant, una ſubtilis, altera groſſa: ſubtilis
quæ exiccantibus curatur, groſſa quæ attenuantibus & diſſoluentibus, hoc eſt
abſtergentibus: quapropter mundificatiuum ſtrictiſsimè ſumptum ex exiccan
tibus & abſtergentibus ſimul & collectiuè componi habeat. Apparente itaq; Mundificatiua ſtrictiſsimè
in ulcere ſanie ſubtili & groſſa, repleatur ulcus tentis, licinijs ſeu faldellis, em-
plaſtris, unguento mundificatiuo ipſis ſuperfluitatibus proportionato ſecun-
dum prædominium unius ſuperfluitatis ſuper alteram: quibus continuandum
erit, donec locus mundificatus fuerit: quod non falſo comprehendere pote-
ris, dum ſaniei diminuta quantitas, ipſiúsque in ſubſtantia & qualitate perfe-
cta laudabilitas affuerint, quorum plurimæ annotabuntur formæ, quarum pri-
ma erit hæc: R. terebinthinæ unc. ij. mellis roſati colati unc. j. myrrhæ drach.
j. thuris, ſarcocollæ, ana drach. ij. Vnumquodque eorum quæ conterenda ſunt
in mortario per ſe primo, ſubſequenter commixtis in unum ſubtiliſsimè con-
terantur, factáque deinde bona permixtione adinuicem mellis & terebinthinæ
in cazola ad ignem lentum, & ab igne depoſitis & penè infrigidatis, dentur pul
ueres, ducendo tale commixtum baculo uſque ad ultimam infrigidationem.
Alia forma: R. unguenti raſini unc. ij. mellis roſati colati unc. j. diſſoluto un-
guento in cazola ad ignem lentum, & addito melle, ducendo ea baculo, fiat
illorum ad inuicem perfecta mixtio. Alia forma, & dicitur unguentum de di- Dialthæa.
althæa patris mei: Rec. terebinthinæ, unguenti dialthęæ, ana unc. j. ceræ, reſi-
næ pini, ana drach. v. ſcrup. j. butyri, boli armeni, ana unc. j. ſ. floris æris drach.
j. ſ. miſce. Alia forma: R. unguenti baſiliconis unc. ij. mellis roſati colati unc.
j. fiat eo modo quo ſuprà. Et hæc pauca ex unguentis mundificatiuis ſtrictiſ-
ſimè ſumptis connumerata ſufficiant: nunc ex unguentis mundificatiuis ſum-
ptis ſtrictè nonnulla connumeranda erunt, quorum aliqua erunt couſumptiua Mundificatiua ſtrictè ſumpta.
ſaniei ſubtilis, alia diſſolutiua & attenuatiua ſaniei groſſæ, hoc eſt abſterſiua: &
eorum quæ erunt conſumptiua ſaniei ſubtilis, alia erunt ad caliditatem decli-
nantia, alia ad frigiditatem. Quæ uerò erunt conſumptiua ſaniei ſubtilis, & ad Exiccantia calida.
caliditatem declinantia, eorum prima forma erit hæc, & dicitur unguentum re- Vnguentum reſinatum.
ſinatum: R. reſinæ pini, terebinthinæ, ceræ citrinæ, olei communis, ana unc. iij.
diſſoluta cera, & reſina, & oleo, & ultimo terebinthina in cazola ad ignem len-
tum, & colatis per ſetarium infrigidari permittatur, & uſui ſeruetur. Alia forma,
& dicitur unguentum baſilicon maius, ſiue uaſilicon ſeu imperiale ſiue Macedo Baſilicon maius.
nicum: R. ceræ albæ unc. ij. reſinæ pini, terebinthinæ, ana unc. ſ. ſepi uaccini,
picis naualis, thuris, myrrhæ, ana drach. ij. ſcrup. ij. olei communis unc. iij. Quę
ſunt conterenda primo per ſe, ſubſequenter ſimul & in unum in mortario con-
terantur, deinde in cazola ad ignem lentum, oleum, ſepum, ceram, reſinam, ul-
timo terebinthinam, ſubſequenter picem imponito, & omnibus diſſolutis &
colatis per petiam ſiue ſetarium, & ferè infrigidatis dentur pulueres, & cum ba-
culo tale aggregatum tandiu ducito, donec infrigidetur. Alia forma, & dici-
tur unguentum aureum: R. ceræ nouæ unc. j. olei communis unc. iiij. terebin- Vng. aureum.
thinæ unc. ſ. picis græcæ drach. ij. thuris, maſtiches, ana drach. j. ſcrup. j. croci
ſcrup. ſ. ſubtiliſsimè pulueriz etur maſtiche, pix, & thus. Vnumquodq; iſtorum
per ſe primo, ſubſequenter mixtis in unum in mortario, & diſſoluta cera in o-
leo, & ultimo terebinthina, & penè infrigidatis dentur pulueres, ſubſequenter
crocus, ducendo tale commixtum baculo, donec eorum ſimplicium fiat perfe-
cta mixtio, & tandem ultimata infrigidatio. Quæ autem erunt ſaniei ſubtilis

Exiccantia frigida consumptiua ſiue exiccatiua, & ad frigidum uergentia, eorum forma prima erit hæc, & dicitur unguentum de cerusſa album: R. olei roſati, ceruſſæ pulueri-
zatæ per ſetarium, ana unc. ij. ceræ albæ drach. vj. diſſoluta cera in oleo in ca-
zola ad ignem lentum, & ab igne depoſitis, & quaſi infrigidatis, pone ceruſſam
puluerizatam, & ultimo lauetur cum aqua roſata. Alia forma: R. olei roſati, ce-
ruſſæ puluerizatæ per ſetarium, ceræ albæ, ana unc. j. fiat eo modo quo ſuprà,
præter quod non lauetur cum aqua roſata, ne que re alia. Alia forma: R. olei ro-
ſati, ceruſſæ puluerizatæ ut ſuprà, ceræ albæ, terebinthinæ, ana unc. ij. diſſolua
tur cera in oleo, deinde terebinthina, quibus diſſolutis, & quaſi infrigidatis, ad-
de ceruſſam, & uſui reſerua. Alia forma: R. ceræ albæ, olei roſati, ceruſſæ pul-
uerizatæ per ſetarium, terebinthinæ, ana unc. ij. minij unc. j. ʒ. diſſoluta cera
in oleo, & ultimo terebinthina, & penè frigidatis, adde ceruſſam & minium
commixtis in unum, & ducatur tale aggregatum baculo, donec ultimate infri-
Vnguent. de plumbo uel Saturn. gidetur. Alia forma, & dicitur unguentum de plumbo, per me Saturninum: R.
antimonij, ceruſſæ, ana unc. ʒ. plumbi uſti, lithargyri, terebinthinæ, ana unc. j.
olei roſati unc. ij. ceræ albæ unc. j. ʒ. Quæ ſunt conterenda, ſubtiliter eo mo-
do quo ſuprà contere, & per ſetarium ſubtiliter cribra, diſſolutaque cera in o-
leo, & ultimo terebinthina, quibus diſſolutis, & penè frigidaris dentur pulue-
res, & ducatur tale aggregatum baculo, donec eorum fiat perfecta mixtio & ul
De tuthia unguentum. timata infrigidatio. Alia forma, & dicitur unguentum de tuthia, ſiue diapom-
phligos: Rec. olei roſati, ceræ albæ, ana unc. v. ſucci granorum, ſolani unc. iiij.
ceruſſæ lotæ unc. ij. plumbi uſti, tuthiæ præparatæ, ana unc. j. thuris unc. ʒ. quæ
ſunt terenda in mortario ſubtiliter tere eo modo quo ſuprà, & per ſubtilem ſe-
tarium tranſmittantur, diſſolutáque cera in oleo, & quaſi infrigidatis dentur
pulueres, ducẽdo tale aggregatum baculo, donec ultimatè infrigidetur: poſtre-
mò ponatur tale unguentum in mortario cum ſucco ſolani, & tandiu cum pi-
ſtillo ducatur, donec ſucci & unguenti adinuicem fiat perfecta unio & incor-
poratio, & uſui ſeruetur. Et quia multoties accidit applicatione iam dictorum
unguentorum & aliorum ſimilium, licet hæc ad frigidum & ſiccum ſint uergen
tia, in ſolutis continuitatibus carnem mollem generari ex eorum ſubſtantia un
ctuoſa & oleaginoſa remolliente partis ulceratæ ſubſtantiam, ideo hoc in loco
dignum mihi eſſe uidetur nonnulla unguenta enumerare, ut ab errore præfato
tuearis, quorum ſubſtantia non ita oleaginoſa & unctuoſa exiſtit, immò in ſub-
Vnguentũ de minio. ſtantia quaſi ceratis ſimillima eſt: & eorum prima forma erit unguentum de mi
nio, cuius deſcriptio talis eſt: R. olei roſati ſiue cõmunis, terebinthinæ, ana unc.
ij. ceræ citrinæ unc. iiij. minij. unc. vj. ſubtiliato minio in mortario, & per ſetari-
um tranſmiſſo, diſſolutisq; cera, & ultimo terebinthina in oleo ad ignem, & fe-
rè his tribus infrigidatis & per petiam colatis, detur minium, ducendo tale ag-
gregatum baculo uſque ad infrigidationem ultimam. Alia forma unguenti ſub-
Vnguentũ de Ceruſſa coctũ ſtanriæ tenentis medium inter molle ſeu oleagineum, & durum ſiue terreſtre,
& dicitur unguentum de ceruſſa coctum: R. ceruſſæ puluerizatæ per ſetarium,
ceræ albiſsimæ, ana unc. j. olei communis ʒ. iij. terebinthinæ ʒ. j. diſſoluta cera
in oleo, & ultimo terebinthina in cazola ad lentum ignem, & ab igne depoſitis
& quaſi infrigidatis detur ceruſſa: ultimo uero loco manibus in aqua roſ. infuſis
Vnguentũ nigrum. malaxetur, & uſui tuo reſeruetur. Alia forma unguenti præfatæ ſubſtantiæ, alijs
quibuſcunque eiuſdem tamen rationis præualens: & dicitur unguentum ni-
grum deſcriptione patris mei: R. ceruſſæ puluerizatæ per ſetarium, lithargyrij
puluerizati ſubtiliter, ana unc. j. ʒ. ceræ citrinæ unc. ʒ. olei communis unc. iij. ʒ.
poſitis cera & oleo in cazia una capacitatis ſatis magnæ ad flammã ignis ligno-
rum & non carbonum, & tandiu teneantur ſuper ea donec illa notabiliter fer-
ueant, & ſubſequenter ponantur in illis feruentibus ceruſſa & lithargyrum,
& ducantur continuè baculo, ne ea feruendo fundo caziæ adhæreant. & in

tantum bulliant uſquequo tale aggregatum ad colorem liuidum deueniat, & tunc ſubitò ponatur gutta una ipſius aggregati ſuper marmore aut ferro ſeu realia frigida, & infrigidari permittatur. Infrigidata conſyderare habeas utrum talis gutta ſit ſubſtantiæ mollis oleaginoſæ, ſiue duræ & terreſtris, ſeu inter iſta duo tenentis medium, uidelicet inter molle & oleaginoſum, ſiue durum & terreſtre. Si uerò extiterit ſubſtantiæ tenentis medium inter illa duo iam dicta, tunc tandiu tale aggregatum ferueat, donec ad colorem nigrum deueniat. Si ſubſtantiæ duræ & terreſtris fuerit, tunc detur aliquantulum de oleo, & tanto tempore bulliat donec prædictam ſubſtantiam & colorem aſſumat, ſuperaddendo de oleo bis ſiue ter, & fortè pluries ſecundum opportunitatem. Tamen conſilium meum eſt circa hoc, quod ſis magis parcus in effundendo oleum, quàm abundans. Melius eſt reiterare uices olei, quàm indebitam quantitatem infundere. Si autem ſubſtantiæ mollis & oleaginoſæ affuerit, tunc taliter ferueat, donec colorem nigrum, & ſubſtantiam inter illa duo iam dicta tenentem medium attingat. Quæ uerò erunt ſaniei groſſæ attenuatiua & diſſolutiua, hoc eſt abſterſiua, eorum prima forma erit unguenti mundificatiui de melle, cuius deſcriptio talis eſt: R. mellis roſati unc. j. iridis ſubtiliſsimè puluerizati drach. ij. miſce. Alia forma, & erit unguenti mundificatiui de ſucco apij: R. terebinthinæ unc. ij. mellis roſati colati unc. j. ſ. ſucci apij unc. j. farinæ ordei q. ſ. Fiat in cazola ad lentum ignem perfecta mixtio mellis, terebinthinæ, & ſucci ad inuicem, & in fine adde tantundem farinæ ordei donec ad formam unguenti extenſibilis deueniat. Alia forma, & erit unguenti mundificatiui de ſucco abſynthij, quæ ſit eodem modo quo ſit unguentum de ſucco apij.

Sint hæc de unguentis mundificatiuis ſumptis ſtrictè, dicta ſatis: de unguentis modò mundificatiuis largè, nonnulla aſsignanda erunt: quorum prima forma erit unguenti mundificatiui ſolutę continuitatis ulceratæ à carne molli, nō iam habente aliquem putrefactionis gradum, ſed benè de proximo ad putrefactionem diſpoſita: & tale dicitur unguentum apoſtolorum ſeu uenereum, cuius deſcriptio talis eſt: R. ceræ albæ, reſinæ pini, armoniaci, ana drach. xiiij. opopanacis, floris æris, ana drach. ij. ariſtolochiæ longæ, thuris, bdellij, ana drach. vj. myrrhæ, galbani, ana drach. iiij. lithargyrij unc. j. olei communis lib. j. Quæ ſunt puluerizanda primo ſeorſim & diuiſim puluerizentur ſubtiliter, ſubſequenter commixtis in unum, deinde diſſolutis in oleo ad ignem lentum reſina & cera, per ſetarium colatis & quaſi infrigidatis dentur prædicti pulueres, eos inſimul permiſcendo: poſtmodum addantur gummi pręparata præparatione qua pręparari ſolent: ultimo inceſſanter tale aggregatum baculo ducatur, & infrigidari permittatur. Alia forma conſimilis præfatę in operationibus, & dicitur unguentum Damaſcenum: R. unguenti reſinati unc. j. floris æris ſcrup. j. diſſoluto unguento in cazola, ad ignem lentum, & ab igne depoſito & penè infrigidato detur flos æris, ducendo tale aggregatum baculo, donec eorum fiat inſeparata mixtio, & tandem ultima infrigidatio. Forma una unguenti mundificatiui ſolutę continuitatis ulceratę, à carne iam habente gradum confirmatum. immò gradum corruptionis & putrefactionis: quod unguentum, ut quidam aiunt, & ego cum eis, prohibet ambulationem, facit cadere quod eſt putrefactum, & ſeruat illud quod ſequitur ipſum. Tale uerò unguentum Aegyptiacum denominatur, cuius deſcriptio: R. mellis crudi, aceti, ęris, aluminis rochini, floris ęris, ana unc. j. puluerizanda ſubtiliter in mortario puluerizētur, ut ſuprà de alijs. Subſequenter omnia in mortario ducantur, donec eorum fiat mixtio concedens, deinde ponantur in cazola ad ignem lentum, ducendo cum ſpatula tale aggregatum, & ſeparando illud à parietibus cazolę ne comburatur, & tandiu bulliat donec ad colorem rubrum, & ſimiliter ad ſubſtantiam denſam & nullo modo raram et fluxilem deueniat. Si enim tale aggregatum eſſet ſubſtantię rarę & fluxilis, duo

Vnguentū apoſtolorum ſeu uenereū.

Vng. Damaſcenum.

Vng. Aegyptiacum.

non opportuna in eius adminiſtratione contingerent. Vnum, quod in eo ſolutæ continuitati applicito, in ſpatio temporis minimi ad actum fluxilitatis reduceretur, & ſic in ea tam paruo tempore non operationes à medico exoptatas inferret. Aliud, quum de ratione grauis & terreſtris ſit inferiora petere (conſeruato eo unguento in aliquo uaſe) alumen, mel, & flos æris, tanquam terreſtria grauia & groſſa ipſius uaſis fundum peterent: acetum uerò, & maximè ipſius aceti ſubſtantia ſubtilis, ſuperficiem. Quare dum crederes tale aggregatum adminiſtrare, tantummodo per te acetum adminiſtraretur, derelicta baſi & radice ipſius aggregati, nempe melle, alumine, & flore æris, niſi per te prius eorum permixtio fieret. His uerò rationibus moti, confirmamus eius ſubſtantiam denſam & terreſtrem utiliorem & magis collaudandam fore. Forma una unguenti mundificatiui ſolutæ continuitatis ulceratæ à carne oſtracata, calloſa & dura, quod unguentum diaberich à quibuſdam denominatur, per me martiale, cuius deſcriptio talis eſt: R. argenti ſublimati, unguenti populei ſeu dialthçæ, quæ dialthæa multum acuitatem ſublimati refringit,) ana partes æquales quo ad oculum, conteratur ſubtiliter ſublimatum in mortario, ſubſequenter addatur unguentum dialthçæ ſeu populeum, & tandiu ſimul conterantur donec eorum fiat mixtio concedens.

Et hæc ſatis ex unguentis quæ pluribus membris pluribúsque ſolutis continuitatibus ſunt communia. Nunc autem tractandum erit de unguentis, quæ uni determinato membro, & ſimiliter de illis quæ uni ſolutæ continuitati tantum ſunt propria: & primo de illis quæ uni determinato membro ſunt propria ſiue appropriata. Et antequam ad ea deueniamus, ne ab enumeratione unguentorum malam complexionem remittentium, & ſimiliter unguentorum carnem generantium, & unguentorum incarnantium, & unguentorum cicatrizantium defeciſſe uidear, dicatur quod pro unguentis malam complexionem remittentibus recurratur ad ea, quæ de unguentis mundificatiuis ſaniei ſubtilis ſcripta ſunt: pro unguentis uerò ſua primaria intentione carnem generantibus, & pro unguentis incarnantibus, & pro unguentis cicatrizantibus, quum mūdificationis tempore & in actu mundificandi ſæpe contingat, præter medici intentionem & medicaminis applicati uirtualem operationem, in una parte ſolutæ continuitatis ulceratæ caro generari, in alia cicatrizari, in altera mundificari: quapropter in attenta conſyderatione horum effectuum diu permanens, arbitratus ſum has operationes actione naturæ fieri, remotis tamen impedimentis, ut tota medicorum ſchola tenet: & adhuc à continuiſsima & frequenti illorum effectuum conſyderatione non deficiens, & circa magis mihi neceſſaria pro nunc occupatus, his de cauſis dicatur, ab enumeratione unguentorum iam dictorum nunc ſuperſedendum eſſe.

De unguentis capitalibus. *Caput V.*

Non poſſum non admirari, cur priores poſterioresꝗ medici huius antiquæ, certæ, & non deceptoriæ, neceſſariæ & continuò honoratæ artis, non cuilibet determinato membro unguenta propria & appropriata inuenerint, ſicuti capiti, pro curandis ſolutis continuitatibus in eo contingentibus inuenêre, pro quo unguentum ex quàmpluribus proprietatibus conſtitutum omni ſtudio compoſuêre, uidelicet aromaticitate, exiccatione, caliditate & attractione. Aromaticitate, ut fiat ipſius membri dilatatione animæ & ſpiritus confortatio: exiccatione uerò, ſuperfluitatum conſumptio, & complexionis naturalis membri conſeruatio. Omne enim ſimile à ſuo ſimili conſeruatur. Caliditate, innati caloris membri naturaliter debilis uigoratio, conſeruatio & multiplicatio. Attractione autem ſuperfluitatum extranearum in profundo ſolutæ con

tinuitatis

tinuitatis exiſtentium ad exteriora euulſio. Ecce quàm poſteriores medici hac tempeſtate noſtra laborauêre in inueſtigatione præfati unguenti pro conſeruatione complexionis, & uigoratione caloris naturalis iſtius membri, præſupponentes ea maximè fore baſim & fundamentum ferè requiſitæ curationis: quod unguentum adminiſtrandum erit dum ſanguis ex ipſa ſoluta continuitate penitus fuerit reſtrictus: quia ſua ſecunda die computata ab hora percuſsionis, emplaſtratis ex eo licinijs ſeu faldellis, & magna una petia occupante de parte ſana per ſpatium quatuor digitorum ſecundum omnem differentiam poſitionis: quæ licinia, faldellæ & petiæ emplaſtratæ in oleo roſato infundantur, & aliqualiter exprimantur, & loco actu calida taliter præparata applicentur, donec appareat in loco ſoluto aliqualis digeſtio & doloris penitus remiſsio, & tunc oleo poſtpoſito eo ſolo unguento continuetur donec & uſquequo ab accidentibus malis tutus fueris, & caro iam cuti quaſi adæquata fuerit. & ad alia medicamenta eiuſdem tamen rationis deueniendum erit, his duabus rationibus moti: prima, cum natura tali permutatione gaudeat, ſecunda, ut uidearis non uno ſemper medicamento procedere, ſed diuerſis, ex quibus infirmi & aſtantium ſpes ſalutis corroboratur. Et tunc ad cerota tranſeundũ, quæ unguentis præſtantiora erunt in cura, ſtante carne iam quaſi adæquata cuti, & hoc cum non oleaginoſitate & unctuoſitate participent, quibus fit aliqualis refractio aro maticitatis & exiccationis unguentorũ. Deſcriptio eius talis eſt: R. terebinthinę, reſinæ pini, olei communis ſiue roſati, ceræ nouæ, ana unc. vj. betonicæ, matriſſyluæ, ana lib. ʒ. hoc eſt unc. vj. uini albi potentis & odoriferi ad aliqualem dulcedinem tendentis q. ſ. pro ſepultura herbarum: betonicam & matriſſyluam minutim incidito, deinde ea in mortario aliqualiter contundito, & ſic præparata in uino albo odorifero infundito, quæ duo ſtent in tali infuſione per dies tres naturales, & fortè plures, miſcendo prædictas herbas & uinum omni die bis ſiue ter: poſtea prædictum uinum cum prædictis herbis ſumito, & in caldario ſiue cazia magna, & ſimiliter terebinthinam, oleum, reſinam, & ceram imponito, & tandiu ad lentum ignem ſimul bulliant, permiſcendo ea baculo ne fundo caziæ adhæreant, donec uini fiat conſumptio, poſtmodum per ſetarium ſiue petiam raræ ſubſtantiæ colentur, & exprimantur in catino uitreato, & in eo infrigidari permittantur. Infrigidata iterum ponantur in una cazia ad ignem & diſſoluantur: quibus etiam diſſolutis, addantur ſarcocollæ, myrrhæ, ana partem unam, gummi, helenij partes iij. ita quod uni libræ unguenti correſpondeant iſtorum trium puluerizatorum unc. ij. & aliqualiter bulliant, & iterum colentur, & unguentum ex his iam dictis ſimplicibus & modis conſtitutum uſui ſeruetur. Forma una ceroti capitalis præ alijs nobilior conſtituatur ex modis & ſimplicibus iam dictis ad inuicem proportionatis, præter oleo, quibus unguentum capitale præſcriptum conſtituitur, quo conſtituto manibus oleo inunctis malaxetur & uſui ſeruetur. Alia forma ceroti capitalis: R. reſinæ pini, ceræ ana unc. vj. terebinthinæ unc. xij. ſucci betonicæ, plantaginis, apij, ana lib. j. bulliant ſucci ad inuicem cum cera, reſina, in cazola ad ignem lentum, & quaſi ſuccis conſumptis & exiccatis detur terebinthina, qua diſſoluta & aliqualiter per ebullitionem cum illis incorpora ta colentur, & uſui cerotum confectum reſeruetur. Et hęc de unguentis & cerotarijs quę uni determinato membro ſunt propria ſiue appropriata.

De unguentis Mercurialibus. *Caput VI.*

POſitis nonnullis unguentis & cerotis quæ membris appropriantur, hoc in loco tractandum erit de unguentis & cerotis quæ ulceribus appropriata ſunt, & maximè cuidam ægritudini ulceroſæ mali modi, cui applicatis unguentis, quæ alijs ulceribus applicari ſolent, potius compertum eſt nocumentum, quàm iuuamentum. Cuius tam abſurdæ diuerſitatis dubius, & multo tempore in eius conſyderatione anxius commorans, tandem experimento ratione comprobato uiſum eſt per me & alios quàm plures, iam dictæ ægritudinis curam fieri applicatione medicaminum corpus à ſuperfluitatibus indeſinenter mundantium, neglectis iam dictis localibus & alijs. Qua de re non erit erroneum dicere, & ſine hæſitatione credere, hanc ægritudinem à materia antecedente & forti & continuè eam fouente deperdere: cuius cura, ut habitum eſt, erit euacuatio illi debita & proportionata. Quæ uerò fit in his & alijs in hac parte incidentaliter dicendis, conſydera. Et primo quod euacuationum per medicos ſeniores & iuniores adinuentarum, aliæ fiunt aſſumptione ſolutiui aſſumpti per os in forma pilulari, confectionis, electuarij, pulueris, uel ſub alia forma. Nonnullæ linitione ilium & uentris inferioris cum unguento arthanite uel laxatiuo, certa linitione extremitatum. Quædam uerò fiunt aſſumptione ſolutiui aſſumpti per os, & ſimiliter linitione uentris. Quæ per os, de quibus ſermocinandum eſt, educunt ſolummodo humorem ad quem conuertuntur, pro eo tempore quo fit retenta & digeſta medicina ſolutiua in corpore: cuius digeſtionis terminus communiter eſt circa horas octo, in quo tempore interdum educuntur omnes humores ferè peccantes, licet rarò interdum eorum pars, educendo eos per ſeceſſum, & non regione alia. Quæ euacuatio, mea ſententia, in uno uidetur diminuta, in alio erronea. Diminuta, quia non educit continuè & ſucceſſiuè ſuperfluitates, donec corpus redditur mundum. Poſito enim interuallo, ut res exigit, inter aſſumptionem unius medicinæ ſolutiuæ & aliam, in tempore autem intermedio fiet reaggregatio (dico in hac magna cauſa) tantæ humiditatis in corpore, quanta facta fuit euacuatio per priorem medicinam, & fortè plus. Præterea non educit pluralitate regionum, ſed tantum unica. Pluribus enim humoribus peccantibus uariæ ſubſtantiæ & degentis in loco longinquo & fortè rebelli à uia ſeceſſus, non fiet eorum debita & appropriata euacuatio. Vnica regione, quia per ſeceſſum. Erronea, quoniam non inueniendo humorē ad quem conuertitur, & in quem eſt proprium agere, educit humiditates radicales, & illas eliquat & diſſoluit, & ſic eſt cauſa magni terroris & multarum ęgritudinum, ſenij, & mortis intempeſtiuæ. Et in actu euacuandi ſæpe accidit quod mouet humores & illos non euacuat: & ſi euacuat, laborioſe euacuat, aut euacuat plus quàm oportet. Et facta euacuatione accidit interdum febris, dolor capitis, uertigo, debilitatio uiſus, debilitatio ſtomachi, ſitis, ſingultus, dolor ſtomachi, dyſenteria, egeſtio ſanguinea, teneſmos, laſsitudo & debilitatio corporis: de quorum accidentium ſuperuentu nullus admiretur, cum medicina qua fit talis euacuationis modus malignitate & uenenoſitate participet, quia fortè aliter non educeret. Non igitur mirum, ſi tranſeundo per os & membra nobilia, præfata accidentia ſubſequantur. Quæ autem fiunt linitione extremitatum, educent ſuperfluitates peccantes tantūmodo & ægritudinem fouentes, ſiue ſint a, ſiue b, educendo eas continuè & ſucceſsiuè, die noctuq́, donec corpus redditur mundum unica regione ſiue pluribus, quibus habilius & commodius tales ſuperfluitates euacuari poſſunt. Et quamuis hi prænominati effectus & operationes ex tali modo euacuandi conſequentes, reuera digna ſint non minima admiratione, eapropter ut admirantium animus ſedeat, erit innoteſcendū hos effectus & operationes non fieri ui medicinæ educentis illum humorem peccantem, ſed

ui

ui uirtutis expulſiuæ membrorum principalium, expergefactæ & irritatæ à qualitate linimenti ad expellendum nocitiua ſuperflua, ac ſi iraſcens incitaretur ut furiat: opus enim naturæ præ alijs rationabilibus ualidius & incolumius. Item innoteſcendum ſecundo, quod non raro accidit uirtute exiccatiua linimenti quo fit prænominatus euacuãdi modus conſolidationẽ ulcerum iam dictorum fieri, abſq; ullo ſigno ſenſibili euacuationis: & non ab re. exiccatis enim extremis partibus, exiccatur totum corpus: ſicuti infrigidatis extremis partibus, omnes totius corporis partes infrigidantur. Accidentibus uerò timoroſis ex hac linitione ſiue euacuatione apparentibus, illis ſuccurrendum erit de facili, & hoc per remotionem cauſæ extrinſecus applicatæ: quod non fieri contigit in euacuatione facta ui medicinæ aſſumptæ per os. Et ſi quis mordaci dente de ulceribus in ore euenientibus ex linitione præfata, talem modum euacuandi accuſauerit, taceat, maiorum ſuorum documentis, dicentium in cura ſcabiei antiquæ & ulceroſæ diſenteriã prouocari: ſimiliter in cura ſcrophularum, inteſtinorum excoriatione apoſtema ſcrophuloſum curari: in paſsionibus oculorum poſteriorem partem colli ignitam acu & ſetone perforari: in magnis cauſis, ut in lepra uenena intrinſecus exhiberi, quod maius eſt. Quàm miræ & excellentis uirtutis exiſtat in præfata ægritudine euacuationis modus linitione extremitatum adminiſtratus, uerè, Non mihi ſi linguæ centum ſint, oraq; centum, ferrea uox, ſufficienter enarrare poſſem. Sed pro poſſe noſtro debili hæc pauca de eius uirtute & operatione ſatis dicta ſint, hoc uno non omiſſo, quod tuum erit ex præfatis euacuandi modis unum in hac dura & ſæua & ultima ægritudine, quod magis concedens uideatur eligere, & illum in infirmorum languentium ſubſidium afferre. Deueniens modo ad linitionis modum, dicatur quod primo pręparentur loca in quibus fieri habeat talis illinitio, tali præparatione, quod fiat habilior uirtutis linimenti impreſsio, & conſequenter effectus exoptatus facilior, uidelicet fomentando manus & pedes. Manus à cubitis & ſupra cubitos per quatuor digitos uſq; ad palmam manus. Pedes à genibus & ſupra genua per quatuor digitos uſque ad plantam pedis decoctione hac, uidelicet: ℞. calamenti, origani, mentæ, rutæ, marrubij, foliorum lauri, ſcabioſæ, lapatij acuti, fœniculi, ana manip. j. bulliant hæc in ſufficienti quantitate aquæ uſque ad conſumptionem tertiæ partis, & ſtuffentur membra prædicta omni ſero circa cauſam horæ melancholiæ uergentem uerſus horam phlegmatis, quum in tali ægritudine multum prædominetur phlegma humori melancholico admixtum, quod perſuaderi poteſt ex dolore & anguſtia infeſtantibus & ſe mouentibus hora motus humorum peccantium. Nam patientes talem diſpoſitionem ægritudinis incipiunt moleſtari à doloribus & anguſtijs circa caſum horæ melancholiæ, continuando per totam horam phlegmatis, quia incipiunt moleſtari à uigeſima ſiue uigeſimaſecunda hora, perdurando per totam noctem, quæ ſunt horæ prædictorum humorum. His locis præparatis ad ſuſcipiendas uirtutes linimenti, ſubſequenter ea pannis lineis calidis abſtergantur, & dei nutu inungat infirmus per ſemetipſum loca fomentata, eo in loco calido ſedente, utputa inter duos ignes, unguento in extremitatibus digitorum tepefacto, de quo infra. Inunctis his partibus faſcientur loca illa cum faſcia calida, ſuprapoſita prius ſtuppa cannabina, continueturq; talis faſciatio donec continuatur talis inunctio, & continuetur talis inunctio uſq; ad diem quartam ſiue quintã incluſiue & fortè plus, donec dentes dolere inceperint, ſiue phlegmata per gingiuas notabiliter diſſolui, ſiue ſuperfluitates peccantes alia regione ſenſibiliter ſeu inſenſibiliter euacuari, & tunc à tali linitione deſiſtendum erit. His autem apparentibus abſtergantur & mundentur loca inuncta à tali linimento cum panno lineo rudi & nouo, cauendo infirmum ſummoperè à principio linitionis uſq; ad finem curæ à frigore, ita quod non egrediatur domum, donec ceſſabit fluxus phlegmatis &

Extremæ partes.

Modus linitionis.

aliarum ſuperfluitatum euacuatio:& ne prænominatus euacuandi modus in aliquibus caſibus uideatur fallax & mendoſus, erit attendendum, quod forti ægritudine apparente, & medicamini tuo reſiſtente, uirtute exiſtente robuſta ſatis, non eſt abſurdum totum corpus ſtuffari, & linitionem noſtrã uſq; ad humeros & ilia fortè & dorſum terminari, ſubſequenter infirmum pannis calidis inuolutum in molli lecto collocari, & cum ſacculis calefacti ordei circundari. Et econtrà uirtute debili exiſtente & ægritudine infeſtante, ab his iam dictis euacuandi modis erit deſiſtendum, & à leuioribus pro eius cura procedendum, ſeu localibus appropriatis, de quibus infra, palliandum quare æqualiter librando fortitudinem uirtutis & ægritudinis, & liniendi modum interſe, interdum tui honore, linimenti uenerationis conſeruatione, infirmi utilitate, non erit inutile.

Diæta. Et ſi quæratur, quænam poſt talem inunctionem diæta competat, utrum ſubtilis & tenuis, an groſſa: Reſpondeo mea ſententia, ut ſuprà dictum eſt, cum effectus & operationes ex linitione iſta conſequentes non fiant ui medicinæ educentis illum humorem peccantem, ſed ui uirtutis expulſiuæ membrorum expergefactæ & irritatæ ad expellendum nocitiua à qualitate talis linitionis, ideo omni poſſe oportet naturam totius confortare & conſeruare, ut confortata & uigorata fiat potentior in expellendo nocitiua ſuperflua: & cum à re nulla præſtantius & uelocius uirtus confortetur quàm à bono & laudabili cibo & potu, quare in caſu erit æger cibandus cibarijs generatiuis boni laudabilis & non putreſcibilis chymi, uti carne gallinarum, caponum, pullarum iuuenum, hœdi lactentis, caſtrati iuuenis, perdicum, faſianorum, auicularum cum roſtro ſubtili, ouis gallinarum coctis, præterquam elixis & frixis. Item potus eius ſit uinum ſuauius quod haberi poteſt ſine admixtione aquæ. Tale autem uinum eſt naturæ amiciſsimum, & maximè uinum album ſubtile aromaticum, & ad bibendum ſuaue, & eſt de eo de quo ſanguis & ſpiritus quaſi nullo medio generatur.

Ad pleniorem doctrinam euacuationis linitione extremitatum ſuccedentis, cum incidentaliter in ſuperioribus tactum ſit de eius accidentibus unicuique intellectui pauorem inferentibus, & ſimiliter de eorum cura per remotionem cauſæ extrinſecus applicatæ, erunt hæc conſideranda, uidelicet quę & quot ſint

Accidentia. talia accidentia. deinde cum quibus & qualibus ea curanda ſunt. Accidentia connumerantur hæc, uidelicet dentium & gingiuarum dolor, gutturis aſperitas & inflammatio, phlegmatis ex gingiuis ſuperflua euacuatio, fluxus phlegmatis ex gingiuis, ante tempus reſtrictio, phegmatis non in ſuo tempore à gingiuis expulſio, maſticationis cibi difficultas, uirtutis debilitatio, uentris conſtipatio,
1. coloris faciei mortificatio. Primum itaq; accidens curetur cum ſucco abſynthij & albo oui ſimul mixtis, ex quibus partes inunctæ inungantur, cureturque
2. ex lacte ouillo tepido ipſum os colluendo. Secundũ accidens cum melle ro-
3. ſato, melle ſimplici, aqua ordei, aqua lactis. Tertium accidens caſtigetur cum bolo arm. diſſoluto cum ſucco lanceolæ, & ex iſto compoſito colluatur os, & eo inungãtur loca inuncta prius, ſiue teneat in ore frigidam aquam ſeu ſuccum
4. ſolani, & ſic fiet reſtrictio fluxus. Quartum accidens cum maſticatione ſtaphi
5. dis agriæ, ſiue thapſiæ, hoc eſt piperinæ. Quintũ uerò accidens corrigatur cum fomentatione partium quæ prius fuerunt inunctæ, ex rore marino, ſaluia, bulli-
6. tis in aqua. Sextũ accidens cum diæta ſorbili ex bono brodio cõtuſo, deſtillato, quibus ſi admiſceãtur cordialia nõ erit inutile. Septimũ accidens deſtrua-
7. tur cum ſaccharo ro. bugloſſato, boraginato, cibis bonis & cordialibus, epithematibus cordialibus, electuarijs cordialibus, & potib. cordialibus. Octauũ ue-
8. rò accidens cum clyſtere cõmuni, ſeu ex brodio pulli cũ ſaccharo & uitellis ouorum & ſale, & utatur ſaccharo uiolato dum adeſt uentris conſtipatio cum
9. uirtutis debilitate. Nonũ accidens annihilet cũ gũmi arabico, axungia urſi, oleo roſ. ana, & miſce totũ cũ pauco balſami, & inungant man⁹, facies, & tẽpora,

&

& tunc reddetur color naturalis & pulcher.

Et hæc breuiter de cura accidentium dicta ſint. Interroganti uerò cauſam, unde eſt quod ex præfato liniendi modo fit ſecundum plurimũ ſuperfluitatũ euacuatio per ſputũ? licet interdum per ſeceſſum, ſudorem, & urinæ fluxum. Dicatur, quod exiſtente nõ rarò materia huius ægritudinis à prædominio phlegmatis, natura ſagax regionem euacuationi phlegmatis, & maximè à capite deſcendentis, & ſimiliter humoris curſu phlegmatis expulſi ſi quis fuerit, hanc non rebellem; uidelicet per ſputũ, immò ſibi ſolitam & familiarem experta eſt. Siue dicatur, linitionem prædictam ſui proprietate occulta dentibus & gingiuis nocere, & ea debilitare, qua parte debilitata, fit in ea aggregatio ſuperfluitatum ægritudinem apoſtemoſam conſtituentium, partim per uiam defluxus, partim per uiam congeſtionis: cuius ægritudinis apoſtemoſæ materia coniuncta in aliquibus calore naturali, calori extraneo prædominante ſuppuratur: in nonnullis calore extraneo calori proprio prædominante corrumpitur, & ſic quicquid ab ea corruptione tangitur, ſimiliter corrumpitur: quare facta in eo loco ſolutione continui, & porta, ex exitura ſiue putrefactione, debilitate adhuc procedente, ut res exigit, fit inde per ſputum ratione hac ſuperfluitatum expulſio, & ſic earũ euacuatio. Miror etenim in caſu ſi ita eſt ex hac ſolutione ulceroſa phlegma non alteratum euacuari, aſsignata interroganti hac cauſa. Cur per ſputũ maximè euacuentur.

Nunc autem deſcribenda erit ea linimenti ex intenſione noſtra conſolati deſcriptio, quo in unctis extremitatibus eſt omnium membrorũ principalium corroboratiuum, membrorumq́; illis deſeruientium confortatiuum, nec non membrorum quibus applicatur uigoratiuum, ſpiritus & animæ dilatatiuum, cunctarum uirtutum, ſed expulſiuæ maximè, omnium membrorum ad expellendum nocitiua incitatiuum, ſuperfluitatum peccantiũ continuè & ſucceſsiuè die noctuq́;, donec corpus redditur mundum unica regione ſiue pluribus eductiuum: Linimentũ mirè roboratiuũ totius corporis.
R. laridi pulchri nõ rãcidi gladio minutim raſecati unc. viij. garyophyl. benzuin, ana drac. ij. cinamomi, nucis muſcatæ, ſtoracis calamitæ, ana drac. j. ſ. corticum citri, croci, ana drach. ij. corticum paradiſi drach. iiij. euphorbij ſcrup. iiij. aquæ roſatæ unc. vj. ceræ albæ minutim inciſæ, ſed tempore æſtatis, unc. ſ. lauetur lardo in aqua ſcabioſæ duabus uicibus continuè abijciendo aquam, deinde lauetur tribus uicibus cum aqua roſata optima eodem modo quo lotus fuit in aqua ſcabioſę, continuè illam aquã abijciendo, poſtea garyophyl. & alia ſupraſcripta benè puluerizata cum lardone in aqua roſata infundantur per diem naturalem, poſtremò in uaſe duplici bulliant, utputa per balneum Mariç, obturato benè orificio uaſis uſque ad conſumptionem aquæ roſatæ per horam, ultimo per petiam lini ſubtilis colentur, & infrigidari permittantur: deinde adde ſibi de Mercurio terreſtri quantum infrà deſcribitur, in mortario ligneo ducto adeo, ut minima pars Mercurij tangat minimam partem ſupraſcripti unguenti. Præparetur Mercurius hoc modo: R. Mercurij terreſtris unc. iij. Mercurij ſublimati drach. ij. ſucci citrangulorum unc. ſ. fellis tauri, ſaliuæ hominis ieiuni q. ſ. ſubtilietur aliqualiter Mercurius cum ſputo, deinde ponatur Mercurius ſublimatus in mortario, diligentiſsimeq́; conteratur, addendo de ſucco citranguli & alijs ſupraſcriptis: R. laridi ex intentione noſtra præparati unc. vj. Mercurij terreſtris in naturam cœlicolæ conuerſi unc. iij. miſce, & fiat unguentum in mortario lapideo ſiue ligneo per diem integram conterendo, ita quod minima pars unius ſimplicis contingat minimam partem alterius. Forma una unguenti Mercurialis ſubſtantiæ tenentis medium inter molle & durum, quod per me cerotum Mercuriale denominatur, cuius officium & operatio erit membrum cui applicatur permaximè uigorare, & cunctas uirtutes principaliter membri læſi, & ſecundario membrorum quibus tale membrum alligatur, irritare digeſtiuam & expulſiuam prę cęteris, quod unguentum adminiſtrandum erit hora prima qua

ad infirmum perueneris,extenſum ſuper petia una capacitatis magnæ, ita quod comprehendat notabiliter de parte ſana membri ulcerati ipſum ulcus ambiente,repleto ulcere prius licinijs,faldellis emplaſtratis unguento de quo infrà,qđ continuandum erit donec locus penitus conſolidatus fuerit, cuius deſcriptio talis eſt:R.linimenti ſupraſcripti unc.iij.Mercurij cœlicolæ unc. ij. ceræ unc.ij. ʒ.terebinthinæ unc.ʒ. Alteratur linimentum ſupraſcriptum cum Mercurio cœlicola in mortario ligneo cum piſtillo ſuo eodem modo quo ſuprà: deinde diſſolutis inſimul cera & terebinthina in cazola ad ignem lentum, & ab igne depoſitis & quaſi infrigidatis detur linimentum Mercurio ſupraſcripto admixtum, illius infundendo partem poſt partem.

Forma una unguenti Mercurialis quo licinia & faldellæ emplaſtrentur,cuius officium & operatio erit ulcus à ſuis proprijs ſuperfluitatibus emundare,& ſubſequenter non primaria ſui intentione,ſed ſecundaria carnem generare: Recipe laridi ex intentione noſtra primaria præparati unc.vj.mercurij terreſtris unc.iij. aluminis rochini uſti drach. vj.corticum thuris puluerizati drach.iij.miſce.

Præparatio ad ſequentia. Sint iſta connumerata ſatis de unguentis & cerotis quæ ulceribus appropriata ſunt.Et licet quamplura dicta incidentaliter tamen, in de unguentis mercurialibus uiſa ſunt, uerùm id non abſq; ratione factum arbitrandum eſt, cum nonnulli ad pauca reſpicientes aſſerant curationem ueram & ratione comprobatã iam dictorum malignorum ulcerum unguentis mercurialibus minimè fieri poſſe,nec ea unguenta in humano corpore canonicè adminiſtrari debere : qua de re ut præfata & alia clarius elucidentur.

Quærendum erit & primo, utrum unguenta Mercurialia pro curanda diſpoſitione iam dicta & alijs in humano corpore adminiſtrari habeant? Pro quo dicendum quòd ſic,cum Galenus, Auicenna, Meſue,cæteriq; talibus uſi fuerint, indieſq; communis medicorum cœtus utatur etiam, & hoc inunctis pulſibus pro curanda ſcabie. Et ſi dicatur quod in compoſitione unguentorum pro curanda ſcabie Mercurius non ingreditur,neq; adminiſtratur in tanta doſi,quemadmodum adminiſtratur in unguentis pro curandis ulceribus præfatis,in quibus doſis Mercurij ſatis adaucta eſt:dicendum,quod ſicut non eſt proportio æqualis inter ſcabiem & hanc ægritudinem ulceroſam, cum hæc ægritudo ſit ſæua,& ultima,& mali modi,ſic non debet eſſe æqualis proportio Mercurij in unguento quod adminiſtratur ad ſcabiem,& in unguento quod adminiſtratur ad iam dictam ægritudinem. Vltima quidem ſeu fortis ægritudo, fortibus ſeu ultimis indiget adiutorijs pro ſui cura.

Quæratur ſecundo,unde eſt quod unguenta Mercurialia curant ſcabiem, & præhabitam ægritudinem, inunctis pulſibus tantummodo ? Dicendum, quod curant ſcabiem & præhabitam ægritudinem,euacuando materiam antecedentem eorum, ſicuti dicitur à maioribus noſtris de unguento experto ad ſcabiem ipſius Meſue.

Quæratur tertio,propter quid eſt, & unde hoc accidat ex talibus unguentis talis euacuatio fieri eo modo quo dicitur? Dicendum,quod irritando ſua qualitate expulſiuam morborum principalium,fit talis euacuatio . Inungũtur enim partes ualdè & ſummè principalibus alligatæ , neruis, arterijs, & uenis magnis mediantibus,ſicuti dicitur de unguento arthanite Meſue, quod expulſiuam inteſtinorum ſtimulando & irritando euacuat.

Quæratur quarto, utrum linimento iam dicto quæcunque ægritudo de repletione curari poſſet, quum per nos tot & tanta de eius uirtute & operatione dicta ſint? Dicendum quod ſic,dummodo uirtus ſit fortis, & ægritudo non acuta,nec cum malis accidentibus in aliquo tempore ſui proximi complicata. Et hoc ideò,cum de facili infirmus in tempore infeſtationis accidentiũ,& in principio paroxyſmorum deficere poſſet, natura à tot & tantis infeſtata. Nónne unuſquiſq;

unuſquiſq; magis ſe uno inimico notabiliter lędente poteſt ſe defendere, quàm à pluribus?

Quæratur quinto, utrum membra principalia ex tali linitione læduntur? Dicendum quod non læduntur læſione quę nõ corrigi ac rectificari poſsit, quum cauſa poſsit abſcindi & remoueri, quia ſe tenens ab extrinſeco. Necnon quum poſsint applicari per intus & extra, principalia mẽbra uigorantia & confortantia. Et adhuc natura à ſuperfluitatibus exonerata non deficit poſtea in neceſſarijs, quia maximè in uigoratione principalium. Et ſicuti dictum eſt, remiſſe læduntur, quum Mercurij qualitas ſatis ſit refracta & conſolata, ſi quis diligentiſſime compoſitionem noſtram inſpexerit, uti dicitur de ſcammonia in electuario ſucci roſ. coloquyntide, helleboro, agarico, turbit, & in alijs.

Quæratur ſexto, utrum tale medicamen uenenoſitate participet? Dicendum quod ſic, refracta tamen.

Quæratur ſeptimo, unde eſt quod à talibus ulcerationibus abſoluti, poſt aliquod tempus, utputa per annum, denouo in ulcerationes incurrunt? Dicendum, quod non obſeruato debito regimine in ſex rebus non naturalibus, multiplicatisq; ſuperfluitatibus, & ſuperueniente iterum cauſa ab extrinſeco, tales iterum in ulcerationes incurrunt, ſicuti accidit in alijs ægritudinibus particularibus, ut pleureſi: & uniuerſalibus, ut febre. Cognitum enim eſt experimento talem morbum eſſe contagioſum.

Quæratur octauo, unde eſt quod in aliquibus caſibus curatio redditur mendoſa? nam illa ulcera uidentur quaſi exiccari, & in breui tempore reſcindi. Dicendum quod contingit ex ijs uidelicet quod non facta fuerit euacuatio completa & ſufficiens, ſed incompleta & diminuta: quia diminutè facta fuit illinitio, ſeu quod fortè infirmus expoſuit ſe frigido aëri in tempore euacuationis, unde materię antecedentes obturatis poroſitatibus & conſtipatis, non potuerunt exhalare & expirare, quare delegatæ ad locum debilem fuerunt cauſa recidiuæ.

Quæratur nono, utrum inueniantur alia medicamina ſimilem qualitatem habentia, ita quod ex eorum approximatione ad membra, inducant talem euacuationem? Dicendum quod ſic, non tamen à natura præfati medicaminis denudata ualde, ut ſuffumigia. quædam enim adminiſtratio uſitata culpari poterit: & cauſam conſidera: pertranſit ſiquidem ſubtiliata ſubſtantia ingredientium ſuffumigij compoſitionem, immediate ſuper principalia & eis deſeruientia.

Quæratur decimo, utrum unguentis Mercurialibus eo modo quo dicitur utendum ſit? conſtitutum enim eſt, quòd nullo modo talia unguẽta ſuper principalibus applicanda ſint, & cum irritando naturam membrorum principalium, irritatio talis non poſsit fieri, niſi uirtus ipſius cadat ſuper principalia, igitur non eis eo modo utendum eſt. Dicendum, quod ſi cadunt ſuper membra principalia, remiſſe tamen cadunt extremis partibus inunctis, & ſic uirtus eorum ad principalia remiſſe accedit.

Quæratur undecimo, utrum ſit euacuandum repente, & multum, quemadmodum faciunt unguenta Mercurialia, ut quamplures uerbo uno aſſeruere? Talis enim euacuatio fallax eſt & naturæ inimica: paulatina uerò certa & uera. Dicendum quod talis euacuatio non eſt repentina, quare non eſt fallax nec naturæ inimica. Fit enim talis euacuatio actione naturæ potentiam in materiam habentis, ut ſupponitur, & non medicinæ. Si nanque fieret actione medicinæ, tunc repentina & multa euacuatio eſſet fallax & naturæ inimica.

Quæratur duodecimo, utrum huius ægritudinis ulceroſæ, & maximè cum dolore uigilia complicatæ, negligenda ſeu differenda ſit curatio? Dicendum

quod non. Nam dolore infeſtante, uigiliaq;, & ægritudine(ut compertum eſt) contagioſa exiſtente, in dies totum corpus corrupta, maligna, ſeu uenenoſa & ad euacuationem inobediente ſuperflua materia inficitur, humores exacuuntur, innaturalis ſiccitas adducitur, & ſic totum corpus diſſolutum & conſumptum redditur. Hæc quantula & qualiacunque ſint, pro uirili noſtri ingenioli, ut noſtrorum deſiderio ſcholaſticorum ſatisfaceremus, ædidimus, quibus ſi hæc haud ingrata fore cognouerimus, licet credimus pro iunioribus utilia, nos ad maiora cœlis fauentibus accingemur.

ANGELI BOLOGNINI DE VNGVENTIS LIBRI FINIS.

MICHAEL ANGELVS BLONDVS.

De partibus ictu ſectis citiſsimè ſanandis, Et medicamen-to aquæ nuper inuento.

Idem, in plurimorum opinionem.

De Origine Morbi Gallici deq; Ligni Indici ancipiti proprietate.

Michael Angelus Blondus.

ad Painum.

Si me damnaret prudens cenſura uirorum,
  Carperet aut ſtudium lingua perita meum.
Vel ſi Pieridum quiſquam morderet alumnus,
  Læderet aut Muſam docte Paine meam:
Non ego mirarer, nec me breuis ira moueret,
  Ne quererer naſum rhinocerotis habens:
Sed quia me quidam lacerat, cui frigida tempe,
  Vix patuit Pindo dum fluit amne celer,
Et uix Cecropiæ conſpexit tecta Mineruæ,
  Labraq; Parnaſsi uix ſua lauit aquis,
Cogor in inuitam ſubito prorumpere mentem,
  Inter olorinas dum ſtrepit Anſer aues.

ANTONIO PVCCIO TT. SS. QVATVOR CORONATORVM ET EPIS. ALBANENSI PRESB.

Car. medentium Collegij R. digniſs. protectori. M. A. Blondus fœlicitatem.

QVOD pro ſalute mea non feci, neque facerem, id facere pro ualetudine multorum meus in plures amor, illorumq́ languores cogunt: quos non morbis quidem, ſed medentium erroribus conſumptos uideo, ac uidi. Quare cum nouus quidam modus medendi, tum partes ictu ſectas, cum incognito, ut aiunt, nonnulli morbo exeſa membra cernerem. Quibus admouent in medicamentum aquam forinſecus, quod eſt contra methodum Hippocratem & Galenum, interius uerò offerunt decoctum, & uinum cuiuſdam ligni: in quo naturam ferunt poſuiſſe omnes medicas facultates in omnes morbos, quod magnam medentium ingenij accuſat craſsitiem. Propterea illorum medendi modus præcipue in morbo Gallico, neque eſt laudandus, neque eſt tollendus ad ſydera. Quinimmo compeſcendus eſt ex doctrina Hippocrat. & Gale. Quare ne magni errores tranſeant in legem diuturnitate temporis, curaui tuæ R.D. errorem retegere, & ſaluberrimum methodicum modum conſcribere. Quo omnes. R. medentes admoneas, quorum protector es, ut & partes ictu ſectas citiſsime iuxta methodum, & morbum Gallicum curare debeant, quoniam ſic haud paruam laudem conſequêris apud Romanos, quia omnibus uideberis, non adeò protector, uerùm & uerus curator medentium eſſe. Ex his etiam cognoſces meam in te ſeruitutem incognitam: quam, & ſi Roma diſceſſerim ſeruabo pro uiribus. Quantum autem mea ſeruitus ſit fidelis, D. Iacobus Diſnicus R. Epiſ. Nonenſ. referre poterit. Quem tuę. R. D. haud me minus commendo. Vale.

MICHAELIS ANGELI BLONDI, DE PARTIBVS ICTV SECTIS *CITISSIME SANANDIS, ET MEDICAMENTO aquæ nuper inuento, liber.*

Proœmium.

INTVENTI MIHI MVLTORVM PROCELlas fortunę, occurrit quorundam ars noua medendi, proculdubio, in quibuſdam fideliſsima exercitatio ſecta ſanandi. Qui non ruditatem aliquam, ſed prudentis animi magnitudinem oſtendunt, monſtrantes opera, quæ non minus ſunt digna æternitate quam gloria, & ſi experimenti nullam rationem reddunt. Tamen dicunt, tantum utilitatis præſtare generi humano, quantum dogmaticorũ, & labores, & uigiliæ, & fructus, & pulchritudinis habent. Quod exemplis denique docent, omni remota doctrina. Propterea hortor omnes artẽ medendi profitentes, ut non conſumant ætatẽ, amplius, in adipiſcendis uirtutibus. Nanque uirtus modo ubiq; ſuſpecta eſt, quia inertia eſt in precio, neq; conſumptis in arte amplius eſt aliqua auctoritas. Nulla iam medicis reuerentia eſt, obſequio uiuitur. Turbata etenim ſunt omnia & incontrariũ uerſa. Itaq; potius eſt omittenda quã appetenda uirtus. Quia ubi methodicus Empiricũ reprehendit malefacti, qui dũ paulo intrepidius uocem extulerit, confeſtim prudens ꝗ nollet percipit. Itaq; ars methodici, nõ adeo periculoſa uerũ & miſera facta eſt. Ne igitur quis cupiẽs immortalitatẽ, intercipiat, hac arte, aperiã, qđ in ea laudabile quid ue damnandũ ſit. Ad hoc nanq; perfecto amore, quo me natura in cunis etiam omnibus coniunxit, & incitor, & accendor. Cũ igitur omnipotens fauorẽ mihi præſtiterit, quo uehementer indigeo, perficiã, quod cupio efferre, ſequentibus artem medendi, præcipuè quibus & Galen. & Auicennę dogmata cordi ſunt. Non enim natura edidit hactenus præſtantiores medicos. Propterea laudabilius eſt, cum his errare quàm cum cæteris parare laudem, ij demum pleriſq; in locis ſcripſerunt, quibus & externarum partium affectus comprimuntur, & internarum, ſedium languores ſternuntur. Itaque horum proſequens ueſtigia, impræſentiarum explicabo quibus tantum diſiecta ictu, ſunt ſananda, nam de internis alibi tractaui. Propterea aperiam. Et quæ empirici quidam exercentes alijs ſuadent, quo incidant in eundem errorem, quem nequeunt diſcernere ob ignorantiam. Quare eruditiſsimi, ſi quid putabitis me obſeruare debuiſſe, & nõ ſeruauerim, addere dignemini, quia uereor, non tam non exceſsiſſe, uerùm nec impleſſe mei officij partes.

De præſtantiſsimis medicis & eorum doctrina.

QVi primus medendi clariſsima præcepta condidit, uel Apollo ſiue Aeſculapius fuerit, maximè laudandus eſt, quoniã repertus eſt hominũ optimus amicus. Itaq; laudet quiſpiam hos, aut Praxagoram, Herophilúmue, aut Chryſippum, ſiue Aſclepiadem, ego autem audeo omnibus præferre Hippo. poſt hunc Gal. & proximã ſedẽ dandã eſſe Auicennę cõfiteor, ij nanq; de cauſis morborũ, de morbis etiam & eorum accidentibus, & uberrime & lucidiſsime ſcripſerunt.
„ ideo omnes præter methodicos, nocentes medicos puto. Et qui ſe empiricos,
„ ait Cornelius, ab experientia nominant, euidentes quidẽ cauſas neceſſarias am-
„ plectuntur, obſcurarũ uerò cauſarũ & naturaliũ actionũ quæſtionẽ ideo ſuper-
„ uacuã eſſe contendunt, quoniã incomprehenſibilis natura ſit, quod proculdu-

bio uerum eſt, ob diſcordiam diſputantium, nuſquam etenim inueni, ut medici inter ſe conueniant. Ideo nõnunquam miror, cur potius Hipp. & Gal. ſiue Aui. quam ambobus credatur, dum omniũ rationes ſunt probabiles, itaq; arbitror, quod nullius auctoritati horũ derogari poſsit, quoniam cuiuſuis ex dictis doctrina ægerrimos etiam perduxi ad ualetudinẽ, tam in Auſonia, quàm in Latio. Et dum eſſem in Gallia confiteor haud aliter me uſum fuiſſe, quam in Italia in diuerſis morbis diuerſa præſidia offerens. Nuper autem paululum uigilantior factus, noui quoſdam, qui nomine tantum medici dicuntur. Qui non exiguo cibo, uel tenui diæta utuntur in languoribus hominũ: uerùm loco ptiſanæ & carnibus & uino utuntur. Et diſiectas partes, loco linimentorum, & omnium, quæ fiunt ex cerotarijs, aqua ſimplici abluunt, dicentes, pleroſq; inedia potius, & appoſitorum malignitate, quam morbo peremptos. Itaq; ſi ignotum uulgus horũ maximè ſequitur ueſtigia, ac ſi ob inopiam peritorum coactus eſſet ad hos confugere, ſiue propter nouum genus morborum ad nouos medicos, & quoq; nouã artem fugere. quod ſi uerũ eſſet, dicerẽ tutius eſſe, & dubiæ fidei medici ſe cõmittere, quam morbo indubitato perire. Verùm cũ penitus ſit oppoſitum, miror quo modo unus tantum ex illis ſuperuixerit, qui ſe empiricis commiſerunt. Hæc deniq;, cum quotidie inciderent, diligentius notaui, illis qui hæc neſciunt, ut ægrotantibus ex præcepto dictorum fidelius ſuccurrerent. Præſtantius etenim dicitur mori per methodicum, quam uiuere per empiricum.

De vulneris diffinitione.

VVlnus ſecundum communem medicorum ſententiam, eſt diuiſio continui. Et alioquin ſectio dicitur, & eſt unitæ partis ſegregatio, præternaturalis, & hoc fit ictu. Quod aũt contunditur, compreſsi & contriti nomẽ habet. Et omnibus partibus humani corporis uulnus poteſt inferri. Verùm in forinſecis ſedibus tantum apparet compreſsi contuſio, ſed quanto latius fit uulnus, tanto magis læthæum eſt, in quibuſdam ſedibus. In pleriſq; autem & leuis ictus citiſsimi occubitus eſt cauſa, atq; hæ ſedes ſunt, cerebrum, cor, iecur, renes, gratilia inteſtina, ueſica, & capita ligamentorum. Et de uulneribus conſueuerunt medici, quædam ſimplicia dictitare, quædam compoſita uocitando. Et illa cum nil perdiderint plerunque unitis partibus glutinantur. Hæc uerò egent curatione, qua & ablatum reficiatur & ſectum reſarciatur.

De vulnerum diuerſitate.

QVædam in carne tantum fiunt uulnera, & carnoſa appellantur: quædam deſcendunt ad os uſq; cum læſione eius, & dicuntur cum fractura oſsis. Et de uulneribus quædam recta, quædam curua, quædam circularia, cum laterib*, quædam inſtar hemicycli: quædam profunda, quędam in ſupremis partibus cõſpiciuntur. Sed omnium initium curandi fit à ſanguine, ideo, hinc principium arbitror capiendum. Itaq; primum ordiar à cohibitione ſanguinis.

De fluore ſanguinis.

VT patet, & communis etiam eſt medicorum ſententia, quòd omnis ſanguis cum fluit, profluat à uenis magnis aut à uenulis, ſiue ab arterijs tantũ. Atq; is fluor, uenit ut ait Gal. uel à ſectione, uel cum extrema aperiuntur uenarum. Ipſe autem loquor tantũ, de eo quod effluit per ſectionẽ cõtinui quæ fit ab ictu. Ideo ab initio proſpiciendũ eſt, an ueniat à uenis pulſatilibus, fluatue à non pulſatilibus, ſiue ab arterijs tantum exeat. Sed cum à pulſantibus profluit, durio

rem curam arguit:leuiorem autem cum uenerit à uenulis. Arteriæ uerò pulſantes uenæ ſunt, à quibus micans & quoq; ſaliens ſanguis effundit, ſed purior quã à uenis. Et cum hoc conſpicitur, dicendum eſt, ſecundũ Auicennã, quod arteria effundit talem ſanguinem, cuius præ nimia effuſione & ſpaſmus & ſingultus ſuccedit celerrime, & eſt inditium obitus. Nanq; ſuperaccidit uel uirtutis defectus, uel paraphroſyne, & eſt delirium. Itaq; colligitur ex dictis & feſtinus occaſus. Ideo ad præſidia confeſtim currendum eſt, quibus feruens fluor glatiatur ſanguinis, uerùm maximè confert, ſi membrum conſtituatur ſecundum rectũ. Atque illi ſuperſpargantur frigida confortantia, ut eſt ſublimatio arnogloſſæ ſiue roſarum, & frigida aqua fontis, acetum, & ſimillima. diſiectum itaque & ſanguinem cohibentibus comprimatur. Studendum etiam eſt ne membrum dolorem ſentiat. Poſtmodum, & albuginem apponendam dico, præcipue ſi fuerit diſgregatio in carne. Cum autem ab arteria & uenis magnis effunditur ſanguis, diſiectæ parti index eſt apponendus hactenus, [donec] ſanguis contineatur, & fiat gelidus. Demum dictus locus albugine oui agitato cum ſtuppis lineis reuoluto impleatur, quod ſi poſt aliquod ſpatium, non cohiberet ſanguinem, contuſa addes hæc, quia frænant illum. Et eſt thus candidum, aloė, ſanguis draconis, bolus armenus, & terra ſigillata. Et nectatur uulnus, nec ſoluatur ſaltem per tres dies. Quod ſi fortioribus etiam egueris, hoc mirifico puluere uti potẽris, quoniam eo & arteriarum & uenarum ſanguinem detinui. Contundes igitur uitrioli romani ſanguinis draconis, boli armeni, pilorum leporis, ęruginis lebetis, aloes, thuris, telæ arachnes, & omnia commiſce cum albugine oui. Quidam & cauſticis utuntur ponentes ea uenarum orificijs, deſuper etiam ponendo albuginem cum dictis pulueribus. Nonnulli autem lauant & lineam ſtuppam, & comprimunt, demum albugine reuolutam & pulueribus apponunt. Ipſe autem fateor, uitriolo romano tantum cum albugine dicto, ſanguinem freṅaſſe, nectendo uulnus ſuauiter. quidam & ſerico ſuunt arteriam, & nectunt etiam, cum iam dicta non ſufficiunt. Profundas partes urunt ferro ignito frequentatis uicibus dum oportet. Cauendum autem ne uratur neruus, tutius enim eſt cauterium potentiale, ideo laudabilius.

De uniuerſali cura vulnerum

VVlnera curantur poſt compreſſum ſanguinem per ſectionem uenarum, aut per appoſitionem cucurbitularum, ſiue per ſuctionem hirudinũ, dum è uulneribus ſanguis nõ effluxerit uberrimus (alioquin abſtinendũ,) poſtmodũ leniendus eſt dolor. Et ꝙ noxiũ putatur in corpore cũ ſoluentibus corpus educendum eſt: ut eſt manna, caſsia, rheubarbarum, & huiuſmodi, ſiue aliquo enemate ſubtrahatur, quod fit cum lenientibus, ut eſt caſsia, mel uiolaceum, ſacharum, & oleum uiolaceum: & elixatio cõmuniũ herbarum, ut eſt maluæ. bletæ, mercurialis, matris uiolarum, & ſimiliũ. Sed crudum uulnus periti digerunt cũ uitello oui terebinthina lota, & paululo croco, ſiue oleo roſaceo cõpleto, atq; optimè ſaniem abſtergunt melle roſaceo, uel lineis filis ueteribus, & ſucco apij nõnunquam. Siccis autem quibuſdam ablatam carnem reuocãt, quę dum diutius moratur, excitant eam thure maſculo, myrrha, aloê, ſandraca, maſtiche, ireos, & talibus ſingulis, uel pluribus mixtis unà. Sed cum caro creuerit inducunt cicatricem triaformaco, cerato betonicæ, unguento minij: ſiue roſis, myrtillis, gallis, alumine, & balauſtijs, ac ſimillimis.

De altero breuiori atq; uniuerſali modo curandi.

EST & alius optimus modus curandi, qui fouet maximè quamque ſedem diſiectam ictu. Igitur poſt peractis uniuerſalibus, & com-

nil de frigida dixerit poſtmodum. Nanque ſi calida nocet, & frigida aqua pro-
deſſe non debet, quod patet per Hippocra. Ideo prudens, ut rem inimicam ſe-
ctis partibus deſtituens, ad oleum uertit ſermonem, quia arbitratus eſt utilius
oleo calente fouere diſiecta. Propterea dixit, quod demonſtratum à me eſt, hoc
quoque ſi frigidum applicetur tenues meatus obſtruere: ſin calidum, dirigere.
ut igitur frigidum oleum ſectis partibus inimicum eſt, ita & aqua calida. quo-
niam ſecti nerui, fouentur nequaquam actu calidis & potentia frigidis, uerùm
ſolantur humidis calidis, ut docuit Galenus, tamen Cornelius Celſus lib. quin-
to aquam in ſectis partibus ictu commendauit. C. de profuſione ſang. in uul.
» dum inquit, Supraq; imponenda ſpongia ex aqua frigida expreſſa ac manu ſu-
» per comprimẽda, cunq; auctoris magnę ſit auctoritatis, fides proculdubio ma-
gna etiam danda eſt illi, neque penitus is modus medendi damnandus eſt. Nã &
in decuratione eryſipelatum inter cætera medicamenta ſuadet. Et ſuper linteo-
lum frigida aqua madens imponendum. Et in capite, de implendo uulnere pur-
gato, ſequitur ut impleatur. Iamq; calida aqua eatenus neceſſaria eſt ut ſanies re
moueatur, quaſi poſtmodum frigidam conuenientiorem annuens.

De Lana.

DE lana ouina ſuccida etiã dicendum eſſet aliquid, quoniam uenit & illa iã
in uſum medicamentorum ſectarum partium, alligant enim illã mundio-
rem diſiectę ſedi poſt detentionem ſanguinis, & curantur equidem uulnera ſim
plicia ut audiuimus Romæ ab Empiricis quibuſdam. De qua, cum Cornel. ſcri-
pſerit, & mihi uiſum eſt de eadem lana exprimere uerbum. redijt enim in uſum
medicaminum noſtris temporibus. ſimplicem nanq; lanam alligant uulneribus
ad ſalubritatem. De qua Cornelius in prædicto capite, Lanę ſuccidæ ſuperuacu
us uſus eſt, lota melius circundatur. lotam itaq; laudamus.

De Solertia Medici.

POſtquam experimento facultates medicaminum noſcuntur, non eſt mirã-
dum quod experimentum & fallax & periculoſum hactenus ſit, donec in
pluribus expertum frequentiſsime, optimum medicamen repertum fuerit. quã
do autem illud compertum erit laudabile, tum eius experimentator, repertor
dici poteſt. Primus itaq; qui aqua mederi cœpit diſiecta ictu, non prius aquã bo
num medicamen uulnerum eſſe, puto, dixerit, niſi poſtquam impluribus illam
expertus fuerit: & hoc forte an ingenio fecerit ignotum eſt. uerùm cum ipſe etiã
artis medicæ profeſſor eſſem, & iudicarem turpe medico eſſe, cum ignorauerit
quæ ad eius artem pertinent, curaui quam potui ſolertiſsimè, ut rationem inue
nirem, qua medicamen hoc poſſet comprobari, ut ſit cæteris præſtantius, in ſe-
ctis partibus ſanandis. Quam non reperiẽs apud methodicos, iudicaui nouam
ſpeciem medicaminis è cœlo demiſſam. Cur autem quibuſdam & non ſingulis
medicis iſtius medicaminis uirtus nota eſſet mirabar. Verùm enimuero perce-
pi conſcripta eſſe quædam uerba diuina, quibus ineſt uirtus diſiecta curare. Sed
apud quoſdam adeo compreſſa, ut nec chariſsimis monſtrarentur, quod cũ me
as aures offendiſſet, curaui ſtudioſe euellere ſecretum, quo omnibus & maximè
pauperibus illud notum facerem. Quoniam plurimi ob defectum numiſmatis,
leui etiã ictu lęſi, obeunt potius quàm conualeſcunt. Nam hodie, niſi qui opti-
mã mercedẽ ſoluit non curatur à medicis, cæteri uerò iacent. Ideo medicamen
hoc, non comprobatũ rationibus, ſed uirtute diuina fulcitũ, dũ efficit quod &
prædicatur & uidimus, laudandum eſt. Notum enim eſt quod ſolus deus ſanat
languorès hominum, & de frugalitatis ſolio produxit medicinam benedictus
gloriosus & excelſus, inquit diuus Ioannes.

De Prognoſtico ſectarum partium.

VT methodicus adnotaui etiam quædam chirurgo neceſſaria, ideo eadem
exponam, ſunt enim indicia quarundam ſectarum partium occaſum indi
cantia. ordiar tandem ab Hippoc. quia ſexto Aph. dixit. Veſica diſciſſa aut cere
bro, aut corde, aut tranſuerſo, aut aliquo ex tenuioribus inteſtinis, aut uentricu
lo, aut iecore, letale eſt. Ibidem Gal. Cor uulneratum mortem affert neceſſario,
reliquæ autem partes niſi totæ ſciſſæ fuerint aliquando ſanantur. Et altum uul-
nus ſub ſiniſtro ubere eijciens fuſcum ſanguinem, præcipuè dum ſudat, habens
extrema gelida proculdubio exitiale eſt. Quia uitalis ſpiritus inde effluit, quo ſi
ne non licet homini ſpirare. Sed cum uulnus fuerit in ſepto tranſuerſo prope co
ſtas infernas, & confeſtim obſurdeſceret læſus, & dolorem ſentiret ſub utriſque
humeris huic mors haud procul eſt. Nam ſi neruus contactus eſt in quarta pe-
riclitabitur: Tamen in opere de ſanitate tuenda Galenus inquit, poſsibile eſt ut "
conſolidetur & euadat. Cum uerò uulnus eſt in pulmone, ſpumoſus effluit ſan-
guis, & frequens ſuccedit anhelitus. Quando autem ſectus eſt uentriculus, per
diſiectum emittitur cibus. Sin autem ueſica ſciſſa fuerit, per ſectū urina effluit,
atq; omnia hæc ſunt indicia occaſus, præcipuè cui olim fuiſſet inciſa, & lapis
congeſtus extractus eſſet. Malè enim illud ſolidatur uulnus, quia facillimè ſcin-
ditur. Itaque ex malis ſignis, malum neceſſario ſequitur. Propterea morituri ſo-
lis prognoſticis ſunt relinquendi, inquit Hippocrates. Ideo Auicenna etiam
cum de uulneribus ſcribit, quando [inquit] ſuccedit nauſea, uomitus, ſingul- "
tus, uentris ſolutio cum permixtione rationis ſemper letale eſt. uerùm enimue- "
ro cum ex uulnere thoracis effunditur ſpiritus, tremorq; inuadit cor ipſum,
ſtringitur & anhelitus, atque hæc nuncia mortis ſunt. Apparent eadem ex ulce-
ribus pulmonis, ut ex diſiecti ictu. Nam ſecundum communem opinionem du
riter caurm recipit pulmo, propter affluxum ſuccorum qui impediunt ſolida-
tionem, & propter creberrimum motum etiam eius. Quod & Galenus innuit "
primo de interioribus. dicit enim, omnes lacerti corporis in ſomno quieſcunt, "
ſoli lacerti pectoris non quieſcunt, quod eſt potiſsima cauſa eius deſolationis. "
Idem quoque ubi de uulneribus. Membra uulnerata [inquit] neceſſe eſt ut qui-
eſcant aliquantulum, aliter nullatenus ſolidantur, ipſe etiam fateor nunquam
uidiſſe ictum pulmonem curatum liberè: uerùm poſt temporis ſpatium eun-
dem ob affectum à ſeculo ablatum eſſe hominem. Sectio autem quæ fit in extre
mis lacertorum, ut accidit in tibijs, ſupra genu aut infra, & prope iuncturam ma
nus, ſiue ſupra cubitum uel humerum, ut in pluribus perituræ uitæ ſignum.
Quod motus ratione loquor. Muſculi nanque ſtant ex carne, neruo & ligamen
to, & ſunt miniſtri motuum uoluntariorum, atque in illis eſt maxima ſenſatio,
ob ortum quem à cerebro & nucha recipiunt. Ideo cum talium aliqua pars ſe-
cta eſt, ut membrum nobile dum ſpaſmo occipitur, nunquam reſarcitur, quin- "
imo penitus auferatur oportet. Quoniam & Auiceñ. eadem exiſtimans ait. Niſi "
ſcindatur lacertus in latitudinem, & reliqua. Demum omnes ſectiones quæ fi-
unt in partibus neruoſis, aut prope neruos timendę ſunt. Quoniam & ſpaſmum
inferunt & delirium, & pleraq; grauiora ſymptomata. Verùm à perito hæc non-
nunquam componuntur chirurgo. Ego autem dum Aprutinam prouinciam
uiſitarem, curaui quendam decem & ſeptem ictibus ſaucium tam grauiter, ut
iam cogebatur emittere ſpiritum. Erant autem eius uulnera à uentriculo ſupe-
rius, & pectus foſſum erat adeò ut follis mihi uideretur ob luctantem ſpiritum,
& auris diſſecta cum dimidio collo, ad amplitudinem, ut leuiter quatuor digi-
tos impoſuerim dum fruſta oſsium euellebam. Conualuit autem is cæleſti fa-
uore priuſquam luna plenum orbem ſuum feciſſet ſemel. huic autem & pleriq;
nerui, quidam & lacerti cum plurimis muſculis ſecti erant. Nam & brachia diſ-
ſecta, & manus prope inciſæ, & dorſum diſſectum, adeò ut à cingulo ſupe-

rius

rius utraq; pars per ſpatium quatuor digitorum ſana uix erat. Diuerſis enim inſtrumentis armorum confoſſus erat ab hoſtibus. Nec tamen aliud admoui medicamen quàm oleum abietinum, ut prædictum eſt. Neque aliquod accidens apparuit, ex prædictis hactenus curabatur. Sed poſt completum opus dimiſi hominem ſatis ſalubrem, ut quælibet pars eius ſuum officium faceret remoto quouis impedimento.

Partium incidendarum commemoratio.

PRædixi quod nunc commemoro, quòd de inciſis partibus quædam ſectio eſt lata, quædam parua, quædam media, quædam in ſuppremа cute, quædam in media carne, quædam ima tendit ſcindens uiſcera, quædam uix apparet, quædam penitus occultatur: & hæc omnia fiunt ictu in carne, uel in oſſe, ſiue in neruis.

De ſanandis vulneribus ſecundum antiquam methodum.

ET quoniam methodicus libentius partes diſiectas curat ſecundum methodum, quam uia etiam præſtantiſsima emperici, ideo & methodice ſcribens dicam, qualiter & quibus ſecta glutinantur. Itaque ſectio in diuerſis partibus diuerſum ſanandi modum poſcit, ut eſt communis medicorum ſententia. Demum in paruo & ſimplici uulnere, poſt compreſſum ſanguinem, prohibendum eſt futurum apoſtema, & febris fomentum pellendum eſt penitus. Quoniam hæc plerunque impediunt unitatem ſecti, quæ non niſi remotis illis fit. Et in parua effuſione ſanguinis, incidatur uena ad occurrendum accidentibus. Atque in arcto uulnere utendum eſt ſaniem euocantibus. præcipuè ſi ab aêre quid paſſum fuiſſet. Sed in ſectis neruis fugiendum eſt à putrefacientibus, ut dicetur, cum de eorum tractabitur ſectione. Tamen in contuſionibus hoc fit licentius inquit Galenus quod & ab Hippoc. peritiſsimo ſcriptum eſt. Contuſum neceſſe eſt putrefieri & in ſaniem conuerti. quoniam uulnera hæc & plena doloris & proxima apoſtemati ſunt. Ideo conuenit illis medicamen cuius facultas erit efficere ſaniem, hoc enim futurum tumorem prohibet, mollit dolorem, atque innatum calorem fouet digerendo partem ſectam. quia crudum uulnus malum, digeſtum uerò bonum. Et in omni uulnere ſanies concocta exiccanda eſt, cum fruſtis lineis. poſt hæc reuocandum. quod deeſt, cum thure, & talibus ut eſt maſtiche, ſarcocolla, myrrha & aloë. Sanies uerò niſi fuerit abſterſa, rodit diſiectum, cuius impedit ſolidationem. errant autem uehementer qui mollientia apponunt. quoniam in ſanie facta præſtantiora ſunt, quę carnem excitāt quàm quæ ſaniem molliunt: quia Galenus Caro [inquit] non poteſt regenerari bona in uulneribus, niſi poſt deterſam ſaniem. pingue igitur penitus fugiendum eſt, ut eſt pingue ſuillum, butyrum & oleum frigidum, bis autem in die tergenda ſanies, dum bruma riget. ſed quando æſtus feruet, ter fiat laudo. Senſit enim hoc idem & Auer. & Princeps. Quia omnis putrefactio maior eſt æſtate quàm hyeme. Verùm cum ſectio non eſt nimium profunda, ſed in carne tantum, tum æſtate bis, & bruma rigente ſemel eſt detergenda ſanies. Et cutis inciſa & ſciſſa tantum, eget nexu, omne enim medicamen ſaniem faciens appoſitum, prohibet ſolidationem. Et quoniam artem nectendi docet Aui. quarto Canonis, Fen. quinta cap. de rad. reſta. oſſ. ideo ut rem notiſsimam dimitto. Nanq; à fundo ad orificium nectendum eſt, quod & empericis eſt notiſsimum. Sed quia membra diuerſa ſunt, ideo diuerſæ etiam continui ſunt ſeparationes. Propterea quanto nobilius membrū ſectū fuerit, tanto leuius nectēdum ſuadeo, ne forti nexu tumor dolór ue ſuccedat. Et prudēs nō ab re ab infernis ſedibus ad ſupernas partes mē

brum inuoluit. Quoniam labentis ſucci curſum tentat inhibere, quia tumoris eſt euidens cauſa. Et ex tribus uulneris ſpeciebus, quod medium eſt, nectere tãtum non ſufficit: uerùm & medicamen apponendum eſt quod conſolidat. Altum uulnus etiam in fundo poteſt ſecari, ut libentius effluat quod ſectum inficit. Hoc fit autem, dum arteria aut neruus ſiue uena non obſtiterit. Et in profundis ſectionibus præceptum eſt maximum puris euacuatio. Et cum ſutura eget quiſpiam, tum ſerico filo illito cera, diſiecta ſuat, quoniam eſt pręſtantius quàm lineo filo. Nanq; ſericum tardius quam linum corrumpitur. Quatuor adhuc ſunt conſideranda in ſectis partibus. Et primum ſectarum partium coniunctio. Secundum conſeruatio agregati ſimul qualecunq; fuerit. Tertium uigilia ſuper incidentibus. Nanq; talia impediunt conualeſcentiam. Quartum eſt conſeruatio membri ſecundum proprium temperamentum: & hoc cum medicamine, & eſculentis, ac poculentis, & figura partis ſectæ priſtina. præterea conſutis labijs humidum medicamen apponendum eſt, ne areſcant labia diſiecti. Conſutum autem, poſt ſeptimũ poteſt præcidi, quia natura iam repit ad reſtaurãdum. Lata autem uulnera methodici ſuunt & protenſa nectunt. Et quanto partes diſiectæ ſunt nobiliores, tanto ſolertius ſunt medendæ, ut ſunt maxillæ atq; aliæ partes uultus. Cauendum etiam eſt ab arcto nexu, ne ſuccedat apoſtema calidũ. Cum uerò uis ut cito & decenter labia coaleſcant, pratęges ob aëra, & recentia ac ſanguinolenta iunges. quod ſi adueneris poſt conſtrictum ſanguinem, eadem labia recides leuiter & conſues. Sed in alto uulnere cum carnis amiſsione diuerſa eſt intentio ſanandi, neq; eadem quæ in ſimplici. Nanq; non glutinanti præſidio tã tum, uerùm & carnem ablatam reuocanti indiget, quod erit ſiccæ facultatis: quia huiuſmodi medicamen dicitur regeneratiuum, quo utendum eſt donec altum uulnus repletum fuerit ad cicatricem. tamen ſecundum Galenum & Aui. fugiendum eſt ab aqua calida, & ſi balneo nonnunquam diſiectus locus indiget. quod ſi proxima egent, præteges ſectum, ne quid ingrediatur, Valde & reciſum fluctuans abſcindatur: quia non recipit ſolidationem. Poſtmodum utendum eſt prædictis habentibus æqualem caliditatem temperamento corporis: quod & Auicenna docet quarto Can. ubi de exituris. Sunt enim facultatis fouere innatum calorem, ut augendo concoquat & ſuccos retineat. Et cum pus facientibus indigueris, tum biſmalua, ſemine lini optimo tritico, & recenti pingui ſuillo, ſiue terebinthina lota admixto uitello oui uti poteris. ſed carnem excitans medicamen in primo gradu ſiccum ſit dixi, ſiue temperantius. nam ſi gradum hunc excederet, non tam fluctuantes ſuccos quàm & ſanguinẽ carnis producendæ cauſam conſumeret. quoniam propria uirtute compellit humores ne effluant, & ad ulcus diſponit futurum. Quod ſi regenerans etiam abſtergit, erit ſalubrius, dum non ſit nimium mordax, aut ualde ſiccum. Et poſt conductam carnem, ad ſupremum ſigillanti utendum eſt præſidio, ut in quibus nil niſi hoc tantum competit. Quando autem per appoſitum medicamen in diſiecta parte caro non reducitur, dicendum eſt quod illud ex nimis ſiccis eſt. Quod dum in humido fuerit, cenſendum eſt, parum ſiccum eſſe. Ideo cum nimis ſiccum, humectandum eſt. Si uerò modicum, addatur ſiccum. Et comprimentia ſiccitatẽ ſunt, cera & oleum. Quæ uerò acuunt ſiccitatem, ſunt myrrha, thus, ariſtolochia & mel. Valde autem uulnus calidum medicamen ſiccitate non ſuperet. Et cum frigidum eſt, oppoſitis utendum eſt. Exempli gratia: Si corpus ictu percuſſi ſit temperatæ complexionis, at ſectum membrum uergit ad calidum, duobus gradibus medicamen frigidum duorum graduum approximandum eſt, ut temperatura ſectę partis reducatur ad ſuum temperamẽtum. Et ſic dicendum eſt de conſimilibus. Si uerò ſecta pars erit temperata, procedendum eſt cum ſimili, quoniam à ſimili membrum ſeruatur ut docuit Galenus cum Damas. Vehemẽter autem errant, qui arbitrantur uno præſidio ſectum curare poſſe, quia & hominum

minum temperatura multiplex, & membra diuerſa ſunt. Nam quædam corporum humida, ut puerorum & mulierum craſſarum, hominum pinguium & eunuchorum. Quædam ſicca, ut annoſorum & degentium in ſole. Sed partes corporis ſunt nares & aures. humidæ autem ſunt, concretæ ex oppoſitis. Et membro diſiecto ualdè humido, ſiue parum, ſat eſt medicamen exiccatiuum in primo gradu. Quod ſi neq; humidum neq; fuerit ſiccum, apponendum eſt in gradu ſecundo, uel tertio. quoniam ad proprium temperamentum membrum ſic deducitur. haud aliter dicendum eſt, de reliquis partibus corporis. Nam & cerotaria & cataplaſmata debent eſſe ſimillima temperaturæ hominis. Itaque ſi temperamentum unius ſiccum eſt, tale ſit & medicamen, ſi humidum, haud aliud quàm humidum. Quia omne ſimile gaudet ſuo ſimili. Et in diuerſis, puta uul neribus ſiccis atque humidis, quorum unum in ſicco membro, aliud uerò in hu mido. Et ſiccum indiget fortiori ſiccitate, & humidum humiditate. Nec in humido magis exiccatiuum, quia nocuum eſt, Iris demum & ariſtolochiæ ſiccis conuenit habitibus. Sed regeneranda caro comparanda eſt carni totius corporis, inquit Galenus. Quia ſicca in humido haud benè conueniunt. Itaque methodicus, qui plura diuerſis temporibus expertus eſt, plura nouit, & quomodo approximanda, & quibus temporibus quis rectiſsimè medetur. Empiricus nequaquam, quia non nouit ut turbatur aër uirtute planetarum & aliorum ſyderum. hæc enim etiam humana mutant corpora. Itaque ſi tempore opportuno appoſitum fuerit medicamen, non auget affectum, uerùm ſoluit illum. Ideo empiricus, ut imprudens, hæc ualdè miratur. methodicus autem, nequaquã. quinimmò ſecundum fauorem ſyderum operatur, ut notiſsimum eſt artem medendi profitentibus.

De producentibus carnem.

MEdicamen facultatis carnis producendæ, quoddam eſt leue in ſiccitate, ob eius paruam inhærentiam. quoddã ualdè ſiccum, ob maiorẽ ſiccitatẽ. leue igitur humidis cõuenit habitibus. quoniã in talibus ſua leuitate abſciſſum regenerat, & fortis exiccationis ſicco temperamẽto corporis cõpetit. Itaq; leue medicamen eſt, aloë, myrrha, maſtiche, thus, farina orobi & ordei. uerùm fortius eſt, iris, ariſtolochia longa cum libet etiã combuſta, uſtum & dragantum etiam, & farina lupinorum. & cerotaria fiunt ex oleo calenti & cera unà colliquatis ſecundum artem, poſtmodum inijcitur puluis dictæ facultatis, & redigitur ad formam. Verùm enimuerò, non ob aliud oleũ uel cera admiſcetur medicamentis, niſi quia molli facultate uehunt ad ima proprietates admixtorũ, & hoc ſecundum Auic. Ipſe aũt his mederi ſecta cõſueui etiã. Reſinæ pini, tereb. æquale dimidiũ aſsis, olei roſacei unciolas tres, cõficio atq; utor. Eſt enim ceratũ lene, carnem reuocãs. addo tamen nonnunquam & thuris & aloës drachmas duas, et fit præſtantius in partibus ſiccis. Cum uerò nequam & calens admixta fuerit qualitas, tum ſuadeo linimentum hoc admouendum. Olei roſacei unciolas tres, ceruſæ unciolam, ceræ unciolæ dimidium, conficito. additur nonnunquam & ceratum de lithargyrio. Demum ſeruanda ſunt hæc, donec contrarium fuerit propulſum. poſtmodum uerò reuertendum eſt ad præſidia dicta. hoc autem idem facit quod & prædictum ceratum. In calenti intemperamento: Ceruſæ uncias tres, lithargyrij drachmæ dimidium, climiæ drachmam, draganti tantundem, ceræ candidæ unciolam, olei roſacei quantũ ſatis eſt. eſt nanq; præſtantiſsimum.

De Glutinantibus.

GLutinantia medicamina ſunt folia arnogloſſæ, palmæ cortex, braſsica, puluis molarum, folia pentaphylli, frondes cupreſsi & ſimilia. his aũt ualidio-

ra ſunt tereb.uſtum ordeum,herba cauda equina, quoniam & ulcera glutinat. Ex oleis eſt oleum abietinum,oleum myrtinum,oleum roſaceum,oleum hyperici,mixta autem ſunt plurima diuerſorum doctorum,quæ ut notiſsima dimiſi. Meum uerò compoſitum procul dubio cœleſtis proprietatis, tale eſt. Contundito thuris,maſtiches,ſandarachæ,aloës,ſanguinis draconis, boli armeni, draganti, gummi ammoniaci,pondus æquilibre, terebinthinæ ad neceſsitatem, & conficies.glutinat enim hoc ſeptem dierum ſpatio ut expertus ſum. ſed cum effluit ſanguis album oui appono cum bolo armeno & ſanguine draconis, poſt hoc & dictum præſidium.

De Sigillantibus.

Sigillantia medicamina ſunt,quæ exiccant fluctuantes ſuccos confluxos, & quoque ſordes abſtergunt. Et ſunt balauſtia, cortex malorum punicorum, gallæ,chalcanthum,uitriolum,æs uſtum,atque æris ærugo:ſed fortiſsima ſunt minoris facultatis.Et præter dicta,ſigillat & lithargyrium,centaurium minus, reſina pini admixta myrtino oleo, & abſinthium elixum cum lumbricis terreſtrib. At de ſecretis Alberti eſt ariſtolochia uſta.Exiccat carnem & climia combuſta, & noſtrum medicamen relatum,reducit carnem, quod conficitur ex colophonia,reſina tereb.& maſtiche,ſiue ſolum diaquilon album:quia ſigillat.Et de panno lineo medicamen Ioui præſtantiſsimo dicatum.teratur pannus lineus tenuis cum oleo roſaceo ſiue myrtino in quo galbanum erit ſolutum. Ipſe autem & ariſtolochiam addo uſtam. quoniam mirificum eſt. nonnunquam & his contritis utor ſigillando, aloë,thure,maſtiche,ſanguine draconis æquali pondere, ariſtol.centaurio minori,roſis,gallis,nuce cypreſsi,& ceruſa.diaquilon etiam cui puluis roſarum admixtus fuerit,quia ſigillat, cum ſuppoſitis filis lineis. aliud & in ſiccisſimis uulneribus laudabile:Contundito maſtiches,thuris,colophoniæ, boli armeni unciolam,ſeui arietini & ceræ dimidium unciolæ, & fiat ceratum. Aliud etiam perquàm laudabile, quoniam & ulcera glutinat, in quibus calens fuerit intemperamentum,& eſt ceratũ de lithargyrio, cui crocus erit admixtus ad denſitatem. Laudatur & puluis roſarum & gallarum.quia dictũ calidum intemperamentum propellunt. Vel ſic,ceræ unciolam cum dimidia,olei communis tantundem,ariſtolochiæ longæ & rotundæ,myrtillorum,olibani aloës, maſtiches,cum reſina & tereb.conficies. Aliud, lithargyrij drachmas tres, ceruſæ drachmas octo, plumbi uſti drachmam. ceræ & olei roſacei quantum ſufficit. Aliud,quod & calidos tumores repellit: Vtriuſque ſandali drachmas duas, roſarum,myrtillorum tantundem,camphoræ drachmam,thuris & maſtiches pares drachmas duas,candidæ ceræ unciolam, olei roſacei unciolas tres,& conficies. Nec mirandum quòd diuerſa poſuerim,quia ponit & Auicenna diuerſitates cerotorum,propter diuerſitatem temperamentorum hominis & partium eius.Eſt autem in principio currendum ad illum, poſtmodum ad has ſarcinulas accedendum.Hoc etiam præceptum generale habendum eſt animo. Quod omnia uulnera atque etiam ulcera ſiccis egent medelis ad finem uſque, præter quæ fiunt diſiectiones ex contuſionibus. quia talia indigent mollientibus ab initio, deinde exiccantibus.Et quæ ab aëre recipiunt nocumentum, illis nequaquam mollientia conueniunt.Sed in partibus ſectis, è quibus aliquid carnis ablatum eſt,arbitror,quòd non adeò medicamenta, uerũ & eſculenta & poculenta competunt quæ laudabilem ſanguinem producunt:& talia ad ſiccum reſpiciãt ſemper.Præterea laudatur omne medicamen in quo non eſt facultas mordendi.eſt enim hoc ſecundum Auer.& Auicen.Et in partibus ſectis eijcientibus ſanguinem,ſtypticum conuenit medicamen,dum eas aër non infecerit, nec caro ablata fuerit, neque cutis amiſſa, ſed tantum diſiecta.quia æquatis ſectis reciſum ſigil-

lum

lum recipit.quòd ſi quid ſupercreuerit, calidis & ſiccis medicaminibus conſumendum eſt.uelut eſt alumen uſtum,& uitriolum.At uulnus carnoſum curatur medicamento carnem producente.& in ſordido uulnere exiccatiua ſunt potiora quàm carnem producentia.Si uerò diſiectum fuerit ualdè humidum, fouendum eſt ſiccis.quia temperamentum in omni temperatura corporis & partibus eius ſeruandum eſt,dum fuerit laudabile. ſi uerò nequam,remouenda ſunt dicta pro uiribus.

De Medicaminum diſcrimine.

MEdicamen carnis productiuum,ut retulit Galen.& Auicen. nō debet excedere primum gradum in ſiccitate:quia nimium exiccaret.Et carnis productiuum cum eſt fortis exiccationis,mordax eſt,ideo nocuum. quoniam non producit carnem,uerùm deſtruit eam. Nanq; ſtypticitate poros occludit, per quos ſanguis labitur, è quo producitur caro.de parua autem ſtypticitate nō eſt curandum, quia carnem efficit ſolidiorem. Glutinatiuum medicamen oportet ſit maioris ſiccitatis quàm dictum, ut conſumat humidum etiam naturale: quod poſſet conuerti in prauam ſuperfluitatem quę prohibet glutinationem. quia partes ſectæ glutinantur media ſiccitate & condenſatione alimenti. ideò glutinantia non debent abſtergere,ut retulit quidam non inelegans. Sigillatiuū autem medicamen eſt illud,quod ſuperauctos ſuccos exiccat in ſupremis ſectæ partis.Prohibendum ergo humidum alimentum,donec caro ſiccior fuerit,quę eſt ipſa cutis.& hoc medicamen oportet ſit uehementis exiccationis abſque mordicatione.

De retardantibus cauſis ſanitatem.

CAuſa propter quam ſanitas in ſectis partibus tardatur, maxima eſt in malo ſanguine ſtante in uulneris carne:ſiue propter recentē curſum eiuſdem. Et craſſum exiſtens,ſiue quantitatiuum,aut ualdè acutum,uel rodēs,ſiue nimis ſubtile,& plus quàm oportet,retardationis eſt cauſa ſanitatis, uerùm ad remota reſpiciendo.Et uitium iocinoris retardat,quoniam eſt ſanguificans.Lien etiam infectus idem facit,quod noſcitur per ſignum lotij,& ſcirrhum eius. Et malū temperamentum totius retardat idem. Eſt igitur incumbendum oppugnātibus intemperamentum iocinoris,& lienis, cum ſoluentibus corpus, uenarum ſectione,regimine eſculentorum & laudabilem ſanguinem gignentium. Poſthæc ad curam ſectæ partis accedendum eſt. Producitur etiam ſanitas dictæ diſiectæ ſedis,cum ex ubertate ſuccorum ſuccedit inflammatio puri: quod auget ſectum potius quàm minuit.Ideò præcipuum eſt ſuccurrere cum dictis. Demum ueniendum eſt ad curam ſectæ partis.Ex ubertate ſuccorū etiam ſupercalefit corpus & accenditur ſanguis,& ſic retardatur ſecti ſanitas. Cū uerò corpus eſt gracile & pauci ſanguinis,adeò ut natura quod mittat ad regenerandum amiſſum non habeat:tum pars ſecta fomento ex aqua calenti fouēda eſt, donec rubeſcat & tumefiat.craſsius etiam erit ueſcendum.Fit quoque retardatio ſanitatis in ſede dicta,ex nimium calida ſiue frigida uel ſicca aut humida temperatura. Et calidæ ſignum eſt rubedo atq; immenſa caliditas,& ſanies ſubtilis.Frigidæ uerò,in omnibus maxima albedo partibus. Siccæ etiam indicium,labia dura & aſpera cum parua ſanie. Humidæ quoque,cuncta mollia,& craſſa ſanies. Hæc autē uulgo curantur cum appoſitis.calida uidelicet temperatura cum frigidis medicaminibus poſsidentibus de ſtyptico,ut eſt aqua roſacea,ſuccus arnogloſſæ & ſolani.Frigida autem cum humidis ut eſt uini calentis lotio.Sicca etiam cum humidis,ut eſt fomentum ex aqua calida donec pars ſecta tumefiat & mollis red-

datur.humida uerò cum ſiccis reprimitur præſidijs, ut bolo armeno. quamuis pleriq; admouent acetum.ætate autem conſumptorum hominum ſecta difficillimè ſanantur ob defectũ innati caloris & boni ſanguinis inopiã. Atq; utero gerentium diſiecta ictu,malè ſanant,propter retentos menſes.Et regio infecti morbo pars ſecta duriter ſolidatur propter humiditatis copiam,quæ & ipſum calorem naturalem comprimit.Et circulares ſectiones haud aliter quàm talia ulcera,uix corriguntur prius,niſi cum fuerint reductæ ad hemicyclum.quoniã multum de parte ſecta poſsident. minus itaq; recta uulnera habent diſcriminis,ideo minus retardant ſanitatem.Mala etiam caro orta in parte ſecta prohibet ſanitatem.quia impedit bonæ carnis regenerationem,ſed mala caro conſumitur cum cerato uiridi ſiue Aegyptiaco.& quando natura nil facit laudabile cum dictis, tum illa caro erit recidenda cum ferro. Quædam autem natura poteſt quæ ipſa ars minimè poteſt. Quædam uerò è conuerſo, ut crudam carnem abſcindere. Nonnunquam & nequam oboritur caro,& labra fiunt aſpera. ſed talia recidere frequenter profuit,quia malus ſanguis effluit. Et quando puſtula aut uariolæ ſuperoriuntur,tum uena ſecanda eſt,& ſoluendus æger medicamine. alendus etiam eſt optimis edulibus, uerùm in parua quantitate. Cum autem ſectarum partium labia reuerſa & dura fuerint, tum hac aqua cauſtica lauentur, quia corriguntur.Fiat ergo ſublimatio aluminis, ſalis quo utimur in eſculentis, puta unciolarum octo,uitrioli Romani unciolarum quatuor.tamen non eſt audendum ſuper eam prius,niſi cum uniuerſalia cuncta præceſſerint.quoniam alioquin eſſet nocua.quia prauus ſuccus aduocaretur ad læſam partem, ideò noceret magis quàm prodeſſet.quod præſtantiſsimi medicorum Galen. & Auic.innũnt etiam.dolor enim humores contrahit ad læſum, ut cucurbitula ſanguinem. Et cum fruſtrum oſsis,ſiue ferrum,in imo fuerit uulneris,extrahendum eſt penitus: quia impedit & retardat ſecti ſanitatem.

De neruis ſectis.

ET quoniam nerui ſunt inſtrumenta ſenſus & motus etiam,ideo ſectio continui facta in eis,propter ſenſum eorum & continuitatem cum cerebro periculoſa eſt.Quia Galen.in Arte Medicinali cap.de punctura nerui & corde ait: Nerui uerò & tendonis punctura propter ſenſus uehemẽtiam, & quoniam hæc » pars principio continuatur,prompta eſt ad neruorum conuulſionem excitan- » dam,præſertim in uulnere obcæcato. Licet plurima concurrant in ſectis neruis » quæ faciunt conuulſionem,tamen punctura nerui eſt potiſsima.& ſi frequentiſſimè & dolor immenſus, & magnum frigus, putredo, & medicamen frigidum quod fit cum opio nocuum eſt neruis.Nam & Hippocrates eadem ſentiens, inquit:frigidum eſt inimicum neruis. Et dolor immenſus pręcipuè cit fluores,qui » cauſa tumoris ſunt è quo ſuccedit apoſtema putridum. Nam cum non habet unde effluat collectum,præſertim in arcta diſiectione, contigua corrumpendo excitat conuulſionem,quoniam & pars ſecta facta eſt frigida: propterea fit maius incrementum conuulſionis.Itaq; arcta præcipuè ſectio, oportet magis aperiatur,ut liberius dictum uirus effluat. Nec uulnus glutinandum eſt, niſi cum optimè purgatum fuerit,quod noſcitur ex propulſione doloris,dum affuiſſet.Atque in hoc errant frequentiſsimè empirici.Prudens autem methodicus, non,niſi poſtquam ab omni tumore erit ſecurus diſiectum glutinat, quod dum ſuccus nequam impedit,purgat illum,& tenui alimento ægrum paſcit. Demum nerui nonnunquam ſecantur ſecundum longitudinem quandoque & ſecundum latitudinem. Verùm ſectio quæ fit ſecundum longum ſecurior eſt,ut inquit Auic. Sed quæ ſecundum latum fit non reducitur penitus,ſed omninò cauſat conuulſionem:quoniam de mente prudentis,Ex parte inciſa fit ſpaſmus, atque ex con- »

tenta

tenta nequaquam,nec læditur cerebrum per modicam ſectionem. aſt cum inciditur neruus ualdè,inde etiam fit cõſideratio in reliquis accidentibus quæ ſubſequi ſolent.Itaq; ſi fuerit ſectio in ſupremis partibus,illinito collum oleo roſaceo completo calenti & ceruicem,& tergorum ſpondilos.ſin fuerit in partibus infernis,cum eodẽ oleo illines inguina,coxas,pectinem,& crura,ac pedes: quia linimentum hoc multum prodeſt,quia repellit conuulſionem.Et ſectio latitudinalis indiget ut ſuatur.nam leuius & citius ſanatur,quia dubia eſt ſanitas eius omiſſo hoc ordine.Curandorum autem ſectorum neruorum medicamen oportet ſit uirtute calidum pluſquam ſiccum.Leuis autem exiccationis ſi fuerit fortaſsis prodeſt.Et ſtypticum dum non ſit uehementis caliditatis, ſed proximum temperamento totius corporis,quia aliter non conuenit. Dolor etiam non debet leniri cum aqua calenti,quia puto eſſe putrefactiuam.Ideò arbitror & Galenum dixiſſe aquam calidam nocuam neruis ſectis, ut ipſe etiam ſuperius dixeram.Illud autem quod plurimi ſanantur ictu ſecti, medicamine aquæ, tribuunt uirtuti cœleſtium uerborum,quæ alibi ſcripſimus, aliter nocua eſt aqua. quoniam ſit putrefactio ex humido,calido actualiter, cum frigidum fuerit illud uirtualiter.hanc demum ob cauſam dicerem, frigidam pororum eſſe obſtructiuam, ut Galenus dixit de oleo frigido, & conuulſionis idem fateor cauſam eſſe, ni uidiſſem in plurimis, grauibus ſectis ſectionibus, aqua frigida curatos.quod uirtuti uerborum ſanctorum aſcribunt, quibus ſuperſtitioſiores fidem præſtare ſoliti ſunt apud antiquos magos. Dicitur etenim uulgò etiam, ſtat uirtus in herbis,uerbis & lapidibus.oleo demum frigido propter eius glutinum, læditur diſiectum.Ideo Galenus calens oleum laudauit.quoniam ſic dolorem lenit, ſuccos mollit,& ad ſaniem perducit laudabilem. recens itaq; oleũ laudatur magis quàm nimium antiquum.Et tempore magni æſtus oleum roſaceum ualdè confert, quia ratione olei amplificat, & roſarum ratione fouet diſiectum cum quadam exiccatione.rigente uerò bruma præſtãtius eſt oleum commune, quia calidum lenit dolorem cum euaporatione aduerſantium. Adhuc & ſulfur uiuum cum modico oleo confectum ad formam cerati, laudatur in uulneribus neruorum.Et calx multoties lota cum aqua dulci & oleo admixta,multum prodeſt. Calx uerò debet lauari, ut ſit cum uidetur opportuna combuſtionibus ignis. Tutia commendatur etiam abluta,& Gal. ſolo glutine alborim uſus eſt in partibus ſectis impuris uidelicet,atque alijs multũ poſsidentibus de humido.In ſiccis uerò corporibus utebatur addito euphorbio. Itaque aduertendum eſt, ſi ſectio facta in neruo ſit lata,uel neruus ſit carne nudus.quia ſi ſic,medicamẽ ualdè calidum non eſt admouendum, ut eſt euphorbium, ſinapis & ſulfur. quia eget præſidio minoris caliditatis,ut eſt tuthia & calx lota.atque in tali ſeparatione continui dum neruus detectus fuerit,& lata erit diſiectio, apponatur ut oleum, ſiue ut dixit Princeps:& eſt præſtantius,quod uino calido lauetur.Demum admoueatur & oleum, ut iam dictum eſt. cum uerò quid putridum apparuerit iuxta neruum, dilatandum eſt uulnus, cum imponentibus illitis terebinthina quæ erit abluta cum uino. & hoc dum bruma riget faciundum eſt. Sed æſtus tempore oleum roſaceum admiſcendum eſt.Et hyeme actu calida proſunt.Siue ſola terebinthina abluta,cui permixtum fuerit galangæ uel armoniaci modicũ. plerunque & terebinthina lota utendum eſt ſola, cum fuerit abluta cum uino, cui etiam mel admixtum fuerit.Verùm medicamina quæ dictis partibus apponuntur oportet non ſint actu nimium calida.quoniam calida frequenter tumorem excitant,ſed teporem tantum habeant,ob timorem conuulſionis.Nam frigida uehementer cient conuulſionem. Sed de compoſitis medicamentis hoc eſt expertum Galeni:Ceræ,reſinæ,euphorbij pondus æquilibre,cum oleo tantum conficito. Aliud noſtrum ſingulare: Contundito galbani, armoniaci, picis,reſinæ,ſeui uaccini, tereb. olei antiqui æqualem unciolam. pulueris molen-

dini dimidium unciolæ,& conficito. Aliud,quod abſtergit abſq; morſu: terebinthinæ reſinæ,mellis,æquales unciolas duas,myrrhæ,ſarcocollæ,farinæ ſubtiliſsimæ molendini,farinę ſeminis lini pares drachmas duas cum dimidia,& conficies. Et ceratum baſilicon ijs partibus cõpetit. Eſt autem aduertendum ſi in diſiecta parte nimius uel calor uel rubor apparuerit:quia dicendum eſt,quod medicamen eſt calidum. Ideo ſtudendum eſt in remiſsione caliditatis, quia aliter pars illa inficitur.cum autem lotio competit dictæ ſedi, fiat ut ſuperius præcepit Galenus.Sed cum neruus pungitur tantum,ut ſolet acuta cuſpide,tum nõ ſunt apponenda quæ molliunt,more empiricorum,qui admouent cataplaſmata è farina tritici, aqua & oleo facta. quia ab huiuſmodi rebus oportet cõuulſio appareat ſaltē in ſeptima,propter medicamen calidũ molliēs.qui ſi apponerent aperitiuũ exiccans cum parua attractione,utilius foret.Nam & ipſe dum eſſem Neapoli,præcepi cuidam uiro nobili qui mucrone punctus erat in pede imo, ut exiccatiuum & aperitiuum præſidium admoueret,quoniam per quendam empiricum pes ualde intumuerat.Itaq; confectum fuit cataplaſma ex farina fabarũ, lixiuio,aceto,& modico oleo,& actu calidum admotum fuit. Dum quis ergo peritiſsimus artis medicæ meminit quod ſcriptum eſt ab Hippoc.Gal. & reliquis.Frigida uidelicet inimica neruis cum fuerint appoſita in ſimillimis caſibus, actu etiam calida inueniet mala. Cum uerò neruus contrahitur abſq; diſiectione carnis,neq; tumor aderit,procedendum eſt cum debellantibus dolorem, ut prædixi de contuſione.Et oleum calidum ſuperillitum prodeſt.Et cataplaſma è malua,& cepa elixa cum oleo lenit dolorem.quod ſi ab antecedentibus cauſis neruo bellum moueretur,antecedentia euocanda erunt,ut ars poſcit methodici. Demum oppugnantia neruorum affectus approximanda ſunt. Quorum uberrima copia apud pleroſq; ſcriptores fluctuat. Legentes autem hæc, precor, non authori referant gratias,ſed Deo immortali.Etenim ſuperno fauore,& non ſponte quiſque ad optima quæque mouetur.

EXPLICIT LIBELLVS DE SECTIS partibus ictu.

AD EVNDEM CAR. REVEREND. MICHAELIS ANGELI BLONDI, in plurimorum opinionem,

DE ORIGINE MORBI GALLICI, Deque Ligni Indici ancipiti proprietate.

PROOEMIVM.

ARISTOTELES EOS QVI RATIONE Vtuntur, atque cum hac omnia uolunt agere, tanquam bonos & optimos exiſtimans laudauit: eos autem qui ſine ratione aliquid faciunt, tanquam crudeles & rudes exiſtentes odio habuit. Verùm ratione & intellectu uigentes naturaliter fiunt principes & rectores aliorum. Quia primo meta. hominum genus arte & rationibus uiuit. Itaque ratio hoc poſtulat, quod prudens nil faciat inſidioſe, uel ſimulatè, ſiue fallaciter. Viuamus ergo ut ſemper rationem reddituros nos arbitremur. Quoniam qui eam abiecerit inhumanitatem profitebitur. Demum intendamus iuſtitiæ. quia ſola nos perducet ad æthereos thalamos. nil etenim eſt magis proprium homini perfecta ratione. Nam cætera cuncta cum brutis ſunt communia illi. Demum ſola ratione homo, fortitudine præualet leones, formoſitate pauones, & uelocitate equos. Vos igitur hortamur patres chariſsimos, ut ratione præpoſita, & dei timore, graues curas ſubeatis ægerrimorũ, ſpreta odibili rerum cupiditate. quoniam ſic uobis diuitiæ parantur æternæ.

Qui ex quibus morbi naſcantur ſuccis.

NOtiſsimũ putamus eſſe & doctiſsimis philoſophis & clariſsimis medicis, & profitentibus artem medendi, quinimò & humanioribus literis incumbentibus, quod omnes morbi proueniunt ex peccato unius ſiue plurimorum humorum. Quod peccatum uel ex mala qualitate, aut exubertate maxima eorundem producitur. quod & ab Hippoc. & ab ipſo Galen. ſcriptum eſt. Sed ad ſpecies ſuccorum deſcendentes dicimus, quod flaua bilis diffuſa per uniuerſum corpus ſuſcitat morbum regium. Cum uerò deſcendit ad partem aliquam corporis, concitat herpetes & eryſipelata. Verùm ex dominio atræ bilis naſcitur elephas, cum in uniuerſo corpore fuerit: & cum erit in parte, cancer conſpicitur. Et pituita dum increuerit per totum corpus, morbi intercutanei cauſa eſt. in una uerò parte producit œdema, ſed cum admiſcetur ſanguini, plurimos morbos inducit & diuerſa ſymptomata. Tamen ex ſanguine ſimpliciores affectus calidi fiunt quàm ex alijs humoribus.

De Origine morbi Gallici.

POſtquã ergo ab exceſſu atq; humorum intemperantia affectus ſiue languores ueniunt mortalibus, proculdubio miramur dum percipimns ab eiſdem ſuccis hac tempeſtate nouum morbi genus productum eſſe præter morbos enumeratos, cũ Hipp. & Gal. ſcripſerint de omni ſpecie morborũ, quib. humanũ corpus ſubijcitur. Verũ neq; priores illi, ut Aeſculapius, Podaliriúsue, aut Machaó, ſiue Aſclepiades q ſpreuit quantũ Mithridates offerebat. neq; Pythagoras

uel Empedocles nec Democritus præceptor Hipp. ſed neq; Diocles aut Praxa-
goras,nec Chryſippus,aut Herophilus,ſiue Heraclides,Temiſon,uel Creon,nec
Critodemus aut Critobolus ambo chirurgi,neq; etiam Pæon, qui diuorum me-
dicus dicebatur,quia omnes ij fuerunt optimi medicorũ, quenquã alium enun
ciauerunt morbũ quàm illos quos retulit teſtamentum Hipp. & lucubrationes
Gal.teſtantur.Itaq; cenſemus quod per inſomniũ potius quàm aliter medentiũ
unus ex noſtris,nomen Gallicum,morbi nomen eſſe protulit.quod ſi concedi-
tur,oportet & Hiſpanicus affectus,& languor Germanicus & cura Italica dica-
tur morbus ſpecificus:quod eſt ridiculum. Quoniam non regiones ſiue regni-
colæ nomen imponunt aut impoſuerunt, uerũ ex diſcrimine humorũ morbis
placuit antiquitati diuerſum impoſuiſſe nomen:nec prius putamus hoc factum
eſſe,quàm nouiſſent omnes morborũ ſpecies quæ proueniũt uel ex quantitate
ſuccorũ ſuperaucta,ſiue ex eorũ mala qualitate.Quicquid igitur inuenimus lau
dabile in arte medendi,conſtat ex relatis nobis relictum & inuentum eſſe. Itaq;
nullus medicorum recentium adeò præſtans inuentus eſt,ut non tam excellen-
tior eſſet dictis,uerum dicimus,quòd neq; par hactenus repertus eſt,quod rectè
nouimus ex operibus eorũ.Cunq; ex eiſdem ſuccis nunc etiã compactus ſit ho-
mo,ex quibus conſtitit olim,arbitramur neminem tam præſtantem eſſe,qui præ
ter dictos morbos ab eiſdem ſuccis poſsit nouam morbi ſpeciem excitare.Lan-
guores enim quibus hac tempeſtate mortales ſubijciũtur haud alios credimus
fuiſſe olim.Nanq; Gal.in definitionibus med.refert: Morborũ differẽtias Hipp. »
nouẽ eſſe tradidit,quæ ſunt,acutus,peracutus, malignus,longus,medius, perni-
cioſus,mitis,periculoſus,& minimè periculoſus.Peracutus morb⁹ eſt,ui & phan
taſia maior ac difficilior acuto, qui ſeptimo die ut plurimum ad iudicationem
peruenit.Malignus eſt,ui quidem maximus & difficilis, imaginatione aũt imbe
cillis,certum iudicationis tempus non habens.Longus eſt qui in deterius atque
melius iudicatur menſibus,annis,uel etiam cum hominis morte finitur. Medius
morbus,qui eſt inter longum & acutũ,utriuſq; ſanè particeps:iudicaturq; die ſe
xageſimo aut octogeſimo . Pernicioſus ſiue letalis, qui ſemper ad deterius uer-
git.Mitis,qui nequaquam hominẽ tollit.Periculoſus,qui ad ſalutẽ & perniciem
ex æquo tendit.Dicitur & anceps morbus,minimè periculoſus,qui ſemper ſalu
tem futurã prænunciat quantũ in eo eſt,idq; habet cum miti cõmune . Magnus
quidem ſecundũ imaginationẽ morbus eſt,ut in carnoſis partibus uulnus.mor-
bus affectu magnus,ut nerui aut muſculi punctura,aſpectu quidem parua appa-
rens,cæterùm uirtute magna.Sed ægritudo eſt morbus inueteratus,cum infirmi
tate & languore.Igitur cum Hipp.& Gal.de exceſſu bilis flauæ in iocinore,atræ
bilis in liene,ſanguine in corde,& pituita in capite,ſcripſerunt (ex quibus ſuccis
fiunt ulcera, turgent nodi & tuberoſitates apparent, & conuulſiones excitan-
tur.) tum etiam de hoc compoſito morbo locuti ſunt. quod & Leonicenus ſen
ſit in quodam eius libello, quia hunc morbum protulit nomine epidimiæ. An-
tiquũ ergo ſymptoma hoc. Quod omnes etiam aſſerunt qui de lepra,ſerpigine,
herpete & ſimilibus ſcripſerunt,ut eſt Aegineta.Aut etiam Cornelius qui de ele
phantia.quieſcant ideo hanc artem profitentes,neq; diſceptent amplius de no-
mine huius morbi. Quia minimum eſt de quo Gal.nõ curat, ut retulit in pleriſ-
que locis. Et in ſexto de morbis curandis, dicit parum eſſe de nominibus ſoli-
citum debere eum, cui rerum ſcientiam inuenire ſit propoſitum. Sat igitur erit,
& tuberoſitates & cruſtas & ulcera cognoſcere, à quo ex ſuccis ſuſcipiunt in-
crementum . itaque illi eſt incumbendum cum laudabili regimine uitæ & op-
portunis medicaminibus, de quibus & priſci & recentiores ſcripſerunt uberri-
mè . Verum enimuerò uni ex doctoribus incumbendum eſt . quia ſic celerri-
mè conſequitur nomen egregium, nec perſiſtamus , hortamur , in falſis opinio-
nibus, dictum morbum ob incurſum ſyderum ſiue planetarum productum

eſſe

eſſe nuper. Quamuis cœleſtia agunt in mortalibus. Sed eadem cœleſtia ſunt ſemper. Nec dicamus morbum ab Indis transfretaſſe ad nos. Quoniam fatuitatem profitebimur, dicentes. nanque is morbus compoſitus in nobis naſcitur ex corruptis ſuccis. Tamen ſuſcipitur & ex contactu. Velociter enim & plethorica: uelocius autem & cachochyma corpora ſubijciuntur infectionibus. In quibus ſi flaua bilis ſupercreuerit, apparent ſymptomata quæ retulimus. cum autem pituita erit ſuperaucta, monſtrantur quę & in Cōpendioſa retulimus. Haud aliter dicimus de ſanguine & atra bili.

De Cura ſecundum Hippocratem & Galenum.

SAnè hunc morbum licet nobis appellare grauiſsimum morborum ob eius acerbitatem. itaq; laudamus exquiſitiſsimam curationem cum illum expugnare uolumus, dum corpus robore erit plenum, & uictum pariter comprobamus tenuiſsimum. Veruntamen quia ſuppoſitum huic languori, potius imbecillem, quàm ualidum frequentius cernimus, ideo tum nec exquiſitam curationem laudamus, neq; tenuē diætam approbamus, iuxta illud Hipp. Aph. primo, „ In tenui uictu ægri delinquunt, quo fit ut magis lædantur. quia deducunt infectum, utentes hoc uictu, ad ultimam indigentiam, in qua non poſſumus hono„ rificè procedere ulterius. propterea idem Hipp. Victus tenuis atque exquiſitus, in morbis quidem longis ſemper: in acutis uerò in quibus non conuenit, difficilis. Et rurſus, Qui ad extremum deuenit tenuitatis, grauis eſt. oppoſitas autem exercitationes, præcipuè, in grauiſsimis languoribus conſpicientes, non poſſumus non mirari. Nam quæ fugere in his oporteret quàmplurimi exercent. quantum igitur dicto morbo infecti comperiātur grauiſsimi in extremo curationis, iam & ruricolis notum eſt. Medenti etenim proprium eſt, robur corporis affecti imbecillius reddere quàm acceperit, propterea dicimus fouendas eſſe uires ægerrimi, maximè in longis cruciatibus. quia aliter neq; ſalutem æger, neque curatōr honorem conſequitur. Cunq; uniuerſi morbi ex ſententia Hippoc. proueniant partim extrinſecus ex aère nos ambiente, partim intrinſecus ab eſu aut potione, à quibus humorum aliquis uel abundat uel deficit, ſiue qualitatem commutat, ſeruanda ſunt quæ præcepit Galen. in medico. Qui ex abſtinentia in morbum incidere, alimentis reſtituere conuenit. Qui iam ex copia laborant, uictus ratione, uel inedia, uel purgatione, uel uenæ inciſione purgandi ſunt. Itaque neminem inuenimus. qui plurimum potum aquæ, in aliquo morborum laudauerit, ne dum exhibuerit ex ueris medicis. quid igitur dicendum ſit de potu aquæ plurimo, quo plurimi in hoc cōpoſito morbo utuntur, uobis eruditiſsimis pronunciandum relinquimus, cum modici uel nullius ſit nutrimenti in affectibus. Ideo & ius ligni Indici ex aqua, damnandum potius quàm laudandū putamus. Quia nemo ex antiquis ſcripſit aptum medicinæ lignum eſſe, quo maxime hac tempeſtate artem medendi profitentes in omnibus morbis ferè utuntur. Nam „ & Ariſtoteles quarto Mete. Etiam dictum eſt quod aurum & lignum decoqui„ tur & matureſcit, quando generatur. Sed hoc dictum eſt, propter ſimilitudinem, & non ſecundum ueritatem. Demum ſi quid boni infectus conſequitur dum dicto iure utitur, non eſſe aſcribendum dicimus elixationi ligni Indici, uerùm tenuiſsimæ reſumptioni. quid enim ſolidiſsimus panis ille, & areſactus non conſumeret malorum ſuccorum, tantorum ſpacio dierum. Quod ſi iſtud etiam pauciſsima refectio illa non faciat, ſat eſt dum morbo uires non nutriat: quia natura ſemper ſagax corrigit deteriora, & in melius mutat. Præterea Ariſt. in eodē libro. Res ſiccæ in quibus non eſt humor, nec maturantur, nec digeruntur: ideo nec ualdè ſolidum panem comprobamus. In hoc præſertim turpi languore, quoniam multum habet de ſicco. Habet etiam aliquid ſimilitudinis cum lapide

& ligno. quia Ariſtoteles adducens exemplum,inquit:Sicut lapis ſiccus in quo non eſt humor,& ſic non digeruntur res ſiccæ, raræ, ponderoſæ, uel lignum,& ſimilia. Dicimus ergo, quod ius illud abluit tantum ſordes, ſi quas uentriculus uel inteſtina retinent. Labitur enim egeſtio celerius cum potibus, quoniam ſiccus uictus corpus ſtipat, & facit auarum in egerendo. tamen ne uideamur dixiſſe hæc moti inuidia, confitemur nos etiam uſos fuiſſe iuribus Indici ligni, cum in infectis turpi languore dicti morbi, tum in alijs ægritudinibus, ut in leucophlegmatia cuiuſdam mulieris Campanæ, & multorum in cruciatibus articulorum per uniuerſam Italiam, atque eam partem Galliæ quæ Narbonenſis dicitur, qui omnes præ tenui uictu & inſubſtantiabili potu, tenuiſsimi atque exangues deueniebant. Cúnque arbitrabamur morbo liberos eſſe, & grauiſsimas eorum curas propulſas longè impoſitis præceptis extremis, ut à ſaluberrimis recedebamus,tamen priuſquam luna complebat orbem ſuum,pleroſque comperiebamus in grauiorem recidiſſe morbum, quod plurimis recitantes doctoribus plurimùm querebamur aduerſis de ſucceſsibus, quoniam cæteros medicos fortunatiores credebamus eſſe. Tum illi,propterea(inquiebant) non eſt triſtandum. Nam & nobis itidem accidit in pluribus. quod percipiens, dicebam: Fruſtra igitur gloriantur, qui clariſsimi inuentores dici uolunt tam optimi medicaminis, & diuerſæ præparationis ligni Indici. qui etiam, poſtquam compererunt idem quod & nos de falſa eius bonitate, cum eodem ligno quædam fortia concoquere cœperunt, ut eſt coloquintida, turbit, elleborus, & ſimilia, quæ ſua proprietate plerunque ſoluunt corpora, adeò ut exoluantur. Si quem igitur fructum & infectus conſequitur,& curator honorem, non eſt aſcribendum ligno, ſed adiectorum proprietati. Caueat tandem omnis falſis ab inſinuationibus,præcipuè ligno Indico & iuri eius pręſtantium fidem,qui dicto morbo infectus torquetur.

De Ligno Indico.

CErtiſsimum eſt, quòd ab experimentis medendi prodijt initium. Ideò ſi modò etiam empiricis maior quàm methodicis datur fides non eſt mirandum, quia uidetur quod ars medendi uertitur ad ſuum principium, unde & ortum habuit,quod proculdubio credendum eſt aliter.nanque uirtus cum ratione cum ſit præcipua homini, qua cuncta diſcrimina diſcernit rerum,qua media quodque hominis officium laudatur. Spreta uerò, turpem exitum conſequuntur. Et ſi quid rudibus primæua ætate ſine uirtute ac ratione conceſſum fuerat, confeſtim deletum eſt,internis uirtute lucente.Propterea ualde miramur,quòd à quibuſdam etiam prudentibus empiricorum experientia de quodam ligno Indico laudatur,cuius proprietatem experimento non cognoſcunt. Quia dum decoctum iſtius ligni exhibent languentibus,plurimos inficiũt magis quàm curant. Eo etenim utuntur in omnibus affectibus indifferenter, quod eſt indicium craſſæ ignorantiæ. Sunt etiam quidam qui aiunt, quod lignum hoc debellat tantum melancholicas curas, ſiue uſtiores ſuccos cum inedia, quam præcipiunt, ideò quàmplurimos in deteriorem affectum ducunt. Nouimus etiam quoſdam peritiſsimos,qui laudant lignũ Indicum, dicentes id ſua proprietate uniuerſis languoribus prodeſſe:quod credimus,quia quoſdã auget languores.Nam ſi tale eſſet quale dicunt eſſe,ſanè ſterneret omnes hominis morbos,& non accenderet.Dicunt autem ij ſapientes, quod lignum Indicum eſt medicamen temperatiſsimũ natura:quod ſi uerum eſſet,oporteret ut omnibus morbis & cunctis partibus infectis mederetur,ita quod cum hauſtũ ſiue illitum eſſet infectio decederet,& corpus fieret ſaluberrimũ.quia tum cũ Auerroe diceremus, Colliget quinto,ꝙ quando nos tractamus de medicina ſi eſt calida aut frigida,

aut

aut temperata, nos non intelligimus hoc, niſi quia habet per ſui naturam & præparationem permutando ſe à corpore humano, uel, ut permutetur à corpore humano. Et corpus poſtmodum ab ea recipit unam qualitatem permutatam, comparatam, proportionatam qualitatibus naturalibus quæ ſunt in corpore, quam proportionem dicimus. Sed hoc in dicto ligno, ſi uera fari licet, nemo peritiſſimus inuenit. Diſtemperantiam igitur plurimis inducit, ut uidimus, dum eius experiebamur proprietates. Falsò itaque creditur lignum hoc natura eſſe temperatiſsimum, cum quoſdam inficiat, ac perpaucos curet. Tamen cum laudari ſentitur ab aliquo, dicendum quod laus non ligno, uerùm danda eſt adiectis. Addunt enim eius elixationi polypodium, elleb orum folliculũ ſenæ, arthanitam, hermodactylos, & corticem thuris, & pleraque ſimillima. Quæquoniam diuerſa, in diuerſis affectibus laudantur. Horum itaq; cum ſit effectus bonus, & laus eſſe debet. Sunt etiam ex medicis qui dicunt lignum Indicum alimento eſſe corpori. Quod ſi ſic, non eſt medicamen. quia ſi partem ſanam alit, dicendum eſt quod nutriat & infectam. Eſt nanque tale officium naturæ, ut pariter faueat omnibus partibus. quia aliter natura nouerca eſſet, quod non eſt credendum. Ideò dicimus quod lignum hoc tam uarios effectus non efficit, ut prædicatur, neque ex ſubſtantiali forma, neque ex occulta proprietate. Nec eſt temperatæ qualitatis, quoniam effectus eius non prodeunt ex quatuor qualitatibus. quia omnes infectos non curat, aut mundat, cum nonnunquam magis inficiat, ut uidimus. Igitur qui profitentur ſcientiam de proprietatibus dicti ligni, uidentur præſtantiores medicorum doctrina. Nam etiam Auerroës
„ quinto Col. inquit. Videtur quòd iam ſit ſententiatum, quod natura qua ope-
„ ratur proprietas, non eſt niſi una operatio exiſtens per ſe, tranſiens ab uno ente
„ ad aliud, propter proportionem menſurarum elementorum, quam habet unum
„ ens cum alio: & hæc menſura comprehendi non poteſt per modum arbitrij, ne-
„ que etiam poteſt ſciri pluſquam ſit hæc cognitio, quæ non eſt perfecta. Ex hoc patet, quòd uel ob imperfectam cognitionem, uel quia non eſt tale, ut prædicatur, nec repellit omnes morbos, nec aliquos alit ſiue nutrit. nam pleroſque concitat languores. Igitur imperfecta eſt de eo ſcientia, nec uarias habet proprietates. oportet enim ſpecificam habeat. retulit enim Plato, quod natura dotauit res proprietatibus, Res uidelicet multas, multis proprietatibus, ita quòd quælibet res poſsideat propriam proprietatem. Præterea Ariſtot. Con-
„ trariorum ſunt contrariæ cauſæ. Si hoc ergo lignum eſſet temperatiſsimum, ut eſt corpus humanum, non eſſet res contraria, neque medicamen. ſed neque alimentum, quod non eſt medicamen, dicimus, quòd medicamen habeat gradum in quatuor qualitatibus, primum, ſecundum, tertium, ſiue quartum: calidum, humidum, ſiccum uel frigidum. Sed nullam ex his ſpecificam, ut aſſerunt, habet qualitatem, neq; in ijs ſeruat gradum, quia uolunt ipſum poſsidere ex omnibus temperamentum quoddam. Nos hactenus nõ uidimus, neq; experti ſumus ſimplex, quod eſſet huiuſmodi. quare ſi hoc tantum unum ſit in rerum natura, dicimus naturam nimis auaram eſſe, præcipuè dum hoc ſeruauerit occultum uſque ad hæc tempora, quod non credimus. quia nec in illis hoc repertum eſt, quæ digerendi, apponendi, & concoquendi facultatẽ habent: neq; in illis quæ incidũt, urúntue, ſiue oſſa reſtaurant. ſed neq; in tenuibus medicamentis, quibus interiores affectus & exteriores curantur. Quare ſi lignũ Indicum tantum mirabilius, atq; efficacius medicamen cæteris eſſet, inuentores eis priſcis etiam medicis eſſent præſtantiores: quod haud aſſerimus ob diuerſas eorum opiniones. Sunt enim quidã qui dicunt lignum Indicũ calidũ & ſiccũ eſſe. Et in his qualitatibus aiunt attingere gradũ tertiũ. Verùm pleriq; alij æſtimant non excedere gradũ ſecundũ. Cæteri uerò peritiores exponũt eſſe tẽperatiſsimũ, quia dicunt dotẽ habere ęqualẽ omnib. qualitatib. ꝙ forſan acqrit ex ipſa elixatione, quę ſit in aqua

quoniam aqua habet oppoſitas proprietates ligno, cum ſit humida & frigida. Cum enim calidum & ſiccum cōmiſcetur humido & frigido, tum reſurgit temperamentum quatuor qualitatum, dum ſeruatur proportio in miſcendo, ne alter excedat alterum: Verùm hoc non ſeruatur. maior enim portio aquæ, & minor ponitur ligni. ergo, Dicet autem quiſpiam, accedit temperamentum ex admixtis ſimplicibus, nec tamen hoc probatur quòd ſit uerum, ob dictam rationem. Tamen licet etiam quod hoc medicamen ſit tale, cur pariter non liberat morbo infecta corpora, præcipuè ſi temperatiſsimum? quia nouimus quàmplurimos grauiori ſuccubuiſſe languori dum curarentur ab illis qui ſibi aſcribunt quandam præſtantiam, nanq; dicti medicaminis cupiunt inuentores dici. quare ubi deſunt nobis rationes ibi teſtimonium eſt fallax experimentum. Nouimus enim potius deficientes, quàm conualeſcentes, & ad extremum uitæ reductos, qui multum deglutiuerunt iſtius medicaminis: & optimas habitudines corporis ad maximam gracilitatem reductas eſſe. Propterea cum dolores nodorum ſiue ligamentorum curantur alicuius, dum iocinoris ardor, dum ſanguinis feruor extinguuntur, dum atra bilis ſit temperantior, proculdubio aſcribendum eſt hoc tenuiſsimæ reſumptioni, & admixtorum proprietati potiùs, quàm ligno Indico: quoniam dum uirtutes corporis non opprimuntur cibo, ſed corpus alitur admodum, tum omnes uirtutes corporis fiunt potentiores in debellandis morbis. Verùm ſi qua proprietas manifeſta eſt in dicto ligno, dicimus illam tantum eſſe quæ opponitur melancholicis ſuccis, quia & apud Indos uſtiorem bilem oppugnat. Lignum tandem hoc ſi medicamen eſt, habet unam proprietatem: & medicamen factum eſt circa hunc, & illum hominem, & non circa omnes. Qui igitur febrem, uel ipſum maraſmon, aut phthiſim hoc medicamine uincere ſperat, compar eſt illi qui ſub aquis unà cum piſcibus uiuere poſſe arbitratur. Fidem igitur nobis certiſsimam tribuatis, quod neq; in ullis adeò ſimplicibus reperire eſt quicquam, quod ſolidum perpetuò ſit, ut in eo generalem conſtituere propoſitionem liceat.

De dulcibus aquis, & earum proprietatibus.

ET quoniam concoctiones omnium elixantium, ut plurimum, ſolent fieri in aqua, ideo congruum uidetur, ut aliquid dicamus, etiam de proprietatibus aquarum, quò fiat notius an laudabilis effectus in dicto languore, proueniat ab ipſo iure ligni, uel tantùm ab aqua, uel ex tenui regimine uitæ. Dicit ergo Dioſcorides. Aquam in uniuerſum, propter locorum proprietates, & peculiares na- »
turas cœli, & alia pleraq;, difficile eſt experiri. Magna tamen ex parte dulcis, ſyn- »
cera, nullius omninò qualitatis expers, optima eſt. Vitruuius autem laudat a- »
quam, quæ dum fuerit in uaſe, non maculat: præcipuè ſi non reperitur in fundo arena, uel limus, poſtquam requieuerit, & in qua celeriter faba elixatur, ſalubris eſt aqua. & fons lucidiſsimus non inquinatus circum naſcentibus tenuis eſt, & in ſumma ſalubritate. Idem etiam. Quæ ex imbribus aqua colligitur ſalubriores habet uirtutes, eò quòd colligitur ex omnibus fontibus leuiſsimis ſubtilibusq; tenuitatibus. Et Galen. 5. Aph. dixit, aquam bonam eſſe, ſi neq; turbida, neque cœnoſa, neq; in guſtu, neq; in odoratu aliquam abſurdam qualitatem præ ſe fert. Ibidem Hippocrates: Aqua quæ citò calet, & citò refrigeratur, leuiſsima »
eſt. Et Gale. primo de Sanitate tuenda. Cuius ad orientem ſolem fons erumpit, »
quæq; per meatum aliquem mundum, aut puram colatur terram, eademq; cale »
ſit ac frigeſit ocyſsimè, hanc omni ætati utiliſsimam eſſe exiſtimandum eſt. Non »
enim ſicuti uino, eſcis, exercitatione, uigilijs, ſomno, Venere, alijs aliàs uti pro ra »
tione ætatis expedit, ita de aqua quoq; ſtatuendum eſt: ſed quam nūc optimam »
indicauimus, hac uti puero, iuueni, ſeni, conducet. Idemq; ſexto de Morbis cu- »
randis.

„ randis. Aquæ uerò uſum ad neruorum uulneratum ſemper fugies, ſicut etiam „ relaxans cataplaſma. Idem tamen Gal. de Sanit. tuenda. Dulcium [inquit] cale- „ factarum aquarum, ſi media temperie ſint, uis calida & humida eſt. Sin tepidio- „ res, humida & frigida, quòd ſi iuſto calidiores fiant, calida quidem, ſed non per- „ inde humida. Quippe horrere corpora contrahiq; exiles eorũ meatus ſubigũt: „ ita ut nec madeſcere ab extrinſecus accedente humore poſsint, nec excremen- „ ti quod intus latet quicquam emittere. Ex dictis ergo colligitur ad uſum homi- „ nis quæ ſit eligenda. Et quoniam in aqua fiunt concoctiones, iura, ſiue elixatio- nes, ut diximus, quibus utimur in affectibus ualetudinariorum, ideo ſtudẽdum eſt, ut illud ius non præferat amplius aquam, ſed ſaporem, ut eſſet ſuccus elixa- torum. Simili autem decoctione addito ſacharo, priſci fecerunt ſuauem potum uocitatum ſyrupum, quo quàm uberrime utuntur medentes, ut notiſsimũ eſt. nec tamen ſyrupus putreſit ſiue corrumpitur, dum concoctus fuerit ſecundum artem, & ſi concoqueretur uſq; ad glutinum. ius uerò cõctionis Indici ligni, corrumpitur celerrimè, ut experti ſumus, omni etiam ſeruata diligentia in co- quendo. talis igitur potus fugiendus, quoniam uſu eius in grauiorẽ languorem deducitur infectus morbis in quibus nullum ius habet, ut iam uulgo experien- tia docet. nanq; medicamen quoduis huic morbo, & non cuilibet morbo com petit. dotauit enim natura quæq; non omnibus, uerum ſpecificis proprietati- bus. Quod iam, putamus, nouerant illi etiam, qui dicti medicaminis uocari cu- piunt inuentores.

De uniuerſalibus ſuccorum diſcrimen oppugnantibus.

VT ergo ad ueram methodum curandi, iam deſcendamus, cum tamen mul- tiloquio prudentibus mentem inuoluere non deſideremus: propterea ar- bitramur fore utiliſsimum omnes remittere ad noſtram Compendioſam, quo- niam ibi tum ſimplicia cum compoſita etiam conſcripſimus ſingulorum ſucco rum ſingulos morbos oppugnantia: tamen ne uideamur hunc quoq; gurgitem uaſtum, ſicco pede pertranſire, dicimus quod endiuia, cichorium, & portulaca comprimunt furorem flauæ bilis, & ſimilia. De compoſitis laudatur ſyrupus a- cetoſus, ſyr. de ſucco endiuiæ, & ſyr. de infu. roſ. Educunt autem eundem humo rem omnes myrab. & ſpecies uolubilium, & caſ. fiſt. Et de compoſitis eſt elect. de pſyllio, elect. de ſucco roſ. & paria. Atram uerò bilem comprimentia ſimp. ſunt, bugloſſa, borago, & lupulus. Compoſita, ſyr. de pomis, oxymel ſquilliticũ, & ſyr. de fumo terræ. Euocantia autem ſunt rheubarbarum, agaricus, diaſenæ, conf. hamech, & huiuſmodi. Pituitam etiam concoquit apium, fœniculum, & ſaluia. De compoſitis, mel roſaceum, ſyr. de ſticade, & ſimillima. Educẽtia ſunt, caſsia, agaricum, hiera Gal. diaphœnicon & Benedicta. Et quoniam omnia hęc uberius ſcripſimus in dicto libello, ideo uiſum eſt tetigiſſe tantum. nanque ibi continentur omnia quibus utimur in repellendis morbis, atq; etiã quæ impurũ efficiunt purum ſanguinem, & cuncta alia neceſſaria ad communem conſerua- tionem, quibus maximè utimur hac tempeſtate. Ideo ne quempiam obtundere mus uerbis, omnes ad noſtram Compendioſam remittimus, quia curauimus u- berrimam conſcripſiſſe, quo ſtudentium immenſos labores tolleremus, & ocyſ ſime languentium affectibus ſuccurreremus. Poſthac igitur accedemus ad quæ dam ſpecifica, quibus & infectus plurimas utilitates, & nos maximos honores conſequimur.

De alterantibus, & gutturis ſedantibus languores.

POſt inſtitutum regimen uitę in ſex rebus, de quo cum multi ſcripſerint, atq; Io. Almenar Doctor Hiſpanus, ad eius doctrinam omnes remittimus, quia docet ea eſſe edenda, quæ ſunt leuis concoctionis, & optimum ſuccum gignentia, & quæ odore etiam fouent ſpiritus, ut ſunt carnes auium ſiue pullorum, panis fermentatus, & uinũ quod intuitu tantum exhilarat animũ. Demum ſeruatis reliquis etiam uniuerſalibus, deſcendendũ eſt ad alterantia, de quibus hoc unũ præſtantiſsimum inuenimus, & eſt ſecretum dicti doctoris, qui in balneo dulcis aquæ elixationis olentium herbarum offerebat. Nos autem prætermiſſo balneo offerentes potum in cubili fatemur multum profeciſſe. Incidantur igit rad. althææ, fumiterræ, lapathi, enulæ, pares uncię bis 6. Et molliantur hæc per diem integrum in uini cretici uncijs. 48. poſtmodum addatur theriacę Andromachi uncia cum dimidia, deinde ſublimentur, ſed hauſtus eius eſt ab uncijs duabus ad uncias. 4. cũ modico ſublimationis bugloſſę uel boraginis. Præterea utimur nõnunquam lętificantibus conf. ut eſt diamargariton, diambra, diamuſcus dul. dianthos lętificans Almanſoris, ſiue Gal. diabugloſſatum, diaboraginatũ, elect. regum, & ſimilia. Quando autem guttur, uel oris interna inficiuntur ulcerib', tum ea corrigendo comprimimus, cum ſucco mali punici, aut elixatione quorundã ſtypticorum. uel ſic, utrarunq; roſarũ pugillum, ſaluiæ, camomillæ æquales pugillos duos imperamus. coquantur in dicto ſucco, aut aqua plantaginis. Demum huic iuri addimus aluminis uſti ad arbitriũ, cum quid oportet rodere. Sin doloris tantum urget neceſsitas, tum addimus modicum Philonij. Et ſic cõprimentes turpiſsimos languores conſequimur laudabilem honorem.

De præſidijs Auguſtini Niphi ſingulariß.

AVguſtinus Niphus, ſub cuius diſciplina pleriſq; annis militauimus in dictum affectum excogitauit hęc pręſidia, cũ pręcipuè ſucci uſtiores inficiunt corpus. Sternit enim potus is dictum humorẽ tanquã nõ reuerſurũ, præcipuè cũ infectus abſorbuerit quãtitatẽ unciarũ 4. uel. 5. cũ dimidia, & ultra cum oportuerit, addendo confectionis hamech unciæ dimidium, & talis eſt ſyru. Elixabis in aqua dulci, ad exiccationẽ tertij, ſenæ, epithimi, cort. myrab. citrinorum æqualem unciam, liquiritiæ, & reupontici æquale dimidium unciolę, iuæ, arthriticæ drach. tres, paſſularum, prunorum, ſebeſten æquale dimidium unciolę, polypodij quercini uncias ſex, folij Indi ſiue ſpicæ, boraginis, bugloſſę, uiolarum, fumiterrę, & lupulorum pugillum æqualem. Verùm elixationi addes, ſucci lup. uncias ſex, ſucci fumiterræ uncias decem & octo, ſacchari uncias. 36. & ſecundum artem conficies. Poteris uti etiam & pilulis eiuſdem Niphi, quoniam euocabis atram bilem: leuiter igitur contundes, mirab. citrinorum, Indorum, & chebulorum parem unciolam, rheubar. drach. tres, & per diem integrum colliquabis in ſublimatione roſarum, deinde concoques paululum, demum traijcies, & iuri addes aloës unciolam. poſtmodum ardenti in Sole exiccabis ad ſolidum, atq; offeres, ut opportunum iudicabis, operibus nomen altiſsimi ſemper inuocando.

De præſtanti medicamine barbarorum.

ET quoniam ſemper fuit noſtrum illis rebus ſtudere, quibus maximè ſperamus prodeſſe ægerrimis, ideo nõ deſiſtentes perquirere ſi apud quas barbaras nationes quid excogitatum eſſet in compoſitum morbum. Itaq; inuenimus quoddam ſolidum medicamen, quod modo referemus. confert autem quadratis & robuſtiſsimis corporibus, præcipuè duriter egerentibus & nodorum ſiue iuncturarũ morbo laborantibus. Percepimus etenim à uiro fide digno quod & Rex ipſe Teucrorum eodem utitur frequenter medicamine. Plurimi itaq; infecti morbo compoſito utentes hoc præſidio liberati ſunt, cuius poſt uſum etiã nunquã dictũ ſenſerũt languorẽ. cõficiunt autẽ Mercurij drac. 25. muſci drac. 3.

rheubar-

rheubarbari drach.10.ſcammonij drach.tres cũ ſucco limonum, reducẽtes ad formam ſolidam. demum cum oportuerit offerre dabis ſcrupulum, cautè tamen auges quantitatem infectis offerendo.

De præſtantiori medicamento.

DEſiderantes amorem noſtri animi retegere graui infectis languore, curauimus hoc pręſtantiſsimum medicamen conſcripſiſſe, quo grauiter infectis & morbo confirmato quamplurimis profuimus. & tempus æſtiuum eſt in quo maximè proficit. uirtute autem propria & ſalſam pituitam & uſtiorem bilem educit, & malos ſuccos à ligamentis & partibus remotis euocat. malam quoq; contaginem mirum immodum pellit, omnesq; alias infectiones cutis curat, & dolorem remittit ulcerum. Igitur contundes omnium myra. pares drach.ſex, troch.alhandal, maſtiches, ſcammonij correcti æquales drach. tres, nigellæ, origani, cymini, drach.ſex, ellebori nigri, drach.quatuor, ſpicæ nardi euforbij, cornu cerui uſti, ſalis gemmæ pondus equilibre drach. capillorum Veneris, folliculorum ſenæ, polytrichi, gallitrici, anthos, ſcolopendrij, epithymi, æquales drac. tres, coriandrorum.ſe.aniſi, polypodij quercini pares drach.decem, ſpecierum, heræ de octo rebus, ſpecierum diarhodon abbatis æquales drach. 16. theriacę Andromachi unciolam cum dimidia. agarici tro. & aloès lotæ pares drach. 20. demum cum ſucco fumiterræ fiat paſtillus. Verum exhibendo reformentur cum rhodomelle, & doſis eſt iuxta neceſsitatem, eſt autem medicamen præſtantiſsimum.

De graui odore oris.

ET quoniam ob putridum ſuccum ſtantem in uentriculo fætidus odor prouenìens ab ore, plerunq; & aſtantes ſolet inficere, adeò ut frequentius grauiter & male olentia quæ in cænoſis conſpiciuntur locis, minus moleſta uideantur, ideo poſt euocationem exuberãtium hoc medicamine grauem odorem corriges: Contundito garyophillorum, ligni aloès, macis, cinamomi drach. æqualem, muſci ſcrupulos quinq; uel min⁹, aloès hepaticæ unciolas ſeptem: atq; cum ſublimatione roſarum colliges in paſtillos unciolæ, & poſt ſerotinam refectionem in cubilis ingreſſu offeres paſtillum uel minus, ut uidebitur, illumq; detineri tantum in ore pręcipies donec liqueſcat, ſed quod liquet deglutiat. uſu itaq; medicaminis iſtius breui ſpatio corriget oris fœtorem.

Ad incognitum mœrorem.

FRequenter etiam infecti morbo compoſito triſtantur grauiſsimè, nec tamẽ noſcunt mœroris cauſam, demum illis conſueuimus prodeſſe hoc pręſidio. Conficito ſpecierum elect. de gemmis, diamargaritonis, omnium fragmentorum æqualem drach. ſacchari quod ſatis eſt. poſtmodum cum aqua roſacea in qua muſci modicum fuerit ſolutum rediges in formulas. Siue contundes, rad. acori, bugloſſæ, piperis longi & butyri uaccæ ſub æquali pondere, & conficito cum melle diſpumato. hoc enim idem & Galenus conſueuerat, quod ſi nõ proderit, deſcendes ad hoc præſtantius: Terito aloès lotæ cum ſucco roſaceo unciolæ dimidium. roſarum rubrarum drach. duas cum dimidia, myrab. chebulorum, maſtiches æquale dimidium drach. & conficito, quoniam & uentriculo & capiti prodeſt. Sero tamen ante cibum & poſt, oblatum laudatur. Piſauri etiam eximius medicus Philippus conſueuerat offerre infectis dicto morbo hoc medicamen: Contundebat, aloès lotæ drach. tro. agarici, maſtiches æquale dimidium unciolæ. & conficiebat, & doſis erat magnitudo ciceris per horam ante cœnam. De compoſitis autem plurimis priſcorum quia paſsim reperiuntũ ſcripta, notiſsima eruditiſsimis, ideo omiſimus.

De familiari præſidio.

FAmiliare præſidium infectis compoſito morbo, nouimus, hoc eſſe. itaq;, ne ut auari ſiue hoſtes naturæ, egregia occuleremus nodorum ſiue ligamento-

rum infectis cruciatibus, infra ſcripti præſidij cœleſtis cum pil. de hermodactylis maioribus obtulimus paruam portiunculam. cum uerò uſtam bilem dominari cognoſcebamus, cum pil. de fumoterræ illud porrigebamus, præmiſsis iam dictis concoquentibus. Eſt enim hoc apud pleroſq; occultiſsimum etiam, quibus retulimus. Infundatur itaq; argenti uiui quãtitas unciolarum. 12. in aqua forti aurificum qua diuidunt metalla, donec rodatur & liquefiat, quod fit ſpatio dierum 20. uel circa. poſtmodum ſublimetur, & feces ſunt melior pars. quibus addatur ſalis armoniaci pondus æquilibre, demum tritiſsima hæc, per binos menſes ſub aliquo fimo putrefiant, poſtmodum ſublimentur iterum. Et cum receptum fuerit omne liquidum, & fumo tantum apparente, remoueatur recipiens, & aliud limpidæ aquæ fontanę plenum reponatur bociæ, in quod fumus ingrediatur tantum, conſtrictis ſpiraculis omnibus, quoniá cum fumo uerus Mercurius extrahetur, quem colliges, atq; iterum in aqua forti ſublimabis, fex demum illa ſeruetur. quoniam dotauit natura eam ut penitus morbum compoſitum deuinceret. dictis enim pilulis admiſcetur in modica quantitate. referes autem gratias altiſsimo cum uerum mercurium ſublimando extraxeris, quem tamen exhibendo caute ſemper diuinam bonitatem præpones.

De aquis.

ET ſi partium corporis humani ſint affectus grauiſsimi, non tamen ad fortia dicimus confeſtim currendum eſſe præſidia: uerum à blandioribus inchoando, ad ea aſcendimus. ſed quoniam præ cæteris partibus in quouis languore cordi ſemper fauendũ eſt, hæc tandem in cura calenti admouere conſueuimus. Ex ſublimationibus eſt ſublimatio boraginis, bugloſſæ, acetoſæ: & oĩa illa quæ calentem flammam iocinoris opprimunt, ut eſt aqua endiuiæ, ſcariolæ, lactucæ, cichorij, hepaticæ. fumiterræ, lupulorum, roſarum, plantaginis, portulacæ, cucurbitæ, & quatuor ſeminum communium. Et frigidis affectibus thoracis, opponitur ſublimatio ſcabioſæ, farfaræ, capillorũ Veneris, hyſopi & praſsij, Viola mediũ ſecat iter. Sed frigidas curas uentriculi cõponit ſublimatio abſinthij, utriuſq; mẽthæ cũ aqua uitæ. Et in frigidis languoribus capitis laudat̃ ſublimatio ſanſuci, iuæ, ſaluiæ, roriſmarini, uetonicæ, camomillæ & ſcolopendrij. quod prodeſt & lieni, ut & cuſcuta & eupatoriũ, & oĩa quæ pellũt calculũ à renibus. uerũ à renibus etiã educit calculũ & arenulas ſublimatio florũ labruſcæ pentaphyli, rad. bruſci, aſparagi, fœniculi apij, petroſelini, ſolatri morelę, alchechengi & ſaxifragiæ. Vteri aũt mulieris mollit dolores ſublimatio matricariæ, artemiſiæ, florum mali aurei, rubeæ tinctorũ. cætera uerò ſolertibus dimiſimus legenda. His demũ cũ pleriſq; alijs in cõpoſito morbo & utilitaté infectus, & nos honorem haud mediocrem conſecuti ſumus, & conſequimur.

De Vigilia.

HIppoc. ſecundo prædictionũ, inquit de ſomno, queádmodũ ex natura & in cõſuetudine eſt, Interdiu uigilandũ, noctu dormiendũ eſt. Si contra cõmutetur, peſsimũ eſt. Et inferius, Peſsimũ uerò eſt, ſi neq; interdiu neq; noctu dormiat. dolor. n. ac labor ab eo indicio ſignificat̃. Et Gal. ibidẽ, Neq; interdiu neq; noctu dormiũt ij qui ex dolore ac labore contendunt̃, & itẽ qui incipiũt delirare. nã id quoq; cõmittit inſomnium ob temperamenti in cerebro ſiccitatẽ. Ideo uiſum eſt nobis, ea etiã referre præſidia, quæ uelociter reuocant ſoporẽ, quoniam ſomno dolores cruciatus & languores utiq; fiunt mitiores. itaq; præter opiata uobis notiſsima in uigilijs immoderatis hoc medicamine induximus ſoporem: Contundito papaueris nigri & iuſquiami æquales uncias ſex. amomi unciolas duas, & injicito ut molliantur in ſublimatione nenufaris, ſiue in ſucco eiuſdẽ. quia & hauſtum & inſperſum temporibus utiliſsimum eſt. Vel terito. florum nenu-

nenufaris,roſarũ,uiolarũ pares pugillos tres,ſeminis anethi,croci integri æqua lem ſcrupulũ,ſeminis lactucæ ac portulacæ drach.duas, ſeminis althęæ, maluę, æquales pugillos tres.Et in aqua decoquito atq; extrema lauato.Sin aũt hęc nõ contulerint, ad hęc pſtantiora confugies,quoniã in uigilijs immoderatis ſomnũ induximus.Ideo contundito papaueris unciolę dimidium, corticũ mandragoræ,iuſquiami albi æquale dimidiũ drac. croci grana quatuor, atq; hæc inuoluta linteolo molliant̃ in unciolis ſex ſublimatiõis nenufaris ꝑ ſpatiũ horarum ſex.Poſt hęc fricent̃,& cõprimantur,& eius eſt hauſtus ab unciola ad duas.

De tumoribus delendis.

ET quoniã de tumoribus ortis ex dicto morbo congruũ eſt,ut aliquid dicamus,quibus infecti dicto languore torquẽtur adeò,ut leuiores credant eſſe tartareos cruciatus,quã fit eorũ triſtis ſenſatio qua uehemẽter premuntur,ideo à diffinitione inchoantes ad eorũ curã deſcendemus. Gal. tandẽ 2. de Med. Metho. dixit. Apoſtema.i. abſceſſus. Et in 14. de Mor. cur. Abſceſſum,inquit,apoſtema Græci uocãt. Huius itẽ duplex gen⁹ eſt:unũ, cũ phlegmone in pus uerſa pus ipſum tanquã in ſinu aliquo eſt collectũ. Alterum,cum nulla præcedente phlegmone humor aliquis ſtatim ab initio,hicq; aliis ſpecie alius, cæterum oĩno acris in parte aliqua colligitur. In cura igitur abſceſſus quatuor ſunt ſeruanda. Primum eſt regimen uitæ,aliud eſt antecedentis ſucci euocatio, tertiũ eſt coniuncta remouere,quartum uerò eſt accidentium correctio. Regimẽ ergo eſt,bonus ordo ſex rerum non naturalium,ut aëris, cibi & potus, ſomni & uigiliæ, motus & quietis, receptionis,atq; inanitionis, & animi accidentiũ. Quibus aũt hoc ſit faciendum uobis expertiſsimis arbitramur notiſsimũ eſſe. Sed de forinſecis, cũ acceſſeris in principio abſceſſus,poteris uti repellentibus. ſin aũt in auctione, ſiue ſtatu ueneris,ad hæc animum conuertes:terito maluę elixę, adijciendo olei quantum oportuerit,ſiue micæ panis perfuſæ calenti aqua,& cõpreſſæ contundes cum tribus uitellis ouorum,& olei roſ. ad ubertatẽ. ſeu fortius hoc appones cataplaſma,quoniã & tumorẽ mollit,& grauẽ etiã lenit dolorem, itaq; mollito in iure gallinaceo non ſalito medullę panis, atq; in eodẽ iure cõcoquito meliloti florum,camomillæ,anethi,coriãdrorum,ſeminis lini,atq; ordei ad arbitrium, & cuncta macerato cũ uitellis ouorum & oleo roſaceo. Aut hoc conficito,quia mollit:frumenti unciolas.24. in croceo iure elixationis ficuum, concoquendo ad glutinum. poſtmodum addes pinguis ſuilli,olei & butyri recentis ad arbitrium. Seu macerabis maluauiſci concocti unciolas.12. fœnigręci,ſeminis lini,unciolas tres,anethi,florum camomillę ęquales unciolas bis ſex. pinguis ſuilli quãtum ſat eſt. Siue contundito,rad. althęæ, foliorum maluæ,ficuum pinguium elixatorum,farinæ fœnigræci,& ſe. lini. ac florum camomillę, pinguefaciendo butyro,& pingui ſuillo. Plurima etiã cõſcripſiſſemus,ni eruditiſsimis quibuſq; nota credidiſſemus. Tamen quædã etiã referemus tyrunculis tantũ, prout ſuccurrent, quibus poterunt uti in dicto,& morbis ſimillimis iuxta neceſsitatem. Propulſiuum ſuccorum currentium:Concoquito roſarum,maluæ,& macerato,addendo aceti & olei roſ. ad arbitrium,atq; recoquito cum pauculo abſynthij & camomillæ tritiſsimis. Ad diſcutiendum collecta: Farinæ frumenti cum oleo redigito inſtar cataplaſmatis. Ad idem fortius:Cineris communis purgati à ſordibus,cantabri ana unciolas quatuor,gallarum cupreſsi unciolas duas cum uino, & melle concoquito. Ad idem:abſynthij,roſarum,& maluę elixato,ac terito,adijciendo farinæ ordei atq; olei communis quod ſufficit. Propulſiuum mirabilius currentium ſuccorum : Boli armeni drach. duas. terræ ſigillatæ drachmam,olei roſac. paululum, aceti ſiue ſucci frigidarum herbarum ad arbitrium, & conficito. Ad idem,& dicitur de myrtillis: Pulueris myrtillorum unciolas duas,olei myrtini,ut decet,& ceræ modicum conglutinato.

Ad diſpergendum collecta: Pinguis anatis & gallinæ, ana unciolam. florum

camomillæ,anethi æquales drach.duas.ceræ drach.tres.olei camomillæ unciolas tres conficito. Ad contorſionem,& paralyſim:olei amygdalarum dulcium & amararum,olei ſeminis lini,olei pinguis oliuæ uetuſtiſsimi ,.o. roſacei & uiolacei,o.camomillæ,o.uulpini antiqui, æqualis unciolę dimidium. pinguis gallinæ, pinguis anſeris atq; anatis,pinguis urſi ueteris,pares drach.duas.butyri recẽtis,pinguis ſuilli,medullæ crurium uituli,adipis hircini, æquales drac. tres,radicis Iridis Illyricę drach.duas; ceræ quantum oportuerit,& cõmiſceto. Ad cõuulſionem:Coſti,euphorbij pares drach.tres.pyrethri, thuris, aloẽs æquale dimidium drach.maſtiches,o.laurini,o.coſtini,ad arbitrium.ceræ modicũ,& cõtuſa redigito. Ad dolorem,& neruorum contractionem : Olei camomillæ,o. anethi,o.liliorum alborum,o.roſacei æqualem unciolam,o.irini unciolæ dimidium,o.maſtichini,o.nardini,pares unciolas tres. pinguis gallinæ atq; anatis,o. amygdalarum dulcium,æquales unciolas ſex,medullæ cruris uituli , butyri recentis,pares drach.tres,ſtyracis liquidæ drach.quatuor & dimidiam, adipis uituli drach.decem,hyſſopi humidæ unciolam cum dimidia conficito, cum elixatione radicum althęæ,enulæ in pondere æqualis unciolę.radicum bugloſſæ põderis drach.ſex,paſſularum drach.quinq;,ſed fiat elixatio in aqua fontis puriſsimi, & aceto ad dimidij concoctionem, & poſtquam percolaueris hoc, olea,ac pinguia dicta admiſceto. Ad omnem dolorem : farinæ ſeminis lini , & fœnigræci æqualem unciolam, uitella ouorum tria, o. camomillæ unciolam, butyri uaccini unciolas tres.congregato , poſtmodum farinæ ordei addito paululũ.

Ad idem ceratum utiliſsimum : Colliquato reſinæ pini unciolam cũ dimidia, butyri recentis unciolas duas,thuris fœnigræci,bdellij,opoponacis parem unciolam.pinguis anſeris & gallinę æqualem unciolam,o.cõmunis unciolas quatuor,ceræ unciolam,& conficito. Ad cruſtas & ulcera dicti morbi:Sublimati drach.2.ſacchari unciolam,uitella ouorum duo,in unum reducito. Ad eadem: Olei roſacei unciolas tres , ceruſæ tantundem , terebinthinæ, butyri uaccini æquales unciolas ſex,ſublimati unciolas tres,uitella ouorum tria.conficito. Ad eadem : Pinguis ſuilli. Mercurij pares unciolas tres, lithargyrij aurei unciolam, congregato. Ad eadem: Tartari,cinabrij, de ſingulis unciolas tres,pinguis ſuilli unciolas duodecim,Mercurij unciolas uiginti,o.laurini unciolas ſex,o. coſtini,o.iuniperi pares unciolas duas.mixta cõtundito. Ad fœdiſsima ulcera: Pinguis ſuilli unciolas tres.Mercurij unciolas duas,colligito.demum[aliquid]calcis uiuæ,farinæ ſeminis lini addito. Ad eadem præſtantius:Olei laurini,o.camomillæ, o. maſtiches , o. hyperij , o. terebinthinæ , de ſingulis unciolam , maſtiches,olibani,ceruſæ æquale dimidium unciolæ,Mercurij unciolas tres, enulæ paululum contuſæ,olei de ſaxo unciolę æquale dimidium.minij,camphorę, pinguis gallinæ,pinguis urſi ſiue lupi,pinguis equi,pinguis hirci,reſinæ pini,caſtorei.de ſingulis drach.euforbij drach.dimidium,macerato. Ad ulcera & ſcabiem tibiarum:lithargyrij aurei unciolas ſex,maſtiches drac.duas.æruginis ferri noui calenti in lixiuio lotæ drac.ſex,ceræ nouæ tantundem,& eſt ceratum de lithargyrio,& fit ſolidum. Aliud ad eadem & ſalſum humorẽ : Cerati crudi de lithargyrio unciolam.uiridis ęris,ceruſæ,de ſingulis unciolę dimidiũ.ſucci duorum limonũ,ſalis drach.duas,aloẽs drac.o.roſacei omphacini,& colligito. Ad eadem: Ceruſæ unciolas tres,cerę albę unciolã,ſalis unciolas ſex,o.petrolei unciolas tres,o.laurini unciolam ſublimati dimidium unciole,euforbij drach.ſex ſucci mali aurei uncias ſex,congregato,quia optimum eſt. Ad eadem & pruriginem:Calcis uiuæ ſed ablutæ librã,uerũ molliat̃ calx per dies quinq;,demũ addito o.roſacei libras quatuor,lithargyrij aurei unciolas vij.drach.duas,cerę albę drac. quinq;, albumina ouorũ quatuor, aceti albi librã, aquę fontis ad arbitrium,componito,& dicitur ceratum calcis. Aliud ad ulcera tibiarũ: Succi plãtaginis,ſucci ſolani.lithargyrij aurei pares unciolas duas,boli armeni unciolam

& drach.

&drach.tres.ſang.draconis drach.quinq; & ſcrupulũ,maſtiches dimidium un
ciolę.thuris tantundẽ,aceti unciolas duas,cerę candidę drac. quinq; & ſcrupu
lũ,o.cõmunis librã,o.laurini drac.quinq;,o.myrtini,o.roſacei drach. æqualem
myrrhæ,ceruſæ pares drach.quinq; & ſcrupulũ , mumiæ unciolam cum tribus
drach.camphoræ ſcrupulũ.colligito. Ad excoriationẽ ex unguibus:Terebin-
thinę unciolas tres,ceruſę,lithargyrij aurei unciolã, maſtiches, thuris, minij æ-
quale unciolæ dimidiũ:camphorę drac.duas,o.roſacei unciolas quatuor,ceræ
quantũ opus eſt:& conficito. Ad ulcera tibiarũ ceruſæ uncias quatuor.lithar-
gyrij aurei unciolæ dimidium,adipis uaccini tantundẽ,ceræ candidæ unciolas
duas.o.cõmunis unciolas octo.uerũ o.conficito cũ lithargyrio primũ,demum
addito cætera,ſolent etiam pleriq; & linteolũ inficere hoc cerato. Ad eadem:
Thuris,myrrhę, ceruſæ æqualẽ unciolã,o. roſacei unciolas octo & cõcoquito;
& linteolũ intingito. Ad eadẽ:Ceruſæ unciolas duas, adipis capellæ unciolas
duas,cerę albę unciolas quatuor,aceti unciolã,o.roſacei unciolas octo, facito
ut p̃diximus. Lauacrũ ad ulcera fœda:Thuris,myrrhæ,utriuſq; ariſto.balauſtio
rũ,ſarcocollæ,pugillũ æqualẽ,& elixent in uino ad exiccationẽ tertiæ partis. La
uacrũ ad fluorẽ calidorũ ſuccorũ:Cõpreſsi ſucci ſolatri,plantaginis,ſempuiuæ,
lactucæ æquales unciolas quatuor capito,& o.roſacei tantũdẽ permiſceto. La-
uacrũ in calidis genitaliũ affectibus:ſucci apij,plantaginis,ſolatri, ſemperuiuæ,
cõponito æquales partes,cumq; libuerit addito o.roſacei modicum. Lauacrũ
ad genitalium ulcera fœda : Contento balauſtiorum, roſarũ albarum, meliloti,
granorum mali punici æquales unciolas duas, atq; in uino aquoſo elixato ad
conſumptionẽ tertiæ partis. Et qm̃ plerunq; indigemus præſidio urenti,ut cor
rupta abſcindamus uelocius,pręcipuè cum uirus maximè infecerit, tunc ijs uti
mur:Aluminis drac.cum dimidia,uitrioli romani,ſalis nitri,ſalis gẽmæ æquales
drach.duas,ſalis cõmunis,armoniaci ſublimati,arſenici,pares ſcrupulos quatu
or,auripigmenti drac.floris æris ſcrupulos duos & dimidiũ,rhodomellis uncio
lã cum dimidia lixiuij unciolas quatuor,aquæ uitæ,plantaginis,unciolas duas,
Contuſa coquant ad exiccationem duarũ partium,poſtremo addito uiridis æ-
ris ad arbitrium. Mercurio etiã utimur præcipitato,quẽ præcipitamus cũ ſul-
phure & reducit in puluerẽ inſtar cineris. Mitius eſt hoc : Contundito ſalis ni-
tri unciolas.12.aluminis unciolas.24.& ſublimato. Cũ ſit ergo finitũ qđ dictũ
languorẽ turpiſsimum ſternit penitus nõ reuerſurũ,nõ ſine maxima fiducia ſub
teſtimonio magnorum uirorum:hoc idẽ auget fidẽ dictis, quod & de uino dice
mus.Itaq; miramur quod de eo quidã ſcripſerint,quæ potius conticẽda fuerãt.
Præcipue illis quorũ liberalia ſtudia exornãt artẽ medendi.Quorũ etiã & pietas
& officium immortales facit.leues aũt putabit aliquis,dum experimẽtis factis ſi
ne ratione crediderint,quinimo de eiſdẽ & ſcripſerint inanẽ doctrinã profiten-
tes.Qui ſi Galeno incubuiſſent,utiq; in pleriſq; locis uidiſſent quid ſenſerit ille
de natura uini:eoq; qũo mortales uti debeãt cognouiſſent: neq; de ſalubri inſa-
lubrem efficerent hominem,inſinuantes uinum admixtum elixationi ligni Indi
ci,ſiue elixationẽ eiuſdẽ ligni factã in uino,imbecillitatẽ uentriculi, & iocinoris
& lienis defectum,& articulorum atq; nodorum oĩum dolorẽ ſiue relaxationẽ
corrigere,& laxatarum partium fouere texturã.Quoniã hi uiderunt , ut ex hoc
medicabili potu,quam plurimi è leuiſsimo languore in atrociſsimã paſsionem
inciderint.demum auſpicantes conualeſcere indies magis hebeteſcunt, ut uno
uerbo exprimamus iſtius medicaminis proprietatem. Ne igitur quiſpiam ſanæ
mentis poſthac grauius in diſcrimen incidat ob dictã potionem,de mente Gal.
dicemus de natura uini,& quod de eõdẽ legimus apud pleroſq; doctores con-
ſcribemus.nanq; non adeo medelis ineptum uinum eſſe oſtendemus , uerũ nec
multis aptum eſſe potum monſtrabimus.

NAtura uini pertinet ad fomentum uitę,non autem ad remedia affectorum
corporum,ut aſſerit Aſclepiades,qui de uino olim edidit uolumẽ,nos ue-
rò ſolito more, ut profeſſores artium liberalium, pro uiribus dicemus, ut uinũ
humanæ ſaluti cõferat. de quibus uini nil diſſerẽtes, quia inexplicabile eſt hoc,
ob diuerſas opiniones medicorũ.Plini.tandẽ 23.naturalis hiſtoriæ inquit.Vino »
aluntur uires,ſanguis colosq; hoĩum.Et inferius:Vino modico nerui iuuantur, »
copioſiore læduntur,ſic & oculi:ſtomachus recreat,appetentia ciborũ inuita- »
tur.Idem quoq;,Vinũ ſi ſit fumo inueteratũ,inſaluberrimũ eſt. Idẽ etiã, Corpus »
augere uolentibus aut mollire aluũ, conducit inter cibos bibere.præterea idẽ, »
Dari utiq; nõ niſi in cibo debet uinũ,nec à ſomno,nec præcedente alio potu,ſiti »
enti uidelicet.& in ſuma deſperatiõe,uiro facilius quã fœminę, ſeni quã iuueni. »
uinum. n. eſt lac ſenum:iuueni quã puero, hyeme quam æſtate.Aſſuetis potius »
quam expertibus.Demum ex ſententia Plinij,uinum eſt alimentum nõ medici-
na humanorũ corporum.Ideo miramur quorundã peritorum credulitatẽ, quæ
in mero poſita eſt.uolunt.n.qđ ſiue Creticum,ſiue Cãpanum uinum fuerit, qđ
ſit præſtantiſsimum in deſtruẽdis dictis languoribus,& quãto meracius aut ue-
tuſtius uinũ erit tanto præſtãtius eſſe.hi aũt ſpernunt(arbitramur)pręcepta pru
dentum, & doctrinã eorum qui maiorẽ nobis in hoc habent experiẽtiã. uerum
aduertant qd dixerit Pedacius Dioſc.cap. de natura uini: Vino ueteri nerui læ- „
duntur & reliqui ſenſus, qđ guſtu ſuauius eſt,quare cauendum ijs qui internam „
alicuius partis imbecillitatẽ ſentiunt.Attamen in ſecunda ualetudine,paucum
aqua dilutum innoxiè ſumitur.Cum ergo uinum imbecillis præcipue partibus
obſit,qũo quis faciet ut ſit illis medicamẽtũ niſi fuerit præſtantior natura,quod
non eſt credendum.Sed ne quis in dictos præſtãtiorem adducat Galenum,nos
quoq; eiuſdem referemus de uino opiniões:is enim medicinę princeps eſt.Itaq; »
octauo de morbis curandis inquit Gal. Iam uini tum qualitatem, tũ quantitatẽ »
memoremus,quod uidelicet plurimum reficit.Eſt igit uinum,quod exempli lo »
co dicat,quale eſt Sabinũ in Italia.Arſinium uerò in Aſia.ac ut ſumma quadã,ac »
generatim cõprehendam,quod aquoſum quidem eſt, cæterum leuiter adſtrin- »
git.Aquoſum natura appello uinum,quod tenue eſt,& purum,& oligophorõ, »
quod ſi diluit minimã ſuſtinet aquæ mixtionẽ. Nam quod plurimum aquæ in »
mixtura ſuſtinet,id tum uehemẽtiſsimum tum ualidiſsimũ eſt. Et huiuſmodi ui »
num uocitat uinoſum Gal. uerùm ab hoc cauẽdum eſt, qm imbecilles uires fe- »
riat,at ꝙ aquoſum natura eſt, cæterum auſterũ,id percõmodũ eſt, uidelicet po- »
tui. Antiquius, ut uinoſius eſt, ita uehementius eſt, quã ut propoſitis ſit ex uſu.
Etiã idẽ Gal.4.de Sanit.tuenda. Vinũ(inquit) concoquit ſemicrudos humores
quantũ aliud quoduis,tum ſudorẽ urinamq; promouet,ac ſomnũ conciliat.Et
inferius in eodem lib.Quod ſi crudos iã ſuccos ſatis attenuatos ſperas,uinũ da-
bis,quod & ſubſtantia ſit tenue,& colore fuluum albũmue, hoc enim & ad ſuc
ci bonitatẽ & concoctionẽ facit. Illud & uinũ mouet,non ergo hactenus noui-
mus uinum eſſe medicã potionẽ,neq; apud Gal.Sed neq; apud Hipp. ꝗ procul-
dubio parens eſt omniũ medicorũ, legimus uino ineſſe uirtutẽ, ut nodorũ ſol-
ueret affectũ.Inquit enĩ Hipp.Aph.2.Famẽ chorexis,id eſt,uini puri potio ſoluit.
Ibidẽ & Gal.uult ꝙ appetentiã caninã uini ſoluat potus.Ideo idem Aph. 2. ſup „
Aph.Facilius eſt repleri potu,quã cibis. Vina[inquit]aquoſa& alba urinã cient, „
& minimè nutriũt: quę uerò & craſſa ſunt,& colore rubra,plus alimenti habẽt „
quã reliqua uina. Tamẽ nõ oĩa uina oĩbus ętatibus etiã alimento cõueniunt, qa „
Gal.5.de Sanit.tuẽda,Sane [inquit] uinũ ſicuti pueris eſt alieniſsimũ, ita ſenibus „
eſt aptiſsimũ.Sapientiſsimè ergo idẽ Gal.1.de ſanitate tuẽda protulit,inquiẽs:Sa „
nè uinũ quã diutiſsime, qui ea natura puer eſt, ne guſtare quidem ſuaſerim.quip „
pe quod hauſtum,& humectat nimium,& calefacit corpus, tum caput halitu re „
plet,ijs qui humido calidoq; tẽperamento ſunt, quale eſt eiuſmodi puerorum. „

rurſus in tertio de Temperamentis, ait. Proinde nec uinum ipſum ſemper animal calefacit æquè, ut nec oleum flammam accendit. Tame. ſi aptiſsimum eſt ignis nutrimentum. Igitur ubi plus bibitur uinum, quam ut uinci poſsit, tantum abeſt ut animal calfaciat, ut etiam frigidiora uitia gignat. Verùm tamen ſi quem affectum uincat uinum, erit de frigidis affectibus, qđ & Gal. aſſerit. vij. de Mor. Cur. Facultates enim uini ſunt calidæ, quia Gal. iij. de Temp. Monſtratum enim ſupra paulo eſt, id non utiꝗ, ut calidum medicamentum, immò, ut conueniens nutrimentum calfacere animal. Et ſi quis uinorum qualitates uoluerit cognoſcere, lucidius hoc poterit uidere apud Gal. v. de Sanit. tuenda. Proprium itaꝗ uini eſt uoluptates, dolores, iras, amores, uehementius concitare: ſenſus etiam, memoriam, opinionem, & intelligentiam uehementiora efficere. atꝗ eius immoderatus uſus eum animi habitum reddit quem puer primis ab annis habere ſolebat. Plura etiam uini ſunt officia, de quibus apud Pla. ſecundo de Legibus longe diffuſius ſcriptum eſt. Quare etſi remediorum natura, ac multitudo inſtātium & præteritorum morborum plura nos cogunt dicere de ipſo morbo compoſito: quoniam tamen multa collectim dicta confundunt etiam optima ingenia hominum, ſatis arbitramur noſſe, quod uinum cardiaco morbo maximè opitulatur. Certum enim eſt, quòd ſymptoma hoc maximam ſpem in uino poſuit. Alia uerò genera morborum aſſumpto uino, ut re medica fouentur ne deficiant, quinimmo fiunt moleſtiora affecto quam fuerant. Ideo ueniens ad ſummā curæ, dum quis cupit morbo cōpoſito liber fieri, expurgatis ſuccis iniquis, hęc maxime amica naturæ ſeruabit: & eſt abſtinentia, edulium craſſum, & nequam habentium nutrimentum. Abſtinendum eſt quoꝗ à magno uini potu, fricationibus utendum, neꝗ parcendum eſt deambulationibus, & hilaritatibus indulgendum, etenim unuſquiſꝗ ſeipſum ſibi præſtare poteſt. Hæc nanꝗ inuocato cœleſti fauore, & uera præſidia, & facillima remedia cuiꝗ apprime putamus profutura.

FINIS.

BARTHOLOMEI MAGGII DE VVLNERVM SCLOPETORVM, ET BOMBARDARVM curatione Tractatus.

ILLVSTRISSIMO AC EXCELLENTISS. D. D. BALDVINO DE MONTE IVLII III. PONT. Max. fratri, Principi opt. Ioannes Bap. Maggius S. P. D.

CVM ſuperioribus annis clariſsime Princeps Ioannes Baptiſta Montius filius tuus fratrem meum, quandiu Bononiæ cum eo fuit, nõ modo honorifice tractârit, uerum etiam unicè dilexerit, nemo ei dum uiueret occurrere poterat, cui fœtus, & primitias ingenij ſui libentius, quam eià quo mirifice diligebatur conſecraret: Quod cùm ego optime ſcirem nolui quidem certe committere, ut eius labores & uigiliæ ſub alio, quam ſub eius ipſius filij tui nomine in manus hominum peruenirent. quamuis enim alter Bononiæ febri, alter Mirandulæ fortiter, & ſtrenue pugnans occiderit, tamen ſic tibi perſuadeas uelim, me quantum eniti animo, quantum cura conſequi, quantum diligentia perficere poſſum, ſemper operam daturum, ut tu, & omnes intelligant, nullum unquam tempus fore, quo filij tui erga fratrem meum amor, & beneuolentia, & fratris mei ſingularis in eum obſeruantia obliuione aliqua deleatur. Librum igitur, quem frater meus (ut dixi) filio tuo iure optimo dedicauit, eo animo accipias rogo, ut maiora & meliora, ſi quæ domi latuerint expectes. mihi enim uideor, quamuis omnia præſtem officia, quæ poſsim, min⁹ tamen facere, quam debeam, aut uelim. Caput autem illud eſt, ut filium, quem frater mei amantiſsimus unicum reliquit, ut uxorem, ut familiam, ut me ipſum denique quibuſcunque rebus poteris, non ſolum commendatiſsimos habeas, uerum etiam in tuam clientelam & fidem recipias, ac tuearis, præſertim, cum ad eam fidem & obſeruantiam, quam frater meus in colendo tuo filio præ ſe tulit, tantum acceſſerit, ut uix credas locum fuiſſe augendi in eo, quod cumulatiſsimum uidebatur.

Vale.

ILLVSTRISSIMO ET EXCELLENTISSI.

D. D. IOANNI BAP. DE MONTE SANCTAE RO-
manæ Eccleſiæ exercitus Præfecto, Bartholomeus Maggius.

S. P. D.

CVM in Parmenſi obſidione, ad uulneris curationem me uocaſſes clariſsime Princeps, quod in femore in agro Mutinenſi acceperas, dum hoſti obuiam factus, impauidus, iaculorum, & telorum nubes non perhorreſcendo, in acie decerneres, militesq; tuos ad pugnam capeſſendam hortareris, illisq; animum ut adderes, primum te in certamen dares, & in hoſtium confertiſsimum agmen impetum faceres: animaduerti magni nominis medicos, qui in eo erant exercitu ad uulnera Bombardarum ictibus accepta ſananda, eam curationem admouiſſe, ac ſi ab ignito candentiq; telo excepta fuiſſent, quemadmodum etiam grauiſsimi nonnuli authores in huiuſmodi uulnerũ curatione faciendum eſſe litteris, & monumentis prodiderunt, quorũ ſententię nonnuli inſignis nominis Itali medici, innumeriq; & duces, & milites, quibus cum dedita opera pluribus de hac re egi adſcripſere. Verùm cum huc animum intendiſſem atq; animaduerſionem & diligentiam excitaſſem, multa à tuis militibus ſciſcitando ac quærendo, atq; rem hanc ad rationẽ cõiecturamq; reuocaſſem: tandem & medicos, & ſtrenuos illos milites tota erraſſe uia deprehendi: qui cum meis ſcholaſticis multis rationibus ita ſe habere oſtẽdiſſem, eorum uoluntas me commouit, ut de hac re, de qua cum præſtantiſsimis medicis diſſentiebam, aliquid conſcriberem. Ne igitur aut noluiſſe me, aut laborem fugiſſe putarent, cum non ſine cauſa id uelle cognoſcere eos uiderem, hos commentarios conſcripſi. Quare cum multa tecum, & cum militibus tuis, hisq; in hiſce noſtris commentariolis ſcripſimus conuenientia, multis rationibus cõquiſitis quando à te accerſitus ſum ad nonnullorum militum, quibus uulnera, dum fortiter in Mirandulana obſidione cum hoſtibus concurrerent illata fuerant, diſputauiſſem, ac quodammodo tuo iure noſtros hos commentariolos tibi uindices, atq; tanquam legitimos tuos partus rationibus multis philoſophicis, quibus in almo Bonon. gymnaſio animum commouiſti, & uarijs bellorum periculis, quibus te non ſine maxima omnium admiratione, me etiam præſente obieciſti, & quæ te ad harum rerum experientiam, de quibus in opuſculo agimus excitauerunt, tueri poſſes: hos labores tum pro mea erga te præclaramq; tuam familiam obſeruantia, tum etiam quia primus ad hoc munus obeundum impuliſti, tuo nomini dedico, eorumq; te tanquam patronum & tutorem conſtituo, ut quod opus te authore natum eſt, id ipſum etiam in nominis tui pręſidio à maleuolentiſsimis inuidorum latratibus, qui aliorum laboribus obtrectare ſolent, tutum appareat. Quam autem noſtri hi labores, & tibi, & cæteris, qui militiam exercent uſui eſſe poſsint, hic non pluribus arbitror explicandum. In his igitur ſi, & tibi, & alijs, qui noſtras has lucubrationes cupere uidebantur, ſatisfactum fuerit, uehementer lætabor: ſin minus, grauiter dolebo, & me minus potuiſſe, quàm uoluerim, & te non tantum aſſequutum, quantum ſperaueris. Accipe itaque hoc qualecunq; noſtrum munuſculum, & me deditiſsimum clientulum tuum foue. Bononiæ.

BARTHOLOMAEI MAGGII BONONIENSIS, MEDICI AC PHILOSOPHI PRAESTANTISSIMI, DE VVLNERVM, A BOMBARDARVM ET SCLOpetorum globulis illatorum, & de eorum ſymptomatum curatione, tractatus: in quo, nunquid huiuſmodi uulnera cauterio, aut ueneno infecta ſint, diſputatur. ac aliorum omnium ulcerum rationes curatiuæ, & medicamenta ipſis ulceribus curandis idonea, ex Hippocratis, Galeni, & aliorum Græcorum ſententia, copioſiſsimè deſcribuntur.

CVM HOC TEMPORE NON PARVA INter ſtudioſos quæſtio ſit, nunquid uulnera, à bombardarum, & ſclopetorum globulis illata, peruſtionem concipiant, atque præſtantes medici, in horum uulnerum curatione, tanta ſint in uarietate & diſſenſione conſtituti, quẽ admodum tu quoque à nonnullis excellentiſsimis huius noſtri Bononienſis gymnaſij medicis, audiuiſti, ac cum ipſe hactenus, cui aſſentire debeas, & quomodo uulnera hæc, methodo curanda ſint, ambigas, meque ſæpius, ut eorum curationem ſcriberem, rogaueris, tuis precibus, tibique ſtudioſiſsimo iuueni, & mei amantiſsimo, quæſtionique huic non parum dubiæ ſatisfacere cupiens, hæc in tuam ſtudioſorumque omnium gratiam conſcribere, decreui. Verùm priuſquam de iſtorũ uulnerum curatione loquar, ſphærulis ijs, aut globulis, nullã, aut ſaltem paruã caliditatem ineſſe, nec (ut nonnulli arbitrantur) adurere ualentem, demonſtrare conabor, ſi prius aduerſariorum ualidiores rationes adduxero. Bona medicorum pars, huiuſmodi uulnera peruſtionem cepiſſe, atque ignis uim ſenſiſſe aſſerit, hac potiſsimum ratione adducta, quoniam talia uulnera, duritiem quandam & ueluti χάραν (ſic enim contuſam carnem liuidam atque mortuam appellant) obducere, animaduertant, quam quidem à calefacto globulo atque ignito, inductam eſſe, oſtendere conantur. Quod me hercule uero et rationi conſentaneũ uidetur, tum quia globolus, à bombardico ſeu ſclopetario puluere, qui ſtatim ab igne tactus, in flammam conuertitur, impellatur: tum quia etiam ratione maximi motus, caliditatem concipiat, ac quodãmodo igneſcat, ex Ariſt. ſententia ſecundo de cœl. tex. xlij. dicentis motũ uehementem ferrum calefacere, & plum
„ bum liquefacere. ait enim motus eſt aptus ignire ligna, & lapides. rationabilius „ igitur propinquius igni, propinquius aũt aëri, quale ſit & in hiſce ſagittis, quæ fe„ runtur. hę nanque adeò igneſcunt, ut ipſum plumbum, quod in ipſis eſt, liqueſcat. „ ſed in ſphærularum emiſsione, cum maximus excitetur motus, caliditatem ſuſcipere uidentur, & hac de cauſa cauterio inficere, carnemque amburere: idque eos magis in hanc trahit opinionem, quoniam circa uulnera rubedinem quandam animaduertunt, qualem in partibus ab igne ambuſtis, obſeruari licet: quocirca ea inuſta eſſe, ac tanquam exuſtis curationem adhibendam aſſerunt. quin etiam ad nonam uſque diem excreſcere & augeri huiuſmodi uulnera, ut in ueris combuſtionibus omnibus fieri conſueuit. Nec defuerunt, qui dicerent, ea indicia ueſtigiáque ueneni referre, hoc argumento (quamuis rationem non aſsignent) quod facilè herpetis naturam ſequantur, & ad corruptionem deueniant, uel propter illius ſclopetarij pulueris compoſitionem, uel cruſtam putrefacientem. Verum nunquid rectè ſentiant, ubi hæc quæ ſcribimus perlegeris, dijudicabis. Non tamen primi qui has nouas opiniones inſeruerunt, tantam mihi admirationem, quantam philoſophiæ & ueræ artis medicæ profeſſores efficiunt, qui cum primis in eandem ſententiam deuenère, ac ueluti cæcos

Ex 1. Meteor. tex. 3. & 8. phyſicor.

duces & amentes conſultores ſequentes (iuxta prouerbium illud tritiſsimum) turpiter lapſi ſunt, cum nullam in medium adduxerint authoritatem, aut rationem: eóque magis hos dignos reprehenſione exiſtimo, quod cum in huiuſmodi uulnerum curatione, tantam uarietatem diſſenſionémque ac inconſtantiam uiderint, rei huic animaduerſionem non adhibuerint, neq; ad ueritatem rationem reuocauerint, ſed ut horum opinio in ueritatis lucem proferatur, rem nunc iſtam accuratius examinemus.

Si igitur oſtenderimus inter cætera, paruam globulis illis à bombardis uel ſclopetis emiſsis caliditatem ineſſe, & eam talem, ut neque carnem inurere, nec etiam contactas partes ita calefacere poſsit, quemadmodum flamma aliquid cui ſenſus ineſt illico contingens inurit & calefacit, manifeſtum nimirum erit, huiuſmodi uulnera minimè peruſta, neque eo pacto, quo ipſi cenſent, curanda eſſe. Principio nullum audiui, (licet quam plurimos in Mirandulenſi obſidione percontatus fuerim,) cui à bombardicis ſeu ſclopetarijs globulis, ictus infixus fuerit, qui in ipſo ictu caliditatem ſe percepiſſe, dixerit, ſed contuſionem quandam, perinde ac ſi trabs aliqua, uel ruina ingens, in ſe ictum feciſſet. At huic rationi occurres, dices'q; dolorem ingentem à magna contuſione excitatum, minorem à globulo ignito motum obſcurare, ut placuit Hipp. ij. aphor. xlvj. ita ſcribenti, Duobus doloribus ſimul non eundem locũ infeſtantibus, uehementior alterum obſcurat. qui tamen locus, rationem noſtram, non ſubuertit, quandoquidem ſupponit Hippoc. duos illos dolores, in diuerſis locis eſſe. ſed in hac noſtra ratione, idem eſt & combuſtionis (ut aiunt) & contuſionis locus, iccirco conſentaneum uidetur, ut primum dolor ab igne (ſi globuli iſti igniti ſunt) percipiatur, cum primus in corpus agat, proximè alter dolor à contuſione, in eadem parte & loco excitetur, neque tamen ullum temporis ſpatium intercidit, ſed ferè ad punctum temporis, ambo fiunt. Quamobrem, cum ab ijs, qui uulnera acceperunt, nulla caliditas percipiatur, eam ſi negauerimus, quid erit abſurdum? Cæterùm à globulo percutiatur aliquis, abſque uulnere tamen, cum ſola duntaxat contuſione, quod fieri ſolet, quando defeſſus globulus, partem aliquam corporis, in fine uelocitatis & motus ſui, percutit, uel quando eius impetus, reprimitur & frangitur à ferrea armatura, dolor quidem tantum à contuſione, non ab igne ſentietur, quæ res globolum non comburere arguit. ſiquidem ſi plagam facere non poteſt, propter combuſtionem tamen & percuſsionem ſaltem ueſtimenta, & ſi non ueſtimenta, ſaltem poſt eorum perforationem, carnis ſuperficiem adureret, bullas ſeu ueſiculas excitando, quod cum non fiat, non comburere, ſed ſolum contundere, manifeſtum eſt. Obſeruatum enim à nobis ſæpius eſt, & tu quoq; Bononiæ, in quibuſdam uulnerationibus animaduertiſti, in abdomine præſertim exceptis, quod ictibus facilius cedit, cutim tantum contuſam apparuiſſe, atque affectum illum, qui ἐκχύμωσις, id eſt, ſanguinis collectio in loco cõtuſo dicitur, de quo Galenus quarto meth. primo & ultimo cap. uel ὑπώπιον Latini ſugillatum, uel ſugillationem, uel liuorem, dicunt. uel ὑπόσφαγμα, id eſt ruptionem uenæ, ex ictu uel plaga prouenientem, neque ultra hæc cruſtam aliquam, ſignúmue aliquod peruſtionis, derelictum fuiſſe: quod profectò ſecus fieret, ſi ſphærulæ ignitæ eſſent. Verùm ſi huius rei, quæ ratione carere non uidetur, periculum facere uelimus, nũquid ſcilicet à ſclopeto eiectus globulus, caliditatem talem concipiat, uel ex ipſo ſclopetario puluere, uel ex motus uehementia, & carnẽ perurat, eamq; cauterio inficiat, ex hoc, id de quo agimus, perſpicuum euadet, nec ſecus atque diximus, ſe rem habere, oſtendet. Nam ſi iuxta aduerſariorum placita, igniti ſunt globuli ipſi, cur ſi ſtuppam, fœnum, paleas, lanámue percuſſerint, aut in quoduis aliud impegerint, quod facilè conflagrare poſsit, ut in ipſum ſulphur, aut in aliud, quod flammam concipiat facilius, qualis eſt puluis ipſe ſclopetarius, neque ignis, neque flamma excitatur? & tamen

ſclope-

ſclopetarius puluis, omnium facillimè, ex quauis uel modica caliditate, uel ſcintilla exigua, flammam concipit, nunquam tamen à globulo tactus, accenſus fuit, quemadmodum nos docuit experientia. licet enim pulueris non exiguum pondus charta inuolutum, & arbori appenſum, à globulo percuteretur, à ſclopeto emiſſo, modò comminus, modò eminus, & demum à remotiori loco, ut tandem certior fierem, utrum ex motus uelocitate, uel ex perfrictione, ſeu attritione, miſſus globulus huiuſmodi caperet calorem (præſertim in maiori motu, in quo incaleſcere magis poteſt, & ita facilius igneſcere,) qui puluerem poſſet accendere, nunquam tamen, aut puluis accenſus, aut combuſtus fuit. minus igitur rationi conuenire uidetur, carnem ipſam cauterio affici ac peruri à globulo poſſe, ſi quæ diximus omnia, ad ignem facilè concipiendum, idonea, non inflammantur, ſiue à propinquo, ſiue à remoto loco eiectus ſit globulus, dummodo tantum ſpatium intercedat, ne à ſclopeti, aut bombardæ cannula (ut ita dixerim) exiens flamma, ipſum puluerem, aut ſimile quidpiam, quod facilè igniatur, contingat. Ad hæc, ſcis naues ſaccis, lana, uel ſtuppa diſtentis (quos pilas ex lana, aut ſtuppa uocat uulgus) circummuniri, ne à bombardarum globulis ferreis, in quibus calor maior capitur, quàm in plumbeis, lædantur, perfringantúrque, ipſámque nihilominus lanam uel ſtuppam, non cremari, quamuis globi ferrei in ſaccis lanæ uel ſtuppæ infixi adhæreant, neque etiam peruſtionis ſignum ullum relinquere, ſed quandam ſolum nigroris notam, ab ipſo puluere, non ab ignis aduſtione inductam. Præterea, ſi ad cogitationem reuocaueris, temporis breue ſpatium, quo globulus corporis partem aliquam feiens, pertranſit, licet ignitus eſſet (quod tamen nullo modo concedimus) fieri non poſſe uidetur, ut carnem perurat, cruſtamq́ inducat, ut licet uidere in pertractantibus carbones, aut res alias ignitas maximo motu: neque etiam ſi in parte illa, diutius contineatur, quando neque in ſtuppa, neque in re quauis alia, cui inflammatio inferri facillimè poſſit, nullum ut iam demonſtrauimus, peruſtionis ueſtigium imprimat, idq́ omnes militiam exercentes nouêre. Nec iccirco deſiderantur, qui à bombardica ſphæra in uaſe ſclopetarij pulueris pleno, flammam commotam, & incendium factum fuiſſe dicant, quorum teſtimonio cum fidem tribuamus, non aduerſamur, ſed diuerſa ratione id obtigiſſe, eſt exiſtimandum. ſiquidem ferreus globulus forte fortuna lapidem, uel ferrum aliquod attriuit, ex qua attritione ignis deinde ſcintilla excuſſa fuit, qua poſtmodum ſclopetario puluere refertum uas conflagrauerit, non quia globulus (ut iſti putant) ſecum flammam aliquam aut calorem traxerit. quandoquidem ſi globulus igneſceret, ſemper in contactu bombardici pulueris flamma concitaretur, quod cum non fieri experimento didicerimus, quamobrem aduerſariorum placitum falſum eſſe non iudicabimus? neque à ſupercalefacto globulo, ſed caſu excitatum incendium credemus? At ſi odioſius inſtares, neque aliquibus rationibus in noſtram ſententiam adduci poſſes, tibiq́ iam omninò perſuaſum eſſet, ignitos globulos eſſe, neque de hac ſententia ullo modo deijci uelles: quærerem quamobrem ex uulneribus iſtis ſanguis profluat? cum adurentia ſanguinem compeſcant ſiſtántque, ut ſenſit Galenus quinto Meth. Si uerò non maximam ſanguinis copiam defluere dixeris. reſpondebo id quoque fieri poſſe, ex ingenti carnis contuſione, quæ ſanguinem repulerit, partémque illam ita attriuerit, exiccaueritque, ad alias corporis partes ſanguinem detrudendo, ut cruſta ab igne facta uideatur, qui deinde ad uulnus recurrens, ſua copia tumorem repentinum facit, neque propter attritam exiccatámque circa uulnus carnem, quæ meatus obſtruit, profluere poteſt. Sed in omnibus huiuſmodi uulneribus, in ſuperficie uel in profundo exiſtentibus, ſanguinis profuſio ſequitur maior uel minor, pro partis læſæ natura, quod fieri nequaquam poſſet, ſi igniti globuli eſſent, & cauterio afficere, cruſtámque inducere poſſent.

Adductis rationibus hoc quoq; ſi libet addamus,ponamus,(quod tamen nullo modo concedo)ignitos globulos eſſe: & adurendi uim continere, rurſus abs te quęrerem aliud,quod tacito ſenſu etiam quiuis poterit iudicare:Si à globulo caro cauterio inficitur, aduriturq;, probabili quoq; ratione ueſtimneta,quę prius occurrunt,accendi deberent,tunc enim maiorē globulus continet calorem,faciliuſq; ueſtimenta adurere ęquum eſſet: uerùm caro ſola ſic afficitur,ueſtes autem incombuſtæ (ut intuentibus patet) remanent,ita ut ab ignita re contactæ non uideantur.Veſtes itaque ex calidi globuli contactu etiam concipere ignem deberent,non ſecus ac fieri ſolet quando ſcintilla ab ignito ligno, humido uehementer à ſicco agitato,cum crepitu exciditur, in ueſtimentáque fertur, corpúſque adurit, concrematis tamen prius ueſtimentis, in quibus & foramen amplum,nigrore infectum, & cum aduſtionis ueſtigio manifeſto efficit. Ego profecto cum huic rei non mediocrem diligentiam adhibuiſſem, nunquam ſimile quidpiam in ueſtibus à ſclopetarijs globulis perforatis & diuulſis,deprǽhendi, quamuis in Parmenſi, & Mirandulenſi obſidione, ſub Iulio tertio Pont. Maxi. ad rem hanc, in quamplurimis uulneratis, diligentiam maximam contulerim, animaduerſionémque adhibuerim, cum eo tempore, ſingulis diebus manum conſererent milites, multíque à bombardarum & ſclopetorum globulis uulneribus conficerentur.Tu quoq; Bononiæ,in tot hominibus huiuſmodi telis uulneratis,in diploide,interula,aut alijs ueſtimentis aduſtionis aliquod indicium, dum mecum medicinam exerceres,neq; animaduertiſti,neq; obſeruaſti:Sed dũ taxat dilaniationem quandam à globulo factam, & filamentorum ueſtium diuulſionem, quæ profecto non appar uiſſent, ſi adeo candentes globuli eſſent,ut carnem cauterio afficere poſſent. hac igitur ratione quid poteſt eſſe manifeſtiꝰ? Et quanquam poſt percuſsionem in ueſtibus aliquibus nigrorem uideamus, nõ propterea ab igne factum exiſtimandum eſt,quando ex plumbeo globulo(plũbum.n.ijs quæ tangit & perfricat nigroris notam imprimit) uel ex ipſo bombardico puluere,qui globulum infecerit,fieri etiam potuerit.ſi certa magis experiẽtia,id quod dicimus comprobare cupis, ignitum & candentem globulũ in corporis aliquam partem inijcito,licet citato & uiolento impetu feratur, combuſtionem ueſtimentorum prius,deinde carnis uidebis.mirandum quippe admodum eſſet,ſi ignitus globulus talem haberet uim,ut per ueſtimenta immiſſus,citra ueſtimẽtorum aduſtionem,corpus cõbureret,ut de fulmine proditũ eſt, qđ argentũ in marſupio colliquat,ſine marſupij læſiõe,ut in meteorologicis Ariſtoteli placuit. de globulis tamen non ita habendum eſt,neq; cenſendum,eſſet ẽm non modo hoc mirabile,ſed prodigijs ſimillimum,& oſtentis. qui quamuis mirificos & prodigioſos indicent effectus,& moles ingentes quatiant,deijciant,& euertant,non tñ ut fulgura ignitum aerem aut flammam trahunt, nec eiuſdẽ naturæ & uirtutis ſunt.& ſi in exitu ſpherulæ à ſclopeti cannula ſecum flammã ducant,non longe tamen eam trahunt,ſed quo longius feruntur à flamma magis recedunt.Sed iterum inſtare poſſes, quemadmodum in qualitatibus omnibus rerum ſimplicium,quatuor concedunt gradus,ut Gal.ait quinto de ſimpl. med.ita quoq; in globulo eſſe tenendum,tantum ſcilicet in eo eſſe calorem ut carnẽ, non pannum,linteum,& ſimilia poſsit urere,cum ad illorum combuſtionẽ maiori opus ſit calore,& intenſiori caloris gradu,quam ad carnem comburendam requiratur.huiuſq; rei ſupponamus exemplum. Si calefacto ferro carnem tetigeris,ferri fortaſſe contactum non ſuſtinebit caro, pannum tñ aut ueſtimentum ullum non comburet,eadem quoq; de globulis audebis affirmare, ut pote qui in tali caloris gradu calefacti reperiantur, ut in carnem ſolum, non in ueſtimentũ agere poſsint.idcirco mirabile non eſſe,ſi comburendi carnem,non ueſtimenta globuli calor uim contineat. Huic tuæ ſententiæ ſubſcriberem, ſi de ſenſu tactus

ctus ageremus, qui aliquantum ferrum calefactum non ferret, & quanquam carnem calefaceret, non ob id ureret, ſi animans huiuſmodi calorem ferre poſſet, ac ſi forte fortuna ureret, ueſtimenta quoque ab æquali calore læderentur, Idque experimento diſces, ſi laminas duas ferreas æque calefeceris, & eodem tempore, altera carnem tangas, alteram ueſtimento admoueas. nam ſi uretur caro, ueſtimentum quoque combuſtionis, aut læſionis alicuius, pro diuerſitate ſubiecti, expers non erit. Præterea ſi laminis ijs ferreis ſclopetarium puluerem tetigeris, ilico flammam ſuſcitari uidebis: Eadem etiam ferè de globulis dicenda ſunt, ſi illi igniti concederentur, qui ſi adeo uel ex motus uehementia, uel ex puluere bombardico incaluerint, ut carnem adurant: eandem uim obiectis ueſtimentis deberent inferre, cum prius globulis ipſis occurrant, & contingantur, quos tunc magis calidos eſſe rationabilius eſt, quàm cum ad corporis partes peruenerint, cum in tranſitu per alias partes refrigerentur, licet id minimo temporis interuallo fiat: hoc autem cum non fiat, quis iure nos repræhenderit, ſi globulos ipſos, non ignitos eſſe dixerimus? Inſuper manifeſtiſsimè hoc periculum eorum arguet, & euertet opinionem, qui ex puluere globulos calorem concipere dicunt ita ut adurant: ſiquidem ſi globulus magno etiam pulueris ſclopetarij aceruo contegatur, puluiſque ipſe accendatur, & ilico quis globulum manu contrectauerit, nullum omnino calorem percipiet: poterit igitur globulus à ſclopeto emiſſus calore aliquo ab ipſo accenſo puluere concepto inurere, cum ne minima quidem ipſius globuli pars à puluere in ſclopeto retento contingatur, ſtatimque propellatur. Neque pericula facta à ſtudioſo iuuene Dominico Theobaldo Caſalenſi te moueant, quæ prima facie in ſenſum conſpicua ſatis cadunt, quæ etiam nos re ipſa comprobare uoluimus. Nam ſi liquatum plumbum in chartam conijciatur, non modo non illam aduret, ſed ue uix quidem calefaciet, minus igitur pannum, linteum, uel quidpiam aliud uret, ex quo ueſtimenta conſtent. Carnem tamen ardore afficiet, ueſicámque faciet, quod adductas rationes noſtras uidetur labefactare. Nos autem non ſolum non colliquari plumbum à puluere ſclopetario, uel à motu, ſed nec tantum quidem calefieri poſſe ut carnem nota aliqua inurat, probare nitemur. Siquidem ſi plumbum colliquaretur, nunquam metam aut locum collimatum attingeret, ſed diſpergeretur, nequaquam etiam uidetur credibile, ita poſſe incaleſcere, ut carnem adurat. quia colliquatum & calens plumbum calorem ilico amittere uidetur, ita ut carnem uſtione aliqua, poſſe afficere non uideatur: ut tu quoque facile experiri poteris: mirandum quapropter non eſt, ſi colliquato plumbo, quamuis feruidiſsimum ſit, neque charta, neque pannus, aut linteum deflagret: id enim uiſcoſitate ſua fit, quę in mollem ſubſtantiam agere non poteſt. Præterea ſi ita intenſum calorem conciperet, in carne ſuper quam immoraretur, aliquod combuſtionis ueſtigium relinqueret, uel ab ijs qui læduntur inuſtio, aut exibilatio, qualis illa quæ in contactu rei humidæ & ignitæ fit, perciperetur: quemadmodum fieri ſolet quando candens ferrum, in humidam terram proijcitur, aut aqua immergitur: aut ubi ignito ferro corporis partem aliquam adurimus, tunc enim ex actione caloris in humorem fit ſtrepitus & ſibilus quidam, quem in uulnerationibus à plumbeis globulis factis etiam fieri rationabile eſſet, cum intus globuli retineantur: nulla tamen combuſtio, aut ſibilus ſentitur, quamobrem ignitos globulos eſſe nullo modo credendum eſt. Cæterum ipſemet hoc uerum eſſe colliges, ſi iaculatos globulos, ilico in uola manus ſuſtinueris, tantum omnino calorem non percipies, quin eos diutius in uola manus commode & ſine periculo continere poſsis. magiſque in noſtram ſententiam iueris, ſi ita ſtatim globulos appræhenderis, ut nullo modo ex mora aliqua refrigeratos eſſe poſſe exiſtimes.

Ad hæc ſi globulos ignem uelles in motu ſolum retinere, ex perfrictione in motu facta, antequam ad locum perueniant, dicerem eundem igneum calorem habere dum carnem, aut aliquid quidpiam perforant, non tamen adurere, aut cruſtam inducere. Præterea ſi ignitos illos eſſe uelles, & proinde cruſtam illam in uulneris ſuperficie duntaxat efficere, aut in ingreſſu, non autem in exitu ab aduerſa parte: reſponderem, id etiam non citra rationem in contuſione fieri. Siquidem globus dum carnem in ingreſſu perforat, reſiſtentiam quandam reperit, quæ à ſoliditate partis ſubſtantiæ fit, in exitu autem partes illæ relaxantur, atque tantum quandóque cedunt, ut aduerſa & oppoſita cutis ita extendatur nonnunquam, ut lorica ex hamis ferreis confecta & ueſtimenta lanientur, abſque tamen ipſius cutis perforatione, ut loco proprio dicemus: neque idcirco ibidem cruſta non fit, quia globus ad illam partem peruenerit refrigeratus: quod perſpicuum euadet, ſi globus proiectus forte prius brachium perforauerit, deinde pectus, cruſta enim ſeu caro illa liuida & attrita, in ipſo primum brachij ingreſſu, deinde pectoris, non autem in egreſſu aut brachij, aut pectoris, reperietur: ut ad id, quicunque animum aduertere poterit: Hoc ipſum tu quoq; in nobili Ioanne Baptiſta Formagiario obſeruaſti, qui à globulo ictus in humero ſecundum deltoidem, cum oſsis & totius brachij perforatione, plagam quoque in pectore acceperat, ſecundum mamillam, in qua caro liuida, & ſimilis carni illi attritæ quæ in brachij uulnere in parte ſumma extabat, comparebat, de quo Ioannem Brambach germanum, & Camillum Bartolinum Porculenſem iuuenes curioſiſsimos, & artis medicæ imprimis ſtudioſos, & alios quàm plurimos ſcholaſticos, qui tunc unà mecum erant, optimos teſtes habeo. Verùm quorſum pluribus uerbis utor ad rem manifeſtiſsimam comprobandam? plumbum colliquatum ſi bombici ſuperpoſueris, ne minimum quidem eius floccum uret. Hoc autem ſi argumentis conareris refellere, diceréſque in re humida conceptum calorem inflammare non poſſe, ut de aqua calida manifeſtum eſt, quæ uæſicas in membris attollit, combuſtionem autem non facit, dicerem colliquatum plumbum feruidius longe eſſe, quàm non colliquatum, quamuis humidiſsimum ſit, quando maiorem ſuſcipere calorem non poteſt, eo quem in colliquefactione ſuſcepit. In hoc plumbum colliquatum ſi ſclopetarium puluerem inieceris, uix accendetur: ſi uerò poſt coagulationem ilico hoc feceris, non accendetur, minus ergo carnem non colliquatum plumbum aduret. Rurſus ſi liquefactum plumbum membro alicui admoueris, bullas quidé excitabit, aduret autem minime: atque hoc intelliges ſi ſuper carnis fruſtulum liquefactum plumbum fuderis. Nos tamen cruſtam illam, quam alij in ſummo uulneris à globulo fieri duntaxat dixerunt, in profunda & ima uulneris parte etiam uidimus, quando ea in parte globulo occurrit ſolida caro, quæ ictui aliquantulum reſtiterit. Quare in animum inducere non poſſum, globulos à ſclopetis aut bombardis iaculatos, ignitos eſſe, membrúmque cauterio poſſe afficere. Neq; in hoc etiam tuam animaduerſionem deſiderare uellem. Si igníto ferro corporis partem aliquam uolumus adurere, per aliquod temporis ſpatium ferrum candens ſuper partem illam retinere cogimur, ſin aliter faceremus, nunquam quod intendimus aſſequeremur, ſi hoc idem plumbo efficere uellemus, maiori profecto temporis ſpatio opus eſſet, cum non colliquatum plumbum minorem calorem concipiat, & ſi quem in ſe receperit calorem, eum breui tempore retineat. Poſſe igitur globulos calore aliquo, quem ex puluere uel ex motu conceperint, in corporis parte aliqua cauterium facere dicemus? cum ad temporis punctum corporis partem, & ſi uis

maior

maior uniuerſum corpus perforent. Neque eorum opinionem prætereamus, qui ex motus uehementia globulos igneſcere dicunt, exemplum ducentes à ſulphure illitis ſagittis, in altúmque iactis, quæ accenduntur ex aeris longa attritione, quæ ad accendendum ignem apta eſt. nihilominus, quamuis ex Ar. ſciam, & ita re uera cum ipſo ſentiam, attritionem calefacere poſſe, tamen tantum calorem plumbeos globulos in iaculationibus ſuſcipere ut inurere poſſint, cum his qui hoc ſibi iam perſuaſerunt non ſentimus: & qui talia de ſulphure illitis ſagittis protulere, adducti magis falſa ſententia, quam ueritate ipſa, quamobrem ita ſe habere rem experientia non comprobauerint, ante quam hæc tam oſcitanter ac impudenter proferre, admiror, quæ cum mihi fuiſſent renunciata non prius fidem adhibendam ijs duxi, quam occulata fide num ſic eſſet res cognouiſſem: propoſitum enim mihi in omnibus pro uiribus, prius nihil affirmare, ueritate non perſpecta, & de his maxime, de quibus inter eruditos aliqua eſt controuerſia, ut in his, in quibus Veſalius Galeno contradicit, (quemadmodum ſcis) obſeruaui, de quibus nihil affirmare, aut negare uolui, prius quam illud ad examen reuocauerim, & uero conſentire luce ipſa clarius perſpexerim, ut aliâs, dijs beneſauentibus, cognoſces. Quocirca, ut artificioſe, & cum canalibus fabricarentur ſagittæ, quas totas cæra, & ſulphure oblitas arcu Parthico, & mox baliſta ingenti, modo in altum, modo in longum iaculatiſimus, neque ſulphur tamen aut cæra accenſa, aut colliquata fuit, atque in hoc multi teſtes optimi mihi ſunt: Adde etiam hoc quod fide dignum fortaſſe non uidebitur, (teſtibus tamen grauiſsimis non caret) ſclopetum puluere bombardico oneraui ſſe (ut ita cum uulgo loquar) & ſulphureo globulo, quem tandem & à propinquo & à remotiori loco, in parietem ſemel atque iterum & tertio immiſimus, neque ſulphur à ſclopetario puluere, aut à motu uehementi, & aëris attritione (quanquam uehementiori impetu quam ſagitta ab arcu, uel baliſta miſſa feratur) accenſum aut liquatum fuit, ſed parietem ita grauiter percuſsit, ut calcem, qua tectus ipſe erat paries, excauauerit, fruſtuláque ipſius globuli circum ipſam excauationem parieti, abſque aliqua ſulphuris immutatione ſubſtantiæ, aut coloris prioris, quo antequam in ſclopetum immitteretur præditum erat, adhæſerint, téque hoc experientia docebit: Quare uaniſsimum eſſe commentum dicentium, ſagittas ſulphure illitas & in altum iaculatas accendi, aut plumbeum globulum à ſclopetarij pulueris accenſione & motu ita calefieri, ut poſsit adurere, concludimus, cum nec cæra incaleſcat hac ratione, neque ſulphur ipſum accendatur aut liqueſcat, quamuis à ui ſclopetarij pulueris accenſi impellatur, & citato motu ab circumfuſo aere teratur perfricetúrque, ſiue ſclopeto, ſiue arcu aut baliſta eiaculetur. minus igitur plumbum igneſcere dicemus: ex quo etiam uulnera à plumbeis globulis illata ignis uim ſenſiſſe, nulla nec uera, nec certa ratione probari poteſt: explodenda igitur iſtorum opinio, quam abſurdam & uanam eſſe multis rationibus iam probauimus. Præter hæc ſi ex calore in motu concepto cruſtam globulos inducere uelles, manifeſtiſsimo huic periculo pugnabit: uulneratus quippe à globulo in quatuor brachiorum diſtantia iaculato, in paruo illo motu ita poſſe incaleſcere globulum, ut perurat carnem, non erit credendum: cum ob puluerem ipſum ſclopetarium accenſum calorem non contrahat, carnem tamen nihilominus atteret & contundet: ex quo cruſtam illam non à calore effici, ſed à contuſione ſolum (ut iam à nobis fuit probatum) exiſtimandum eſt.

Iſtis igitur ſic perpenſis, uulnera à bõbardicis ſphærulis illata nõ ignis uim ſenſiſſe, nec miſſas ſphærulas (ut dictũ eſt) cauterio poſſe inficere, aut adurere diſces: & tametſi aduerſarij aſſerant, carnem circa uulnus ignis calorem ſenſiſ-

ſe & combuſtionem,id iam falſum eſſe noſtris rationibus & exemplis,in clariſſima luce uerſatur: Vnde autem in uulneribus, quædam ueluti cruſta appareat,deinceps dicemus: Ex uehementi proinde contuſione à globulis facta ipſa cruſta uidetur induci, qui quoniam ſphærici ſunt, & maximo impetu feruntur,lacerant, diuellunt, contundunt, atteruntq; adeo contactas partes,ut eas non modo ſanguine,ſed uitali ſpiritu priuent,quo circa langueſcunt,liueſcũt & emoriuntur,ita ut cruſtam referant.quæ reuera cruſta non eſt, quandoquidem hæc ab igne,uel ab ignito ferro dura admodum & ſolida inducitur, propter humoris prius in carne contenti exiccationem. Iſtarum uerò uulneratio num eſcharæ(ut ipſi dicunt)humidæ mirum in modum ſunt, tantóque humore refertæ,ut corrumpantur ſæpe, & putreſcant. & ſyderatione, ut ita dicam, quam σφάκελον græci dicunt, urgeantur, ob immodicum humorem in attrita carne collectum, ut ſuo loco dicemus. quod in magnis etiam contuſionibus aduertere licebit, ueluti nos ſæpe obſeruauimus, in ijs qui in brachio, crure, aut pectore ſaxo icti fuere,uel globo à lacertoſo brachio, uel à funda, uel à baliſta iacto, uel in contuſionibus alijs, quibus affecti fuerunt ij in quorum crus equus ceciderat,aut quouis alio modo membrum aliquod obtritum fuerat, & contuſum,in quibus ſæpenumero caro tanquam mortua,& ſanguine & uitali ſpiritu carens,ex uehementi & graùi illa contuſione,uidebatur,& quæ tandem eſcharæ formam referebat. quamuis re ipſa eſchara non eſſet, nec nomine hoc rectè appellari poſſet,cum nihil aliud ſit ἐσχάρα,quam cruſta & combuſta caro circa partem cui uel ignis, uel ignitum inſtrumentum admotum fuit, uel aliquid aliud quod potentia,ut ita dicam, adurendi uim habeat.Huic noſtræ ſententiæ ſuffragatur Pauli authoritas, qui docet quomodo à re contundente facta uulnera dignoſcãtur:Quoniam uero inquit,& lapides ſæpe,& murices,& plumbeæ glandes,atque id genus quædam funda eiaculata,tum ex iaculantis ui,tum ex angulis quibus prædita ſunt, in corpus intruduntur ac latent,ad ea cognoſcenda his notis ducemur,ſi contrectemus,aſperum, atq; inæqualem tumorem ſubeſſe ſentimus, plaga non prorſus recta, ſed etiam maior,caro item contuſa ac liuida cernitur, dolor præterea cum grauitate quadam infeſtat. in hanc quoque opinionem iuerunt Auicenna,Haly & Bucaſis, & alij, qui à Paulo ipſo eam omnes mutuo acceperunt. Quamobrem ſi diligenter animaduerſionem adhibueris, in contuſionibus carnem liuidam contuſamq; uidebis, quam iſti ἐσχάραν appellare uoluerunt, quia ab ignis ui globuli uulnera hæc facientes impellerentur,ſed tamen contuſa caro eſt,illiq; ſimillima quam in contuſionibus magnis uideri diximus, uerum illa caro liuidior longè nigriórque, & cum grauiori dolore eſt,quippe quę uiolentiam maiorem paſſa ſit,neque proinde aliud,præterquam attrita caro, atque emortua à proiecti globuli contuſione eſt, qui quanquam ab igne impellatur, non tamen ignitus eſſe poteſt,quandoquidem in bombardico puluere accenſo,non tamdiu moratur, ut ignem concipere ualeat, quod etiam hoc exemplo clarũ euadet,ſi pro plumbeo globulo in ſclopeto aut bombarda papyrum impoſueris,modice digitis uel dentibus contuſam,non enim cõburetur, ſed à ſclopeto incõbuſta,& ab igne uix tacta egredietur, parteſq; quas tãget malè afficiet, ut nõnunq̃ dum Romæ eſſemus,in interregno uidimus,dum ludi in foro diui Petri celebrarent̃,in quibus quãuis bõbardæ omnes ac ſclopeti puluere ſclopetario & papyro implerentur,tñ ex papyri ictu qnibuſdã naſus euulſus& perforatꝰ fuit,papyro ipſa illęſa:hoc etiã magis tibi cõſtabit,ſi ꝓ glãde plũbea, cæreã ſphærulã ſclopeto cũ puluere impoſueris, hãc à ſclopeto emiſſam neq; liqueſcere,neq; incaleſcere,& partes ad quas perueniet uehemẽter lędere uidebis,ita ut ſi uel lignũ petat,in eo ingẽtis cõtuſionis ueſtigiũ relinquat,ꝙ q̇dem

nullo à ſclopetario puluere accenſo calore effici arguit: adde etiam, quod admi ratione dignum uidetur, rei, in quam iniecta fuerat, non adhærere, ſed proſilire, & retrocedere non ſecus ac plumbea glans in parietem miſſa, quæ tamen ſi liquefacta aut calefacta eſſet, rei contactæ adhæreret, atque etiam à motus uehementia calorem conciperet, ſi plumbeus globulus ita ſecundum iſtorum ſententiam tum à motu, tum à puluere afficeretur: quæ res cum uero repugnet, illorum erit opinio abſurda, qui ceram calorem colliquefacientem capere non poſſe, ob uiſcoſitatem paruam paruúmque eius humorem reſponderent, eadem de plumbo eſſent affirmanda, quod minus quam cæra humidum eſt, hoc tamen calorem adeo intenſum aiunt concipere, ut carnem ualeat adurere, quod ueritati quidem repugnat, tantum enim in ſe plumbum calorem retinere non poſſe ut carnem perurat, demonſtratum eſt: & ſi in corporis partes uim faciat, id motu ingenti & contuſione aget, quemadmodum etiam cærea glans, ab eodem inſtrumento iaculata. Ad hæc, licet ſecundum Ariſtotelem motus calefaciat, ita nonnunquam ut plumbum in hiſce ſagittis quæ feruntur liquefiat, hoc tamen rationem noſtram non ſubuertit, probátque globulos ſclopetarios comburere: quandoquidem plumbum quo ſagittæ muniuntur, in tenues laminas ac ueluti bracteas redactum eſt, ita ut ſine magno labore liquari poſsit: ſed globuli ſclopetarij craſsi ſolidique ſunt. Ad hæc cum ſagittæ hæ ſphæricam figuram non habeant, magíſque in ſcindendo aëre laborent, ſphæricæ autem figuræ ut Ariſtoteles quarto meteorologicorum ſcribit, per aërem facilius feruntur quam cæteræ, quocirca cum circumfuſum aërem difficilius findant ſagittæ, in motu ingentiorem calorem concipiunt, quod in globulis non fit, cum ſphærici ſint, & circumquaq; faciliter uoluuntur, & modo in hac, modo in illa parte calefactio, ſi quam ex motu acquiſiuerunt, circumſpirante uento extinguatur, & refrigeretur. cæterũ ſagittæ diutius in aëre, dum impelluntur, commorantur, quàm globuli, tum ob aſcenſum, & deſcenſum, ſi in altum eiaculentur, tum quia ad ſimpliciorem aërem poſſunt peruenire, quo igniri poſſunt: ſclopetarijs autem globulis hoc nõ accidit, neq; enim tam diu per aërem feruntur, neq; in altum mittuntur. Quare cum collimatum ſcopum pertigerint, plumbum non colliquari, neq; tantum incaleſcere poſſe ut inurere ualeat, credimus. Quocirca ſi neque ex bombardico puluere, ut de cærea ſphærula iam diximus, neque ex motu, ut probatum eſt, calorem concipiunt, te etiam atque etiam uellem cogitare, quomodo, ſi uniuerſus ſclopetarius puluis in ſclopeto comburitur, aut ſaltem parum extra ipſum, neque globulos ignis, aut accenſus puluis ad metam uſq;, in quam iaculantur, ſequatur (quæ ſolet ferè ſemper ducentis paſsibus diſtare) quomodo in eis calor erit? calefieri ergo nullo pacto uidentur poſſe. At aduerſarijs id quoq; fieri poſſe concedamus, quid tum? nonne à circũfuſo aere deinde refrigerarentur, ex quo abſurda ſatis, experimentoq; aduerſa res ſequeretur, in omnibus nimirum uulnerationibus à globulis illatis eſcharam non reperiri, maximè enim cœlo pluuioſo eiectos globulos, eſcharam non inducere, æquum eſſet, ſiquidem calor uel ex motu, uel ex bombardico puluere conceptus ab aëre, & pluuia refrigeraretur. ad diuerſum tamen nos experientia excitauit, quandoquidem in uulneribus omnibus, ſiue pluuioſo, ſiue ſudo, ſiue pruinoſo, ſiue niuoſo cœlo à ſphærulis iſtis plumbeis impoſitis, ſemper mortua illa caro, attritáque conſpicitur, quam iſti ἐσχάραν appellauère, quæ nullo modo ab igne, ſed à contuſione inducta eſt: Cæterum ſi globulos illos calorem capere ex ueloci duntaxat motu, & uiolentia ipſis globulis adhibita uelles, dicerem, neq; aliter crederem, ab aere frigido recenti, cui (dum fertur) ſemper occurrit, poſſe cœlo etiam ſereno extingui, quãquam in noſtra adhuc perſiſtamus ſententia, neque in ſuo motu tantum concipere calorem affirmamus, ut carnem

comburere ualeant. Si uerò ex uulgari illa opinione calorem manifeſtiſsimè percipi diceres, ſi eiaculatus globus ſtatim tangatur, qui parietem percuſſerit. Non tantum ob puluerem bombardicum, uel ob celerem motum, ſed ex aeris colliſione inter globulum & parietem, quæ denſa corpora ſunt, contractum fuiſſe calorem reſponderem, & hoc idem animaduerteretur, ſi manu ſaxum uel ferrum in parietem, aut aliud quod corpore ſit ſolido inijceretur, hoc tamen ſi in molle corpus iacularetur, non utique contingeret: quare globulis non tantum ineſſe calorem qui uſtionem facere poſsit, patet: in illis tamen aliquem in eſſe calorem cum Ariſtotele ſentimus, tantum autem ut corporis partes inurant, (quod noſtris placuit aduerſarijs) negamus: qui quamuis uulnera à globulis plumbeis inuſta eſſe affirment, cum circa uulnera ipſa ruborem ſequi uideant, inuſtarum tamen partium hoc ſolum eſſe proprium nolumus, quia in alijs quoque uulneribus, ſeu contuſionibus, ob ſanguinem tenuiorem, rubor, quem Græci ἐρυσιπέλας appellant, ſequi ſolet, qui quidem rubor, in contuſionibus potiſsimum euenit, cum à contundente re maior fiat dolor quam ab incidente, ut in his qui flagello, aut uirga, aut alia re ſolida cæſi fuêre, neque id temerè, ſiquidem facilius irritatus tenuior ſanguis in corpore exiſtens, ad particulam dolore affectam cõfluit, quemadmodum in corporis partibus ab ignita re ictis licet uidere. Proinde mirum non ſit, ſi in globulorum uulnerationibus rubor appareat, & dolor & grauitas ſentiat, ut abundè declaratum arbitror. Quod uerò ad nonam uſque diem uulnera ab ignita re facta increſcant, & augeantur, uulgaris opinio eſt, neque tamen ratione caret, quia eſcharam ab igne inductam nouem illis diebus abſcedit, ut plurimum ex puris generatione, & aduſtæ carnis putrefactione, uulgus, ex ignis natura, uulnera talia ad nonam uſq; diem augeri putauit, hoc tamen idem abſceſsione aliarum cruſtarum obſeruatur, quæ à rebus potentia cauſticis fiunt, quod ſi in iſtis uulneribus etiã apparet huiuſmodi augmentum & dilatatio ex putrefactione & abſceſsione contuſæ carnis, non ex ignis natura (cum nullam ignis uim ſenſerint) fieri dicemus.

An uulnera hæc ex puluere ueneno aliquo infecta ſint.

Habes igitur mi Ioannes uulnera à globulis illata aduſta non eſſe, neque etiam ullam ignis uim paſſa eſſe. Quapropter ut aduſta uulnera aut aliquo modo ab igne affecta non eſſe curanda, ſed tanquam ab atterente re & contundente facta, medicanda, ut dicemus. Adde etiam non ut ueneno infectis, medicinas eſſe faciendas, quamuis alij, præter contuſionem peruſtionémque, ueneno infecta eſſe aſſeuerant, fortaſſe ita rem ſe habere ex hoc adducti, quia facilè uulnera huiuſmodi depaſcentia ſerpentiáque fiunt. Verùm quantum errent, manifeſtum euadet, ſi ex quibus ſclopetarius puluis conſtet, dixerimus. Recipit enim ſulphur, nitrum, carbones ſalicum uel auellanarum, quorum nullum ſimplex uenenoſum eſt, ſiue illud, ut internis medearis morbis exhibeas, ſi ue ut externis medicinam facias affecto loco appoſueris, ut de ſulphure uidere licet, quod à Galeno in libro de ſimplicium medicamentorum facultate, ad innumeros morbos ſanandos maximè commendatur, ut ad ſcabiem & lepram tollendam, & ad quàm plurimos alios affectus fugandos, & ad uenenatorum quorundam morſus ſanandos: de eo enim ſic ſcribit, Sulphur omne trahendi uim poſsidet, eſtq; temperamenti calidi, atque eſſentiæ tenuis, adeò ut ad nulla uenenatorum animalium reſiſtat. Si per interius propinatur, deleteria natura caret, ut ex Dioſcoride libro quinto capite ſeptuageſimo tertio colligimus, ſic dicente. Prodeſt tuſsibus ſuſpiroſis, purulenta extuſsientibus, in ouo ſumptum, aut ſuffitum. Nitrum uerò noſtrum antiquorum authoritate carere ueneno non poſſum probare, niſi coniecturis quibuſdam: quoniam noſtrum nitrum, ex quo puluis ſclopetarius conſtat, arte paratum eſt, modóque diuerſo ab illo, quo antiquorum nitrum præparabatur: Antiquorum enim nitrum, modo ex efflorescentia terræ cuiuſdam, ut ſal in mineris ſupra terram, collige-

colligebatur, modo arte ex aqua Nili fluminis fiebat, quemadmodum de ſalis præparatione Plinius tradit, quo frequenter in arte medica utebatur. Noſtrum autem nitrum fit ex terra diu ſub tecto ſeruata, aut ex ſuum, uel ouium limo ſtercoréue, ſuperfundendo aquam per diem, quæ deinde nitroſitatem in ea terra contentam contrahat: præterea ad craſsitiem quandam huiuſmodi aqua decocta in nitri ſtirias uertitur mutaturq́ꝫ, ex quo ſclopetarius puluis cum prædictis rebus, conficitur. Sed nitrum quoquomodo paratum fuerit, nihil aliud eſt, quàm terræ nitroſitas quædam concreta, noſtro tempore in parietibus humidis nitrum eiuſmodi colligitur: utcunque tamen paretur, nitrum ſiue epotum ſiue extrinſecus admotum, facultatis eſt digerentis, uirtutisq́ꝫ medię inter ſalem, & aphronitrum ſecundum Gal. viij. & xj. de ſimp. med. fac. noſtrum autem nitrum uenenoſa ui præditum ſit nec ne, non liquet, nulla certe antiquorum authoritate uenenoſa ui præditum eſſe, poſſem affirmare. Verùm cum eodem modo quo antiquorum nitrum conficiatur, crederem nullo ueneno imbutum eſſe, & tutò ebibi poſſe, quemadmodum nonnulli, fidem adhibentes commentarijs in Meſ. à Monachis illis editis, impune medicamenta ex nitro confecta in magna copia ſumpſerunt, ex quo ſi epotum nitrum non nocet, corporis partibus admotum minus nocere credendum eſt, quoniam ſcabiei, & exulcerationibus cutis fortiter exiccando, ut ſal (cum maiori tamen ſtipticitate) medetur. Veneni autem uim carbonibus ſalicis, aut auellanæ ineſſe minus credendum eſt, mulieres eos in affectu picationis ſine periculo comedentes uidimus: Carbones quoque nos in quadam præparatione pillularum pro morbo Gallico, ut pulueris præcipitati colorem occultaremus, addidimus, tutóque exhibuimus. Si uerò externæ corporis parti admoueantur nocebunt minus, cum tantum exiccent abſque mordicatione, atque hoc in illis obſeruauimus, qui quandoque characteres, cruces, uel literas in brachio, uel in alia corporis parte, pingunt, acu uel ſtilo compungendo, & cuticulam perforando, carbones deinde in tenuiſsimum pollinem redactos loco ſuperponendo, & confricando, nullum tamen ueneni ueſtigium in perforata & compuncta cute apparet. Quod ſi ex admixtione nitri, ſulphuris, & ſalicis uel auellanę carbonum, uim quandam mediam ueneno non carentem produci diceres, ut de antidoti uirtute, in theriacæ qualitate contra uenenum dixit Andromachus, dicerem etiam puluerem iſtum ueneno præditum non eſſe, ſed uirtute tantum maximè exiccante, propter nitrum ſulphùrq́ꝫ cruſtam aliquam leuem inducentia, ut experiētia nos docuit: ſi enim ſerpentibus ulceribus, uenis, uel alijs partibus adduntur, inſigniter exiccant, exeſionem interficiendo, nullamq́ꝫ uenenoſitatem (ut ita loquar) relinquendo: & id facilius intelligetur in illis, in quorum faciem granula pulueris, dum nimis ſclopeti foramini, in quo primum puluis accenditur, admouent uultum, aut quouis modo alio, in faciem exiluerint, quæ adeò ibi figuntur integra, ut perpetuò, poſt ulcuſculi facti ab ipſis granulis percutientibus, & contundentibus conſolidationem, (niſi maxima adhibita fuerit diligentia) ibi nigredo appareat, ut pluribus in calce huius tractatus, de hoc agemus, curationémque huiuſmodi ulcuſculorum, quam hactenus deſideraviſti, ſcribemus, qualem (ut ſcis) illuſtri comiti Cornelio Bentiuolo iuueni ſtrenuiſsimo adhibuimus, in cuius faciem, ac ſiniſtri oculi adnatam, ſclopetarij pulueris granula multa Romæ, in illis ludis, de quibus paulò ante mentionem fecimus, proſiluerant, itáque carni infixa erant, cum nigredine non pauca, ut uiſu turpiſsimum eſſet: ei tamen ita medicinam fecimus, ut ne macula quidem, niſi in adnata oculi, cui medicamenta admouere ueritus ſum, relinqueretur: nullū tamen in hiſce ulcuſculis uenenū fuiſſe imbibitū, animaduertimus. Quapropter nunquam adducerer, ut crederem, puluerem ſclopetarium uenenatum eſſe, aut uulnus à globulis iſtis impoſitum, uenenum aliquod obbibiſſe, ſed malitiā

ſi qua dum exeunt præditi ſunt, (quod tamen falſum eſſe dicimus) exuere, tempore illo quo deferuntur. Quocirca uulnera hæc nullum hauſiſſe omninò uenenum, quamuis nonnunquam σφάκελον & exeſionem patiantur, affirmamus. Symptomata enim hæc, non à puluere, ſed à contuſa attritaq; & à mortua carne eueniunt, in qua humor à uulnere profluens imbibitur, qui cum copioſus exiſtat, & naturali calore careat, putreſcit, & proximas partes contingendo, eas corrumpit, atq; hæ rurſus proximas deinceps inficiunt, quemadmodum in ſphacelo, & phagedæna fieri uidemus, aut in maxima totius corporis cacochymia, maxima ſcilicet cauſarum, quæ incommodare ulceribus poſſunt, ut refert Galenus quarto meth. quo loco de cauſis omnibus pluribus uerbis diſſerit, quæ ulcera depaſcentia reddere poſſunt, quæ uel herpetas nominat, quando ſcilicet ſumma tantum cutis ab humore maligno exeditur, uel phagedænas, quando ſubiecta corrumpitur caro: atque hæc uulnera putrida & depaſcentia nonnulli etiam uocauêre, ut Galen. vj. aphor. xlv. ſcribit. Verùm uulnera à globulis plumbeis illata, depaſcentia facilius quàm cætera fiunt, ob attritam & contuſam illam carnem, & ob malorum ſuccorum uniuerſi corporis copiam, non quia, ut alijs placuit, uenenata ſint: Quod ſi ita ut ipſi aiunt eſſet, uulnera omnia à ſclopeticis globulis impoſita, putrida atque depaſcentia eſſe deberent, eſſéntque iſtorum uulnerum hæ propriæ differentiæ, cum tamen ulceris alicuius has proprias eſſe differentias, Galen. non placeat vj. aphoriſ. xxxxv. ſed compoſitas quaſdam paſsiones ex ulcere, & putredine: & etiam abſque putredine ulcera eſſe poſsint, ut idem aſſeruit tertio & quarto meth. ſed cum non omnia talia uulnera putrida depaſcentiaq; ſint, ueneno eſſe infecta, inficiandum eſt.

Habes igitur uulnera huiuſmodi nec ex puluere, nec aliunde uenenata eſſe, neque ignis uim & calorem ſenſiſſe, & proinde tanquam inuſta, curanda non eſſe: uerùm quomodo adhibenda curatio his ſit, nunc audies.

Vulnerum curatio à Sclopeto factorum.

VVlnera à globulis illata, quoniam uel in carnoſis partibus ſunt, uel in neruoſis, uel cum læſione oſsis alicuius, uel ſine læſione, uel carni, uel oſsi globuli ſoli infixi ſunt, uel cum ueſtimentorum parte, uel cum particula armaturæ ferreæ, aut cum hamis loricæ, erit igitur ab ipſo ſtatim initio diligenter animaduertendum, num uulnus ſimplex ſit, ſine contuſione & dolore, an cum fractura oſsis, an cum globulo ſolo, uel cum ueſtimenti parte, an cum armaturæ ferreæ laminula, an cum hamis loricæ, & ſimilium infixione (ut ita dicam) & morbi eſſentia ſtatuenda & abſoluenda, ut admonuit Galenus primo acut. com. iij. dicens: In primis quis nam ſit effectus dignoſcere oportet, deinde ipſius curatio- „
nem ita aggredi: Non enim eodem modo curari poſſunt omnia, ut à Galeno iij. „
art. medend. de ſimplicibus & compoſitis morbis proditum eſt longa oratione, quam in præſentia ſi recenſerem, ſuperfluè facerem. Fingamus itaque carnoſam particulam quampiam à plumbeo globulo ictam, uulnus cum contuſione accepiſſe, abſque rei alicuius in ipſo uulnere retentione, erit quidem iſtius morbi eſſentia continui ſolutio, contuſio, & dolor: Solutio continui & contuſio in carne fiet à globulo perforante & contundente, dolor deinde ſequetur ex carnis dilaniatione & attritu, à quibus omnibus tota curandi ratio ſumenda eſt. Veruntamen indicationes curatiuæ quæ ab his ſumuntur, ſibi aduerſari uidendentur, ſolutio enim continui conſolidationem & unionem indicant, quæ per exiccantia medicamenta abſoluetur, ſecundum Hippocratem libro de ulceribus. Contuſo autem uulneri, aut phlegmonoſo, concoquentia, ſeu pus mouentia conueniunt, ait enim adducto loco Hippoc. medendum eſt, ut quam celer- „
rimè ſuppuretur, neceſſe eſt enim carnes ſic contuſas putreſcere, ac in pus uerti, „
ut

[Margin notes: & 3. meth. — Carnoſæ partis uulnus. — & Gal. 3. art. med. & 3. met.]

ut dictum à Gal.fuit iij.& vij. meth. Vbi de uentriculi affectibus loquitur: Do-
lor uerò, medicamentis calida & humida qualitate præditis ſedari poſtulat,ſi-
cut à Gal.declaratur. vij. de comp. med. ſecundum genera, de aqua calida du-
cens exemplum, uerùm calida & humida qualitate prædita medicamenta ſolu
tioni continui aduerſantur, Gal.iij.meth.tamen ſi ſcopos ab ipſo propoſitos in
tuebimur, ab eo ſine quo non curatio erit inchoanda, cæteris tamen non negle-
ctis, uulnere nempe, contuſione, & phlegmone, uel quouis alio ſymptomate, ſi
aderit, uulnus tamen ipſum ab initio re uera eſſet curandum, quoniam ſolutio-
ni continui omni, cum ſit morbus in compoſitione, ut ait Gal.iij.art.med. con-
ſolidatio conuenit, propriaque ipſius eſt curatio: Quæ quidem continui ſolutio
ſi alicui præternaturali affectui coniuncta erit, eius curatio non ut ſimplicis uul
neris erit, ſed primum affectui uulneri coniuncto, deinde uulneri ipſi medebi-
mur: quandoquidem cum uulneri circumiacens caro contuſa ſit, & phlegmo-
ne utplurimum urgeatur, qui tumor eſt pręter naturam, fieri non poteſt, ut com
mode ſanetur uulnus, ſed multo maius potius reddetur, niſi loco in quo fuerit,
prius medicatus fueris. In propoſita igitur noſtra hypotheſi ſi contuſa attritaque
ſit caro, phlegmoneque urgeatur, nó conſolidabitur uulnus: neque etiam attritam
& contuſam carnem remouebimus, non ſedato prius dolore, ſi aliquis dolor ul
ceris locum infeſtet: Quapropter id, cui primum mederi debueramus (uulneri
nempe ipſi,) poſtremum curatur. Scopi itaque uulnerum curandorum à globulis
ſclopetarijs aut bombardicis acceptorum ſic erunt propoſiti, ut primo doloré
remittamus, ut etiam Auic.iiij.quar.cap.de uulnere cum dolore placuit, contu
ſione & uulnere interim non neglectis: deinde animum in ipſam contuſionem
defigemus: quibus remotis, & uulneris cauo carne repleto, ut ultimo declarabi
mus, operam dabimus ut uulnus conſolidetur, quod quidem facile deinde có-
ſequemur: Acçeptum uulnus à globulo bombardico ſeu ſclopetario, dignoſce
tur ex contuſione, uulneris figura, quæ circularis eſt, & parua, ex ægrotantis re-
latione, tumore inæquali, liuore carnis, & dolore graui, quem ſemper aliquod
ſanguinis profluuium ſequi ſolet, quod ſecundum Gal.meth.ſiſtendũ eſt, quan
do hoc neglecto, curari uulnus non poſſet: à quo etiam uulnere ſi parua ſangui-
nis copia deflueret, ob contuſionem ſanguinem ad partem aliam impellétem,
uel ob aliam cauſam fluorem ipſum ſanguinis impedientem, exploratis prius ę-
grotantis uiribus, frictione aliqua, uel leui caprificatione ſanguinem educes, ex
» Hippoc.ſententia, lib.de ulc.ita ſcribentis, omni uulneri recenter facto, niſi in
» uentre ſit, ex ipſo ſtatim plus, uel minus ſanguinis effluere expedit, & quæ ſequũ
» tur, hoc idem ex Hipp.decreto, admonet Gal.iiij.meth.ſic ſcribens, ſit enim, in-
» quit Hipp.effluente ſanguine, uulnus ſiccius, proinde ſanius. addit præterea &
» minus inflammatione infeſtatur: deinde, ſi nimis deflueret linteola, uel puluilli
in poſca (quæ ex aqua, & aceto componitur) madefacti apponãtur: uerum qm̃
neque acetum omne æque acre eſt, aquę admixtione ad temperiem quandam,
ita ut bibi poſsit, reducendum eſt, ut Gal.ij.ad Glauc.docet, uel puluilli aut lin
teola illa in oui albore cum ſale, immergi, & madefieri debent, ut Paul. lib.6.ca.
de palpebrarum affectibus, admonet, quod medicamentum, iſtis præſertim uul
neribus, noſtro quidem iudicio, mirum in modum conducet, & ad attritam, &
mortuam illam carnem exiccandam, quam iſti eſcharam uocauerunt, conferet:
nec uerendus eſt dolor, quippe huiuſmodi medicamentum, parum uulnera il-
la mordet, ob carnem emortuam contuſam & ſenſu deſtitutam: non tamen, ut
linteola hoc medicamento imbuta uulneris fundum tangerent ullo modo ſua
derem, cum uniuerſum uulnus carne illa attrita æque circumdatum non ſit. fri-
gida etiam aqua linteola poſſes imbuere, ex Pau.ſententia, lib.6.cap.34. repellit
enim humores propter dolorem ad uulnus confluentes, fluxumque ſaguinis ſi-
ſtit. Cęterum ſi maximum eſſet ſanguinis profluuium, oui albori & ſali pulueres

Et ab Hipp. li. de frac. cranei. & Ga. 5. de sim. med. fac. & 4. 6. 12. 13. meth. calida & humida medicamẽta ſolutiõi cõtinui aduerſantur.

Vnde curatio inchoanda.

Et lib. de cau. morb.

Quibus notis vulnus acceptũ à globulis ſclopetarijs dignoſcatur.

Et Cæl. lib. 5. cap 26.

Siſtentia fluxũ ſanguinis.

Oui albumen vulnerib' cõtuſis maximè commodum.

t

aliquos emplaſticos poſſes addere,ut bolumarmenam,thus,aloen, & conſimilia,de quibus Gal.v. meth. ſcribit.quæ inde ſi libet deſumere poteris. Vulnere deinde uniuerſo linteolum uel puluillum, in antedicto medicamento,cui aliquid roſacei olei,admiſtum ſit ſuperpones,tum ut dolor leuetur, tum ut fluxio humorum,qui facile ad uulnus propter contuſionem defluerent,,impediatur, ex Gal.decreto iij.art.med.ſic ſcribentis. Fluentes humores repellendi,qui au- »
tem fluxere,diſcutiendi. Verum quoniam omnes uulnerationes tam contundẽ- u
do quã cædendo illatæ,penicillis ex linteolis, uel ex rebus alijs cõceptis(quos Barbari turundas & tentas)græci autem τὰ ἵμμοτα appellãt,ideo ne claudantur, uel ut aperiantur magis,uel ut mundentur, & detergantur,uel ut pus,& ἰχὼρ id est ſanies defluant, uel ut medicamenta commode in uulnus ipſum immittantur,uel ob alias multas cauſas, quas nunc recenſere moleſtum eſſet, conſtipari ad fundum uſquè ſolent,aduertendum etiam atquè etiam eſt(quamuis nonnulli ſint,qui laqueum ab utraque parte,ſi membrum proforatum ſit,uulneri inſerant)ne hoc in hiſce uulneribus faciamus,tum ob ingentem contuſionem,quæ cauſa eſt,ut attrita caro illa ex uulnere excidat,tum ob maximum,& uehementiſsimum dolorem qui accitur,dum laqueus intromittitur,& in uulnere retinetur.Quapropter nullum uel paruũ admodum peniculum primis ſaltem diebus imponimus,et tantæ duntaxat longitudinis craſsitudiniſquè,ut ne uulnus claudatur,poſsit prohibere, quo aptè ex uulnere pus effluat: Nequè uulneris interioris conglutinatio uerenda erit,ſiquidem tanta attritio & contuſio carnis in toto uulnere eſt,ut nullo modo conſolidari poſsit, niſi poſt cõtuſæ & attritæ illius carnis putrefactionem,& ablationem,& nouæ carnis generationẽ: aliquid tamen ex prædictis medicaminibus aperto ori uulneris poteris inſtillare.fugies què magnorum & longorum penicillorum & laqueorũ inſertiones, præcipue ne dolor ex his excitetur, cum pauloante monſtrauerimus, & ex Gal.placitis probauerimus, in iſtorum uulnerum curatione primam indicationẽ à doloris ſedatione ſumi,qui non mediocris cõmoueretur, cũ maximo ægrotantis incõmodo,ſi penicilli craſsi, & longi ad fundũ uſq; uulneris,uel laquei imponerentur,tantus enim in iſtis uulneribus ſenſus eſt,ut uix dolori,qui ex penicillorum & laqueorum contactu efficeretur, æger reſiſteret,quamuis in mẽbro carnoſo admodũ,huiuſmodi uulnera excepta eſſent. Vſus igitur peniculorũ uniuerſum uulnus conſtipantiũ,primis ſaltẽ diebus intercidat, quibus neq; carnis generatione,nequè ulceris abſterſione,ſed doloris mitigatione,& attritæ carnis putrefactione indigemus. Cum uero in uulnere ſalutem aliquam,& ſecuritatem cognoueris,pro ut res ſuadebit,penicillos uulneri impones. Peniculos itaquè ex ſtuppa probe pexa,& ſordibus omnibus carẽte,modo minores,modo craſsiores,modo longiores pro uulneris latitudine, & profunditate concipies, quos medicaminibus, de quibus iam egimus, illitos uulneri leuiter,ne exacerbetur dolor inſeres, uel exiguum medicamenti illius ori uulneris, quod primis quidem diebus hiat,ac patet inſtillabis.His peractis linteolum,uel puluillum ex eadem ſtuppa(ut dictum eſt)eodem medicamẽto imbutum,& illitum uulneri ſuperpones,faſciolaquè lata,& longa, & apta,perinde ac mẽbri uulnerati magnitudo exiget,uulnus obligabis,ut Cel.docuit lib.vi. cap. xxvj cuius uerba nõ eſt quod in præſentia adducam, uel declarem, cum tu ſepius uulneribus,ſecundũ eius decreta mederi me uideris, ac tu quæ ab ipſo ſcribuntur per te diſcere poſsis,nequè etiã hic locus omnia ad omniũ ulcerũ curationem ſpectantia, recenſeri expoſtulat,& nunc uulnerum à ſclopetorum globulis acceptorum, atque eorum ſymptomatum curationem, de qua nemo antehac (quod ſciam) quod ſatis ſit ſcripſit,perſequi ſtatuerimus.Obligato itaquè uulnere ægro ad ſequentem uſque diem quietem imparabis,membro primum in quo uulnus eſt in aptiſsima figura ne dolore infeſtetur compoſito. operam dando quoad eius fieri

peniculi in fundũ vulneris mittendi non ſunt tum quales & quæ eſſe debeant primis dieb.

ex quibus peniculi fieri debeant.

& Gal. in lib. de his quæ in med. fiunt & in lib. de faſ.

poſt ligaturã quid agendũ.

» ripoteſt, ut interim ab inflammatione uulnus tuearis, ut in lib. de artic. his uer-
» bis admonuit Galenus ſtudendum enim ut contuſiones præcipuè quidem ab
» inflammatione conſeruemus, & ſi inflammantur, ut quàm citiſsime inflammationem finiamus, atque etiam Auicen. ter. pri. cap. xxviij. admonet ut in contuſionibus, quantum in nobis eſt dolorem leuemus, & à membro materiam arceamus. Ad hunc finem propoſitum multis modis peruenire poteris, ſanguinis miſsione, clyſteribus, purgationibus, ligaturis, frictionibus, quiete, diæta, et repellentibus medicinis uulneris circumiacentibus partibus admotis: de quibus inferius obiter agemus. Melius tamen conſuleres, eodem tempore nulla ratione diei aut noctis habita, ſi reuulſionis gratia uenam ſecares, ut præcepit Galenus in lib. de cur. rat. per ſag. miſ. cum humores continuè ad uulnus confluāt, ipſéque dolor humores tanquam cucurbitula, ut à Galeno v. meth. dictum eſt trahat. illud tamen ſemper memoriæ retineri uellem, ut ſanguinis illa miſsio, cibis in uentriculo concoctis, & eſt excrementorum deiectionem fieret, ut in lib. de ſanguinis miſsione admonet Galenus, & ſi ſponte aluus non deijciat leui aliquo & blando clyſtere ſubducenda excrementa ſunt, iuxta Pauli ſententiam lib. vi. cad. de ſec. uenæ, niſi forte morbi uis & doloris uehementia urgerent, tunc enim ſtatim ſanguis mittendus eſſet, quando nullum præſtantius remedium ſit, quam ipſa ſanguinis miſsio ad dolorem leuandum, ut Galeno placuit. p. aph. xxiij. quia tunc non extra rem eſſet, uenam prius ſecare, deinde clyſtere aluum. purgare, ut iiij. de rat. uic. in acu. admonuit Hipp. nāque ſi hoc negligeretur, uel ſerius quàm par ſit clyſtere aluum purgaremus, fortè tum dolor, tum humorum defluxus, uel abſceſſus alicuius, uel maioris inflāmationis præcipuæ cauſæ eſſét. Secetur igitur prius uena, ſi ita res ſuadebit Gal. præceptis in lib. de cur. rat. per ſang. miſſ. et licet in uulnere, aut cōtuſione nulla inflammatio aut nullus magnus morbus ſit, ſanguinis miſsio omitti non debet hac enim magni morbi futuri, et inflammationis impendens periculum propulſabimus. Auicen. teſtimonio quar. quar. quod qui magnis iſtis affecti ſunt uulneribus ſæpenumero ſubeunt, hoc idem quar. p. ſcribebat his uerbis, de melio-
» ribus cum quibus intendimus curationem uulnerum, & prohibitionem apo-
» ſtematis. & c. & li. de frac. dicebat Gal. caue ante omnia ne fiat inflammatio, licet corpus non ſit plethoricum, dummodo futuri magni morbi immineat periculum, & in lib. de ſec. uenæ addebat: at uero non ſolum ubi adeſt plenitudo, ſiue ea ad uires referatur ſiue ad humorum infuſionem, mirificè prodeſt ue-, næſectio, uerum etiam citra plenitudinem inflammationi incipienti, aut exitu, aut dolore, aut partium debilitate, dolor enim ſanguinem ad ſe trahit, et partibus debilitatis inflammationem, etiam ſi non in corpore plenitudo ſit, procreat, et in lib. de art. ait, etiam exiſtēte contuſione, uel uulnere paruo confert, & c. Facta excrementorū euacuatione, ſiue ſpontanea, ſiue per clyſteres, uenam ſecari præcipies, ſex uel octo uncias ſanguinis, aut decem mittendo, pro laborantis robore, conſuetudine, ætate, regione, & anni conſtitutione. Quæ quidē ſanguinis miſsio, ſi primis diebus medicorum imperitia omiſſa fuiſſet, tertia, uel quarta, uel quinta die, modo humores in motu adhuc ſint, & fluere poſsint, ſecāda uena eſt, dierum enim in ſanguinis miſsione, ratio non habetur, Gal. in. lib. de cur. rat. per ſang. miſſ. ſic ſcribente. quocunque enim die ſanguinis mittendi ſcopum inueneris, in eo auxilium adhibendum eſt, & ſi uel uigeſimus is ab initio extiterit, iccirco vena ſecabitur. quod cum gratia reuulſionis in vulneribus fiat, ſecundum Gal. v. meth. miſsionem ſanguinis bipartiri magis mihi placeret, ut idem Gal. in lib. de cur. rat. per ſang. miſſ. cenſuit, prima die igitur partem unā ſanguinis detrahes, ſequēti die alterā. hoc enī facto ipſo etiā Gal. teſte maior fit reuulſio, quam ſolam in uulneribus iſtis ſpectamus, quam ſi eodem tempore vnica fieret ſanguinis miſsio: uerum quoniā in omni morbo minimè ſemper ea-

Quibus dolor remitti poſſit.

Primo die reuulſionis gratia uena ſecāda & ad dolorem leuandum.

Poſt coctionem in uentriculo factā & poſt excremētorum deiectionem facienda miſsio ſanguinis.

&. 9. meth. clyſter ſanguinis miſsionē præcedit. & Aui 4. p. Auēz. 3. de feb.

Ad dolorē leuādū ſanguinis miſsio præſtantiſsimum eſt remedium.

Et in lib. de ple. lib. de ſec. uenæ. & 4. meth. de ſang. mittendo.

In ſang. miſſ. dierum ratio non habetur

Sang. miſsio ſi partitur maior ſit reuulſio,

Quæ ſit uena ſecanda.

Quæ ſit uena ſecanda.

Capitis uena rariſsime à iugulari oritur.

dem uena ſecanda eſt, proinde quæ ſecanda uena ſit, animaduertendum. Quippe ſi morbus uel plaga ſupra collum in parte aliqua ſit, humerariam uenam, quam alij capitis uenam appellant, ſecabis., quamuis ea non ſemper ſed rariſsime à iugulari uena oriatur, ut ex anatome diſces, quamuis Veſalius aliter, & alij authores ſcripſerint, nos tamen ſecus rem ſe habere docebimus, oſtendemúsque ſi in affectibus ſupra collum inciditur, prodeſſe ob fibrarum rectitudinem, non quia à iugulari uena originem ducat: ſi uero à collo uſque ad ſectũ tranſuerſum, quod διάφραγμα dicitur affectio ſit, axillarẽ ſeu iecorariam diſſecabis ſi infra ſeptum tranſuerſum morbus ſit, uenam poplitis uel malleoli ſcindes, ut ſcripſit Gal. in libr. de cur. rat. per ſang. miſſ. ubi in antiquos inuehitur, qui indiſcriminatim uenas ſecabant. Aliud tamen dignum animaduerſione occurrit, quod fideliter memoriæ etiam mandabis, morbo ſupra collum exiſtente, ſi plethoricum fuerit corpus, in morbi principio, humerariam uenam ſecare non licere, ſed ut plenitudinem minuamus, ne ad caput ſanguis feratur, iecoraria incidenda uena eſt, deinde ut reuellas ab humeraria ſanguinẽ detrahes, & ſi infra ſeptum tranſuerſum effectus ſit, adſitque plenitudo, non ex poplite prius ſanguinem mittes, ſed ab axillari primum, deinde ex poplite ſanguinem educes, ut eodem loco fuit Galen. opinio, in quam etiam autor de renum affectibus, & Auic. iure. Sed quoniam inter præſtantes alioquin medicos tanta eſt diſſenſio, utrum in eodem, an in oppoſito latere uena incidenda ſit, paucis uerbis quid de re hac ſentiam, de qua adhuc tanta inter medicos eſt diſcordia, abſoluam, & alias (ijs bene fauentibus) in commentarijs noſtris in vi. lib. Pau. exactius, & longiori oratione hoc perſequemur. In præſentia autem ſolum quantum ad propoſitum attinet, afferam, dicamq́ non uno & eodẽ modo, & morbis ab internis cauſis ſeu præcedentibus ortis, quorum cauſa humorum corruptio, uel multitudo eſt, & his quibus ob externas cauſas, uel procatarcticas, corpora præſertim ſana urgentur, medicandum eſſe. In omnibus igitur uulneribus et plagis, ut ab aduerſo latere ſanguis detraheretur, cõſulerem, quia & in oppoſitam partem reuellitur ſanguis, & ad uulnus humorum fluxus impeditur. quod à Gal. in lib. de cur. rat. per ſang. miſſ. his uerbis animaduerſum eſt. in fluentibus humoribus oportet reuellere, ſed ex qua parte melior mo »
liatur reuulſio, idem iij. art. med. lxxxxix. his uerbis admonuit, at attrahendi ex »
omni parte & loco ad oppoſitas partes communis eſt indicatio, ad quam maxi »
me diſtantia, deriuatio uero ad uicina & c. Præcepto itaq́ Gal. partis aduerſæ »
uena, tanquam quæ à uulnere plurimum diſtet, incidenda eſt, ratióque rei huic ſubſcribit, quoniam omnis noſtra mens, & conſilium eſt, ut humores reuellamus, eorúmque fluxum ad particulam corporis læſam, intercipiamus, ſed reuulſio cum à remotiori parte fiat ut Galen. iiij. meth. ex aduerſo latere iccirco uenam ut reuellamus, incidimus, neque etiam in hac re Galen. authoritatem deſideramus, iiij. meth. ſic dicentis: Quando maxime influunt humores, tunc ad contraria reuellere oportet. Idem ſenſit Gal. lib. de cur. rat. per ſang. miſſ. eòque magis in hanc trahor ſententiam, quando nos etiam præſeruationis cauſa, in iſtis affectibus ſanguinem mittimus: cum Galen. uideam, & Pau. libro. vi. capit. de ſang. miſſ. in perſeueratione axpoplexiæ, pedis uenam, tanquam ab affecto loco magis remotam, incidere. Secta proinde, ut diximus, in aduerſo latere uena, uictus ratio inſtituenda eſt, & ea quidem tenuis, ſi quidem inflammationi inceptæ, aut inflammationis impẽdenti periculo uictus „
tenuis potiſsimum occurrit, & aduerſatur. quod à Galen. in lib. de cur. rat. per „
ſang. miſſ. proditum eſt, qui ſic ſcribit: uerum quod principatus, ac ueluti ſum- „
ma curationis, non lippientibus modo, ſed in omnibus ferè affectibus alijs, etiã „
in accurato uictu potiſsimum conſiſtere, neminem latere opinor. & in libro de „
miſſ. ſang. aduerſus Eraſiſtratum ſic etiam ſcribit: circa initia ægritudinum, „
ac

Corpore plethorico exiſtẽte, ſi affectio ſupra collum fuerit humeraria nõ incidenda uena eſt.

A quo latere uena ſecanda ſit.

Et 5 meth. in principio ſcribit.

Et 2. de Glauc.

Victus ratio.

ac inflammationum generationis, omnis ciborum ſorbitionúmque à dicto prorſus exhibitio ſubtrahenda eſt. & Auic. aſſerit tantum ſolum cibi exhibendum, ut æger ſufficiat, & perduret. cui ſententiæ Gal. cæteríque locupletes authores ſuffragati ſunt ægrum itaque ferculo ex pane confecto, quod panatellam uocant, cui molopeponis ſemina uel ſaccharũ, uel ptiſana hordeacea optime parata, aut ferculis ex boragine, uel lactuca, uel intybo, & ſimilibus, hora conſueta nutries (niſi aliquod ſymptoma obſtet) ut conſuetudinem retineas, iuxta Gal. ſententiam xi. meth. cibúmque deduces, & augebis, prout morbus conſulet, & pro qualitate exercitiorum ægrotantis, quando ciborum minor quantitas quieſcentibus, quam his qui ambulant, concedatur ab Hipp. lib. de artic. quieſcentibus inquit tenuior uictus exhibendus. Verum à uino arcendi ſunt ut. iiij. meth. aduertit Gal. ubi de uino mẽtionem facit, inquit enim non latet autem & de uini uſu quod cauendum eſt, ubi phlegmonis ſuſpicio adeſt, aliâs dari nihil uetat, ſed quoniam in huiuſmodi uulneribus maximopere ne inflammatio fiat, ueremur, ideo uinum exhibendum non eſt, ut docuit Hippoc. lib. de uul. ſic ſcribens: parum comedere, & aquam potare in omnibus uulneribus, & ulceribus, maxime confert, & magis recentibus, quàm uetuſtis, ut Cæl. & alij grauiſsimi authores prodidêre. exhibebis etiam decoctam aquam per totum ſaltem tempus illud, quo inflammationis impendeat periculum, & eam uel ſimplicem, uel cum uino granatorum iuxta Auic. p. iij. cap. xxvi. reprimit enim feruorem bilis. poteris etiam mulſam porrigere, qua Galenus. iij. de frac. utebatur, tu tamen mellis loco, ut ſuauior ad potandum aqua ſit, ſaccharum poſſes admiſcere: ſimplex quippe aqua neruis inimica eſt, ut adducto loco ſcripſit Gal. Neque hoc loco opinioni dicentium dulcia in bilem conuerti, ac cedas, ſiquidem hoc uerum perpetuo non eſt, idque multis medicæ artis ſtudioſis in quodam meo tractatu demonſtrauiſſe me, non ignoras. In cibis offerẽdis ſemper aliquid ætati, & conſuetudini condonabis, non enim omnibus eadem conuenit diæta, & prodeſt, quẽadmodum empiricis placebat. ægrotis inſuper quietem impera, quia in lib. de ſpiran. diff. ſcribit Gal. quicquid phlegmone obſidetur, id exquiſitam integrámque expoſtulat requiem: & licet in uulneribus iſtis ſemper phlegmone non adſit, tamen quoniam periculum phlegmones impendet, ægrum quieſcere iubebis, quia motum uulneribus non conducere, ſcripſit Hipp. in lib. de ulc. uniuerſum quoque corpus medicamento humorem peccantem adducere purgabis, ſiquidem ſcripſit Auic. iiij. primi, oportet cum miſsione ſanguinis, & euacuatione uentris prohibere apoſtema, huic ſententiæ ſuffragatur Gal. iiij. de comp. med. ſecundum genera, ſcribens, nonnullis ſiquidem uel purgatio ſola ſufficit, quibuſdã ſanguinis detractio, alijs utraque hæc adhibere profuerit, & iiij. meth. ex Hipp. ſententia in lib. de ulc. ſic ſcripſit. Purgatio per aluum pleriſque ulcerum prodeſt, præterea uulneribus quæ in capite ſunt accepta, item in uentre, & articulis. Manifeſtum igitur in omnibus uulneribus, omnium cenſenſu purgandum corpus eſſe. Non ab re igitur etiam fuerit in iſtis uulneribus medicamento aliquo corpus purgare, morbi ratione habita, & aliorum quæ ab Hipp. cum de his quos purgare oportet, loquitur, præſcribuntur, & primis quidem diebus hæc facienda ſunt, neque ſeptima, aut alia dies pro humorum præparatione, & coctione (ut nonnulli faciunt) expectãda eſt, quia hoc ſolum faciendum eſſet, ſi tantum euacuandi eſſet animus, ſed cum reuellere uelimus, nulláque in corpore adſit cacochymia, primis dieb. purgandum eſt, ut aliâs fuſius declarabimus, & ut etiam Gal. iiij. meth. ſcripſit, Velu ti ſanguinem mittimus in uulneratis, non exiſtente plenitudine, nec quoad uires, nec quoad uaſa, ita etiam in illis nulla exiſtente cacochymia corpus purgamus, ad eundem modum nec purgatio in ſola uitioſi ſucci abundantia conuenienter ſuſcipitur, ſed ſicut in miſsione ſanguinis, uel propter ipſius abundan-

Iſtis uulnerib. vinũ minime conuenire.

Et 3. de rat. vic. in acu.

AEgrotantib. quies ſuadetur.

Et lib. de art.

Purgatio an conueniat.

tiam, uel propter morbi magnitudinem, ita purgatio & propter abundanti- »
am alterius ſucci, & propter uim morbi adhibetur, ut ad diuerſum trahat, & e- »

Frictiones vtiles eſſe.

uacuet, quæ mirum inmodum proderunt ægrotantibus. Quibus & ſi opus erit
poteris addere frictiones, & ligaturas, humores in contrariam partem trahen-
tes, præcepto Galen. in lib. de cur. per ſang. miſſ. Ad hæc ne etiam è memoria ex
cidat primis diebus affecto membro repellens medicamen, ut Galenus. iiij.
de comp. med. ſecundum genera, ait, admouere, ſcribit enim Duo ſunt ſcopi »
in ulcere, unus ad id, quod influit, alter ad id quod fluxum eſt, ad primum, quæ »

Reppellentia quantum præſtent circa uulnera.

repellunt & c. quia dum membrum dolore afficitur, ad illud humores fluunt,
ideo repellente utimur medicina. Quapropter Galen. v. aph. lxvi. in fine com-
menti ſic de ulceribus in quibus adeſt dolor, ſcribit, & hoc multis præſertim fie
ri uulneribus exiſtimandum eſt, in quibus adeſt quidem dolor, & propter ip-
ſum omnino aliquid influit, à medicis autem reprimitur ualde infrigidantibus,
aut adſtringentibus medicamentis. & in libro de compoſi. ſecundum gen.
ait, in principio medicamenta repellentia proſunt ulceribus, ne phlegmone

Repellentium qualitas qualis eſſe debeat.

corripiantur, idque ſubinde in eo libro repetit. Sed quibus qualitatibus repel-
lentia medicamenta prædita eſſe debeant, iam dictum eſt, frigida nempe, & ad-
ſtringente: atque ea duplicia ſunt, ut ait Galenus iiij. de artic. alia quippe humi-
da, alia ſtiptica: quæ humida ſunt penetrant magis, & quandóque non ſolum

Et 9. de comp. med. ſec. loc. & in lib. de ſimp. med. fac.

ſtatim membrum refrigerant, ſed illi maiorem ſæpe quam par ſit ſtuporem in-
ducunt, ut aqua pura, ſuccus papaueris, ſuccus mandragoræ, & ſimilium, qui-

Alterum genus repellentium medicamentorum.

bus reuera non egemus, quamuis æſtiuo tempore eis quandoque utamur, ut
ait Galenus. iiij. de comp. med. ſec. gen. Alterum genus ſtipticum eſt, & terreum
magis, ut loco quem adduximus, iam dictum eſt, quod magis ad humorum flu-

Stiptica magis fluxum humorum intercipiunt.

xum intercipiendum idoneum uidetur, ut Galen. iiij. de artic. ſic ſcripſit. ex his
autem ipſis cum duplicia ſint, ut didicimus, quæ poſſunt adſtringere efficacio-
rem uim obtinent, quibus quod influit citius repellatur, debent ergo iſta eſſe fri

Et 6. de cõp. med. ſec. loc.

gida, & ſtiptica, quemadmodum illa quæ ſanguinis fluxum, ſiſtunt, ut ait Gal. v.

Sang. fluxum ſiſtentia frigida, & ſtiptica eſſe debent.

meth. frigus enim ſanguinem, & ſanguini admixtos humores congelando, &
denſando ſiſtit, ut admonuit Gal. ubi de his frigidis uerba facit: ineſt autem me-
dicinis huiuſmodi frigidis uis contrahendi, denſandíque corporis ſuperficiem,

Et 2 ad Glau. Et. 3. meth.

cui admouentur, deinde ſtipticitas affectæ particulæ robur addere ualens, Gal.

Stiptica cõroborant.

iij. art. med. lxxxxv. cum ſtipticorum ſit corroborare & confirmare, his igitur
ad perfectam uſquè uulneris conſolidationem uteris (licet recentiores ad ſepti

Ad vulnus ſemper humores poſſunt fluere.

mam uſqué ſolum illis utantur) quia Gal. in lib. de frac. ſcribit humores ſemper
ad uulnus fluere poſſe. quocirca repellentibus his medicinis in formam unguē-
ti redactis, membrum affectum in latitudine quatuor digitorum illines, uel pul
uillos auſtero uino & craſſo uel poſca imbutos admouebis, cur autē craſſum
eſſe uinum debeat. ij. de fract. à Gal. dictū fuit. Alio etiā medicamento, cuius
deſcriptionem, & multarum etiam aliarum medicinarum in calce huius tracta-

In. 2. inuiſione quid faciē-dum.

tus habebis, uti poteris. Sequenti præterea die, cum ægrum inuiſes, puluillos il-
los, & penecillos quos priore die uulneri impoſueras, aut admoueras, remoue-
bis, qui ſi propter oui alborem tenaciter uulneri, & pilis qui circa uulnus ſunt

Quibus puluilli tenaciter uulnera adhærentes remouemur.

adhæſerint, eos poſca tepida, uel uino auſtero etiam tepido, ne dolor cōmoueа
tur, emollies, quibus remotis leuiter, ne ægroto dolorem des, qui deinde flu-
xum humorum irritaret, linteolo aliquo molli, nitido, puróque, ac ſicco uul-
neris ſaniem purgabis, ut Galenus docuit iiij. de compoſi. med. ſec. gen. de ulce

Panno aſpero ſaniē uulneri maxime adhærētē abſtergebat Auic.

re loquens, ac circumquaque leuiter etiā uulnus comprimes, & ſanguinē colle
ctū, aut pus in fundo uulneris blandiſsime linteolis mollibus euacuabis, quod
etiam in lib. de ulc. animaduertit Hippoc. quãuis Auic. iij. iiij. cap. xxviij. aſpero
panno detergendū uulnus dicat. ſed ipſe pāno huiuſmodi utebatur, quotieſcū-
que ſanies maxime uulneri īpacta erat, quæ abſterſione maxima egebat, cauéq́;

uulneris repleri carne poſtulabat,hoc autem tempore panno tali non eſt opus,
propter ſenſum maximum,quo præditum eſt uulnus,et cum ſolum opera dāda
ſit ut dolor leuetur,& inflammatio arceatur. Quin me conſulente primis dieb.
Primis diebus parū uulnera abſtergenda.
parum abſterges,tum ut ne dolorem refrices,tum etiam quia hoc tempore mul
ta carnis generatione non egemus. Huc ſi intenderis animum nō parum id pro
deſſe ægris reperies,cum bis ſingulis diebus doloris exacerbatio,quæ abſtergē
do accitur,uitetur. Atque hoc in eos qui ſe practicos nōminari uolūt dictū ſit,
qui bis ſingulis diebus uel inſcitia, uel ut diligentiores habeantur,præter ratio-
nem ſæpe goſſapino,& rebus aſperis, nō citra dolorē uulnera abſtergunt, & æ-
gris,dum diebus ſingulis bis hoc modo medentur,cum dolorem irritent,inflā-
mationis ut plurimum ſunt cauſa, quemadmodum experientia nos docuit,li-
cet hæc res parui momenti quibuſdam uideatur. Tu autem quàm poteris blan-
Bladiſsime uulnere affecta membra contrectanda.
diſsime uulnere affecta membra contrectabis,atq; ita ſi fieri poſſet,ut ne dormi-
entes quidem ægri à ſommo excitentur.& ſi commode linteolo uulnus abſter-
gere non poſſes, bombice id aſſequeris. Poſt hæc guttam feruentem noſtri olei
præſtantiſsimi,quod intentiones omnes iſtarum contuſionum reſpicit, ori uul
neris inſtillabis,ne contuſa & attrita illa caro,quæ cum ſupra modum humoris
plena ſit facile putreſcit, contagione ſua proximam carnem non affectam cor-
rumpat,quam ſi aliquo candenti ferro totā in ſuprema uulneris parte optime
Supremā uulneris partem ferro ignito exiccare prodeſt.
etiam exiccares,non ab rè eſſet, uerum cum ægrorum omnium non una ſit di-
ſpoſitio,nequè omnes æque aduſtionem patiantur, quemadmodum etiā ſcrip-
ſit Galen.iiij.meth.de nonnullis,qui diuturnum potius morbum ſine ſectione,
Non omnib. una eſt diſpoſitio.
quàm breuem cum ſectione ferre malunt,ne etiam medicus inhumani & feri no
men ſubeat, primis diebus noſtri olei gutta feruens uulneri inſtillata ſufficiet,
exhauſto enim dolore,quem olei calor fecerat, qui ex contuſione etiam capie-
batur,dolor oleo iſto facultate concoquendi contuſionem,& doloris leuandi
prædito mitigabitur,cuius talis eſt compoſitio.

Recipe reſinæ abietinæ unc.v. olei roſacei completi unc. ij.ſem. hyperico-
Olei uulneribus contuſis ſalubris deſcriptio.
nis recentis,ſi haberi poſſunt dram.v.ſem.momordicæ dram.iij. modice teran
tur ipſa ſemina,& in uaſe duplici in oleis deſcriptis dimidium horæ bulliant, de
inde colentur,& ad uſum ſeruentur. oleum iſtud propter roſaceum dolorē,le-
uat, propter reſinæ abietinæ uiſcidam ſubſtantiam, & temperatam facultatem,
concoquit,& pus mouet,& propter ipſa ſemina uulnus reſpicit, atque hac ra-
tione leuatur dolor,contuſione & uulnere non neglectis,quemadmodū facien
dum eſſe ſupra probatum eſt, membrúmque propter roſarum facultatē robur
aſſumit. Cæterum linteolum in deſcripto oleo modice calido uulneri etiam ſu-
perpones,& proximas partes repellente medicamento oblines,ipſúmque uul-
nus deinceps faſcia obligabis,quietíque ægrum aliquot horas trades,dolorem
nullo modo interea reformidans.Fucatum fortè hoc noſtrum medicamentum
tibi uidebitur, abietinæ reſinæ per ſe facultate conſiderata, admiraberíſque cū
calidæ & ſiccæ facultatis Dios.& Gal. reſina ſit,quomodo concoquat:quomo
Reſina abietina calida, & ſicca.
do etiam roſaceum temperatæ,& ſemina ſiccæ facultatis prædita hoc præſtent,
atque ut ſemel dicam,ſi olei iſtius cōpoſitionē tecū reuolueris, medicamētum
ſiccæ potius quàm alterius uirtutis iudicabis:concoquit tamen, ut experientia
compertum habemus,neque tamen pus mouentia, ſeu concoquentia,aut co-
ctionem adiuuantia,ſi quis rationem ad examen reuocauerit,ſiccæ facultatis eſ
Qualia debeant eſſe medicamenta pus mouentia.
ſe debent.Principio enim pus excitantia temperata eſſe debent, ſecundū Auic.
quar.quarti cap.iij.noſtróque temperamento ſimilia,neque multum ad humi-
dum uergentia,ut iiij.meth.ait Galē.ubi habet,ſi puris generationem deſidera-
Et Gal. 5. de ſimp.med.fac.
mus,exiccātia nō ſunt admouenda, ex calido enim & humido fit puris genera-
tio,ut ex cataplaſmate, ex hordeacea farina & hydrelœo parato aut ex pane &

oleo,cui tamē aliqua ſit uiſcoſitas adiuncta,ſecundum Gal.v.de ſimp.med.fac. quæ carnis poros ualeat obſtruere, & calorem innatum,ne diffletur,prohibere,ut melius natura coctionem uel puris generationem operetur: calidæ præterea uirtutis moderatè ſuppurantia medicamenta eſſe debent, ut ſua tempera ta caliditate naturalis calor,qui perpetuo in putrefacti humoris ſeparatione,& in putredinem uertendo humorem illum qui putreſcere debet, & in aſsimilatione illius qui nutriturus eſt operatur,uires colligat,ut Gal.ſcribit viiij. de uſu par. ſcis quippe coctionem omnem à calore naturali fieri qui quandoque imbecillis eſt, & per halitum reſoluitur nimis, in corporibus præſertim uulneribus affectis,in quibus facilius innatus calor frangitur: quo circa medicus innatum calorem fouere,& medicamento aliquo temperatè calido ipſum alere debet,ut ibidem ſcribebat Gal.nec in lib.de conſt. art.med. tacuit,ubi de his agit quæ naturæ negantur,& quæ medicus ipſius naturæ miniſter ei ſufficit, addendo intra modum calefacientia,quæ quantum conferant ex his dijudicabis quæ à Galen. traduntur in lib. de ſim. med. fac. & v. aphor.xxij. ubi ſcribit,calidum ſuppuratorium cutim induratam mollit, craſſatam extenuat, dolorem ſedat, „ conuulſiones ac tetanos mitigat, non ſicuti frigidum dolorem inſuppurabilē „ efficit, eo quod ſi à natura noſtra alienum, quæ eſt calor natiuus, quem co augет ubi mediocriter adhæreſcit, calor itaque extrinſecus facit hæc omnia quæ „ iam dicta ſunt,nõnulla concoquens & ad melius alterans, quædam uero diſcu „ tiendo atq; euacuando noxia, ad ſanitatem perducit, quod ſi non ex toto ſa- „ nat,ſaltem dolores mitigat. Hæſitabis tamen adhuc,& noſtra medicamenta ſicca facultate prædita quomodo pus moueant, admiraberis, cum omnes artis medicæ authores calidæ & humidæ uirtutis ſuppurantia eſſe uoluerint: in hac re animum aduertas uelim, & rem à nullis antehac animaduerſam, aut tractatā (licet multi de his quæ pus moueant plurib. uerbis ſcripſerint) perpēderes. Nõ ab illis diſſentimus qui ſuppurantia calida & humida temperatè cum uiſcoſitate eſſe uolunt, multa tamen apud Galen. & apud recentiores ſcriptores pus in uulneribus mouentia medicamenta reperiri dicimus, ex calidis & ſiccis ſimplicib. medicinis cõpoſita, ex quorum admixtione calida & ſicca facultate præditū medicamētū effici uidetur, quod pus nihilomnius promptè mouet, quale apud Gal. eſt tetrapharmacū ex pice, colophonia cæra, adipe taurina et uitulina cõpoſitū,quorū omniū maior pars calidæ facultatis eſt,quemadmodum pix ipſa,quæ ſecundū caloris gradū excedit, quæ quãuis pinguedine,& alijs humidis poſsit tēperari,uim tamen ſuā cū alijs medicinis admixtā retinet,quæ medicinis abſceſſus ſuppurantibus ineſſe non ſolet. Medicam artem exercentes,in uulnerationibus terebinthina uel larice (quæ ut plurimū pro terebinthina non ſecus ac ætate Gal. uenundatur) utūtur, calidæ tamē facultatis & ſiccæ Gal.iiij. de cõp.med.ſec.gē.et alijs authorib. eſt: uitellus uero oui corpori admotus ſicca ui quoq; præditus uidetur, medicinas tamē huiuſmodi in uulnerationib. optimè pus mouere uidemus, neq; proinde calidæ & humidæ facultatis ſunt. Quo circa ut tādē quæ de ſuppurātib. medicinis noſtra ſit opinio dicamus, ſentimus medicamēta in abſceſsib. pus mouētia calida & humida facultate prædita eſſe debere, ſiquidem in affectibus his ſuppurationi duntaxat ſtudemus: in cõtuſionibus autem affectis uulneribus, alijsq; uulnerationibus uel ulceribus inflãmatione correptis, uariæ oriūtur medēdi indicationes, cõtuſio.n. coctionē, uulnus autē exiccationē indicat, quod ut uulnus exiccandū eſt, neq; negligēdū omnino ſi Gal.x.meth.credimus, in morborum igitur compoſitorū curatione prior curatio illi quod magis urget debetur, cæteris non neglectis, Galen.iij.meth. quapropter medicamenta uulneribus de his quibus agimus ſalutaria, ex his quæ calida & ſicca ſunt facultate conſtare debent: calore enim coctio adiuuatur, & uulneri ſiccitas medetur, calor quippe moderatus calorem innatū mēbri uulne

Coctio omnis à calore naturali fit.

Calor naturalis fouendus.

Monentia pus in uulneribus qualia eſſe debeant.

Pix ſecundum caloris gradū excedit.

Terebinthinæ vſus in uulneribus.

Terebi. calid. & ſicca.

Medicamenta in abſceſsibus pus mouentia in quo ab his quæ pus in uulnerib. mouent, differāt.

In uulneribus cõtuſis uel in flammatione correptis uariæ oriuntur indicationes.

In compoſitis morbis prior curatio ei quod magis vrget debetur.

Vulnerū med. his quæ calida & ſicca facultate moderata prædita.

uulnerati fouet, & auget, &proprius humor, qui ipſis medicamentis ineſt cum uiſcoſitate coctionem adiuuat, & puris generationem, prohibendo ne innatus calor diffletur, moderata uero ſiccitas uulneri ipſi occurrit. Nec inconueniens

Idem medicamẽtum diuerſos ſcopus reſpicere.

eſt idem medicamentũ duos reſpicere ſcopus ferè diuerſos, & multos uſus ſubire, quoniam hoc etiam in lib. de comp. med. ſec. gen. plurimis medicinis conceſsit Gal. quas πολυχρήσας id eſt ad multa utiles appellauit. Cæterùm cum in iſtis

πολύχρησαι medicinæ.

uulneribus duo ſpectentur, uulnus nempe & contuſio, quamuis prima indicatio ab ipſo ũulnere ſecundum Gal. ſumenda ſit, quod unionem indicat, quoniã tamen hoc medicinis aſſequi non poſſumus non ablata contuſione, ideo ſymptoma hoc remoueri poſtulat, principalemq́; curam ad ſe trahit, quia rationẽ eius ſine quo non, obtinet: quapropter tibi ne ſit mirum ſi diuerſis medicinis in uulnerum & abſceſſuum ſuppuratione utamur. Noſtrum proinde oleũ tum ob abietinam reſinam uiſcidam poros uulneris obſtruentem, prohibentémque innati caloris reſolutionem, & ob temperatum calorem ſuum naturalem calorem adiuuantem, & ob roſaceum oleũ pus mouens dolorémque leuans (oleũ

Oleum dolorem ſedat.

enim uulnerum dolorem ſedat, ut ait Gal. ii. de ſimp. med. fac. & poſt coctionẽ adhuc magis leuatur, eodem Gal. teſte vj. aphor. xxij) tũ ob ſeminũ illorum, & abietini olei ſiccitatem quæ uulnus reſpicit, & ea quæ à uulnere ſumitur indicatio, & ea quæ à contuſione capitur abſoluãtur, hæc ſi tecũ reuolues, nũquid his facultatibus præditis medicinis conuenienter in uulnerum contuſorum ſuppuratione utamur, & nunquid talia eſſe debeant, cognoſces, quæ non ſolum ſi uulneri inſtillaueris, uerũ etiã ſi eis uulnus oblìueris (quanquã abſurdũ hoc indoctis uidetur, qui ex hoc putre reddi uulnus arbitrantur) inconueniens nõ erit, ægroto itaque huiuſmodi medicinæ proderunt, et his citiſsimè ex Galen. de-

Et Hipp. in lib. de Vlc.

Vulneri dolẽti quæ conueniant medicamenta.

creto iiij. meth. pus mouebis, & inflammationẽ fugies, linteolo igitur oleo hoc tepido madefacto uulnus poteris obducere, aut emplaſtro ex triticea uel hordeacea farina cum hydrelæo, uel ex pane, & aqua, & oleo, uel ex althæa decocta cum roſaceo, uel ſimilibus, confecto, & ſi in illis uulneribus dolor adfuerit non mediocris, (ut ferè fit) ad fortiora emplaſtra, & ad anodyna confugies, ut ad em-

Emplaſtra quæ ſuper uulnus ponuntur leuia eſſe debent.

plaſtrum confectum ex pane in ouillo, uel uaccino lacte decocto, cui etiã ouorũ uitellos, & roſaceũ oleum poſſes miſcere, quod dolori, quemadmodũ cupimus, medebitur, coctioníque auxiliabitur, ut hæc tamẽ emplaſtra leuia ſint, ne partem affectã grauãtia dolorem excitent, quo deinde maior fieret inflãmatio,

Et in lib. quos quãdo & quibus med. purga. con.

curabis: quod Gal. ſcripſit v. de ſimp. med. fac. his probè adminiſtratis, natura quæ iã uires collegerit, primo concoquet, deinde ſecernet, ut iiij. aphor. xxij. di-

Coctio in uulnerib. fit per puris generationem.

xit Gal. & licet ibi de internis mentionẽ faciat, idẽ tamen de externis morbis intelligendũ, non enim minus coctio in uulnerationibus, ſiue ab incidente, ſiue à contundente refactis, per puris generationẽ expectatur, quã in naturali mor-

Et in lib. de oſſ.

bo perſputũ, & in uenarũ affectionibus per urinã, ut Gal. in lib. de morb. temp.

Vulnera non ſecus ac alij morbi, ſua habent tempora.

iſtis quoq; affectibus nõ ſecus ac alijs morbis ſua tẽpora ſunt, quib. natura bonum ſanguinẽ à corrupto ſecernit, pus expellendo, quod coctionis, quæ fit, excrementũ eſt: & qualis coctio ipſa fuerit, pus indicabit, ſi enim bona fuerit co-

Qualis ſit coctio pus indicat.

ctio pus albũ, lene, æquale, non fœtidũ, & copioſum iuxta uulneris magnitudinẽ apparebit, ueluti, apud Gal. legitur primo prog. in fine, quod naturã in puris

Puris laudabilis & illaudabilis notæ.

mutatione recte fuiſſe operatã arguet, ſecus autẽ ſi pus ipſum tenue, liuidum nimis, viſcidum, fœtidũ, & minus vel plus, quàm par ſit copioſum videris, iudicabis: tale quippe pus naturæ imbecillitatẽ à præternaturali calore, vel ab ingenti

Et in lib. de inæq. temp. & 2. de diff. feb.

inflammatione concoquendi vim labefactante contractã indicabit, et ex adducto Gal. loco colligitur. in medicãdis igitur iſtis vulneribus tres, vel quatuor di-

Hyberno tempore ſemel, æſtiuo bis medendum vulneri.

es, ab his, quæ diximus medicamentis ne diſceſſeris, et ſi hybernum tempus fuerit ſemel ſingulis diebus, ſi æſtiuum bis vulneri medeberis, ſemper oleum noſtrum, ita ut iam dictum fuit, in uulnere ponendo, & ipſum præterea uulnus uniuerſum, ſi tumor, aut dolor aliquis poſtulabit, ad tertium uel ad quintum

Quandiu emplaſtro uulneribus affectus locus obduci debeat

uſque diem, uel quoad pus bonum appareat emplaſtro aliquo obduces, ſemper hoc agendo, ne attrita caro illa humore immodico, & excrementis repleatur, & proximam deinde carnem inficiat: quare poſt quinque dies eam puluere huiuſmodi ſi inſperſeris, benefacies.

Puluis carnẽ à putrefactione uindicans.

Recipe aloes, hepaticæ, thuris, boli armeni oriẽtalis partes æquales, optime his tritis, carniq; contuſæ admotis, uulneri non officies, & eã à putredine uindicabis, quæ ſæpe uniuerſum uulnus, & membrum quandoque uniuerſum (niſi prouiſum fuerit) ut corrumpatur, cauſa eſt. Poſt hæc, quoniam huiuſmodi uulnera pluribus diebus coctione egent, ſi res cedet ex ſentẽtia, omiſsis medicinis illis, & emplaſtris, tetrapharmaco, uel picato unguento penicillis illinire poteris, niſi heryſipelatoſus rubor, qui ſæpius ingẽtẽ cõtuſionẽ ſequitur (quãuis medicamẽta cõcoquẽtia optima ſint) uulnus, aut uulneri proximas partes obſideat, tũc enĩ, egente tamẽ uulnere coctione, digeſtiuo loto, qđ ſic paratur, uteris.

Digeſtiui loti compoſitio.

Rec. olei optimi, reſinæ abietinæ ueræ, ſi in promptu ſit, uel reſinæ laricinæ puræ & claræ unciam unam, ceræ albæ quantũ ſatis eſt ad unguentum molle conficiendum, quod tandem aqua pura multum lauabis, optiméque ſecundũ artẽ, exprimes. Hoc unguẽto peniculos quos uulneri impones, et linteolũ, quo uulnus obduces, oblines, roſaceóque oleo membrum circa affectam partem inunges, cataplaſmatibus, quibus primis quatuor diebus utebaris relictis, quorum

Emplaſtrorũ uſus diuturnus fugiẽdus

diuturnus & aſsiduus uſus fugiẽdus eſt, ne ex longa puris generatione innatus calor ultra modum reſoluatur, ſiquidem medicamenta χαλάστικα idest, remittentia, & mollientia ſunt, híſque membrum magis imbecille redditur, quoniam in puris generatione nutrimẽtũ, quod ad membrũ pro nutritione defertur, uel ob membri imbecillitatem, uel ob medicamentum humidum unctuoſúmque ut Auic. quar. quarti cap. de uul. in uniuerſali ait, corrũpitur. Apparẽte autẽ pure

Inflãmatio ſemper ad ſeptimum uſque diẽ uerenda.

laudabili, tum in qualitate, tũ in quantitate, tum in ſubſtantia, ægrũ ſic uſq; ad inflãmationis remiſsionẽ, uel quouſq; nullã futuram inflammationẽ verearis, quæ ſemper ad ſeptimũ diẽ uerenda eſt, tractabis. Hoc modo in uulnerib. omnibus hyemali tẽpore ad ſeptimam uſq; diẽ, æſtiuo tempore ad quintam, uel ad ſextã diem medicinam afferes, contuſionibus etiã ultra ſeptimã ijſdẽ præſidijs occurres. In omnibus tamen temperaturis eodem tempore coctionis ſigna nõ apparent, quoniã in quibuſdam citius, in nõnullis ſerius, ut in lib. de criſ. admonet Gal. coctio incipit, qui quãuis de internorũ morborũ coctione loquatur, nihil ut de externis idem intelligas prohibet, omnibus enim morbis natura ipſa curationem adhibet, quam prudentem medicum imitari decet, & diligenter explorare utrum magnum an paruum uulnus ſit, cum parua, an cum magna contuſione, quæ, ut plurimũ, in iſtis uulneribus eſſe ſolet, quibus proinde diutius remedia pus mouentia facies, uulneribus autẽ cæſim, aut punctim factis, ut hoc facias tanto tẽpore non eſt opus, uel ipſo Hipp. in lib. de ulc. ſic dicẽte, niſi ſit neceſſariũ pus generari in uulnere, non oportet tentare, & perpulſillũ. Sed fac, ut unguenta quã maxime mollia ſint, ne ſua duritie dolorẽ inferãt, & facilius à natura actuari (ut ita loquar) poſsit, huius quoq; fuit ſententiæ Hal. in lib. de comp. med. ſec. gen. & quoniam primis diebus in uulnerum contuſionibus humores ad facile fluendum proni ſunt, iccirco ex quouis uel leui incõmodo & dolore fluerent facilius, qui tamen ſi iã quatuordecĩ dies quieuiſſent, & omnẽ fluxus ſuſpicionem depoſuiſſes, duriora, ſi liberet, atque acriora poſſes medicamenta adhibere. His igitur medicinis mollibus peniculos, ut diximus, illines, & linteolo eodem medicamento (ſi implaſtro nullo opus ſit) oblito uniuerſum uulnus teges, ut Gal, iiij. de comp. med. ſec. gen. faciebat. ſitq; linteolum ita amplum, ut uulnus nõ ſolũ, ſed uulneri proximas partes in triũ digitorum latitudine cõtegat, ex eiuſdem Gal. ſentẽtia loco citato, aut pro unguento illo molli linteolũ illud unguento ex chalcitide, quod diapalma & diaphœnicium nuncupatur, à

In omnib. tẽperaturis eodẽ tẽpore coctionis ſigna nõ apparent. & in lib. de morb. temp.

Pus mouentia medi. diutius uulnerib. contuſis quã punctim aut cæſim factis apponenda.

Mollia unguẽta eſſe debent.

Medica. duriora & fortiora quando adhibenda.

Quantum eſſe debet linteolũ quod uulneri ſuperponitur.

Gal. iiij. de cóp, med. ſec. gen. deſcriptum, ubi docet quantum ad humores fluentes repellendos ualeat, ſi cum roſaceo aut myrtino oleo diſſoluatur, & ad humores in particula aliqua contentos diſcutiendos, quod efficacius, ſi oportuerit, præſtabit, ſi annoſo oleo illud diſſolueris, uel chalcitidem addideris, utidem elegantiſsime docuit. Primis tamen diebus ceratum hoc in omphacino oleo liquefactum uulneribus iſtis contuſis non nocebit, conſiderabis tamé ſemper corporis duritiem, & mollitiem, quoniam corporibus duris fortiora, quã mollibus medicamenta conueniunt, ut iij. meth. ait Gal. & paſsim etiam in lib. de cóp. med. ſec. genera id admonet: quapropter, ut utrique hominum generi medicamenta idonea parata tibi ſint, operam dabis: parabis igitur corporibus duris tetrapharmacum cum taurina pinguedine, pro mollibus cum uitulina adipe, ut Gal. in lib. de comp. med. ſec. gen. cenſuit, ne eundé calceum (ut aiunt) omnibus pedibus inducas: ſi partes circa uulnus, ut dolor remittatur, & ut uires confirmentur, roſaceo oleo cum boloarmena, ut magis humores repellantur, & magis etiam membrum roboretur, inunxeris, non errabis: poſt hæc puluillum affecto loco admouebis, & membrum obligabis, cauebisq; multas ligaturas, quæ ita recentioribus medicis placent, qui primis diebus puluillis, ſtuppa, & multis alijs rebus, ut ab ambiente aere uulnus tueantur, contra Gal. placita in lib. de art. membrũ deligãt, qui ſcribit magis in declinatione, quã in principio ab aeris iniuria uulnera uindicãda eſſe, hac ratione adducta, quoniã in principio uulnera, ut plurimũ inflãmatione aliqua affecta ſunt, & ſordib. abundant, quæ frigido aeri reſiſtunt, & ueluti tegumentũ aliquod frigori repugnãt, quib. ſi multi puluilli multaquè addantur ligacula maior acciri inflãmatio poteſt, ultra modum inmirum membrum calefaciendo, ad quod humores qui in principio in motu ſunt confluent. Remota inflãmatione, purgatoquè ulcere, danda deinde opera eſt, ut frigoris uim arceamus, tunc enim abſurdum non erit ſi inter linteola ſtuppæ aliquid poſuerimus. uel latioribus, & craſsioribus ligaminib. uulnus circũligauerimus perfecta coctione nullo eryſipelate, aut dolore, aut exeſione, aut alio ſymptomate ſuperueniente, alias indicationes ut abſoluas, operã dabis. moto enim in uulnerib. pure, multa adhuc abſoluẽda reſtant, ſiquidẽ cauo ulceri, & ſordibus in eo contentis, etiã prouidendũ eſt: cauũ efficitur dũ pus fit, ut ait Hipp. in lib. de ulc. quoniã corrũpitur caro, & modo maius modo minus pro puris copia, efficitur: quapropter cũ globuli in uulnérib. quæ faciunt, carnem contundant, & atterant, quæ deinde neceſſario putreſcit, in puris generatione, & in attritæ carnis ſeparatione, cauum præter illud quod perforando globulus fecerat relinquitur. Sordes quoque fluentes, ut maior fiat cauum non mediocriter conferunt, quoniam ſemper, ut iij. ait Galenus ſicut à corpore duæ ſuperfluitates reſoluuntur, quarum una craſſa eſt, altera ſubtilis, quæ in uaporem non uiſibilem reſoluitur, craſſa cuti adhæret ſudor appellata, ita perpetuò ab ulceribus duæ egrediuntur ſuperfluitates, una ſubtilis, quæ ichor appellatur, altera craſſa ulceri adhærens ſordes uocata, quæ non parum ab unctuoſis, & concoquentibus medicaminibus adaugetur, proprium enim iſtorum medicamentorum eſt, ut ſordida ulcera reddant, quod clarius in cauo ulcere cognoſces: quod cũ ita ſit nulla noſtra indiget probatione. Verũ à quonam horũ curatio inchoari debeat, licet hoc à nobis alibi dictum fuerit, ſi tamen id etiam nunc repetatur non erit inutile. Vulneri nimirum primum medicina facienda eſſet, & ut conſolidaretur opera eſſet danda, quia omnis continui ſolutio unionem poſtulat, ut Galenus ait iii. met. in principio, ubi, inquit, eſſe medici ſolutionem continui unire, uerum hoc ob ſordem, & cauum, uel ſymptoma aliud fieri non poſſe, quapropter an à ſorde an à cauo curatio incipienda ſit, uidendum eſt, & quia fieri non poteſt vt uulnus uniatur, ut Hipp. in lib. de ulc. ſcribit, niſi carne cauũ repleatur, nequè etiã cauũ repleri poteſt, ſi in eo ſordes fuerint,

duris corporibus & mollibus mollia medicamenta conueniunt, tetrapharma cũ pinguedine taurina duris corporib. cum uitulina mollibus conuenit.

multæ ligaturæ in principio cauendæ.

quatenus in principio uitãdæ ligaturæ vitandæ ſint.

quando multæ conueniãt ligaturæ.

cauũ quando fiat.

ſemper a corpore duæ reſoluuntur ſuperfluitates.

vnctuoſa & concoquentia vlcus ſordidũ reddunt.

in ſanandis uulneribus a quo incipiendum.

& Gal. 3. & 4. meth. in Fine

Et a de comp. med. ſec. gen.

ut 3.meth.ſcribit Gal.aut ſi inflammatio,aut humorum copia,aut ſymptoma a-
liud fuerit,ut idem ij. ad Glau. referebat: ab eo igitur quod rationem cauſæ ſine
qua non obtinet,curatio exordienda eſt,quãdoquidem citra illius remotionẽ,
quod cauſę ſine qua non rationem obtinet,nunquam uniri uulnus, aut cauum
repleri carne poſſet. Ad abſtergentia quapropter medicamenta confugiemus,
ut v. meth. admonebat Gal. dicens,poſt inflammationis remotionem oportet
uulnus purgare.Sed abſtergentes medicinę mordicitate carere debent,ut iij.de
fract.ſcrib.Gal.uel ſaltem parum mordere,(ineſt enim mordacitas,quædam ab
ſtergentibus medicinis,ſecundum Gal.v.ſimp.med. fac. propter amarorem,&

Abſtergentia medic. qualia eſſe debeant. & auic. 2. cap.

nitroſitatem,in quibus abſterſoria uis firmatur.) Sed abſterſionis quantitas ab
indicatione,quæ à ſordibus ulceris ſumit̃,ſignificabitur, quod ſi omnibus care-
bit ſymptomatibus,& parum ſordidum fuerit,parua,ſi ſordidius,maiori egebit

quantũ abſtergendum.

abſterſione,ut Gal.vj.de comp.med.ſec.gen.ſcribebat:uerùm perfecta coctio-
ne in iſtis ut plurimum uulneribus paucæ ſunt ſordes,leuiter ideo abſtergemus,
quia Gal.ſcribit,ſi purum eſt ulcus pauciori eget abſterſione, ſi ſordidius, uali-
diori,quia ſordes tanquam tegumentum eſt, carnis generationem prohibens,

Agendorum quantitas nec dici, nec ſcribi poteſt.

atq; de hoc paulo poſt dicemus:& quamuis agendorũ quantitas in morbis om
nibus nec ſcribi,nec dici poſsit,ut Gal.iij.meth.ſcribebat, coniectura tamen ar
tificioſa peritus atq; exercitatus medicus metietur,quocirca Gal.xiiij.meth.di
cebat medicum ingenioſum eſſe debere, prudentem atq; diligentem, & mente

Sordidũ uulnus fortibus medicinis primis dieb⁹ nõ abſtergendũ.

exercitatũ,& rerum naturam dignoſcere.Illud tamẽ animaduertes,ſi diebus pri
mis forte fortuna ſordidius fuerit uulnus,illud ne ita accurate, ut nonnulli faci-
unt,fortibus medicinis abſtergas,idq́; cauebis magis ſi cum ulcere adfuerit fe-
bris,ſiquidem tunc huiuſmodi uulnera,atq; etiam uulnera alia magna facile in-
flammationi ſunt obnoxia,quam fortia medicamenta irritarẽt, cum calidi pro

& 4. de cõpo. med. ſec. gen.

prium ſit attrahere & inflammare,febremq́; adaugere:Quare ſi adfuerit inflam-
matio fortia adſtringentia medicamenta fugienda eſſe ex Gal.ſentẽtia iiij.meth.
manifeſtiſsimum eſt. Quapropter leuiter adſtringẽtibus medicinis utemur,uel
ſiccos penicillos uulneri imponemus,quod deinde linteolo, refrigerãti aliquo
medicamine inuncto,tegemus,hoc ſemper agentes,ut ab inflãmatiõe,à dolore,

Medicamẽtũ, quod vulneri eſt apponẽdũ poſt coctionẽ factam.

& ab alijs ſymptomatibus uulnus uindicemus, quibus cum à nobis fuerit per-
ſpectum,uulneri ualentiora adhibere remedia licebit, tutiſsime itaq; tempera-
tis medicinis primis diebus uulneri prouidebis:facta proinde coctiõ et alia me-
dicamenta admouebis.

Recipe terebinthinæ, ſeu laricis, reſinæ puræ decies lotæ unc. ij.farinæ or-
dei drach.iij.mellis roſati colati, uel eius loco, ſi mellis mordicationem times,
ſyrup.roſa.q.ſ.& fiat unguentum,quo uulnus impleatur, cui poteris etiam ad-
dere cadmiam præparatam, quam aromatarij tuciam uocant cum aloë, thure,
& ſarcocolla,quemadmodum uulneris exiget magnitudo,emplaſtra, inunctio
nes,& alia de quibus iam egimus,omittendo,quia iam dolor erit arreptus,& in
flammationis ſuſpitio remota erit.Quod ſi nerui uulnere erunt affecti, lumbri-
corum terreſtrium puluerem,& picem addes:non enim te latet quantopere ter

& Cæl.lib. 26

reſtres lumbrici à Gal.commendentur.Abſterſo uulnere, quoniam cauum re-
ſtabit,quod carne,ut refert Galenus quarto metho. eſt replendum, ſarcoticis

Qualia ſarcotica medicamenta eſſe debeant.

medicinis id conſequeris.Cuius autem qualitatis eſſe debeant ſarcotica primo
de compo.medic.ſecundum gene.ſcribit Galenus,qui ibi uult medicamẽta ta-
lia eſſe calida & ſicca,cum abſtergendi uirtute,& quinto meth.dicebat ſiccita-
tem illam paucam eſſe debere.Scripſit hoc idem tertio meth.nec ratiõe hoc ca-
ret,ſiquidem ſi nimis ſiccarent,caro non generaretur,ſed colliquaretur potius,
& quod alimentum carnem geniturum eſſet,ab immodica ſiccitate conſume-
retur,ut à Galeno ſecundo de compo.medic.ſecũdum gene.habetur,uulnuſq́;
ſordidius redderetur,ſecundum eundem Galenum tertio de compoſitio.med.
ſec.gen.

ſec.gen.debent præterea ſarcotica mordicatione carere, ut Galen. tertio meth. ait,atq; experti̇a eſſe uirtutis adſtringentis,& ſexto de compoſi.medic.ſecundũ gen.apud Galenum legitur,nec ultra primum gradum exiccantia,ut ab Auiceñ. quarta primi proditum eſt,& ratio quare calida & ſicca eſſe debeant,eſt,quia ca lore ſuo materiam,ſeu ſanguinem,ex quo generatur caro,attrahunt, quod Auicenna quarta quarti cap.de generatione car.non tacuit: ſiccitate autem putrefa ctionem attracti ſanguinis impediunt,illumq; in carnem mutant, propterea qđ æquat complexionem eius, & coagulat ipſum cum exiccatione, ut uerbis Auicennæ utar ſecundo can.capite quarto. Virtus igitur ſarcoticorum medicamen torum ad cauos implendos carne, efficax eſt. Verùm præceptum Galeni ſecundo de comp.med.ſec.gen.conſiderandum eſt,dicentis: Cæterùm nemo ignorat ea, quæ propriè & primario ſarcotica nominantur, apta ulcera carne replere, hoc eſt,quæ caua quidem,non tamen ſordes, aut inflammationem coniunctam habent,inſuper nec prauorum humorum influxionem, neq; carnem in cauo ulcere intemperatam. Ideo in admotione iſtorum ſarcoticorum conſiderare debes, nunquid intemperies aliqua in carne adſit cum materia, uel ſine materia,& nunquid ſanguis,qui influit,in quantitate,an qualitate peccet, & cuiquè iſtorũ, ſi opus fuerit, medicinis contrarijs occurres,ut iij.meth. pluribus uerbis ſcripſit Gal.ſiquidem caro,ut idem.vj.meth.inquit,naturę beneficio gignitur,carnis au tem generationis temperatus ſanguis & purus eſt materia, eodem referente iij. meth. Quapropter tempore quo carnis generationi ſtudemus, boni ſucci cibis æger nutriendus eſt, & uino moderato,ut Gale.admonuit, ex illis enim ſanguis bonus,& moderatus generatur,exhibemus autem uinum,quia cito nutrit,uiresque auget,iuxta Gal.in lib. de temper. Cæterùm ſarcotica non æque in omnibꝰ corporibus carnem generant, ſiquidem in quibuſdam, tantum abeſt ut uulnus carne repleant,ut potius carnem exedant,uulnuſq; magis cauum reddant, & nó nunquam humidius,ac rubicundius,ut Auic. quar. quarti cap. ij. meminit: ſed hoc fieri poſſe multis cauſis ſciendum eſt,aut enim propter medicamenti uirtutem,quæ pluſquam oportet,ualida eſt,aut propter ægrotantis naturam,uel mébri temperamentum, aut propter imbecillitatem medicamenti exiccantis,quæ membro affecto non reſpondet. Si propter potentiam medicamenti nimis exic cantis id contingat,ſiccitate ſua carnem conſumit,& colliquat: ſi autem pauca ſit ſiccitas putredinem non poteſt prohibere, & uulneris humiditatem conſumere: Certaq; ſigna ſiccitatis immodicæ,uel paruæ medicamenti ſarcotici elegá tiſsime declarat Gal.iij.de comp.med. ſec. gen.ſcilicet ſi caro non generatur ob magnam & uehementem ſiccitaté,manifeſtè apparet carnis defectus indies magis,& ulcus profundius efficitur ob carnis colliquationem, tumor in labijs apparet,inflammatio circum circa cóſpicitur,atq; rubedo, & color ſimillimus colori ſalitæ carnis,pus ſubtile,ichores fluunt,& nonnunquam ſanguis,punctio,& mordicatio quoq; ſentiuntur,hæc omnia medicamenti indicant fortitudinem, quod non ſolum remouendum eſt,ſed intemperies, quam ex tali medicamento uulnus contraxit,medicamentis aliquibus refrigerantibus curanda eſt,quorum nullum eo præſtantius habeo,quod ex pompholige conficitur,quod nos diſcri bimus,hoc enim intemperiem calidam non ſolum remittit,ſed carnis generatio nem adiuuat. Verùm propter debilem medicamenti uirtutem,ut Gal.& Paul.aiunt,ulcus humidius efficitur,caro minime excreſcit, aut mollior ſeu humidior generatur,uel ulcus ob eam cauſam,ut iiij.de comp.med.ſec.gen.ait Gal.humidum redditur,nec antedicta ſymptomata aderunt; quod autem caro mollis gignatur,hoc fit propter imbecillem medicamenti ſiccitatem,ut ab Hippo.lib.de ulc.dictum eſt. Sarcotica itaq; medicamenta tum mollibus, tum duris corporibus,tum uulneribus in neruoſa,tum carnoſa parte acceptis, congrua parare poteris,& ſi mollis temperatura fuerit, mitiora, ſi fortior temperatura, uel ſi in ner-

Et Aui. quarta quarti cap. 3. Et 3. meth. & Gal. 3. meth. & 2. ad Glaucon.

Sarcotica quare calida & ſicca eſſe debeãt. Et Paul. lib. 4. cap. 4. & Gale. 2. de temp.

Quid ante ſarcoticorum admotionem ſit conſiderandũ

Et Paul. lib. 4. cap. 40. & Cęl. lib. 5. cap. 26.

Medicamenta ſarcotica non ęque in corporibus omnibꝰ carnẽ generãt. Et Gal. 3. met. & Paul. lib 4.

Propter quas cauſas nõ æq; in omnib. ſarcotica carnem producant.

Sarcoticũ immodicè exiccans quibꝰ notis dignoſcat. & 3. meth. & Paul. lib. 4.

Medicamentũ ex põpholige præſtatiſsimũ ad inflãmationẽ remittendã

Notæ ſarcotici medicamenti indicãtes imbecillitatem.

Sarcotica medicamẽta qualia debeãt eſſe

Et in libro de comp. med. ſec. gen.

uoſo membro uulnus ſit ualidiora medicamenta parabis, ut tertio Meth. ſcribit Gal. ſiquidem ſemper caro deperditæ carni ſimilis generari debet, quæ medicamento in temperie parti deperditæ ſimillimo generabitur, ut ſi ſicca pars fuerit à ſicco medicamento, ſi humidior à minus ſicco gignetur.

Vnguentũ carnoſæ parti & molli conueniens.

Carnoſæ igitur parti, & temperamento molli, unguentùm reſinum commune uel ſolum, uel cum ſarcoticis pulueribus, de quibus ſuo loco dicemus, admixtum conueniet: corpori præterea duro, aut ſicciori membro, aut carni molliori ultra modum naſcẽti iſis unguentum cærato humido Galeni ſic admixtum, admouebis.

Corpori duro medicamẽtũ commodum.

Recipe Iſidis cephalici partem unam, cærati humidi Galeni partes ſex, modo addendo, modo detrahendo iſim, uel damaſcenum, prout maiorem uel minorem optabis exiccationem. Si humidum cæratum Galeni, in promptu non fuerit, ſumere poteris unguenti damaſceni unciam unam, unguenti raſini uncias v. ſimul admiſcendo, hoc unguento uulneris cauum penicillis illitis, implebis. hac ratione unguenta hæc ad temperiem quandam rediges, dignoſcẽſque tunc eſſe intemperata, ſi ex uulnere ſubtilius pus, uel ſanguinis guttas unà cum pure exire uideris, nullà cauſa externa præcedente, tunc enim uim medicamenti huius remittes, adaugendo reſinum unguentum, uel humidum cæratum Galeni, uel aliquod aliud humidũ unguentũ admiſcendo, atq; ſic temperatum hoc unguentũ ſolũ uulneri impones, qđ deinde linteolo illito cęrato diacalcitidis in quo maior uel minor calciditis quãtitas, pro corporis duritie uel mollitie ſit in oleo roſaceo colliquato, uel albo unguẽto Paul. uel alio medicamẽto refrigerãte admixto cõteges, & quia facile in uulneribus iſtis inflãmatio, ſeu rubor eryſipelatoſus excitatur, propterea libẽtius huiuſmodi medicamẽta admouebis.

Quomodo intemperatũ cognoſcetur medicamentum.

His obſeruatis, uulneris cauum carne replebitur, conſiderato in carnis generatione corporis proprio temperamento, & ſanguinis bonitate, & quantitate perſpecta, ſi enim corruptus, & copioſior flueret ſanguis, ad carnem producẽdam, & ad uulnus glutinandum eſſet inutilis, integrámque ualetudinem impediret.

Quot in ulceris cauo carne replendo ſint cõſideranda.

Quapropter in cauo ulcere tria hæc ſpectabis, primum, ut in ſubiecta carne temperies ſit, deinde, ut qui ad affectam partem fluit ſanguis ſit bonus, tertio, ut ſanguis in quantitate non peccet, ut iij. meth. ait Galenus. Expleta ulceris inanitate carne internata, ſordibus omnibus remotis, uulnus, ut Galenus v. meth. in fine ſcribit, coaleſcere poteſt, idque fiet, quando caro ita cutim æquabit, ut nulla alia adſit inanitas præter illam in qua generari cutis debet, ut Gale. iij. de comp. med. ſec. gen. placuit, quia ſi cuti æqualis eſſet caro, eminentior, quam par eſſet, cutis gigneretur, & ſi ulcus magis cauum eſſet, concaua, & ad uidendum turpis cicatrix efficeretur: quare cum caro carni, quæ ſub cute eſt, æqualis fuerit, epuloticа tunc admouebis medicamenta, quibus cutis uel calloſa potius caro iuxta cutim alteram, neque eminentior neque ſubmiſsior producetur, niſi oſsis quantitas aliqua deſideretur, ſiquidem tunc ſemper caua cicatrix, ſecundum oſsis quod deſideratur magnitudinem, ut Hippoc. vj. aph. xlv. ait, oſtenderetur.

Et 4. meth. & Cæl. lib. 5. cap. 27.

Quando epulotica medicamenta ſint adhibenda.

Et in li. de ulc. & Gal. in com.

Neq; ulla afficiaris admiratione ſi deperditæ cuti cutis ſimilis non regeneretur, quia cum ſimilare membrum cutis ſit, regenerari nequit, ſed pro cute calloſa duntaxat caro augetur, quæ quemadmodum Gal. iij. meth. ſcribit, durior in dies redditur: propterea cicatricem inducentia medicamenta, uehementioris ſiccitatis, quam ea quæ carnem producunt, eſſe debent, ut ſiccitate ſua duram calloſamque reddere poſsint, non attrahendo neque colliquando, ut cenſuit Gale. v. de ſimp. med. fac. uerùm ut modicè adſtringant, oportet, ſecundum eundem Gal. j: de comp. med. ſec. gen. abſque eroſione, & morſu, ut idem iij. meth. refert, & ualidiora, quam adglutinantia medicamenta, ut duram craſsámque partem carnis generent, quæ ſi cutis uicem gerat ex duriori & craſsiori materia debet conſtare. Sit igitur epuloticum medicamentum ſiccius maioríſque ſtipticitatis, quam adglutinans ſecundum Galenum, meth. ob adductas rationes. Atque hęc

Et 3. art. med.

Qualia epulotica ẽe debeãt.

Et 3. meth.

Et 5. de comp. med. fac. gen.

Et 4. de com. ſec. gen.

medica-

medicamenta ſiue pro duro corpore,ſiue molli,ſiue pro neruoſa ſiue pro carnoſa parte parari poterunt,modo in cærati forma,quale eſt ceratum minij, ſpumæ argenti,ut poſtea dicemus:modo ea in puluerem redigendo, ſi libuerit,uel in alia forma, modo eundem ſemper intuearis ſcopum, ut cutis ſcilicet generetur. Si autem nimis excreſceret caro cathæreticis medicinis poteris occurr:re, cum in numero morbus ſit, & in toto genere præter naturam, ut Galenus in libro de cauſ.mor.ſcribit ſed ea adhibeantur modica,& cóbuſta,& lota,quo minus mordeant,ut placuit Gal.v.de comp.med.ſec. gen. quale eſſet alumen rochæ combuſtú,erugo æris combuſta,& lota,& ſpuma æris ita ut dicemus præparata,calchantum combuſtum,& lotum, pro parte magis ſenſu prædita hermodactilus, galla matura combuſtaq́ꝫ,& ſimilia.

Quibus medicinis caro immodice excreſcẽti ſit occurrendum.

Et 4.meth.

Cathæretica medicamenta.

De vulnere partis carnoſæ, vel alterius partis, cum globuli, vel alterius rei præter naturam retentione.

CAETERVM ſi globulus ui tanta impulſus non fuerit,ita ut membrum totum transfigere nequiuerit, neque per aduerſam regionem exire potuerit, ſed in membro detineatur, aut inter muſculos, uel ſub membranis abſque oſsis læſione,primum nunquid parietis angulum quempiam, uel terram,uel ferream armaturam, uel ueſtimenta duntaxat tetigerit expendendum eſt, quia,ut plurimum globuli iſti plumbei aut ſtannei ſunt, facilèque in contactu ſolidi corporis uel aſperiores, uel teretes efficiuntur, ſecúmque rei in quam prius impegerint,particulam in corpus trahunt,ut ferè fit quandó lapidem, uel parietem,uel ferream amaturam,uel loricæ hamum, quam maleam appellant, uel clauos, uel laminulas loricæ illius,quæ laminis ferreis fabricata eſt,uel terram, uel ueſtimenta percuſſerint,trahunt enim ſecum rei prius contactæ fruſtula, quæ unà cũ globulis in corpore retinentur & ſupprimuntur,& quæ ut difficilius coaleſcat uulnus cauſa ſunt,uel potius niſi ea natura expellat,aut à perito medico eximantur, nunquam coaleſcit,ſemperq́ꝫ copioſiora effluunt excrementa,&uaria oriuntur ſymptomata. Cognoſces autem nunquid huiuſmodi aliquid cum globulo retineatur uel ex ægrotantis relatione,uel loricæ uel ueſtimentorum inſpectione,ſi aliquid defuerit,uel ex tactu ſpecili,uel coniectura.Quocirca ſi unà cum globulo detentum aliquid fuerit,cum illud quoq; præter naturam ſit,auferendum eſt, ut faciendum eſſe admonuit Gal.iij.art.med.in morbo qui in numero conſiſtit, ut cum in manu ſextus eſt digitus,uel in ueſica calculus retinetur.Ita quoq; cum in corpore globulus, uel aliud præter naturam retentum fuerit, ſi fieri poteſt illud remouendum eſt,niſi naturę uiribus fidamus,quæ à corpore illud poſsit abijcere,ſperemusq́ꝫ uulnus abſq; ullo alio incommodo quãuis intus aliquid qđ pręter naturã ſit detineatur,coaliturũ. Si uerò nulla in natura ſpes reliqua eſſet, chirurgia remouendum eſſet, quod etiam diuinus cognouit Homerus qui ſic ſcribit.

Quib⁹ dignoſcẽdũ ſit nunqđ aliud præter globulũ in corpore retineatur

Quid in corpore præter naturã ẽ illud remouendum

Namq; alijs multis eſt æquiparandus unus
Vir medicus qui infixa peritè excidere tela,
Vulneribúſque ſuperdare mitia pharmaca nouit.

Qua propter Cæl.non ſine cauſa chirurgiam homini & uitam & mortem inferre poſſe aiebat, ideo globuli iſti ſumma cura diligentiaq́ꝫ unà cum omnibus ijs,quæ præter naturam in corpore continentur tollendi ſunt. Sed prius globulorum,& eorum omnium quæ ſclopeto iaculantur figura,magnitudo, & materia examinanda eſt, & licet ut plurimum quæ ſclopeto iaculantur ſphærica ſint, tamen quandoq; ex contactu ſolidioris corporis,uel dum à ſclopeto exiliunt aliam induunt figuram, & quandoq; ex ſphæricis fiunt teretia, & nonnunquam

In chirurgia mors & uita.

Ante globulorũ extractionẽ quæ conſideranda.

deprimuntur: aliquando etiam quadrata quędam, uel plumbea, uel ſtannea, uel ferrea, uel globuli interſecti, quibus æreum filum & inſertũ eſt proijciũtur, quos

Globulorum diuerſitas.

æratos globulos uocant. Neq; ſolum tela huiuſmodi forma differunt, ſed magnitudine interdum, & materia, quædam enim magna ſunt, nonnulla parua, aliqua plumbea, alia ſtannea quædam ænea, & nonnulla (raro tamen) ferrea, ut plurimũ enim plumbei uel ſtannei globuli ſunt qui ſclopeto iaculantur, ænei autem uel ferrei uel lapidei globuli bombardis emittuntur, & quamuis uel forma, uel magnitudine, uel materia differant, in uulneribus quæ intulerint eadem ſemper curandi ratio ſeruatur: magni tamen globuli in membro carnoſo occultari minime poſſunt, neq; ob id etiam curatio mutatur, & quia in uno uulnere unus globul⁹ ſolus, uel aliquo alio fruſtulo, uel quadrato eſſe poteſt, non ob id quoq; ad diuerſam curationẽ nos uocat, quandoq; cũ plumbeo globulo innumera plum

Quib⁹ nunqd a globulo an a re alia uuln⁹ factum ſit dignoſcendum.

bi fruſta emittuntur, quæ tñ eundẽ locum non petunt, quia dum à ſclopeto proſiliunt diſperguntur, diuerſaq; uulnera ſi corpus contigerint faciunt, propterea coniectura, à globulo excepta nec ne ſint, uiſu & tactu dignoſces, operamq; dabis ſi fieri poterit, ut ea à corpore eximas. Si uerò cum globulis, uel quadratis plũbeis, aut ſtanneis in uulnere carnoſæ partis armaturæ ferreæ fruſtulum, aut loricæ hamum, aut rei alterius præternaturalis particulam non cõtineri liquido cognoſceres, neq; urgeret dolor, neq; prope uenam aut arteriam, aut in ſenſibili loco eſſent, (tunc enim illos extrahere urgeret neceſsitas) parua admodum ut eos educas ſolicitudine afficiaris: ſiquidẽ citra periculũ in corpore coaleſcunt. Plũ

Plũbei globuli aut ſtannei quo min⁹ coaleſcat uulnus nõ impediũt. Globuli licet locum mutẽt, abſceſſum nõ faciunt.

bum quippe & ſtãnum quando nitroſitatem, & ſordem, ſi quam ex puluere cõtraxerunt exuerint, & locus in quo retinentur à ſanie purgatus fuerit, quo min⁹ coaleſcat uulnus non impediunt, nec ærugine obducuntur, quemadmodum metalla alia quamplurima. Et quamuis propter eorum grauitatem locum mutent, in partibus tamen illis abſceſſus alicuius cauſa non ſunt: quin potius diſcedendo, & locum mutando medicinam relinquũt, & ita ſenſim locũ relinquunt, ut ne ab ægroto quidem ſenſu id percipiatur licet in corpore triginta annos retineantur, quandoq; tamen natura eos ad cutim ſummam detrudit, ibiq; abſceſ

Quãdo globuli abſceſſum faciunt.

ſus cauſa ſunt, qui ſi ſecetur, facillime, & ſine periculo, ut nos ſæpe fecimus, eximuntur. Verùm ſi ſine maximo dolore globulos ipſos extrahere medic⁹ poteſt, quo tandem certior omnino fiat nunquid aliud in corpore detineatur, globulum eximet, ſed hoc prima die, qua quis ictus fuerit molietur commodius, tum quia globulus tunc ſpecillo tangetur facilius, & in recentis uulneris contrecta

Minor dolor in contrectatione calidi uulneris qua frigidi percipitur.

tione, cum adhuc membrum calidum ſit, minor accitur dolor, quàm cum ab aëre alteratum refrigeratúmque fuerit, mecúmque in hoc ita ſenties, qui cum forte fortuna ex equo cecidiſſem plagámque in ſincipite accepiſſem, in eam ſtatim digitum immiſi, ut nunquid confracta eſſet caluaria explorarem: tunc nullum omninò percepi dolorem: cum autem poſt duas horas adhuc ambigerem non rectè me uulneris eſſentiam exploraiuſſe, iterum in uulnus digitos impoſui, ingentiſsiméque dolore affectus fui, atque hoc dictum ſit, ut oſtendam quanti re

Prima die globuli euellendi ſunt.

ferat uulnus calidum an frigidum pertractes. Si igitur globuli illi euellendi erũt, ut id prima die efficias ſuadeo: quod ſi uel imperitia, uel cauſa alia fuerit omiſſum, non ita facile deinde occaſionem arripies, qua id moliaris: ſiquidem iam erit uulnus ſenſibilius redditum, & tumor iam aliquis aderit, & uulnus anguſtius erit effectum. Ad hæc, ſi uel caro uel membranoſi tendines rumpantur, aut perforentur, concidunt, globulúmque ſæpius tegunt, & intercludunt, qui deinde non ſine ingenti dolore euelleretur: neque id mirum ſit, quoniam ſi ſpecillo tangi nequit, difficilius extrahetur, ac ſi omninò extrahere globulum conareris, non citra dolorem intenſiſsimum, maximúmque ægrotantis diſcrimen hoc pręſtares, minusq; hęc uitares incommoda ſi poſtquam humores quieuêre, dolorq; fuent

fuerit ſedatus opus hoc aggredereris. Quandoq; etiam globulus cartilaginem percutit,quæ cum oſſe ſit mollior, non rumpitur,ſed flectitur, deinde eleuatur, ita ut quandoq; uulneris foramen conſtipet: & quamuis ſumma diligentia ſpecillo,digitisq; uulneris profunditatem explores,licet id ſtatim poſt illatum uulnus facias,actum tamen agas,quemadmodum nobis ſępe in thoracis plagis non ſolum à globulo,ſed à cædente telo factis,obtigit, in quibus uix uulneris foramen inuenimus.Quocirca ſi globulum prima die extrahere nequiueris, neq; cũ globulo aliquid etiam,quod præter naturam ſit in corpore detineri uerearis, ſic ut dictum eſt,facies,admotoq; oui albumine cum ſale uulneri, globulum naturæ,ut illũ expellat,remittes. Sed ſi omnino extrahere globulũ opus fuerit,dupliciter eum poteris euellere,aut enim per foramẽ qđ effecit, aut per oppoſitã partem inciſam,ſi non longe à cute ſit,educes,ſi eñ à cute longe diſtaret globus,aut ſi altius infixus eſſet,per effectum foramen extrahendus eſſet omninò, dummodo ſpecillo perciperetur.In uulnus igitur noſtros hamos immittẽs, quibus globulum leuiter reuoluendo educere conaberis:habebis etiam forcipes cauas,forcipem dentatam,cylindrum in manubrio habentem, & roſtrum coruinum. At, cum forpice dentata, uel alio inſtrumento apprehenſus globulus fuerit, leuiter quantum fieri poterit,educes,inſtrumenta autem ad id apta in picturis uidebis, ueruntamen minori dolore incommodoq; noſtris hamulis loco proprio deſcriptis globulos euelles,qui uulneris meatum non occupant,nec uulneris labra extendunt,ſed cum poſt globulum immiſsi fuerint,leuiter ſi illos attraxeris,ſecum globulum educent. Non tamen hoc ita cómode forpicibus,aut coruino roſtro efficeres,meatum enim uulneris obſtruunt nimis,doloremq; non mediocrem inferunt,quando,ut globulum comprehendas, dilatantur, nerui enim tunc, aut tendines, aut caro ipſa in dilatatione illa comprimuntur, ut in ſequenti pictura patebit.


Vulneris foramen quãdoq; occultatur.

Dupliciter extrahi poteſt globulus.

Inſtrumẽta ad globulos educẽdos idonea.

Hamulorum globulis extrahẽdis utilitas.

Forpices & roſtrũ coruinũ in globuli extractióe, quæ faciant incommoda.



Quippe ſi forceps. b .b. immittatur per uulneris foramen.a. ad globulum. c. ut illum comprehendat,dilatari magis debet,quam ſit uulneris ipſius magnitudo. d.d.in qua dilatatione non mediocris commouebitur dolor, quem maximè uitare debemus.Hoc autem noſtris hamulis non fiet, quoniam licet anguſtiſsimũ ſit uulnus,ingredi tñ poſſunt,globulumq; euellere abſq; dilatatione,extenſione & inciſione,quam illi non uitant, qui forpicibus illis utuntur, uel coruino ro-

ſtro. Horum igitur inſtrumentorum uſum ſemper fugiendum ſuadeo. At ſi hamulos noſtros inutiles cenſebis ob oſſa confracta, q̃ carnē quādoq; diuellunt, & lacerant, ingentémque cauum efficiunt, à quo humilis illis globulus educi non poteſt: aliud habebis inſtrumentum forpicis formam referens, cuius una pars ſola, quæ ueluti ſpathula quædam eſt, ad poſteriorem globuli partem mittitur, & ſic manu ſtabilis continetur, altera deinde pars intromittitur ad globulum comprætendendum, præterea clauo quodam ambæ partes iunguntur ad modum forcipis qua calculi à ueſica extrahuntur, ut etiam in picturis poteris intueri. Sed mehercule hamuli noſtri modo per proprium uulneris foramen extrahi globuli poſsint, omnibus alijs inſtrumentis commodiores ſunt, & his (ut ſæpe uidiſti) quamplures globulos, quamplurimáque oſsium fruſtula extraxi. Exquiſita tamen diligentia adhibenda eſt ſemper, ut modò celeriter, modò tardiuſculè, prout erit commodum, & æger tolerabit, opus abſoluas, hoc ſemper agendo, ut tutò quod cupis, & quàm minimo cum dolore perficias, ſed ſi fuerit commodum rem quàm celerrime poteris perages: admonuit enim Gale. xiiij. method. in humano corpore ita actiones perficiendas, neque hoc etiam tacuit in libro de his quæ in method. fiunt, ubi oſtendit aliquas eſſe actiones, quæ quàm celerrime ſunt abſoluendæ, ut inciſiones aliquæ, ſuffuſionum depoſitio: in hac igitur re periti & exercitati medici eſſe debent: extractum deinde globulum ægroto oſtendes, afficitur quippe non mediocri lætitia æger, quando id, quod dolorem faciebat, eſſe amotum uidet, præterea ſanguinis fluxum ſiſtens medicamentum, quale ſuprà dictum eſt uulneri ſuperpones. Sempérque quod faciendum eſt, ut uno tempore perficias, neque in ſequentem diem protrahas operam dabis. Aduerſam partem incidere conſueuim⁹, ubi caro craſſa non eſt, parúmque abeſt quin globulus cutim contingat, aut ubi propè ipſam cutim eſt, neque neruus, aut os, aut tale quidpiam obſtat, quo minus ad ipſum globulum uſq; ſine periculo incidas, deinde hamulis noſtris, uel ſphatula ſinum aliquem habentem, in quo firmari commodè globulus poſsit, quemadmodum in picturaa poteris uidere, uel forpice anſerina etiam illic depicta, quam ſic, quia anſerini roſtri referat ſimilitudinem, libuit appellare, globulum extrahes, iterum poſt globuli extractionem ſpecillo explorando nunquid adhuc aliquid præter naturam, ut ſæpe fieri ſolet: quod ſecum globulus in fundum uſque uulneris traxerit, detineatur: quod ſi fuerit, illud diligenter remouebis, neque te lateat in caſu hoc commodius cæteris inſtrumentis in tabellis noſtris pictis, quam hamulis extrahi globulos poſſe, quia cum globuli ad cutim uſque peruenerint, eam à muſculis impulſione ſua, & ab alijs partibus ſeparant, & dum laxatur ſinum quendam relinquit, à quo hamulis circumuolutus globulus educi non poteſt, libentius itaq; forcipe anſerina, quàm hamulis uterer. Si rectè globulos iſtos perquirere uolueris, quod ab Hipp. & à Cæl. lib. v. proditum eſt, obſeruabis, ſ. ut ægri corpus, in figura illa, in qua uulnus accepit, ſtatuas, hoc pacto in quo loco globulus detineat animaduertes, qđ ſi ob imbecillas ęgri uires hoc facere nequeris, ſaltē in lecto ita ſtatui corpus debet, ut ꝓximè ad eā figurā, quā cū uulnus accepit, ob tinebat, accedat: globulū deinde ſpecillo, & digitis diligenter perquires, & inuētū leuiter inſtrumentis illis, de q̃bus paulo antè egim⁹, eximes, hoc idē obſeruabis ſiue ueſtimēti, ſiue interioris tunicę, ſiue corij, ſiue cuiús uis alterius rei pręter naturalis fruſtulū eximas, quæ aūt neq; ſtylo, neq; digitis percipi poſſunt, ea naturæ permittenda ſunt, quæ ſi primis diebus nequiuerit, poſt aliquod tēpus ſaltem ea extrudet, neque aliud in huiuſmodi uulneribus à medicis eſt faciendum cum quid retineatur (licet diligenter illud explorent) eos lateat. Præter hæc illud quoque diligenter aduertendum, quid illud ſit quod cum globulo in membro contineatur, quandóque enim priuſquam corpus feriat globulus, ferream armaturam percutit, aut diploidem, aut terram, aut ſaxum, & cum corporibus

Aliud inſtrumentū ad globulos euellendos.

Quæ in operationib⁹ obſeruanda ſint.

Extractus globus ægro oſtendendus.

Vno tempore ſemp qđ agendū eſt, perficere debemus, neq; in ſequentem diem protrahendum.

Aduerſa pars quando inci.

Quo inſtrumēto in ſinu contentus globus facilius extrahatur.

Quomodo recte qs globulos explorare, & perquirere poſsit.

Quę pręter natura in corpore detinent atque ſtylo ubi ſint aut digito percipi poſſunt, naturę ſunt pmittēda.

Quid ſiquod cū globulo in corpore retineat uidendū diligenter.

poribus ſolidis occurrit,facilè aut extenditur , aut deprimitur , aut aſper reddi-
tur,& rimulis illis,& aſperitatibus aliquid ſubſtantiæ illius , cui primum occur-
rit,adhæret,in corpusq; trahitur,quod, ut quàm primum educatur , urget , idq;
celerrime ſemper agendum eſt,corpúſquè in ea figura , in qua erat quando uul-
nus excepit,collocandum eſt , deinde uulneris , & eorum etiam quæ à corpore
eduxeris,figuram conſiderabis,dabiſque operam ut coniectura aſſequaris,num
quid adhuc in corporé,quod præternaturale ſit,relinquatur:& ſi adhuc aliquid
eſſe depræhenderis forpicibus,aut hamis educes : præter id ferream armaturam
num integra an fracta ſit inſpicies,& fruſtuli illius,ſi quod in uulnere erit, quan-
titatem coniectura demetieris , uidebis etiam loricam ex ferreis hamis confe-
ctam nunquid illius pars in corpus cum globulo detruſa ſit,& nunquid claui a-
liqui loricæ ex laminis ferreis fabricatæ , aut etiam laminula aliqua cum globu-
lo etiam in uulnere fixa ſit. Si igitur horum aliquid detentum fuerit diligenter
explorabis illúdque educes , ſiquidem quæcunque ferruginem, aut æruginem,
contrahunt,in corpore retinenda non ſunt , quia ne coaleſcat uulnus impedi-
unt,quocirca illa,ut quam primum euellas , operam dabis , ſiue in uulneris fun-
do,ſine in latere fuerint.quandóque etiam globuli loricam ex ferreis hamis con
fectam ferientes,hamos ipſos rumpunt, extendúntque , quos in uulneris lateri-
bus defigunt,& uix ſpecillo tangi poſſunt,hos tamen,niſi poſt ſuppurationem,
euellere non poſſumus,naturáque, ut plurimum , poſt aliquot dies eos expellit,
interdum etiam contingit ut hamuli illi globulo inſigantur , & ita pertinaciter
plumbo adhæreant, ut niſi ualidiſsima forpice eos non poſsis euellere : nonnul-
lóſque tibi globulos, in quibus tres aut quatuor hamuli adeo infixi erant , o-
ſtendi , útuix in globuli ſummitate apparerent propterea ſi globuli, quibus ha-
muli huiuſmodi adhærent in corpore retinentur , mirum non eſt, ſi nunquam
uulnus coaleſcat,hamuli enim ferrei ſemper ferruginem contrahunt, ideo cum
globulo,& ueſtibus,& alijs,quæ præter naturam in corpore detinentur per pro
prium uulneris foramen , uel per inciſionem in aduerſa parte factam, ſiue in ſu-
perficie,ſiue in fundo uulneris fuerint,euellendi ſunt,modò quod cupis,te aſſe-
qui poſſe non deſperes , quemadmodum nobis in quibuſdam obtigit , quibus
hypochondrium ad cutim uſque alterius lateris perforauerat globulus,fit enim
ſæpius,ut omnes corporis partes perforent globuli , aduerſæ partis cute dunta-
xat excepta,quam neque rumpunt , neq; perforant , quoniam poſt illam ſolidũ
aliquod corpus non eſt,quod ictui reſiſtat,ideo cedit,extenditúrque , neque ita
facile rumpitur,atque adeo interdum extenditur,ut ob uehementem extenſio-
nem ueſtimenta lacerentur,neq; ſolum ueſtimenta,ſed etiam loricæ hamuli fer-
rei diuellantur,quemadmodum anno ſuperiore in Mirandulenſi obſidione in Il
luſtriſsimi Ioannis Vitelli ſtrenuiſsimi militis curatione obſeruaui,qui in poſtre
ma ſpinalis medullæ parte , dum inter cohortem hoſtium pugnaret fortiſsimè,
globulo ictus fuit , id quoque in Peruſino quodam milite obſeruaui, qui lorica
ex ferreis hamulis confecta armatus , uulnus ſupra os iuguli exceperat,quod ad
poſteriorem uſque partem ſupra ſcapulam terminabatur abſque cutis perfora-
tione , omnes tamen hamuli partem illam contingentes lacerati , atque diuulſi
fuerunt,non ſecus ac ſi per eos globulus tranſiuiſſet,atque id propter ingentem
cutis extẽſionem factum fuiſſe cóieci , cutim deinde illã extenſam ſecui,ac cum
globulo ſex hamulos extraxi. Eandem quoque extenſionem in quodam mili-
te leuis armaturæ obſeruaui , qui ſub axilla dextera inter loricam , & humerum
globulo ictus fuit,qui tandem ad quintam uſque coſtam oppoſiti lateris perue
nerat,coſtamq; ruperat abſq; cutis perforatiõe : quapropter cum id animaduer
tas, quá uis,etiam parua, ſectione globulũ inuenies,illumq; una cum rebus alijs,
quas ſecũ traxerit, eo quo dixi modo extrahes.ac ſi forte aliqd in uulnere relin-
queretur , nunquam ipſius unionem ſperabis : propterea morbum diuturnum

Figura rei præter naturalis quę extrahitur conſiderãda.

Quæ conſiderãda ſint, ut recte id quod in corpore retineat ſciamus.

Quę ferruginẽ contrahũt uulneris conſolidationem impediunt.

Oẽs corporis partes interdũ excepta cute pforãt globuli.

Abſq; cutis pforatione quãdoq; ueſtes, & armaturæ lacerant, & diuelluntur.

Quando difficilime uuln. ſanetur.

futurum prædices, præſertim ſi læſa oſſa fuerint, & ſi oſsibus læſis cum globulo aliquid etiam, quod præter naturam ſit, & quod ſpecillo dignoſci non poſsit, ac ceſſerit, id ſi prædixeris, calumniam uitabis, ut pri. prędic. dicebat Hippo. At ſi in oſſe aliquo infixi ſint globuli, ut in oſſe tibiæ, uel fœmoris, uel ilij, uel alio quopiam oſſe ſimili, modo ita hæreant, ut neq; compreſsione, aut ſpecilli impulſione à loco moueantur. Si prædictis inſtrumentis euellere non poteris, terebello cannula munito, uel ſolo ipſo terebello, quemadmodum magis ex uſu eſſe iudicabis, ut educatur dabis operam. quippe terebello globulũ perforabis, terebellumq; illud fac in globulo inferas, & ita commode extrahes, neq; ſcalpello ad os circum circa excidendũ, quo in alijs telis in oſsibus fixis educẽdis egemus, quoniam globulus ſua figura ſpærica, & ictu cõminuit os, & frangit, & ab alijs oſsib⁹ diuellit: quocirca quàm facillime iſtis terebellis globulum extrahes. Si autem in promptu terebrum non ſit, ægrum dolore ne afficias. ſiquidem poſt inflammationis tempus, & poſt ſuppurationem, uel poſtquã contuſum os obſcederit, remouebit, ac cum oſſe ipſo egredietur, quoniam læſum os abſq; deſquãmatione retineri non poteſt, pręſertim cum à uehementi illa cõtuſione ſit alteratum, idq; poſt dies paucos ſequetur, quare morbũ longum futurum prædices, ut ſecundũ Hipp. faciendum eſſe diximus, quo calumniã uites, neq;, quæ multus profuit, artem diffames: cæterùm ſi aliquod principale membrum globulis iſtis ictum fuerit, ut eſt cerebrum, cor, guttur, pulmo, iecur, inteſtina, uenter, renes, aut ueſica, uel in mulieribus uulua, & iam lethalia ſigna appareant, neq; citra diſcrimen globulus poſsit educi, manum admouere recuſabis, cum nullo modo ęgroto opem ferre poſsis, ne etiam artis ſalubris exiſtimationem offendas. Verùm ſi euentus incertus ſit, prius quanti periculi res ſit, præfaberis, deinde globuli extractionem aggredieris, ſiquidem præter ſpem multa interueniunt ſæpe commoda. ac ſi in huiuſmodi uulneribus, in quibus ſalutis ſpem non omnino abiecimus globulũ relinqueres, præterquam quod ars hæc ab omni humanitate aliena uideretur (ut alia, quę à Paul. in cap. de extract. telorum dicuntur omittam) certa quoq; mors ſequeretur, ſi autem eximeretur, bonam fortaſſe ualetudinem ęger conſequeret: quare nunquam globulorum extractionem, modo ſpes aliqua ſit, ac ſpecillo ꝑcipiantur, fugies, ſiunt enim pręter omnium ſpem mõſtra in chirurgia. Hoc etiã uide nunquid aut in uenam, aut in arteriam impegerit globulus, ne magnum ſequatur ſanguinis profluuium: quod ſi eſſet non ita uenæ ipſius, aut arterię conſolidatio ſperanda eſſet, ut ſi ab incidente telo cæſæ fuiſſent, tunc enim partes uenam, uel arteriam circumdantes coalituras ſperamus, hoc autem caſu nihil ſimile expectandum, quia propter contuſionem ruptæ ſunt, & ambiens caro attrita, & diuulſa quoq; eſt, hinc ideo magnus ſanguinis fluxus non ſolum primis dieb⁹, ſed aliquot dies poſt ſequitur, dum contuſæ partes ob putrefactionẽ abſcedũt, quapropter tunc uenas illas, aut arterias laqueo excipies, uel ferro candenti adures, neq; ita facile, ac ſi à gladio cęſę fuiſſent coalituras ſperes, quia eorũ pars, quę attrita fuerit ſemper deſiderabit. Ad medicinas igitur, quas v. meth. ſcribit Gal. confugies, deinde uulneris curationem ſuſcipies, quemadmodum in uulnere in carnoſa parte excepto faciendum diximus. Si in neruoſo membro uulnus fuerit eodem modo, quo dictũ eſt, uictus inſtituendus, & ſanguis mittendus, & corpus purgandum. Quod autem ad topica attinet remedia, cum etiam uulnera hæc contuſionem patiantur, & ex Galen. concoqui, ut diximus, debeant, habita naturæ partis ratione, unctuoſa admodum cataplaſmata, de quibus paulo antè egimus, omittenda, niſi forte dolor, aut aliquod aliud ſymptoma, quod ad ſe totam curã trahat, te huiuſmodi uti cataplaſmatibus cogat, ut quandoq; eſſe faciendum elegantiſsime iiij. method. ſcripſit Galenus. uerùm uulneribus iſtis ad leuandum dolorem, tuto emplaſtrũ ex uaccino lacte, pane, oleo roſaçeo, uitelliſq; ouorũ, & modico croco, uel ex althæa in oximelite, aut in lixiuio cocta, cui

Predicto arcet calumniam.

Quo inſtrumẽto in oſſe fixus glob poſsit educi.

In uulneribus in mẽbris principalib⁹ acceptis quid ſit faciendum.

Quid ſit agendũ ubi ſalutis & mortis incertus euẽtus ſit.

In chirurgia ſiunt monſtra.

Ex cõtuſione uenæ, aut arteriæ ruptæ difficile coaleſcũt.

Venis uel arterijs ruptis qd agendum.

Vulneris ĩ neruoſa parte accepti curatio.

Qualia cataplaſmata quæ uulneri in neruoſo membro excepto ſunt admouenda eſſe debeant.

cui etiam roſaceum oleum additum ſit, admouebis, uel quodpiam aliud cataplaſma compoſitum ex fabacea farina in lixiuio cum oximelite decocta uel pro fabacea farina hordeaceam, aut eruinã, ſi haberi poteſt, aut aliam eiuſdẽ facultatis aſſumes, ut vj. meth. ſcripſit Gal. ubi in antiquos inuehitur, cataplaſmata ex tracta farina cũ hydrelœo admouentes, quæ quidem in uulneribus cęſim factis uitanda ſunt, in contuſis aũt uulneribus, in quibus ſæpius nõ mediocris urget dolor, eorum confert uſus, quæ etiam cum dolorem non ualeant remittere, unctuoſis magis quandoq; utimur medicinis, & ad olei dulcis perfuſionem uel embrocationem (ut cum alijs loquar) confugimus, ut nos, cum Illuſtriſſ. Macedoniæ Principi intrepido duci medicaremur, in Mirandulenſi obſidione coacti fuimus, qui cum me ad uulneris qđ acceperat curationem uocaſſet, maximoq; dolore infeſtaretur, qui rotam ad ſe curationem uocabat, affectum membrũ oleo, quamuis neruis officiat Galeni freti ſententia iij. de comp. med. ſec. gen. irrigauimus, lanamq; cum œſypo (quam lanam ſuccidam appellant) ſimplici oleo & aceto imbutã, ut medicamẽti uirtus ad affectum locũ perueniret, ſuperpoſuimus, debent tñ medicamenta hæc actu calida admoueri, qñ frigidũ ulceribus & neruis inimicũ eſt, ut adducto loco ait. Gal. nec v. aph. xviij. tacuit Hipp. huiuſmodi tñ unctuoſa medicamenta uulneribus iſtis quæ in neruoſis ſunt partibus, moderatè magis quam ſi in carnoſo eſſent membro, imponenda ſunt. poſt tres uel quatuor deinde dies lumbricorum terreſtriũ puluerem oleo prædicto, quo affectum locum inunges, addes: Nec aut ad calidiora, aut ad ſicciora medicamẽta primis diebus, dum & contuſio & dolor adſunt, confugerem, ſiquidem in cõtuſionibus iſtis adeo atteruntur & contunduntur partes, ut quàm facillime ex quauis leui cauſa (licet mitia admoueantur medicamenta) inflammatio excitet̃, quæ acciretur facilius ſi calida medicamenta, ut pix cum terebinthina, & reſina abietina (q̃bus nos in uulneribus ab incidente telo factis abſq; inflammatione, & abſceſſu utimur) uulneribus neruoſarum partium admouerentur, hæc itaq; primis diebus uitamus. Verùm poſt dies primos uulneri oleo noſtro exiguam picis ſiccæ partem loco liquidæ picis addere non ueremur, præſertim ſi in genu uel cubito uulnus eſſet, nullaq; eo tempore extaret inflammatio. At ſi tendines aliqui ab ingenti illa contuſione detecti fuerint, aloën hepaticam, thus, ſarcocollam, uel puluerem lumbricorum terreſtrium, ut putredinem arceas, & alia ſarcotica loco ſuo deſcripta, admouebis: neq; penicillos in uulnus immittes, & ſi aliquos uelles imponere, breues admodum molleſq; ſint, ne dolor concitetur, qui primis in horum uulnerum curatione exhauriendus eſt. Ad hæc, ſi os aliquod globulus percuſſerit, ut os ilij, uel ſcapulæ, uel alterius partis, abſq; oſſis totius fractura (quod fieri poſſet ſi globulus latus uel tibiæ, uel fibulæ, uel femoris, uel radij, uel cubiti, uel humeri petierit, quamuis in ictibus iſtis rariſsime contingat, quin os à globulo ictum totum tranſuerſim rumpatur) primis diebus, licet diligenter explores, uniuerſum os eſſe ruptum non dignoſces, poſt aliquot tamen dies in puris generatione, iam fractum os laxatur ac diſſoluitur, & per conſcenſum, ut medici noſtri dicunt, os uniuerſum frangitur, quamuis totum à globulo percuſſum non fuerit. Aliud quod te maiori afficiet admiratione, addam, os à globulo percuſſum non ſolum in ea parte quam petierit globulus, rumpi poſſe, ſed in altera etiam parte, quam non tetigerit, per quandam, ut ita dicam, reuerberationem, ut fieri in lignis ſępe ſolet, quę in uno latere percuſſa, in altero per conſenſum, & reuerberationem ingentis percuſsionis franguntur, itaque id unà cum pluribus medicinæ candidatis, in nobili quodam noſtro Bononienſi animaduerti, qui à ſclopetario globulo ictus fuerat in maiore fibula circa medium cruris, cum totius illius oſsis fractura, neque in egreſſu ullo modo tibiam globulus lædere potuit, cum ſub ipſa interna parte uerſus ſuram per diſtantiam trium digitorum ab ipſa tibia egrederetur, cum autem

Et 3. de comp. med. ſec. gen.

Vnctuoſa medicamenta parcius uulnerib⁹ in neruoſis partibus accepti quam carnoſis ſunt admouenda.

Fortia medicamenta primis dieb. uulneribus cum contuſione nõ apponenda.

Tẽdinib⁹ detectis medicamẽta idonea.

Os totum eſſe fractũ primis diebus quandoq; non cognoſcitur.

Nõ ſolũ os in parte, quã globulus percuſſerit, ſed ĩ alia quoq; parte poſsit frangi.

Bononiam aductus nobilis hic fuiſſet, tibiam totam manibus pertractando,ipſámque totam cum fibula per tranſuerſum fractam reperi, infra ipſum uulnus in ſex digitorum diſtantia, hoc tamen ita eſſe Bononienſes medici, qui eum ex caſtris Bononiam deduxerant, negabant, quos tandem ratione, & experientia (quamuis,ut ſui moris eſt, pertinaces eſſent multúmque ſibi tribuerent) in meam adduxi ſententiam. Hoc idem in alijs quamplurimis obſeruaui qui à globulis ſclopetarijs uulnus inter tibiam & fibulam, & inter cubitum & radium, ſine magnorum oſsium fractura acceperant, ſed tamen modò iuxta uulnus ipſum, modò ſupra uulnus,modò infra,oſſa illa per tranſuerſum fracta depræhendebã, quod ob ingẽtem ruinam,& impetum,& quandam(ut ſic loquar) reuerberationem,uel rem huiuſmodi aliam,obtingebat. Et nos quoq; Turcam quendã arte tibiã annoſi bouis, æneũ piſtillũ oblongum aut ſaxum, modò in parte ea quam percutiebat,modò in alia rumpentẽ pugno uidimus,neq; tamen eo impetu quo globuli feriunt,res illas percutiebat:quocirca ad rem hanc animaduerſionẽ uertas,& ſi pertranſuerſum rupta eſſe oſſa nõ depręhenderis,ita ut dicemus, mẽbra illa pertractabis.Pręter hęc nunquid globulus alicuius oſsis ſupercilium,aut appẽdices,aut parua digitorũ oſſa percuſſerit, uel aliud quodpiã os in plures partes cõminuerit,uel in mẽbro detineat̃,uel uniuerſum membrũ penetrauerit,expendes.Si intus detineatur,ſi fieri poteſt,eo,quo diximus,modo extrahendus eſt,& quicquid cũ eo præternaturã in corpore fuerit,remouendũ. Si ſolus in corpore fuerit,neq; illa,de quibus ſupra egimus,adſint ſymptomata, naturę, ut iam diximus,eſt relinquendus.Oſsium deinde fruſtula,nũ forpicibus, uel uolſella,uel alio inſtrumento remouenda ſint etiam atq; etiam uidendũ, diſcántque hoc empirici,& carnifices medici, & hi qui callere optimè artem medicã uideri uolũt, qui dũ ęgrotis medent̃,uel eis potius mortem inferunt, ut aliquid ſemper agere uideantur,nulla ratione habita,oſſa quæcunq; forpicibus & uolſellis conantur euellere,& ſi magna, magnoq; conatu ligamenta, tendines,membranaſq; cum oſsibus diuellunt,inhumaniterq; neruos rumpunt ac laniant,non ſecus ac ſi brutorũ corpora,aut lapides tractarét,in quib⁹ experiri impune licet multis modis, neq;(modo os illud extrahant)ægrũ maximis illis cruciatibus miſerè ad interni cionem perducere uerentur. hi quantũ(dij boni) errẽt, quã rectè ad medicandũ edocti ſint Gal.in lib.de his quę in med.fiunt oſtendit,ubi fractorũ oſsiũ euulſionem multis rationibus prohibet,quia in eorũ euulſione ligamenta rumpunt̃,carneq;,& membranæ,atq; tendines,quibus oſſa adhærent & cõiuncta ſunt, diſſoluunt̃,ex quo dolores uehementiſsimi fiunt,abſceſſus ſubſequuntur,& mors ſæpe infertur,uel ſinus profundi relinquunt̃,uel uomica(quam fiſtulã appellãt)ita magna fit,ut ei nullo modo natura mederi poſsit.Atq; oſsiũ extirpatio magis cauenda eſt,qñ ſpes aliqua ſit eorũ fruſta, ſiue magna ſiue parua ſint, callũ contrahere poſſe,naturæ igitur hoc opus permittendum,quæ ſi callo cõminutas oſsiũ partes conſtringere non poterit,in nouæ carnis incremento ſine periculo ea expellet,& carne noua ſub oſſe genita,atq; oſſe per abſceſsionem, uel deſquámationem expulſo,cauum uniuerſum citra naturę incommodum replebit,quia ſic Hipp.in lib.de fract.cap.ſcribit,fragmenta quæ à natura abſcedunt, ſponte decidunt,à carne enim ea expellent̃ ſuboreſcente,qđ non tacuit Cæl.lib.viij.ca. iiij. quocirca Galeno admonente,oſsium fruſtula ſi parti alicui adhæreant,& ſi nullum pungendo dolorem inferant,ui non euelles: quod ſi quando per tranſuerſum deducta ſunt, uel à globulo ad partem neruoſam tendinoſamq; delata, ſtimulent, uel ſi propter pus quod fruſtula ea à ligamentis,membranis,& à carne ſeparat,ad aliquẽ deſcenderint locũ quẽ pungant tuto uolſella,uel forpice, uel alio inſtrumẽto ſenſim,ne magnus accerſat dolor,educes,q̃ ſi à mẽbranis uel ligamẽtis diuelleres,maximũ inde ſequeretur incõmodũ,q̃uis minima ea fruſtula eſſent:quare ſi cõmodè oſſa extrahere nõ poteris,opus ne aggre diaris,ſi q̃dẽ ſi primis

Marginal notes:
- Turcæ hiſtoria.
- ¶.
- Num forpicibus uel uolſella oſſa extrahẽda ſint uidẽdũ
- Nõnulli taxãtur medici.
- Oſsiũ fractorum euulſio à Gal. prohibet.
- Extirpatio oſſiũ quãdo magis ſit cauenda
- Et Auic.iiij. quar.cap.2.
- Oſſa quando euellenda.

mis diebus inflammationem prohibueris,& ab ægro mortis periculũ propulſaueris,ſatis erit, illa deinde educes oſſa, ſi poteris, qñ poſt puris generationé,à ligamentis natura ſeparauerit,uel ubi abſceſſerint,uel ubi ex aliméti defectu à cæteris oſsiũ partibus deciderint,ſi natura ea nó extrudet. Si fortè magnũ quodpiã os globulus impegerit,illudq; diſſoluerit,ut os tibię,fibulę,fœmoris,humeri, cubiti,uel radij,uniuerſumq; mẽbrũ perforauerit,& à ſede remouerit, dignoſces,ſi cũ ſano mẽbro affectũ membrũ cótuleris,uel ſi prius mẽbri ipſius naturalé compoſitionẽ ſciueris,ut Gal. in lib. de oſs.ſcribit, ſi liber ille legitimus Galeni liber eſt,uel ſi mẽbrũ manibus pertractãdo inęqualitaté perceperis,uel ſi punctióibus ęger afficiaẽ,ut Cęlſ.dicebat,uel ex totius mẽbri inflãmatione,quę ſemper omes fracturas ſubſeq ſolet:poſt hęc cognita fractura,digitis diligẽter explorabis nũquid uel ferri,uel pãni,uel alterius rei præternaturalis fruſtũ in mẽbro detineaẽ, quod quãuis aliâs ſępe faciendum admonuerim,tñ quia & utile, & neceſſarium eſt,illud ſubinde inculcare expedit:ac ſi aliquid retineri depręhenderis,arte ut illud remoueas,ſi fieri poteſt,conaberis.

Quibus notis communiũ os & à ſede propria remotum cognoſcatur. & P. ad glauc.

Cæterùm ſi cóponi oſſa illa poſſent,& ad prioré figuram reduci,& in propria ſede reponi,omni ſtudio ut id facias adniteris,ut ab Hipp.in lib. de fract.ſcriptum eſt,atq; etiam in illius lib.cómentarijs eius interpres Gal.ſcripſit longa oratione, quã in pręſentia adſcribere longũ & ſuperfluum eſſet,cũ ibi,quę de hac re ſcribunẽ,legere poſsis,neq; opus hoc naturę eſt demandandũ,ut ſcilicet ipſa luxata oſſa reponat, aut fracta cóponat, quia id natura pręſtare nó poteſt,ut elegantiſsime dicebat Gal.in lib de conſt.art. med: ubi oſtendit,quę naturę,& quæ medico quandoq; negentur.

Fracta oſſa, ſi fieri poteſt, cóponẽda ſunt, & luxata in ſede propria reponenda.

Quocirca exercitatus medicus blandiſsimè oſſa illa,ſi poſsibile erit,componet, & in propria ſede reponet,deinde ſtuppa in aceto madefacta,& expreſſa,oui deinde albumine, bolo armena,& alijs ſtipticis pulueribus, & oleo roſaceo(ut dolor leueẽ,& fluxi humores reſoluantur)obducta,nó ſolũ partem in qua fractura eſt,ſed ſupra & infra ipſam fracturã in latitudine ſex digitorũ mẽbrũ circundabis,obligabisq;, uel

Quod medicamentum poſt quã cópoſita oſſa fuerint, aut in ꝓpria ſede collocata membro ſit adhibendum.

ſi libet,pro medicamento hoc(niſi ſanguinis obſtiterit fluxus)linteolum amplũ cerato humido Galeni illitum,quod humores compeſcit fluentes,& doloré ſedat, admouebis,nullúmque peniculum uel paruum admodum in uulnus immittes, deinde totum membrum idonea faſcia deligabis, non tamen arctiſsimè faſciam adſtrinxeris,ut in fracturis,in quibus uulnus nó adeſt, fieri ſolet, nullumq; in faſcijs ipſis facies foramé,quemadmodũ nónulli ętatis noſtrę medici,ut dicemus, facere cóſueuerunt. Pręterea ferulę,ſeu aſſerculi,uel canales, in quibus uulneratum membrũ contineaẽ,fabricentur,ferulisq; illis membrũ, (ea duntaxat parte excepta in qua uulnus eſt,ne dolor refricetur)fulcies, & non arcta faſciatura ne exacerbetur dolor,&ne membrũ mortificetur,&ne oſsium callus prohibeatur,

Ceratũ humidũ Gale oſsiũ fracturis & luxationibus ac commodatũ.

deligabis,ſemper animaduertendo,ut differentia fiat à fractura cum uulnere, ab ea,quæ cum uulnere non eſt,ut Galenus admonuit, quo dolore, quam fieri poteſt,minimo æger conficiatur, & pus per uulneris orificium expurgetur. In tali igitur figura collocetur membrum, ut uulnus in decliuiorem partem uergat abſque dolore, ut commode excrementa purgentur: Sed in principio in ſitu accliui membrum ſit, oportet, ne ad uulnus humorum fluxus feratur, atque in hac figura totum triduum continebis, abſque ulla remotione, aut admotione medicamentorum, ut Hippoc. & Galenus in fracturis cum uulnere faciendum cenſuerunt, & inter cætera ſtudendum, ut affectum membrum in ea colloces figura,in qua dolore non afficiatur æger,ut Galen. cenſuit in lib. de his,quæ in med.fiunt,qui ſic ſcribit,primus idonearum figurationum ſcopus doloris uacatio eſſe uidetur,Galeno ſuffragatur Hippoc.iiij.de art.figurationum autem lęſorum membrorum tres ſunt ſcopi, ut loco citato refert Galen. quorum unus accliuis,alter decliuis,tertius æqualis ſeu rectus, quos in uarijs affectibus uariamus, ut iij.de fract.facit Gal. qui modo membrũ accliue collocat,modo decli-

In qua fig. mẽbrum in quo fractura cum uulnere fuerit ſit collocandum. tum in qua figura primis diebus cótinere debeat.

Figurationũ membrorum tres ſcopi.

Accliue membrum quãdo collocetur.

ue,ut iiij. de art. modo æqualiter ſeu media poſitura. Accliue collocatur membrum in principio fracturarum, uel defluxionum, quemadmodum eſſe faciendum iuſsit Gal.ne facilè humores ad membrum fluant, aut ubi ſanguinis fluxus formidatur,ut Gal.iiij.de art.ſcripſit.Decliue collocatur membrum,quando in eo ulcus eſt humidum,neq; ſanguinis fluxum, aut humorum, aut inflammationem timemus, & in decliui illa figuratione ſinus expurgatur,ut iiij. de art. Gal. ęqualiter uero membrum collocatur,cum nihil horum ſuſpicandum eſt,& perfecta ſanitas ſperatur: ſed in quauis figura membrum colloces,ſi illi pellem aliquam ſubſtraueris maximè profuerit,in qua pus colligatur,ne linteola,ut aduertit Gal. inficiantur. In his igitur figuris affectum membrum continebis, quoad nullum inflammationis immineat periculum,ut iij.de art.ſcripſit Gal.

In decliui figura quãdo mẽbrũ reponat.

Aeq̃liter quando membrum componatur.

Pellis mẽbro affecto ſubſtrata prodeſt.

Nec mireris,quamuis dixerim & locum in quo uulnus eſt,membrum totum in quo affectio eſt, eſſe faſciandum,neq; ullum orificium à quo expurgetur uulnus eſſe relinquendum,admiratione te potius noſtræ ætatis medici,atq; ex antiquis nonnulli afficiant,qui contra Hipp.& Gal.placita ſcripſerunt,uolueruntq́; membrũ in quo eſt fractura cum uulnere,hinc & inde eſſe faſciandum faſcia circa uulnus ipſum,ubi fractura eſt ad formam.x.literæ Græcæ deducta,relictoq́; foramine ꝓ uulneris curatione: quod grauiſsimis authoribus,rationi experimentoq́; aduerſatur,ut xj.meth.Gal.admonuit,quo loco eos uellicat,qui nulla facta euacuatione,plenitudine,uel quod ad uires;uel quo ad uaſa exiſtente,topica adhibent medicamenta,quæ ut pars illa inflammatione urgeatur in cauſa ſunt, ſic enim ſcribit.Quippe hi cum ex his quæ ipſimet faciunt phlegmonas ſemper excitent, nó " animaduertunt, ſed ijſdem ſemper erroribus implicantur, ueluti Hipp.ijs acci- " dere dixit,qui hinc & inde oſsium fracturas cum uulnere deligabant, etenim illi " cum phlegmonas in uulnere crearent, non tamen deſtiterunt, rati id adeo non " ex deligatura,ſed alio quopiam errore incidiſſe. Hippoc.quoq; in lib. de fractu. " ubi de fracturis cum uulnere agit, huiuſmodi medicos undiquaq; fractum mem " brum cum uulnere non deligantes, damnat: qui propter illam faſciaturam hu- " mores ad uulnus confluere cogant, qui deinceps abſceſſus & inflammationis " cauſa eſſent:ſed id ob ſuam illam faſciaturam accidit, quæ humores ad locum illum faſcia non circundatum,qui ex uulnere & ex fractura iam imbecillis eſt,propellit,quæ incommoda, ſi uniuerſum confractum membrum in quo uulnus eſt obligaretur,&totum triduum ſine medicamentorum remotione ſic permitteretur,uitarentur:eo tamen tempore ſi æſtiuum tempus fuerit, ſplenijs uino imbutis membrum fouebis,& uino quoq; irrigabis.Si uerò hybernum tempus fuerit, lanam quæ uinum nigrum adſtringens & oleum combiberit, qua affecta pars foueatur,admouebis,repelluntur enim uino humores,& oleo dolor miteſcit.

Non deligantes uniuerſum mẽbrum cum fractura damnat Hipp.

Quando in faſcia foramẽ ſit faciendum & quomodo.

Poſt triduum,cum eo tempore uulnus ſuppurari incipiat,peritus medicus forpicibꝰ optime ſecãtibus faſciam ſupra uulnus aperiet,quam apertam & perforatam ſic relinquet,caueat tamen dum faſciam illam forpicibus ſcindit & perforat,ut uulneris orificium detegat, quo commodè pus egrediatur, ne cæteræ faſciæ partes relaxentur,idcirco ut hoc deuites faſciam in medio ſecabis, idoneaq́; medimenta & uulneri contuſo accommoda deinde admouebis, ut antea dictum eſt,rurſusq́; faſciatura duntaxat retentiua (ut ita dicam) uulneris orificium conteges, & deligabis,quoniam tunc iam humores quieuerunt,atq; hæc Hipp. eſt,& Gal. ſententia,à qua poſtquã diſcedere nolui,fœliciter ſemper curationes fracturarũ cum uulnere ceſſere,ſecus tamen, dum meos præceptores aliter facientes ſequi uellem,obtingebat.Nec te moueat contuſum eſſe uulnus,& quod ita ſanari facile faſciatura,& medicaminibus ac ſi ab incidente telo factum fuiſſet, non poterit, quoniam,ut loco adducto ſcribeb.Hipp.& in lib.de fract.calua. oſſa abſque contuſione & colliſione non rumpi poſſunt, & tamen eo quo diximus modo ex eiuſdem ſenten.fracturæ cum uulneribus curantur:Cęterum innumeros uſus

Abſq; contuſione & colliſione oſſa nõ rumpuntur.

faſciatu-

faſciaturæ perpende, quos Hippoc.in libro de his quæ in medic. fiunt, & in libro de fract. ſcripſit, faſciatura ſiquidem non ſolum diſſoluta oſſa retinet in ſua ſede, & luxata in proprio ſitu, uerum etiam ab affecto membro humores repellit, robúrque membro addit, ne ex relaxatione & uulnere confluentes ſuſcipiat humores, rurſus qui fluxerunt humores collectíque ſunt, diſcuit & reſoluit, quamuis extra uenas ſanguis eſſet. Si igitur in uulneribus iſtis cum fractura ob medicorum inſcitiam, ut factum ſæpe fuiſſe animaduerti, prætermiſſa fuiſſet ligatura, faſcia tu membrum eo quo dixi modo diuincies: attendendo ſemper animum, num inflammatione uulnus illud urgeatur, quod facile fieri poſſet, ſi primis diebus neglecta illa fuiſſet faſciatura, nihilominus diligenter eo quo poteris modo comminuta illa oſſa repones, ac ferulis membrum munies, neque ita arctè illud faſcia obligabis quemadmodum ſi die prima medicinam feciſſes, deligaſſes, relinquendo in faſciatura orificium à quo uulnus expurgetur, atque ſic faſcia deuinctum membrum ad perfectam uſque curationẽ relinques, niſi fortè aliquod inſigne ſuperueniat ſymptoma, quod te remouere faſciam urgeat: ſed tamen faſciæ remotionem quantũ in te eſt fuge: neque ſecundo membrum ita ut prius obligari poſſe cõfidas, quia ſi Hipp. rationi, & experimẽtis credendũ eſt, ſi antequam comminutũ os callũ contraxerit faſcia remoueatur, & locus propter maximam relaxationem debilitatur, humórque qui in callum uertebatur, ex quouis motu minimo diſſoluitur, hinc abſceſſus, inflãmationes, & dolores ſequuntur, quæ omnia uitanda ſunt. quocirca ne naturã interturbes, & eã ab opere diſtrahas, faſcias nullo modo, ſi fieri poteſt, dimouebis. Inſuper ſi os abſceſſurũ eſſet, uel ipſius deſquãmatio expectaretur, aut ſi oſsis fruſtulũ per tranſuerſum membrũ à globulo eſſet detruſum, & ob faſciæ compreſſionem, dolorẽ uel puncturam uerereris, laxius membrum obligabis, & ſi arctè deligatum fuiſſet, ligaturam remittes, ut oſsium fruſtula illa exire ualeant. Abſceſſurum os, & quicquid præter naturam in uulnere eſt, ſiue ferri laminula, ſiue panni fruſtulum, ſiue quiduis aliud ſit, iſtis notis dignoſces, ex puris ſubtilioris copia maiori quã uulneri illi cõuenire uideatur exeũte, ut iij. de fract. de oſſe abſceſſuro ſcribebat Gal. ex carne laxa mollicꝫ in ipſo uulnere apparente, quo tempore remiſsiori deligatura, ut diximus uteris, quod ſi ſponte poſt multum tẽpus os iſtud abſceſſurũ eſſet, tunc faſciam remittere non eſſet opus: quoniam poſtquã diſcuſſus reſolutúſque tumor fuerit, qui primis temporibus uulnera ſolet inuadere, ſponte relaxabitur faſcia & remittetur, aſſerculos tamen illos quibus membrũ prius fulſeras, niſi poſt tẽpus in quo inflãmationis imminere ſolet periculum, non amouebis, & licet horum aſſerculorum uſus ab Hipp. in lib. de fract. interdicatur, non ſimpliciter, ſed lege aliqua in fracturis omnib. nõ eſſe adhibendas ferulas, Hipp. ſententia intelligenda eſt: proinde quemadmodum me aliàs ſæpe facientẽ uidiſti, primis tẽporibus, mẽbrũ in quo fractura cũ uulnere eſt, ferulis fulcies, ne propter aliquẽ motum à loco proprio oſſa cadant aut membrũ inflectatur, & ita inflexa oſſa callũ obducãt. In noſtris præterea fracturis etiã perpendendũ, nõ ſolũ per tranſuerſum oſſa rũpi, ſed in minutiſsimas, & tenuiſsimas partes: interdũ quocꝫ oſsis ſubſtãtia deperditur, quæ modo abſcedit, modo à reliquis oſsis partib. ad aliã partẽ defertur, ita ut quandocꝫ oſsis pars deſideretur, quapropter exilius redditur mẽbrũ, & in ſede propria confractũ, uel luxatũ os obfirmari nõ poteſt. in fracturis autẽ illis in quib. ferulas ꝓhibeat Hipp. nulla oſsis pars deſiderabãt. quare primis diebus ferulis fracturas iſtas cõmunies. Sed ſi ferulas, ob abſceſſum aliquẽ aut in uulnere aut circa uulnus natũ, neglexeris, cũ bis in die æſtiuo tẽpore uulneri medicari, & membrum faſcia obuoluere neceſſe ſit, ne (quod oſcitanter nonnulli faciunt) à lecto aut puluinari aliquo membrum affectum moueas, quandoquidem ex motu illo non mediocres irritantur dolores, qui licet à medico floccifiant, uitandi

Faſciaturæ uſus.

Mẽbrũ à quo ſemel ligaturas remoueris non ita ut antea fuerat ligatum, deinde obligabis.

Faſcia nullo modo ſi fieri poteſt remouenda.

Quibus notis quæ abſceſſura ſunt dignoſcentur.

Quãdo remiſſiori ligatura utendum.

Ferulæ quando remouendæ.

In quibus fracturis ferulas prohib. Hipp.

Oſsis abſceſſuri ſigna certiſsima.

tamen pro uiribus ſunt,cum bis ſingulis diebus acciantur, quia & abſceſſus & inflammationis cauſa eſſe poſſunt. Certiſsima ſigna oſsis abſceſſuri hæc ſunt,ſi pus ſubtile, & copioſum magis quàm uulneris magnitudini conueniat fluat,ſi ulceris labra coeant,neque coaleſcant,ſi æger internum quendam motũ in mẽbro percipiat,& tunc febres conuulſionesq́ ſequi facile ſolent,neque proinde ullo modo faſciaturas illas intermittes, dabis tamen operã ne dum membrum eleuas,dolorem facias,ſiue ita membrum ex contuſione ſit affectum,ſiue ex inciſione, ſiue unum os,ſiue duo cõminuta et confracta ſint,et faſcias ſic aptabis, membrúmque pertractabis. Primum medicamenta uulneri adhibebis,ſub mẽbro deinde in quo uulnus eſt faſcias,ut expediet amplas gradatim, ut a. b. c. d. ſubijcies,tantæq́ longitudinis eſſe debent,ut membrũ ſi opus ſit duplici modo deligare ualeant,linteolũ deinde ſubſternes, uel ſubtile coriũ,ne lectus aut lintea inficiantur,cum apto puluinari ex lino uel panno confecto,ut aptius excrementa colligantur, remoueriq́ poſsint,& faſciarum capita modo nodis cõiunges,modo acu ſi uidebitur cõſues,ut in figuris infra patebit. Has deinde faſcias ſine moleſtia diebus ſequentibus exolues, uel diſſues, cum uulneri mederi, & pus abſtergere uolueris,ſine membri eleuatione, & dolore:hoc pacto nos uſq; ad perfectam mẽbri curationẽ medicari ſolemus, ſæpeque ægrotantes ut quieſcant adhortamur,ſi priſtinæ ualetudini reſtitui cupiunt. Nec fidẽ illis præſtes, qui ita affectum membrum abſque faſciatura permitti poſſe dicunt, quot enim ex faſciatura ſequantur cõmoda iam ex Gal. didiciſti:puluinaria deinde à latere uulneris,ut res poſtulabit collocabis, quibus etiam membrũ confirmabitur magis.Hunc ordinem ſi ſequutus fueris, uulnera quamplurima dubio procul, ab inflammationibus uindicabis,rectéque curabis,& me uera declaraſſe percipies,aliorumq́ nugas,quæ reuera ſine docti uiri alicuius authoritate,ſine ratione experimentoq́ prolatæ ſunt, parui facies.Aliud ſcitu & animaduerſione dignum non prætereamus,oſſa uel carne uel cute denudata aliquo oleo non eſſe inungenda,illud enim quanquam ſiccæ naturæ ſit,oſsibus tamen,ut docet experientia,aduerſatur,huiúſque rei ratio reddi poteſt,quia quamuis ſicci tẽperamẽti os ſit,ſiccíſque medicinis,ut vj.meth.ſcribit Gal.gaudeat, tamen cum poroſum ſit, & oleum tenuium ſit partium, facillime per poros illos in os penetrat, nec inde facile egreditur, quare putredine corripitur: hac ratione oſsibus oleũ aduerſiſsimum eſt,ut aliâs dijs benè fauentibus in noſtris commentarijs in cap. xc.vi.lib.Paul.in quo de caluariæ fracturis ſermo habetur,fuſius dicemus, quo circa ſuper detectum os ſicca pones filamenta, quouſque futuræ inflammationis nulla adſit ſuſpicio, uulneris uero labijs tetrapharmacum,uel picatũ medicamentum,quæ olei uiſciditate carẽt, admouebis:& ſi libet de noſtro etiã oleo uulneris labris tutò etiã adhibebis, in cæteris ea quæ iam docuimus omnia obſeruabis,non neglectis his quæ à medicis uniuerſalia dicuntur,præſertim in uictus tenuis inſtitutione,ut iiij. de fract.fuit Hipp. ſentẽtia,ubi affectos fractura cum uulnere,ita,ut qui in capite uulnus accepère, eſſe tractandos aſſerit. Eorũ ſententiæ,nec ſubſcribas,qui alijs fracturis cum uulnere fortaſſe ſic eſſe medendum dicunt, non autem ijs quæ ab iſtis tormentis billicis fiunt: quoniam ex Hippoc.ſẽtentia,omnes fracturæ cum contuſione ſunt, ſimiliter ergo, ut cæteræ fracturæ cum uulnere ſunt pertractandæ : quod ſi tibi moleſtum eſſet, eo quo diximus modo, faſciam illã qua obuolutum eſt membrum, in quo cũ uulnere fractura eſt incidere, tuto etiam membrum illud faſcijs circumdabis, modo illo quem Paul.lib.vj. cap.C.IX.de fract. cum uul.docuit,in faſcia parua orificia relinquendo,pro uulneris curatione, illámque à lateribus uulneris deducendo ad figuram X.Verũ præter ea quæ à Paulo fuerunt declarata,poſtquã membrũ communiueris, & illud faſcia,uel hoc uel antedicto modo,obligaueris,puluillum ex ſtuppa cõceptum(tantæ magnitudinis craſsitudiniſque,ut ora illa

Quid in fracturis cum uulnere ſit primũ faciendum, & quid ſecundo &c.

Oſsibus oleũ aduerſatur, & quare.

Super detectũ os filamenta ſicca ponẽda.

Labijs uulneris quæ medicamenta adhibenda.

Qui uulnere cum fractura affecti ſunt eo modo quo ij qui in capite uulnus accepére tractandi.

Alter modus faſciendi mẽbrum in quo fractura cum uulnere ſit.

illa in faſca derelicta tegat) in aceto madefactum, & deinde expreſſum, & medicinis illis de quibus paulò ante diximus, illitum, illi orificio relicto admouebis, quem faſcia quæ membrum ter poſsit ambire, nonnihil arctè deligabis, quã deinde poſt tres dies ſolàm, cum medicamentum adhibere uulneri opus fuerit, ut iam à nobis dictum fuit, remouebis. neq; ob id ab Hipp. præceptis diſcedes, quoniam hoc etiam pacto undiquaque membrum uniuerſum fractura cũ uulnere affectum, circumdatum & communitum erit, ſi diligenter quæ diximus omnia obſeruantur. hæc eadem obſeruabis ſi in uulnere illo globulus ſit quem educere non potueris, ferulis tamen leuioribus quàm ſi ſolum fractura ſine uulnere eſſet, & ſine globuli retentione, membrum fulcies, modò nullum aliud adſit ſymptoma, ut dolor, gangræna, pruritus, inflammatio, eryſipelas, exeſio, aut putrefactio, quæ ſępe in iſtis uulneribus ſolet adeſſe, aut ſphacelus, aut œdema, aut ſcirrhus, ſi in iunctura affectus ſit, aut prope ipſam iuncturam, aut ulcus fluidum, aut ſordidum, aut caro addita, aut ex uetuſtate calloſitas (ut ſic dicam) labiorum, ut Galen. iiij. meth. declarabat: quibus omnibus ſymptomatibus niſi fuerit conſultum, ſiue ſola ſit fractura, ſiue cũ uulnere, ſiue ſolum adſit uulnus, nunquam fieri poterit ut uulnus ſanetur, ut citato loco dicebat Galen. & Hippoc. in libro de ulcerib. qui ſic ſcribit: ſi aliquod in uulnere adſit ſymptoma, illud conſolidari nequit: quapropter ſymptomatibus ſumma cura occurrendum, cum quandoque magis quàm uulnera ipſa, ac cæteri affectus præter naturales urgeant, ut xij. meth. ait Galen. totamq; ad ſe curationem uocent, ut idem xj. meth. ſcribit. Symptomatibus igitur prius proſpicies, quando ſi adfuerint, ut ſanetur uulnus eſt impoſsibile, & ſi urgeat neceſsitas faſcias ipſas, quibus membrum iam deligatum fuerat, etiam diſſolues: Dolorem præterea ſimplices fracturas ſequi, ex his quæ in lib. de fract. ſcribit Hippoc. perſpicuum eſt, uerùm eius cauſa diligenter indaganda, nunquid ſcilicet ob os aliquod pungens, an ex mala membri figuratione, an ex ultra modum calidis medicinis, an ex humore ad locum affectum fluente, qui partes extendendo continuum ſoluat, & malam inducat intemperiem, an à ſimili alia cauſa contingat, niſi enim morbi cauſam ſcieris, ut præter naturalem remoueas affectum, impoſsibile eſt, ut dicebat Galenus in libro de conſtit. art. med. Si propter os pungens infeſtet dolor, tactu & leui contractatione, uel uerbis ægrotantis dignoſces, miteſcétque dolor huiuſmodi faſciarum remotione, aut relaxatione, ferulíſque amotis, uel ſi illud os, ſi fieri poterit, extraxeris. Si ex medicinis contingat, exercitatus medicus ex carnis colore percipiet, eáſque mutabit, & in membro contractam intemperiem remittet, & faſcias laxabit. Si ex humorum defluxu, ſi nullum ex prædictis ſymptomatibus, neque ſignum aliquod quod futura prædicta ſignificet ſymptomata, adſit, tumor & futuræ inflammationis ſigna apparere incipient, cui illis rationibus & medicinis, de quibus paulò ante egimus, proſpicies, curámque totam ad ipſam inflammationem conuertes, & faſciam remittes. Si noxius pruritus accedat ex ſaniei acrimonia cutim exedente, id ab ægro percipies, & ex puſtulis in cute apparentibus: membrum itaque aqua perfundes & lauabis temperata, ut ſaniem illam pruritum facientem eluas, quod faciendum Hippoc. & Galen. cenſuerunt, nos etiam quandoque aqua ipſa ſalſa membrum madefecimus, nec non linamentum ex unguento aliquo ſucco plantaginis diluto, uel ex albo unguento Pauli, uel Raſis cum camphora paramus, & illud penna exceptum inter faſciam & membrum ponimus, aut partes membri illius pruritu affecti unguento populeonis, & ſimilibus quibus facilè pruritus remouetur illinimus, abſque faſciarum remotione, ſi tamen pruritus huiuſmodi non remoueretur, faſciam relaxabis, ut commodè membrum inungas, & prurigínem arceas: ſic etiã idoneis medicinis tumori alicui phlegmonoſo aduenienti, & in abſceſſum prorumpenti, prouidebis. Cęterùm ſi in uulneribus ſiue oſsiũ

Leuioribus ferulis membrũ in quo fractura cum uulnere ſit ſi intro globulus retineatur eſt fulciendum.

Et Cæl. lib. 5. cap 26.

Vulnus cum ſymptomate non ſanari poteſt.

Simplices fracturas ſequitur dolor.

Et in lib. de inæq. intemp.

Dolor ex pungente oſſe quomodo cognoſcatur, & remittatur.

Doloris notæ ex fortib. medicinis

Ex defluxu dolor quomodo deprehendatur.

Pruritus à quibus colligatur & quibus medicinis ſanetur.

Quibus modis phlegmoni fracturis ſuperuenienti occurri poſsit.

fracturis, uel cum fracturis phlegmon ſuperuenerit, ut fieri ſæpe ſolet, ut tertio & octauo Meth. ſcribit Gal. ne phlegmon adaugeatur prohibere oportet: facilè autem prohibebis, uniuerſalibus & concoquentibus, uel ſi rurſus uniuerſalia ipſa ratione noui morbi ſuborti cum concoquentibus reiterabuntur, & repetentur.

Phlegmoni alia in parte q; ubi eſt fractura orta, quomodo medendum.

Sed ſi in parte alia quàm in ea in qua uulnus & fractura illa erat, (ut fieri ſæpe ſolet in plagis quas bombardici globuli faciunt,) phlegmon ſuppuretur, ſuppuratorio aliquo cataplaſmate facilè ad exituram (ut cum Arabibus loquar) deueniet, quem etiam ſi opus fuerit, lanceola potius quàm falcato illo

Lanceola potius quàm falcato inſtrumẽto abſceſſus ſecandi.

inſtrumento, quo noſtrates medici in ſecandis huiuſmodi abſceſsibus uti conſueuerunt, ſecabis: quia acutum magis ſubtilemq́ aciem habet lanceola, parteſque diſſecantur facilius, & per carnem ſine ferè noxà, doloréque tranſmittitur. Falcatum autem illud inſtrumentum cum ſit magis craſſum, minus ad abſceſſus diſſecandos utile eſt, multáque incommoda, quæ lanceola uitantur, affert. Hoc itaque modo in abſceſſu collecta ſanies effluet, & expurgabitur. Quod ſi cutem nolles ſecare, medicamento aliquo eruptionem in cute facien-

Et à Paul. li. 4

te, & abſceſſum adiuuante uti poſſes, quale à Galen. in lib. de comp. med. ſecun. gen. deſcribitur. Primum igitur ut abſceſſum aperias medicaminibus attrahendi & colligendi uim habentibus operam dabis, & ad id maximè accommo-

Cutem rũpentia medicamẽta.

dum eſſet baſilicum unguentum Meſ. quod abſceſſus rumpit, materiam ad cutem attrahendo: ſi res hoc medicamento non cedit, ad alia medicamenta à Galeno & à Paulo deſcripta confugies, ut ad emplaſtrum ex radicibus narciſsi in mulſa coctis, cum radicibus iridis, uel ad emplaſtrum aliud, ex mollibus arundinum radicibus cum melle & ſimilibus factum, aut ad aliquod ſepticum medicamentum in forma olei per artem chymicam deſtillati, aut ad aliud quod ſic-

Sponte ſi naturæ permittuntur abſceſſus rũpuntur.

cæ ſit ſubſtantiæ, quod infrà deſcribemus. Verùm niſi à medicaminibus huiuſmodi aperiatur abſceſſus, ferro ut diſſeces melius eſt, minor ſiquidem fit dolor, neque locus inflammatur, & citò ſanies effluit. Naturæ tamen ſi permitterentur abſceſſus, ſponte omnes rumperentur, propter ſaniem carnoſas partes cutemq́ ipſam erodentem, & propter expulſiuam uirtutem, quæ continuè ad ex-

Quando coacti abſceſſus diſſecemus.

teriora ſuperfluitates expellit. Sed ſi intẽſus infeſtaret dolor, & periculũ impenderet ne pars aliqua princeps, aut neruoſa, aut uenoſa, aut arterioſa exederetur, abſceſſum excidere cogeremur, ut citò ſanies euacuaretur, neque naturæ pro-

Quomodo ante perfectam ſuppurationẽ incidantur abſceſſus.

uincia hæc eſſet deleganda, propter urgens periculum. Quin ſæpe ante perfectam abſceſſus ſuppurationem, ut impendentia pericula uitemus, ipſi lanceolam adhibemus, ut ſi in articulo aliquo, uel in pectore, uel circa anum, uel in oculorum angulis, uel in iuncturis abſceſſus eſſet, ne ex puris acrimonia & nitroſitate corrodantur, & corrumpantur tendines, & affecti membri motus aliquis deperdatur, ut in lib. de motu muſ. oſtendit Galen. uel ad nobile aliquod membrum pus deſcendat: quod facilè contingeret, ſi in pectoris partibus abſceſſus eſſet: proinde ipſum excides antequam pus cutem erodat, & ad interiorem tho-

Abſceſſus ani ante ſuppurationem ſecantur, & qui in oculorum angulis oriũtur, & quare.

racis partem penetret, & uomicã ſeu fiſtulam efficiat, ut Auic. docuit, hac etiã de cauſa abſceſſum circa anum ortum ante ſuppurationem diuidimus, ne propter loci humiditatem uomica fiat, ut in lib. de fiſt. ſcribit Hipp. ſic etiam abſceſſus in angulis oculorum orti, ut uomica uitetur, ut ait Aëtius, diuiduntur: quapropter in his affectibus curandis horum grauiſsimorum uirorum, à quorũ placitis nunquam nos diſcedimus, authoritatẽ non diffugies: ipſos deinde diuiſos

Secti abſceſſus quomodo curandi.

abſceſſus ſic curabis, ac ſi ſuppurati & aperti ſponte fuiſſent, medicinis ſcilicet pus mouentibus. Principio igitur diebus primis tetrapharmacũ, aut noſtrũ digeſtiuũ lotũ impones, uel digerens medicamentũ ex terebinthina, & oui uitello confectũ, admouebis, uel alia ſimilia medicamẽta à Gal. in lib. de com. med. ſec. gen. & xiij. Meth. deſcripta adhibebis. Si uerò ſinus eſſet, uel ulcus humidum linteolũ diaphœnicino unguento in melino, uel anetino, uel omphacino oleo

colliquato illitum admouebis, quod etiam mirum in modum prodeſſet, quamuis adhuc ſuppuratus abſceſſus non eſſet, & in mẽbro rubor extaret, ut ait Gal. iiij. de com. med. ſec. gen. poſſes quoque nonnunquam adſtringente uino ulcus ipſum abluere, quod ſi hæc parum prodeſſent medicamenta, ad alia, locis ſuis à medicinæ authoribus deſcripta confugies, de quibus abundè Paul. & Galen. ij. ad Glauc. ſcripſere: In excidendis abſceſsibus à Pauli præceptis lib. vj. ca. de abſceſsibus deſcriptis non diſcedes, nec ab ijs quæ à Galen. iiij. de anatom. adminiſtr. & multis alijs locis tradita ſunt, de quibus deo fauente in noſtris cõmentariolis in vj. lib. Paul. agemus. Gangræna quoque non ſolum fracturis, ſed uulneratis membris, & exulceratis, aut alio morbo affectis accidere ſolet, uerùm nos hoc loco ſolum de Gangræna quæ fracturis, & alijs partibus abſque

Diaphœnicinum non ſuppuratis abſceſſibus etiam utile.

ulcere accidit, agemus: quæ nihil aliud eſt, quàm principium mortificationis (ut ita dicam) membri, cui adhuc ademptus ſenſus non ſit, ſed hebeteſcat, ut Galenus ſecundo ad Glauc. ſcribit, quæ quidem licet ob multas cauſas fieri poſsit, eius tamen ut plurimum præcipua cauſa eſt uehemens inflammatio, cuius occaſione, propter ſanguinem plurimum in affecto loco impactum, & propter arterias ob loci anguſtiam ſeſe dilatare nequeuntes, membrum (niſi citiſsimè præſto ſimus) emoritur: Gangræna igitur ſi medicinis non curatur, aut remittatur, propter eius malitiam, & propter humorum multitudinem in affectum ſæuiorem deſinit, in membri ſcilicet extinctionem, uel in ſenſus membri illius hebetudinem. Sed hebetudo hæc gangrænæ nomen non meretur, nec ita debet nominari: Sed ſecundum Arabes aſcachileos, & ſecundum Latinos ſyderatio, cum ſcilicet membrum ſenſu deſtituatur, ac quaſi ſtupeſcat,

Gangræna qd ſit.

Et in lib. de tumor. præt. na. & Paul. lib. 4. & Aet. 4. tetra. ſerm. 2.

Gangrænæ cauſæ.

Gangræna in quem affectũ deſinere ſoleat.

ut in paralyſi fieri ſolet: differt tamen à paralyſi ſyderatio non parum, quoniam hæc membri corruptionem ſequitur, & à ſimilitudine membri emortui ſic nuncupata eſt à Galeno iiij. de diff. reſp. à Græcis σφάκελον uocatur, ut Paul. ait & ut etiam à Gal. vij. de anat. adm. & vij. aph. L. ſcribitur: ubi oſtendit ſphacelum, cutis carniſq; & neruorum eſſe corruptionem, quæ ſi ita ſæuiat ut oſſa etiam ipſa carie infeſtentur, eſthiomenos nuncupatur, uel ſphacelus, quoniam ſic quandoque capitur à Galen. iiij. meth. & in lib. de tumor. præter naturam, uerùm nomen hoc eſthiomenos, idem apud Arabes & Græcos ſignificat, ulcus nimirum depaſcens & exedens putrefaciendo, ut ait Galen. in lib. de tum. præter nat. conueniunt igitur eſthiomenos & Sphacelos, quia exedit uterque, & depaſcit: quapropter gangrena medium quoddam erit, inter inflammationẽ & ſphacelum ſeu eſthiomenum, non enim in gangræna tantus eſt ſenſus, ut in inflammatione, nec ita ſenſu membrũ caret, ut ſi ſphacelo infeſtaretur, quæ tanto ſæuior eſt, & peior inflammatione, quanto ſyderatione leuior eſt inflamma-

Syderatio à paralyſi in quo differat.

Quid ſit ſphacelus Galen.

Et 2. ad Glau & 14. meth.

tio. Syderatio totius eſt membri ſubſtantiæ corruptio, quæ cum adeſt curari nullo modo poteſt abſque membri amputatione, primis tamen diebus quando adhuc perfecta ſyderatio nõ eſt, ſed gangræna quæ ad ſyderationem tendit, ut Gal. iiij. de fract. ait curationem admittit, curabitur igitur euacuato, quàm fieri poteſt, ſanguine plurimo, in affecto membro impacto, propter quem membrum corrumpitur. Tota itaque cutis multis profundiſq; uulneribus, unà cum ſubiecta carne ſecanda eſt, uel frequentibus & altis caprificationibus incidenda, abſque ſubſtantiæ exitio, membrum ad propriam figuram, & humorũ ſymmetriam, ut in uera morborũ curatione fieri ſolet, transferendo. Sed in omnium

Syderatio abſque mẽbri amputatione nõ curatur, niſi cũ adhuc perfecta non eſt.

Non perfecta ſydera quomodo curetur

morborũ curatione, ut ſæpe Gal. admonuit, ipſorũ cauſa prius inueniẽda, & abſcindenda eſt, deinde ad ipſam quæ facta eſt ægritudinem deueniendum, proinde gangrænæ cauſæ quamuis uariæ ſint, & ab omnibus ſcribantur, ſæpius tamẽ inflammationis ſequitur magnitudinem, ut iiij. de art. legitur, fit itaque ut plurimum à ſanguine copioſiſsimo in aliqua parte collecto, ſiue propter dolorem fuerit attractus, ſiue ſanguis ille propter uulnus in illam defluxerit partem,

In morborum omnium curatione, cauſa morbi prius inuenienda, & auferenda.

Et 2 ad Glau.

Gãgrænæ cauſa frequens.

Sanguis colle

ſiue propter partis imbecillitatẽ fuerit ſuſceptus, qui deinde cum euacuari aut diſſlari non poſsit, corrumpitur, ſic enim ſcribit Gal. in lib. de inæquali intemp. „ quippe quæ perſpiratu carent celerius putreſcunt, & calor ita ibi ferueſcens ca„ lorem præter naturam accendit, qui poſtea natiuum extinguit calorem, perin„ de atq; maximus ignis exiguã flammam, & membrum comburi & mortificari „ incipit, nutrimentoq; membrũ & uitalibus ſpiritibus priuatur, & ita deinceps „ cutis, caro, nerui, & oſſa deniq; corrũpuntur, uniuerſumq; membrũ emoritur, idem in lib. de tum. præter nat. refert Gal. Fieri quoq; poteſt ex membri magna refrigeratione, ut ijs ſæpe ſucceſsit, qui per niuem iter fecère, quibus etiam perniones accidunt, id eſt affectus illi qui à noſtratibus Bononienſibus buſanchiæ dicũtur, uel mal de la mula, deinceps membri illius mortificatio ſequitur, ſed in primis ſtupor fit, & hebes redditur ſenſus, propriusq; mẽbri mutatur color, ob frigus ſpiritus uitales animales & naturales intercipiens, ex quo gangræna primum afficitur membrum, totum deinde emoritũr, fitq; ſyderatio. Atq; frigus affectum huiuſmodi poſſe conciliare perſpicuum euadet, ſi ad longum frigidorum medicamentorum uſum adhibueris animum. quæ eryſipelatibus & inflammationibus admota, adeò quòd ad particulam influebat prohibent, & quod in parte ipſa continetur, ne diſſletur impediunt, ut ne ſpiritus quidem illuc deferantur, aut per halitum reſoluantur, hoc etiam fieri hyberno tempore, cum niuibus terra contecta eſt, aduertere poteris, quemadmodum eleganter Gal. ij. de comp. cauſ. mor. ſcripſit, ubi morbos uel ab aëris ambientis frigiditate, uel ex uicinitate rei frigidæ fieri ſcribit. Sciendũ tamen, quamuis ut membrum corrumpatur inflammatio cauſa ſit, tamen ad eam cauſam quæ impedit tranſpirationẽ reduci poſſe, ſiue prohibita hæc tranſpiratio à medicinis frigidis, ſiue à frigore, ſiue à multitudine collecti ſanguinis cauſam habeat, & quia tranſpirationi uariæ cauſæ poſſunt obſtare, proinde curationis ſcopi mutari debent, neque mali quidam medici imitandi, qui uni morbo uno ſemper modo, nulla diſtinctione, aut ratione cauſæ habita, quæ ipſum morbum fecerit, citraq; delectum eorum quæ ab ipſis, quos profitentur, authoribus docentur medicari ſolent, & ſe bonos eſſe medicos ob duos aut tres medicinæ canones, quos uix intellectos memoriæ mandauerint, putant, partem alterã medicinę chirurgiã nempe ipſam omninò cõtemnẽdo, ſed boni medici nec ne ſint, aliorũ eſto iudiciũ, ego aũt quo modo hoc nomine ſint digni nõ planè intelligo, una uix parte medicinæ intellecta, & reliquis quibus ars ipſa perficitur, de quibus Gal. in lib. de fract. & Auic. ſcribũt, neglectis. Sed ut ad rẽ redeamus, ab arcta ſupra modũ ligatura fieri etiã gangræna poteſt, quę meatus per quos deferũtur ſpiritus occludat, ita ut pars illa ſpiritibus deſtituta emori & putrefieri cogatur, ut ſæpenumero in fracturis uel luxationibus obtigit, in quibus arcta nimis faſciatura obligatũ membrũ fuerit, ut vj. meth. ait Gal. uel ex maxima & lõga cõpreſsione aliqua in parte aliqua facta, ut lõgo tẽpore iacentibus in lecto obuenit, uel cũ craſsi humores in uenis uel arterijs, uel neruis cõtenti ſpiritus, quibus animantiũ uita tenetur, intercipiunt, ut iiij. primi ſcribit Auic. in fracturis tamẽ, & luxationibus ex hac cauſa rariſsimè fit gangræna, ſi eidẽ Auic. credimus. Fit etiã ex materia aliqua uenenoſa ad membrũ aliquod delata, quod tu quoq; anno M.D.LII. cum multis alijs medicinæ candidatis obſeruaſti in iuuene illo, quem apud diuum Petronium ueterem inuiſimus, qui febre mala & uenenoſa correptus, tandẽ materia illa ad dextrum crus delata, crus uniuerſum ſua malitia interfecit, & ad ſyderationem deduxit, nullo (quod admiratione dignum eſt) apparente uel tumore, uel rubore, nulloq; dolore percepto: Sed ſolum quædam frigiditas ab ægro percipiebatur, quæ tandem digitorum pellem reddidit liuidam, in eaq; quaſdam excitauit ueſicas, & in ſumma totum crus interfecit, ex quo nos deinde crus ipſum uniuerſum excidere (ut uidiſti) coacti fuimus: Fit quoque gangræna ex arteriarum, & uenarum

Ctus in parte aliqua, & qui diſſlari non poſsit putreſcit facile.

Ex magna refrigeratione gangræna.

Ex materia uenenoſa gangræna.

Ex arteriarum & uenarum ſectione gangræna.

uenarum, quæ ſpiritus, & alimentum ad membrũ deferunt, ſectione, cui ea quæ gangrænæ ex alijs cauſis ortæ admoueri curatio non poteſt. Fieri quoque gangræna poteſt ex medicamento mortifero, ac corrumpendi facultate prædito, quale eſſet capitellum, quod uulgò ruptorium dicitur, uel aliud ſepticum eiuſdem facultatis, uel ex aliquo medicamento uenenoſo calido, uel ob ictum animantis uenenati, qualis uipera eſt, de cuius morſus uenenoſitate ſcribit Gal. in lib. de Ther. ad Piſ. Signa autem gangrænæ ab huiuſmodi mortiferis medicinis, & animantibus uenenatis factæ, licet innoteſcant, ea tamen ſubſcribam, primum magna ſequitur inflammatio, & ab initio tumor & rubor perſpicuus apparet, pulſatiles dolores percipiuntur, durities tactui & ſenſui retinens deprehenditur, & in ægro caliditas comprehenditur, ſenſim deinde locus liuidior efficitur, & rubor inflammationis dolórque ille remouentur, torpor ſentitur, & ſenſus immutatus uidetur, ut iiij. de art. ait Galenus. Cæterùm ſi ſpecilli cuſpide, uel acie nouaculæ pars pungatur uel diſſecetur, obtuſus quoque in ea percipitur ſenſus, unáque effluit ſanguis: ſi autem ex tactu ſpecilli, uel ex inciſione nouaculæ pars non ſenſerit, licet ſanguis egrediatur, gangræna amplius non eſt, ſed ſyderatio, aut ſyderationis principium, ut iam ex Galen. & Aet. ſententia diximus: in qua etiam parte licet quoq; altè ſpecillum figas, aut eam nouacula excidas, nullo modo ſentiet, ut grauiſsimi adducti ſcriptores cenſuêre, ſiue in ſumma parte, ſiue in profunda fiat inciſio, à qua deinde flauus humor ſubtilis fœtidus admodum & aquoſus egredietur, & carnis color uiuidus non erit, ut Cælſus lib. v. cap. ultimo ſcripſit. His perpenſis, rurſus in præſenti curatione uidendum, an gangræna ſit facta ex ſuborta inflammatione, an ex ingentibus faſciarum compreſsionibus. Si ab inflammatione orta fuerit, ligatura ipſa diſſoluenda, & ætate, tempore, & uiribus conſentientibus, ſanguinem mittere expedit, & uictus ratio (ut dictum eſt) inſtituenda: poſt hæc ut viij. & xiij. Meth. ait Galen. optimus medicus (ut pareſt) morbi tempora expendet, & nunquid morbus tanquam gangræna ſit curandus, an tanquam ſphacelus, ſeu ſyderatio, proprijs ſignis ductus uidebit. Si uera gangræna fuerit, ei ſi quamprimũ medicinam feceris, ſanabitur, ſin minus in ſyderationẽ (tanta morbi illius ſæuitia & malitia eſt, ut adducti authores ſcripſerunt) & corruptionem tranſibit. Sanabitur itaq; gangræna caprificationibus profundis, quas indocti medici formidãt, ſanguinis fluxum uerentes, & largam euacuationem, & quo maior eſt gangræna maioribus indiget caprificationibus, & ſi turgidæ uenæ in parte gangræna laborante fuerint, hæ protinus incidendæ, ut ſanguinis copia in ipſis detenta ſtatim euacuetur, ut Aëtio placuit, ſiquidem ut plurimum ob ſanguinis abundantiam, membrũ, arteriasq; comprimentem, grauantemq;, ita ut ad caloris euentationem attolli nequeant, pars corporis mortificatur, quapropter ut ſuo munere fungantur arteriæ, & ne naturalis ſuffocetur, calor mollienda uia eſt, qua calor euentetur, ut Paul. præcepit lib. iiij. cap. xix. poſt hæc medicamenta putreſcentibus membris cõuenientia apponenda, qualia ſunt ſiccãtia, ut inter alios authores Aët. admonuit, & inter cætera poſt caprificationes ſalſa aqua affectũ locũ lauabis, ut craſsior ſanguis, & qui alioquin ibi cõcreſceret, egrediatur, uel aceto cum ſale, aut lixiuio, in quo lupini decocti fuerint, emplaſtrum deinde ex eruina farina, ſi haberi poteſt, aut ex loleacea, uel hęc etiã ſi non adſit, ex fabacea farina cum oxymelite ſuperdabis: per ſe oxymel quoq; cõduceret, quippe hæc medicamenta, ichores, putredinesq; abſumunt, & detergunt ſua ſiccitate: frigiditate autem quod nondum uitiatum eſt roborant, malam eam intemperiem remittendo, & putredinem arcendo: aut poſt ipſas caprificationes, & lotiones ceratum diaphœnicinũ ita à Gal. j. de com. med. sec. gen. in hoc caſu laudatum affecto loco admouebis: ubi uerò feruor ſubſederit, uulneris curationem non relinques, (ſi illud in hoc affectu fuerit) unctuoſa medicaméta omittendo, pro

Ex medicamẽto mortifero, & uenenoſo, uel ex ictu animalis uenenati gangræna.

Gangrænæ ortæ à uenenoſis medicinis, & animalibus uenenatis ſigna.

Et 7. aph. 50. & 2. ad Glauc.

Gãgræna quãdo amplius non eſt, ſed ſyderatio.

Et Gal. in lib. de diff. mor.

Gangrænæ ab inflãmatione factæ curatio.

Vna gangręna curatur ſi ſtatim medicina ei fiat.

Quibus gangræna curatur

Et Gal. 4. meth. & 2. ad Glauc.

Poſt caprificationes gangr. affectus locus quibus lauandus ſit, & quæ apponéda emplaſtra.

magis,emplaſtra ex farinis calidis,& oxymelite cõfectis,appones, & ſi morbus exiget,partem ipſam caprificabis. Si ex attritione, uel compreſsione, uel uenarum, uel arteriarum inciſione, uel laniatione,contingat gangræna, tunc huius gangrænæ curationis ſpes non extabit,præſertim ſi uaſa omnia membrum nutrientia diſſecta fuerint,& nulla adſit ſpes nutritionis illius membri, nec membrum illud ullo modo,quin totum corrũpatur & ſyderetur,prohibere poteris. Sed tamen,ne partes omnes proximæ membri illius corrũpantur,cum cæſa illa eſſe omninò diſſecta uideris,antequam aliqua adhibeas medicamenta, totum membrum excides,ablata enim iam uia eſt,per quam ſpiritus alimentũ pro uita & nutritione deferantur: Cognoſces autem uenas illas & arterias exciſas eſſe, ex anatome,tùm ex pellis quadam corrugatione,quæ infra uaſa ipſa exciſa fieri ſolet, membri quoque extremi ſentitur frigiditas,cuius ſimilem, cæteras corporis partes manibus contrectando,non percipies. Quapropter ſtatim membrum excides, idq́; facies antequam uirtus imbecilla reddatur, ut nos experti fuimus in nobili quodam Papienſi, qui cum in extremitate cubiti, inter iuncturam manus, in carpi interna parte uulnus accepiſſet, cum arteriarum manus nutrientium inciſione, eius manum, ut ipſum ab interitu ſeruarem, amputandam iudicaui, licet tunc nullum adhuc ſyderationis ſignum in manu appareret, futurum tamen ſphacelum, ſumpta ab arteriarum & uenarum inciſione indicatione, iudicaueram, contra multorum medicorum qui ad ipſius ægroti curationem accerſiti fuerant, ſententiam, qui antequam manus excideretur, prius emplaſtra illa ex oxymelite cum farinis iridis, deinde ignem experiri uolebant: quorum ego ſententiæ aduerſabar, & ea eſſe optima medicamenta pro gangrænæ curatione, factæ uel ex inflammatione, uel ex humorum quàmplurium collectione, non autem ex uenarum aut arteriarum inciſione, dicebam. ipſi autem in ſua ſententia pertinaciter perſtabant, mihíque iuueni medico, uera tamen dicenti, refragabantur. quare ob gregem illum medicorum, illius manus abſciſsio in ſequentem diem delata fuit, ea autem die, tum quia exactius rem perpenderant, tum quia futuram corruptionem timebant, tum quia pericula futura ægroti affinibus prædixeram, eos tandem tanquam coactos in meam adduxi ſententiam,& ut manus amputaretur, quo brachium à putrefactione uindicaretur, aſſenſere: quocirca, quaſi iam mihi omninò medicos illos aſſenſuros eſſe non dubitaſſem, inſtrumenta expedita clàm deprompſi, ilicoq́; manum excidi, ægroto perſuadendo, me arteriarũ quandam aut uenam, quo ſanguinis fluxum compeſcerem, eſſe illaqueaturum, nec ipſe ad tertium uſq; diem ſibi exciſam fuiſſe manum, reſciuit. dabam ſiquidem operam, ne dum mederer uulnus inſpiceret,& poſtquam medicamenta admoueram, in cubiti extremitate manicam ſtuppa plenam, & linteolis contectã ita aptabam, ut manum omninò referret. Hoc etiam modo tibias excidimus, in quibus ſub genu uenæ & arteriæ crus nutrientes diſſectæ fuerant: ſtatim enim crus totum amputaui, caprificationibus, emplaſtriſq́; iſtis, tanquam inutilibus omiſsis. Si uerò à ſeptico medicamento facta fuerit gangræna, remouenda primũ illa ſunt medicamenta, & intemperies inducta alterantibus medicinis eſt corrigenda. Si ex morſu animalis fuerit, medicamẽta quæ uirus illud à forma ſpecifica reſpiciant,& quę intemperiẽ illam calidam poſsint mutare, adhibenda,& demorſus locus caprificandus, ſanguiſq́; in eo contentus euacuandus. Nec extra rem affecto loco cucurbitulas applicare fuerit, ut impactũ in membro uirus euacuetur & retrahatur, ne ad principalia membra deferatur, totum deinde membrum, licet tumefactum ſit, emplaſtro obducendum, cum terra cimolia, uel terra cinerea, quam iſti cretam uocant, in aceto diſſoluta,& ſucco ſemperuiui, uel lactucæ, quod medicamentũ quãuis repellens uideatur, ictibus tamẽ uiperæ,& cuiuſuis animalis uenenati, ſua frigiditate aduerſatur, cum uenenati animantis

Gangrænæ ex attritione, uel compreſsione uel ex uenarũ arteriarumq́; inciſione curatio.

Inciſas uenas aut arterias eſſe, quibus dignoſci poſsit.

Gangrænæ à ſeptico medicamento factę curatio.

Gangrænæ ex morſu uenenati animãtis curatio.

Venenati animalis morſus calidus

morſus calidus ſit, ſi Galen. & Cæl. credendum eſt. prætereà ratione terrę, à qua animalia uirus contrahunt, maximè ſalubre hoc medicamentum, quamuis maximus tumor appareat, ut nos ſæpe experientia docuit.

Gangrænæ ex materia uenenoſa criticè ad membrum delatæ, cognitio & curatio.

Si uerò propter ipſum uirus, uel propter uenenatam materiam criticè ad membrum delatam, in ſyderationem deſierit, id cognoſces præcedentis morbi eſſentia, & natura benè explorata, optiméque perpenſa, hoc pacto facilè cauſam, quæ ſyderationem fecerit cognoſces, difficile tamen erit huic ſyderationi, uel ſphacelo, ſalutare remedium adinuenire:

Ob medicamenta opportuno tempore non admota uel non ualida, ſyderatio.

etiã ob medicaméta minimè ualida admota, aut nõ opportuno tempore adhibita, uel prætermiſſa, uel ob morbi malitiam, primæ ſpeciei poſſet ſyderatio euenire, cutem, carnẽ, & ſimiles partes alias, duntaxat corrumpendo, quam aſchachileon Arabes uocant, quæ etiam fieri poſſet, uel propter ulcera prauam ſaniem emittẽtia, qua madefacta caro corrumpitur, ut Gal. ij. de fract. ait, uel etiã propter maximam inflammationẽ, nullo etiam ulcere exiſtente, ut iam diximus,

Notæ gangrænæ ex inflammatione.

proinde ſi ex ingenti inflãmatione, fuerit talis ſyderatio, primum cognoſces, quia in membro illo, nullũ erit ulcus, tum ex ipſis caprificationibus abſque dolore, & ſenſu factis, tum ex perforatione ſpecilli abſq; ægrotantis læſione, tum ex nigredine in particula contracta, tum ex partis mollitie, tum ex ſanguine non defluente, tum ex malo carnis colore, tum ex ichoribus fœtidis, ab ipſis caprificationibus effluẽtibus.

Gangrænæ factæ ꝓpter malignas ſordes ab ulcere defluentes notæ

Si uerò ex ulcere, ex quo malignæ ſordes fluant facta ſit, dijudicabis ex fœtore ſæuiſsimo, qui à partibus illis exhalatur, ex loci denigratione, ex ichorum profluuio: Si non extiterit ulcus, poſt repetitas caprificationes, ad ualentiſsima remedia confugiendum, cum ut talis remoueatur affectio, nullo modo fieri poſsit, nec æger uiuere, aut curari, niſi parte illa membri corrupta, exiccata, & ablata, ut ſcripſit Gal. vij. Aph. l. & hoc quàm citiſsimè faciendum, quoniam partes corruptis partibus proximæ, ue lociter corrumpuntur, ut ij. ad Glauc. dixit Galenus, & ita eſſe faciendum admonuit Paul. libro iiij. cap. xix. quod commodè fiet ut Cæl. inquit lib. v. cap. vl. incißone, & medicamento aliquo: Sed elegantius Galen. xiiij. Meth. & vj. de compoſ. med. ſecun. gen. ſcribit, ubi communem inſanabilium morborum ſcopum docet, dicens: Inſanabiles partes à corpore eſſe amouendas, quæ ferro exciduntur, interdum igne, nonnunquam adurentibus medicinis, uerùm Gal. per inſanabiles illos morbos, intelligit morbos factos ab atra bile, quibus nullo modo proſunt medicinæ, ut cancer confirmatus, & huiuſmodi:

Et. 2. ad Glau.

Et io lib. de tumor præt. na. & Cæl. lib. 7. cap. vl. & Aui 3 4. 4 & 4 ca. de putredine.

Quę prius medicinæ tentandæ ante maiora remedia.

Verùm priuſquam ad ualidiora deueniamus remedia, nunquid hæc quæ dicemus medicamenta conducant, experiemur: Aegyptiacum igitur primum admouebimus, quod conſtat ex ærugine æris, alumine rochæ, melle crudo, & aceto æquis partibus admixtis & coctis, & hoc unguentum, uel ſolum adhiberi poteſt, uel ut exiccet magis, illi poſſes addere lupinorum decoctum, in lixiuio factum, cui etiam poſſet addere eam ſalis communis quantitatem, quæ manu poſſet comprehendi, & tale medicamentum, putrefactionem arcet, & putrefactã & corruptã partem à ſana ſeparat, & abſcedere cogit, & eſcharam inducit, & ſanam conſeruat partem, ac tuetur ut iiij. iiij. ait Auic. unguento hoc licinia ex filamentis conſ cepta illiniantur, quibus ulcus quoad caro corrupta remota fuerit, impleatur.

Corruptã carnem remotã eſſe quibus cognoſcatur.

cognoſces autem remotam eſſe, cum bonam carnem in ulcere apparentem uideris, ac pus laudabile, & fœtore carens, & firmã ſolidamq; carnem naſcentem: quod ſi medicamenti huius efficatiorem uim deſiderares, prædictis adijce ſublimatum, & ſingulis decem uncijs prædicti unguenti in fine coctionis, adde drachmam unam argenti puri, putíque ſubtiliſsimè leuigati: Et ſi morbus adhuc non cedet, tritos optimè aliquos paſtillos Polyidæ, aut Paſionis adde. probatur etiam chalcanthum combuſtum putrefactæ parti impoſitum, & arſenicum, quod uocant ſublimatum, uel ſolum, uel in uino diſſolutum, aut linamento aliquo exceptum, & inter ſanam & affectam partem poſitum. ſiſtit

enim

enim hoc medicamentum confeſtim morbum, cum dolore minimo,& ſi opus ſit,ut melius medicamenti uis penetret,ſpecillo corruptam carnem à ſana ſeparabis:In horum medicamentorum uſu, ut tutius res agatur, corporis ægrotantis temperatura(ut ſupra aliàs diximus)eſt diligenter conſiderãda, nam ut Gal. ij.ad Glau.teſtatur, ruſtici corpus,quod natura durum eſt,ualidiſsima ferre remedia poteſt,mulieres,infantes, uel pueri,quia molle habent corpus, leuiores poſcunt medicinas,uirile etiam corpus album, molle,balneis aſſuetum, & inexercitatum,leuia etiam expoſcit medicamenta. Partis præterea affectæ natura eſt conſideranda:nunquid neruoſa,carnoſá ue ſit,& nunquid facile, an difficile putreſcat,ſiquidem neruoſa pars,quia maxime ſenſibilis eſt,fortia remedia non feret:præterea carnoſæ,& humidæ partes,putreſcunt facilius, quocirca citiſsimè illis non leuia medicamẽta ſunt apponenda,quale ægyptiacum eſſet, & lupinorum decocto,in lixiuio facto partes illæ fouendæ: Sed quando medicamenta hæc admouentur,deffenſiuum parti ſanæ,quæ corruptæ eſt proxima,applicare mirum in modum conducet, quo facto eſcharæ caſus procurandus, aut tetrapharmaco medicamẽto ut Gal.ij. ad Glau. ſcribit,uel alio ſimili unguẽto, quod ſi alicui in appoſitione tetrapharmaci, & ſimilium,uiderer mihi met non cõſtare,cum dixerim humida,& concoquẽtia,gangrænæ,& ſyderationi nullo modo conuenire,ſed exiccantia.Reſponderem nunc amplius nec gangrænam, nec ſyderationem eſſe, quoniam iam extinctæ partes ſunt,nec ratione gangrænæ aut ſyderationis admouentur,ſed alterius ſymptomatis gratia, uel ut cruſta cadat,poſt cuius caſum,ſi adhuc inflammatio adſit,quam etiam adeſſe credendum eſt,ex tot calidorum unguentorum appoſitione, unguẽto pompholigis, quo nullum aliud præſtantius inflammationi illi,atque intemperei calidæ & ſiccæ, quæ præcipua corruptionis erat cauſa,occurres,quẽadmodum nos ſæpe fecimus,nec poſt ablationem cauſticorum medicamentorum calida adhibenda ſunt medicamenta,ſed frigida, propter adductas rationes,& ut nos docuit experientia,quia ſæpe ex calidorum medicamentorum impoſitione intendi corruptionem uidebis,ex iſtis enim inflammatio augetur,& aduſtio deinde fit.quapropter methodo à nobis tradita procedendum eſt, niſi gangræna,& corruptio ipſa cauſam traxerint à ſanie in pericula aliqua contenta in magnis abſceſsibus,quæ ſua nitroſitate & acrimonia partem mortificet,quæ ſi educeretur, nec gangrænam,nec corruptionem faceret,& ſponte corrupta pars à ſana ſepararetur:Verum ſi ſæuiret morbus adhuc, propter maximam humoris corrumpentis malitiam,ad ferrum confugere cogereris, & ſic putrefactam carnem, à ſana ſeparatam nouacula excideres, uel forpicibus emortuam illam carnem ſolum ad uiuam uſque ſecares,ut facilius medicamenta ipſa uim ſuam exercere, & ſemiputridam partem exiccare poſſent, ut Gal.ij. ad Glau.& Paul. ſcripſerunt: Poſt exciſionem eſcharam inducens medicamentum ſuperpones, qualis eſſet calcitis ſimplex, uel calchanthũ quod apud nos facilius reperitur,& melius feceris ſi efflореſcentiam illã albam,quæ ſupra chalchantũ noſtrũ eſt,impoſueris, quæ quidem calcitidi magis aſsimilatur quàm interior calchanthi pars,uel ſandaracam græcorum, quæ pars eſt auripigmenti à natura magis elaborati, aut ipſum aurum pigmentũ,aut æris æruginem, & ſimilia, ut argentum etiam ſublimatum,quæ omnia ſi comburerentur eorum obtunderetur acrimonia, & magis id fieret ſi deinde acerrimo aceto abluerentur,ut in præparatione calcitidis faciendum eſſe admonet Gal. in lib. de comp. med. ſec. gen. & ex compoſitis medicinis proderunt antiquorum iam dicti paſtilli, nec inter cætera medicamenta ſine dolore exedentia præcipitati puluis ultimum obtineret locum, nec orbiculi de minio Ioannis de Vigo eſſent etiam negligendi. Vbi igitur medicamenta hæc impoſueris, linteolum frigido aliquo medicamento imbutum, ut inflammatio prohibeatur ſuperdabis,ut iij. de compoſi.med. ſec. gen. docet

In fortiorum medicamentorum uſu ægroti temperamẽtum conſiderandũ, & partis affectæ natura.

Inflammationi poſt caſum eſcharæ relictæ quibus occurres.

Poſt cauſticorum medicamentorũ ablationem calida medicamẽta nõ ſunt admouenda.

Et Bucaſ. cap. 98. & Cæl. lib. 7. cap. ul.

Eſcharam inducentia medicamenta.

Et in lib. de ſimp. med fac. & 4. meth.

Gal.Iſtis igitur morbis hoc pacto medicinas facies,& modò mitia, modò fortiora,pro ut magis minúsue putrefactum fuerit membrũ,admouebis.Si leuioribus medicinis opus fuerit, præcipitati puluerem accipies,quem ſi conferre nõ uideris,ad fortiora confugies, ut aliâs dictum eſt, & tuto poteris calchanthum cum ægyptiaco admouere,aut antiquorum paſtillos, aut noſtram aquam,deſuper deinde ponendo filamenta ægyptiaco unguento illita, modò recto iudicio id facias,quod nec ſcriptis,nec uerbis exprimi aut doceri poteſt. Aduertendũ tamen eſt in horum medicamentorum impoſitione, ut ante optimè purgatum corpus ſit,quia ſi impurgatum corpus eſſet phlegmõ poſſet acciri,ut iiij.meth.

Acria medicamenta humores attrahunt.

dixit Gal.propterea quod acrium medicamentorum proprium eſt humores ab uniuerſo corpore ad affectum locum trahere, qui ita facile remoueri nõ poſſunt,ut v.meth.dixit Gal.in fine, ubi de malignis ulceribus agit. & iij.de cõp. med.ſec.gen.& in lib.de ſanguinis miſ.ubi cuiuſdam patientis ſcabie palpebrarum meminit,cui acria admouere medicamenta ſtatuerat, tamen propter corporis plenitudinem hoc facere auſus non fuit,ante corporis purgationẽ, quod etiam faciendum admonet Auic.iiij.iiij.cap.de uul.putrid.& ſi ob morbi ſæuitiem ad medicamẽta hæc fortiora confugere coactus fueris,antequam purgãs pharmacum exhibeas,humorum coctionem expectare non curabis, quoniam

Corrupti humores coctionem non admittunt

Quando ante corporis purgationẽ acria admoueri possint medicamenta.

Et.3. de uulg. muib. 62.

humores corrupti prauíque,coctionem non admittunt, ut Galeni fuit ſententia,præterea ob morbi malitiam, non expectata humorum coctione purgãs medicamentum eſt dandum,ut ipſe Gal.x.meth.illi exhibuit,qui tumorem linguæ patiebatur,cui fortia catapotia exhibuit: quapropter ilico cathartico aliquo medicamento corpus purgabis,niſi fortè in ægroto parua fuerit humorum malitia,uel non magnus fuerit morbus, poſſet enim tunc admouere hæc medicamenta ante corporis purgationem,ut oſtendit Gal.1.de cõp.med. ſec.gen.poſſes etiam hoc facere ſi corpus plethoricum non eſſet,ut xi.meth.ſcripſit Galen. quare ſi parua fuerit humorum malitia, & ulcus paruum debiliora admouebis

Medicamenti mudice acris deſcriptio, quod putredini reſiſtit.

medicamenta,abſque noua alia purgatione,et tale medicamẽtũ poſſes admouere,Aeruginis æris,ſcrup.1.tutiæ præparatæ drac.1.minij.drach.1.miſceãtur, et fiat puluis ſubtiliſsimus:lauabis etiã ulcus aqua aluminoſa,quæ ſupramodũ ulceribus malignis prodeſt, aqua etiã forti ubi magna putredo fuerit,uti poteris, quæ tantæ uirtutis eſt,ut ſtatim carnes molles ac ſemiputres,paucisſimo cũ dolore,uel ſaltẽ breuiſsimum tempus infeſtante,exiccet,operatur enim quàm celerrimè,ut ſæpius uidiſti,& quám citiſsime actuatur, & eius acredo ab humiditate putridi ulceris,uel corruptæ carnis remittitur: mecúmque ſenties aquam hanc præſtantiſsimam eſſe,in corruptionibus iſtis,et maxime ſalutarem, præſertim ubi contuſa caro,et corrupta à ſana non ſeparatur,ſed ſanam illi proximam inficit,& corrũpit,ut in uitiato pomo fieri ſolere animaduertimus, in quo pars corrupta pomum totum ſucceſsiue(ut ita dicam)corrumpit:aqua proinde iſta

Quomudu aqua forti utẽdum, & quid poſtquam aqua hac ulcus fuerit madefactum, ſit faciẽdum

Medicamentũ intemperiem ex uſu medicamentorum acriuui contractã, remittens.

ſtatim malitia,& corruptio illa extinguetur: ſi itaque aqua hac uti uolueris,goſſipione,uel lini filamentis ſpecilli cuſpidem inuolues, aquámque illam filamentis illis uel bombice ſic excipies, putrem deinde carnem continges, & manum aliquantiſper continebis, ut facilius actuetur, atque hoc pacto madefactum uulnus filis ſiccis replebis,& refrigerans aliquod unguentum,ut præternaturalis calor quo affectum ulcus eſt, & ex acribus medicamentis contracta intemperies remittantur,impones,quale illud eſſet quod ouorum albumina optime concuſſa capit numero tria, boli armenæ uncias duas, oxymellis ſimp. uncias duas,quo linteolũ illines,& uulneri,& proximis uulneri partib.admouebis, & bis térue,prout morbi magnitudo poſtulabit, ſic affectæ parti medeberis, donec corruptã carnẽ ſeparari,& morbi uim remitti cognoſcas, poſt hæc medicinas quæ inductam eſcharam mouere poſsint,admouebis,quale eſſet unguentũ

Vlcus quibus aquis lauandum

pompholigis,& præ cæteris quotieſcunque ad ægrum aceſſeris, uel ulcus aqua plan-

plantaginis,uel calibeata,in qua roſæ cum hordeo,camphora,&alumine rochę decoctæ fuerint,lauabis, in qua aqua ſi tendo aliquis ſit detectus, puluis huiuſmodi infundatur,qui partem unam aloës hepaticæ, & cadmiæ præparatæ, (quá tutiam,uel pompholigem appellant)partem mediam capit. Exedens aqua illa, &corruptam carnem tollens,ſic paratur.Sume calchanthi lib.duas,aluminis rochæ,(quod liquidum uolunt nonnulli) lib. unam , ſalis nitri libram mediam,ſimul calchanthum,& alumen trita miſceantur,& in uaſe terreo ponantur,&igni admoueantur, non tamen uſq; ad rubificationem, ſed tantum ut partes tenues per halitum reſoluantur, & ab ignis ui exiccentur, poſtea addito nitro in uas qď botiam dicunt, recipiantur omnia,luto ſapientiæ inuolutum & contectum cum capello(ut aiunt)& uaſe quod ſtillas recipiat,optimè etiam omnibus orificijs & partibus,ubi uaſa hæc committuntur & coniunguntur,luto conſtipatis, &ad ignem ſecundi gradus,hoc eſt,per cineres,ſecundum artem chymicam ſublimentur,& deſtillentur,deſtillatam deinde aquam in uaſe uitreo optimè clauſo & obturato ad uſum ſeruabis: uerum in principio ignis ille ſecūdi gradus ſit mediocris,qui gradatim augeatur,prout eorum quæ in botia continentur ſit reſolutio,& aqua iſta uti poteris,ſi calchanthi oleum aut ſulphuris defuerit, uti etiá poteris aqua tartari,quæ cæteris leuior eſt, & hac in principio uteris, cum ſemper à leuioribus ſit inchoandum. At ſi morbi uis ſit talis,ut uinci difficile queat, & ulterius malum ſerpat,poſt partis corruptæ inciſionem, candenti ferro ulcus inures,ut dixit Aet.ij.tetra.ſer.iiij.& id facere pręſtiterat magis,quàm ſi aliquod quod potentia cauterio afficiat,admoueris, ut Buca.placuit, actuale enim (ut iſti dicunt)cauterium parti robur addit,& malitiam citiſsime aufert,& paruo dolore afficit, nec quemadmodum potentiale (ut ſic loquar) malam relinquit intemperiem,& ut ſemel dicam, nullum remedium præſtantius ipſo igne eſt modo Gal. præcepta xiiij.meth.obſeruentur, ut ſcilicet operatio citiſsime fiat ſine dolore,ſi poſsibile eſt,uel ſaltem cum dolore paucisſimo,& tutò. Sed quod medicamentum partis corruptionem aliquam tutius & citius, & cum minore dolore remouebit,quàm candens ferrum? quapropter poſt putrefactę carnis ſectionem,locum tantiſper ferro ignito adures,dum mollis illa caro durior,ſolidiorq; effecta fuerit, caue tamen ne pluſquàm par ſit partem illam inuras, ſed ſolum quoad caro illa putrefacta perfectè exiccata ſit, perurendum ulcus eſt: quando exiccata fuerit caro illa, tactu id cognoſces: poſt hæc dolorem remittentia medicamenta appones, qualis eſſet porri ſuccus, quem Galenus ſecundo ad Glauconem laudat, in cuius ſententiam omnes etiam Græci iuêre, uel (ut nos ſolemus) oui albumen cum aceto, & aqua roſacea concuſſum ſubinde admouebis, eſchara deinde ut cadat operam dabis,uel butyro, uel emplaſtro ex triticea farina,aut hordacea, cum hydrelæo, aut tetrapharmaco unguento, quo etiam Galen.utebatur. Tandem ſi adhuc putrefactio aliqua relicta fuerit, eam aliquo ex medicaminibus dictis auferes: Nos tamen frequentiſsimè ingentes corruptiones his,de quibus paulo antè egimus medicinis,remouimus, noſtra præſertim illa aqua,abſque ferro aliquo ignito, utimúrque ſæpius hoc remedio,quia nimis ab ægrotantibus ignis formidatur, ſemper tamen ſummam diligentiam adhibeas oportet, ut corruptionis cauſam remoueas, quod conſequeris ſi purgantibus medicinis ſæpius humores malos in corpore contentos, eduxeris.

dum & q pulueres in aquā iniiciēdi ſi nudatus tendo fuerit.

Quibus illa aqua exedens & fortis præparatur.

Qualis ignis eſſe debeat.

Candēti ferro an pharmaco qď potētia cauterio afficiat in ulcerib' putridis ſit potius utendum.

Et Haly abb. 9.pract.

Actualis cauterij commoda.

Quādiu perurendū ſit putridum ulcus.

Dolorem remittentia.

De membri ſphacelo affecti, & corrupti exciſione.

SI morbus iam tantam fecerit corruptionem , ut carnem,neruos, oſſáque uitio affecerit,ut fieri nonnunquam ij. de fract.dixit Galen. ac ſpiritibus naturalibus, uitalibus, & animalibus membrum priuauerit, ita ut curationis nulla

Si eo puenerit corruptio ut curatio deſperet mēbrū excidendum eſt.

ſpes reliqua ſit, neque ſolum partem illam non ſeruare poſſe ſperemus, uerumetiam ne ſenſim proximæ partes corrumpantur, impendere periculum uideamus, membrum, ut ante diximus, excidendum eſt: quandoquidem, ne proximæ partes corrumpantur, membri quod paulatim emoritur ſectio, unicum reſtat auxilium, licet miſerrimum, ut Cælſ. inquit, ſiquidem quod putruit tanquam uenenum ſuo contactu, quod adhuc ſanum & integrum eſt, corrumpit, & inficit, totum itaque membrum abſcindendum, ut Hippocrat. ait iij. de art. cum membrum denigratum, & emortuum fuerit. Sectio autem ſecundum Cælſ. vij. lib. fiet hoc modo: loro aliquo prius membrum ſupra corruptam partem deligabis arctiſsime, ita ut aliquo modo obſtupeſcat, nouacula deinde inſectam partem à ſana ſeperabis undequaque, ad oſſa uſque, poſt hæc ſerra optime fabricata oſſa quàm citiſsimè præcides, præterea uenæ, arteriæq; ſectæ, & ſemicorrupta illa caro candenti ferro adurenda, primo aptiſsimum erit falcatum inſtrumentum, deinde alio inſtrumento uel gladij formam habente, uel aliam formam, ut ſanguinem comprimas uti poteris, uel ſi uidebitur, membrum illud à quo putrefacta illa pars abſciſſa fuerit, ad ſanam uſque partem in ſimplex oleum feruens, aut cum ſulphure colliquato admixtum, immerges: Verùm candentia hęc ferraméta eadem omnia, quæ ipſum oleum uel ſimplex, uel cum ſulphure admixtum efficeret, pręſtabunt. Sed tamen ut cautius res peragatur, loco à quo exciſum membrum fuerit, puluerem combuſti chalcanthi, quod ab Arabibus colcotar nuncupatur inſperges, deinde dolorem ſedans medicamentum, & ſanguinis fluxum compeſcens appones. Aliter tamen recentiores medici putrefactum membrum præcidentes faciunt, qui uno & eodem tempore inſtrumento quodam candenti, gladij magni formam habente, membrum excidunt, & carnem uenáſque, & arterias adurunt, utuntúrque huiuſmodi inſtrumento, ne ſanguinis magnum ſequatur profluuium, nec quot incommoda (quæ mox oſtendemus) ſequantur animaduertunt. Nos tamen corrupta membra, ita ut diximus amputare ſolemus, & hunc ſecandi modum noſtro marte excogitatum, & multis rationibus munitum ſemper ſeruabis: Membro igitur in ſana parte arctiſsime deligato, ſi à iunctura corruptio diſtabit, uel propè articulum, aut in ipſomet articulo, ſi ipſi articulo proxima fuerit corruptio, membrum tranſuerſum amputabis, ut Hippoc. fuit ſententia iij. de art. Si autem in ſana parte ſecaretur membrum, modo ſectio illa ſupra genu, uel ſupra cubitum fieret, periculoſiſsimum eſſet, propter inſignia uaſa quæ ibi adſunt, & propter principalium membrorum uicinitatem, quare ſupra articulos illos, ſeu iuncturas, & pręſertim ſupra genu, niſi coactus ſectionem facere non auderé. Facta ergo ſectione in ſana parte, potius quàm in ægra, nouacula optimè cædente, quàm celerrime ad os ipſum uſq;, antequam ſcindatur os, inſtrumento falcato candenti uaſa omnia, à quibus ſanguis profluit, quæ in ſumma parte ſunt, adures, & fluxum ſanguinis ſiſtes, ſerra deinde os præcides, & rurſus alijs idoneis inſtrumentis ignitis, quæ in extremitate globulum quendam habent, oliuæ uel ſphærulæ ſimilitudinem referentem, uaſa illa quæ in ſana parte ſunt adures, & calchanthi puluere cum ſarcocolla inſperges, ut craſsiorem cruſtam cótrahant, deinde platiſma ex pilis leporinis cóceptum, ouorum albuminibus, bolo armena, aloë, & ſimilibus oblitum, ut ſanguinis fluxus comprimatur, admouebis, & ſtuppam eodem oblitam medicamento ſuper dabis, defenſiuúmque ſanæ parti adhibebis, membrúmque faſciatura (ut aiunt) retentiua obuolues, accliue pręterea membrum collocabis, ne facile ad exciſam partem ſanguis fluat. Tertia die medicamentis illis, poſca, uel uino nigro prius madefactis (ut facilius à pilis, & à uulnere remoueatur) remotis, penicillos, & pul uillos ex filamentis mollibus cóceptos, & tetrapharmaco unguento illitos, qui bus eſchara remoueat, ut ij. ad Glau. faciebat Gal. & dolor, inflámatioq; remitta tur, ut idé iij. de fract. admonebat, admouebis: q rurſus in oleo hypericonis, uel momor-

Quod putruit ſuo cótactu reliquũ inficit.

Quando membrum ſit abſcindendum.

Quomodo fiat ſectio & qd poſt ſectioné faciendum.

Locus à quo mébrũ fuerit abſciſſum calchanthi puluere é aſpergéd⁹.

Recétiorũ medicorum modus in excidédis membris damnatur.

In qbus locis ſectio in parte ſana facta periculoſa.

Poſt pręciſioné quæ apponenda ſint médicamenta.

Membrum prę ciſum quomodo locandũ.

Tertia die poſt membri inciſionem quid ſit faciendum.

momordicę,tū ad doloré leuandum,tum ad coctionem adiuuandam madefieri debent:Nec ex memoria excidat,ſuper uaſorū pręciſorū orificia puluerē Aloēs hepaticę, & boli armenę orientalis ponere,q̄ non ſolū ſua natura emplaſtica ſanguinis fluxū cōpeſcet,uerū etiam à putredine neruos, tendines, uaſaq́ꝫ tuebitur. Abſoluta coctione,nullo ſuperueniente ſymptomate, leuiter in principio medicamento abſtergente inferius deſcripto,ulcus abſterges, ad ſarcotica deinde,& tandē ad epuloticā deſcēdens medicamēta,inſtituta ante ea uictus ratione,q̄ affectis maximis uulnerib⁹ conuenit. In membrorū amputatione antedictū malui ſeruare modū,quā antiquos aliter membra p̄cidentes ſequi. Verebar ſiquidem ſi eos imitarer,ne ingēs aliquod ſequeret̄ incōmodū,uel ex ſerra,uel ex ęgrotante, uel ex miniſtris,qđ opus impediret,& maius deinde fieret ſanguinis p̄fluuiū,p̄pter q̄ facile ęger deinde moreret̄.Quocirca,ne in hac re peccarem,falcato noſtro inſtrumento prius ſiſto ſanguinem,quàm os abſcindam,aut inurem: cæterū ſi ferro illo cędente,& candenti p̄ciderem membrum,ut eodem tēpore & ſecarē, & cauterio afficerem,(quod tñ medicis noſtrę tempeſtatis placet,)Cęlſ.aduerſarer grauiſsimo authori,qui lib.viij.cap.iij.neruos igne calefacere prohibet,& ab Hipp.in lib.de art.& Gal.in eiuſdē lib.comp.ſententia diſcederē, quocirca,ne à principibus medicinę diſſentirē,neq́ꝫ aliqđ offenderem,neq́ꝫ cum noſtri tēporis medicis in eodē errore uerſarer,membrum eo quo diximus modo excidere placuit:ſiquidē poſt inciſionem nouacula factam, nerui, quia ſtatim contrahunt̄ ſi ignitū admoueat̄ ferrum,non aduruntur,p̄terea membri abſciſio cęlerius abſoluitur hoc modo,quam ſi gladio illo ignito,& cędente eodē tempore membrum & abſcinderetur,& inureret,atq́ꝫ hoc pacto opus breui rempore,pauco cum dolore & tutò,ut Gal.xiiij.meth.iubebat,p̄ficitur, ut cuiq́ꝫ hęc quæ docemus diligenter perpendēti, manifeſtū erit. Si aūt quis obiecerit me abſciſionem in parte ſana fieri iubere cōtra Pauli placita lib. 6. cap. 84. qui inter ſanam & corruptam partem membrū amputat, ſana omninò parte,intacta:Dicerem id in omni abſciſione eſſe faciendū non ſuadere,& uerā eſſe Paul.ſententiā in exciſione non toti⁹ membri,ſed partis alicuius corruptę,quę tñ adhuc os ipſum nō uitiauerit,ita ut membrū uniuerſum ſit amputandū,ſi.n.os uitio eſſet affectum, & pars ea putrefacta q̄ relinquitur adureret̄,in exiccatione illa os detegeretur, & carne detectū relinqueret̄,qđ deinde amouere eſſet laborioſum,cū carnem ampli⁹ tegi nequeat,debeat diſcedere,ut in lib.de fract.ſcripſit Gal.Sed ſi infectum os fuerit, quandoq́ꝫ in ſana parte ſecare erit rationabile,ne corruptū os derelinquatur,& poſt carnis exciſionē os ipſum deinde excidere,pręſertim qñ ſana illa caro,poſt uenarum & arteriarū obſtructionē(ut ita loquar)ſępi⁹ ut cauterijs afficiatur nō eget, ut ſi ſemiputrida corruptaq́ꝫ caro relinqueretur, quę ſępe candenti ferro adurēda,exiccandaq́ꝫ eſſet,ut citato loco Galeni fuit ſententia,& ſic Paul.ſententia & Gal.ij.ad Glau.intelligenda eſt, cui cęteri quoq́ꝫ probati ſubſcribunt authores. Verùm cū duobus modis excidi mēbra poſsint, an in ſana parte ſint amputāda, an ut Pau.lib.6.cap.84.& Gal.ij.ad Glau.dicebant,inter ſanā & corruptā,qđ de hac re ſentiā fatebor ingenuè,dicamq́ꝫ,perpetuo neq́ꝫ in ſana,neq́ꝫ inter ſanam & ęgram partem eſſe membrū ſecandum,quia in ſana parte excidere quandoq́ꝫ p̄fuerit magis,quàm in corrupta,pręſertim cum nō certo ſciamus, nunquid maligna illa putredo ulterius ſit progreſſura,& hoc tempore ſecandum in parte ſana membrum eſt,qđ ſi membrum ulterius corruptum iri certo ſciremus,tunc inter ſanam & ęgrā partem tranſuerſum membrū poſſemus ſecare, obſeruando tamē hoc in ipſa inciſione,quę fiet inter ſanā & affectā partem, ut primū ſectio carnis putrefactę fiat, deinde antequam ſecetur os ignito ferro, tota ſemiputrida caro exiccetur,quoad fuerit conſumpta, & ipſa inuſtio ad ſanam partem peruenerit, poſt hæc os ipſum proxime carnem,quam poteris maximè ſecabis, ne denudatum poſt ſectionem & detectum relinquatur: In hac inciſione nullus dolor fiet,

Præciſorū uaſorum oſculis q̄ puluis ſemper apponendus ſit.

Quare potius antedicto modo,quàm recētiorum more membra ſint excidenda.

Obiectio.& Galeo. 2. ad Glaucon.

Nō ſemper in ſana parte præcidendum mēbrum.

Vtrum in ſana parte, an inter corruptā & ſanam partē excidendū membrum ſit.

In inciſione, quę inter ſanā, & affectā partē ſit,quid obſeruandum.

nec ulla ſanguinis ſequetur profuſio, cum iam caro illa emortua ſit, atq; ſi debilis uirtus eſſet, non imbecillior redderetur, ita ut ſi in ſana parte ſectio fieret: Quãdo autem hoc faciendum ſit, docere eſt difficile, fortaſſe longo uſu ſine præcepto re diſces, ſat ſit ex Gal. ſententia ſectionẽ hoc modo fieri poſſe oſtendiſſe: Sed ut tranſuerſum diſſectum os contegatᷓ in membrorũ inciſione miniſtris iubere ſoleo, ut amputandum membrum contineant, & ad ſe quantũ poſſunt membri illius cutem carnemq; trahant, ut diſſecta pars, in cutis, & carnis muſculorum relaxatione, facilius tegatur, atq; ita quandoq; ſtatim os illud contegitur, ut nullo modo conſpiciatᷓ, ex quo facilius curatio abſoluitur, hoc tñ commodo careremus, ſi extra carnẽ os promineret, quod chirurgia eſſet deinde remouendum, & ſi naturę permitteretur, niſi poſt longũ tempus abſcederet. In iuncturã amputatione ut os contegatur, diligentius ſoleo obſeruare, iubeoq; miniſtris, ut quantum in ipſis eſt, pellẽ, quę ſupra iuncturã eſt, ad ſe trahant, facta deinde arctiſsima ligatura, membrũ in ipſo articulo, excido, uaſa prçterea ſanguinẽ effundẽtia inuro, poſt hęc ut miniſtri, quam contraxerant manibus pellẽ, carnemq; remittãt, impero, quę quandoq; bonã iuncturę partem, nonnunquam totam iuncturam ſponte contegit, non ſecus ac ſi dedita opera manu attraheretᷓ coniungereturq;, & nullis, uel paucis ſaltem, ut ſanguinis fluxus compeſcatur, membrũ eget cauterijs, quippe à pelle illa uaſa conteguntur, & fluens ſiſtitur ſanguis, ſed tñ ut melius pellis cõmittatur, digitis nonnihil eã attrahes, deinde eo modo, quo pelles ſuuntur illam conſues, dando operã ut omninò iunctura contegatᷓ, emplaſticis poſtea medicinis uulnus, ut dictum eſt, cõmunies. Neq; hunc modum amputandorum membrorũ à me relatum, & obſeruatum. Venetorũ lictores ignorauerunt, qui facinoroſo alicui homini manum exciſuri pellem, (eo quem diximus) modo ad ſuperiora contrahunt, & poſt manus amputationem, ilico contractam pellẽ luxant, & diligenter circa iuncturam conſuunt, uulneriq; uentrem gallinæ morientis adhibent, nec ullum deinde fit ſanguinis profluuium. Nec hoc à Gal. ſententia abhorret, qui v. meth. ſcribit, ſanguinis fluxum ſiſti ex proprię cutis ſuperpoſitione, quapropter tutò hoc modo membra ſecabis, qui ſi tibi ſatisfecerit illum te docuiſſe non me pœnitebit, daboq; operam, dijs uolentibus, ut propediem & maiora, & utiliora intelligas.

Vt diſſectũ os contegatur qd faciendum ſit.

In iuncturarũ amputatione ut os contegatur diligenter obſeruãdum.

Mos, qui à lictoribus Venetorum in manib⁹ facinoroſorũ hominũ amputandis obſeruatur.

DE ERYSIPELATE.

VVlneribus etiam inflammatione illam quę eryſipelas dicitur in lib. de Vlc. ſcribit Hipp. & ex eiuſdẽ ſententia, non ſolũ (ęſtiuo pręſertim tempore) circa uulnus, ſed in ipſo etiam uulnere naſcitur. In iſtis aũt uulnerib⁹ à ſclopetarijs globulis factis, quoniam ex uehementi contuſione, & attritione maximus accitᷓ dolor, qui humores attrahit, ſępiſsime eryſipelas contingit, uerùm cum eryſipelas uarię accerſant cauſę, ut ſępe aliâs admonuimus, eius cauſa quæ fuerit eſt exploranda, & remouenda, quod etiam in omnibus alijs morbis curandis obſeruãdum diligentiſsime eſt, ſiquidem morbi cauſa nõ oblata, morbum ipſum remoueri eſt impoſsibile, ut Gal. iij. art. med. & in li. de optima ſec. ad Traſib. dicebat, eſt aũt eryſipelas inflammatio à flaua bile facta, ut in lib. de tum. pręt. nat. ait Gal. quæ tamen fit ut plurimum ex malorũ humorum abundantia in corpore exiſtẽtium, ut Hipp. in lib. de ulc. dixit, aut ex uſu medicamenti alicuius calidi nimis, ut Gal. in lib. de inæq. intemp. refert, qui ſic ſcribit, iam ex medicamentis quæ foris corpori occurrunt, inęqualis intemperies gignitur, &c. aut ex ambiente aere calido, uel etiam ex ſtricta nimis ligatura, uel cauſa alia procatarctica, ut ex contuſione forti, quemadmodum in iſtis uulnerationibus contingere ſolet, ex forti enim contuſione cum grauis excitetur dolor, humores attrahuntur, & pręcipuè bilioſi, qui tenues admodũ ſunt, promptèq; fluunt: Rurſus duplex fieri poteſt eryſipelas, purum ex flaua bile, & non purum, ex ſanguine flauę bili admixto, uel alteri humori, ut citatis locis legitur. Atq; eryſipelas, uel ulceratũ eſſe poteſt, uel non

Et Paul. lib. 4. Aui. 4. 4. Gal. 3. & 4. Metho.

Eryſipelas uariæ accerſunt cauſæ.

Morbi cauſa nõ ablata morbũ ipſum auferre eſt impoſſibile.

Et 14 Meth. & 2. ad Glauc.

Quid ſit eryſipelas, & unde fiat

Et Gal. 4. met.

Duplex eryſi.

non ulceratum,ut xiiij.meth.ſcribebat Gal.de ulcerato hoc loco uerba nõ facie Et 5.aph.23.
mus,ſed de eo ſolũ qui ex ſanguine flauę bili admixto fit,qđ eryſipelas phlegmo
noſum dicitur,eryſipelas à ſanguine tenuiori factũ dicitur etiã phlegmon eryſi- Phlegmon eryſipelatoſus.
pelatoſus,ſemper ab humore uincente nomẽ aſſumens,ut adductis locis ſcribit
Gal.Notandũ tñ eſt rariſsime ex puro quopiam humore morbum fieri, ut ij. ad Ex puro humore rariſsime fit morb.
Glau.ſcribebat Gal.Eryſipelas circa uulnus eſſe cognoſcet, quando undiquaq;
rubor apparebit in partiũ uulneri proximarũ ſuperficie, quas ſi digito cõpreſſe- Quando eſſe circa uuln⁹ eryſipelas cognoſcatur.
ris,rubor ille ſtatim diſcedit,ſed ubi remoueris digitũ ilico rubor ille recurrit,ut
ij.ad Glau.dicebat Gal.& Auic.iij. cap. iiij.proprio,ubi quę ſcripſit oĩa ex Gal.
deſumpſit,ruborq; in ſola cute eſt,ut in lib.de tum.pręt.nat.ait Gal.atq; hanc af- Et 13.meth.
fectionẽ ſępe ſubſequit̃ febris,ut Cęlſ.oſtendit cap.de accid. uul. quare ſi uulne-
ra hęc febris ſequat̃,ſi eryſipelate correpta ſint,non mirũ erit.Si uerò non ſolum Vuln⁹ eryſipelate laborans ſenſibilius redditur.
cutis ipſa,ſed uulnus eryſipelate laboret,uulnus ſenſibilius reddet̃,quàm ſi caro
ſymmetriã propriã ſeruaret,& ita quandoq; efficitur ſenſibile, ut uix ſpecilli bõ-
bice inuoluti leuem contactũ ferat, carnis præterea color rubicundior uidebit̃,
& nonnunquã puſtulæ excitantur miliares,ut iiij.iiij.cap.vj.dixit Aui.quæ non
nunquã per cutem ſerpunt,quarum cauſa eſt uitioſus humor ſalſus uel bilioſus,
in corpore exiſtens,aut acris ſanies partes illas erodens.Si puſtulas has cacochy Ex cacochymia puſtulas miliares in eryſipelate genitas eſſe quibus notis cognoſcatur.
mia excitauerit, cognoſces ex corporis tẽperamento,& ex uictu quo æger antè
uſus fuerit,quare uictũ qui alteret inſtitues,& corpus uniuerſum purgabis.Si ſa-
nies acris puſtularũ illarũ cauſa fuerit,uictum quoq; alterantem inſtitues,& un-
guentũ ex lythargirio,uel cęruſſa,uel minio,qđ in plumbeo mortario cum ace-
to,& ſucco ſolani,uel plantaginis ſit confectũ,admouebis,& leuiora & fortiora
huiuſmodi parabunt̃ medicamenta, prout puſtularum circa uulnus,uel in ipſo
uulnere exiſtentiũ malitia poſtulabit.Si itaq; malignę fuerint, & fortius medica Malignę puſtulæ fortius poſtulant medicamentum.
mentum requirant,eas decocto radicum lapathi, & chelydoniæ maioris cum ſa
le lauabis,aut ſimilia medicamenta cum ꝑdictis ſuccis admouebis. Sed ſi puſtu-
læ circa uulnus,uel prurigo ſine ulceribus inueteratæ fuerint, poſthabitis uulne Puſtulę inueteratæ, & prurigo ſine ulceribus quibus remoueantur.
ribus,mirũ in modũ humoris peccãtis conferet euacuatio: humores aũt in loco
contenti caprificationibus euacuari poterunt, uel hirudinibus, puſtulis ipſis,
uel partib⁹ puſtulis ipſis proximis admotis,ad topica etiã iam dicta remedia cõ-
fugere poteris, quæ ſi tantæ uirtutis nõ fuerint ut morbũ illum omninò poſsint
auferre,puſtulas illas noſtra aqua,uel ſulphuris oleo, uel calchanthi leuiter ma-
defacere poteris,ut malitia illa, & mala illa intemperies in parte cõtracta remo-
ueatur,& extinguat̃,Galen.imitando qui iiij.de comp.med.ſec.gen.in lepræ cu
ratione induratã cutem & fœdam iubet abradere:nos tñ pro abraſione,cauſtico
aliquo uel acri medicamento utimur,in morbis huiuſmodi inueteratis,qđ quã
tis aliquem inferat dolorem,maximè tñ confert: poſtea adhibemus frigida me-
dicamenta,quib⁹ tandẽ remouetur excitatus dolor, & huiuſmodi cauſticis me-
dicinis inueteratas tales affectiones,& impetigines ſæpius curauimus fœliciter. Quibus notis eryſipelas phlegmonoſum extra ulc⁹ exiſtens dignoſcatur.
Si extra ulcus eryſipelas phlegmonoſum fuerit, præter dicta ſymptomata aderit
tumor maior,& durior,nec rubor ille,quem cõpreſsione digitis facta expuleris,
ad locum tã citò regreditur,aderit etiã intenſior dolor,ut apud Gal. & alios me-
dicinæ authores poteris legere. Verùm q̃uis inter puri eryſipelatis ſigna dixerim
eſſe rubedinem,non tñ de puriſsimo eryſipelate dictum fuit, ſed de eo quo dari Rubedo in puriſsimo eryſipelate non eſt.
ſimplicius poteſt,quoniã ſcis Gal.in lib.de plenitud.carnem,& ſanguinẽ ſolum
rubere dixiſſe,ideo cũ ibi rubor ſit,ſanguinis peccatum uidetur indicare,qui re-
uera tenuiſsimus eſt,nec eryſipelatis ueri proprius eſt color,ſed flauus color pu- Flau⁹ color ꝓprius eſt puri eryſipelatis.
ri eryſipelatis eſt propri⁹,abſq; tumore ullo,& grauitate,ſicut Gal. in li. de plen.
ait,quoniã peccans bilis tumorẽ nullum,nec grauitatem faciet, diximuſq; illud Eryſipelatis ex ſuccis uitioſis, bilioſiſq; curatio.
eſſe purũ eryſipelas,reſpectu alteri⁹ eryſipelatis, qđ ſi ex ſuccis uitioſis bilioſiſq;
fiat,curabitur ſi humores ipſi euacuabuntur, ſecus autem nunquam uulnus cu-

raretur,aut coaleſceret:huiuſmodiq́ humores multis modis euacuari poterunt, uel ſanguinis miſsione,ut Cælſ.ait,ſcopis ſtantibus qui in ſanguinis miſsione ſpectari debent,cui aſſentire uidetur Aui.iij. iiij. ſed ſanguinis miſsioné eſſe faciendam dicit ipſe,qñ materia eſt inter duas cutes,hoc eſt,quando materia & cutem & carné occupauerit,morbusq́ fuerit factus,qui magnus poſsit nominari, tunc ratione morbi magni,& peccantis ſanguinis,miſsio illa ſanguinis conueniet: licet Gal.ij.ad Glau.& xiiij.meth.& Paul.lib.iiij. in eryſipelate ſanguinis miſsionem prohibere uideantur,quam tñ,licet Cęlſ.& Auic.probauerint,non ſemper

In omnib⁹ eryſipelatibus non conuenit ſang.miſsio.

tñ in omnibus eryſipelatib⁹ ſanguinis miſsionem probauiſſe eſt intelligendum, ſed in non exquiſito,uel ubi plethorico corpori contingit, tunc enim ſanguiné audacius mittimus,quá ubi bili eſt ſanguis admixtus,atq; æger inflámatione ingenti magnaq́ febre uexatur.Poſt ſanguinis miſsioné,catharcticú medicamentum propinamus,quo uitioſus humor educatur,ut Hippocra. in lib. de ulce.his » uerbis docebat,ſi uulnus eryſipelas occupauerit,corpus purgare oportebit per » ſuperiora,uel inferiora.Hippocrati aſſentitur Gal.iiij.&xiiij.meth.qui etiam ſic ſcribit,q́d opus eſt dicere?eryſipelati nullum præſtantius remedium, quàm me-

Quibus peccans bilis purgetur.

dicamentú flauá bilem educens:bilem itaq; purgabis rore melleo, quem manna appellant, uel ſimplici uel rhabarbaro admixto,uel electuario roſ.meſ.uel caſsia fiſtulari,uel zucaro roſaceo,& ſimilibus medicamentis,q́ omnia recenſerem,niſi me ſuperfluè facturú putarem, ſi in noſtros hos ſermones ea q́ ab alijs longa o-

Exigui eryſipelatis curatio.

ratione,& doctiſsime ſcripta fuerunt, transferrem.Si eryſipelas exiguum fuerit, acri clyſtere uteris,ut Gal.ij.ad Glau.dixit,purgatio quoq; ſola, abſq; ſanguinis miſsione conferret.Si febris aderit,quàm excitauerit eryſipelas, medicinis alte-

Febris ab eryſipelate uel ab humorú agitatione excitata quibus remoueatur.

rantibus (bile euacuata) remittetur.Si autem ab humorum agitatione febris ea ſit facta,ut fieri ſæpiſsime ſolet primis diebus quando uulnus acceptum eſt,præſertim ſi corpus aut putredini paratum,aut malis refertum humoribus, aut uehementi affectum dolore propter contuſionem,uulnus acceperit,medicinis temperate euacuátibus,& alterantibus medicamentis,& congrua uictus ratione remouebitur,& uſu frigidorum & humidorum,q́ corporis temperamétum, & humorum illorum abundantiam alterent,ut x.meth.de ephemeris& putridis febri

Eryſipelatis à cauſa extrinſeca orti curatio

bus dicebat Gal.ſi eryſipelas ab extrinſeca cauſa ortum eſſet, aut ex acrium uel calidorum medicamentorú appoſitione,uel ex calido aere ambiente, uel ex forti conſtrictione,uel ex contuſione,nulla ſtante in corpore cacochymia, uel ple-

Et Galen. 2. ad Glauc.

nitudine,quam adeſſe uel abeſſe facile deprædhendes, per uniuerſalia diſcurrendo,neq; uenæ ſectione,neq; purgatione ulla opus erit,ut Cælſ.ait lib. v. ſed duntaxat extrinſeca cauſa auferenda. Topica deinde ſunt admouenda,quæ à qua-

Topica eryſipelati conuenientia frigida eſſe debent.

Et Gal. 10. de ſimp med.fac. & 1. de comp. med. ſec. gen.

Et Galen. 2. ad Glaucon.

cuńq; cauſa factum ſit eryſipelas(modo in corpore cacochymia nó ſit, quia túc ad membrum aliquod humores repellerentur) frigida eſſe debent,ut Hippo.in lib.de ulc.refert,ubi exemplum ſolani adducit,non tñ adſtringentia debent eſſe, aut parum ſaltem adſtringere,ut Gal.x.de ſim.med. & alibi cum humiditate: ut Paul.lib.iiij.cap.lviij.Tamen cum circa uulnus ſit eryſipelas, quod exiccationé poſtulat,non mirum ſi etiam unguentú ceruſſæ,in quo camphora eſt,ſucco plántaginis,uel ſolani,uel ſemperuiui, & ſimilium,lotum apponitur, & unguentum album Paul.uel unguentum album Raſis,in quo ſit camphora, uel camphora ca

Vnguenta nónulla eryſipelatibus conuenientia.

Parti eryſipelate laboranti ſępi⁹ apponi, & remoueri medicamenta debent.

reat,& infrigidans Gal.xj.meth.& vj.de tuen.ual.deſcriptum. Verùm ut medicamenta hæc maiorem afferant utilitatem, ſæpius remoueri debent, & recentia iterum apponi,ut Gal.dicebat,qm̃ cum calida effecta ſunt, non modò non refrigerant,ſed calefaciunt,quapropter remouenda ſæpius ſunt, præſertim ſi in uulnere,uel circa uulnus magna adſit inflammatio,conferet etiam unguentum roſ. meſ.cauendum tñ ne in uuln⁹ cadat, ne propter unctuoſitatem uulneri officiat, ſed eo ſolo,uel alicui ſucco frigido admixto, uulneri circúiacentes partes inungantur.Ad hunc quoq; uſum aptum eſt unguentum de ſpuma argenti, uel popu

leonis

leonis,præſertim ubi aliquis infeſtet dolor, quibus linteolum illines, & uulneri cui prius propria medicamenta adhibita ſinr,ſuperdabis. Et ſi ulcus eryſipelate urgeatur,medicamenta iſta aqua roſacea,uel plantaginis abluantur, aut lacte caprino,aut uaccino,aut mulieris lacte bono temperaméto præditæ,uel aliquo ex prædictis ſuccis frigidis & ſiccis,quibus intemperies remittetur,neq; ulceris indicationem contemnes,quoniam nonnihil ſiccabis. Ad mitiora etiam, ſi opus ſit,confugere poteris medicamenta,ut ad unguentum pompholigis, & ad linamenta ſicca, q̃ etiã paranda ſunt, quia uulneri intenſa febris coniuncta eſt, ut & ulceris,& totius corporis intẽperies,quã febris ipſa excitauit,remittatur:neq; admiratione afficiaris,ſi ſemper frigidis his medicinis digerentia aliqua admiſceãtur,quale oleũ eſt,ſiquidẽ ſemper opera eſt danda,ne ex frigidorũ medicamentorum appoſitione membrum durũ reddatur, & tranſpiratio prohibeãtur,ne (ut dictum eſt ex Gal.) fiat corruptio,caueq; ſemper,ne medicamenta hæc, q̃ huiuſmodi ulceribus,quibus febris coniuncta fuerit,adhibebis,ſubluere obliuiſcaris, quoniam uniuerſo corpore inflammatione & febre affecto, indicatio curatiua ab ea caliditate ſumi debet,ut in libro Meth.docuit Galenus.

Quare ſemper digerens aliquod medicinis eryſipelati conuenientib' miſceatur.

DE VVLNERE DEPASCENTE, VEL SERPENTE,
quod à Græcis νομὴ dicitur.

INflammatione affecta uel ulcera uel uulnera,depaſcentia quandoq; fiunt, ut Hipp.in lib.de ulc.q̃ ulcera ſerpentia,herpetes eſthiomeni,nomę,phagedenę, & ulcera maligna putreſcentia nuncupãtur:uerùm ulcera hæc,q̃uis uarijs nominibus appellentur,& in eo quod magis & minus eſt differant, omnia tñ ſub herpetis curationem reducuntur,dicebat enim elegantiſsime Gal. II. ad Glau.quatuor eſſe inflammationũ ſpecies,phlegmonem ſcilicet,eryſipelas, herpetem, & carbunculum,quaſi illud innuens, quamuis alia inflammationum genera reperiantur,ea ad unam harum ſpecierum poſſe reduci,ueluti bubo,phyma,phigetlõ, ophthalmia,peripneumonia,pleureſis,& ſimiles affectus, qui ad phlegmonẽ reducuntur,qui quidẽ tantũ ratione loci quem infeſtant differunt,& quibus à læſa particula nomen inditum eſt,ita quoq; ulcera depaſcentia noma,phagedena, aphtæ,malignæ in ore,ulcus putridum ad herpetis eſthiomeni curationem poſſunt reduci,qui herpes ulcus eſt malignum,profunde depaſcens, q̃uis inter ſe in eo quod maius & minus eſt differant,ut noma & putridũ ulcus,quę ſunt tanquã genera omniũ ulcerum malignorum,quę cadunt ſuper ulcus malignum, & ſerpens,ut optime dicebat Gal.v. de comp. med. ſec. loc. cap.de aphta.& v.meth. ubi ulcera penis putrida uocat.Aduertendum tamen,putredinem in ulcere cauſam ueram non eſſe nominis ulceris,neq; malignitas propria ulceris eſt differentia,cum ulcus & putredo per ſe eſſe poſsint,ſine malignitate, quæ tamen ſi cõtingat accidentalem efficit differentiam,ut ait Gal.vj.aph.xlv.Phagedena quoque eſt ulcus ſerpens,& malignum, ueruntamen profundius quam herpes exedit,ut Paul.lib.iiij.cap.xlv.ait,ita ut cutem & carnẽ exedat,ut in lib.de tum.pręter nat. & vj.aph.xlv.& xiiij.meth.ſcribit Gal.ubi cur exedat rationem reddit,dicitq; id fieri ob craſsitiem,q̃ profundioris exulcerationis cauſa eſt, quibus tñ eodẽ modo curatio adhibetur, cum tantum inter ſe ueluti genus & ſpecies differant,ut adducto loco Paul.dicebat,neque tantum eſt nominum uarietas curanda,ut in libro de conſt. art. med. referebat Galenus, de qua tanta ſolicitudo habenda non eſt, dummodo recta intentio curatiua habeatur, quapropter exiſtente in uulnere, uel ulcere malignitate ſerpente, eadem quæ herpeti eſthiomeno eſt adhibenda curatio. Verùm cum herpes, & omne malignum ulcus ab humoris bilioſi, acris, & mordacis abundantia fiat, qui malus ex aduſtione efficitur, corpore prauis humoribus referto exiſtente: ut Hipp.in lib.de ulc.retulit: ſi moueri debent eorum cauſa eſt abſcindenda, medicinis humorem peccantem at-

Quatuor inflã mationum ſpecies.

Et 3. meth.

Herpes,& maligna ulcera unde fiant, & eorũ curatio.

Et Gal. 6. aph. 45. 3 de temp. 4 meth. & 2. ad Glauco. Et Gal. 3. met. & Auic. cap. de ulce. putrido.

Acria medica. ulcus depaſcens efficiunt

trahentibus,ut Hipp.in lib. de ulc. ait, quemadmodum etiam de eryſipelate dictum fuit,& purgatio quantitati humoris peccantis debet reſpódere,eadem exhibendo medicamenta,q́ gangrænæ iam conuenire diximus, quæ aduſtos euacuent humores,rectaq; uictus ratio inſtituenda,qua calida totius corporis intéperies mutetur.Cæterùm conſiderandū quoq; eſt,depaſcentia fieri uulnera,non ſolū propter uitioſos ſuccos in corpore contentos, uerum etiam propter acria medicamenta & mordatia uulneribus impoſita, qm̃ exaſperata ab illis fuerunt, præſertim ſi illa uulnera in cacochymo fuerint corpore, & qđ mala uictus ratione uſus fuerit.

Contactus putridę carnis depaſcens ulcus efficit.

Ex contactu putridæ carnis depaſcentia quoq; ulcera fiunt, ut in uulneribus à ſclopetarijs globulis illatis ſæpenumero patet, in quibus contuſa putreſcit caro,quæ deinde contactu ſuo bonam inficit carnem,redditq; uulnus exedens,& malignū,quod etiā fit quando cauſtica parti alicui admouentur medicamenta,quā cauterio afficere uolumus,ut ad partem illā humor aliquis reuellatur,aut deriuetur ab huiuſmodi cauterio,ſi cóbuſta illa caro,& putrefacta non remoueatur,exedentis ulceris cauſa eſt.

Ex intemperie calida & ſicca uulnus exedens fit.

Quibus notis, ex intemperie calida & ſicca exedens factū ulcus fuiſſe dignoſcemus.

Ex mala quoq; intemperie calida,& ſicca in membro aliquo contracta, exedens quoq; uulnus fit,atq; exedens uulnus ab huiuſmodi cauſa factū fuiſſe,his notis dignoſces, ex febre, ex ſicco ulcere,ex non mediocri ſiti qua æger afficietur,ex ichoribus feculentis, ut Cælſ. ait v.lib. cap. de accid. ex croceo colore, q́ notæ oĩes bilis redundantiam ſignificant, ut Gal.1.prog.com.25.ſcribit,nonnunquam ulceris labia quaſi inuerſa ſunt, uel eleuata,rubor circa uulnꝰ extat,uenulę in ulcere albę, & cū citrinitate quadā apparent,& in toto ulcere inęqualitas quędam conſpicitur,exacta quoq; ſenſibilitas dū pertractatur,& abſtergitur ulcus,licet leuiſsime pertractes,uel abſtergas, percipitur, neq; ulcus ipſum in eodem ſtatu permanet,ſed diebus ſingulis augetur, maiuſq; efficitur:Si omnia hæc ſigna,uel ex his ſignis multa ulceri inerunt, malignū eſſe ulcus ſignificabunt:

Depaſcentis ulceris cauſa remota ad topica deueniendum eſt.

Et 14. meth. & Paul. cap. proprio.

Vlceris depaſcentis medicamenta qualia eſſe debeant.

Vnguenta exedentibus ulceribus idonea.

A depaſcentibus ulceribus ſanguiné prouocare confert.

Remotis cauſis iſtius affectionis,ad localia eſt deueniendum,nó ad medicamenta frigida & humida,q́ eryſipelati conuenibant, ſed ad frigida & ſicca,quemadmodū Gal.ij.ad Glau.ſcribit, & inter cætera unguentum pompholigis,pro remotione inflammationis,& eroſionis,admouebis,indicatione ſemper ſumpta ab ulceris propria differentia, non autem à tempore, ut Gal.iij.meth.docuit.corroſiuis enim & inflammatis ulceribus unguentum hoc confert,quorum malitiam in principio remittit, & carnis adiuuat generationé: admouere etiam poſſes unguentum de calce,à quo ſi ulceris malitia illa non uincatur,ad fortiora confugies: Nec inutile fuerit ſanguinis fluxum ab ipſis ulceribus prouocare,ut Hipp.dicit,& Gal.iiij. meth. ex ipſius Hippocratis ſententia: Quocirca ulcera ipſa,ut ſanguinis fluxū irrites,aſpera re aliqua perfricabis, ſanguinemq; effluere ſines,ſiquidé cum ipſo ſanguine praui etiam humores,in parte illa qui infixi erant,euacuabuntur,ut dixit Auic.iiij. iiij. cap. ix. uel hirudines applicabis affectæ parti, frigidum deinde aliquod & ſiccum medicamentum impones, locumq; aluminoſa aqua lauabis, quæ ulceribus iſtis conducere mirum in modum ſolet,nam ualide influentes humores repellit, & qui fluxerunt exiccat,partem etiam infraſcripto decocto lauabis,quod recipit roſarum rub.malicorij,balauſtiorum,uel citrinorum mirabolanorum, nucum cupreſsi, partes æquales,aquæ calibeatæ,uel aquæ plantaginis.q.ſ.& ut ualidius ulcera ab humorum influentium malitia uindicentur, defenſiuo partes circa uulnus illines,in uulnus deinde puluerem aliquem refrigerantem & exiccantem immittes,qualis eſſet puluis qui ex his conſtat. Rec. lithargyrij, plumbi uſti, cadmiæ præparatæ (tutiam uocant)ſtimij partes duas,æris combuſti & præparati,partem unam, lapidis hematitis ueri,quo fabri ad inaurandū utuntur, ut aurum, quo loricas aut aliquid aliud obducunt, magis ſplendeſcat, pul. corallorum, pul. mirabolanorum,partes duas,omnia in tenuiſsimum pulueré redigantur, qui in ulcere ponatur,deinde penicilli,uel ſplenia concipiantur.q́ unguéto pópholigis, uel calcis, uel cæ-

Aluminoſa aqua depaſcentibus ulceribꝰ conducit.

Decoctū exedentibus ulce. conducens.

Puluis refrigerãs, & exiccãs.

uel ceruſæ,uel albo unguento Paul.uel unguento minij,cum camphora,uel ſine camphora,illinantur,& uulneri admoueatur. Cęterū poſt huiuſmodi pulueres, & linamenta ulceri adhibita, puluillos poſca imbutos, uel alio decocto frigido & ſtiptico,uel unguento aliquo ex dictis frigido&ſicco illitos,ſuperpone:Si admota hęc medicamenta uulneri non medebunt,& in dies magis morbus ſerpat, & augeatur, iterum corpus purgabis,& audacter fortia applicabis medicaméta, cauendo ne nimis in eorum admotione inſiſtas, ad medicamenta igitur eſcharotida confugies,& nonnunquā ad ignem,ut Gal.ij.ad Glau.facit,qui inter cętera præſtantiſsimū eſt remedium,quod ſi æger candens ferrum, propter timoré uel propter nimis delicatam naturam,reformidauerit,& medicaminibus morbum ceſſurum ſperes,acriora admouebis medicamenta,quamuis Hipp.in lib.de ulc. ulceribus iſtis ſicca cōuenire medicamenta, & mordicationis expertia dixerit, ſed talia medicamenta conuenire intelligit ſi malignū nō ſit ulcus, & putreſcés, ut Gal.ij.ad Glau.oſtendit,quapropter uerenda non ſunt medicamenta, iſtorū ulcerum malitiā ſuperantia,quib⁹ ſi morbus nō cedet,ut in tractatu de ſphacelo primę ſpeciei diximus,ad igné confugiendū eſt. Poteris igit in primis admouere puluerē præcipitati,unguentū Aegyptiacū,calchanthū,aut aquā noſtrā fortem, quę in iſtis exeſionibus pręſtātiſsime operat,uel ea medicamenta,quę in cap.de corruptiōe ſcripta ſunt,adhibere,gradatim procedēdo, ſi quidé medicinis iſtis, ſine igne ulceris malitiam uinces,ut nos ſæpe fuimus experti,& tu quoq; uidiſti.

Si exedens ulcus medicinis non cedit,iterū corpus purgandū eſt, deinde ad fortiora medicamenta tranſeundū.

Ignis depaſcētibus ulceribus præſtantiſsimū remedium

Et Gal. 4 met. & 2. ad Glauc.

DE SORDIDO VLCERE.

VVlnera atq; ulcera, quandoq; ſordida adeò redduntur,ut ῥυπαρὰ à græcis dicantur,emittunt.n.quandoq; craſſum adeo excremētum, & copioſum, ut totius uulneris,uel ulceris cauū repleatur, ac ſi diutius talia emiſerint excrementa,in uulnera ſiue ulcera depaſcentia tandem deſinunt, & ſi malitia effluentium humorum augeatur,in ſphacelum euadunt,quem aſcachileon Arabes uocant,& tandé in ipſum eſthiomenū deſinunt morbum,uitamq; adimunt: huiuſmodi ulcerum cauſę,ut iiij.de comp.med.ſec.gen.refert Gal.ſunt praui, & craſſi humores,ſanguinis naturā quodāmodo referentes,qui ferueſcentes,uenenoſitatem & malignitaté non paruā contrahunt. Talia quandoq; uulnera uel ulcera redduntur ex longo unctuoſorum medicamētorum uſu, cum prauis ſuccis, uel ut ſępius fit, ſine ſuccis ipſis, uel ex medicinis debiliter exiccantibus,ut iiij.de comp.med.ſec.gen.ſcribebat Gal. uel quando uulneri alteri aut morbo natura intenta eſt,ulcus quoq; ſordidum fit,propter abſtergentia fortia medicamenta, quæ ulcus excauant,ut iij.meth. ſcripſit Gal. potiſsimumq; huius cauſę ſignum eſſe iudicabis,ſi in dies cauum magis ulcus efficiatur,& extra rubor appareat,& pauci ex ulcere ipſo profluant ichores:Si ex medicamenti imbecillitate tale red ditū ſit ulcus,cognoſces ex albedine,quæ tanquam tela quædam, totum ambiet ulcus,& uirtute illorum medicamentorum,& ægrotantis perpenſa, & ex ſubalbis uenis,quas cū perſpexeris,ne ulcus depaſcēns fiat formidandum, pauca præterea effluunt excremēta, qua excrementorū effluxus à ſordib⁹ prohibetur, quę etiā tranſpirationé impediunt,&euentationé caloris innati,ex quo partis corruptio ſequit,& exeſio.Si ſordidū effectū ſit ulcus,quia alteri morbo intenta ſit natura cognoſces ipſo uulnere,& ſi internas externasq; cauſas omes exploraueris, nō erit difficile ſordiū illarum cauſam inuenire:Sordidū ulc⁹ (ſi huiuſmodi fuerit effectū propter malos humores, quéadmodū fieri ſępenumero ſolet) ſi corp⁹ purgaueris uniuerſum, ut iiij.meth.cēſuit Gal.deinde topica adhibueris cōuenientia,&ſi inter cętera,ut ab ulcere ipſo fluat ſanguis operā dederis,ut cū ipſo ſanguine praui euacuent humores, & ſi etiā ulcus ipſum muria,uel marina aqua,uel ſalſa ablueris,&linteolo aliquo,uel abſtergéte aliquo medicaméto,ulc⁹ illud ab ſterſeris:Si ualde ſordidū ulc⁹ nō fuerit, tale adhibere abſtergēs medicamētū poteris,q̃ recipit mellis roſ.terebintinę lotę partes duas,farinę hordei partē mediā

Sordidorū ulcerum cauſæ.

Et 4. de com. med. ſec. gen. Signa ſordidi ulceris,ex ſorditudine uel ex imbecillitate medicamentorum.

Sordidi ulceris ex prauis humoribus curatio.

Et 4. de com. med. ſec. gen.

Abſtergentis medicamenti compoſitio.

thuris partẽ quartã: medicamento etiã huic poſſes addere ariſtolochię, & iridis partem octauam: quod ſi maiori opus eſſet abſterſione, unguentũ apoſtolorum admouebis, uel iſis cephalicũ Gal. & ſingulis iſis partibꝰ quinq; partes cerati humidi, aut unguẽti reſini, uel digeſtiui loti potes addere, hoc modo. Re. iſis cephalici drac. j. cerati hũmidi, drac. v. & miſce, uel Rec. unguẽti damaſceni, partem j. unguẽti reſini, uel alterius unguenti ex dictis, partes v. uel vj. & miſce: Poſſes etiã ęgyptiacũ admouere, uel puluerẽ p̃cipitati, q̃a cũ magnę ſint ſordes, leui medicamento auferri nõ poſſunt: p̃ſtantiſsimè igit medicamentũ hoc abſterget, abſq; dolore: Quod ſi ſupra modũ ſordidũ uidebitur ulcus, abſq; inflammatione, abluere etiã illud aqua ſaponaria, uel lixiuio poteris, emplaſtrũ deinde aliquod frigidũ ſuperdabis, uel ulceri circũiacentibus partibus unguentũ ex bolo armena admouebis, & puluillos poſca imbutos, & unguento aliquo frigido illitos, adhibebis, & hac uia perges quoad purgatũ fuerit ulcus, ut iiij. de cõp. med. ſec. gen. Gal. admonebat. Neq; in ſordidis his ulceribus, quemadmodũ in alijs morbis, à leuioribus medicinis eſt incipiendũ, ſed à fortioribus, ut iiij. de comp. medi. ſec. gen. dicebat, q̃m ſordes eſt ueluti tegumẽtum, qđ medicamentorũ mordicationi reſiſtit, deſcendendũ pręterea eſt ad leuiora medicamenta poſtquam ablatę ſordes fuerint, q̃a tunc iam ſenſibilius redditũ ulcus erit, à qua ſenſibilitate ſumẽda eſt indicatio qualitatis medicamẽti: Aduertendũ tñ inter cætera illud eſt, ulcus ſordidũ, factum ꝓpter oleaginoſorũ medicamentorũ uſum, leui abſtergente medicamento egere. quale illud eſſet ꝙ ex melle roſ. farina hordei, & oleo abietino aut terebinthina cõſtat, ꝙ ſi leue nimis medicamentũ uidebitur, ad ualidius confugies, non tñ ſtatim ad ea, quę ualidiſsima ſunt medicamẽta, deuenies, niſi omninò phlegmonis generationis remota ſuſpitio fuerit. Vitabiſq; magis ualidiſsimorũ medicamentorũ uſum, ſi febris adfuerit, ex horũ enim appoſitione periculum eſſet, ne ꝓpter inflãmationem ulcus depaſcens efficeretur, aut abſceſſu locus afficeret, quẽ ἀπόσημα gręci uocant, tunc. n. filamentis ſiccis aut leuiter abſtergente medicamento purgare ulcus niteris, quibus, licet perfectè ulcus purgare non poſsis, ne ſordidius fiat ſaltẽ ꝓhibebis, quoad febris uel remittat, uel auferatur, & futurã amplius inflammationem non timeas. Si lethale uulnus eſſet, aut propter ipſum magnũ ueremur morbum, & propter ſordes ipſas ulcus malũ fieret, ut cauſam primũ remoueas opera eſt danda, & prout tempus cõſuluerit, (modo ulcus abſtergas,) & leuibus, & fortibus medicinis abſtergentibus uti poteris, & ſi q̃ dixi omnia fideliter memorię mandaueris, & tutò ulcus abſterget. Si ex ualidis medicamentis ſordida effecta fuerint ulcera, uidebis, (ut iam dixi) in dies ulcus & maius, & ꝓfundius, & rubicundius fieri, & ichores, & ſubtile pus, calidumq; admodũ effluere, ac ſi mitiora impoſueris medicamenta, ex animi ſententia ſuccedet curatio, aptiſsimũ itaq; erit pompholigis unguentũ, linteolũ deinde frigido aliquo medicamento illitũ ſuperpones, qđ ſi hæc non profuerint medicamẽta, & malignũ magis ulcus fiat: magiſq; diebus ſingulis exedat, carnemq; corrũpat, ad medicamenta, in cap. de depaſcentibus ulceribus deſcripta, cõfugies: Si poſtquã purgatũ ulcꝰ fuerit, nullũ adſit ſymptoma, & cauus repleatur, dubio procul ulcus coaleſcet: Verùm ſi forte fortuna ulcus aliquod ſordidiſsimũ eſſet, & ualido medicamento ad abſtergendum eſſet opus, æris ſquamma præparata, aut pręcipitati puluere ulcus ipſum inſpergere ne uerearis, & pulueribus ipſis ſicca adijce filamenta, deinde linteolum frigido aliquo medicamento illitum, ne facile ulcus inflãmatione afficiatur, adhibe, præmiſsis ſemper conuenientibus purgationibus, quæ ſi non contulerint, & ſæua magis ſequantur ſymptomata, ad alia medicamenta, quæ antea nobis ſuis locis dicta fuère, tranſibis.

Valide abſtergentia medicamenta.

In ſordidis ulceribꝰ à leuioribus medicinis non eſt inchoandum. Et 4. meth.

Vlcus ex medicinis oleaginoſis factũ ſordidũ medicina leuiter abſtergente eget.

Valide abſtergentia medicamenta uitãda, ſi febris adſit.

Lethalia ulcera, & ſordida quomodo abſtergenda.

Sordidũ ulcꝰ ex ualidis medicinis redditũ q̃bus notis cognoſcat̃, & quæ medicinæ deinde illi cõueniant.

Medicamenta ualidiſsime abſtergentia.

DE VLCERE SINVOSO ET VALDE HVMIDO.

QVamuis abunde Gal. ij. ad Glauc. de ſinuoſo, ac ualde humido ulcere ſcripſerit, ſtatuimus tñ nos hic etiam nonulla adſcribere, non ut aliquid noui doce-

doceamus,ſed potius,ut quę ſparſim à medicinæ authoribus ſcripta fuêre, hoc loco oculis ſubijciamus,ac ꝓponamus:libenterq́; hoc negotiũ ſuſcipimus,præcipue cum ſymptoma hoc ſacta à contendente re ulcera ſæpius ſubſequat,neq; quę dicemus à noſtro abhorreāt inſtituto, & ea quaſi innouata,& à tenebris eruta fortaſſe uidebunt. Sinuoſum,aut humidum ulcus illud appellamus,à quo longe maior,quā ulceris magnitudini,q̃ in ſuperficie apparet,puris copia egreditur: Sed cum hoc uarijs cauſis fieri poſsit,ſumma diligentia propria cauſa eſt exploranda,ſi recta inſtitui curatio debet. Humidũ igitur ulcus fieri poteſt ex ingenti aliqua contuſione in membro cum uulnere facta, ut fieri ſolet ſępe in uulnerib⁹ à ſclopetarijs globulis illatis,qui uehementi ſua contuſione, non ſolum uulneratas partes,ſed uulneri circũiacentes nonnunquā ita atterunt, & contundunt,ut oſſa percuſſorũ mēbrorũ ꝓluxent,uel ſublaxent,qđ q̃uis primis diebus aliquib⁹ ſignis non pateat, poſt aliquot tñ dies,cum extenſa ligamēta,extenſiq́; tendines relaxantur,uel ob excitatam inflammationē, uel ob pus genitum, dolores inferunt graues,& maximi ſaniei effluxus cauſa ſunt: Neq; mirandũ ſi primis diebus proluxatio nō animaduertatur, qm̃ in proluxationibus,non ita ligamenta ut in ueris luxationibus extendunt:cum igitur minor fiat extenſio,minor quoq; fit læſio,quę quidem cum parua ſit,illi natura,quę in ipſo principio fortis exiſtit, facilius reſiſtit,imbecillis deinde reddita,affectio fit manifeſta,puriſq́; maximam copiam,ſi deinde effluere uideris non eſt quo admiratione afficiaris,quippe ſcribit Hipp. in lib. de fract. cap. mirandum non eſſe,ſi uulnera talia à contuſiōe facta,maiorem puris copiam emittant,quoniam uulnerũ à contuſione factorum proprium eſt: humorum & puris copiam magnam emittere, ſic enim ſcribit: telis autē
„ id potiſsimum os ſcindit,& latentibus,& conſpicuis collidit, & ita prorumpit,
„ ut ſeſſida qđ teretem,orbiculatum,planum,retuſum,graue,& durum,idē quoq;
„ carnem collidit,maturat,& lacerat:uulnera pręterea,ſub huiuſmodi telis, à late
„ ribus,& in orbem caua fiunt,purulenta magis atq; humida, & longiori tempo-
„ re purgantur, q̃ omnia,cum in uulneribus iſtis obſeruentur, quorſum magnum
„ humorum copiam ab iſtis uulnerationibus profluentem,mirabimur? Cæterùm ob ortam aliquam inflammationem, ulcera aliquando ultra modum efficiũtur humida,quę uarijs modis ad abſceſſum, ſeu ad exituram (ut cum Arabibus loquar) uel ad ſuppurationem perducũtur,modò in ipſa corporis ſuperficie, modò in profundo,modò prope ulcus ipſum,modò in remotiori parte,& pus modò in parte aliqua excipitur,modò per uulnus per gyros uarios, & flexus deſcendit ita, ut ipſum ulcus quamuis exiguum uideatur, humidum tamen reddatur, ut fieri ſępe in uulnerationib. à tormētis bellicis factis,uidimus. Humidũ quoq; ulcus reddit,qñ os aliquod abſceſſurũ eſt,ut iij. de fract. ſcripſit Gal. ubi oſsis fu
„ turę deſquāmationis ſigna deſcribit,ſic dicēs,pus copioſius emanat,q̃ par ſit ma
„ gnitudini ulceris: Tale etiam reddetur ulcus,ſi quid in ipſo qđ pręter naturā ſit, detineatur,ut ferè fit in plagis à bombardicis globulis factis,trahunt .n. ſępenumero ſecum globuli,uel ueſtimenti,uel loricæ fruſta,uel ferreos hamulos quib⁹ recentis,uulneris agglutinatio ꝓhibetur,ſemperq́; pus tenuius, copioſiusq́; quā uulneris magnitudini conueniat,egreditur,ita ut humidum ulcus fiat, ut diebus ſuperioribus,non ſemel dum mecum medicinā exerceres,animaduertiſti,pręſertim in uulnere Illuſtris Domini Aſtoris Baglioni, qui in Mirandulenſi obſidione dũ Mirādulenſes milites,qui ex pſidijs exierant,incurſioneſq́; faciebant, acriter perſequeretur,globulo ſclopetario ictus fuerat,ſupra regionem oſsis ilij,non ꝓcul à dextro inguine,cũ fractura appendicis illius,ac transfixione(ut ita loquar) ſexti & ſeptimi muſculi,qui ad ſuperiora crus mouent,& quāuis lorica ferrea eſſet indutus,globulus tamē profunde penetrauit,ſecumq́; fruſtula ueſtimentorũ, loricæq́; ferreæ traxit, quæ ex uulnere nunquam exitura(ut ſcis)iudicaui,ad id

Vlcus humidũ & ſinuoſum quod.

Humidi ulceris uariæ cauſæ.

Pus copioſius quã par ſit, in uulnere aliqd præter naturã detineri ſignificat.

prædicendum ductus, quod ex uulnere copioſiſsimum efflueret excrementum, quapropter ſi in huiuſmodi uulneribus, humorum ingentem copiam effluentẽ uideris, aliquid præter naturam in uulnere detineri, iudicabis: Nonnunquam etiam peniculorum filamẽta, in ulcere ab imperito medico derelicta, ut ſæpe obſeruaui, ut pus copiſius effluat, ulcuſq́ humidum reddatur, efficiunt: Humidum quoq́ ulcus quandoq́ fit ex partis imbecillitate, ob ſaniem debilitantem, ut iiij. cap. xxviij. ſcribit Auicen. Rurſus tale ulcus redditur ex mala aliqua intemperie in ulcere, uel circa ulcus ipſum exiſtente, uel propter prauum humorem in corpore illius qui patitur, contentum, qui quidem humor ad ulcus defertur, humidiuſq́ quàm par ſit ulcus reddit. Atq́ hæc quæ dixi omnia facile conijcies, ſi pro

Quibus notis pus copioſum exire propter cõtusionẽ cognoſcemus.

be cauſas omnes conſideraueris. Sed propter contuſionem humidius effectum ulcus fuerit, ex ægrotantis relatione dignoſcatur, ex uulneris circulari figura, & tumore circa ulcus exiſtente, ex uulneris inæqualitate, & ex dolore, quemadmodum Paul. in cap. de extractione ſagit. dicit, ubi contuſorum uulnerum ſigna, ut ſuo loco diximus, recenſet, in quorum curatione, quæ proprio loco declarata

Quibus notis humidum eſſe ctum fuiſſe ulcus ꝓpter ſuppuratam inflãmationem dignoſcetur.

obſeruabis: Nullaq́ afficieris admiratione, ſi ex illis ulceribus copioſius pus effluxerit, nec omninò laudabile, dummodo alio ſymptomate non corripiantur. Sed ſi ob inflammationem, quæ ſuppurata fuerit, ulcus humidum fit, cognoſces id, quoniam iam inflammationis ſigna præceſſerint, dolores nempe pulſatiles,

Et 2 ad Glauc. & in lib. de tumo. præ. nat.

rubedo, febris & durities, ut xiiij. method. ſcribebat Galen. quæ ſymptomata omnia remitte ntur, cum ulcus expurgari commodè poterit. Si autem ſinum aliquem eſſe fueris ſuſpicatus, ſpecillo plumbeo, uel argenteo, ut nihil te lateat, explorabis: & ſi adeſſe ſinum omninò perceperis, carne ut repleatur operã dabis, modo exiccantibus medicinis appoſitis, modo inſtrumento aliquo in ſinum ipſum iniectos, ut ij. ad Glauco. admonebat Galen. Verùm cum huiuſmodi medi

Exiccantibus medicinis utimur, remotis ab ulcere omnibus ſymptomatibus.

camentis utuolueris, nunquid ſymptomata omnia remota ſint aduertẽdum eſt, dolor nempe, inflammatio, tumorq́, ac nunquid amplius ullum futuræ inflammationis immineat periculum, quãdoquidem talia ſi adeſſent ſymptomata, aut ſi inflammationis periculum impenderet, tutò his medicamentis uti non poſſes,

Et 3. de comp. medi. ſec. gen. Quare exiſtente aliquo ſymptomate exiccãtibus uti nõ poſſumus.

ut iij. method. longa oratione, ſcripſit Galen. & ut nos experientia comprobauimus: huiuſq́ rei ratio eſt, quia ſi in ulceribus iſtis uel inflammatio, uel tumor exiſteret, medicamenta exiccantia, qualia ſinui conueniunt, ut carne repleatur, illa adaugerent ſymptoma. Nullo igitur exiſtente uel dolore, uel tumore, uel inflam

Sinus curatio quomodo inſtituenda.

matione aut alio ſymptomate, præter cauum ipſum, uel ſinum, curationem hoc pacto inſtitues: Primum lotiones aliquas leues, ut aquam hordaceam, cum melle roſ. inijcies, idq́ magis facies, ſi adhuc ulcus aliqua inflammatione urgeatur, uel ſi longum tempus abierit, poſtquam receſſerit inflammatio: uel cum hordeo

Simplicia ulceribus exiccandis idonea.

roſas decoques, uel ariſtolochiam, uel centaureum minus, uel maius, poteris etiam cum hordeo ipſo ſymphitum, thus, aloẽn & ſimilia cõcoquere, uel ſola etiã, uel cum roſaceo melle admixta, & ſi fortiori egere exiccatione uidebis, mulſam ſolam inijcies, uel melicratum, ut Galen. iij. de comp. med. ſec. gen. dicebat, uel uinum cum melle coctum, uel ſimplex uinum, ſi tempus conſolidationis fuerit, uel thermarum aquam, qualis aqua Porretæ, uel aquam ſponte à mineris ſcaturientem, uel aluminoſam aquam, uel lixiuium dulce cum melle, & ſimilia: uel præ

Aegyptiacũ ſinubus cõſolidandis aptiſsimum.

dictis decoctis, partem aliquam ægyptiaci unguenti addes, confert enim ſupra modum ſinubus qui difficile conſolidantur, ut nos & ratio & experientia docuit, ſiquidem corruptam carnem exedit, & bonæ non officit: in ſinubus enim ſæpius molles carnes generantur, quæ niſi remoueantur, optimam ſequi conſolidationem impediunt: ſed unguentum hoc, omnia quæ ſinubus ſanandis conducunt, præſtat, habenda tamen ſemper ratio eſt in fortium medicamentorum uſu

Poſt ulcus lotum quid faciendum.

ne ulcus ſcilicet inflammatione laboret, ut iiij. meth. admonebat Gale. poſtquã ulcus laueris, illud exiccabis aliquo unguento, deinde penicillos, qui ulceri ipſi inſeran-

inſerantur illines, dehinc latum linteolum medicamento etiam aliquo idoneo illitum ut diaphœnicino Gal. aut alio medicaméto debiliori uel fortiori, quod corporis temperamento non aduerſetur, ſuperdabis, in linteo ipſo foramina cóſtituendo forpicibus, unde ulcus commodiſsime expurgetur, ut adducto loco Gal. placuit, ac ſi non ab re uideris eſſe, iſis cephalicum, cum cerato humido uel roſ. oleo colliquatum in ſinum inijcies, aut diachartu, roſ. oleo admixtum, tum ut eius acuitas remittatur, tum ut cómode in ulcus ipſum demitti poſsit, quod medicamentum in ſinuum curatione Gal. ij. ad Glauc. commendabat. Poſt hæc membri commodum ſitum requires, ut pus ſponte euacuari poſsit, ut iiij. meth. & locis adductis Gal. præcipiebat, modò lectum ipſum eleuando, modo deprimendo, modò membrum ipſum attollendo, modò demittendo, pro ut ulceris orificiũ conſulet, & pro ut expurgabitur ſanies, ut fuſius docuit: Quod ſi cauus carne non repleatur, & non conſolidetur, habita ſemper ratione habitudinis totius corporis, & generationis optimi ſanguinis, tũ in qualitate tum in quantitate, ac aliorum de quibus iij. meth. Gal. meminit in caui ulceris curatione, fortiora medicamenta extra poteris applicare, ex metallicis confecta, ut epiſpaſticum, de quo Gal. v. de ſymp. med. facult. ſcribit, quod humorũ fluxum prohibet, fiſtulaſq; ſanat, & ſinus exiccat: uel medicamentũ ex ſquammis compoſitũ, ut iiij. de comp. med. ſec. gen. idem docuit Gal. Cæterùm poſt prædictas lotiones, & prædicta medicaméta ſinui impoſita & iniecta, ſinus conſolidationem, puluillis fundo ipſorum ſinuum appoſitis, curabis, modo neq; inflamatio, neque aliud adſit ſymptoma, uel nouas ſpongias in decocto, quod ſcribemus, madefactas & expreſſas circũpones, atq; alligatio incipiat quidem in fundo ſin⁹, finiat autem ad os, & linteorum circumuolutiones fundum ſinus ſine dolore conſtringant, paulatim uerò relaxentur, uſq; ad os ſinus, ut ij. ad Glau. dicebat Gal. ſi nouæ non adfuerint ſpongiæ, lineum pannum duplicatum, in lixiuio cum nitro noſtro, quod in uetuſtiſsimis parietibus colligitur, ebullitum capies, huncq; pannũ pro molli ſpongia & noua ſinubus circumpones: decocti deſcriptio eſt huiuſmodi. Sume nuces cupreſsi numero triginta, abſynthij, roſarum rub. florum camomillæ, anethi, ſingulorum manipulum unum, in uino omnia decoquantur ad tertię partis conſumptionem, & his ſi libet nonnunquá alumen rochæ addatur, ſed uas in quo decoctio hæc fir, optimè obturatũ ſit oportet, ne uini tenuiores partes per halitum reſoluantur, & decocto hoc ſinum lauabis. Quod ſi ualidius optaueris medicamentum, exiccantia magis addere poteris, ut nitrum, alumen noſtrum rochæ, uel decoctionem illam cum aquis thermarum facies, & ſimilibus, quod ſi medicinis iſtis non agglutinetur ſinus, animaduertes nunquid id uel propter incommodam expurgationem, & propter puris retentionem accidat, quod ſi depræhenderis, opera danda eſt ut uiam qua commodè ſanies expurgetur, moliaris, ut ij. ad Glauc. admonebat Gal. quandoquidem, ut aiunt, quod à putrido tangitur, putridum redditur: Expurgabitur autem commodè, ſi ſinus orificium anguſtum ſecueris, & ad effluxum puris ſectionem ipſam feceris, facile enim hoc modo pus expurgabitur, & in fundum ſinus facilius medicamenta immittentur, cum in hac parte carne repleri ſinus primum debeat, nó in ſuperficie, & ſi in fundo ſinus pus detineretur, maior cauus efficeretur. Poſſes etiam lanceola ſectionem ex aduerſo facere, ſi non longe ipſius ſinus fundus à cute diſtet: quod ſi ſectionem hanc ex aduerſo factam fœliciter ceſſuram non putares, uel quod oppoſita pars à ſinu longe diſtaret, uel quia ęger perpeti non poſſet, fiſtulam aliquá in fundum uſq; ſinus immittes: deinde per fiſtulam acum hamos ad modum ferri quo lanceæ muniuntur habentem, quam in picturis depictam uidebis, mittes: in cuius extrema parte ſericum inſertum ſit filum, hanc acum deinde manu impelles quoad aduerſa ſinus pars transfigatur, quam deinde euelles, ſed filum ſericũ quod ſecum acus traxerit, in mẽbro relinques, ut inde facilius pus effluat,

Foramina in linteo facienda quibus commode pus expurgetur

Iſis cephalicũ & diachathu ſinubus ꝓſunt.

Et in libro de comp. medci. ſec. gen.

Situs membri ut commode pus purgetur eſt quærend⁹.

Fortia medicamenta q̃ extra ulceri admoueri poſſunt. Epiſpaſtici ures.

Poſt lotiones quibus conſolidatio ſit curanda.

Decocti exiccantis deſcriptio.

Contactum à putrido putreſcit.

Inſtrumẽta apta ad ſinus in aduerſa parte ſecandos.

quod ſi ampliore foramine ſit opus, aliud ſumes inſtrumentum lanceolæ formam habens, & in extrema parte foramen in quo filum inſeri poteſt, ut dictum eſt, huius tamen inſtrumenti cuſpidem cera obduces, ne in ingreſſu carnem cõpungat, cum uerò ad fundum ſinus peruenerit inſtrumentum hoc, ad partem quæ tibi ad ſinus expurgandum commoda magis uidebitur, impelles, quo ſanies poſsit effluere, in ſinubus enim diſſecandis nihil eſt utilius, quam opportuna & commoda ſectio, à qua facile pus fluat, ut ij. ad Glauc. Gal. placuit, modo huiuſmodi ſectio abſque neruorum, uenarum, arteriarũmque læſione fieri poſsit, hac uia ſinus facile agglutinantur, ſanantur q́ꝫ, neqꝫ tot medicinis opus erit, ſiquidem natura ipſa, quaſi ſua ſponte ſinus ipſos carne replet, conſolidat q́ꝫ, ut Gal. Paulo, ceteriſq; aſsiduis medicis placuit, & quemadmodum hoc etiam experientia comprobatur. Quod ſi in ſinubus forte fortuna à carne cutis eſſet ſeparata, nec, ut fieri ſæpe ſolet, lotionibus, nec puluinaribus, nec comprimentibus cum faſciatura expreſsiua, ut aiunt, quemadmodum ij. de fract. Gal. docuit, nec ſpongijs circumiectis, nec ceratis, nec emplaſtris à Gal. deſcriptis impoſitis, ullo modo carni adhærere poſſet, totam illam cutem, ſecundum membri longitudinem, diſſecabis. Sed cum maximum uideatur incommodum, tantam pellem nouacula (ſpathula lignea, prius ſub ipſa cute poſita, ut Paul. lib. vj. cap. de ſinubus) diſſecare, noſtro inſtrumento in tabellis picto, facile cutem illam uniuerſam, quãuis ſit multa, ad punctum temporis diſſecabis, tutò & pauco cum dolore, quemadmodum xiiij. meth. eſſe faciendum ſcribebat Gal. Cuſpidem igitur inſtrumenti noſtri cera inuolues, ne dum in ſinũ mittitur carnem lædat, quod ubi immiſſum fuerit, manum attolles, cutem q́ꝫ uniuerſam una ſectione præcides. Nec Bucaſis forpicibus utaris, non enim commodè uidentur in ſinuum dilatatione, aut ſaltem paucis ſinubus conueniunt: Quod ſi in cute duo ſint foramina, aut plura, ex Gal. decreto ij. ad Glauconem ubi de laceroſo ulcere ſermonem facit, foramina illa ad unum tantum foramen ſunt redigenda, quoniam ſi à carne cutis ſeparata ſit, carni illa nunquam adhærere poterit, aptiſsimum erit ad id faciendum noſtrum inſtrumentum, pro fiſtulis ani diſſecandis fabricatum, & in tabellis deſcriptum, quod ea parte quæ ſpecillum imitatur, in ſinum immittes, & ſi uidebitur commodum, uel rectum, uel in partem aliam inclinatum, attrahes, facile q́ꝫ & cõmodè hoc inſtrumento ex duobus foraminibus unum conſtitues, nulla ſuppoſita ſpathula, ut antiqui præcipiebant, & quamuis æger non quieſcat, facile tamen locum diſſecabis. Poſt ſectionem ſanguinis fluxum ſiſtes, oui albumine cũ ſtuppa, uel alia emplaſtica medicina: Sequenti uerò die ulceris curatiõem aggrediéris, quemadmodum ſymptomata ulceri ipſi cõiuncta perſuadebunt. Verum ſi propter ægrotantis impatientiam, qui potius ut xiiij. meth. ſcribebat Gal. maiores ferre uelit dolores, ac diuturniorem curationem, quam inciſionem, ſepticum aliquod appones medicamentum, ſi quæ in aduerſo latere diſſecanda cutis eſt, ſit ſinui proxima. Poſſes itaqꝫ calcem uiuam, cum ſapone nigro admouere, ut Paul. lib. vj. cap. de palpeb. affectibus docebat, nam medicamentum hoc calce recenti præparatum ſit, in horam ſi ad magnitudinem auellanæ admoueatur, cutem ad membranam uſqꝫ carnoſam, uel ad carnem uſqꝫ, cum pauco dolore aduret, ſed ſi uetuſta calce præparetur, intra duas tréſue aut quatuor horas id præſtabit, ſecundum partis, cui admouebitur, temperamentum, quod in admotione omnium cauſticorum non ſolum, ſed in omnium medicamentorum applicatione eſt conſiderandum ut iij. meth. ait Gal. nec totius corporis temperatura ſimpliciter exploranda, ſed cuiuſuis affectæ partis, ut eidem I. ad Glau. placuit, pars enim ipſa affecta docet, quantum refrigerandum, aut calefaciendum ſit, quantum q́ꝫ ſit humectandum, aut exiccandum, & præter hæc, non ſolum naturalis temperatura, ſed aduenietia, q̃ quandoqꝫ propria ſit, ut viij. meth ait Gal. eſt con-

In diſſecandis ſinubus nihil utilius quã cõmoda ſectio.

Cutis, quæ carni adhærere non poteſt, eſt diſſecanda.

Inſtrumẽta ad cutem diſſecãdam apta.

Bucaſis forpices non aptæ ad ſinus dilatandos.

Inſtrumẽtum aptum ex duobus foraminibus ad unum foramen conſtituendum.

Poſt ſectionẽ qd faciendum

Septicum medicamentũ ad ſinus aperiendos aptum.

Corporis totius tẽperatura nõ ſolũ conſideranda in applicatione omniũ medicamẽtorum, ſed cuiuſq; membri particularis.

conſideranda: Sed ut ad rem redeamus, nec ſepticũ hoc medicamẽtum, de quo paulo ante egim⁹, ſi pluſquam par ſit, loco cui admotum fuerit, adhęreat, ea quæ cætera cauſtica pareret incommoda, ſingulis enim horis medicamenti huius uis imbecillior redditur, quare inter cętera medicamenta cauſtica, medicamentum huiuſmodi comprobauimus. Admouere etiam poteris ſepticum illud, quod paratur ex prima aqua ex qua ſapo fit, quæ magiſtra dicitur, quæ in uaſe æneo tandiu coquitur, ut ad mellis craſsitudinem redigatur, ſine alterius rei admixtione: quamuis nonnulli chalcanthum, & ſimilia addant, & ſepticum hoc præſtantiſsimum eſt, & poſtquam aqua illa ad mellis craſsitiem perducta, ab igne remota eſt, dureſcit, lapideſcitq́ꝫ, debetq́ꝫ in uitreo uaſe optimè clauſo ſeruari, ac in ſicco loco reponi, ſi enim ſecus fieret, in aquam rurſus mutaretur, ſeptico itaque hoc quando uti uolueris, in cupa glandis, uel ſinu cereo ponatur, parti deinde per horam tantum admoueatur, quoniam citiſsimè operatur hoc medicamentum ubi remoueris, locum diligentiſsime abſterges, niſi enim abſtergeretur, ſphaceli cauſa eſſe poſſet: ſed poſteaquam in huius ſeptici medicamenti mentionem incidi, publicæ utilitatis gratia, quædam, quæ tibi non ingrata futura arbitror, & quæ te mihi ſemper accepta laturum certo ſcio, addam, neque me ab hoc propoſito nonnullorum ingratitudo (quæ in noſtra hac urbe maxima eſt) remouebit, qui ut hæc noſtra diſcant experimenta indigniſsimi ſunt, uincat tamen publica utilitas, & quod fortaſſe aliquis tanquam arcanum ſibi à dijs commiſſum, reticeret (quamuis uera eſſe arcana exiſtimem morborum eſſentiam cognoſcere, & ipſo tempore medicinam facere) in omnium bonorum gratiam, quibus maiora & meliora debentur, in publicum prodeat. Septicum hoc medicamentum ſi in aquam uerſum fuerit, atque illi quintam partem humanæ pinguedinis, ut penetret, addideris, & partem etiam exiguam opij, ſupra modum tibi gratum erit: iſto enim commodiſsime cutem, carnémque perforare poteris, ſi hoc pacto eo uſus fueris, primum perforandus locus optimè abſtergatur, deinde baculo buxeo, uel oleagino (quod depreſsi ſpecilli formam habeat) in hoc medicamento madefacto, uel cuſpide ſpecilli argentei in huiuſmodi medicamento etiam madefacta, locus in quo debet fieri inciſio, ſecundum inciſionis magnitudinem, quæ fieri debet, perfricetur, dum perfricabis, colorem proprium perfricatam illam partem mutare uidebis, idq́ꝫ aduertes magis, ſi pauliſper perfricationem intermiſeris. Tunc autem alteratam partem illam lanceola ſcindere tutò poteris, leui tamen inciſione, quod ſine aliquo dolore fiet, quia pars illa iam alimento deſtituta & emortua non ſentiet, deinde eodem ſpecillo uel ligneo, uel argenteo, ut magis commodum fuerit, in eodem medicamento iterum madefacto, refricabis, & rurſus partem illam, quæ poſt primam inciſionem proprium etiam colorem mutauerit, ſecabis, hoc pacto perges, quoad profundam etiam ſectionem, ut opus erit, feceris. Poſſem quoque medicamenta alia ſeptica recenſere, quale illud eſſet quod ex chalcantho, nitro, alumine, & ſimilibus paratur, per artem chymicam, ſed cum maximè penetrent, uiolentiſsiméque operentur, & propterea maximos inferant dolores, illa ſoleo ut plurimum reſpuere, quocirca ea ſilentio inuoluam: Hoc autem noſtro medicamento abſceſſus perforare quamplures poteris, & membra breui tempore, & ferè ſine dolore, cauterio afficere: aduertendum tamen, ne ibi adſit inflammatio, aut aliquid aliud quod locum illum calefacere prohibeat: nec te ulla capiat admiratio, licet omnibus abſceſsibus, uel partibus omnibus diſſecandis hoc medicamentum conuenire non dixerim. Siquidem ſi aliquem. locum aperire neceſſe eſt, libentius ego ſecundum Galenum & Paul. optimè ſcindente ferro aperio, quia incidens ferrum partem inflammatione non afficit, nec magnum dolorem infert, neque humores attrahit: igne quandoque utor, modo ægrotantes illum non formident, qui quamuis quibuſdam formidabilis uideatur, minorem tamen infert dolorem,

Septicũ aliud.

Septicum ad diſſecandum cutẽ, carnẽq́ꝫ ſine dolore mutabile.

Ignis commoda in abſceſsibus aperiẽdis. Ablato igne nullus ſentitur dolor.

quam cauſticum aliquod medicamentum, aut ferrum, ſi Bucaſi, & Halyabbati credimus, & præterquam quod minor accitur dolor, igne particula inuſta roboratur, & quod uix credibile uideatur, igne ſtatim ablato nullus omnino ſentitur dolor, perinde ac ſi nullo modò igne locus ille contactus fuiſſet, ut à multis, qui & cauſtica medicamenta, & inciſiones, & ignem fuerant experti, didici. Ad hæc qui igni aperiuntur abſceſſus, rariſsime in uomicas deſinunt, ſecus autem abſceſsibus qui inciduntur ſæpe obtigit, ſit enim dum inciduntur dolor, & poſt ipſam etiam inciſionem per horas aliquot ipſe perſeuerat dolor, & locus imbecillus redditur, ex quo fiſtulæ facilius naſcuntur. Nos tamen abſceſsibus aperiendis, omnibus ante dictis modis uſi ſumus, ſed ſemper cum quadam præmeditatione, explorabamus enim abſceſſus, qui cauſtico medicamento tutò poſſent aperiri, & qui lanceola, & qui igne, ſic etiam tu ut facias conſulo, quod ſi poſt illorum cauſticorum medicamentorum applicationem, cutem ad partem uſque in qua ſinus eſt diſſecare uolueris, aut eſcharam butyro, aut tetrapharmaco remouere, id tuum ſit iuditium: Si autem ſinus orificium dilatare uolueris, medicinis de quibus in cap. de oſsis corrup. curatione egimus, uti poteris, & ut iam oſtenſum eſt, curationem ſequi: Si ob os, quod deſquammari debeat, humida erunt ulcera, ſpecillo, nunquid os illud remoueri poſsit inueſtigabis, & forte in effluentibus excrementis nigri aliquid perſpicies, caue tamen, ne nigredo illa, quæ in medicinis ex mineralibus paratis apparere ſolet, te decipiat, ſiquidem

Quibus notis humidum eſſe ctũ eſſe ulcus, propter os qđ deſquammari debet, cognoſci poſsit.

ex ulceribus illis, quibus talia adhibentur medicamenta, effluens excrementum nigredine aliqua ſemper affectum uidebis: Itaque nunquid in oſſe ipſo coloris alteratio ſit, quæ contracta fuerit aut ex ictu, aut ex uulneris diuturnitate, aut ex ſanie nitroſa, quæ ipſum os affecerit, aut ab aëre alterante expendes, iſtis coniecturis, propter os illud quod deſquammari debet, humidum redditum eſſe ulcus uidebis: Quod ſi os ipſum à natura non deſquammaretur, ab optimo & perito medico oſsis pars illa alterata remoueri debet, alioquin humiditatem illam exiccari, aut ulcus conſolidari, erit impoſsibile, ut Paul. lib. vj. cap. de fiſtu.

Et Celſ. lib. 8. cap. 1 & Gal. 3. de fract. Humidum ulcus ex retentione rei præternaturalis, quib' poſſit cognoſci.

ait: Alteratam igitur oſsis partem ut probe remoueas, ea notabis, quæ proprio capite de corruptione dicentur. Si autem ex alicuius rei præternaturalis retentione, humidius ſit redditum ulcus, omnia quæ primis diebus, quibus acceptum fuit uulnus, contigerunt, tecum expendes, ægrotos interrogando, quomodo læſi fuerint, quæ ferrent arma, quibus induti eſſent ueſtimentis, hæc & ſimilia exquires diligenter, quandoquidem iſtis exacte perpenſis, ſæpe ad ueram morbo-

Et Paul. lib. 6. cap. de fract.

rum cognitionem perducimur, ut lib. de fract. docebat Hippocrat. explorabiſque recte nunquid armaturæ, aut ueſtimenti pars aliqua deſit, quæ uel ſola in uulnus ingreſſa ſit, uel eam ſecum globulus traxerit, quod ſi in corpore aliquid huiuſmodi uel ſolum, uel cum globulo detineatur, non ſolum, ut humidum ſit ulcus, in cauſa erit, ſed ut nunquam conſolidetur, & præſertim ſi ferri fruſtulum ſit detentum, quod ferrugine continue obducitur. Præter hæc uidendum, nunquid in uulnere forte fortuna, ob medici imperiti incuriam, penicillus, uel fila aliqua, quibus penicillus eſſet conceptus, relicta ſint, quemadmodum nos ſæpe oſtendimus in nonnullorum ulceribus, quibus alij medici medicati fuerant, ſed niſi aliqua adſit ſuſpitio, quæ filamenta aliqua aut penicillos à medico in uulnere fuiſſe relictos, te moueat, difficile id cognoſces, poteris tamen aliqua coniectura propius accedere, ſi cauſas omnes, quibus humidum effici ulcus poteſt, expenderis, inflammationem ſcilicet, contuſionem, ſinum, os qđ deſquammari debet, malos humores in corpore contentos, & tandem cauſas reliquas, quę humidum ulcus poſſunt reddere, quas ſi ad examen reuocaueris, & utrum hæc res, uel illa, cauſa huius ſymptomatis ſit, expenderis, propter quam cauſam humeſcat ulcus illud, tandẽ aſſequeris: Ad hæc nunquid alia inconſueta alteratio in ulcere fiat uidebis, ut exiccatio propter aliquam inflammationem (nulla adueniente

ueniente cauſa externa)uel excrementorum augmentum, quamuis prius ulcus exiccari,& conſolidari uideretur,eo tamen tempore,quaſi uno impetu, pus copioſius defluere,quæ ſi animaduertes,ſtatim in ſuſpitionem rei alicuius prҿterna turã detentæ incides,quocirca, ut quod præternaturã detinetur,depræhendas, ſpecillo explorabis,illudq́ȝ educere ſtudebis,uel locum ſecando,uel exedentibꝰ medicinis,ut res poſtulabit,quemadmodum in corrupto oſſe faciendum etiam eſſe dicemus: Si uerò aliquid in ulcere detineretur, quod putrefactionis expers ſemper eſſet,& quod conſolidationem non prohiberet,in corpore illud permitti poſſet,quamuis morbus in numero eſſet, & toto genere præter naturã,ut calculus in ueſica,& alia de quibus Gal. in lib. de cauſ. morb. quæ euellenda, & remouenda eſſe idem ſtatuit Gal. Penicillos aũt medicorũ negligentia in uulnere relictos,in quodam nobili Ioanne Stanchino uidi ,qui uulnus acceperat in tendine ſexti muſculi tibiã mouentis,ꝙ & in quintũ,& octauũ femoris muſculũ, & ad ipſum uſqȝ urinariũ meatũ penetrauerat , ita ut quandoqȝ per uulnus urina egrederetur,& in ſinu,qué uulnus iſtud fecerat,penicillus fuit relictus, quare quã uis medicis ulcus iſtud per humidũ uideretur,in plenilunio tñ exiccatũ iri,& cõſolidatũ ſperabant,in plenilunio tamen uulnus uniuerſum, cuius labra ferè coiuerant,apertũ fuit,excremẽtaq́ȝ copioſiora effluxère, medicinis tñ poſt aliquot dies, ad priorem ferè conſolidationẽ perducebatur, in ſequenti aũt plenilunio iterum eo quo diximus modo apertum ulcus fuit,& excrementorũ copia effluxit,& hoc decies,& eo amplius in hoc uulnere fieri uidimus,ſingulis enim menſibus aperiebatur ulcus,& copia puris ingens emanabat: tandẽ natura penicillũ excreuit,magnũ quantus eſt digitus,poſt quindecim autem dies uulnus coaluit perfecte. Ratio autem quare ſingulis pleniluniјs uulnus iſtud aperiretur,& pus emitteret,eſſe poteſt,quia pars illa affecta reddita imbecillior fuit,& cum in plenilunio omniũ humidatũ fiat augmentum, ut in arboribus & teſtaceis animalibus patet,humores facilius ad imbecillã,quàm ad fortem partem confluebant, adaucti itaqȝ humores erumpebant,uulnuſq́ȝ aperiebant,memoriҿ itaqȝ fidҿ hҿc omnia mandabis. Sed ſi intus globulus plumbeus retineretur,ut eum euellas ne ſis ſolicitus,plumbum enim in corpore retentum,putredine non corripitur,& facile in membris conſolidatur, detentum ſiquidem in corpore plumbum per triginta annos uidimus, quod ægrum nullo afficiebat dolore, quamuis ſingulis diebus locum mutaret,quia ita ſenſim locum deſerebat,ut ne perciperetur quidem, ſemper in loco, à quo diſcedebat, medicamentoſam ſuam uim derelinquendo, tandem ad partem aliquam deſcendebat, in qua inflammationem,& abſceſſum excitabat,qui ſi ſecabatur:facillimè plumbum educebatur. Si ex partis imbecillitate humidius ſit ulcus,cognoſces, ſi nec ſaniei retentio, nec os abſceſſurum,nec aliud adſit, & tamen ulcus non conſolidetur, ſed humidius ſemper fiat,quare roborantia adhibebis medicamẽta. Similiter ſi ulcus eſſet propter debilem medicinam, fortius adhibebis medicamentũ,quod ſi tale ſit ulcus propter ſanguinem peccantem,in quali,& in quanto,corpus purgabis,ut iiј. meth. docuit Galen. ſi ex fortibus medicinis humeſcat ulcus,illis remotis, modò debilia adhibebis medicamenta,modo fortiora,exterius aũt aliquod ceratũ, uel epiſpaſticum Gale. admouendum. Si ex intemperie humeat ulcus,tũ ex partis affectæ colore,tum ex tactu,tum à iuuantibus & nocentibus,tum ex ijs quæ ab ipſo ulcere prodeunt, & ex multis alijs, quæ prudens nunc prætereo, cognoſcetur. Sed ſi humida iſta ulcera in iuncturis eſſent, ab iſtiſque humor albumini ouorum ſimilis proflueret, qui nihil aliud eſt, quàm tendinum excrementum, ſeu nutrimentum,quod ubi ad ulcus,uel ad partem imbecillam membri peruenerit,nec in alimentum uerti poſſit,ab ulcere egreditur,propterea cum huic ulceri quoqȝ ſuccurrendum ſit,nec exiccantibus illis medicinis ſuccurres,de quibus paulo antè egimus: Sed ubi medicinas adhibueris, quales ſymptomatibus

Peniculi ĩ uulnere relicti.

In plenilunio omniũ humidatũ fit augmentum.

Plumbum per annos triginta in corpore retentum ſine dolore.

Vlceris humidi ex imbecillitate notæ.

Vlceri humido ꝓpter medicamentũ debile, uel propter peccantẽ ſanguinẽ quo modo ſit ſuccurrendum.

Vlceris humidi ex intemperie notæ.

Vlceribus iuncturarum humidis quibus medicinis ſit ſuccurrendũ.

Neruoſarum partium natura eſt ut multa excrementa emittant.

Medicamentũ neruoſis partibus uulneratis robur addens.

ulceri illi coniunctis conueniunt, ab initio præſtabit, ex farina fabacea, & oxymelite emplaſtrum confectum calidum ſuperdare, quandoquidem ab iſto medicamento illa exiccabitur humiditas: Neq; mireris ex ulceribus in partibus huiuſmodi exiſtentibus ſi multarum humiditatum effluxum uideris, ſiquidem neruoſarum partium talis eſt natura, ut multa emittant excrementa. Si tamen partibus illis robur addere optaueris, poſt aliquot dies cum farina fabacea, furfurem, camomillam, flores hypericonis, nuces cupreſsi in puluerem redactas, in uini ſufficienti quantitate poſſes decoquere, omiſſo oxymelite, quod ſua ſubtili uirtute ad profundas partes poteſt penetrare, uel ſimilia addendo, uel remouendo ut res poſtulabit.

DE OEDEMATE.

Quid ſit œdema.

Oedema ſæpe uulne. accidit.

Oedematis ſigna.

Oedematis curatio.

QVONIAM œdemate ulcera quandoq; ſolent affici, propterea de tumore hoc etiam pauca dicere ſtatuimus, præſertim cum contuſis iſtis uulneribus affectio hæc ſæpe obueniat: quid autem hic tumor ſit, & quæ eius ſit cauſa à Gal. ij. ad Glau. & xiiij. meth. ſcribitur, & nihil aliud eſt œdema, quã tumor mollis, indolenſq;, à pituita quam flatus detulerit ad partem aliquam, genitus, ut ait Hipp. in lib. de flatibus, uel eſt tanquam ſymptoma in mala corporis habitudine uel in aquam intercutem, ſed de iſtis nunc non dicemus: Oedema itaq; in uulneribus ut plurimum prouenit ex uirtutis concoctricis membri imbecillitate, quę à morbo facta eſt, ita ut ſanguis, à natura ad membrum illud demiſſus, in alimentum non conuertatur, ſed in flatũ, & pituitam: Huius tumoris ſigna ſunt, albedo, ſeu color morticinus, ut iſti aiunt, mollities, quæ ſi tangitur digitorum recipit ueſtigia, & dolore caret. Curatur autem medicinis partem roborantibus, uidelicet calidis & ſiccis, & ſtipticitatem habentibus, remota prius cauſa ſi adfuerit. Sed ſi uulnus adſit, non ita œdema te urgeat, niſi forte tam magnum ſit, ut ad ſe curam trahat, ac ſi propter ipſum uulneris conſolidatio prohiberetur, œdemate affectum locum oleo tartari, uel myrthi, uel oleo laurino, & ſimilibus inunges, uel cerata cum aceto præparata applicabis, aut epiſpaſticum Galen. aut ſpongiam nouam cum leui faſciatura, in decocto quod ſcribemus madefactam, admouebis, ſed hoc facies poſt uulneris conſolidationem.

Decocti deſcriptio.

Decoctum illud recipit roſ. rub. florum camomillæ, anethi, ſingulorum manipulum unum, balauſtiorum, cuparum glandium, utrorúmque manipulum medium, nuces cupreſsi numero uiginti, florum ſalicis, manipulum unum & ſemis, aluminis rochæ unciam unam, miſce, & in lixiuio bulliant, uel in uino nigro ſtiptico, ad tertias, in decocto hoc ſpongiæ nouæ madefiant, & parti applicentur, uel ſimiles alias adhibe medicinas, in forma emplaſtri, uel fomenti, modo cum ſtipticitate exiccent, & uniuerſum membrum æqualiter faſcietur, & à ſpongia complectatur, ut ij. ad Glauc. & xiiij. method. docet Gal. & alligatio in inferiori parte incipiat, finiat autem ad ſuperiorem, & linteorum circumuolutiones inferiorem partem conſtringant, in ſuperiori autem parte relaxentur, ut fieri in fracturis ſolet, & ſi ſpongia noua deſit, ſpongiam aliam in lixiuio, cum nitro, ut docet Galen. ſumes, apud quem, hæc & plura legere poteris, ſi cupis, & quamuis noſtrum nitrũ non ſit idem cum antiquorum nitro, eo tamen pro antiquorum nitro uti poteris.

DE CARNIS ADDITÆ, ATQVE SVPERFLVÆ CVRATIONE.

Et Cælſ. lib 5. cap. 26.

IN uulneribus adeo quandoque caro excreſcit, ut ultra modum augeatur, ut Hippocrat. lib. de ulceribus ſcripſit, ex quo compoſitus morbus fit, ex ulcere nempe, & addita carne, & morbus hic inter morbos in magnitudine, reponitur,

ut iij.metho.ait Gal. quapropter adaucta illa caro auferenda eſt: Sed cum nonnulla,ut in de conſt.art.med.ait Gal.naturæ negentur,ut luxati membri repoſitio,& fracti compoſitio, & additæ carnis remotio,ac nonnulla medico, ut carnis generatio,proinde cum morbus hic in toto genere præter naturam dicatur, naturæq; adauctæ carnis ablatio negetur, chirurgia aut medicinis eſt auferenda, ut adducto loco,& alibi etiam dixit Galen.Medicinæ ad id commodæ exiccantes eſſe debent,ut iij.method.ſcripſit Gal.ſed cum medicamenta huiuſmodi debilia,uel fortia,uel ualidiſsima eſſe poſsint,cauendum,ne in horum medicamentorum uſu aliqua ſequantur incommoda:indicationes igitur,à partibus quibus medicamenta hæc admoueri debent,ſunt ſumendæ,ut longa oratione Gal.ij.ad Glaucon. & iij.meth. ſcripſit, ubi à quibus indicationes ſint ſumendæ medicamentorum admouendorum docet: Atq; in appoſitione fortium medicamentorum,indicatiōe à partis ſenſibilitate ait,ſiquidem oculi, aut membri membrana fortia ferre medicamenta non poſſunt: quocirca partiū diuerſam naturā expendes,an ſcilicet neruoſæ ſint,& ideo ſenſibiles,corporis etiam totius temperatura aduertenda,nunquid mollis uel dura ſit, quādoquidem corpora dura ualida ferre poſſunt remedia,ut iij.meth.dicebat Galen. mollia contrario modo ſe habent. Si igitur addita illa caro, mollis & pauca fuerit, in ſenſibili parte, atque in ulcere futuræ inflammationis nullum impendat periculum, alumine rochæ combuſto,ſolo,uel cum bolo armena admixto,auferetur,ut iiij. iiij. ait Auiceñ. remouebitur etiam alio medicamento,quod alumen zuccarinum uocāt, quod quidem medicamentum, quamuis ex multis conſtet, minus tamen mordicat, quàm ſimplex alumen,quamuis ſit combuſtum,idem præſtabit hermodactilus, ſimul cum tartaro,uel cinere conchilium, ſeu teſtaceorum animalium, ut Paul. libro iij. ſcribit. Ad hunc etiam uſum apta erunt filamenta, in muria madefacta & exiccata,calcitis,ſquamma æris,& hæc præparata eſſe debent,& combuſta,ut docebitur,quo minus mordeant: Atq; huiuſmodi medicamenta, non ſolum ad auctam carnem adimunt, ſed quoque cutem generant,ut dixit.Galen. in libro de compoſi. medi. ſec. gen.horúmque medicamentorum uſus eſt uariandus,ad carnem additam auferendam largius illis uteris,& in corpore humido,humidáque particula, facilius operantur: Videndum præterea eſt, ne huiuſmodi acria medicamenta admoueas,impendente aliquo inflammationis periculo:in partibus ſiccis minori horum medicamentorū quantitate utimur, & modice etiam adhibita cutem generabunt: Quod ſi ualidior medicina placuerit, æris ærugínem combuſtam & purgatam admouebis,ut Gal.v. metho. ſcribebat,quæ quidem æris ærugo,ut infra docebimus,præparatur. Verùm ſi adaucta illa caro multa eſſet,& calloſa,ad fortiora confugies medicamenta, ut ad aquam noſtram,ad chalcanthi oleum,uel ad aquam ſulphuris,deinde ſicca filamenta, & linteolum medicamento aliquo frigido illitum ſuperdabis, quod circumquaque uulnus in latitudine trium digitorum contegat, aptiſsimum eſſet pompholigis unguentum, uel album unguentum Pauli, & circum circa defenſiuo partes poſſent illini,uel ſuccis frigidis madefieri,ut ſucco ſolani,plantaginis,& ſimilium, uel adaucta illa caro trochiſcis de minio inſpergi poſſet,deinde eſcharæ caſus procurari, poſtmodum ea ulceri adhibenda cura eſt,quam ſymptomata ipſi coniuncta exigent.Si medicamenta hæc defuerint,ſcalpello,uel nouacula auctam illam carnē poſſes remouere,ut Cælſ.ſuaſit,& ut etiam ex Gal.elici poteſt, ubi uniuerſaliter, de morbis in toto genere præternaturam curandis,loquitur,& xiiij.meth. quos aut igne, aut medicamento adurente cenſet curandos: Quapropter ſi cauſticis illis medicinis addita caro nō remoueatur, uel ſi aliquid cauſticorū medicamentorum uſum impediat,forpicibus,uel nouacula eam præcides, deinde medicamentum aliquod quod cruſtam inducat,adhibebis, quod ſuperfluæ carnis reliquias abſumat,quemadmodū ſæpe Paul.docet lib.vj.ubi de Thimis,& condylo

Quædam medico,& quædā naturę negantur.

4. de compo. med. ſe. gen.

Admouendorū medicamētorum indicationes unde ſumendæ.

Et 4. de com. med. ſec. gen.

Quibus addita caro remoueri poſsit.

Et Gal. in de ſimp. med. fac.

Et 4. de com. med. ſec. gen.

Poſt acriū medicamentorū uſum quæ ſint admouenda medicamenta.

Cauſtica ſi deſint ferro utendum aut igne.

Et 3. de comp. med ſec. gen.

matibus curandis agit, uel ſi morbi malitia, aut adauctæ carnis magnitudo, aut partis natura ferret, candenti ferro ſuperfluę illius carnis reliquię remoueantur.

DE CARNIS CALLOSAE CVRATIONE.

SI forte ulcus in labijs callum obduxerit, ut nonnunquam ex diuturnitate fieri ſolet, ut iiij. method. dixit Gale. & ut Cælſ. non tacuit, ex negligenti tractatione dignoſcetur, ſi ulceris ipſius labra non rubuerint, ſed albuerint, & ſi puris exigua effluxerit copia (niſi forte pus in ſinu aliquo retineatur) & ſi ſpecillo ulceris labia cõtigeris, & ab ęgro paruus in illo contactu, aut nullus percipiatur ſenſus: quapropter, ſi ut ulcus coaleſcat, optaueris, callus ille omninò remouendus eſt, ut iij. method. ſcripſit Galen. qui ſymptoma eſt, curationem impediens, & eius ſine quo non rationem obtinens: natura itaque calli eſt conſideranda, nunquid ſcilicet mediocriter, an maximè dura ſit, rurſus nunquid callus ipſe in ulceris labijs, an circa labra in parte extrema ſit, ut Galen. iij. methodi docuit, & ſi extra circum ulceris labia ſit callus, mollientibus medicinis remouebitur, ut medulla ceruina, uel uitulina, & ſimilibus de quibus Galenus ij. ad Glauconem capite de ſcyrrho agit, uel ſi hæc deſint, reſina aliqua humida, ut idem iiij. methodi docuit, uel unguento baſilicone, ut iiij. iiij. ſcripſit Auiceñ. callus tamen raro extra ulceris labia contrahitur, ſi tamen contrahatur, medicinis iſtis tolli poteſt, & quamuis nonnulli ex noſtri temporis ſcriptoribus eiſdem medicamentis contractum in ulceris labijs callum poſſe etiam remoueri, dixerint, Galen. tamen callis ijs, qui extra ulceris labia ſunt, has ſcripſit conuenire medicinas, non ijs, qui in ulceris labris ſunt contracti, qui (ut idem iiij. method. ſcripſit) ferro, uel adurente medicamento ſunt amouendi, & ferro illo, ſiue frigidum ſiue candens ſit, uniuerſus circumquaque ulceris callus eſt auferendus. Cauendum tamen ſemper, ne uel uena, uel arteria, uel neruus lædatur. Poſtquam autem callum ipſum ſecueris, ſanguinis fluxum compeſces oui albumine, cum bolo armena, & ſale: Veruntamen cum nonnulli ægrotantes, nec exciſionem, nec ignem ferre ualeant, nec calli omnes, ut igne tollantur, neceſſe ſit, libentius cauſtica adhibeo medicamenta, uel ualida, uel minus ualida, prout calli conſulit duricies: quę ſi mediocris ſit, unguento apoſtolorum, ægyptiacóue, uel puluere precipitati remouebitur, uel ſi hæc non contulerint, adhibeo trochiſcos de minio Ioannis de Vigo, qui fiſtulis conducunt maximè, cum eorum labia callum obduxerint, & quæ tunc uerè fiſtulæ poſſunt nuncupari, ut Paul. libro vj. ait, nec Galen. in libro de compoſi. med. ſec. gen. tacet. de quibus ſuo loco dicemus. Trochiſci itaque iſti callos tollunt, qui cum duræ ſint ſubſtantiæ, in cauos omnes poſſunt immitti, quamuis anguſtiſsimi ſint, ex his trochiſcis unum in ulcus immittes, & ulceri circumiacentes partes proprijs defenſiuis munies, ut iiij. de compo. med. ſec. gen. in appoſitione omnium acrium medicamentorum faciendum eſſe dixit Galen. frigidum deinde aliquod medicamentum ſuperdabis, quale eſſet oui albumen cum aceto, exceptum ſtuppa, ut humorum fluxus prohibeatur, butyro deinde eſcharam remouebis: Trochiſcos hos, quos hoc loco ſum deſcripturus, Ioannes de Vigo compoſuit, quare illi medicamentũ hoc acceptum refero, nec Aeſopico graculo uolo eſſe ſimilis, nec mihi, ut multi faciunt, aliena uſurpare, nec me aliorum doctè inuentis uenditare cupio, neq; enim doctos uiros ſuis laudibus unquam defraudare ſtudui, medicamentũ proinde iſtud egregium, omnium ſtudioſorum gratia, ijſdem uerbis, & eodem modo, quo doctiſsimus ille uir ſcripſit, deſcribam: Sume igitur panis fermentati, uncias quatuor ſublimati argenti puriſsimi, utrorumq; unciam unam, minij unciam mediam, panis in aqua roſacea, uel cucurbitea, madefiat optimè & diſſoluatur, cui argentum in tenuiſſimum puluerem redactum, cum minio, & ſublimato ſuperponatur, & optimè omnia

Callus in ulcere contractus quibus cognoſcatur.

Callum remouentes medicinæ.

Callus extra ulceris labra raro contrahitur.

Et Cælſ. lib. 5. ca. de accidẽt. Calli qui in ulceris labris ſunt qbus remoueantur.

Cauſtica callos remouentia.

In appoſitione acrium medicamentorũ partes affecto loco uicinæ defenſiuo sũt muniendæ.

Trochiſcorũ Ioannis de Vigo deſcriptio.

omnia miſceantur. poſt hæc digitis rotulæ conficiantur, uel paſtilli, & magnorum,& paruorum peniculorum formam referentes, qui in clibano tepido exiccentur, & ad uſum ſeruentur. Vbi cruſta ſeu eſchara illa inducta fuerit amota, digeſtiuo noſtro loto uti poteris,uel alijs medicinis,prout res poſtulabit:uel ad mouebis unguentum de colophonia,quo ſemper cum affecto loco medeberis, penicillos illines,unguentum quippe hoc callos remouet,non tamen tantæ uirtutis eſt,quantæ trochiſci Ioannis de Vigo,quos tamen ſi non ita eſſe ualidos optaueris, ſublimati partem detrahes, uel addes ſi ualidiores eſſe deſideraueris: Trochiſci etiam huiuſmodi poſſunt in puluerem redigi, quo ulceris callum inſpergere etiam poteris,uel peniculos qui in ulcus immitti debent, uel ſublimatum, & argentum alicui unguento admiſcebis, ſi uidebitur, & eundem ſcopum unguento hoc attinges, uel ad remedia quæ in cap. de oſsis corruptione dicemus,confugies,quæ ad ulcera dilatanda,dedita opera ſcribemus.

QVIBVS MODIS PVLVERIS SCLOPETARII GRAnula carni infixa remoueantur.

SCLOPETARII uel bombardici pulueris granula, quandoq; in faciem locúmue alium proſiliunt, quem non ſolum contundunt, ſed nigredine afficiunt,ita ut corporis pars illa turpiſsima uideatur, præſertim ſi ita facies affecta fuerit: Huic igitur corporis affectioni curatio etiam aliqua eſt adhibenda,& quamuis impactum nigrorem illum remouere ſit difficile, nos tamen primi (quod quidem ſciamus) huius affectionis curam inuenimus: in primis itaque conſiderabis, nunquid partes ab huiuſmodi pulueris ſclopetarij granulis ictæ, coaluerint,an adhuc coaleſcere debeant. Si igitur recentes illorum granulorum notas uideris, ulceráque adhuc non coaluerint, ſumma cura ut puluerem illum ab ulcere poſca abluas,uel ut ſpecilli cuſpide impactos granulos leuiter educas, operam dabis: deinde oui alborem admouebis,ut humores repercutiantur,ac ut dolor ab humorum defluxu excitatus,mitigetur, ſequenti die rurſus poſca ulcuſcula illa ablues,& ſpecillo iterum pulueris reliquias,quas poteris,remouebis: foraminá que illa noſtro digeſtiuo loto replebis,partémque illam in qua illa ulcuſcula erunt,linteolo eodem digeſtiuo loto,uel oleo roſaceo cum uitello oui illito,per dies tres conteges, diligenter ſemper diebus ſingulis pulueris nigrorem poſca, uel ſpecillo remouendo,uſq; ad ulceris fundum,qui quidem nigror,ſi cum pure egrediatur,benè erit,ſin autem tantum ægyptiaci quantum ſatis eſſe duxeris, in ulcera illa immittes, ut unà cutis, & contuſæ carnis exeſione nigredo illa tollatur,ſin minus guttula noſtræ aquæ deſcriptæ, uel olei chalcanthi,uel ſulphuris ſpecilli alicuius, uel lignei, uel argentei cuſpide excepta, ulcerà illa madefacies, & hoc pacto nigredo illa omninò remouebitur: quæ niſi iſtis modis auferatur,ſemper maculæ illæ nigrę apparebunt: nigredinem igitur illam ubi remoueris,ulcera ut coaleſcant curabis: coaleſcent autem facile, ſi admoueris unguentum de nanuphare citrino,in malo citreo factum, quod etiam, ut deformes minus reddantur cicatrices, conducit: Quod ſi iam ulcera illa coaluerint, notæque illæ, ob medicorum inſcitiam,inſignes appareant, partem totam nigrore infectam igne, uel medicamento adurente auferes, ſi igne partem illam remouere uolueris, ferrum ſpecilli formam habens, ſumes, quod ubi calefeceris,nigredine affectum locum ſenſim perforabis,& adures, quoad ad partē perueneris,in qua nulla amplius ſit nigredo, deinde oui albumen cum aqua roſacea,ut ignis caliditas inducta miteſcat,appones: Sequēti die butyro, uel alio medicamento ex dictis,cū de caſu eſcharæ agerem*,eſcharam remouebis,deſcendēdo ad unguentū citrinū: Medicamento autem adurente ſic maculæ illæ tollunt: ſpecillū ligneū,uel magnū,uel exiguum,prout magnitudo,uel paruitas maculæ,

Quib' modis pulueris ſclo. granula in parte aliqua fixa remoueantur.

Ferro candēti quomodo maculæ pulueris ſclopetarij tollantur, & quo modo adurenti medicamento.

quam es remoturus exiget, fabricabis, quem in noſtro illo medicamento, de quo in capite de ſinubus diximus,intinges,locumq́; in quo macula eſt perfricabis,ut cutis,& pars illa tota in qua nigredo eſt cauterio afficiatur, ſed cum exiccari cutem uideris, eam lanceolæ cuſpide aperire nonnihil conaberis, & rurſus ſpecillo in eodem medicamento madefacto, locum refricabis, ut profundius partem illam aduras,tandiuq́; id facies,quoad nigror ille aboleatur,cruſtam deinde remouebis medicinis paulo ante dictis,deſcendendo ad citrinũ unguentũ, quod in calce huius uoluminis,unà cum multis alijs medicinis,deſcribemus.

DVRITIEI QVAE IN IVNCTVRIS REMANET, POST uulneris, uel ulceris conſolidationem, curatio.

POST perfectam uulnerum conſolidationem durities relinquitur, præſertim ſi uulnera illa neruoſa parte accepta fuerint,ut Cæl.lib.v.cap.xxvj. ait, quæ illius membri motum impedit: Sed quoniam, ut eleganter Galen. in libro de motu muſ. ſcribit, tripliciter membra motum poſſunt amittere, aut propter humores exiccatos, uel propter tendinum neruorúmque inciſionem, aut propter eorundem corruptionem, quæ fieri ſolet, quando uulneribus abſceſſus, qui ſuppuratur,accidit,in quo copioſum pus colligitur, quod ſua deinde acredine,& nitroſitate,tendines,neruoſque, & ligamenta corrumpere poteſt.Si igitur læſa ſit iunctura aliqua, eiúſque motus ablatus fuerit ob corruptionem,uel uulnus,uel globuli ictum,qui tendinem aliquem ruperit, priſtini motus reſtitutio deſperanda eſt,ut loco citato dixit Galen. Quod ſi læſio ſit ex cicatricis duritie,uel ex humore aliquo in iunctura exiccato, ut ſæpius ſit, quemadmodum dixit in de cauſ.morb.vj. mollientibus medicinis, & relaxantibus,recipi adhuc motus poteſt,ut adducto etiam loco Paul.dicebat,pinguedine anatis, uel gallinæ locum inungendo,uel ceruina,uel uitulina medulla,uel reſinis aliquibus parum ſiccis,aut gumi aliquo pingui, aut althea in ueteri oleo decocta,aut radicibus cucumeris aſinini,in oleo etiam decoctis,aut embrocis olei dulcis,aut decocto altheæ,feni græci,ſeminis lini,& ſimilium,de quibus Gale.ij.ad Glauc.pluribus uerbis tractat,cap.de ſcyrrho,& Paul.aptiſsimum etiam erit, medicamentũ à Galen. vij. de comp.med.ſec.gen.ex Dioſ.deſcriptum,quod ſic paratur.Sume ceræ lib.unam,colophoniæ,galbani,iridis illyricæ,lib.mediam,olei irini feculæ, uini q. ſ. & ſecundum artem fiat unguentum, quod optimum eſt ad difficiles artuum motus, & ligamentorum omnium duritiem tollit: Sed irinum oleum, ſecundum Dioſ.deſcriptionem,parari debet, ut nos ſemper obſeruauimus: uel tranſibis ad acopa medicamenta,à Galen. vij. de compo.medi. ſec. gen.ſcripta, ſemper corporis temperamenti,& naturæ ratione habita. Siquidem ſi durioribus corporibus parandum ſit medicamentum hoc,pinguedinibus ſiccioribus illud parabis,ut ibidem ipſe docuit:uel ad nonnulla noſtra remedia experta confugies,ut ad oleum ex cera pingui per chymicam extractum, quod quidem ad emolliendas durities præſtantiſsimum eſt,maximè enim penetrat,emollit,ac diſcutit,nec uulgare medicamentum eſt ad cicatrices pulchras reddendas, modò poſt aliquot dies poſt uulneris conſolidationem eo utaris,ne noua fiat inflammatio,óleum hoc ſic paratur.Nouam ceram ſumes, & quàmmaxime pinguem, quam in uaſe aliquo igne modico colliquabis, & eam in uino ſæpius manibus comprimendo lauabis,hanc rurſus colliquabis,& in eam tegularum,uel coctorum laterum fruſta calefacta & ignita, quæ ceram illam obſorbeant, proijcies, fruſta deinde hæc in uas (quod botiam flexàm appellant) optimè luto ſapientiæ obductum,ponantur, igni deinde uas admoueatur, & uas alterum, quod ſtillas recipiat,ſupponatur,prius aqua egredietur:ultimo tandem puriſsimum oleum ſtillabit,quo ad emolliendas durities uti poteris.Membra quoq; motu priuata, in uer-

Tripliciter motus amitti poteſt.

Mot^9 propter uuln^9, aut corruptionem amiſſus, non reſtituitur.

Motus ex duritie cicatricis, uel ex humore exiccato, recipi iterum poteſt.

Medicamenti Dioſ. deſcriptio.

Oleum ex cera durities emollit & cicatrices pulchras reddit.

Oleum ex cera quomodo paretur.

in ueruecis recenter mortui uiſcera immittuntur: Poteris etiam uino, in quo althea cum abſynthio, & roſis decocta ſit, ut emolliti humores diſcutiantur, affectum locum lauare, uel actam partem pyrite, uel molari lapide ignito, & aceto acerrimo aſperſo ſuffies, ut ij. ad Glau. admonuit Gal. Alio etiam uti medicamento poteris, quod capit, olei lumbricorum in duplici uaſe facti, olei amigdalarum dul. utriuſq; uncias v. olei antiquiſsimi unc. iiij. pinguedinis ſuillæ, uel humanæ, ſi pro molli corpore paretur, uel ſi pro duro, pinguedinis bubulæ, uel caprinæ, pingue. gallinæ & anſeris, omnium uncias quatuor, radicum altheæ, cucumeris ſilueſtris manipulum medium, in minutas partes incidantur radices, & in ſuprascriptis mittantur, cum uncijs quinq; uini optimi, & in uaſe terreo, optime uitrea to (ut aiunt) & optime paſta obturato, in furno temperate calido, ad uini conſumptionem decoquantur: Abſumptum eſſe uinum cognoſces, ſi olei guttam ſuper prunas proieceris, neq; crepitum faciat: Poſt hæc coletur, & quibuſlibet ſex uncijs iſtius liquoris, dragmæ tres pulueris hermodactylorum addantur, & ceræ q. ſ. ad molle unguentum faciendum, quo affectum locum inunges. Poſt dies aliquot, ſi ualidius uolueris medicamentum, emplaſtrum diapyritidis Gal. ad mouebis, quod ad durities omnes emolliendas præſtantiſsimum eſt.

Ad emolliendas durities aliud medicamentum.

Diapyritis Gal. præſtans ad durities molliendas.

DE OSSE DETECTO, ET CORRVPTO.

QVONIAM poſt aliquot dies in uulneribus iſtis, uel ulceribus oſsis corruptio quandoque ſequitur, de oſsis igitur corruptione aliqua dicere ſtatuimus, ut quæ ab antiquis medicinæ authoribus, pluribus tradita fuere, paucis tibi hoc loco ante oculos proponam. Corruptio itaque in oſſe fieri poteſt, ob multam aeris alterationem, uel ob ſaniei acredinem, quæ ſua nitroſitate oſſa poteſt alterare, præſertim ſi ſanies ipſa in ſinu aliquo contineatur, & in oſsium poroſitatibus imbibatur, uel ob contuſionem, ut ferè fit in ictibus ſclopetariorum globulorum, qui fortiter os percutiendo, ipſorum oſsium poroſitates poſſunt comprimere, & inde alteratio ſequitur, idque manifeſtum tibi fiet, ſi primis diebus os denudatum fuiſſe depræhenderis, uel ſi multi dies abierint, neque ullo alio ſuperueniente ſymptomate, ulcus non coaleſcat, uel ſi ægrum interrogaueris, nunquid in ictu ipſo percuſsionem, & concuſsionem ſenſerit in membro, magis autem fies certior, ſi oculis os poteris conſpicere, & explorare nunquid proprium ſeruet colorem, uel nigredine ſit infectum, uel carie affectum, ut Cælſ. dixit lib. viij. cap. ij. uel ſi tecum expenderis, nunquid ex puris generatione, uel retentione os contrahere uitium aliquod potuerit, uel ſi ex ulcere copioſius tenuiúſq; pus, quàm uulneris magnitudo poſtulet, exeat, ut iij. de fract. de oſſe q^d abſceſſurum erat, dicebat Galen. ſi aliqua ex his, uel paulo ante fuiſſe, uel etiam nunc adeſſe, uulnus non coaliturum certo ſcies, niſi quod alteratum eſt os, aut corruptum, à natura expellatur, aut à medico abradatur, uel medicamẽtis remoueatur, aut deſquammetur, ut Cælſ. lib. viij. cap. ij. dicebat. Si igitur rectam uolueris curationem inſtituere, inter cætera etiam, corrupti uel alterati ſubſtantiam expendes, nunquid ſcilicet dura, aut mollis ſit, quales eſſe oſsium appendices ſolent, quæ naturaliter ſpongioſæ, & fungoſæ (ut ita dicam) ſunt, & qualia etiam nonnulla pedis oſſa, & brachialis & manus eſſe ſolent, uel cartilagines, uel nunquid dura oſſa, ita affecta ſint, qualia grandia oſſa eſſe conſueuerint: Deinde nunquid læſio in oſſe ſit duntaxat in ſuperficie ex aeris alteratione, aut ad medullam uſq; os uitium contraxerit. Si os ſolum in ſuperficie ſit alteratum, nec carie aliqua laboret, ſpecillo non exacte acuto, neque obtuſo percipietur læſio, quia os lubricum eſſe cognoſcetur, nec in eo ſpecilli cuſpis figetur, ut idem adducto loco dicebat: Cauendum tamen, ne forte ex poroſitatibus in oſſe exiſtentibus, in quibus ſpecillus figatur, affectum carie os putes eſſe. Carie autẽ os

Quibus oſſa corrumpi, & alterari poſſint.

Oſsis corrupti, uel alterati ſubſtantia è conſideranda.

Quomodo os in ſuperficie alteratum poſsit dignoſci.

Carie affecti oſsis cognitio

affectum eſſe cognoſces,quia in ea ſolum parte,quæ carie laborat,nõ in alijs oſ-
Oſsis alterati curatio.
ſis partibus ſpecillum ſæpe ſi uolueris imprimes:Si igitur abſq; carie os ſit, & ab
aëre duntaxat alteratum,iſtud ſcalpello abradere ſatis erit,modo commode ab-
Auic. 4. 4. & Cælſ. loco adducto.
radi poſſe uideas,ut Paul.lib.vj.cap.lxxvij.præcipit,& tandiu abrades,donec a-
liquid ſanguinis appareat, ille quippe ſanguis, indicabit ulterius alteratum os
Quamdiu os ſit abradendũ.
non eſſe,quia quod uitiatum eſt,aridum ut ſit neceſſe eſt,ut Cælſ. lib.viij. cap.ij.
dixit,poſt oſsis abraſionem, puluere cephalico inſpergendum os ipſum eſt, ut
puluere ireos,ariſtolochiæ,panacis chironei,& ſimilium, ut os tueatur, carneq;
tegatur:Vel oſsi cephalicum medicamentum admouebis,quod capitale unguẽ
Iſis oſsibus detectis amicum.
tum,aut de betonica,aut matriſylua dicitur,aut adhibebis iſis Galeni, cerato hu
mido temperatum,quod à Gal.in lib.de comp.med.ſec.gen.in capitis fracturis,
& in alijs oſsibus detectis,commendatur. Cuius ratio eſſe poteſt, quia ſarcoti-
Sarcotica qualia eẽ debeant.
ca omnia calida & ſicca eſſe debent,ut iam ex Galeni ſententia dictum fuit, cali-
da,ut nutrimentum pro carnis generatione attrahant,ſicca,ut illud à corruptio
ne uindicent, quo deinde naturæ opera caro generetur. Sed medicamenta hu-
iuſmodi magis uel minus calida parari debent, ſecundum partium, quibus ad
moueri debent,naturam,cum igitur ſiccæ naturæ os ſit,calidiora, quæ illi adhi-
bentur medicamenta,eſſe debent,& ualide attrahere, ut etiam ex gumi compo-
ſita eſſe debent,quæ ſi pro carnoſa parte parentur, ut ab oſsibus attrahant pro
carnis generatiõe,calida eſſe neceſſe eſt,& ſicca,propter ſicciorem partem,quæ
conſeruari debet,ut iij.methodi ſcripſit Galenus,& hoc etiam in cartilaginibus
Si ſcalpello os non poteſt remoueri terebro utendum.
obſeruare conaberis.Si autem ſcalpro os alteratum remouere nequiueris, tere-
bris aliquibus uti poteris,quæ per ulceris foramen mittes, & alteratum uniuer-
ſum os illud remouebis, ut in tractatu de fracturis apud Paulum legere poteris:
Quod ſi nec terebro,nec ſcalpello,propter ulceris anguſtiam, ut aliquando eue
nit,alteratam oſsis partem abradere,& remouere poſſes,ipſum tribus modis la-
Tribus modis dilatari ulcus poteſt.
tum reddere poteris,nempe ſi in illud aliquid,quod poſsit intumeſcere,immiſe-
ris,& quod imbibendo humorem, ulcus dilatet, ut uitiatum & corruptum os,
quod abradi debet,detegatur: Hoc aſſequi poteris penicillis in fundum uſque
ulceris immiſsis,aut ſi ulceris ori,ſpongiam uino lotam,& exiccatam, appoſue-
ris,aut oui albumen adhibueris, cum forti ligatura, non remouendo ſplenium,
uel penicillum uſq; ad perfectam ipſorum exiccationem,uel ſi loco ſpongiæ,ul-
ceri radicem ariſtolochiæ longæ & ueræ impoſueris, de clematide non loquor,
Gentiana ad ulcera dilatanda præſtantior cæteris. Spongiæ uſus in ulceribus dilatãdis quæ ſequãtur incõmoda
quoniam admodum tenues radices habet,nec ut putant multi longa eſt,uel ra-
dices etiam ariſtolochiæ rotundæ,uel gentianam, quæ reipſa cæteris omnibus
præſtantior eſt:nec mihi in hoc caſu admodum ſpongia placet, quoniam adeo
extenditur,intumeſcitq;, ut etiam ipſius ſpongiæ foramina, & poroſitates in ſe
carnem recipiant,quam ſi deinde uolueris ex ulcere extrahere, carnem dilania-
bis,dolorem excitabis,& ſanguinem ad fluxum irritabis, qui deinde ut recte os
abradatur,impedit:Cæterùm ſi ſub ulceris foramen aliquis extaret ſinus,adeo in
inferiori parte impoſita ſpongia intumeſceret,ut euelli non poſſet,ariſtolochiæ
radicibus,& gentiana,quæ ut docet Dioſ.exiccata ſit in papyro inuoluta,aut ad
umbram in pauimento ſuſpenſa,melius uti poteris,& tutius. Quod ſi iſtis ad di-
latandum ulceris os uti nolueris, medicamento carnem exedente uti poteris,
quo penicillos illines,& unguentum noſtrum de colophonia præſtantiſsimum
eſſet,uel trochiſcos de minio impones, qui quamuis aliquem dolorem inferãt,
ulcus tamen dilatant,uerum ſi trochiſcis his uti uolueris,ulceri proximas partes
Antè exedentium medicamẽtorum impoſitionẽ, corpus purgandum.
defenſiuis communies,deinde loco oui albumen,cum bolo armena,& oleo ro-
ſaceo impones,tum ut dolor ſedetur,tum ut confluentes repellantur humores:
atq; antè horum exedentium medicamentorum impoſitionem, corpus purga-
bis uniuerſum,illud ſemper agendo,ne ulcus inflammatione corripiatur:ſequẽ-
ti die idoneis medicinis eſcharam remouebis, & contractam ex acribus medica

mentis

mentis intemperiem proprijs medicinis remittes, ea ſemper adhibendo mendicamenta, quæ in ulcere exiſtentia ſymptomata exigent, quibus remotis alteratũ os abrades: At ſi medicamētis his uti nolueris, ulcus nouacula dilatabis, ac os uitiatum deteges, ut Cælſ. libro octauo capite ſecundo, dixit: cauendo in ſectione ne uenas, aut arterias, aut neruos, aut ligamenta cædas, & ſic facilior curatio ſequetur, minúſque doloroſa. Si uerò ad medullam perueniret, totum os abradendum, uel terebrandum erit, ad ſanam uſque partem, quemadmodum medicinæ authores prodidêre, oſſe enim aliqua in parte exiſtente uitiato, nunquam ulcus coaleſceret, quandoquidem oſſa ut in libro de uſu par. ſcribit Galenus, carnis fulcimenta ſunt, quod etiam in principio libro de oſsib. (ſi liber ille legitimus Galen. liber eſt) ſcripſit. Quod ſi propter loci ſenſibilitatem, nec medicinis, nec inciſióe, propter neruos, uenas, aut arterias, & ſimilia detegere os liceat, cannulam ferream in ulcus immittes, deinde candens ferrum per ipſam cannulam, quod ad os uitiatum perueniat, bis térue, ſecundum oſsis corruptionem mittes, & os hoc modo cauterio afficies, poſt inuſtionem medicamentum dolorem ſedans adhibebis, ut oui albumen cum uitello ſi placet, & oleo roſaceo, ſuper os autem ſtuppam in uino madefactam pones, canna, & ferrum quomodo eſſe debeant, in picturis uidebis. Oſsis quoque deſquammatio poſſet fieri, medicinis ſuper corrupta oſſa aut alterata poſitis, quæ ut Paul. ait, libro ſexto capite de fiſtulis, ſua ſiccitate os ſiccius reddere ualeant, ex quo facilius à reliquo oſſe, id quod alteratum erit abſcedet: commode puluis huiuſmodi poſſet admoueri: ſume æruginis æris ſcrupulum unum, ariſtolochiæ rot. ireos, radicis panacis herculei, uel fruſtulorum ligni quod in opponaco reperitur, quoniam illius radicis ramenta ſunt, omnium dragmam mediam, miſceantur, & in puluerem redigantur: uel uitiatum os gutta olei chalcanthi, uel ſulphuris, per artem chymicam facti, tanges: aut noſtra aqua bis térue, aut plus aut etiam minus, prout uidebitur, madefacies, conſiderando principalium membrorum uicinitatem, & medicamentorum potentiam, & acredinem, ne errorem committas: deinde ſuper os deſcriptum antea puluerem, ſine ærugine pones, cauendo, ne ulceris labra acribus illis medicamentis tangas, & ſic deinde permittes quoad ſponte os ipſum cadat, uel abſcedat, quod ſi abſceſſurum non ſperaueris, quæ paulo poſt dicem⁹ obſeruabis. Si uniuerſum os uitium contraxerit, & carie totum ſit affectum, ſi in conſpectu os ſit, uitiatum eſſe dubio procul cognoſces, ex nigrore, & alteratione facta in colore proprio, præterea ſi ſpecilli cuſpide os illud perfricabis, in os ſpecillus facile figetur, ut citato loco Cælſ. dixit. Caue tamen, ne ut ante monuimus, oſsis ſpongioſi, & maximè poroſi natura te decipiat, aut cartilago, præterea nigri ichores ab ulcere egredientur, os ita affectum ſi curare uolueris, ſcalpellis erit abradendum; quouſque ad ſanum os perueneris, & nigredinem uniuerſam amoueris, & quoad ſanguis appareat, ut ex Cælſ. dictum fuit, deinde ſupra os cephalicos pulueres iam dictos ſparges, & ſi poſt abraſionem pars aliqua corrupti illius oſsis relicta fuerit, eam adurente medicamento abſumes, uel remouebis: quæ ſi medicamento non cedat, candenti ferro eſt adurenda, ut Cælſo & Paulo placuit, tandiúque candens ferrum admouebis, donec in oſſe exiſtens humiditas exiccetur, ut Galenus docuit, candénſque illud ferrum ſæpius remouendum, & adhibendum, ne ex longa mora caro ipſa aduratur, aliquantiſper tamen ferrum ipſum ſupra os eſt continendum, ut ignis uirtus in os imprimatur, & humiditas exiccetur: medicamenta deinde dolorem ſedantia adhibebis, quale oui albumen cum roſaceo oleo, & oſsi ſtuppam in uino madefactam, ut paulo ante etiam diximus, impones: hoc modo uitiatum os à ſano ſeparabitur & ſinus carne replebitur. Quod ſi ad alteram oſsis partem peruenerit corruptio totum os excidendum, ut inquit Cælſ. ſiue os illud capitis ſit, ſiue pectoris, ſiue

Si læſum os ad medullã uſq; ſit, quid ſit faciendum.

Oſſa, carnis ſunt fulcimenta.

Puluis ad oſsium deſquamationem idoneus.

Os uniuerſum uitiatũ, quib⁹ poſsit cognoſci, & quibus debeat curari.

Quando totũ os excidendũ. Et Paul. lib. 6. cap. de fiſt.

Os tranſuerſum fractum, & corruptum, ſerra diſſecandum.

coſta,ſiue quoduis os aliud, quia inutile illud eſt, atque illud præcidere eſt neceſſe. Sed ſi aliquod os tranſuerſum fractum, corruptum ſit, ſerra diſſecandum eſt,ut elegantiſsime docuit Paul. diligentiam adhibendo, ut lamina aliqua, uel linteis,uel lana,ne caro oſſa ambiens à ſerra lędatur,prohibeas:quemadmodum Galenus fecit,cum puero integram coſtam amouit,de quo in libro de anato.ad miniſt.loquitur, hoc etiam modo undiquaque à carne denudatum os diſſecamus,ut inquit Paulus,quamuis carie non infeſtetur,neque ſit corruptum.

Carne circumquaq; denudata oſſa, rurſus carne contegi non poſſunt.

Nullo enim modo fieri poteſt,ut oſſa circumquaque carne denudata, carne rurſus cõtegantur,uerùm in horum oſsium pertractatione,affectę partis cum reliquis partibus cognationem, & uicinitatem conſiderabis, & morbi magnitudinem, & ægrotantis robur.

Eodẽ tempore os detegendum, & diſſecandum.

Et ſi oſſa excidere coactus fueris,ut eodem tempore oſſa detegas,& incidas,operam dabis,aut ſaltem in ſequenti die id efficies, antequam oriatur inflammatio,ut elegantiſsime Cælſ. dixit:Nec audiendi ſunt qui oſſe nudato tertium expectant diem, deinde illud excidunt:Quod ſi commode excidi os non poterit,noſtra aqua forti,os ipſum madefacies ſæpius, & quæ abſceſſura eſt pars diſcedet,uide tamen ne ulceris labia madefacias,quia maximè aqua illa penetrat,ita ut non ſolum carnem,ſed oſſa, & quoduis lignum duriſsimum ualeat penetrare,quemadmodum ex lignarijs fabris, qui aquis fortibus, & per chymicam artem deſtillatis, ligna quouis colore inficiunt, diſcere poteris, ita enim aquæ illæ fortes ligna dura penetrant tota, ut quamuis ligni illius partem dedoles, ſemper idem color appareat. Habes igitur mi Ioannes Peline uulnerum omnium, & ulcerum, atque eorundem ſymptomatum curationes: tumultuarie ſcriptas, quibus cum cæteris medicinæ candidatis fruere, breui dijs uolentibus à me maiora, utilioráque accepturus.

FINIS.

MEDICAMENTORVM OMNIVM, DE QVIBVS IN HOC OPERE AGITVR DESCRIPTIO.

SI IN HOC VOLVMINE MVLTORVM MEDICAmentorum deſcriptiones ex Galeno non adinueneris, non erit mirã dum, quoniam trado quæ à nobis pluribus diebus ſunt comprobata, & quæ commodè poſſunt parari, cum multa, ob ſimplicium ingredientium defectum, conficere nequeamus.

REPERCVSSIVA MEDICAMENTA PRO PARTE CARNOSA SVB FORMA LINIMENTI VEL VNGVENTI.

RECIPE olei roſacei optimi, uel completi, id enim præſtans in omnibus cõpoſitionibus, uncias vj. Roſ. rub. Myrtillorum, Boli armeni, an. dragmam I. Ceræ Albæ quantum ſufficit ad linimentrm formandum. Sed plures in modum farinæ debent redigi: deinde cera, & pulueres in ollam proijciantur: eaq́ paulatim ab igne remoueantur, illa continuè baculo, uel re ſimili, agitando, uſq; ad totius unguenti refrigerationem. Deinceps aqua roſacea, uel aceto, ſi partibus carnoſis parabitur, lauabis. Vel ſic. R. olei roſat. omphacini optimi ſi haberi poteſt, ſin autem prædicti, unc. v. boli armeni drag. vij. aceti optimi, uel roſacei unc. I. & ſimul omnia miſceantur. Sed ſi oleum omphacino qualitatibus cuperes habere, in roſaceo oleo completo oliuarum folia minutim inciſa, cum tertia uini parte, in duplici uaſe bullias, uſq; ad uini conſumptionem, quod cognoſces, ſi olei guttulam ſupra prunas deijcies, ſi enim crepitum ciebit, ſignum erit uinum adhuc non eſſe conſumptum.

SVB FORMA FOMENTI.

CAPIAS balauſtiorum, ſeu eorum loco cytinos, hoc eſt mali punici flores, Gallarum, Granorum Myrthi ſiluestris, Roſ. rub. hoc eſt, cõmunium an. manipulũ. I. Boli armeni unc. iiij. omnia decoquantur in uino auſtero nigro, illis prius conciſis, quàm optimè uas terreũ claudendo, in quo uſq; ad tertias decoquãtur, in cuius fine, ſi pro partibus carnoſis parabitur, addas aceti optimi decimam partem: poſtmodum membrum fouebis, aut ſtuppa circumdabis, uel linteis in prædicto decocto illitis, cum retentiua faſciatura, ſi ea egebis, uel aliud, quod facilius præparabitur conficies, capiendo albumina ouorum numero tria, boli armeni unc. II. Aceti optimi, uel roſacei unc. I. ſ. Albumina ſeparatim concutiantur, ut eorum uiſciditas diſſoluatur, poſtea pulueres, & acetum inijcies, perfectè ſimul miſcendo, quæ parti ſuperponantur cum ſtuppa, uel linteis: iſta. n. defenſiua, oleis, & unctuoſis deſtituta, ualde à nobis cõmendantur, quia particulam magis roborant, uehementiuſq; repellunt, & humores diſcutiunt: prædictis etiam poſſes quàmplura alia repellentia addere, ut Acatiam Arab, & aromatariorum, quę quamuis ignoretur an ſit uera Acatia, tamen re ipſa ſtiptica eſt, aut ſandalos omnes, corallia, roſ. & ſimilia: Aut unguentum, quod ſic paratur R. olei roſ. completi, uel optimè parati ex roſis, olei roſ. omphac. i. ex oliuis immaturis facti, an. unc. v. olei Myrthini unc. ij. ſandalorum alborum, rubeorum citrinorũ an. drag. ij. Boli armeni drag. vj. ſanguinis draconis in lachrymis drag. iij. in cuius defectu, potes adaugere quantitatem boli armeni, aut roſas in puluerem redactas addes, ceræ quantum ſufficit, cui colliquatæ, & iuxta ignem lentum poſitæ, addes pulueres ſubtiliter attritos baculo uel ſpathula omnia ſimul agitando, uſq; ad un-

guenti refrigerationem,quod potentius efficies,ſi aqua roſacea, uel aceto lauẽris,atq; erit fortius,ſi pro qualibet libra,ſcrupulum unum camphoræ optimę etiam appoſueris. Nec miraberis,ſi cũ oleis,uel unctuoſis parantur à nobis nonnunquã defenſiua,extra antiquorũ ritum, quoniam non ſine iſta ratione id agimus: Scis.n.ex Gal.iij.Meth.humores fluentes repellendos eſſe,fluxos uerò diſcutiendos:cũ ergo aliqui ſint fluentes,& ali qui fluxi,hi qui fluunt,à ſtipticis,fluxi uerò ab unctuoſis,propelluntur,hac igitur de cauſa talia nos repellentia cum unctuoſis paramus,præcipue cum ab eodẽ ſic literis proditũ fuerit:Iam factam, atq; exiſtentem ægritudinẽ curare oportet: Sed quæ nondũ quidẽ adeſt, futura aũt eſt, prohibendum ne fiat ab ea,quæ eſt in corpore diſpoſitione : quod etiã fuit confirmatũ xiiij. meth. Similiter ſi pro loco neruoſarum partiũ defenſiuum param⁹, addimus(præſertim proceſſu temporis)oleũ uermium terreſtrium, aut ipſos terreſtres uermes in puluerem redactos,aloen,thus, omittendo camphorã, acacetum,niſi ſag.fluxus ſuſpicio id ſuadeat.Inſuper nõ erit mirandũ, ſi huiuſmodi defenſiuo calida addiderimus:Gal.n. lxvj.aph.v.part.inquit partes neruoſas,calefacientia, & exiccantia deſiderare : ſic ſcribens. Maxime aũt dolores patiuntur partes neruoſæ, q̃ medicinas calefacientes,& exiccantes deſiderant. Quod etiã confirmatũ fuit iij.de artic.Si.n.inquit frigida admouerentur,conuulſionẽ excitare poſſent:quanquam frigida admouenda ſunt ratione repercuſsionis, tamen talia eſſe non debent,qualia pro partibus carnoſis parari ſolent.

CONCOQVENTIA, SEV VT BARBARI DICVNT DIGESTIVA, HOC EST, PVS MOVENTIA.

VARIIS modis hæc confici poſſunt, ſed cõmuniter ex uno uitello oui, olei roſ.unc.1.ſimul permixtis:uel ſic R.reſinæ terebinth.optimæ, ſeu laricinæ puræ,aut abietinæ unc. 1. & ſ. uitellum unius oui, & etiam ſi placet,olei roſa. unc.ſ.& ſimul miſceantur:poſſes etiam,ſi uideretur,modicum croci addere,pro ſedatiõe doloris,ſed ſi forte inflãmationẽ ſuſpicareris,reſinas prædictas laua,modicum farinæ hordei benè cribratæ addendo:uel ſic , & dicitur digeſtiuum lotũ mirabiliſsimæ operationis,pro omnium ulcerum concoctione, dummodo benẽ paratum ſit.R.olei roſ.cõpleti,terebinth.uel reſinæ prædictæ,an.unc.iiij.cerę parum,& fiat unguentum, ſed molle ſit. Poſtea uerò lauetu͛ aqua pura pluribus uicibus:& hæc concoquentia ſemper mollia præparabis, hoc enim modo facilius actuãntur,nec dolorem inferre poſſunt ſua duritie, ut rectè animaduertit eſſe faciendũ Gal.ut iam dictũ eſt:iſtud enim facile cõcoquit,etiã ſi uulnera eſſent inflammata.Inſuper niſi empiricũ uideretur dictũ noſtrũ,dicerem non ſolum cõcoquere,ſed ſæpius abſtergere,ac cauitatẽ replere.Secundũ uerò antiquos,ut apud Gal.hæc fiebant concoquentia : picatum,quod conſtabat ex pice, cera,& oleo.Sed tanta quantitas olei eſt apponenda,ut medicamentũ liquidũ ſit,quo facilius actuari poſsit,abſq; læſione:cuius uirtus eſt dolorẽ remittere,& pus mouere,etiam ſi ulcus cum inflammatione ſit,ut in lib.de fract. fiebat etiam tetrapharmacũ,conſtans ex pice,colophonia,cera,& pinguedine taurina,ęqualibus portionibus,de quo Gal.lib.de elementis.Sed parabitur pro corpore duro cũ pinguedine taurina,ſi pro molli cum uitulina, at ſi conſtitues medicamentum hoc æquali portione, uidebis illud nimis effici durum. Ideo maiorem pinguedinis quantitatẽ,ob rationes ſupra aſsignatas,appones : cuius uirtus eſt inflammationes ſedare,ut iij.de fract.Gal.& pus mouere,ut xiiij.Meth. quod uulneribus cõctione egentibus admouetur,tamdiu, donec pus laudabile appareat,nullo alio adueniente ſymptomate.Siq; prædicta obſeruaueris,ex unoquoq; iſtorum optimam coctionem percipies.

DE ABSTERGENTIBVS.

Abſter-

ABSTERGENS leue,quod poni ſolet in uulneribus,poſt perfectam co-
ctionem,tale eſt.R.Terebinth.uel laricis,unc.ij.mellis roſ.col.uel ſi mellis
mordicationem times,ſyrupi roſ.unc.j.farinæ hordei drag.ij.thuris,ſarcocollæ,
an. drag.ſ. aut abſque his duobus ultimis parabis. Omnia colliquantur in uaſe
æneo ad ignem lentum, deinde ſicca in pollinem redacta proijciantur,ſemper
cum baculo miſcendo, uſque ad perfectam mixturam, ſed pulueres infundan-
tur,cum terebinth.& mel fuerint ferè infrigidata: Sic miſcendo uſque ad perfe-
ctam infrigidationem.At ſi parraueris pto partibus neruoſis, pulueris lumbrico-
rum partem aliquam addes. Vt ſic. Recipe ung.raſini, uel baſiliconis, ſi uulnus
in parte neruoſa ſit,unc. ij. mellis roſ. col. uel ſyru. roſ. ex roſis aridis unc. I. pul.
lumb.unc.ſ.quæ ſimul ad ignem miſceantur.Si uerò potentiora deſiderabis ab-
ſtergentia pro ulceribus ſordidis,hoc eſt,pro ſaniei craſſę abſterſione,confugies
ad ung.apoſtolorum:quod quamuis à Meſue,& à multis alijs deſcribatur,hic ta
men deſcribendum cenſui,ut ſi forte iter aliquod facturus eſſes, & doſin memo
ria non haberes,tecũ ferre tot libros non cogaris,cũ hic in ijs optime (ni fallor)
tibi inſeruire queat,hoc pacto igitur erit præparandum. Re. Armoniaci,bdellij,
olibani maſculi, hoc eſt, thuris benè pinguis, Ariſtol. rot. ſarcocol. an. drag. v.
Myrrhæ,galbani,an.drag. xv. Aloës,opoponacis,an. drag.ij. & ſ. floris æris,j.æ-
ruginis æris,ſic Arabes uocant,longe enim differt ab æris ærugine,drag.iij. Reſi-
næ,drag. xiiij. ceræ albæ unc. ij. olei. q. ſ. Aduertendum tamen eſt in hac com-
poſitione,ut in alijs,ingredientia bona,& præſtantia eſſe debere: At hic gumata
ſint ſicciora,quoniam hoc medicamento emollire non intendimus, ſed exicca-
re,præterea cum uera Myrrha apud nos non reperiatur, potes accipere Bdelliũ
minus pingue,loco Myrrhæ,quod diſſolues in aceto, & lithargyrium cum oleo
coquatur,donec liquefiat,& tunc ab igne remoueatur,& refrigerari aliquantu-
lum permittatur:Cæterùm adde Armoniacum Bdellium, & alia diſſoluta, ad i-
gnemq; rurſus reducatur, & cum coagulata fuerint ultimo, reliqua addantur.
Aliud forte ſimile dictum ung.Damaſcenum,quod ſic fit.R.ung.raſini unc.ij. æ-
ruginis æris ſcrup.ſ.his ad ignem liquefactis,& parum deinde refrigeratis, addi-
tur ærugo optime pulueriżata, uel aliud fortius, quod iſis cephalicum dicitur,
quod ſic paratur.R.cerę drag. l. terebinth. puræ,uel laricis, uel reſinæ abietinæ,
dragmas C.ſquammæ æris ęruginis raſę, Ariſtolochię rot. thuris,Salis armonia-
ci,hoc eſt,ſalis gemmæ,Ammoniaci pinguis, an.drag.iiij.Aloës combuſti,drag.
iij. æris uſti,drag. iiij. Myrrhæ, Aloës,Galbani an. drag. vj. olei ueteris heminam
mediam.j.unc.iiij.& ſ.aceti acris heminam.j.hoc eſt,unc.x.Radicum dracuncu
li.j. ſerpentariæ optimè in umbra ſiccatæ, drag. iiij. Quæ poſſunt pulueriżari,in
mortario diligenter terantur:quæ uerò liquari, ſimul colliquentur, ut cera,ole-
um,terebinth.&c.Sed Galbanum cum aceto,unà cum alijs maceretur: miſcean
túrque liquida ſimul ſecundum artem,ultimo manibus comprimendo, in ace-
to fortiſsimo q.ſ.lauabis.Sed æs uſtum, & ſquamma præparanda ſunt, quamuis
à Galen.non recenſeatur in illo libro,ut dicemus. Eo facto, emplaſtrum iſtud,
diu in uaſe aceto pleno,antequam in uſu ponatur eſt ſeruandum, cúmque ſe oc
caſio obtulerit,eo ſimplici non utaris, ſed mixto (ut declarabitur) cum cerato
humido,quod ſi ſimplex apponatur,ualde exiccat, ut in fracturis oſsium, & ſu-
per oſſa ſolum,confert nõ mediocriter ad morſus hominum, & ad alios morſus
uenenoſos, ut ſua exiccatiua uirtute potenti uirus ad exteriora educat, ad ner-
uos uulneratos,uidelicet ſi inflammatione non infeſtabuntur, ad fiſtulas,ad ſi-
nus omnes,ſi colliquatum,& contemperatum cum oleo roſ.fuerit,& cerato hu
mido,cohibet etiam futuros abſceſſus contemperatum, ſimplex uerò exedit,i-
deo ad gangrænas prohibendas non parum proderit.At ſi cerato humido con-
temperatur,ulcera cauterio afficit,& cauos ſine mordicatione replet,& duę uel
tres partes cerati humidi ponantur,ut monuit Galenus v.de compoſi.med. ſec.

gen.prout locus ſenſibilis,& temperamentum corporis, necnon morbus forti uel leui exiccatione egere tibi uidebitur.Sic enim ſecundum Galeni ſententiam medicamentum hoc fit leuius,& mitius, ex largiori humidi cerati admixtione: nec mirandum, ſi olei doſis alia eſt, quam à Galen. deſcribatur. ob additionem enim dracunculi radicum,& cæterorum, doſim uariauimus, cum ipſe ſimile nũquam parauerit, nec ingredientium quantitatem docuerit.Modus autem quo dracunculi radices parãtur, talis eſt:eas colligunt tempore æſtiuo,iam caule exiccato,& herba,deinde amputant,& in loco ſolẽ non habente reponunt,transactis uerò ſex uel ſeptem diebus, radix in orbiculos & fruſtula diuiditur, & filo traijcitur, ſuſpenditurq; in loco ſolis ingreſſum non recipiente, ex quibus ſic exiccatis huiuſmodi conficitur medicamentum, quod malignis ulceribus mirum inmodum prodeſt.

Vnguentũ Aegyptiacum abſtergens ſaniẽ craſſam, ac ſordes, quandoq; admouere oportet, quod quidem putrefactam, & corruptam carnẽ ualet exedere, bonam autem, & nullo uitio affectam, conſeruare, quia uirtus eius, cum ualide potens non ſit actuari, niſi in mollem carnem agere non poteſt, non aũt in bonam, quæ ſolidior eſt. ideo ualet ad abſtergẽdam ſordem, cuius deſcriptio ſecundum Gale. talis eſt R. floris æris, hoc eſt æruginis æris, quoniam flos æris aliud eſt, nec capitur à Meſue, niſi pro ærugine, & mos Arabum ſic eſt nominare æruginem, drag. v. Mellis drag. xiiij. aceti fortiſsimi drag. vij. Coquantur ad ignem donec miſceantur, & ſic optimum erit. Puluis præcipitati cum ualeat abſtergere ſordida, hic etiam inter abſtergentia reponitur. Sed pręſtantius erit, ſi pręparetur, quẽ admodum dixit Gal. primo cătag. de Myſi, calcitide, ſquamma ęris, atq; de omnibus mineralibus, quæ ſi aceto lauentur, minoris efficiuntur mordicationis, & ualidioris exiccationis, rationem & ibi reddit: quoniam uerò metallica craſsiorum ſunt natura partium, ideo uim ſuam ad profundum corporis non extendunt, & ob hoc, ut tenuiora fiant, ipſa conterere, & in aceto diſſoluere conuenit: quæ poſtea ita attenuata, ad penitiora penetrant. Accedit autem & aliud quoddam commodum in huiuſmodi medicamentorum confectione: quod diligenter elaborata, corporis meatus facillime pertranſeunt, & quamuis calidioris naturæ ſint, ſine morſu, munere ſuo funguntur. Teratur igitur diligenter præcipitatum, quod præparari debet, deinde deſuper acetum acre proijciatur & cum piſtillo diu ducatur, & ſoli exponatur, ſæpius agitando, poſtea acetum abijcies, cum in fundo ſubſiderit, rurſus acetum acre, ut prius infundas, lauando, ſicq; decies agendo, quo facto permittatur exiccari, demum in puluerem redigatur, & uſui ſeruetur. Si hoc modo pręparatum fuerit præcipitatum, longe minoris mordicationis erit, & uehementioris exiccationis, & abſterſionis: idem de æris ſquamma, præſertim combuſta, dicendum: ex combuſtione enim (ut dictum eſt) metallica, atq; mineralia acria, Gal. ſententia loco præallegato, minorem retinent mordicationem.

DE SARCOTICIS.

VNG. raſini talis eſt deſcriptio, & pro corpore molli, carneaq; parte. Recipe pini, terebinthinæ, ceræ citrinæ, olei communis, an. unc. iij. diſſoluta cera, reſina cum oleo, ultimo terebinth. omnia colentur, & in cacabo ad ignem lentum bulliant, deinde permittantur infrigidari. Aliud ſarcoticum.

Recipe terebinth. mellis roſ. col. an. unc. ij. thuris, Aloës ſarcocollæ, farinæ hordei ſubtiliter cribratæ, an. drag. I. diſſoluta terebinth. cum melle, addantur pulueres, ſemper agitando uſque ad perfectam mixturam, quod ſi pro parte neruoſa paratur, ſemidrag. pulueris lumbricorum terreſtrium addatur. Puluis ſarcoticus pro parte carnoſa. R. Aloës ſarcocollæ, an. drag. iij. thuris pinguis drag. ij.

miſ.& ſubtiliter puluerizentur,cui poſſes addere Ariſt.rot.quartam partem.Aliud,quo dicitur ung.aureum.R.ceræ nouæ drag.i.olei communis unc.iiij. terebinth.unc.ſ.picis Græcæ.i.colophoniæ drag.ij.thuris,maſtiches an.drag. i.& ſcrup.i.croci ſcrup. ſ.ſubtiliter puluerizetur maſtiche,thus, & pix per ſe primo, ultimo ſimul,& cribrentur.Deinde liquefactis oleo,cera,ultimo terebinth.& ferè infrigidatis,addantur pulueres,ſubſequenter crocus,omnia, ut ſupra dictum eſt,baculo agitando. Pro parte neruoſa ung. Baſilicon maius. R. ceræ albæ unc. ij. Reſinæ pini, terebint.an. unc. ſ. ſebi uaccini,picis naualis,thuris, myrrhæ, an. drag.ii.croci ſcrup.ij. olei communis unc.iij.quæ ſunt terenda, terantur primo per ſe,ultimo ſimul,& cribrentur.Deinde quæ liqueſcere poſſunt, diſſoluantur ad ignem lentum,ultimo terebinthina,in æneo lebete:quo facto ſuperdatur pix, poſtremo alia:colentur deinde ſimul,permiſceanturq́, uſq; ad infrigidationem. Pro corpore duro.R ung.damaſcenæ unc.i.Raſini unc. iiij. miſceantur ſimul,& ad ignem lentum cum baculo agitentur, ne pulueres fundum petant. uel R. iſis cephalici drag.iij.ung.raſini,uel digeſtiui loti,aut cerati humidi drag.x.miſceantur cum ſpathula:uel R.ung.apoſtolorum drag.iij.unius ex prædictis unguentis unc.i.& ſ.miſceantur,ex iſtis enim potes per temetipſum fortia,& leuia conficere medicamenta,prout uidebitur,& quantitatem exedentium, uel mitium medicamentorum augebis,prout erunt corpori duro,& parti neruoſę,ac ſiccę,aut molli applicanda.Ceratum humidum Galen.parabitur ex oleo roſ.& cera alba, ex quibus nos ſic conficimus. R. olei roſ.optimè parati, uel & melius, completi lib. j.& ſ.ceræ albæ lib. v. & ad ignem ſimul diſſoluantur.iſto enim cerato,iſis cephalici,& prædictorum acuitas reprimitur.

DIACALCITIS GAL. SIC PARATVR.

RADIPIS uetuſti,quem nonnulli axungiam appellant lib.j. olei ueteris li. ij.Argenti ſpumæ lib.iii. calcitidis unc. iiii. ſed cum careamus uera calcitide,accipias partem ſuperficialem albicantem, quæ reperitur ſuper chalcanthũ romanum,nec ut faciunt multi,debet poni chalcanthum, quoniam pars illa ſuperficialis eſt tenuioris, & ſubtilioris uirtutis, & penetrationis, ſicq; paratur: mundetur adeps à pelliculis,poſtea cum oleo ſimul diſſoluatur, diſtillentúrque, & perfectè mundetur, ut nulla membranula remaneat, & cum emundatæ fuerint addantur ſpuma argenti,& calcitis,deinde ad ignem lentum carbonum coquantur,uſque ad perfectam cocturam, & ad formam emplaſtri, & inducantur ramuli palmæ,qui ſi æſtas,unius dei,ſi uerò hyems,duorum ſint, & ſi haberi non poteſt,eius loco accipiantur radices arundinum,uel baculus ſalicis recentis, ut nos libentius agimus,ſcindendo in fruſtula,quæ cum baculo ſalicis recentis ducantur uſque ad finem,cuius uirtutes declarantur à Gale. longo ſermone in lib. catag. Sed talis deſcriptio mollibus corporibus præſtantius inſeruit, ut pueris, mulieribus,& in ocio degentibus,ut inquit Gale.quam duris.Si autem pro corpore duro, ut pro ruſtico, uel robuſto uolueris parare, nec artem unà cum alijs ſtudioſis empirice exerceas,ſecundum duas deſcriptiones parabis, ut Hoc modo. Rec calcitidis unc. v. uel vj.olei ueteris lithargyrij,an. lib. iij. adipis uetuſti, quam axungiam uocant,lib.i. & ut diximus decoquantur. Ex quo mirum non eſt,ſi uariæ apud Doctores poſt Galen. reperiantur deſcriptiones iſtius medicamenti.

VNGVENTVM CITRINVM.

SVME boracis,hoc eſt,naturalis,quo aurarij fabri utuntur drag. ii. camphoræ drag. i. corallorum alb. drag. ſ. amenti dulcis drag. i. umbilici marini

ueri,tragacanthæ albæ,amyli,marmoris,cryſtalli, antalis, dentalis, olibani,nitri, an.drag.iij.marmoris albi drag.ij.gerſæ ſerpentariæ unc.j.ceruſſæ unc.vj.terantur omnia per ſe, in marmoreo mortario piſtillo ferreo, deinde panno cribrentur:deinde ſume,axungiæ porcinæ lib.j.& ſ.ſeui ouis,uel capræ recentis unc.j.& ſ. pinguedinis gallinæ recentis unc.j. axungiæ in duplici uaſe ſimul liquefiant,& colentur,in quas puluereſ omnes,præter camphoram & boracem, inijciantur, & cum baculo agitentur optime, quo inuicem omnia probe miſceantur: Poſt hæc citrum aſſumes, quem excauabis, & mixtura illa replebis, ac igni admouebis,ut bulliat, ſemper etiam baculo agitando.Rurſus mixtura illa in citro ebullita,in uas proijciatur,& illi borax & camphora adijciantur, cum frigeſcere cœperit,& ad uſum ſeruetur:Sed quid pro amento dulci ſit accipiendum, paucis expediam:Aſſumenda eſt ſuperficies illa alba & perlucida,quæ ſupra gypſum reperitur,quæ à nonnullis non ſine ratione lapis ſpecularis dicitur, à uulgaribus uerò alumen ſcaiola nuncupatur,ſed combuſta eſſe debet. Pro antalo, & dentalo, lapides illi, qui in marinis locis reperiuntur aſſumendi, quos aromatarij corrupta uoce his appellant nominibus, à Dioſcoride libro ſecundo capite ſecundo buccinæ nominantur,quia ſonum ad modum buccinæ inflatæ reddunt.& concha eſt clauiculatim intorta,& turbinatu ſcabra,ſine aculeis, magnitudine purpuræ inferior,buccino turbinato, quo ſonus editur ſimilis, excepto ore rotundo in marginem inciſo,à Plin.cerix, latinè murex appellatur, progreſa ſerpentaria,radix Aron uulgaris,ſeu ſerpentariæ minoris præparata, quæ ſic ad mulieres fucandas paratur,colliguntur dracunculi minoris radices, & optime mundantur, lauanturq́: quæ minutim inciſæ, filo inſerto ad umbram exiccantur,deinceps in puluerem redduntur,qui aqua roſacea inſpergitur,& ſoli expoſitus exiccatur, rurſus aqua roſacea inſpergitur, & iterum exiccatur ſoli expoſitus, & id quinquies fit,ut perfectè puluis ille albeſcat.Atq; hic puluis etiam ſolus conducit ad faciem dealbandam, ſi cum aqua florum fabarum, aut limonum ſublimata,miſcueris,& faciem perfricaueris,deinde manè aqua faciem laueris.

VNGVENTVM ALBVM PAVLI.

R Ceræ dealbatæ unc.vj.roſ.completi,uel optimi roſ.ſimp.lib. j. & ſ.ſpumæ argenti,ceruſſæ,an.unc.ij.Amygdalini olei unc. iii. Albumina ouorum v. & miſceatur oleum cum cera ad ignem lentum, deinde amygdalinum addatur, quibus ferè infrigidatis,ouorum albumina benè quaſſata addes:donec incorporentur: Iſtud enim ualet ad omnes inflammationes, & tam ad ulcera, quàm puſtulas,ut per ingredientia patet, & præſertim ad ignis combuſtiones, & inter cætera mollia medicamenta,cuti non adhereſcit,& hoc patet cum linteolum à particula remouetur, quod per pauca alia faciunt, & talis compoſitio non eſt mutanda, & ſi in quibuſdam codicibus reperias amyli unc. iij. quemadmodum in multis codicibus ſcriptum uidi, ſed in meo tam græco quàm latino codice,legi amygdalini,loco amyli,& ego amygdalino ſemper compoſui, & fœliciter operatur,uerùm curaui ſemper,ut haberem amygdalinum nuper confectum,cum illud oleum facile corrumpatur.

ALIVD ALBVM COMMVNE.

R Olei roſ.completi,uel optimi ſimp.unc.ii.ceruſſæ optimæ unc. I. & ſ. ceræ albæ unc. I. liquefacta cera cum oleo, apponatur ceruſſa ſubtiliter puluerizata, ultimo cum roſ. aqua lauetur,uel omittatur, quod ſi uolueris eſſe ceratum de minio,loco ceruſſæ accipies minium commune,quod eſt ſandix Galen. & rectè nuncupabitur Vng. ſandicis, & ſic præparatur. Recipe olei roſ. completi

pleti, uel optimi, terebinth. an. unc. ij. ſandicis. j. minij, noſtri unc. iij. ceræ citrinæ unc. vj. & ſ. & ſimul ut dictum eſt miſceantur. cui ſi addere uis unc. j. terebinth. potes, ſecundum tuam intentionem.

VNGVENTVM DE TVTIA.

SVME olei roſ. omphacini, olei roſ. completi, olei caparorum, an. unc. vj. olei myrthini unc. iij. ung. Gal. populeonis, an. unc. ij. foliorum plantaginis, cētaurij minoris, ſolani, lapatij, an. m. I. & ſ. Herbæ incidantur craſſo modo, & ſimul infundantur per ſeptem dies, deinde parum bulliant, quo facto colentur: cui adde ceræ albę q. ſ. ad formandum ung. molle, poſtmodum ab igne remoueatur, & ſæpe baculo agitentur, donec tepida fiant, ultimo hæc addes, ſpumæ argēti, & auri, an. unc. ij. & ſ. tutiæ præparatæ drag. ij. recrementi plumbi drag. vj. hordei combuſti, ſtercoris canini, an. drag. j. & ſ. camphoræ benè purgatæ drag. j. boli armeni orientalis drag. I. & ſ. & omnia benè miſceantur in mortario plumbeo, & ducantur per horam ſecundum artem.

VNG. DE MOLYBDENA.

RECIPE olei roſ. aceti fortis, an. unc. iij. molybdenæ pul. unc. ij. in mortario plumbeo per horam ſimul ducantur, uſque ad perfectam mixtionem ſecundum artem.

Vng. Colophoniæ.

R. Thuris, Aluminis rochæ, arſenici, an. unc. v. olei camomilini unc. v. Colophoniæ, reſinæ pini, Terebint. an. unc. iij. reſina pini, colophonia, & oleum ſola. ad lentum ignem liquefiant, & colentur, cui colaturæ addantur terebinthina, & pulueres, & cum refriguerint, addantur aceti fortiſsimi unc. ij. cum baculo agitetur, donec ſimul omnia probe admixta ſint, & fiat ung.

Diacadmia epuloticum ex Gal. ij. Catag.

R. cadmiæ ex uino præparatæ, calcitidis uſtæ, an. unc. ij. ceræ unc. x. colophoniæ unc. viij. uini optimi quantum ſatis eſt. Calcitis, & cadmia in uino terantur, ut humidi cerati ſpiſsitudinem habeant. Ceram, & reſinam in fruſta diuiſam in uas fictile immittito, atq; his olei myrtei lib. adijcito, deinde carbonib9 ſuperponito, continuè agitando, cum ſoluta fuerint, ab igne tollito, ubi refriguerint, radito, leuigatiſq; indito, ac mixta excipito, in uſu oleo myrteo ſubigito.

Puluis cicatrices inducens Gal. v. Catag.

R. calcis uiuæ drag. iij. Mannæ thuris. I. furfuris thuris, ſquāmæ æris, an. drag. ij. omnia per ſe pulueriʒentur, ultimo ſimul miſceantur. Iſtud etiam optimum eſt epuloticum.

CERATVM DE SPVMA ARGENTI SIC PARATVR.

R. Lithargyrij lib. j. olei uetuſsimi lib. ij. & ſ. aceti acutiſsimi unc. vj. coquantur oleum & ſpuma argenti ſimul, ita ut manus non inquinent, ultimo acetum addatur.

Epiſpaſticum Gal.

R.ſpumæ argenti,ceruſſæ,ſalis,an.unc.x.olei ueteris ſextariū unū,hoc eſt,li. 1. & ſ.ſal,ceruſſa.ſpuma argenti ex oleo ipſis adiecto teruntur, deinde curioſe mixta,& in uaſe fictili cocta,aſsidueq; mota, donec non inquinent, deinde in mortario transfuſa,rurſusq; tunſa excipiuntur,& uſui ſunt.

Pro ſinubus in eo cap.

Pamphilon ad ſinus conglutinandos,ad ulcerum fluxiones,ad oculorum epiphoras,hoc eſt lachrymarū fluxum, fronti impoſitum.R.ſpumæ argenti drag.L. ceræ drag.xxv.Terebinth.thuris,an.drag.& ſ.ceruſſę drag.L.Aluminis ſiſci,qđ uulgo uocatur flos petræ unc.1.piperis albi drag. j. & ſ. olei ueteris heminas duas,hoc eſt lib.xviij.& ſecundum artem componito.

Quamuis in noſtro hoc opere meminerimus de trochiſcis Muſę,& Paſsionis, hic eos tamen non deſcripſimus, cum ob nonnullorum ingredientium penuriam parari non poſsint,ſed duntaxat Andronij.qui ſic parantur. R. Cytinorum, hoc eſt,florum malorum punicorum drag.x.Gallæ drag.viij.Myrrhæ,uel eius loco Bdellij, mali terræ,hoc eſt Ariſtolochiæ,an.unc.ſ.chalcanthi, aluminis ſiſci, hoc eſt,aluminis plumæ an.drag.ij.Myſios cypri, hoc eſt ſuperficies albicans in chalcantho Cyprio drag. ij.paſſo hoc eſt uino facto ex uuis paſsis, uel ſapa,omnia hæc ſimul diluantur,& rotulæ formentur ex Gal.catag.

DIACARTHV GAL.

R Squamæ,Gallæ,myrrhæ,an. drag. viij. ſandaracæ, quæ eſt ſpecies auripigmenti rubicundioris,arſenici,elaterij,an.drag.iiij.Thuris drag.iij.atramēti ſcriptorij, id eſt, chalcanthi drag. iij. cartæ combuſtæ quantum ſatis eſt ad inducendum colorem,deinde cum ſapa trochiſci conficiantur:ex Gal. catag.

PASTILLI IOANNIS DE VIGO PRAESTANTISSIMI.

R Panis fermentati crudi unc. iij. argenti ſublimati finiſsimi drag. j. aut plus minúſue,prout intendere, & remittere iſtorum paſtillorum uim uolueris, Minij.drag.v.panis cum roſ.aqua,uel cucurbitæ diſſoluatur cum piſtillo in mortario,cui addatur argentum ſublimatum, optimè in modum farinæ redactum, ultimo minium,uel ſi eos optas alterius coloris habere, carbones ſubtiliter pul. uel terram nigram melanteriam dictam,poſtea orbiculos ad nucleorum pineorum figuram finge,uel placentas, aut alias figuras, quos in furno tepido exiccabis,eoſq; ſeruabis.


DI APYRITIS.

SVM E bituminis,ſpumæ argenti,an.unc.ij.& ſ.picis,ceræ,an. unc. j. pyritis j. marchaſitæ,terebinth.an.drag. xxv. propolis, quæ uulgo cera uergine dicitur,aluminis ſiſci,an.drag.xv. ammoniaci pinguiſsimi unc.j.&ſ.Galbani,Aloës, an.unc. j. æruginis æris,Mannæ,an. drag. v. olei ueruſtiſsimi ſextarios duos,hoc eſt lib.iij.coquitur oleū cum argenti ſpuma quantū ſatis eſt,deinde adijciuntur bitumen,cera,pix,reſina,propolix,quibus liquefactis,refrigeratiſq;,ærugo,& lapis pyrites immittantur,deinde cū uas ab igne remotum fuerit,& quæ in eo fuerint modice refriguerint, ammoniacum,alumen,Galbanū,Manna inijciantur,& poſtea in aquam frigidam immittantur.

FINIS.



Hamulus.



Cannula cum terebello.



Terebellum.




Cannula.




Alter Hamulus.


Aliud inſtrumentum ad globulos euellendos.





Forceps dentata.
Roſtrum coruinum.
Forceps concaua.



Cauterium cum cannula.




Inſtrumenta ad ſinus diſſecandos.




Crus infaſciatum.




Crus faſciatum.



Acus cū cannula






Altera forceps anſerina.



Forceps anſerina.



Spatula.

DE
SCLOPETORVM SIVE ARCHIBVSORVM VVLNERIBVS
LIBRI TRES.

Corollarium de Sclopeti, ac ſimilium tormentorum puluere.

De caruncula ſiue callo, quæ ceruici ueſicæ innaſcuntur, Chirurgis omnibus opuſculum imprimis utile.

AVTHORE
Alfonſo Ferrio Neapolitano inſigni Artium & Medicinæ doctore.

EXCELLENTISS. HEROI D. GRATIAE DE Toleto in regno Neapolitano Hiſpanorum Duci, Alfonſus Ferrius *S. P. D.*

C*VM* ea ſemper fuerit literarum dignitas, & quaſi prærogatiua, ut principes honeſtum, glorioſumq; rati fuerint, quodcúq; earum genus ſit (modò non obſcœnum) ſibi dedicari: probanda eſt profectò eorum ſententia, quorum ſcripta in uirorum illuſtrium nomine apparuerunt. Fieri enim poſſe hoc pacto credidêre, & ut ad ſuorum ſtudiorũ opera lectores, qui nihil niſi elaboratum ingenio, ac omni ex parte abſolutum ſupremæ fortunæ hominibus mitti exiſtimauerint, libentius allicerent. Et præclara illorum autoritate freti, acres inuidię morſus, & uenenatas obtrectatorum linguas minùs extimeſcerét. Vtrumq; me cóſecutum putauero, ſi te auſpice, quem non minùs ipſe inter heroes ſuſpicio, quàm generis claritas, promptiſsimum ingenium, maximus rerum uſus, admirabilis prudentia, inſignis gloria, & incredibilis rei militaris peritia, te conſpicuum reddat: lucubrationes haſce meas memoriæ prodiderim. Opus (niſi longè fallor) non inutile, & tibi (ut ſpero) non iniucundum. Quippe, qui & bonas artes foues, & militum ſaluti, quibus præcipuè labores hos noſtros uſui fore, animaduertes, diligenter conſulis. Poterit uel ex eo abs te probari, quòd ex infinito penè artis Medicę profeſſorum numero uix quiſpiam hactenus hanc materiam attigerit. Expoſcebat porrò inſuetũ teli genus nouum curandi modum, exquiſitamq; medendi rationem. Quapropter nihil hìc mihi ſubticendum eſſe ſtatui, quod aut longa experientia conijcere, aut flagranti ſtudio conſequi, ipſe ualuiſſem. Et quia potiùs alijs prodeſſe ſtudui, quàm gloriolæ rationem habendam eſſe cenſui, uolui quæcunq; pernitioſi huiuſmodi fulminis ictu percuſsis códucere arbitrarer, quantò fieri poſſet breuius, perſtringere. Ego etſi huic rei ſummum ſtudium adhibui: non deerunt tamen uel qui fortaſſe adhuc ſagacius indagent, uel qui materiam latiùs pertractent, nec ideo minùs præclarè mecum actum iri putauero. Videbor enim cùm primus auſus fuerim glaciem frangere, etiam ex poſterorum ſcriptis gloriæ partem iure meo quodam modo mihi uendicare poſſe. Tu interim læta fronte cape qualecunq; eſt munus. Dei uerò optimi maximi exemplo, nó id ipſum, quod quidem rei æſtimatione paruum eſt: ſed amoris mei erga te magnitudine, & animi propenſione metiaris uelim. Benè uale.

ALFON-

ALFONSI FERRII NEAPOLITANI, ARTIVM ET MEDICINAE DOCTORIS,

De Sclopetorum ſiue Archibuſorum vulneribus *LIBER PRIMVS.*

PROOEMIVM.

VVLNERVM, QVAE SCLOPETIS SIVE ARchibuſis inferuntur, nulli ueterum meminiſſe potuêre: quando hoc malum recens eſt inuentum. Recentiores uerò medici quibus id curæ eſſe debuit, inſueti fortaſſe uulneris atrocitate deterriti, uel ex toto rem ſilentio præterierunt, uel certè admodum pauca, atque ea à uera medendi ratione aberrantia, pace eorum dixerim, attigerunt. Ab exiccantibus enim & ſanguinem ſupprimentibus curationis ſuæ initium accipiunt: nulla habita ratione morborum inter ſe diſtantium, atque eorum quæ illis ſunt innexa. Quamobrem nos, ut ſaluti hominum pro uirili parte noſtra conſulamus, ac chirurgicæ medicinæ ſtudioſos quantum in nobis eſt, iuuemus, non ab re fore duximus, haſce noſtras lucubrationes in lucem proferre, quæ ſunt diuiſæ in libellos treis. In quorum primo, de ea ipſa re medica, ac diligenti ſpeculatione, necnon ualidiſsimis, niſi fallor, rationibus diſputauimus. In altero curationes, & remedia, quæ multo ſtudio, ſumma diligentia, longóque uſu, & domi, & belli, uera eſſe cognouimus, propoſuimus. In tertio, atque extremo, de interioribus uulneribus ſtudioſe præcepimus. Quæ, ſi diligentius, uti par eſt, Medici fuerint executi, & ægrotantium ſanitati rectè proſpexerint, & ſibiipſi laudem non mediocrem comparabunt.

Quid ſit vulnus per Sclopetum, ſiue Archibuſum illatum. CAP. I.

VVLNVS Sclopeto, ſiue Archibuſo factum multiplex eſt morbi genus, multiplexque continui ſolutio, nó carens ueneno. Multiplex morbi genus eſſe propterea dicitur, quòd in eo uulnere aduſtio, contuſio, attritio, fractura, uenenum eſt: Quorum quilibet per ſe genus morbi efficit, atque in ſuas ſpecies diducitur.

Quid per aduſtionem hoc genere vulneris ſit intelligendum. CAP. II.

ADVSTIO in hoc genere uulneris ſolutio continui eſt, facta ab inſtrumento igne calefacto, afferente dolores, punctiones, puſtulas, cruſtas, caliditatem, attractionem in id membrum in quo fit: quæ in ſuas ſpecies diuiditur pro diuerſitate membrorum, in quibus fieri contingit, ut puta, ſi membrum neruoſum ſit, exangue, oſſeum, carnoſum, nobile, uel ignobile. Ac tales quidē aduſtiones, ſeu debiles ſint, ſeu uehementiores cum membri particulā ſuapte natura deſtruant, quartū caliditatis gradū attingere uidentur. Quamobrē, ut Raſ. inquit, exaſperatur uehementer aduſtionis locus, ita ut eò profluant humores, qui quoniā ab aduſtionis cruſta prohibentur, ne diſſolui poſsint, membrum corruptioni, & putrefactioni parant. Lib. 27. cont. cap. 3. tract. 2.

Quæ ſit membri aduſti curatio. CAP. III.

HOC autem morbi genus curatur ab Auic. duplici ratione, una aduſti membri puſtulas prohibente refrigerãtibus medicamentis,& illis quidem non mordicantibus,altera uerò aduſtam particulam detergentibus corrigẽte, cum exiccatione quadã temperata ſine mordicatione,uerùm quia in hoc uulneris genere,atq; hac aduſtionis ſpecie,quę artificiali puluere fit,partes aliæ uulnerati membri ſunt actu,aliæ non actu,ſed potentia aduſtæ & malè affectę,propterea medicamenta miſta eſſe debent,uti moderata refrigeratione puſtulas prohibeant,tum deſiccantibus,ac modicè calefacientibus,detergentibusq; aduſtionis curationem perficiamus,quo partes affectæ non minus corrigantur,quàm aduſtæ curentur. Ratio autem, quamob-
1. Probl. problemat. 56. rem calidum, ac detergens medicamentum cõueniat,ab Ariſt. aſsignatur,quoniam illud ab igne colliquatum abſumit, exiccátque, atque ita ſanat. Calidum etenim,ut ille ipſe docet,eſt quod aliquando ambuſta facit,exiccando tollit.

Sclopeti, vel Archibuſi puluerem venenoſum eſſe, & in quo genere veneni reponatur. CAP. IIII.

DICITVR præterea huiuſcemodi uulnus non carere ueneno,quod per puluerẽ uenenoſum,ſeu uirulentũ globulum eſt illatum: quòd ita eſſe ex eius compoſitione oſtenditur.Conſtat enim, ut fieri conſueuit,uel ex nitri partibus decem, & una ſulphuris: uel ex ſulphuris partibus duabus, ac totidem colurni carbonis, uel ſaligni. Sulphur autem, ut Auicenna aſſerit,calidum,& ſiccum eſt ad quartum gradum cum attractione, atque attenuatione. Nitrum uerò, quòd bauracti armenum ab eodem dicitur, calidum & ſiccum eſt in fine ſecundi, ad tertium tamen eius ſiccitate urgente: quod quidem uehementer abſtergit, excoriat, incidit: quamuis cum axungia ſuilla ſuperpoſitum canis morſui remedio ſit ſalutari. Corylus autem frigidæ, & ſiccæ naturæ eſt gradu primo, licet eius fructus paululum inclinet ad caliditatem. At ſalici frigida, & ſicca uis eſt, cum moderata (ut ita loquar) ſtipticitate, cinis autem eius uehementer exiccat. E quibus conſtat puluerem quartum caliditatis gradum obtinere: propter eorum uim ex quibus conficitur,atque eò (ut diximus) uenenatum eſſe. Argumento etiam ſunt eius artifices, qui confectionis, ſiue præparationis tempore ab acribus abſtinent: ut ſunt allia, ut cepe, ut acetum, ac cætera generis eiuſdem. Experimento etenim,& ſi cauſam ignorent, ea ſibi obeſſe cognouerunt. Aperiendi enim uis & incidendi, tum prædictorum ciborum acrimonia efficit, ut pulueris malignitas ad cordis intima,& membrorũ principalium penetret: Quamobrem commonet eos Auic. quibus à ueneno timendum eſt, ut ab acribus cibarijs,ſalſi, acutis,aromaticiſque abſtineant. Talia enim ueneni ſaporem & occultant, & frangunt, penetraréque cogunt. Sed cum ipſi artifices fateantur ſe, tum cribrando, tum conterendo, nonnihil pulueris haurire,deglutiréque, nemini dubium eſt, ſi alijs cibis utantur, illum non modò eos non uexare, ſed ne moleſtare quidem. Cauſa eſt,quòd ad uenas non tendit,uel eis non officit uenenata uis, utpote qui huiuſcemodi ueneno aſſueuerint. Ex frequentatis enim actibus talis prouenit habitus,ut quod in puluere ueneni eſt, ijs obeſſe non poſsit, quando ab aſſuetis, ut Philoſophi perhibent, neque actio, neque paſsio fiat, quod
Simp. 3. ca. 17. & probat Galenus de muliere, quæ fuerat Napello, ut uulgò appellant, nutrita, uerumenimuerò in quo ueneni genere puluis iſtiuſmodi reponendus ſit, rem altius aliquanto repetentes iamiam oſtendemus. Venenorum itaque (ut peritiores nouére) alia ſunt intrinſecus aſſumpta, quæ uel in cibo, uel in potu, uel

in

in medicamentis præbentur, proculdubio perniciosa ſunt, de quibus quidem authores non pauci, tum ad eorum cognoſcendam uim, tum etiam ad curationem plurima tradiderunt. Alia, quæ extrinſecus lædant, ut Baſiliſci, ut Aſpidis, ut uiperæ, è quibus unus uiſu ſibiloq;, altera ſaliua. Tertia morſu hominem occidit, de quibus plura dicere in præſenti omittimus, cum ad inſtitutum hoc opus haudquaquam pertineant. Eſt & aliud uenenorum genus, quo noſter potiſsimum ſermo dirigitur, quod tactu uulnerando perimit, ut ſunt omnia armorum genera: aliter, aliterq; uenenata, quæ ſolutionem extrinſecus faciunt, cum manifeſta, tum occulta ui, ut recitat Auic. de milite, qui ex lanceæ cõtactu: quã 64. cap. 22. ſerpentem occiderat, mortẽ obijt: cuius primũ manus, deinde uniuerſum corpus emortuum eſt: quod quidem an latenti, ac propria quadam uirtute, an euidenti cauſa factum ſit: cum ueneni ſit proprium altero ex his duobus modis nocere, manifeſtum eſt uenenatam uim per poros ad interiores meatus, & ue- 6. 4. Tract. 2. cap. 2. nas, arteriásque, & tendines penetrare, per quas quidem, ceu per quoſdam riuulos ad nobiliora membra defertur, aliud poſt aliud inficiendo, ab eáque parte ſumpto initio quæ primo contactu læſa eſt, donec ad ipſum cor, uti ad membrorum omnium nobilisſimum peruenerit: cuius quidem rei cauſa arteriç ſunt, utpote quæ ſua dilatatione ſemper attrahant quicquid eis offeratur. Cuiuſque autem ueneni proprium eſt petere cor: quamuis per exiguas uires habeat, quoniam præ cæteris membris cordi aduerſatur, tum illud feſtinanter appetens, quicquid inuenit, deſtruit, tum ſanguinem, tum ſpiritum inficit. Multa itaque magis, ſi magna uis ueneni ſit, uehementer agit, extenditúrque ad extrema, inde ad cor, miro quodam artificio. Spiritus enim ſentiens ueneni aduerſantem uim, ad cor, tanquam ad ſuum principium, arcémque contrahitur: uerùm, quò magis uitalis ſpiritus in præcordijs coartatur, ſuum contrarium fugiens, eò magis illum uenenum perſequitur. Quapropter ea membra, per quæ tranſitum facit, priuantur ſpiritu, & calore quibus reguntur. Quod quidem fit, quoniam agens omni patienti ſuo præſtantius eſt. Venenum enim in corpore & membro, cui adhæſerit, agens eſt corpus, uel membrum patiens. Hinc fit, ut membri humiditas corrumpatur, putreſcat, atque extinguatur paſsim animalis, & naturalis uirtus: cum ad cerebrum perturbandum, & ad iecur peruenit uenenata uis, à quibus in omnia corporis membra diffundatur. Quoniam autem uitalis, naturalis, atque animalis ſpiritus ueneni malignitate uitiati ſunt, & diſtribuendi ad omnia membra, ad ſuas exercendas actiones, facilè eſt, ut ea omnia ab his inficiantur. Sed nunquid pulueris uenenata uis loca quædam propria habeat, ac ſpecialia, quæ poſt cordis læſionem offendat, ut de Lepore marino traditur, cuius ueneno ubi cor læſum eſt, ſuapte natura pulmonem petit, & de cantharidibus, quæ, ut idem læſerunt, urinæ inſtrumenta magnoperè infeſtant? Mihi quidem uidetur, non eam eſſe huius pulueris proprietatem, quæ ubi cor inuaſerit, membra ulla ſpecialiter lædat, ſed indifferenter cuncta. Cum enim calidæ naturæ ſit, quarto gradu, ut ex ſimplicibus colligitur, è quibus fit: & cum proprium calidi ueneni ſit celeriter agere, ideò calidum uenenũ, modò ſint cætera paria, & citius quàm frigidũ, uel humidũ, uel ſic cum contendit ad cor, quam caliditatem mirabilem uocat Auerroës, nec ab re quidem: quoniam quanquã uenenum exiguum ſit, breui tamen interuallo temporis mirabilẽ producit effectum mortificandi ſcilicet atq; interficiendi: tum qua id, & ſi calidum ſit, difficilis tamen concoctionis eſt, ac diutius moratur uenenata eius uis, ita ut celerius penetret, occiſionem, quàm nutritionem præueniens. Is autem puluis non ab re uenenoſus dici poteſt, propter eius facultates, quæ cum proprietates, & natura miſti cõiunguntur. Subſtãtia enim eius tenuis, & uelocitas maiorẽ illi addit penetrationẽ, uehementioréq;: Augetur etiã à motu, qui maioris caliditatis cauſa eſt. Ignẽ enĩ igni ſi addas, furere illũ neceſſe eſt.

Extrinſecum itaque id inſtrumenti artificium uelocitatem quandam, & ſubti-
litatem, penetrationemq; auget in miſto. E quibus ſanè cõſtat puluerem huiuſ-
cemodi non carere ueneno, tam ex natura ſimplicium, quàm artificij, addentis
calcar (ut dicitur) equo currenti. Venenatum itaq; medicamentum hoc calidũ
habitum malũ induxerit principalibus membris, & illi, quod læſum eſt, putre-
factionem, mordicationem, roſionem, ulcerationem, corruptionẽq; parabit.
9. Simp. Cap. 20. & 21. Quæ quidẽ omnia calidi ueneni propria ſunt. Impreſsiones aũt hę, ſiue acciden
tia maiora, uel minora ſunt, intenſa uel remiſſa pro diſpoſitione agentis in pati-
De Feb. peſt. ens: agens enim cum peruenit (ut ſcribit Auic. nec patienti eſt præparatio, non
prouenit actio neq; paſsio: quod & Gal. ſentire uidetur. Actus enim (inquit) a-
ctiuorũ fiunt in patiente diſpoſitio. Illęc autem diſpoſitio agentis in paſſum, uel
contrà, conſideranda eſt Medico rationali propter uelocitatem actionum ſui
effectus (ut dictum eſt) atque ex malo patientis habitu. quorum uſu obſtructis
& ueluti carcere incluſis uenenis in membro patiente, longa mora & iuncta u-
ſu aſtringentium ui ueneni & propulſa penitius, multò acrius & uelocius agũt,
quæ cum non remouet extemplò non deſinit eius malignitas inducere prauas
qualitates, & effectus, qui corrigi nõ poſſunt. quare meritò (ut Auic. inquit) pu
trefaciens, quanto diutius remanet in corpore uel mẽbro tantò eius effectus de
terior eſt. Quapropter ſi malignitati extrinſecæ uulnerati mẽbri tẽpeſtiuè ſuc-
curratur, ſuo bezo artico (ut uocãt) medicamẽto minus læduntur interna mem
bra, minusq; ab eorũ ueneno timendũ eſt. quamobrẽ rectè inquit Gal. uenena-
tas medicinas nõ interficere, niſi longo poſt tẽpore, quandoquidẽ ad plura ex-
tenduntur loca ueneni uires, atq; ita uehemẽtius agũt propter longã morã: quæ
omnia tollũtur, ſi corrigentibus, ac defendentibus medicamentis ueneno, ſeu
uenenatæ parti extrinſecus, uel intrinſecus occurratur; membraq; à mala uene-
ni impreſsione defendantur, ita ut longo tẽpore repercuſſa debilitentur, refrin-
ganturq; eorũ actiones. Talis enim uenenata uis contactu agens manifeſtã im-
primit læſionem. Non æquè tamẽ (ut mea fert opinio) ueneni tantũ puluis hic
habet, quantum ea medicamenta, quibus & ſagitta, & reliqua telorum, uel ar-
morum genera tinguntur in ſolutis continuitatibus ſanguinem congelando,
quanquam poteſt & is puluis congelare præter cæteras læſiones, licet calidus
Can. 2. tract. 2. Cap. 3. natura ſit: quoniam (ut ex Gal. authoritate Auic. aſſerere uidetur) caliditas con
Veneni proprium. gelat ſiccitatem: quemadmodum frigiditas ſpiſsitudinẽ. Proprium enim uene-
ni eſt, ſanguinem, cum à calore afficitur, congelare. Immodica item uenenoſi ſic
citas ſanguinem cordis humorem conſumendo, interficere poterit: aut partẽ
à parte ſeparando, donec fiat maxima ſolutio interna, & non minus cruſtoſa,
ac ſi externa apparet: ueluti calx, nitrum, ſulphur, ac cætera generis eiuſdem,
quæ ſua ingenti ſiccitate interimere poſſunt. Hæc autem ſiccitatis uenenata uis
ab incendio, & fulgureo (ut ita dicam) motu, quo uires uenenoſæ augentur,
incrementum accipit maximum. Illa enim, quæ à fulgure percuſſa ſunt anima-
lia, & extincta, uenenata ſunt, ſi qui ueſcantur: nec minus interficere poſ-
ſunt, quàm rabidum animal morſu, tactúque. Sed quo tum gradum ueneni
habeat hic puluis, ſiue à tota ſimplicium compoſitione, è qua prouenit for-
ma quam ſpecificam dicimus, non autem quia calidus, neque ſiccus, ſed quia
talis ſit, ſeu uis ab ea euidentibus facultatibus prodeat (ut dictum eſt) ignora-
Fen. 2. lib. 1. doct. 2. ſumma 1. cap. 15. tur, perpetuóque (ut ego exiſtimo) ignorabitur, ut aſſerere Auicenna uidetur.
De hac enim definita menſura experienti Medico, atque erudito multum tri-
In proœ. met. buitur, & illi quidem potius fidendum, quàm rationali tantum (ut Ariſtot. in-
quit) ſed ego quidem arbitror inter uenenorum letalia genera, quibus tela ſiue
arma inficiũtur, pulueris iſtiuſmodi uenenum remiſsius eſſe: & quamuis ab eo
illata accidentia ſimpliciter interimere poſſe non uideatur, ueruntamen quan-
tumuis exigua ſit uenenata uis, eius habendã eſſerationẽ cenſeo, nec à Medico.

pro

pro ægri ſalute negligendam: cum eius naturæ ſit infeſtare, uel interficere, ſi diutius ſine remedio immoretur. Venenum enim medicamentum eſt corporis habitudinem corrumpens, non modò ſuapte aduerſanti atque euidenti, ſed occulta quadam ui, ut Auicennæ placet.

Cuius facultatis bezoarticum medicamentum curationis initio ſit eligendum. CAP. V.

PRAVVM me herculè, uulneris hoc genus eſt, ad hominũ uitæ inſidias compertum, necemq́ acerbam inferendam: à quo ſanè uel pauci euadunt: uel qui liberantur, claudi, fiſtuloſi, attracti fiunt. Quorũ gratia hunc laborẽ ſuſcepimus, ac ne imperitis Medicis hoc uulneris genere amplius aberrare liceat: qui ſine ullo diſcrimine in prima curatione oui albo utũtur, uelut in quolibet ſimplici uulnere & carnoſo fieri cõſueuit, nulla ratione, uel authoritate permoti. Præcipit enim Gal. cauendũ eſſe, ne quis Medicorũ, uenenatorum animaliũ morſus, ictusq́ initio illati uulneris aſtringentibus medicamẽtis curare tentet: quinimò uehemẽtes attrahentibus, calefacientibusq́. Quã rectè itaq́ Meſuæ filius ſtudiũ (inquit) tuũ principio ſit in uulnere laxando extrahendoq́ ueneno, antequã toto corpore diffundatur. Ac per principium, diem ſecundum, uel tertium ab inflicto uulnere intelligit: quando poſt quartũ diem, uenenũ totum corpus occupauit. Paulus item medicamenta corrodentia prima curatione apponenda iuſsit, exinde butyrum leniendi gratia, & oras adultas emolliendi. Quo etiã genere medicamenti uſus eſt Auicenna. Ait enim fortè tibi neceſſe erit ut medicinis corrodentibus utare, proinde butyrũ adhibere, quantũ uerò differant rodentiũ medicamentorũ facultates ab oui albi natura, nemo eſt qui dubitet. Differũt enim, ut albũ à nigro, ut lux à tenebris. Oui ſiquidem album compeſcendo ac refrigerando reſolutionemq́ ueneni extrinſeca prohibendo, quin etiam uiſcola & glutinoſa ſua ſubſtantia poros extrinſecus claudendo ad interiora, uenenum, ſi quod eſt, penetrare cogit. Corrodentium aũt & calfacientium medicaminũ, eſt euocare, aperire, extrahereq́ nõ modò uenenum, ſed & ſanguinem, ſuperfluosq́ infectos humores ex toto auellere: ne membra ipſa interna à ueneno infici poſsint, ſed quæ uulnerata ſunt, omni ſuſpitione ueneni liberentur. Quamobrẽ iure Raſ. Simeonis authoritate aſ- Cap. 2. Tract.
ſerere uidetur, ut primum emplaſtris, cucurbitulis, ſcarificationibusq́ uenenũ 2. lib. 15. con
extrahatur. Serap. item locũ exugi, ſcarificariq́ iubet, & cucurbitulas admoueri, uti uenenum ui eximatur. Quòd ſi remedia hæc minimè conferre uideantur, membrum abſcindendum eſſe. Quam ob cauſam ne id efficere cogatur Medicus, præcipit Phil. ut uenenatum uulnus ferramento initio aduratur: quæ res & ægrum liberat, & uenenum altius penetrare non ſinit. Vnde non iniuria aſſerit Auic. nullum attrahentiũ medicamentorum æquipollere cauterio. Abſtineant itaq́ obſecro, imperitiores Chirurgici ab hoc prauo medendi uſu. ſ. curationis initio, oui album, atq́ id genus cętera ſubminiſtrare, ne carnifices magis, atq́ hominum uitæ inſidiatores, quàm Medici eſſe uideantur, maioremq́ lethi cauſam ægris præbeant, quàm ij, à quibus uulnera acceperunt.

Quid per contuſionem hoc genere vulneris ſit intelligendum. CAP. VI.

PROPRIVM quidẽ iſtiuſmodi uulneris eſt, contuſione non carere, in carne contritione, ſiue attritione in neruo, fractura in oſſe, ob inſtrumenti cõtundentis naturã, quod ſua uiolentia obtuſaq́ duritia ſoluit ac deſtruit quicquid ſibi obuiũ eſt. Tum quęlibet iſtarũ multiplex cõtinui ſolutio dicitur, auth. Auic. quæ ſanè cauſa eſt, ut eo loco abſceſſus

fiat ac putreſcat membrum, quod contuſum, attritum uel contritum eſt. Ac ea rum quælibet conſideratur, uel prout eſt in euidenti uulnere, hoc eſt ea parte, qua ſoluta cõtinuitas eſt, aut ubi nõ ſit manifeſta ſolutio, id eſt procul à centro ſoluti continui. Hæc quidem animaduertenda eſt in membris intrinſecis ac no bilibus, aut in extrinſecis, minusq; principalibus. Affunditur enim ad partem contuſam, ſiue contritam ſanguis plurimus, non modò propter multiplicem ſolutionis continuitatem, uenarum, arteriarum homoroſagiam, uerùm etiam propter dolorem loci attriti, uel contuſi: qui dolor à membris adiacentibus eo attractionis cauſa eſt. Quapropter meritò affunditur ſanguis plurimus, id eſt, humorum copia, & in membro abſceſſus fit, qui quidem poros condenſat, reſolutioq; congeſtæ rei plerunque prohibetur. Proprium etenim contuſionis eſt abſceſſum fieri, & abſceſſus membrum implere, meatusq; obſtruere, ac ſolu tionem prohibere. Quamobrem iure Hippocrates, ſanguis cùm effuderit (inquit) in membro aliquo, præter naturam ipſum putrefieri neceſſe eſt, ac ſi extra

3. de curandis morbis. proprium locum exiſtere uideatur, atque à regimine naturæ ſit derelictus. Gale nus item aſſerit, omne contuſum neceſſariò putreſcere, atque in ſaniem uerti, ſi præcipuè ſanguinis contuſi ſolutio non acceleretur. Atq; hoc ipſum eſt, quod

4. 4. tract. 5. cap 5. ait Auic. niſi contuſionis ſoluentibus medicamẽtis opportunè ſuccurras, mem brum perducitur ad corruptionem. Quare in omni uulnere, ubi quaſſatio, attritio, & contuſio fit, prius habenda ratio eſt, & curatio contuſionis, & quaſſationis. Non enim ſunt induciæ ab hoc morbi genere (ut inquit Galenus) immò propter coaceruati ſanguinis putrefactionem corruptionemq;, membrũ quàm ocyſsimè cancerena occupatur. Quare acceleranda eſt eius curatio, & putrefactioni occurrendum.

Quæ curatio contuſioni conueniat. CAP. VII.

PRAETER cætera morbi huius remedia, illud præcipuum eſt, cum magna contuſio altaq; fuerit, ſiue carnoſo ſiue neruoſo membro, tum ſanguis plurimus coaceruatus, ſiue coaceruandus eſt, parteſq; adiacentes, & uulneris oræ (ut aſſolet) laceratæ ſunt. Tunc impoſsibilis eſt reſolutio: & partium adiacentium unio per oui album, ac cætera quibus continuitates uniuntur. Quinimò emollientibus, digerentibus, & ſangui-

4. 4. tract. 2. cap 2. nem euocantibus utendum eſt: atque illud eſt (quod inquit Auic.) in attritione contuſioneq; non oportere adminiſtrationem fieri cum reductione continuitatis inciſorum carnis, uillorum, ac tendinum, cum ipſorum conſolidatione. Quoniam in eo attritionis, & conſolidationis genere, ſuapte natura conſolida tioni repugnat. Sanguis enim putrefactus, caro, neruiq; dilaniati præſentẽ conſolidationem non admittunt, quinimò quæ ſedant dolorem, ut quæ leniter molliunt reſoluuntq;, contraria ſunt conſolidationi. In ipſa igitur ſoluta continuitate, ubi attritio, contuſio, uel contritio fit, prima curatione huiuſmodi aſtringentia, & compeſcentia, fluoremq; prohibentia nullo modo adminiſtranda ſunt, ſed uehementer mollientia maturantiaq;, ut præcipit Galen. carnem inquit compreſſam, uel abſciſſam, uel tendinem medicare, ut ſuppurabilis fiat, quoniam ita minus inflammat, neceſſarium etenim eſt compreſſam carnem: uel abſciſſam, uel aliquo modo affectam, ſeu putrefactam liquefacere: ut proinde noua gigni poſsit. Quin etiam ſi contuſio alta, magnaq; fuerit, atque hæc leuiter reſoluentia digerentiaq; conferre non uideantur, præcipit ut omnium attra hentium genere profunda materia extrahatur, ut cucurbitulis, quæ id morbi plurimum leuant, à Medicisq; inuentæ ſunt, ut humores educant, qui difficilè extrahuntur. Cum hoc etiam pręſentaneo remedio ſunt ſcarificationes, ut aper

4. 4. tract. 2. cap. 2. tè putridus, ac pernicioſus ſanguis (ut iubet Auic.) euacuetur. In alta enim contuſione

tuſione nulla reſolutionis ſpes eſt,ab ijs,quæ id lentè faciant,uel leniter molliãt. Hęc præparatio in eo morbo neceſſaria eſt,ne prius membrum putreſcat,quàm contuſio reſoluatur.

Quid ſit fractura, & quæ eius ſpecies huic vulneris generi frequenter accidat. Caput VIII.

FRACTVRA eſt(ut ſcribit Gal.)continuitatis partiũ oſsis ſolutio facta ab re contundente, ab inſtrumento quaſſante, uel conterente: quæ plures ſpecies complectitur (ut inquit Auicenna.) Quædam enim æqualis fractura dicitur, quæ ſanè illa eſt, quando os ita tranſuerſum frangitur, ut nullum prorſus fruſtillum ab eo ſeparetur. Quædam ſciſſuralis, cùm in longitudinem rumpitur ſeu ſcinditur, manifeſteꝗ aperitur. Quædam fruſtralis cum ita frangitur, cuntunditurꝗ, ut fruſtula manifeſto ſeparentur, uel contrà, ſiue unum ſit, ſiue plura, ſiue magna, ſiue parua. Quæ ſanè fracturæ ſpecies in hoc uulneris genus frequentiſsimè accidit. Tanta enim fit oſsium, cartilaginumꝗ comminutio, ut uix ſenſu uel animo comprehendi poſsit. Nec ſolum in extrinſecis partibus, quæ tanguntur, uerumetiam in internis remotiſꝗ. Quapropter uſꝗ timenda eſt occulta, internaꝗ fractura. Tanta enim huiuſce inſtrumenti uis eſt, & potentia, ut omnia eius genera ex facili accidant: nec Medicorum quiſquam eſt, qui dubitet, cum manifeſtè ſoluta continuitate frequenter fieri, uel per rarò ſine manifeſto uulnere, quæ diuerſis modis coniectari poteſt, pro diuerſitate membri in quo facta eſt. Alio enim modo conſiderabitur, cum in capite, uel pectore, uel fœmore ægritudo ſit, uti(referente Albuc.)alibi dicem⁹. Quapropter ne mirentur ægri, ac Medici, ſi uulneris dolor uehemens ſequatur. Non enim leue periculum eſt, ſi ſaucius locus uehementer affligetet. Quare danda eſt opera (ut inquit Gale.) ut dolore & incommodo uitato, utriuſque commodo fruantur.

6. Method. Fen. 5. 4. Tract. 2. cap. 1. Lib. 3. cap. 2. Method. 6.

Quæ propria ſit fracturæ curatio, ac neceſſario conſideranda. Caput IX.

CVM Medicorum hoc morbi genere cura ſit ſoluta coniungere, ac conglutinare, qua in re primum, ne quid abſcedat, requiritur, tum propter cætera communia, quæ id præſtant, ac Chirurgicam Medendi rationem: quę neceſſaria eſt, ut diſiuncta coniungat, ſuoꝗ loco cuſtodiat, recentiores Medici, antiquioresꝗ medicamine ex roſaceo omphacino cum oui albo, ac cæteris ſimilibus uſi ſunt. Omne enim ſtudium eſt, ut dolor abijciatur, prohibeaturꝗ abſceſſus: ſubinde uerò ad membri cõſolidationem, atꝗ inſtaurationem, omnem curam transferunt. Sed ſi cum uulnere fractura fuerit, & uehemẽs attritio, ut de corroſione, & corruptione timendũ ſit, ſcarificandus locus eſt, ut ſanguis fluat, alioquin ne emoriatur membrum periculum eſt. Quãta uerò ſit oſsium, ac tendinum hoc peſsimo genere uulneris attritio, artis peritiores nouerunt, qui in eo ſtudium diligentiamꝗ adhibent: ne putrefactio fiat, factaꝗ arceatur.

Auicen. 5. 4. Tract. 2. cap. 2.

Quot ſint eius vulneris curandi rationes. Caput X.

VVLNERIS igitur huius, quo ad combuſtionem, duplex curatio eſt, una quæ aduſti membri puſtulas prohibeat leniter refrigerantibus: altera quæ locum emendat extergentibus ſine mordicatione. Quantum uerò ad uenenum attinet, uehementer attrahentibus, ac

calefacientibus utendum eſt,atque omne ſtudium in laxando uulnere eſt adhibendum, ut uenenum extrahi poſsit: & hoc quidem à principio,antequàm per uniuerſum corpus diffundatur. Contuſioni autem emollientibus, digerentibúſque, tum ſaniem educẽtibus occurſandum eſt. Huiuſmodi enim curatio neceſſaria eſt, ne prius membrum putreſcat, quàm contuſio ipſa reſoluatur. In fractura uerò diligentia omnis adhibenda eſt, ad dolorem ſedandum, abſceſſumq; prohibendum leniter refrigerantibus. Sed cum de corroſione, corruptioneq; propter fracturam metus eſt, ſcarificationibus eſt utendum, ut effluat ſanguis: uel corruptio tollatur aliquo ex uehementer detergentibus, ne membrum emoriatur. Quæ omnia, cum inter ſe pugnantia maximè ſint, non equidem uideo, quo pacto, ſolo oui albo curationis initio, tot exequi poſsint, uideant qui talia audent, nos uerò certò ſcimus, quæ nulla ratione fiant nullo modo fieri debere.

LIBRI PRIMI FINIS.

ALFONSI FERRII NEAPOLITANI ARTIVM ET MEDICINAE DOCTORIS,

DE Sclopetorum, ſiue Archibuſorum Vulneribus, Liber ſecundus.

PRAEFATIO.

AD COMPOSITORVM VVLNERVM curationes nunc deſcendendum eſt, quas tum communes, tum proprias proponemus pro rei neceſsitate, ac diuerſitate membri. Nec ſolùm in curandis uulneribus, ſed in his etiam, quæ interim ægro poſſunt accidere, ſtudium noſtrum poſuerimus, habita cuiuſque rei, quàm diligentiſsimè fieri poterit, ratione.

Qui ſit in compoſitis vulneribus curandis tenendus modus. Caput primum.

Vulnerũ quæ Sclopet s infe runtur duplex curandı ratıo.

COMPOSITORVM itaque uulnerum, quæ bellicis fulminibus inferuntur, ut Sclopetis, ut Archibuſis, curationis duplex eſt ratio, altera in intentione, altera in executione poſita, quam nos partem præcipuè proſequemur. Cuius quidem eſt omnibus affectionibus ſubuenire, atque ijs potiſsimum, quæ maioris eſſe momenti uideantur. Leuia enim uulnera, & quæ in ſumma cute fiunt, ſublata uirulenti pulueris malignitate aliquibus ex ijs medicamentis, quæ proponemus, uel nullo negocio curabuntur, ut ſimplicia Vulnera. Quamobrem non eſt, cur de illis multa præcipiamus. In ea igitur quæ grauiora fuerint, enixius incumbemus, utpote quibus fractura, attritio, contuſio aſſociata eſt. Quod ut ratione fiat, hæ potiſsimum regulæ, ſiue

canones

canones(ut Medici loquuntur) ſunt obſeruandi. Quorum primus eſt, ut plumbea pilula, & quicquid ſecum forte in uulnus intulerit, inquiratur, extrahatúrque manu (ſi fieri poſsit) ita diligenter, ne quid alienum intus remaneat. Secundus, ut inſtrumenta ita pręparétur ut quàm facillimè pila extrahatur. Tertius ut ueneno ſuis medicamentis occurratur. Quartus, ut attritione opituletur, ne nimia contuſio, atque attritio membri corruptionem accederet. Quintus ut comminuta oſſa ita eximantur, ne fruſtillum quidem carne ſeparatum nudatúmque relinquatur. Sextus, ut oſſa quæ cum carne & tendinibus coniuncta fuerint æquentur hoc pacto, itaque ſuis ſedibus reponantur, ut membrum ſine dolore conquieſcat. Septimus, ut à futuro abſceſſu defendatur. Octauus, ac poſtremus, ut uulnus ipſum per omnes ſuos gradus, & quicquid interim ex eo acciderit, quàm diligentiſsimè curetur.

Canones obſeruãdi in uulneribus quæ ſclopetis inferuntur, curandis.

Quæ ad primum, & quintum canonem obſeruandum pertineant.
Caput II.

IGITVR ut primus & quintus canon diligenter obſeruetur: cum primùm ad ægrum Medicus acceſſerit, digitum indicem in uulnus immittat, ut de eſſentia ac natura eius certior fiat, átque interim oſsium fragmenta, ſi qua inuenerit, extrahat: ſed quæ carne ſeparata ſint, ut ſuprà eſt dictum. Nulláque ſit inſtaurandi ſpes. Proinde diligentiori attrectatione membri, pila digito uel ſpecillo inquiratur, extrahatúrque, ſi commodè fieri poſsit. Sed quàm diligentiſsimè aduertendum eſt, ne in ea inquirenda decipiamur, ut perfacile eſt. Tanta enim ui ex fulmineo quodam motu ferit, ut per multos, ac diuerſos anfractus uulnus ipſum tortuoſum infligat, nonnulláque ſecum alia perferre ſoleat, ut loricæ partes, uel cæterorum armorum, ut ueſtimentorum fragmenta, atque alia, quibus poſtea locus, uel breui temporis ſpacio tam malè afficitur, ut intumeſcat illico, abſcedátque: nonnullæque fiant membranarum muſculorúmque, ac cæterorum ſimilium diſſolutiones. Quapropter qui pertenui ſpecillo utuntur (ut uulgò fieri conſueuit) quàm facillimè fallantur neceſſe eſt: aberrat enim illud per facilè ex ſua tenuitate huc atque illuc inter muſculos, inter membranas, inter atque intra uenas, atque arterias, atque oſſa, atque alia, qua pila perſæpe minus tranſitum fecit. Quam ob cauſam ſeſe forte aliquando inueniſſe exiſtimantes, à contraria parte non neceſſariò incidunt. Vnde nec pila ipſa, nec oſſa, nec ſanies, nec res ullá alia principalis uulneris exire poſsit. Quare ne amplius in re tam neceſſaria Medicis errandum ſit, né ue ægri ſine cauſa tam miſerè torqueantur Specillum noſtra cura inuentum, quòd ex re annulatum appellare libuit, ſanè quàm commodiſsimum (ut oſtendetur infrà) ſi placeat, ſibi utendum habeant.

De Annulato ſpecillo, atque Alfonſino inſtrumento, ac gruino roſtro.
Caput III.

FIAT itaque ſpecillum ex argentea uirgula teretis craſsitudine paulò minori quàm ſclopetaria ſiue archibuſina pila: longitudine uerò duorum ferè dodrantium, ut ex breuitate eius chirurgicum opus non impediatur uſquàm, ſed ſit diuiſum in partes duas, ut commodiùs feratur, quæ ſanè partes tornatili uite (ut appellant) inter ſe committantur, cuius inſtrumenti alterum extremum exigui ciceris inſtar pilula ſit, cum

SPECILLVM ANNVLARE.

foramine,ut fit in acu, per quod flammula (ut appellant) immiſſa linamenti loco (ut fit) relinqui poſsit in uulnere. Alterum uerò extremum in annulum tam grandem deſinat, ut pilam commodè capiat. Sed annuli circulus ſuperne rotundus, infernè labijs ſit aliquantum in ſe reflexis, ita ut mordicus quodammodo pilam apprehendat, apprehenſámque retineat hoc inſtrumento pilulas, uel à profundiſsimis iuncturarum locis, ac potiſsimùm thoracis, uel inferioris uentris, in quibus uel nulla alia inſtrumenta conueniunt, facillimè extrahimus, cuius hæc eſt figura.




QVOD ſi uulneratus locus ſinuoſus ſit, ita ut ſanies, uel cruor liberè non poſsit efflui, nec ob id pilula indagari, ſpecillum idem fabricetur ex plumbo, uel ex aliquo lento, ac flexibili metallo, ut pro arbitrio Medici flectatur, atque eo facilè in quemlibet ſinum poſsit intromitti, & uerſari flammula, & humores emitti, & pilula explorari, ſed extrahēdis pilis longè aptiſsimum eſt Alfonſinum inſtrumentum, quod, quia noſtrum inuentum eſt, ita appellare placuit, id uirga ferrea teres eſt, quanta annularium ſpecillum longitudine, dodrantium ſcilicet fermè duorum, & ſclopetariæ pilulæ craſsitudine, ab altera extrema parte, ueluti à radice, ſolido relicto quantum manu commodè teneri poſsit, treis fiſſa in ramulos aperiatur, qui contrà: ſed annulo recurrente claudatur, ſi cuſpidem uerſus trahas, aperiatur: ſi contrà: ſed ut facilius pilas prehendat interior extremorum ramuſculorum pars, dentata ſit, & in omnibus cauſa, ſeu conuexa deuexa, molliter exteriora. Id tamen longius, breuiús ue, pro loci altitudine, in quo uti uolumus, fieri poteſt, atque hoc pacto figuratur.

Non

ALPHONSINVM.

NON inuoluendum tamen ſilentio eſt gruinum roſtrum (ut uocant) utpote quod & ipſum ad extrahendum inſtrumentum eſt excellentiſsimum, atque ab omnibus tum ueteribus, tum recentioribus commendatum: quo non ſolum pilulæ è difficillimis locis, ſed & alia, ut armorum, ut cæterarum rerum fruſtula extrahuntur. Huic nos, ut commodius manu, ac ualentius teneri poſsit, atque ita pilæ, ac cætera extranea in uulnere certius explorari annulos forpicularũ modo adijcimus, hoc pacto.



Quæ medicamenta extrinſecis Vulneribus conueniant curationis initio. Caput IIII.

IN magnis Sclopetorum, ſiue Archibuſorum uulneribus frequenter hæc apparere ſolent ſymptomata, ſyncope, uertigo, inſomnia, & plerumque febris, uel calor cum ſiti: affligitur æger, exæſtuat, inquietatur. Oculi præterea quandoque rubent, & facies, oritur ſudor, ſoluta continuitas liuet, uel nigreſcit, extemplò enim oræ fuſcatæ fiunt, & malè coloratæ, & caro languida. Quamobrem ad omnem ueneni uim tollendam, primùm alexiterium (id eſt proprium medicamentum) ut Galenus iubet, adhibendum eſt: id enim aut alterat, aut euacuat ex corpore, uel membro laborante, alterat ſiquidem aut una, aut duabus facultatibus, aut ſimul tota ipſius ſubſtantia, aut calore ſubtilium partium, & uenenum reſoluentium, ſiue penetrantium, aut ſimilitudine totius, quam habet cum re quæ euacuanda eſt, ut contritus ſcorpius, qui uenenum è ſcorpionis ictu optimè extrahit: ut ſuperiori libro dictum eſt. Itaque ſi frigidæ naturæ uenenum ſit, ſeu lethale ab excalefacientibus remedium petendum eſt, ſi calidum, à refrigerantibus, ſi humidum, ab exiccantibus,

5. de ſimplic medica. ca. 17

ſi aridum,ab humectantibus,uulneris ſi & humidum & frigidum ſit,ab exiccantibus,atque excalefacientibus,ſi calidum & humidum,ab humectantibus & refrigerantibus. Omne igitur mortiferum uenenum ab extrinſecus impoſitis medicamentis euacuatur.nempe aut calore ſuo attrahit,aut totius ſubſtantiæ compoſitæ ſimilitudine:oportet autem huius antidotum proportionatum eſſe corpori,cui medemur.Ipſum enim ſua calida ui corpori aduerſatur,uelut & lethale uenenum.Quare in omnibus extrinſecis uulneribus ſimplicibus, tam carnoſis, quàm neruoſis,ſiue cõpoſitis intercutaneis,etiam læſis tendinibus,oſsibus,uenis remedium ſit ab illato uulnere ad uſque tertium,& quartum diem,quod habet capitelli ſelibram, ſolatri minoris cum ſemine, aut ſonchi uncias duas, aut ſcabioſæ,theriacæ ſemunciam,quæ commiſta in uitreo uaſe per uiginti dies fermententur in ſole,quo calido penna illinatur uulnus:ſic linamenta,quibus uulnus reformetur impleatúrque,ut moris eſt: quòd ſi aqua,uel aere, uel alio caſu, ut in bello præſertim facilè accidit: frigefactum fuerit,eodem medicamento,ſed feruenti utendum eſt, ut frigus, humorémque omnem attrahat,expellátque:ne putrefiat. alioquin futurum eſt, ut lethalia ſymptomata inducantur: cæterùm, quod Aegyptiacum medicamentum uocant, hiſce uulneribus remedium præſentaneum eſt.Id habet amarorum lupinorum,ac lenticularum decoctionis ſeſquilibram,aceti acerrimi libram,ſalis,aluminis,ſingulorum unciam, æruginis raſæ,ſeu uiridis æris (ut appellant) ſemunciam,mellis ſelibram, quæ ad olei craſsitudinem ferueant, theriacæ deinde ſemuncia adiecta, quibus commiſtis, utare ut ſuprà dictũ eſt.Huic medicamento plurimùm tribuunt peritiores artis: quãdo uim habet putredini obnoxia,putridáque facta deſtruendi,& quæ ſana ſunt, ne putreſcant,conſeruandi.Iuncturarũ aũt uulnera,& quę in ipſis extremis ſunt, ad quatuor digitos diſtantia,eodẽ modo curant̃ hoc medicamento,qđ fit ex uenetæ terebinthinæ olei abiegni,terenbinthinę deſtillatę,ſeu per uitreũ ſtillicidiũ (ut appellant)eliquatæ,Olei hyperici,ſingulorum uncijs duabus, æruginis raſæ parum combuſtæ,theriacæ,ſingulorum dimidia drachma,quæ commiſta in uitreo uaſe uiginti diebus habeantur in ſole: Olei præterea roſacei immaturi, & ſanbucini,& euphorbij,ſingulorum uncijs quatuor,æruginis combuſtæ drachmis duabus, quæ ſimul admiſta membris carnoſis, neruoſisq́ue remedio utiliſsimo ſunt,ſi eo uulnera repleantur,ut aſſolet:quòd ſi cætera defecerint, uinum album generoſum cum ſale ubi efferbuerit, calidum uulneribus remedium erit præſentaneum:quodlibet enim ex his medicamentis non modò ueneno medetur, ac manifeſtò extrahit, uerùm etiam & contuſioni : & attritioni opitulatur: earumq́ue corruptionibus præſentaneum remedium eſt. Hæc autem medicamenta quæ poſuimus omnibus alijs uulneribus,quæ tam morſu, quàm telo uenenato fiunt,auxiliabuntur,ſi eodem modo diligenter adhibeantur.

De Medicamentis in extrinſecis, atque ignobilibus membris ſanguinem ſupprimentibus.
CAPVT V.

QVONIAM in prima extrinſecorum uulnerum curatione ſanguis potiſsimùm ſupprimendus eſt,ne cum eo, qui theſaurus uitæ eſt,fugiat & uita,præter cętera medicamenta,quę ab alijs ponuntur,hi trochiſci,ſeu paſtilli in ea re mihi perſamiliares ſunt,utpote qui accómodatiſsimi eſſe uideantur:qui conſtant ex Hepaticæ aloës uncijs duabus, macræ uncijs quatuor,leporinorum pilorum minutatim conciſorum,uncia una,oui albo adiecto,qui ſanè fiant oblongi,rotundi,magni,parui,ut omnibus modis præſtò ſint,cùm uſus exegerit.his & cauſticã uim addideris,ſi ex his unciæ uni drachmam ſublimati adieceris,ut adurendi ſimul & aſtringendi (cum opus eſt) facultatem

ACVS FIGVRA.



tatem habeant,quibus omnibus ſcilicet tam cauſticam uim habentibus,quàm non habentibus, & tam ſolidis quàm redactis in puluerem, pro arbitrio tuo uti poteris: hoc eſt uenæ,uel arteriç inciſç cum linamentis ex xylo combuſto,uel ex linteolis, uel eorum linamentis combuſtis, uel ſtuppis ouo albo intinctis, uel non intinctis ſuperimponere: atque ita locum regida buccellatione(ut nunc loquimur)obſtruere:& ita pulullis cõprimere,ne qua ſanguis emanare poſsit. Reliquum autem uulnus bezaartico medicamento liniendum,curandúmque, ut dictum eſt.Quòd ſi hæc remedia ſanguine uincantur,ad uenę,uel arteriæ illaqueationem deueniendum eſt, quod hoc modo fit, ſit exempli gratia tranſuerſum uulnus in raſceta manus, tum ſupra eius iuncturam trib⁹,aut quaternis digitis uena, uel arteria acu deprehendenda eſt: Quæ ſanè acus ferrea ſit, longa ſemipalmum,tum retuſis lateribus quadrata,ne in tranſuendo intercidat,ac recta, niſi propè cuſpidem, qua parte falcatam,ac retortam ad baſis foramen eſſe oportet.

Ea itaque duplex filum ducente uena ſolum, ſiue arteria prehendatur. In quo plurimum iuuerit anotomica cognitio, dein de duobus hincinde fili capitibus puluinum plurima duplicatione conſtantem, ſeu plures alterum alteri impoſitos, ſupernè,ac ſtrictim,non nimio tamen cum dolore comprehendendum eſt,nec dimittendum uſquam dum uenæ, uel arteriæ conglutinationem factam exiſtimes,atque eo prohibitum ſanguinis profluuium,mox ad reliquam curationem properandum: ut dictum eſt,ac dicemus infrà.

Quæ medicamenta locis vulneri adiacentibus conueniant, à prima curatione ad ſecuritatem abſceſſus.

CAPVT VI.

VT igitur uulneri adiacentes partes fractæ, attritæ, contuſæque inſtaurentur: & à futuro abſceſſu prohibeantur, aſtricto ſanguine, informatóque uulnere, atque aliquo ex prædictis bezaartico collyrio curato, & linteolo duplicato ex eodem collyrio impoſito, tum fractis oſsibus,ſi qua ſunt, inſtauratis puluilli ex duplicatis linteolis longi, latíque pro quantitate membri,ex oui albo & roſaceo, uel uiolaceo,ęquis portionib⁹,ſimul agitatis infra ſupráque uulnus calidi,(etiã ęſtate)imponendi ſunt. Deinde ſtuppæ quadratæ, aceto & aqua roſacea madentes pari portione mox uehementer expreſſæ ex oui albo & roſaceo,ſiue uiolaceo, ut ſuprà eſt dictum,

ijs ſuperimponendæ ſunt ut in fracturarum curatione fieri conſueuit. Inde duabus faſcijs longis, latiſque ut membra exigunt, hinc, atque hinc deligandum eſt. Medium autem uulnus altera faſciola deligetur, poſteà uerò ferulæ ſtuppis inuolutæ ſuperimponatur, ſed ita, ut uulnus detectum remaneat, quò ſemel, aut bis in die, ſi opus ſit curari poſsit. Hæ autem ferulæ extremæ ita deligentur, ut dolorem ægro non moueant, neque ut ſoluantur, aut cadant, timendum ſit. Poſtremò faſciæ eiſdem locis ſuperligandæ ſunt, ac membrum ita collocandum, ut ſine dolore, ſine motu, ſine tremore conquieſcat. Quod commodius fit, aut canali, aut aliquo ex his inſtrumentis, quibus in fracturis curandis uti ſolemus. Hæc autem curatio in ſeptimum uſque diem perduret, niſi dolor prohibeat: eo enim caſu locus detegendus eſt, uel quotidie, ſi ſit opus, remedijsque ſuprapoſitis recreandus, atque his quæ dolorem leuant, ut dicemus infrà. Quapropter hoc te primùm Chirurge rogo, ne contrahas, aut demittas animum, né ue te obrui tanquam fluctu, ſic magnitudine laborioſi negocij ſinas. Ex his enim quæ prima curatione fiunt, ſi diligenter ſtrenuéque fiant, magna ex parte ſalus ægroti ſperanda eſt. Iccirco danda etiam opera eſt, ne miniſtros imperitos habeas, ut in tractandis affectis membris, uel toto ægri corpore munus ſuum rectè exequantur. Ne quid peccetur, ne quid committatur, quod cum dolore, uel moleſtia poſteà emendandum ſit. Qui miniſtri tamen ſi non ſint, tute ipſe ſine aliqua uulnerati membri motione medicamenta innouare, quæ ſunt impoſita, remouere, tum cætera quæ factu neceſſaria ſunt, exequi poteris, faſcias omneis, ac ligaturas ſuper uulnus recta linea incidas: & cum lenientia medicamenta adhibueris, acu ualentius filum trahēte, denuo conſuas. Quæ curatio in tertiū diem ſufficiat, ſi de ſanguinis profluuio minimè timendū eſt. Atq; ita ſextus Canon obſeruatus fuerit.

De digerentibus medicamentis, ac dolorem lenientibus: & quæ abſceſſum prohibeant. Caput VII.

VBI altera & tertia curatione bezarticum medicamentum impoſitum eſt, & curata adiacentia loca, atque aliquo oleo refrigerante illita, ut dicemus infrà: quarta, mox & quinta, hoc medicamento uulnus digerendum eſt, quod fit ex Venetæ terebinthinæ, uel Olei abiethini ſemuncia, uitello oui uno, recentis Butyri ſemuncia, quib⁹ commiſtis, & calidis locus perungendus eſt, & puluilli, & linamenta illinenda. Proinde Emplaſtrum Galeni ſuperponatur, cuius hęc eſt deſcriptio. Exempli cauſa, Argenti ſpumæ pondo minam, Olei ueteris ſquamæ æris rubri, Ceræ reſinæ frictæ ſingulorū pondo guttæ ammoniaci pondo trientem, galbani, minij ſynopici ſingulorum pondo uncias duas Argenti ſpumam, ſquamam & oleum ad ſpiſsitudinem uſque incognito: deinde ceram ac reſinam inijcito. Cùm liquata fuerint, ab igne tollito, & ammoniacum dilatatum immittito: ubi refrixerint, galbanum & ammoniacum indito Synopicum aſpergens, ac in mortario ſubactis mollitisq; utitor. Oræ autem uulneris, & quæ circum uulnus ſunt oleo perungantur, quod habeat roſacei maturi libram unam, lumbricorum in uino elotorum uncias duas, uiridium Sambuci corticum ſeſquimanipulum, uini albi aromatici uncias duas: quę ubi deferbuêre, colentur, ut aſſolet, atq; his calidis mēbrū illinatur: ut dictū eſt. Proinde orę uulneris eo puluere cōſpergantur, qui fit ex rubentiū roſarū, & myrti baccarum: ſingulorum ſemuncia, lumbricorum in uino elotorū, atq; exiccatorū in furno uncijs duabus, quę commiſta tenuiſsimè conterantur, uel uermes etiā ipſi ſoli exiccati, redactiq; in puluerē ſuperaſpergant, rectè enim dolorem leniunt, recreant, reſoluuntq;. Vtiliſsimū etiā oleum eſt, quod cōmunis olei libras duas habet, contuſæ plantaginis, uiridium Sambuci corticum, ſingulorum ſeſquimanipulum, ſalis contriti ſemunciam, uini albi, ſeu lixiuij uncias duas, quæ

as,quę concocta,atq; eliquata in uſum ſeruanda ſunt. Quibus Medicamentis digerentibus recreantibusq; , ad manifeſtam uſq; uulneris digeſtionem, & meliorem ſaniem utendum eſt.

De reprimentibus Medicamentis. Caput VIII.

NE ueneni uis ad interna penetrare poſsit, uulneratúſque locus ob confluentes humores intumeſcat, abſcedátq;, commodiſsimum remedium eſt, ut & in cæteris uulneribus, quod fit ex boli armenici, terræ Lemniæ, ſeu ſigillatæ (ut uocant) ſanguinis Draconis, ſingulorum uncia una, Olei roſacei, Aceti roſacei quantum ſatis eſt, quo unguento uulnerati membri initium ad ſex, uel octo digitos à uulnere linendum eſt, ſed calido, ut medicamenti uis celeriùs penetret, deſupérque linteolo in Aceto roſaceo, & aqua roſacea æquis portionibus intincto delegetur. Idem & præſtabit lineus pannus quatuor digitorum latitudine, longitudine uerò quantum ſatis ſit, replicatus, atque aceto, & aqua roſacea pari portione madens, uel ex aqua & aceto, quod ſæpius iteretur. Noxium enim calorem tollit, futurúmque prohibet: fieri etiam lenimentum poteſt ex albo ouorum quatuor, olei roſacei uncijs quatuor, aceti roſacei uncijs duabus: boli armeni, terræ Lemniæ, ſanguinis Draconis, ſingulorum uncia: Quibus ſimul agitatis madenti panno (ut ſuprà) utendum eſt. Quod & ſuccis herbarum refrigerantium fieri poteſt, dum locus detumeſcere uideatur, & ab abſceſſu tutus.

Quod ſaniei neceſſario exitus dandus ſit. Caput IX.

COMMODISSIMVM, immò neceſſarium remedium eſt, ut per collocationem membri, aut per inciſionem ſanies liberè poſsit effluere. Quoniam uulnera huiuſmodi ignea quadam aſſatione, & combuſtione non carent: ut dictum eſt, eorúmque proprium eſt, putredini, & corruptioni propter contuſiones, attritiones, fracturas, eſſe obnoxia. Quare membrum ipſum læſum prima curatione ita collocandum eſt, ut uulnus omninò inuerſum ſit, atque ita ore ſuo partem ſpectet inferiorem. Quòd ſi aliqua de cauſa fieri non poſsit, non eſt cur inciſio à contraria parte uulneris differatur, ut commodiùs, ac liberius ſanies queat expurgari, & locus à confluentibus humoribus immunis eſſe: & oſsium fragmenta, & pila, quæ aliter non potuêre facilius extrahi. Quæ omnia niſi exactiſsimè fiant, dubitandum non eſt, quin magni efficiantur oſsium, cartilaginum, ac tendinum ſinus, tum profundæ corruptiones. Vnde fiſtulæ inſanabiles, ac plura abſceſſuum genera, unde gangrenæ, atque ulcera ſordida, demum totius membri corruptio, ac mortificatio fieri conſueuit. Sed quid, ſi cauum, atque ſinuoſum ulcus uideatur, neque tamen per collocationem membrorum, aut per inciſionem, ut ſuprà dictum eſt, iuuari poſsit, nec ex eo ſanies emitti? tum ad hæc auxilia confugiendum eſt, ut térque quatérque curetur die, ſpongiáque oblonga, tenui, ac leni diligenter detergatur, quæ benè conſuta, atque colligata ſit: ne quid ex ea in ulceris ſinibus relinquatur, admittatúrque. Prodeſt etiam ad expurgandam ſaniem tenta (ut uocant) Canularis, ſi ex hederaceis frondibus, aut ex citrorum aut malorum medicarum, aut ex plumbi lamina, aut alterius metalli fiat, atque intromittatur. His enim præſidijs iuuatur natura, promptiorq; fit, ad caua loca, carne implenda, atq; inſtauranda.

Quæ ad ſeptimum canonem pertineant. *Caput X.*

ABSOLVTA uulnerati membri curatione, quæ manum poſtulat, ad communes curationes tranſeundum eſt, ac primum ad uenenum tollendum, atq; ad fracturas curandas aliqua medica potione: qualis ea eſt, quæ fit ex terræ Lemniæ, ſeu ſigillatæ Alexandrinæ, boli armenici orientalis, ſingulorum drachma media, rhabarbari electi drachma una, mumiæ ſcrupulo uno, aquę acetoſellæ, plantaginis, uini ſanguinei, ſeu nigri, ſingulorum ſemuncia. Quæ potio poſt horam ab illato uulnere calida aſſumenda eſt. Fit etiam potio quæ cornu ceruini combuſti mumiæ, terræ Lemniæ, centaureæ maioris, ſingulorum dimidiam drachmam habeat, acetoſæ aqua adiecta, & uino ſanguineo: quæ aſſumatur, ut dictum eſt. Quælibet autem ex his potionibus, tam manè, quàm ueſperi, per duas horas ante cibum Syrupi loco exhiberi poteſt: quod quidem remedium, non modò ueneno, ſed & ſanguinis fluori, & fracturis ipſis præſentaneum fuerit.

De Aluo ducenda. *Caput XI.*

ALVVS (ubi eſt opus) leni hoc clyſtere ducenda eſt: in quo ſint diacatholic. floris caſiæ, ſingulorum ſemuncia, mellis uiolacei, ſaccari rubri, ſingulorum unciæ duæ, olei uiolacei, & amigdalarum dulcium recentis ſingulorum unciæ duæ, decoctionis maluarum, matrum uiolarum, furfuris hordei, Chamæmeli, ſiue Chamomillæ cum arietino capite, uel gallinaceo iure quantum ſatis eſt, Salis drachma adiecta totiéſque repetatur tota curatione, quoties opus erit. Fit etiam Clyſter ex oleo, & ſalis modico, uel ex decoctione maluarum, matrum uiolarum, furfuris, parietariæ, Chamomillæ ex aqua, quibus percolatis adijciantur ſalis drachmæ duæ, olei unciæ quatuor, ſaccari rubri unciæ duæ, uitelli ouorum tres. Ore autem omni tempore anni lene pharmacum aſſumi poteſt, quod habeat diacatholic. triferæ perſicæ, ſingulorum drachmas quinque rhabarbari electi. Agarici in puluerem uerſi, ſingulorum ſcrupulos duos: buccea fiat, ſiue bolum (ut dicunt) detúrque dormituro, per horam ante lucem. Vel fiat potio ex his cum aqua acetoſæ, ſi à ſpiſsiori pharmaco æger abhorreat: qua mouendæ alui ratione tota curatione uti licuerit: cùm humores minuendi, uel euacuandi fuerint. Quòd ſi hæc omnia faſtidiat æger, catapotia ex rhabarbari electi, agarici contriti, Aloës elotæ, ſingulorum ſcrupulo unò ac dimidio, quinque fiant numero, cum electuario ex roſaceo ſucco, dentúrque dormituro duas horas ante lucem. Quorum adaugent uim, ſi neceſſe ſit, manè unciæ duæ ac dimidia, ex gallinaceo iure, in quo ſalis nihil iniectum ſit, uel ex aqua acetoſæ. Fieri etiam poteſt uiolacea potio è tribus, aut ſex uiolarum infuſionibus, uel roſacea ex totidem roſarum damaſcenarum, adiecto ſaccaro, quantum ſatis ſit. Doſis autem à ternis uncijs ad quatuor aſcendat, cum aqua acetoſæ, ac per duas horas ab aſſumptis catopotijs deuoretur.

De Sanguine mittendo, & quando id fieri debeat. *Caput XII.*

ILLVD primum in ſanguinis miſsione uidendum eſt, an in hiſce ſclopetorũ, ſiue archibuſorũ uulneribus, ea ſerie ac modo quo in alijs affectionibus huiuſmodi euacuationẽ depoſcentibus, mittendus ſit, ſiue id ratione, ſiue experimẽto, ſiue utroq; fiat. Sed cũ boni medici ſit,

quæ

quæ partes corruptæ ſunt,inſtaurare,& quæ incolumes tueri,in omni uenenata læſione,quæ extrinſecus fit, ne uenenum per interiora loca diffundatur: detractio ſanguinis aliena eſt:quamobrem à Medicis omnibus prohibetur, quemaddum & uehementior euacuatio per alui deiectionem.Quandoquidem ex eo cõtrà,ac opus eſt,acciderct:ſcilicet non ut uenenata uis à uenis atq; arterijs extrahatur (ut Medici conſiliũ eſſe debet) ſed ut ad interiora loca attrahatur,coacerueturq́;,quod noxium eſt. Quamobrẽ & ſi neceſſaria uideatur uenæ inciſio ob inflamationes prohibendas, humoreſq́; minuendos, uſq; tamen in tertium,uel quartum diem differatur, neceſſe eſt, uſq; dum (inquam) ab omni ueneni ſuſpicione per medicamenta,quæ poſuimus,eam ſcilicet uim habentia,tutus eſſe poſ ſis(ut præcipit Auic.) Quinetiam haud inconueniens eſt, ſi in ſextum,uel ſeptimum,uel octauum,uel etiam in uigeſimum diem protrahatur:Aſſerit enim Gal. in ſanguinis miſsione numerum dierum minimè attendendum eſſe. Cum igitur curationis initio,hoc eſt,tertio uel quarto die (ut diximus) ſanguis mittendus eſt,ne ſcilicet ob eius plurimum dominium ægro quid mali accidat,tum pręſtat (niſi quid urgeat) priori miſsione minus detrahere : iterumq́; eã repetere,immò ſi lubet,& tertio, cùm uires maximè imbecillæ ſunt, (ut monet Galenus) ſiue in hac uenæ inciſione intentio ſit.Morbum ipſum per auerſionem, uel euacuationem,uel diminutionem,uel eradicationem peccantis materiæ curare: ſiue mem brum à futuris Symptomatibus conſeruare.Hora autem mittendi ſanguinis ma tutina tutior eſt,ſub ortum Solem.Eo enim tempore aeris calor temperatus eſt, faciliórque eſt ſanguinis motus,atque eò fœlicior eius detractio,cùm eius proprium ſit moueri à ternis horis ante lucem ad totidem horas poſt Solis exortum.Mittatur itaque ieiunè,atque aluo deiecta,ut moris eſt.Quando poſt ſatietatem nihil eſt agendum (ut inquit Celſus.) Nec te moueat quod inquit Raſ. Ex authoritate filij Meſ.Scilicet in quolibet uenenato morſu:ſi dextra parte fuerit: eodem die ſanguinem mittendum eſſe, illud quippe de ſcarificatione, quæ ibi fieri debet, intelligendum eſt,ut infectus ſanguis liberius profluat. Etenim ſubdit Raſ. ex authoritate Albuma. ægrum manè gallinaceo pullo pingui cibandum eſſe:ac tertio deinde die ſanguinem mittendum:prohibétque id fieri ſecũdo die propter debilitatem(ut ipſe inquit)uirtutis ac uigilias.Monétque id, ubi comederit,& dormierit æger,faciendum eſſe.Illud prætereà non inutile fore du ximus,ſi cœleſtium ſignorum, quibus humana membra ſubijciuntur, attendas uim. Qua enim hora dominantur, ex ſubiecto membro ſanguinem mitti alienũ eſt.Quemadmodum & ab alijs inciſionibus abſtinendum.

6. 4. Tract. 3. cap. 1.

De ſectione uenæ.

De ſectione uenæ.

Hora mittendi ſanguinis.

Lib. 1.

Lib. 35. Tract. 2. ca. 4.

De Victus curatione. *Caput XIII.*

COMMVNE eſt omnium uulnerum curationibus, à principio tenui uictu uti, ut inflammationes arceantur, ac potiſsimum in bono corporis habitu. Quamobrẽ Medicus morbi diuturnitatem,uel acumen habitu corporis metitur:qui ſi humidus ſit, magis quàm ſiccus abſtinentia ſuſtinet,ut inquit Auic.Calidis aũt & ſiccis habitudinib⁹ nihil magis noxiũ,ac deteſtabile eſt, quã cibo & potu abſtinere. Cõſiderat etiã Medicus ętates:nã medię facillimè inediã ſuſtinent,minus iuuenes,minimè pueri, & ſene ctute cõfecti,ut Hip.inquit. Quibus in oĩbus conſuetudo etiã cuiuſq; ſeruanda eſt.At in Sclopetorũ,ſiue Archibuſorũ uulnerib.longè etiã maior ratio habẽda eſt,pręcipuè ſi magna ſint: quãdoquidẽ in carnoſis mẽbris ob immodicã carnis dilaniationẽ,maximã fieri ſpirituũ & uirtutis diſſolutionẽ neceſſe eſt.Quod etiã in iũcturis fit,& in tendinib⁹,cũ maximè eſt oſsiũ fractura,& cõminutio,in quib⁹ dubiũ nõ eſt, quin magni fiãt abſceſſus, & ſera curatio, tũ maxima nutrimẽti reſolutio,& uiriũ imbecillitas.In eo igiť ęgroti ſtatu,maiori medico ꝓuidẽtia utẽ-

dum eſt. Atq; ita liberalius aliquanto cibum, & potionem præbere. Deficiunt enim tenui uictu uires, maioreſq; morbo acquiruntur. Quamobrem quæ ualentioris nutrimenti ſunt, & facilè concoquuntur rectiſsime dantur: qualia ſunt oua ſorbilia, contuſum, conſumptum, (ut uulgo appellant) uinum tenue, ac ſanguineum, & hæc uel à curationis initio: non plurima tamen, ſed modice ac ſæpius aſſumenda: ne uires per ſe tenues opprimantur. Comparari enim ęger quandoque ſitienti lucernæ rectè poteſt, quam ſi plurimum addas olei, intermorientem uideas: ſi paululum, reuiuiſcentem neceſſe eſt. Summa itaque ope cauendum eſt, ne quid in alterutrum peccetur, quod poſtea nullo pacto emendari poſſit, uerùm ubi morbus & uires patietur, hæc uictus ratio commoda eſſe poterit, panis ſcilicet cum lacte caprino, uel uaccino, uel amigdalino decoctus, uel cum oleo, uel butyro, uel oleo amigdalino, ſaccaro adiecto, lenticula item cocta, uel cicer, uel phaſeolus, uel faba cum oleo, uel butyro, quæ ſi non ſint, uel eſui ægro ex toto iniucunda, cibarium fiat ex cicorio decocto, uel pinpinella, uel utraque lingua bubula, uel utraque paſtinaca, adiecto uel oleo, uel butyro, ut ſuprà. Dari etiam poſſunt his præſertim qui delicatiori ſtomacho ſunt, olera ex gallinacei pulli iure decocta, uel hædino, uel uitulino, uel alterius eiuſdem generis animalis. Auiculæ præterea tam elixæ, quàm aſſæ, tum gallinaceorum pullorum extremæ particulæ, ut criſtæ, ut alæ ſummæ, ac cætera generis eiuſdem. Cerebella item eorum plurimum commendantur, ac præſertim in capitis uulneribus. Potio autem, ſi uires patiantur, mulſa ſit, ex tribus mellis uncijs, & aquæ libris octonis, quæ ad octauam partem ferueant. Aqua item cum ſaccaro, uel ex decocti ſeminis Coriandri ſemuncia, & aquæ libris ſex, quæ ad ſextam partem decoquantur, & cum iulebo (ut uocant) uel uino ex punicis granis aſſumatur. Vinum item, ſi uires imbecillæ ſint, uel naturalis calor, uel habitudo natura, uel ex accidenti frigida, inſequentibus Symptomatibus quæ uirtutem proſternant, uel plurimùm ſanguinis effluxerit, rectè dari poteſt. Quin multi ex profluuio ſanguinis intermorientes antè ullam curationem uino reficiendi ſunt: ut inquit Cornelius: quanquam id ex ſui natura inimiciſsimum uulneri eſt. Attendenda eſt etiam ægri conſuetudo, quæ ſi uini bibendi ſine noxa fuit, illud dari permittit, ac præſertim ſenibus, ac frigidis anni temporibus, uel regione, uel cęlo agente, uel exhauſto corpore, ex fructibus uerò paſſæ uuæ comedantur, amigdalæ, piſtacea, nuclei pinei, auellanæ, nuces, caſtaneæ, caryces, pyra, mala apiana, toſta potiſsimum, atque id genus cætera. Citrorum item cortices, uel cucurbitarum, uel linguæ bubulæ radices, uel lactucarum thyrſi conditi cum ſaccaro. Quæ omnia ad uſque ſeptimum, uel quartumdecimum diem, uel dum æger ab abſceſſu tutus ſit, ſeruanda ſunt, deinde uictu non ita tenuiori, ſi per morbum, & uires liceat, utendum eſt.

Quibus medicamentis abſceſsibus & dolori ſubueniatur. *Caput XIIII.*

FREQVENTISSIMVM eſt, ut hęc bellicorum fulminum uulnera abſcedant, etiam in carnoſis membris. Iuncturas enim uel ſemper hoc malum infeſtat, quin & in his mitiora mala ſunt: Febres & abſceſſus, etiam in diuerſis locis è uulnere, ut teſtatur Princeps. Quamob-
Fen 4. 4. Tract. 3. cap. 1. rem Emplaſtro, quod à nemine improbatur, initio ſubueniendum eſt. Id fit ex farinę hordeaceæ, uiciæ, fabarum, lupinorum, lentium, ciceris, ſingulorum uncijs quatuor, è quibus, ſi qua non ſint, pondus ex ijs quæ ſunt, ſuppleatur, adiecta Syrupi acetoſi ſimplicis ſelibra, & ſi eryſipelas ſit, uel inflammatio in membro, ſola tri contuſi uncijs quatuor, atque in lixiuio decoquantur. Si autem uulnus ex aliquo accidenti refrixerit, loco Syrupi acetoſi, ex mellis ſelibra, & lixiuio Emplaſtrum

ſtrum componendum eſt. Illud uerò medicamentum nobis magnoperè proba tur, quod ex malis punicis acri ſapore duobus fit, ac totidem ex dulci, quæ inte gra, ac ſolida aceto, & lixiuio percoquenda ſunt. Proinde addendæ ex ijs quas ſuprà poſui farinis ſingularum unciæ duæ, & ſyrupi acetoſi ſimplicis ſelibra, è quibus rurſus unà concoctis, & in lapideo mortario contritis, agitatiſq; emplaſtrum fit, quod in locis neruoſis, carnoſiſq; ab inflicto uulnere ad morbi ſtatum, ac dum ab abſceſſu tutus ſit æger, remedium conuenientiſsimum eſt. Fit etiam aliud ad ſedandum dolorem, & uulnus recreandum ex ſemine lini contuſo, & cum uino albo odorato, uel ſanguineo, concocto. Et ſi lini ſemen non ſit, ex furfure in aqua ſalſa, uel lixiuio decocto, uel in uino albo, uel ſanguineo, ſalis modico adiecto. Quod remedium in iuncturarum tumoribus præſentaneum eſt. Componitur item aliud ex ſapa, & farina ſeminis lini, fœni græci, & furfure ſimul decoctis, id reſoluit reficitq;. Aliud item è panis furfuracei fragmento: & in lacte uaccino, ſeu caprino concocto: quo & in uulnerum abſceſsibus aliqui utuntur, tollit enim dolorem ſed tutius, ſi quid ſalis inijcias. Fit poſtremò è panis nautici libris duabus, in lixiuio, uel aqua marina decocti, mellis ſelibra uel ſapæ addita, quod non quidem certè minus proficit, quàm cætera omnia: quæ ſuprà poſita ſunt. In omnibus præterea neruoſis, & carnoſis membris ad abſceſſus deſiccandos, reſoluendoſq;, tum ad reficiendum, multùm proderit, ſi locus ipſe aqua uitę, (ut appellant) ſepties eliquata, & calida declinatur, ſuperq; inſperſo puluere, qui fit, ex lumbricis in uino elotis, & exiccatis in furno: qui ſi non ſatis ſit ad tollendum abſceſſum: fiet ex nucis muſcatę, (ut uocãt) & ſulphuris ſingulorum ſelibra, roſarum imperfectarum, myrtearum baccarũ, & uermium prædictorum, quos eo modo pręparaueris, ſingulorum uncia una: quibus contritis, ac commiſtis locus, quem antè aqua uitæ calida illineris, ut ſuprà, inſpergendus eſt. Quod ſiue in ſtatu, ſiue in declinatione uulneris, & abſceſſus couenientiſsimum remedium eſt. Verùm ſi membrum ob ingentem dolorem, atq; abſceſſus metum perungendum eſt, medicamentum fiat ex olei libris duabus, ſalis uncia, euphorbij ſemuncia, lumbricorum in uino elotorum uncijs quatuor uini albi aromatici uncijs duabus, quæ lento igne aduſq; uini conſumptionem ferueant. Quòd ſi ex anni tempore, uel regionis, uel ex altera cauſa frigus timẽdum eſt, addatur rutę, & abſynthij ſingulorum ſeſcuncia, quo percolato, more artis utendum eſt. Vtiliſsimum etiam oleum eſt, ſiue ad reſoluendum, ſiue ad recreandum, ſiue ad prohibendum abſceſſum, quod fit ex olei hyperici compoſiti. olei terebinthinæ, olei roſacei immaturi. ſambucini, maſticini. Euforbij ſingulorum uncia, ſalis ſemuncia, uini albi aromatici uncijs duabus: quæ ſimul ferueant, & in uſum ſeruentur. Oleum præterea roſaceum, uel chamemilinum, cũ aquæ uitæ ſepties eliquatæ pari portione in omnibus morbi temporibus: tum materia calida, uel frigida, & carnoſo, uel neruoſo membro remedium optimum & præſentaneum eſt: quo, ſi totus locus dolore afficitur, delinendus eſt, quòd ſi abſceſſus ad maturitatem iam peruenerit, cutis eius axungia ſuilla, uel gallinacea attenuanda eſt: quò facilior ſit puris eruptio, ut ex arte fieri conſueuit.

Quæ Medicamenta putridos neruos, ac tendines detergant, & à putredine tueantur. *Caput XV.*

TANTA eſt in hiſce uulneribus neruorum, ac tendinum attritio, ac dilaceratio, ut in eis uniendis quandoq; uel nullo modo ſpes eſſe poſsit. Quapropter, cum & ad corrumpendum, ſuapte natura facilia ſint, & ab aere ambiente adiuuentur, ſumma cura Medici in eo

eſſe debet,ut tanto malo,quib⁹ poteſt auxilijs ſubueniatur.Ac ſi aliter fieri non
poſsit,cum certa ſit corruptio,& neruorum diſtentio,uel prima curatione,fer-
4. 4. Tract. 1. Cap. 3. ro recidantur.Præcipit enim Auicenna punctum neruum, ſiue aliquo pacto in
ciſum,ac multò magis attritum,& corruptiõe paratum:unde mox diſtentio ti-
menda ſit,tranſuerſum amputandum eſſe,quod ante eum & Galenus aſſerit.In
ijs enim, inquit, qui per tranſuerſum percuſsi ſunt, reliquum tendinis ipſe am-
puto, ut tuta ſit mihi curatio. Prodeſt itaque à principio neruoſas partes dete-
De compo. medica. lib. 3. ctas,præter Bezaarticum Medicamentum: quod ſuprà poſitum eſt, puluere ex
tutia præparata ſuper inſpergere.Qui ſi non ſit,puluis ex calce uiua ac decies e-
lota,atq; exiccata idem præſtabit. Præſeruat enim à corruptione,& iam factam
tollit. ij ſanè pulueres & in digerendo uulnere ad ſeptimum, undecimum,uel
quartumdecimum diem, ubi medicamento ex terebinthinæ & uitelli oui æ-
qua portione uſus fueris,accommodatiſsimi ſunt.Quòd ſi adhuc lenta,ac diffi
cilis fuerit neruorum curatio, eiſdem pulueribus uti licet, linamentis in roſa-
ceo melle intinctis, quo etiam tempore, tutiæ, uel calcis uiuæ puluis omitten-
dus non eſt. Fit etiam unguentum ex mellis, ſucci apij ſingulorum ſemilibra.
ſucci abſynthij ſexcuncia, quæ ad mellis craſsitudinẽ ferueant, adiectis deinde
terebinthinæ Venetæ uncijs tribus,tutiæ ſemuncia, euphorbij drachmis dua-
bus,farinæ ordeaceæ drachmis tribus,manè & ueſperi uti potes, linamentis eo
illitis ſinus omnes replendo. In cholericis autem & calido anni tempore pul-
uis inijci poteſt,qui conſtat ex tutiæ præparatæ ſemuncia,& euphorbij drach-
ma,& uiuæ calcis decies elotæ ſeſquidrachma. Mirificè neruos detegit, à futu-
ra putredine præſeruat, & uulnerum concaua carne implet. In frigidis autem
habitudinibus, uel temperatis, & in frigidis locis, puluis è tutiæ præparatæ, &
euphorbij pari pondere quàm optimus eſt, ſine enim dubitatione detergit.
Verùm ſi de Gangræna, uel alia corroſione timendum ſit, Aegyptiaco ſuorum
ſimplicium æquis portionibus confecto, & pulueris paulo adiecto occurren-
dum eſt, uel ſi non ſufficiat, arceniſi paulo ſublimati. Poſtremò ſi ne hæc qui-
dem proſunt, uel ob aliquam etiam cauſam nolis uti, ad candentis ferramenti
opem confugiendum eſt: ex quo certa tibi auxilia promittuntur, & cum re-
creatione membri:ad cruſtam deinde curandam, gignendam carnem, ac cica-
tricem inducendam medicamentis incumbendum eſt,quæ ſanè plurima à ue-
teribus, ac recentioribus poſita ſunt.

De inquietudine, uigilia, dolore, & quo pacto curentur.
CAPVT XVI.

SCLOPETORVM, ſiue Archibuſorum uulnera ferè ſemper uigi-
lia inſequitur, ac inquietudo, quæ uel de acerrimo dolore, uel alia
de cauſa oriuntur:& cum frequentiſsima hæc ſint,deteriora tamen
etiam incidunt, ſomni ſcilicet priuatio, quæ de uitam auferentibus
6. Colli. cap. 1. eſt (ut ſcribit Auerrois.) Vires enim naturæ debilitantur, cruditates fiunt, at-
que ita morbus increſcit. Somnus etenim (ut ille ipſe inquit) ligamentum uir-
tutum eſt,atque earum confirmatio,quemadmodum ſuperflua uigilia, diſſolu
tionis & imbecillitatis uirtutum omnium cauſa eſt.Quamobrem totis uiribus
peruigilanti ægro ſuccurrendum eſt.Ne tanta fiat cerebri exiccatio,ut mox oc
curri non poſsit, quo fit ſi in contuſo, uel conſumpto papaueris albi ſemen
inijceris:uel lactucam decoctam ex aliquo iure dabis:quibus ſi non profeceris,
duabus horis à cœna calidam potionem,uel frigidam(ſi mauis)aſſumet,quę fit
ex Syrupi papaueris uncijs duabus:& aquę lactucę,uel nenupharis, uel cucur-
bitę:uel ſolatri uncijs quatuor, ex quibus magna quies oriri ſolet. Quòd ſi ta-
men non fiat,ex Philonij romani ſcrupulo, & ſaccari Roſacei:& electuarij, dia
muſci nucis, ſingulorũ media drachma inauratus bolus poſt cœnã horas tres,

uel

uel ſub aurora ieiuno dandus eſt: uel potio ex ijs cum lactucæ aqua, & uini albi paulo, tutiſsimum medicamentũ eſt, & magna ui ad ſomnũ conciliandũ, & leniendum dolorem. Prodeſt etiã multùm unguenti populeonis, & olei mandragorę ęqua portione tẽpora illinere, qď & ualentius fuerit, ſi opij grana duo adijciantur, aut Meſ. catapotiũ unũ uel duo ex lingua canina aſſumant, aut ex ijs, quæ diſtillationum morbis commendantur. Aut Petri à Tuſignana catapotium unum, ex ea compoſitione quæ fit ex opij, croci, caſiæ ligneæ, ſingulorum drachmis quatuor, detur dormituro ex uino albo, ſi ægri uires huiuſcemodi medicamenta patiantur.

Quonam pacto neruorum diſtentio, ſeu conuulſio curetur.

CAPVT XVII.

QVAMVIS ab Hippocrate, ac cęteris Medicæ rei profeſſoribus dicatur neruorũ couuulſionem in uulneribus, lethalẽ eſſe. Nos tamẽ nõnullos eo morbo laborantes Dijs benè iuuantibus ad ſanitatem perduximus. Ponã infrà quibus remedijs ſumus uſi, ubi cæterorum aliquot recenſuero. Itaq; prçter cętera q̃ in tam prauo Symptomate Medicamẽta paſsim adhibẽt, oleũ eſt ex decocto Euphorbij calidũ uniuerſo corpori illitum, ac maximè inguinibus, & alis cum lana ſuccida, uel pellibus duabus è madentibus, anteriora ac poſteriora corporis fouendo, quę ne frigeſcant, calidi olei iteratione cauendum eſt. Occiput item iniungunt oleis, ſpicæ, nardi, nucis muſcatæ, irini, hyperici, chamemelini, axungia gallinæ, ſingulorum ſemuncia, alij addunt uitæ aquæ ſepties eliquatæ ſeſcunciam, quò magis penetret, reficiátque. Alij corpus uel membrum in olei balneo immergunt: alij omentum uaccinum, uel alterius animantis calido oleo madens membro affecto uertebriſq; ſuperimponunt. Alij balneo ex oleo herbas conuulſioni conferentes adijciunt, ut ſunt anetũ, chamomilla, abſinthiũ, ruta, hypericon, iua artetica, centaurium, bethonica, ſticas, chelidonia, radices ireos, radices althęę in uino albo decoctę, & cũ oleo ſabino miſtę. Sed facilius morbi huius curationes intelligentur, ſi qui ſint eius effectus, ac ſpecies breuiter oſtendero: neq; enim alius importunior, acutiorq; morbus eſt, ut inquit Celſ. his igitur quodam rigore neruorum (ut ille ipſe ait) modò caput ſcapulis, modò mentũ pectori annectit, modò rectam, & immobilẽ ceruicẽ intendit. Priorem Græci opiſthotonõ, inſequentem, emproſthotonon ultimũ tetanon appellant. Qui ſanè morbi ea qua dixi ratione curantur. Verùm ſi per ea medicamenta parũ proficitur, aqua uitę eliquata (ut ſuprà) adhibita prius uehementi frictione affectũ membrũ madefiat. Mox ardenti candela admota flãmam concipiat, dum ea ipſa per ſe extinguatur. Idq; toties fiat in die, ut puſtulę, atq; intercutaneę aduſtiones appareãt. Fieri enim poteſt, ut primò non oriantur: tam leniter flamma eam aquam lambit: quæ aqua ſi fortè nõ fuerit, xylon, uel ſtuppę per ſpinę uertebras (ſi opiſthotonos fuerit) tenuiſsimè extendantur, uel per anteriorem thoracem (ſi emproſthotonos ſit) atq; igne incendantur, adurantúrq;, dum ex ſeſe flamma moriatur. Sed illud interim aliquo ligni cuneo prouidendũ eſt, ne inferiores maxillæ ſuperioribus ita annectantur (quod his morbis fieri conſueuit) ut nullo modo cibus aſſumi poſsit. Etenim ſi id fiat, mors inſequatur (ut nemo ignorat) neceſſe eſt. Remediũ inſuper ea in re præſentaneum eſt: ſi iuncturę ipſę maxillarum utrinq; abraſis pilis (ſi fuerint) aqua uitę, uel xylo inurantur, quomodo ſupradictum eſt: oleoq; ex euphorbio perungantur, uel quali in occipitio utuntur: ut ſuprà retulimus. Quòd ſi hæc non ſufficiãt, ultimũ in tetano atq; opiſthotono remedium eſt, ad candentis ferramenti opem tranſire, atq; eo tertiam, quartã, & quintam ab occipite uertebram ad membranã uſq;, uel ad os etiam, (ſi illud parum ſit,) adurere. Pari ratione in emproſthotono furculę partes tum anterio

res,tum poſteriores,atq; earum mediæ, ad uſq; oſſa igne curādæ ſunt,atq; idem
in tetano,nec interim omittendæ ſunt unctiones,quas dixi,à quibus multū au-
xilij ſperandū eſt.ſed aduſtio quaqua uerſum ciceris magnitudinē nō excedat,
rotunda figura,uel ouata.Adhęc multùm profuerit, ſi cerebrū aliquibus ex ijs
quę ad id faciunt,recreetur, ac ſi electuario pliris palatū inungatur, uel morſel-
los (ut uocant) ſub lingua æger retineat, qui ex puluere fiunt electuarij pli-
ris,uel diamuſci dulcis uel diambrę, uel ex his omnibus(ut fieri conſueuit)cum
aqua bethonicę & ſaccaro.Theriaca inſuper,uel mittridatiū palato perſæpe illi
nendū eſt.Puluere itē caput priùs attunſum(ſi per morbū,& uires liceat)inſper
gendū eſt,qui fit cantaridum,amotis capitibus,ac pennis ſeſcuncia,carbonum
ex uitibus uncijs duabus,& ſalis uncia,tū lineo panno mundo uelandū, & cali
dis bracicę folijs totū fouendū eſt.Atq; hęc toties repetenda, ut puſtulæ fiant,
& aqua,& ſanies multa erumpat.Idq; per dies quindecim,aut uiginti,ita ſæpe i-
teretur, ut cerebrū ab omni interiori abſceſſu liberetur . Quibus peractis, em-
plaſtro totū caput illinatur,quod fit ex emplaſtri bethonicæ, centaurij empla-
ſtri etiā(ut dicunt)gratiæ dei, diaqui maioris, cū gummi,Oxicrocei,ceræ citri-
nę picis naualis , ſingulorū ſeſcuncia. Quæ lento igne diſſoluenda ſunt, & uſui
magdaleones ſeruandi.Ac inſuper tota curatione aduerterdum eſt, ut aluus a-
liquo ex ſoluentibus moueatur.

De maiorum bellicorum fulminum contuſionibus. *Cap. XVIII.*

QVANQVAM de Sclopetorū,ſiue Archibuſorum uulneribus pri
uatim dicere inſtituim⁹:quoniā maiora bellica fulmina, ut muſcet-
tę.ut colubrinæ,ac cætera generis eiuſdē,tanta impreſsione, ac ui fe
riunt,ut mortē uel ſemper inferant,non tñ alienū inſtituto noſtro ui
ſum eſt,ſi de ijs etiā aliquid dicatur.fieri enim fortè fortuna poteſt, ut non ſem-
per interimant , ſed contundant tantū,uel ictu,uel etiam ſpiritu,ut ſuperiore li-
bro dictū eſt,atq; ita,ut medicamentis interdū ſubueniri poſsit. Dicemus itaq;
de eorum contuſionibus,ꝙ ſine uulnere fiunt,nam ꝙ cùm uulnere ſunt, ut Sclo
petorum curabuntur:ne quid huic noſtro labori(quantū in nobis fuerit)deeſ-
ſe uideatur.Atq; ęgri hac etiam parte adiuuentur.Contuſionibus igitur, quæ à
maioribus bellicis fulminibus fiunt,longè ſæuiſsimi effectus oriuntur,ſi ab ini-
tio maximè non rectè curentur.Siquidē modico ſpacio membra corrumpun-
tur.Quapropter ſiue carnoſa,ſiue neruoſa ſint,à principio medicamentū adhi-
bendum eſt,quod fit ex albo ouorū duūm,olei ſambucini,olei roſacei, ſingulo
rum ſeſcuncia. Quæ ſimul agitata,ſtuppis,& linteo imponātur,ut moris eſt,ſed
prius illita ſint,calidis hiſce unctionibus,quas ſuprà dixi. Quòd ſi ſambucineū,
uel roſaceum oleum non ſit,ouorū alba cum altero tanto myrtei olei,uiolacei,
& nenupharini,& ſalis ſemuncia agitentur, uel cum unguento roſaceo , & po-
puleone,& infrigidante Galeni imponēda ſunt. Verùm ſi ne hęc quidē ſunt,ex
olei ſucci ſolatri,& plantaginis,& lactucę,uel alterius refrigerantis herbę ęqua
portione,& ſalis aliquo adiecto,lineo panno madente frequenter membrū fo-
uēdum eſt deligendumq; inſuper eſt nō admodū arctè:ne dolor moueatur, at-
trahanturq; humores,& locus inflāmetur.Nec nimis lente, ne plurimo ſangui-
ne concurrente quàm citiſsimè abſcedat,cōmodior itaq; inter utrumq; ligatu
ra fuerit.Secundo uerò die ouorum duūm albo cum uitellis , atq; olei amigda-
lini dulcis,roſacei,ſambucini,& chamæmelini ſingulorū ſemuncia,& ſalis triti
altero tanto contuſio curetur ut ſupra, infuſa prius , uel illita ijs unctionibus,
quas ſupra poſui, atq; in quartum uſq; diem procedatur , & bis in die : ſi dolor
urgeat, ſemperq; experiatur medicus, an locus,necne , ſenſum habeat : quòd ſi
habes, uel medicus ſit, ad ulteriora tranſeundū non eſt, antequàm ſcarificatio-
nes

nes fiant, uel intercutaneæ, uel altiores, prout membra carnoſa, uel neruoſa fue rint, ut ex ijs ſanguis multus erumpat. Hoc .n. remedium (ut inquit Auicenna.) laborem excuſat, id eſt, membrum, ne emoriatur, efficit: deinde autem ſcarifica tus locus lixiuio, & ſale detergẽdus eſt, uel aceto, uel uino, ſale ſemper adiecto, uel aqua marina, uel ſalſa artificioſe facta, & calida. Superimponendum deinde emplaſtrum aliquod, ex ijs quæ diximus, bisq; die repetatur, dum ex toto fuerit reſoluta contuſio. Verum ſi ſenſus integer ſemper fuerit, & contra diminuta contuſio, ſcarificationibus opus non eſt. Sed cum reſoluentibus procedendũ, & ſanguinem contuſum carminantibus, delinendus itaq; locus eſt ex olei chamæmelini, amygdalini dulcis, abſynthij, rutacei, aquæ uitæ, ſingulorũ uncia, ac dimidia. Super autem emplaſtrum imponendum, quod habeat florum chamomillæ, meliloti, hyperici, ſtycadis, abſynthij aridi, ſingulorum ſeſquimanipulũ, farinæ, ſeminis lini, & fœni græci, & hordei, & fabarum, ſingulorum ſelibram, ſapæ ſeſquilibram, olei amygdalini dulcis, & amari, & anethini, utriuſq; lilij ſingulorum ſeſcunciam, uini albi quantum ſatis eſt. Quòd ſi adhuc lenta, & difficilis ſit ad reſoluendum contuſio, & ſanguis ad diſſoluendum, fomentis adiuuanda eſt. Itaq; ſpongiæ ex eo decocta expreſſę imponantur, quod fit ex chamomillę, anethi, ſtycadis, bethonicę, centaurij minoris, chelidoniæ, hyperici, ſanſuci, minoris & maioris ocymi (baſilicum uulgò dicunt) ſeſquimanipulo. Quæ cum uino albo decoquantur, atq; his locus bis die foueatur, perungatur, emplaſtrúmque imponatur, ut ſuprà eſt dictum. In declinatione autem cæratum aliquod ex his quæ capiti conueniunt, applicandum eſt: ut illud eſt, quod fit ex bethonicæ, uel centaurij, uel chelidoniæ, uel gratiæ dei, uel diachil. maioris, & minoris, uel generis eiuſdem. Si quid autem in pertractando membro fracti oſsis inueniatur, inſtaurandum eſt, deligandusq; locus ita eſt, ut commode contuſio detegi, ac curari poſsit.

Fen. 3. 4. Can. cap. 3.

De aduſtionibus curandis. CAPVT XIX.

PRIMA curatione remedium quàm optimum eſt; quod conſtat ex oui albo, & uitello, atq; olei roſacei altero tanto, uiolacei, & myrtini, & quantum eſt eorum omnium pódus, aqua roſacea, uel plantaginis, uel ſemper uiui uel ſolani, uel cucurbitæ, quę ſimul agitentur, ut aſſolet, & cum lineo panno frigida (ſi tempus anni calidum ſit) atq; è diuerſo, tepida imponantur, ſingulisq; horis mutentur. Fieri autem medicamentum poteſt ex prædictis aquis, uel ex earum aliqua, cum roſacei pari pondere, atq; eodẽ modo imponi. Maximè item initio adiumenti eſt, ſi ex lactis humani, uel alteri⁹, aquæ roſaceæ, & olei ex roſa æqua portione fiat, atq; eodem modo utamur. Item ſi ex unguento populeone, refrigerante Galeni, & unguento roſaceo, & Sandalino, & lacte humano aduſtio leniter penna illinatur: & pannus aqua roſacea madens, uel ſemper uiui, uel plantaginis, frigidiſsima (ſi æſtus ſit) tepida (ſi frigus) ſuperimponatur. Non illaudatum inſuper medicamentum eſt, quod ex luto armenico orientali, terra ſigillata Alexandrina, lacte humano, & aqua ſolani, uel roſacea fit & penna (ut ſuprà) aduſtioni imponatur, & adiacentibus locis, atq; ita frequenter, ut exiccari non poſsit, donec dolores, & punctiones mitigentur. Fit etiam ex oui albo, & braſsicæ foliorum ſucco, ſiue eius caulis ſimul agitato, aut ex crudo latere, uel eius luto cum aqua fabrili, ad mellis craſsitudinẽm diſſoluto, & frigido, & frequenter ſuperimpoſito. Nec uiolenter cruſtę amoueantur, ſed ſponte ſua decidant. Ex bolo item armenico, & terra ſigillata, & macra, cũ oleo roſaceo, uel aqua plantaginis, uel roſacea medicamen fit, quo lineis pannis frigidiſsima aqua madentibus ſuper impoſitis, locus refrigerandus eſt, ac ita ſæpe, ut exiccari non queat. Vtiliſsimum præterea eſt, quod fit ex calce elota, bolo armenico, terra ſigillata, macra, cum oleo, & aqua

roſaceis,atq; eodem modo illitum. Quòd ſi medicamenta hæc non ſint,decoctum ex maluis,porris, uel cepis, rapis,ſolatro, & beta, uel lapatho acuto, cum aqua ad mucilaginis,(ut ita dixerim)craſsitudinē,& ſingulis horis(ut moris eſt) imponatur. Fit quoq; ex cimolia, oleo,& aqua roſaceis, ac mirè prodeſt. Quæ omnia initio (hoc eſt) à primo aduſtionis die ante ſeptimū,uel nonū tutiſsima remedia ſunt. A ſeptimo autem uel nono die,ubi dolor,punctio, atque inquies remiſſa eſt,& ulcus benè coloratum ac ferè mundum,ad cutem, ac cicatricem inducendam animus uertendus eſt. Quod fit,ſi ex unguento calcis uſitato,ſambuci, uel plantaginis,uel betæ folia illita imponantur, ac bis térue in die innouentur. Illini etiam poſſunt unguento albo caphurato, & unguento ex plumbo, quod ex oleo roſaceo,cęra & plumbo combuſto fit. Ex unguento itē pompholygos,ſiue ex tutia,ex unguēto ex minio cocto uel crudo. Quòd ſi hæc etiā unguentorum genera non ſuffecerint,accommodatiſsimū eſt,de ſambuco:qđ hoc modo fit,corticum uidelicet Sambuci uiridium ſelibra,olei roſacei uncijs octo,quæ ubi lento igne ferbuêre,atque excolata ſunt, ceræ albæ ſeſcuncia,ceruſſæ tenuiſsimæ unciæ tres addendæ ſunt, ac ſimul agitandæ. Cicatricem his breui temporis ſpatio & minus turpem induxeris. Super item inſpergend⁹ puluis eſt ex tutiæ præparatæ ſemuncia, æruginis ad nigredinem combuſtæ drachmis duabus. Aluminis ſaccarini drachma una,balauſtiorum uncia una. Aut unguentum lene in plumbeo mortario fiat ex plumbi uſti eloti,tutiæ lotæ, lithargyri loti,ceruſſæ lotæ,ſingulorum ſemuncia, cum roſaceo immaturo, aut myrteo,& ſolani ſucco : aduſtioni ſemper mirifice prodeſt. Cinis item columbini, uel caprini, uel bouilli, uel arietini ſtercoris. Item ex myrto,aut tamarice, aut lentiſco, aut communis cinis, aut conchiliorum, cum roſaceo aut myrteo illitus quàm optimus ſemper eſt. Quòd ſi aduſtio ad corruptionem, uel corroſionem tranſire uideatur, tum eo modo curetur, quem ulceris malignitas requiſierit. Ratio autem uictus, & medendi in aduſtionibus talis adhibeatur,ut ab abſceſſu,& corruptione metus nuſquam iure eſſe poſsit.

De oſsibus aduſtis, & quo pacto aceruata putredine liberentur.
CAPVT XX.

IN hiſce autem uulneribus frequentiſsimè oſſa, & multis etiam de cauſis alterantur. Quandoquidem aduſtio uehemens ita ea deſiccat, ut nullo unquam modo inſtaurari poſsint. Quinimò ad fiſtuloſas concauitates perducuntur,abſcedunt etiam propter multam ſaniem,ac putredinem, ita ut nullus quandoque ſanitati locus eſſe poſsit. Alterantur item ab aëre ambiente, aut propter aliquod medicamentum malam qualitatem imprimens, ſcilicet, uel plus iuſto deſiccans, uel plus ſatis humectans. Ob alias etiam cauſas corrumpuntur, quas enumerare non neceſſe eſt. quæ oſſa corrupta,cum naturæ munere ſanari non poſſunt,uel propter eorum magnitudinem, uel ob altam,longam,ac latam corruptionem, artis beneficio curanda ſunt,ne totum membrum uel iunctura corruptione afficiatur, officiáque eorum impediantur. Proprium etenim eſt,quod à putrido tangitur,putrefieri,& à corrupto,corrumpi. Quare neceſſe eſt,ut à docto artifice ad uſq; ſanas eorū partes opportunis inſtrumentis abradantur. Nec te moueat recentiorum atque Auicennæ ſententia, ſcilicet, melius eſſe in extractione oſsium uiolenta non feſtinari,& quæ ſequuntur:illud enim de ea praua,ac uiolenta extractione intelligendum eſt, qua nerui, & uenæ dilacerantur, & oſsium pars maior ſana quàm corrupta diſsipatur. Quæ profectò inconueniens curatio dicenda eſt. Satius igitur fuerit cum Auicenna eodem loco dicere,corruptionis oſsis curationem eſſe ipſius fricationem, deſtructionem, abraſionem, aut ſerrationem. Præ-

ſtantiorem autem modum, cum ſuis inſtrumentis eſſe fricationem. Verùm in iuncturis, aut ſpongia: aut aliquo alio pacto uulnus ampliandū eſt, ut oſsis corruptio digito contingi poſsit. Quæ cognita ſenſim, ac per interualla temporis ita abradeda eſt: ut nihil eius omnino relinquatur. Peritus Chirurgus quid corruptum, quid ſyncerum ſit, facilè cognouerit. In cęteris autem locis, ubi ſcilicet iuncturę non ſunt, (modò ſine noxa magnæ uenæ, uel nerui fiat) uitioſum os ita detegendum eſt, ut ad ſenſum oculorum, & tactus Chirurgicum opus perfici poſsit. Quod ſenſim & per interpoſita tempora (ut diximus) & ſine dolore (quā tum in artifice eſt) fieri debet, ne affligetur æger, & locus ex dolore abſcedat. Quoties autem abraſio fit, aridis linamentis uulnus implendum eſt, ut ſanguinis fluor facilius prohibeatur. Extrinſecus autem, & digerentia & quæ dolorē leniunt, & humorum concurſum uetant, imponenda ſunt. Quod ſi oſsis corruptio ita leuis appareat, ut ſine manus ope curari poſsit, Auicennæ puluis quàm optimus eſt. Mihi autem etiam probatiſsima remedia ſunt uitrioſum, combuſtum, ut uocant, atq; oſsi denudato ſuperinſperſum aridis linamentis informato uulnere, ut moris eſt, aut cęratum aliquod, uel unguentum ex attrahentibus, aut puluis, qui fit ex euphorbij, uitrioli combuſti, ireos, radicis peuced. & lumbricorum elotorum in uino, ac furno exiccatorum, radicis gentianæ, ſingulorum ſemuncia: quo totum corruptum os inſpergatur. Peracta autem digeſtione uulneris, & ſedato dolore ulcus eiſdem abſtergendum eſt, quæ ſupra xv. cap. propoſita ſunt. Quòd ſi ad carnem ſuper oſſe gignendam haud ſatis ſunt, linamentis uulnus implendum eſt, calido iam medicamento illitis, quod fit ex olei, thuris, maſtiches, ſtyracis calamitæ, ut uocant, ſingulorum ſemuncia, quæ per ſtillicidium eliquentur. Aquæ item uitæ præparatę uncijs quatuor, thuris maſtiches, ſarcocollæ, myrrhæ, ireos, aloës hepaticæ, ſanguinis draconis ex lachryma, ſingulorū drach. ac rodomellis uncia. q̄ tenuiſsimè conterantur, miſceanturq;. Verùm ſi perdifficile curatu ſit fiſtuloſum ulcus, Bettipalię oleo (matrē balſami uocant) totum perungendum eſt, quòd nos quàm ſæpiſsimè optimum experti ſumus, imponendumq; cæratum aliquod, aut unguentum ex deſiccantibus, & bis ter ue in die curandum, & linimenta breuiora immittenda ſunt, ut commodiùs conglutinari poſsit, ac ne callus internè fiat. 4. Fen. Tract. 4. Cap. 11.

De contractis membris, & quæ in ijs curatione uti deceat.
CAPVT XXI.

INTERDVM uſu uenit, ut curatis uulneribus, membra ita contracta remaneant, ut officium ſuum, ac naturalem motionem, uel nullo modo exercere poſsint. Quòd ijs potiſsimū de cauſis fit. uel qđ fulmineo calore nerui ac tendines exiccati erunt, uel quòd abſcedentium humorum malignitate oppleti ſunt: atq; ita contracti: uel quòd infirmi, ac debiles ex longo & difficili morbo euaſerunt. Qui ſanè poſt legitimam corporis uacuationem curabuntur, ſi calidis temporibus, calido oleo bis die membrum perfundatur: uel ſi balneum fiat ex olei partibus decem, & una aceti albi, ac frictio uehemēs adhibeatur, affectaq; iunctura tractetur, moueaturq; ſine multo tamen dolore. Aut ſi balneum pręparetur ex cortice radicis altheæ, ulmi, bryoniæ, cucumeris aſinini, inulæ campanæ, acori, utriuſque lilij ſingulorum ſemilibra, fœni græci, ſeminis lini, pinguium ficuum, ac dactylorum ſingulorum libra, pedibus arietinis, uel bubulis benè mundatis numero x. Inteſtinorum item pinguium, ac diligenter mundatorum ex arietinis uel bouillis libris quatuor, adiectis arietinis capitibus duobus, quæ cum aqua aduſque ipſorum omnium diſſolutionem percoquenda ſunt, colandaq;, quo balneo utendum, ut ſuprà dictum eſt. Proinde exiccatum membrum ad ignem hoc medicaméto

perungendum eſt,quod fit ex axungia gallinæ, anſeris,anatis,ſuis,aſini,muli,urſi,gliris,mělis,uulturis,leonis,medullæ item crurum uituli, equi, aſini,muli,cerui,butyri recentis,utriuſq; lilij,olei inſuper uulpini compoſiti, amygdalarũ dulcium, ſeſamini, laurini, nucis indicæ, muſcelini, ſtyracis, bengiui (ut uulgo dicunt) mucilaginis radicum althææ, fœni græci,ſeminis lini, ſingulorum uncia, croci tenuiſsimè contriti,ſemuncia aquæ uitæ præparatę(ut aſſolet)ſelibra:pellecq; uulpina,uel leporina inuolutum deligandum eſt, ne frigore lædatur. Alterum item ad id medicamentumfit,ſed non ita operoſum,quod habet unguenti dialthææ,agrippæ, marciatonis, cærati ex hyſſoponide Galeni, butyri recentis, ſtyracis calamitæ, mucilaginis radicum althææ, fœni græci, ſeminis lini,armoniaci opoponacis,ſingulorum uncia. Aceto diſſoluantur, adiecta ſuillæ axungiæ ſine ſale ſelibra,aquæ uitæ ſepties eliquatæ libra:ex lento igne ferueãt,adhibenda ut ſuprà dictum eſt. Inſtrumenta uerò, quibus in extendendis contractis membris opus eſt,peritis Chirurgis inuenienda relinquimus.

De Sclopeto, ſiue Archibuſo inter manus fracto.
CAPVT XXII.

SOLA hæc armorum dominos ſuos, æque ac inimicos interdum lædunt,ac tum præcipuè, cum inter manus (ut aſſolet) franguntur. In ſexcenta enim diſciſſa fruſtilla uarijs locis percuſſos eos peſsimè habent,grauibuſq; uulneribus, ac fœdis, & quandoq; morte afficiunt. Vidimus ipſi nonnullos, ac Deo propitio curauimus, quibus manus, brachia,pectus, facies miſerè deturbarentur, in quibus uulneribus illud præcipuè animaduertendum eſt,futuram ex toto ab initio alienam eſſe,quemadmodum & in omnibus alijs,quæ hiſce inſtrumentis infliguntur. Nulla enim tunc unien di ſpes in tam graui uulnere uenenato,aduſto,contuſo,attrito eſſe poteſt. Quãobrem,à primo ad quartum diem ijs medicamentis,& eo modo,quo diximus, utendum eſt:ut ueneno,ut abſceſſui,ac cæteris malis occurratur. Deinde ad digerentia,ac detergentia tranſeundum : dum uulnus, & caro ad conglutinandum apta eſſe uideantur. Quo tempore ſutura iure habet locum,ac cætera omnia, quæ ob eam cauſam facienda ſunt.

LIBRI SECVNDI FINIS.

ALFONSI

ALFONSI FERRII NEAPO-
LITANI ARTIVM ET MEDICINAE
DOCTORIS,

DE Sclopetorum, ſiue Archibuſorum Vulneribus,
LIBER TERTIVS.

De internis vulneribus. CAPVT I.

INTERNA VVLNERA SVPERIORIS SCI
licet,inferioris,ac medij uentris inter ſeſe differunt, pro
ut magis grauia uel minus fuerint.Ordiar ab ijs quæ ſu-
perioris uentris,id eſt,capitis ſunt : q̃ grauia quidẽ certè
propter innumeras læſiones,quæ oculis non patent, di-
cenda ſunt. Modò enim eorũ fractura ad utraſq; calua-
rię ſiue cranei tabellas penetrat, modò ad interiora ca-
pitis cũ euidenti oſsium ſeparatiõe,uel ſine ea : ut aſſerit
Gal.& hęc quidẽ quandoq; parua, quandoq; magna, quandoq; mediocris eſt, 3. de curandis morbis.
diuerſę tamẽ figurę,quòd lata,quòd longa,quod triãgularis,uel quadrãgularis,
uel alterius generis ſit. Tum modò cũ una,uel pluribus uenarũ,uel arteriarũ fra
ctionibus, atq; in locis nõ modò uulneri uicinis, ſed etiã per quàm remotis in-
terdũ,oppoſitis . Quę omnia fracturarũ genera in Sclopetorũ ſiue Archibuſo-
rum uulneribus longe etiam maiora,ac difficiliora ſunt, propterea quod in his
omnis fractura eſt propter multiplices,ac diuerſas cauſas:q̃ unà concurrunt,ut
percutiẽs,incidens,perforans, & potiſsimũ cõtundens:cuius propriũ eſt conti
nuitatẽ ſoluere cõprimendo, q̃ attingit,ad interiores capitis partes.q̃ omnia æ-
gros acerrimis cruciatibus ac ſymptomatibus uſq; adeò torquent, ut de uulne
re,quantumuis exiguo,metus maximus ſit.Fit.n.ſępè,ut inquit Aui.ut caluaria
findatur integra cute:quinimò abſcedat.Ad quorũ omnium cognitionẽ, cùm
recentes,tũ antiqui plurima per ſigna,cauſas,& accidentia literis cõſignarunt:
q̃ nos Chirurgicę medicinę ſtudioſis diſcutienda relinquimus. Vulnera itẽ pe-
ctoris omnia formidoloſa ſunt , ſi mẽbra interiora potiſsimũ læſa fuerint, qua-
cunq; iter fecerit pila. Propterea quia oſsiũ fragmenta,uel indumentorũ,uel ar
morum,q̃(ut aliàs dictum eſt,) ſecũ fert,ita abſcondunt interdũ, ut difficulter
indagentur, ac difficilius extrahantur, quin etiã,& ſi abſq; interna lęſione uul-
nus fuerit:ex aduentitijs tamẽ rerũ fruſtulis facta corruptio: & punctiones ho-
minẽ tollunt.Sed tanta membranis,ligamentis , & oſsibus diſſolutio fieri ſolet,
tanta cõtinui ſolutio,tũ propter pilę grauitatẽ,tum propter diſsimiles,ac diuer
ſas formas,quas ab occurrentibus rebus acquiſierit,illa ignea ui diſſoluente, ut
ſępe punctiones inciſioneſq; faciat,quas ne acutiſsimo quidẽ inſtrumento,uel
modo ullo quis effeciſſe poſsit. Quare & formidoloſa (ut diximus) & curatu
difficillima iure dicenda ſunt.Inferiores quoq; uẽtris frequentiſsimè interna lę
dũt,ita,ut uel nullo negocio , omento uel inteſtinis, uel alijs mẽbris officiãt, ut
ex loco ubi illata ſunt,facilè cõiectari poteſt.In horũ igitur uulnerũ curatione
nihil potius eſt,quã ut initio res extraneę digito,uel ſpecillo inquirant,inquiſi-
taq; diligẽter extrahantur. Quòd facilius fuerit, ſi ab recenti uulnere fiat, ante-
quàm ad uẽtris,uel pectoris penitiora loca deſcẽderint.Ac ſi ęger ita collocet,
ut in uulnus iaceat,quo ſui grauitati eo facilius ferantur,purgato deinde uulne
re ab omni cõcreto ſanguine,prima curatione ad quartũ & ſeptimũ diem hoc
medicamento utendũ eſt:quod fit ex olei ſambucini , roſacei immaturi, uncijs
duab⁹,maſticini,myrtini,ſingulorũ ſemũcia,ſucci perforatę ſeſcuncia: theriacę
ſemuncia.Quę decẽ dies exponãtur in ſole,aut ferueant horã in balneo Mariæ,

quod uocant: opportunis linamentis, hoc eſt, rotundis, uel longis, ut uſus exigit, uulnus implendo. Nec interim omittenda ſunt cætera, quæ ab authoribus proponuntur, ut ligatura decens, ut linamentorum ſatura, ac cætera generis eiuſdem. Medicamentum inſuper hiſce nobilibus membris accommodatiſsimum, ac tutiſsimum eſt, & mihi quàm familiariſsimum, quod fit ex centaurij minoris ſeſquilibra: uini albi uel ſanguinei odorati libris xv. quæ ubi ad dimidiam partem ferbuére, & excolata ſunt, ſapæ libris x. adiectis, rurſus ad uini conſumptionem ferueant: eo tota curatione uti poteſt. Cùm hoc etiam medicamento, & cum cæteris omnibus, quæ diximus, digerens id adhiberi poteſt, quod conſtat ex terebinthina, butyro, roſaceo, & oui luteo: uel ex eorum aliquo. poſſunt etiam & alia digerentia, detergentia, & carnem gignentia adhiberi, prout uſus expoſtulat. Fouenduſq; locus eſt eo cataplaſmate quod habet farinę fabaceę, ac miliaceę, ſingularũ ſelibrã, ſucci nepetæ, uel eius decocti ex uino albo librã, butyri recentis, adipis ſuillę nec ſalitæ, ſingulorũ uncias duas, deſpumati mellis, quãtũ ſatis eſt, uini albi optimi ſelibrã. His enim medicamentis maxima contra uenenũ, atq; abſceſſum uis eſt miro quodã lenimine: quibus, ſi opus ſit, uel tota curatione uti poſsis. Huc etiam accedunt omnia emplaſtrorũ genera, ut Iſis Gale. ut gũmi elemi', ut bethonicę, ut centaurij, ut gratię dei, ac diapalmæ Gal. toties repetitũ, & in omni uulnerũ genere commẽdatũ, ac cętera omnia, q̃ Medica facultate uſitata ſunt. Quòd ſi de interna inflãmatione timeatur, refrigerantibus, ac remittentibus lotionibus, ut in alijs uulneribus fieri cõſueuit, occurratur. roſaceũ immaturũ iniectorio inſtrumẽto (ut uocant) immittendo: ut cõcaua omnia repleantur, ac potiſsimũ, ſi de ſanguinis fluore metus nõ eſt. Aut fiat lotio ex aquę roſaceę, plantaginis, portulacę ſingulorũ ſelibra, ſaccari rubri, ſyrupi roſacei uncijs duabus. Aut ex aqua hordeacea, aut ex decocto hordeaceę farinę, aut amyli hordeacei, cũ ſaccaro rubro. Lotionibus item uti poteris, q̃ ab authoribus ponuntur. Poſtremò remediũ non prætermittendum eſt in thoracis uulneribus quàm utiliſsimũ, ubi ſanguinis plurimũ à principio retentũ eſt, uel ſanies procedente curatione coaceruata. Tunc enim inter quartã & quintam coſtam infra uulnus inciſio facienda eſt, hoc modo: menſuretur longitudo à pomo ſtomachi granato, ut uocant, ad quartę uel quintæ coſtę uertebrã, deinde replicato filo eadem linea ab eodem pomo repetatur dimenſio, & qua finis erit, quod mediũ fuerit primæ longitudinis, uertebras uerſus incidatur ad pleuram uſq;, nõ una tamen ſed pluribus ſectionibus, ne ea ferro contingatur. Etenim ungue, non ferro incidenda eſt: ne cum ægri periculo interiora membra uulnerentur: quod à curantibus maximoperè aduertendum eſt.

Quæ medicamenta tota curatione intrinſecus adhibenda ſint, ac de fiſtula curanda. CAPVT II.

CONTRA uenenum medicamenta uim habere debent, ſolutaſq; partes internas uniendi: quale illud eſt, quod conſtat ex conſolidarum radicis, terrę ſigillatæ, centaurij minoris ſingulorum drachma una: ſi ex ijs puluis fiat: & cum uino ſanguineo, aut aqua plantaginis, aut roſacea, aut portulacæ detur, ad quartum aut ſeptimum diem tribus horis ante cibum. uel ex ijs bolus, cum ſaccaro roſaceo, & diaborraginato, ut dicunt, aſſumpto deſuper aut uino, aut aqua aliqua ex prædictis. Aut puluis à nonnullis authoribus commendatus, qui fit ex perforatæ, uncetoxici, radicis & foliorum enulæ, & potiſsimum quæ ab Aegypto eſt, ſeminis raphani & foliorum, dictami albi, ariſtolochiæ longæ & rotundæ, lactuculæ, ſingulorum ſemuncia: de quo drachmæ duę eo modo quo ſuprà, dentur. Aut uncię duæ è ſuccis herbarum, quas dixi. Aut fiant morſelli cum ſaccaro & aqua acetoſa, ut

moris eſt. Mihi uerò ſemper præſto ſunt ex his herbis per æreum ſtillicidium factæ deſtillationes, è quibus unciæ duæ calidæ uel frigidæ horis duabus ante cibum, ut ſuprà præbeantur. uel etiam paruę theriacæ, quæ ex lauri baccarum fit, uncia una, terræ ſigillatæ alexandrinæ, uel ſigillatæ communis drachmis duabus, & in tenuiſsimum puluerem redactis, adiectis deſpumati mellis libris duabus, & lento igne concoctis, ex qua theriaca drachmę duę cum ſaccaro roſaceo uel cum bugloſſato in uino albo, uel nigro aſſumantur. Aut theriacę magnæ drachma una, eodem modo. Quæ omnia medicamenta, uel eorum aliquod ab inflicto uulnere ad quartum, uel ſeptimum diem, ut ſuprà dictum eſt, uel etiam ad quartumdecimum, ſi opus ſit, quinetiam tota curatione quàm rectiſsimè dātur. Cæterùm medicamentum, quod pigmentum uocant recentiores, atque eo (pace eorum dixerim) paſsim abutuntur, mirificum eſt, ſi legitimè utamur. Ego enim in thoracis uulneribus fiſtuloſis, quibus carne implendis ſpes nulla eſſe uideretur, & saniei profluuio exiccando, & corpori iam tabe affecto implendo fœlici cum ſucceſſu (Dijs gratia) ſemper adhibui. Id fit ex piloſellæ, pimpinellæ cum radicibus, gariophilatæ, radicis gentianę, atq; arthemiſię, matrum uiolarum, ſubrubentium, braſsicæ ueterum foliorum, cymarum cannabis, ſenationum, rubię, quę benè mūdata ſint, ſingulorū manipulo uno: cinnamomi, galangę, cardamomi, meligettę, garyophyllorum ſingulorum ſemidrachma, uini albi odorati libris uiginti, quę ubi ad dimidiam partē feruēre, diligenter exprimito, & excolato, & deſpumati mellis libras duas addito, rurſus lento igne in uitreo uaſe ad librę unius conſumptionē cōcoquito: ex eoq; calido ſelibrā, aut uncias quatuor, ſub auroram quatuor horis ante prandium dato. Poteſt etiam fieri ex ijs electuariū, & ex eo ſemuncia, mox aliquid uini albi aſſumi, præterquàm in canicularibus diebus, ob ipſius ſimplicium calidam uim. Conficiūtur etiam tabellæ (ut uocant) cum ſaccaro, & aqua roſaceis: ut guſtui, & uentriculo medicina iucundior ſit, cum eo: ne interim uini potio uel plantaginis, uel portulacę aqua omittatur. Illud poſtremo non ignorandum eſt ſaluberrimum medicamen hoc non nouum (ut recentiores uoluēre) ſed Meſ. antiquū inuentum eſſe, unde mox Dinus Florentinus: & recentiores cęteri acceperunt.

Quæ medicamenta intrinſecus aſſumpta ſanguinem ſupprimant.
CAPVT III.

SANguis ex internis membris, ut Gale. & Aui. tradiderunt, plurimis de cauſis erumpit. Sed nos de eo pręcipuè hoc loco uerba facturi ſumus, qui ex inciſione, aut fractura, aut contuſione fertur: quod quidem difficile curatu eſt, niſi feſtinanter ſubuenias, antequàm abſceſſus fiat, aut reſoluantur uires, aut morbus inſanabilis efficiatur. Quòd ſanè fiet, ſi primo, uel altero die puluerē dederis, in quo ſit thuris, maſtiches, mumię, ſanguinis draconis ex lachryma, cornu ceruini uſti, coaguli leporini, uel uitulini, ſingulorum drachma, ſcilicet, ex eo drachmas duas in uino nigro, uel aqua plātaginis, uel roſacea. Aut catapotia fiant cum ſucco corrigiolę, uel plantaginis, è quibus unum ante prandium, alterū ante cœnam aſſumatur, dum ſanguinis fluor uel ex toto ſupreſſus, uel diminutus ſit: quod etiam in omni ſanguinis effluxu ex internis locis præſentaneum remedium eſt. Aut detur potio, quæ fit ex trochiſcorum, ſiue paſtillornm ex charabe, ex terra ſigillata, ex ſtella ſingulorū ſcrupulis duobus, cum uino nigro, aut aqua plantaginis. Aut bolus fit cum ſaccaro roſaceo uetere, & ſuper aliquid uini deglutiatur, uel aquæ, ex prædictis. Aut (ſi mauis) fiant catapotia cum ſucco arnogloſsi, quæ modo eodem aſſumātur. Hi autem paſtilli, quos dixi, in poſtremo hoc capite deſcribentur. Dari etiā poteſt Meſ. puluis, q̃ cōſtat ex rhabarbari parū torrefacti, mumię, terrę ſigillatę

ſingulorum dimidia drachma,cum ſucco,uel aqua plantaginis,aut uino ſangui neo horis duabus ante cibum. Aut potio fiat ex balauſtiorum,ſiue corticum malorum granatorum,ſiue earum arborum,glandium uiridium, aut aridarum, ſumacti,teneritatum uitium,rubi,uirgæ paſtoris,roſarum immaturarum,myrtearum baccarum,ſingulorum ſemuncia:quæ ferueant in uino nigro, aqua pluuiali,in qua candens ferrum extinctum ſit: è quorum colatione unciæ tres per horam ante prandium, & ante cœnam aſſumantur. Quod ſi his ſanguis uinci non poſsit,ad narcotica confugiendum eſt,uelut ad id,quod fit ex philonij Romani ſcrupulo,& ſaccaro uetere: ex quibus factus bolus per horas quatuor ante prandium & ante cœnam deuoretur. Aut recentis theriacæ drachma cum ſaccaro roſaceo uetere,uel recēti:& ſuper aliquid uini, uel aquæ aſſumatur. Dari etiam poteſt catapotium ex cino gloſſo tribus horis ante cibum. Præter hęc, omittenda non ſunt medicamenta,quæ extrinſecus adhibentur,ab Hipp.ac cęteris authoribus commendata:ut eſt auerſio,ſeu deriuatio ſanguinis à ſuperioribus ad inferiora,& contra:ueluti Gal.ex authoritate Hippocratis aſſerere uidetur:Sanguine, inquit, è naribus multo exeunte cucurbitula lateri imponenda eſt:Sed tamen ſi fluxus ſanguinis è nare dextra emanārit, ſuper hepar, ſi ſiniſtra,ſuper ſplenem : ſi ex utrique, ſuper utrumq; cucurbitulæ magnæ affigendæ ſunt.Subdit etiam idem author.Si æger nondum defecerit, & uirtus ſeruata ſit, ſanguis è uena brachij,quod nari oppoſitū eſt, mitti debet.Sed paulatim,ac repetita detractione:prout uires ægri patientur. Similiter faciendum eſt in omni materia,quæ in aliqua corporis loca defluxerit.ad uicina enim,uel oppoſita loca auertenda eſt.E quibus uerbis ſeriem auertēdi conijcimus,ut ſanguinis fluorem ſiſtamus: Omni enim induſtria cruor profluens per oppoſita loca extrahēdus eſt.Particula præterea affecta,& quę illi uicina ſint,lineis pannis aquę roſaceæ & aceti æqua portione madentibus, aut quibuſdam refrigerantiū herbarū ſuccis omni diligentia refrigeranda ſunt. Supprimitur etiam ſanguis aquæ frigidæ potione.Sed interim commonefaciendus eſt æger,ut quieſcat,ut ſileat,neque uehementer anhelet.Corpus quoq; deligandum eſt,ſiue extrema à ſuperiori parte ad inferiorem, & contrà. Hæc Galenus ferè. Verùm ſi de aceruato ſanguine,& concreto in thorace metus ſit, plurimum aceti cum aqua ægro potui dandum eſt,ut liqueſcat.Quod bis,tér ue in die,interpoſitis trium horarum ſpatijs repeti poteſt.Quod ſane præſentiſsimum remedium eſſe ſolet:ubi uerò ſanguis reſolutus eſt,medicamenta uiſcoſa,conglutinantia, ſtipticaq; primò cum aceto aqua cōmiſto. deinde potione ex cotoneorum decocto, & myrti baccarum,& ſimilium aſtringentium, manè & ueſpere duabus horis ante cibum danda ſunt. Opitulantur etiam cibi,& potus,qui aſtringentis naturæ ſunt: uel iura ſola,uel contuſa ad quartum uſq; diem,prout uires imbecilles ſunt. Sed iam paſtilli(quod ſuprà polliciti ſumus)deſcribantur.

[margin: 5. De curandis morbis. cap. 3.]

[margin: 5. Meth. cap. 5.]

Paſtilli ex Charabe.

Fiunt paſtilli ex charabe drachmis ſex. Cornu ceruini adusti, gummi arabici,coralij adusti,Draganti,Acaciæ,Hypociſtidos,Balauſtij,Maſtiches,Lactis papaueris nigri aſsi,ſingulorum drachmis duabus.Thuris, Croci, Opij,ſingulorū ſeſquidrachma cum mucilagini pſilij.

Paſtilli ex terra ſigillata.

Componuntur ex ſanguinis draconis,Gummi Arabici,ramircti,foliorum roſarum cum ſemine,amyli aſsipodij , acaciæ, hypociſtidos, hæmaticis, balauſtij boli armenici,terræ ſigillatæ, hehendenegi, coralij rubri: charabe,ſingulorum drachmis

drachmis duabus. Margaritarum, draganti, papaueris nigri, ſingulorum ſeſqui drachma, portulacæ aſſę, cornu ceruini uſti, thuris, gallarum, croci, ſingulorum drachmis duabus, cum aqua arnogloſsi.

Paſtilli ex ſtella.

Conſtat ex myrrhæ, caſtorci, ſpicæ nardi, caſsiæ ligneæ, terræ ſigillatæ, corticum mandragoræ, ſingulorum drachmis quatuor, opij, croci, coſti, ſtellæ terrę, ſingulorum drachmis quinque, papaueris albi, drachmis ſex, dauci, aniſi, ſileris montani, ſeminis hyoſciami albi, ſtyracis liquidæ, ſeminis opij ſingulorum drachmis octo, conterantur ex uino odorato, fiantq; ſemidrachmæ pondere, & exiccentur in umbra.

Catopotia ex Cinogloſſo.

Fiunt ex Cinogloſsi, opij, ſeminis hyoſciami, ſingulorum drachmis quatuor, myrrhæ electę, drachmis ſex. Olibani drachmis quinque, cariophylli drachmis duabus, cinnamomi, fæcis ſtyracis, ſingulorũ drachmis duabus, è quibus quinque, aut ſex dentur in ſomnum eunti. Non ab re mihi uideor hæc commemoraſſe, quanquam uulgo ferè nota ſunt: feci enim, ut ſi fortè non fuerint: promptiora tibi ſint aliqua ſaltem ex eorum ſimplicibus, quæ nuſquam non erunt, unde ægris auxilia facilè peti poſsint.

De victus & medendi ratione. CAP. IIII.

VICTVS ratio in uulneribus capitis, talis eſſe debet, ut caput uaporibus, & malis humoribus nõ impleatur. Quamobrem à principio, ſi non obſtet uirium imbecillitas, tenui uictu ſemper utendum eſt, ſin autem, uirtuti ante omnia conſulendum. In thoracis uerò, propter continuam ſpirituum reſolutionem liberalius eſt agendum: id eſt cibis, & potionibus non ita parcè utendum: quæ & multi, & optimi nutrimenti ſint, & facilè concoquantur. Vt ſunt iura, contuſa, conſumpta, niſi, ut ex Gal. dictum eſt, ſanguis aſtringendus ſit. In eo enim caſu exiguus cibus auerſionis, & aſtrictionis cauſa eſt. Ego uerò tamen hodie non auſim in omnibus cibum imminuere, propter quorundam intemperantiam, qui ob tenuiorem uictum facilè deficiunt. Potio autem in capitis uulneribus, pectoris, & uentris, aqua pluuialis, chalybata (ut dicunt) cum ſaccaro, uel iulebo, uel granatorum uino eſſe debet, aut cum his aqua ex decocto ſeminis coriandri, aut nucleorum pineorum, & præcipuè in pectoris uulneribus. Cum autem ſanguis aſtringendus eſt, aqua ex thuris decocto uel maſtiches, aut pluuialis chalybata, aut portulacæ danda eſt. Nos uerò libentiſsimè uinum aqua miſtum à primo die ad ſanguinis aſtrictionem, & uirtutis refectionem concedimus. In uulneribus autem inferioris uentris adhibenda omni diligentia cura eſt, ne cibus excrementitius ſit, ne læſa inteſtina eo grauentur, impleanturq;, atq; ita uulneris curationem impediant. Sit igitur in ſeptimum, uel quartumdecimum diem, ijs, qui fit cum aqua pluuiali chalybata lento igne ex furfuribus triticeis, aut hordeaceis, aut miliaceis uehementer expreſſa, atque excolata, ſaccaro adiecto: qua cum ego inteſtina animalium elixo, uitulina ſcilicet, uel arietina, uel hœdina, uel generis eiuſdem; atque cum ſaccaro, aut ſine eo, idem ius ter quaterq; in die præbeo. Quòd ſi maiorem exiccationem, & uulnerum conglutinationem cupias, pulueris drachma, quoties cibatur ęger, inſpergenda eſt, qui fit ex amyli triticei, uel hordeacei, draganti, gummi Arabici, ſanguinis draconis ex lachryma, conſolidæ maioris

cum radice, lepolinorum pilorum minutatim conciſorum ſingulorum drachmis duabus, lapideſcentis ſaccari (canditum uulgò dicimus) roſacei, uncijs duabus. Aut oua ſorbilia ſine pane, aut iura gallinacea ferè conſumpta, aut decoctũ herbæ, cui nomen caudæ equinæ eſt. Aut ſuccus capi, uel gallinæ aſſæ cum eodẽ puluere dandus eſt, uel maſtiche uel tragacantha. Teſticuli etiam gallinacei, & morſelli cum gemmis nec inconuenientes, nec iniucundi eſui ſunt. In regimine autem pharmaceutico capitis uulnerum, illud animaduertendum eſt quod à principe ex authoritate Hippocratis obſeruatur, ne ſcilicet ſuperfluis humoribus impleatur caput, atq; abſceſſus excitetur. Detur itaque catholici, aut caſiæ ſeſcuncia cum puluere ſtecados, aut catapotia maſtichina, aut manna, aut caſia cum puluere Meſuæ ex rhabarbaro, mumia, & rubia. In uulneribus uerò pectoris ad ſeptimum uſq; diem pharmaca differenda ſunt: ac potiſsimum ſi ſanguinis fluor ægrum infeſtet. In eo enim caſu nihil medicinæ conuenit, niſi aſtringẽs ex ijs quæ præpoſita ſunt. Caſia enim propter eius lentorem ab inciſis membris prohibendũ rectè non datur. Quòd ſi tamen ex aliqua cauſa cogenti danda ſit, cum prædicto Meſuæ puluere aſſumatur. Quo quidem ſine ea uti ſatius eſt. Præ betur etiam pulpæ tamarindorum ſeſcuncia, aut catholicũ, aut manna, quæ medicina omnium præſtantiſsima eſt. In uulneribus autẽ uentris, pernicioſum ex toto medicamentum eſt, præſertim læſis inteſtinis: maius enim detrimentum, quàm auxilium afferat neceſſe eſt. Quinimò tota intentio eſſe debet, ut clyſtere per inferna curentur: qui fit ex roſarum immaturarum, baccarũ myrti, ſumach (ut uocant) thuris, maſtiches, amyli triticei uel hordeacei, nucum cupreſsinarũ uiridium, boli armenici, terræ ſigillatæ, farinæ fabarum nigrarum, caudæ equinæ, ſingulorum ſemuncia: ferueant cum uino ſanguineo, aut aqua myrtearum baccarum, excolentúrque ut aſſolet. Cui ego clyſteri adijcio idem inteſtinorũ decoctum cum eodem puluere, quem ſuprà poſui. Quod celerius & perfectius egerit ſine uentriculi concoctione & digeſtione iecoris, in quibus uires medicamenti debilitantur. Sanguinis autem miſsio in capitis & uentris inferioris uulneribus, eadem ſerie exequenda eſt, ut de uulneribus extrinſecis dictum habeo, pro uirium ſcilicet ęſtimatione. At in ijs quę thoracis ſunt, formidoloſa eſt. Sanguis enim, qui ex uulnere penetranti fertur, multum ſanè ſpiritalis eſt, maiorém que ob id imbecillitatẽ, ac reſolutionem facit, quàm qui aliunde erumpit. Quapropter eius detractio non ita liberè in thoracis uulneribus fit, ut in cæteris aliorum membrorum. Non enim ab re Galenus cauſam auertẽdæ ſanguinis effuſionis conſiderans nos cautos reddidit, cùm diceret, paucam, & per uices ſanguinem mittendum eſſe, ne uirtus imminuatur, quę ſua ſponte propter continuam expirationem reſoluitur, quinimò ad necem perducit.

Pen. 5. 4. tract. 3. cap. 2.

Qua ratione plumbeus globulus quandoque diu ſine noxa in corpore retentus ſit. CAP. V.

MIRABILE quidem & uiſu & auditu eſt plumbeum globulũ quandoque in corpore ſine noxa diutiſsimè detineri. Cùm de alijs externis rebus, neque in eodem genere uulnerum, neq; in alijs haudquaquam contingat. Etenim cùm ſagitta, aut oſsis fruſtillum, quinetiam pilus ita permãſerit, miſeris modis (niſi extrahatur) hominẽ torquet. Quod profectò ſecus eſſet arbitrandum, ac potiſsimùm de oſſe & pilo cùm partes corporis ſint, & ſuapte natura ſiccifsimæ, & ſi putreſcendum aptum nutrimentum habeant. Plumbum uerò res extranea, & humidæ naturæ. Sicca enim minus putreſiunt, diutiúſque conſeruantur, ſecus humida, quæ facilius corrumpuntur. Veruntamen in qualibet ferè corporis parte plumbea pila ita ſine læſione, ac diutiſsimè detinetur, perinde ac ſi corporis portiuncula ſit eadem natura fabricata. Quod

De oſſe & pilo

ta. Quod ego ipſe hiſce oculis ſæpius uidi, cùm quandoque per uiginti iam annos ita retentam extraxerim. Cuius rei cauſam ut diligenter perſcrutemur, quid de natura plumbi authores ſenſerint, exactius inueſtigandum eſt. Galenus itaq; refrigerantem uim habere ſcribit. Nec ſolum humidæ ſubſtantiæ multum, ſed aëriæ, at terreſtris parum. Quod autem humida ſubſtantia in plumbo ſit à frigore cógelata, celeris eius eliquatio, cum igni appropinquat, arguméto eſt. Quòd autem & aëreum ſit, indicium eſt id ſolum, ex his, quæ ſcimus, augeri tum quantitate, tum pondere, ſi in infimis domorum partibus aſſeruetur. Auicenna, frigidum & humidum in ſecundo gradu eſſe dicit, & in eo aëream, & terrenam uim, nec multam tamen, Guido à Cauliaco recentiorũ princeps idem aſſerit, occultam habere ac mirabilem reſolutionem adijciens. Auerroës item plumbo ſubſtantiam frigidam & humidam tribuit, proptereà quòd (inquit) quæ ipſum congelauit, frigiditas eſt, & habet diſſoluentem uim, carni hominis, ipſum comparando, quamuis ſuper ipſius complexionem dominetur frigiditas, è quibus Auerrois uerbis colligitur, plumbum aliquam habere cum carne hominis ſimilitudinem, quæ cauſa fortaſſe eſt, ut minus illi officiat plumbea pilula, quàm cætera extranea. Vel quia humido nato aptoq; ad putreſcendum caret: Vel quòd illi ob aliquam potius occultam uim, quàm euidentem cauſam id tribuendum eſt. Grauitas enim plumbi & innata humiditas repugnant, ne ſcilicet ſine putredine, ac noxa diutius corpori immoretur: niſi hoc ſibi muneris natura uendicarit. Neq; interim ſuſpicandum eſt, ne inter mouendum pila, locum, unde abijt, ulceroſum relinquat. Natura enim ſua ſponte inſtaurat cauat, repletq;, ſi qua remanſerunt. Non tamen proptereà eſt, cur eam cunctatiùs extrahendum cures, ex ea nanq; perſæpe ſæuiſsima fiunt accidentia. Cùm maximè quid extraneum, ut indumenti, ut armorum ſecum intulit, ut ſæpiùs dictum eſt. Lædit enim tunc diuerſis modis, pungendo, incidédo, perforando, prout diuerſas formas inſtrumenti aut caloris ui liquefacta acquiſierit. Vnde neruorum diſtentio, & ex ea mors facilè inſequitur.

Natura plumbi. — 9. Simp. ca. 22. — Lib. 2. Tract. 2. cap. 12. — 5. Colli. ca. 43 — Plumbũ cum carne hominis aliquam ſimilitudinem an habeat.

ALFONSI FERRII NEAPOLITANI, ARTIVM ET MEDICINAE DOCTORIS,

De Sclopeti, ac ſimilium Tormentorum puluere Corollarium.

AVDIO QVOSDAM ESSE, NEC MEDICAE rei imperitos homines, quibus multò aliter quàm à nobis ſcriptum eſt, de Sclopeti, ſiue Archibuſi, ac cęterorũ ſimilium tormentorum puluere uideatur: ſcilicet non modò non habere uenenũ, ſed etiam ueneni remedium interdum eſſe ſalutare: idq; nonnullis, atque his potiſsimum rationibus probare nituntur, nullum compoſitum (inquiunt) ex ſimplicibus non uenenatis uenenatũ eſt. Sed hic puluis eſt huiuſmodi, igitur nec is uenenatus eſt. Quando uires ſimplicium, ubi commiſtæ ſunt, inter ſe confringuntur: nam quod eſt remiſsè calidum, intenſum calorem non auget, ſed frangit potius ac remittit. Quamobrem nitrũ, cùm ſulphure natura remiſsius ſit, illud debilitat: quòd agit & carbo ſua frigida ui. Nitrum inſuper extrinſecus impoſitum, non modò ueneno non inficit, ſed putredinibus, corruptionibus, corroſionibuſq; reſiſtit: ut in gangrænis uidere licet: proprium enim aridi medicamenti eſt à putredine cóſeruare: idcir-

Nitrum putredinibus reſiſtit.

Aridi medicamenti proprium.

co nonnulli nitrum in morbis curandis, etiam in peſtilentibus contra uenenũ adhibent, nec ſubſtantiam modò, ſed eius etiam oleum. ſulphur item perſæpe medicamentum eſt, ita ut nonnulllis uenenis occurrat (authore Galeno) oleóque eius tam foris, quàm intus tutiſsimè utimur. Quid de ueneno igitur pulu-ris dubitandum eſt? cæterùm non eſſe uenenatum milites etiam ipſi oſtendunt, qui recentia uulnera, cum alijs careant medicamentis, eo replent, non modò ſine noxa ulla, ſed ita etiam curatu reddunt faciliora. ſed fac etiam illum (inquiunt) eſſe uenenatum: uenenata omnia igni corrigũtur, deſtruuntúrque potiùs, ac reſoluuntur. Puluis itaque is, quamuis uenenum haberet, igni tamen correptus illud uulneribus afferre non poteſt. Quid refert igitur initio uenenatus ſit nec ne? Hæc atque alia eiuſdem generis in medium afferunt, quæ refutari poſſe demonſtrabimus. Dicimus itaque primùm, compoſitorum aliam eſſe ac ſimplicium uim, atque huius pulueris potiſsimùm: cuius effectus ſimplicium facultatibus haud proportionantur. uulnera enim fermè omnia, quæ Sclopetis, ſiue Archibuſis infliguntur, peſsimè afficiunt ægros, abſcedunt, corrumpuntur, putreſcunt, febrémque mouent acrius, quàm ulla alia uulnera, adeò ut medicamentis non facilè uincantur. Quare dicendum uidetur, non id accidere propter exuberantem ſulphuris calorem, uel ſiccitatem nitri, uel carbonum, quæ ſingula hoc per ſe facere non poſſunt, ſed quia ea eſt pulueris natura ac malignitas. Qui ſanè puluis præter ſimplicium ſuorum facultates admirabiles quoſdã: alios uenenatos, fulgurum modo, parit effectus, ut cùm in alijs, tum in Vinglendranda Hiſpano Duce in Pannonia uidere licuit. Cuius cùm ferreum thoracem ab archibuſo pilula immiſſa tantùm percuſsiſſet, nullo tamen relicto ueſtigio, non modò omnia indumenta penetrârat, ſed & cutem, & carnem læſerat, impreſſa aduſtionis nota, ad uolæ manus magnitudinem, cruſtáque facta quàm in cæteris aduſtionibus altiore. Sed quid de Chriſtophoro Ario Hiſpano dicam, maximo bellica uirtute uiro? is cùm in Campania honoratè ſtipendia mereretur, non à colubrina iacto globo, ſed globi uiolento uirulentóque ſtrepitu brachium illæſa cute ita fregit, ut oſſa intus partim perfracta, partim admodum luxata inuenirentur. Curauimus tamen ipſi, ac cœleſti fauore ſanauimus, meritóque præmio pro tanta re, dignóque uiro non minùs liberali quàm generoſo ac forti donati ſumus. Illud poſtremò, nullo modo eſt à me ſilentio inuoluendum: quod militi in obſidione Landreſi (ut uocatur uulgo) Galliæ urbis accidit, qui cùm bene calceato pede pilam à colubrina tum immiſſam calcâſſet, tam malè confeſtim ab ardenti ueneno non modò pes, ſed & crus & corpus totum affectum eſt, ut nihil iuuantibus medicamentis maximo cum cruciatu uitam finierit. Quod quidem certè ſine maxima ueneni ui fieri non potuit. Prætereà ratio atque experimentum docet, quæ per motum acuuntur, inflammantúrque uenenata fieri: ut ex iiſdem fulminibus potiſsimùm oſtenditur, quibus icti alij ſtatim pereunt, nullo apparente aduſtionis ſigno: alij aduruntur, alij infuſcantur, denique alijs alij modis mirificam maximè eorum uim experiuntur. Quæ cum ueneni maxima iudicia ſint, ac Sclopeti ſiue Archebuſi, cæteráque eiuſdem generis tormenta in morem fulminis, feriant, de pulueris eorum ueneno dubitandum non eſt. neque inconueniens eſt, medicamentum idem diuerſos producere effectus, ſi diuerſis modis exhibeatur, ut in eo libro, quem ſcripſimus de ligni ſancti multiplici medicina latiùs dictum eſt. Quin & interdum uenenum ueneno curatur, ut ſcorpionis ictus, ſcorpione contrito, impoſitóque. Neque illud multum ad rem pertinet, ſcilicet uenenata omnia igni deſtrui, ac reſolui, tum ex eo pulueris uenenum uulneribus non afferri, falſum enim id eſſe primum cœleſtia fulmina oſtentant, quibus tacta uel ſemper, uel plerunque ueneno inficiuntur: ut animalia, ut uina: quæ ſubinde ſine periculo aſſumi non poſſunt. Oſtendunt etiam fulmina bellica, quæ cœleſtium bona ex parte imitantur naturam.

Venenum ueneno nonnunquam curatur

Quare

Quare & ſi quæ percuſſere, non inficiuntur ita, ut non tutò aſſumantur, uirulentum tamen globum non ita diſsipant, àc diſſoluunt, ut quod habet uenenum, ad uulnera non afferat, ut toties experimentis comprobatum eſt. Quamobrem concludimus, tum ex ijs quæ dicta ſunt, tum quæ dicere poſsimus, niſi breuitati conſuleretur, puluerem hunc uenenatum eſſe, atque ex eo illata uulnera non carere ueneno, ut dictum eſt.

Puluis ſclopetti ac ſimilium tormẽtorum ueneno non caret.

ALFONSI FERRII NEAPOLITANI MEDICI,

De Caruncula ſiue Callo, Quæ Ceruici Veſicæ innaſcuntur, Liber.

AD PHILIPPVM ARCHINTVM.

PRÆFATIO.

RECTE ILLI QVIDEM MIHI INTERDVM ſenſiſſe uidẽtur, qui naturam homini iniuſtiorem nouercam, quàm æquam matrem eſſe uoluerunt. Etenim ſi eius uitam ab origine per ætates contemplemur, tot miſerijs, tot ærumnis premi reperietur, ut non iniuria dici poſſe uideatur, nihil eſſe miſerius homine. Scilicet parum fuerat eum amplius quam trecentis morborum generibus afflictaſſe, niſi & excrementorum itinera miſeris quandoque modis intercluderentur. Quot enim & qualia ſedis uitia uidemus, & quàm difficili ratione tolluntur? Sed omiſsis cæteris, quid de caruncula ſiue callo dixerim, quæ ceruici ueſicæ innaſcuntur, quàm miſerè hominem torquẽt, quàm habent peſsimè? Profectò omnibus dierum ac noctium horis (ubi maximè increuêre) mortem ante oculos obuerſari uideas. Quod quidem certè eò etiam atrocius eſt, quo ſibi minus, uel admodùm parum adhuc auxilij inuenit: cùm morbi alij uel ſexcenta quiſq; remedia repererint clariſsimorum uirorum innumeris monumentis illuſtrata. Quamobrem nos hanc etiam prouinciã, ubi Ligni ſancti (ut uocant) multiplicem medicinam ſcriptis noſtris oſtendimus, ac Sclopetorum, ſiue Archibuſorum (ut appellant) uulneribus Medicam opem attulimus, eò libentius ſuſcepimus, quòd medicinæ ſtudioſis, iuxtà atq; eo morbo laborantibus rem gratiſsimam facturi eſſe uideremur. Quapropter quicquid per multos iam annos, & Neapoli, & Romæ Chirurgicam facultatem publicè profitendo, uel intra priuatos parietes legendo, uel diſputando, uel longo medendi uſu ad eam rem maximè idoneum eſſe cognouimus, in hunc librum ſtudioſe coniecimus, ut in promptu uel omnibus haberetur, unde ſibi quiſq; copioſe, ac ſalutaria remedia ſuppeditaret. Quòd ſi tam honeſti deſiderij Dij nos compotes effecerint, immortales illis gratias in perpetuum acturi, ampliſsima ſanè præmia noſtrorum laborum uidebimur eſſe conſecuti. Quanquam nihil eſt cur deſperem, aliquam etiam nos ex his ſcriptis gloriolam (ſi modò ea moueamur) adeptum iri, cùm tibi uir præſtantiſsime, atque omnium ſcientiarum genere ornatiſsime, probata olim ualde fuerint. Meminiſti enim te, cùm iam abhinc quinquennium (quæ tua humanitas eſt) illa perlegiſſes, magnoperè me fuiſſe hortatum, ut in publicam hominum utilitatem in lucem edere diutius non differrem, adiecistiq; arridens renitenti mihi, exiſtimare te Venuſini Poetæ præcepto iam ſatis admodum fuiſſe factum. Quamobrem nos tanti uiri autoritate, ac tam graui ſapientiq; iudicio adducti, tuis auſpicijs, tuóque nomini cõſecrata

(etſi ſerius fortaſſe quàm par erat)foras damus. Et cui enim melius, quàm tibi uiro doctiſsimo ac ſapientiſsimo(cæterarum autem laudum tuarum altum pelagus temere non attingam)dicari potuerint? Suſcipe igitur benigno uultu, quale id cunq; eſt muneris(plura enim in præſentia non poſſumus)& Alfonſum tuum præclariſsimis tuis uirtutibus tibi addictum (ut facis) ama. Sed iam ſatis ſuperq; pręfati ad eam ipſam rem (qualis tibi cunq; rurſus uideatur) propius accedamus.

Ceruicis Veſicæ Examinatio. CAP. I.

p. de Locis af. PArtes, quæ in ſuperficie conſtitutæ ſunt, unà cum affectuum ſuorũ ſpecie, facilè(ut inquit Galenus)ſenſibus deprehenduntur. Quæ uerò in imò corpore latent, exercitatę cogitationis uirum deſiderant, cum in actionibus, & utilitatibus partiũ, tum uel maximè in ea, quæ hæc præcedit corporum diſſectione, anatomen Græci dicunt. Quippe hæc(ut ille ipſe ait) docuit nos cum alia permulta, tum cuiuslibet partis eſſentiæ proprietatem. Eius ergo beneficio præter Philoſophi, & Galeni authoritatem, ceruicem ueſicæ neruoſam eſſe apertè cognoſcimus, in interioribus præcipuè partibus, ac ueſicæ propinquis, neruis ſcilicet à uertebris caudæ uenientibus, tum protenſis ad uirile membrum, ueſicam, & muſculum ani. Carnoſa item ceruix apparet, cùm ultrà progreditur, carnoſo ſcilicet muſculo fabricata. Cuius munus eſt, eam claudere, & aperire, atq; ita urina retinere atq; expellere mira quadam reflexione ad poſtremam uſq; glandem, per quam procedit iter urinæ. Oblonga inſuper, rugoſa, ac tortuoſa eſt duobus, tribúſue anfractibus. Quapropter perrarò tota lotio emundatur. Ceruici item ueſicæ caro glanduloſa muſculo uicina adnata eſt, quæ, ueluti ſuffocatorium, ac conſtrictorium quoddam, exiſtere uidetur, exitum urinæ, à ueſica undequaque prohibens, uaſorúmque ſpermaticorum ora circuiens, niſi cùm urinę mittendę uoluntas eſt. Tunc enim emollitur muſculus, laxatúrque, ut ea liberè egrediatur, atq; urinarius meatus ab adiacentibus carnibus liberè relinquitur. Veſicæ proinde ceruix carnoſior redditur, quò magis glandem uerſus protenſa eſt, tum ſpiſsior, tum craſsior ob muſculoſam ſubſtantiam. Ad hæc foramen (magnum canalem nuncupant) urinę, & genitali ſemini commune eſt, genitali quidem ſemini per duo foramina in extremis ſeminalibus uaſis. Verum in ceruicis extrema parte, & ubi fiſtula, uel canalis incipit, circumuolutio quædam ſinuoſa eſt, in qua ſi quid aquei humoris, aut rei extraneæ eſt coaceruatur, ac retinetur, neque ab aquoſa humiditate tota detergitur atque exiccatur. Extrinſecus autem ceruix ueſicæ mira quadã ſatura, ac uenoſa peritonæo(fœmen Latinè dicunt)fabricata eſt. unde membrũ initium aſſumere uidetur, multis quidem tendinoſis ligamentis à pectinis oſſe productis, ac neruis ab occipite orientibus: quamobrem & ad ſentiendum, & ad extendendum facilis eſt. Cæterùm uenis & arterijs conſtat, in quibus tumentes ſpiritus incluſi coli extendendo deſeruiunt. Sed, ut ad muſculum ceruicis reuertamur, ſcire licet, illum, inſtrumentum eſſe (ut inquit Galenus) cuius opus ab electione exiccatur, imperiúmque uoluntatis noſtræ imitatur, utpote qui ambiens ceruicem ueſicæ, eam ita exactè ſtringit, ut nihil humoris ex ueſica in meatum ingredi poſsit. Atque ſimilem quoque & actionem, & utilitatem habet muſculus, qui recti inteſtini partem extremam ambit. Proinde ipſis reſolutis, neque urinam ueſica, neq; ſtercora aluus retinere poteſt. Sed præter uoluntatem paucis omnino interuallis utraque excernuntur, urinæ ergo emiſsio fit, tum propter coaceruationem eius in ueſica, tum etiam propter muſculi conceſsionem, ut & Raſis aſſerere uidetur.

De hiſt animal lib 1 cap. vii lib 6 cap 6 De locis affectis.

Cont. 2.

Quid

Quid per Carunculam, ſiue Callum intelligendum ſit.

CAPVT II.

Caruncula innata ceruici ueſicæ, ſiue Callus, malæ compoſitionis ægritudo eſt in urinæ itinere, cùm (exempli gratia) uel ſponte naturæ uel ob incuriam medentis, ſiue ægri in initio morbum negligentis, caro ex præcedenti ſolutione cõtinui, incrementum ſuſcipit, cuius propter additamentum, urinæ fiſtula anguſtior redditur, arq; ita urina ſupprimitur, ſiue caruncula uniuſmodi, ſiue diuerſi generis ſit, ut ſyncera, ut mollis, ut dura, aut fungoſa, aut rotunda, aut cum albedine calloſa, uerrucoſa, poroſaq́; aut alteriuſmodi ingenita, cum profunda cum euidenti duritie, aut ſumma. Quarũ per ſe quælibet de ſui remotione ac diminutione indicat. Lib. 1. De locis affectis.

Quibus de cauſis Caruncula ſiue Callus innaſcatur, augeaturq́;.

CAPVT III.

Tribus in uniuerſum modis urinæ fiſtulã ſtipari cenſet Galenus. Aut enim inquit corpus ipſius in tantum tumorem præter naturam attollitur, ut meatus inde occupetur. Aut aliquid ei præter naturam, ut uel caruncula, uel callus innaſcitur. Aut à re quapiam obſtruitur meatus. Nos uerò de caruncula, ſiue callo tãtum dicturi ſumus, ſcilicet quibus modis quibúſue cauſis oriantur, augeanturq́;, ſubinde ea, quæ ad exactam eorũ curationem faciant propoſituri. Fieri itaq; poteſt ut è quatuor aliquo humorũ uitio, ac potiſsimùm piruitoſi, aut melancholici, aut ſalſi, aut è craſſo ſanguine aut aduſto, naturæ ſponte callus, uel caruncula innaſcuntur: quemadmodum in cæteris corporis partibus facilè accidere conſueuit. Frequentiſsimè autem ex diutina ſaniei effluxione, atq; aſsidua eius excoriatione, ob immodicam renum calefactionem, aut præcedentis abſceſſus ſuppurationem, eruptionemq́;, ueſicæ ceruix ac fiſtula urinæ exulcerantur, uno aut pluribus locis, rum magno, uel paruo ulcere, uel erodente, aut putrido, aut ſordido. Quibus in curandis remedia nõ exactè, non diligenter ob aliquam cauſam, ut putà fiſtulæ anguſtiam, aut cruciantem dolorem, uel etiam ob Medici imperitiam adhibita fuere, unde mox caruncula innata eſt.

Fiunt etiam caro, uel callus ex aſsiduo, arenoſo, uel calculoſo, uel luteo deflu xu, ſiue id è renibus ſit, ſiue in ueſica generetur. Accidit etiam tunc, ut in ſinuoſa illa ceruicis parte, atq; anfractibus aliquid retinearur, ac ueluti nitroſæ quædã particulæ & uitreæ, fiſtulæ intus affigatur, paulatimq́; & continenter increſcat, cumuleturq́;, ac demum uelut callus efficiatur, urinæq́; iter impediat.

Ex pituita prætereà, ſiue phlegmate defluente, modo muccilaginoſo, aut uiſcido, modo inſtar oui albi, aut uitreo, aut ſalſo, & corrodente in eiſdem ceruicis finibus, & eodem modo inhæreſcente, atq; increſcente, callus, uel caruncula gignuntur.

Ex ſuppurato item, atque erupto ueſicæ abſceſſu ceruici parte, adiacentes ul cerantur ob tenellam loci ſubſtantiam, ac ſaniei eroſionem: quamobrem caro additur, unde urinæ emiſsio prohibetur.

Sæpiſsimè & ipſa ceruix abſcedit, ex cuius ſuppuratione, atque eruptione id ipſum accidit.

Ex gallico etiam morbo, aut ganorrhæa, aut ex iocineris, aut cerebri ſanioſo fluxu ad renes ac ueſicam, tanquam ad ſuperfluitatum receptacula deſcendente, non modò renes ipſi, & ueſica, & ceruix, uerùm & tota fiſtula, quandoq; exulceratur. hinc fit, ut carunculæ toto illo meatu adauctæ, urinæ iter facilè impediant.

Quod fit etiam ex præcedentibus primitiuis (ut uocant) cauſis, uelut attri-

tione,contuſione ſoluta continuitate,aut conuulſione,aut fractura, aut uetere uulnere penetranti,aut fiſtuloſò,uel in ſuperioribus,uel adiacentibus locis.

In ceruice item ueſicæ ex præcedenti herniæ,aquoſæ,uel carnoſæ,uel uaricoſæ curatione id uitium fit,cùm uicinæ partes ulcerantur,excoriantur, ac uehementer breui,uel longiori temporis interuallo inflammantur,& cancroſa quadam(ut ita dicam)duritie,& carnoſa replentur atq; obſtruuntur.

Ex calculo prętcrea qui in ueſica habeat,humores pręnimio dolore ac pondere in eam confluunt,ac replent. Tum uirulenta quadam ui,non ueſicam modò,ſed eius ceruicem,ac fiſtulã erodunt, unde illud ipſum incidere neceſſe eſt.

Accidit etiam quandoque,ut per criticam expulſionem urina mittatur, uelutiĩn febribus,cæteriſq; interioribus morbis,in quibus criticæ expulſiones fiunt. Quæ quidem urinæ & copia,& acumine,& caliditate,& aduſtione tantam urinarijs meatibus inflammationem inducit,atque excoriationem, ut facilè & ulcerentur & putreſcant,unde caruncula innaſcitur:atque ueſica inſuper,& uicina loca uſque adeo quandoque inflantur,ut non modo ſcroti colligamenta, & muſculi coarctétur,uerùm etiam inteſtina ipſa,&(ut uocant)mirach. Quamobrem lotium in tantum ſupprimunt,ut de ægroti ſalute nehementer dubitari poſsit.

Ex immodicis etiam atq; aſsiduis exercitationibus renes & ueſica,à concurrentibus humoribus inflammati exulcerentur, unde extraneum aliquid urinæ emittendæ impedimento eſt.

Renes langueſcunt ob immoderatam Venerem.

Langueſcunt inſuper ac debilitantur renes ob frequentem atq; immoderatam uenerem,quamobrem debilitata continenti uirtute,expultrix plus emittit quàm par eſt,pro ipſorum renum nutritione:quapropter quod ſuperfluum eſt in ueſicam delatum eam exulcerat,& carunculæ, quæ urinam impediant, oriuntur.

Supprimitur quoq; urina,cùm genitale ſemen,ſiue in coitu,ſiue in pollutione propter caloris defectum ac debilem uim muſculorum titillationes excitantem non emittitur. Quare fit, ut corrũpatur, atq; indies putreſcat magis,quod cùm glutinoſa illa ſua & uitrea ſubſtantia ueſicæ intus inhæreat, non modò urinam ſupprimere poteſt,ſed uentri,pectini,ſcroto,& ueſicæ ceruici peſsimè abſcedendi cauſam præbere,& fiſtulas curatu perdifficiles ingenerare.

Qui bono habitu ſunt, & à uenere ob aliquam cauſam abſtinent,plurimam quandoque coaceruant ſuperfluitãtum uim: unde fit,ut cùm ad renes ac ueſicam, tanquam ad ſentinam quandam deferuntur ſanioſa ramenta,ulcera in eis, & ex his caruncula oriatur,urinæq; iter intercludatur.

Cùm quis item diutius in renes iacuerit,ut in prælongis morbis,qualis podagra,uel oſsium fractura eſt(frequenter fieri conſueuit)illi ipſi renes cum ueſica inflammati exulcerantur. Quamobrem orta caruncula,ſiue callo,urinæ iter impedire neceſſe eſt: quod & alijs etiam de cauſis,quibus,ne longiores ſimus,conſultò ſuperſedimus,accidere poteſt.

Quibus indicijs Carunculam innatam eſſe demonſtretur. CAP. IIII.

SOlertis Medici officium eſt ex pręcedente morbi inquiſitione cum præſentia,tum futura prænoſcere,atq; ita ad perfectam eius notionem deuenire. Id hoc quidem caſu fit, cùm per ſigna,atque ęgri,uel familiarium relationem compertum habemus, morbum (exempli cauſa)gallicum innatæ carunculæ cauſam fuiſſe. Ex eius enim notis, & magnitudo mali hujus,& curationis eius difficultas maiori ex parte cognoſcitur,quæ ſanè ex malignitate eius non modica eſt, cùm morbi contagioſi atque atrocis, qualis ille plærunque eſt, proprium ſit, non facile medicamentis ſuperari.

Vari-

Varicoſa item uel carnoſa hernia, uel abſceſſus, qui ceruicem ueſicæ occuparit (ut ſuprà eſt dictum) cauſam præbuiſſe poſſunt. è quibus etiam morbis per difficilem eius fore curationem haudquaquàm dubitandum eſt. Tanta enim in hiſce ſæuitia ac malignitas eſt, ut & medicaminum uis, & medentium uirtus non difficulter infirmetur, minuatúrque. Ex renum præterea antiquo affectu, aut uetere interni membri fiſtula, aut iocinoris, aut cerebri ſymptomatico efflu xu (ut dictum eſt) aut alterius huiuſmodi partis facilè indicabitur morbus, ſed cum difficultate curari poſſe. Quinimò affecti membri compoſitio, ac nobilitas, & cum alijs principalibus membris connexio, & loci anguſtia, & tractandi difficultas non modò difficilem curationem, ſed & uitę periculum perſæpe demonſtrant. Verùm ut cætera ſigna perſequamur, euidenti etiam argumento eſt eminentē carunculam ortam eſſe, urina guttatim effluens, uel tortuoſa, uel longè etiam tenuior, quàm eſſe ſolet. Sed illud præ cæteris indicium maximum eſt, cùm per argaliæ (ut uocant) uel ſpecilli, uel alterius inſtrumenti immiſsionem, in ea periculum facimus. Ex his enim facilè cóijcitur, uel adnatam carnem, uel obductum callum, urinæ iter intercluſiſſe. Quibus ſane cognitis, ac diligenter examinatis ad curandam ægrotationem, Dijs benè iuuantibus, non timidè aggredi poſſumus. Quandoquidē etſi ea magni momenti eſt, & curationis quàm difficillimæ, nihil tamen eſt cur ægrotum ipſum deſeramus. Cui, dum anima eſt (ut ſapienter inquit Cicero) ſpes eſſe dicitur.

De Specillis ſiue inſtrumentis, quibus in morbi curatione utendum eſt. CAP. V.

COmplura ſunt ſpecillorum, ſiue argaliarum genera, compluraq; eorum quæ uicem præſtant. Quibus de primùm dicendum eſt. Sunt igitur maluarum, ſeu petroſelini, aut fœniculi, aut alterius conſimilis herbæ turiones ſiue cauliculi, longi tamen, ac duriuſculi, quibus carunculam ſiue callum inquire, & rumpere commodè poſsimus. Candelæ inſuper oblongæ craſsiuſculæq;, at molliuſculæ ex arte atque uſu fiunt, aut ex cæra alba, (ut frequentiſsimè fieri ſolet) aut ex citrina, aut ex uiridi cum aliqua æruginis raſæ portiuncula. Aerugo enim maximum detergendo, carunculæq; innatæ curandæ remedium eſt: aut commiſcendum aliquid aliud ex detergentibus, aut conglutinantibus, ut infrà proponemus. Specillum prætereà ſatis accommodatum eſt, ſi ex tereti ac flexibili plumbea uirga fiat tanta craſsitie ac longitudine, ut ingredi egredíque pro medentis arbitrio commodius poſsit: quod modò tenuius, modò craſsius pro fiſtulæ anguſtia fabricandum eſt. Cùm utimur ad rumpendam carunculam, omninò craſsius faciendum eſt: eam uerò candelæ loco, tenuius conflandum: tum extrema parte, quæ immittitur, id aliquo ex medicamentis, quæ ſuo loco dicemus, eſt inungendum: Eodem etiam modo ex auro, argentóue, aut ex ſimili metallo fabrefieri poſſunt. Argalię quoque eodem pacto, ex eadémque materia leues in extremo, ac rotundæ, uniformes habendæ ſunt: ut facilius intromitti, atque innatam carunculam incidere, uel minuere poſsint.

Quæ præparatio ante propriam curationem adhibenda ſit. CAP. VI.

IN omni re antequā aggrediare (ut ſapientiſsimè inquit Cicero) pręparatio diligens adhibenda eſt, quapropter antequam innatæ carunculæ propriam curationem aggrediamur, communia illa remedia præponenda ſunt, quæ in alijs etiam morbis adhiberi conſueuerunt. Cognita igitur ægri habitudine per pharmaca, & uictus rationē peccanti

humori primùm ſubueniendum eſt. Quod fit per ſanguinis emiſsionem, per ſyruporum pharmacorúmque exhibitionem, prout humoris, uel morbi recentis uel ueteris ratio, uel neceſsitas poſtulârit, ac præſertim in gallico affectu, in quo multò accuratiùs agendum eſt, ne quid mali ſymptomatis ſuperueniat, ut febris, ut rigor, ut humorum defluxio ad ueſicam, teſtes, membrum. Quæ ſæpiſsimè ob id intumeſcere, ac ſuppurare peſsimè conſueuerunt: quinetiam frequentiſsimè emoriuntur, adeò ut nulla ſit ſalutis ſpes, curationiſq; remediũ: quamobrem ita corpus debita euacuatione, ac ſanguinis detractione præparandum eſt, ut de noua humorum effluxione dubitandum non ſit. Quinetiam ad omnem ſuſpitionem tollendam, ne quid rurſus ingeneretur coaceruetúrq;, ſanè multum profuerit ligni ſancti decoctum eo modo ac ſerie, quam morbi et ægrotantis natura expoſcere uidetur præparatum. Qua de re in eo libro, quem de eius ligni multiplici medicina conſcripſimus, ſatis accuratè à nobis dictum eſt. Nec quicquam prohibet (ſi præcedente curatione opus ſit) aluum rurſus leniri, atque inflammatos humores refrigerari, mannæ ſcilicet, caſsiæ, tamarindorum, catholici, aut alterius generis ſoluentibus potionibus: ac potiſsimùm polypodij ex noſtra deſcriptione, quod ſæpenumero ægris ſalutare expti ſumus.

Quo anni tempore præſtet curatio.

CAPVT VII.

OMni autem anni tempore, urgente neceſsitate, curatio adhibenda eſt, quam tum differre periculoſum eſt. Quinimò uel eodẽ die ſuppreſſa urina, & ob id ægro periclitante, non minuenda modò caruncula uel callus eſt, uerumetiam ceruix ipſa incidenda: atqui cùm morbus dat inducias, uernum tempus & autumnale præſtat, ac hyemale quàm æſtiuum commodius eſt. Martio itaque menſe Aprili, Maio, Septembri, Octobri, ac Nouembri fœlicius res peragetur, hoc eſt, ſine prauorũ accidẽtium metu & uitæ periculo. In ea enim anni temperie humorum illæ effluxiones, atque abſceſſuum congeſtiones non facilè fiunt: ita ut cum ægris melius agatur. Loca inſuper quò ſicciora fuerint, eò ſalubriora ſunt. Sed illud præ cæteris ægri commonefaciendi ſunt, ſcilicet ut menſem, cùm minimum à Venere abſtineant, ne partes illæ renum ac ueſicæ ſeminales debilitentur, inflam mentúrque, quod ſanè maximoperè officit.

Carunculam ſiue Callum medicamentis præmolliendum eſſe.

CAPVT VIII.

MVltis ſanè modis Caruncula, uel Callus medicamentis præmolliendus ac digerendus eſt: ut detergi & minui facilius poſſint. quod rectè hyeme fit, ſi per aliquot dies iniectorio (ut uocant) diluantur, de cocto ſcilicet fœni græci, ſeminis lini, radicum althææ, ſingulorum manipulo, ex aqua pluuiali, aut fontana, quibus percolatis, & aliqua mellis uel ſapæ portione iniecta, uel decies die calida lotio fiat. Aeſtiuo autem tempore, aut in calidis habitudinibus, fiat ex maluarum cum ſuis radicibus, hordei mundi, uiolarum, ſingulorum ſeſquimanipulo, quibus aqua pluuiali concoctis, atque excolatis aliquid rubri ſaccari ſit adiectum, quo eodem modo utendum eſt. Aut fiat ex uiolarum floribus, aut utriuſque bugloſſæ, qui ex aqua hordeacea ferbuerint, adiecto eodem ſaccaro. Aut decoctum, & omni anni tempore ex emundatarum paſſularum, ſebeſten, intyborum, ſingulorum uncijs duabus, amyli drachmis tribus, ex aqua hordei, & maluarum cum ſaccaro, ut ſuprà eſt ſcriptum: aut ſyrupum de dactylis, uel capillorum Veneris, aut glycyrrhizæ

mundæ, ficuum aridarum, dactylorum, ſingulorum decem, quæ aqua hordei ferueant. Facta proinde aliqua ex his lotionibus, candela uaccino butyro, uel bubalino, aut oleo amygdalino dulci, aut ſeſamino, aut communi inuncta, aut aliqua axungia, ut anſeris, ut anatis, immittatur. Spongijs item ex eorundem ſimplicium decocto madentibus, locus extrinſecus fouendus eſt. Aut ex eo decocto, quod libro ſecundo de Sclopetorum ſiue Archibuſorum uulneribus, conſcripſimus, ſcilicet corticum radicum Althęæ, Inulæ, Bryoniæ, ulmi, cucumeris aſinini, ſingulorũ manipulo uno. fœni græci, ſeminis lini ſelibra, bis die per horas duas ante cibum. Aut ex arietinis, uel uitulinis inteſtinis cum arietino capite: quæ aqua diſcocta ſint, fœmen foueatur, aut oleo, aut re ſimili, ut ex arte fieri conſueuit. Emplaſtrum prætereà ex anſerina, uel anatina axungia, uel conſimili, aut ex fœni græci, & ſeminis lini farina, quæ in uino dulci, & oleo ferbuerint. aut cepa ſub prunis toſta, & farina triticea, & butyro, uel axungia ſuilla imponendum eſt. Quòd ſi æger huiuſcemodi medicamenta faſtidiat, cæratũ ex axungia ſuillæ ſelibra, & lithargyrij aurei uncijs quatuor, aut emplaſtrum ex ammoniaci, bdellij, quæ acetum diſſoluerit, ſingulorum ſemuncia, & axungiæ urſinæ drachmis tribus, aut cærati de mucilaginibus, & œſypi Philagrij, ſingulorum ſelibra: aut ex maiori diaquilon cum gummi, uel ſine gummi addendum eſt.

Quibus medicamentis Caruncula tollatur. CAP. IX.

Conuenit inter Medicę rei profeſſores Carunculam hanc ſponte naturæ nullo modo, nullóque tempore ſanari poſſe, niſi beneficio artis adiuuetur. Naturę enim ſponte augetur potius, quàm ulla eius diminutio fiat, quamobrem ars plura medicaměta, pluraq́ inſtrumenta parauit, ut incidens & candens ferramentũ, in quibus ſanè medicamentis diuerſitas non modica eſt. Alia enim imbecillę uirtutis ſunt, alia ualentioris, alia mediæ. Valentiora medicamenta appello, rationenobilitatis membri affecti, atq; affinitatis cum principalibus membris, quæ alioquin ualentiora dici non poſſunt debilitata & præparatione, & beneficio artis. At medicamenti effectus eò perfectior, ac præſtatior eſt, quò minoris mordicationis ac læſionis eſt ſua ſcilicet moderata abſterſione, atque exiccatione, ut Princeps aſſerere uidetur. Tum moderata quadam temperie & correctione, quæ gradum non excedat, membri ſubſtantiam perdat, & pluſquàm par ſit, erodat, ac deuoret. Quæ omnia in perniciem ægrotantium accidere conſueuerunt. Quapropter cùm membri nobilitas, & ipſius anguſti meatus Chirurgicam operationem nõ admittat, incidentis ſcilicet & candenti ferramenti, induſtria quadã medicamentorum munus exequendum eſt. Quamobrem artifex, præparata candela tantę longitudinis & craſsitudinis, ut opus perfici poſsit, partẽ quæ extremitati propinqua eſt, per tranſuerſi digiti ſpacium aliquo ex medicamentis, quæ infrà dicemus, inungat. Sed illud præ oculis ſemper eſt habendum, ne erodentia medicamenta liquida, aut lenia unquam immittantur: maius enim detrimentũ quã adiumentum ſanis locis atq; adiacẽtibus ſequeretur. Adeò etenim urinarij meatus tenella ſubſtantia eſt: ut moleſtiora medicamenta, qualia erodentia ſunt, ferre non poſsit. Quapropter medicina talis adhibenda eſt, atque adeò duriuſcula, ut uix in tranſitu fiſtulæ partem aliquam efficiat. Quòd planè tutiſsimè fiet, ſi cum aliquo ſubſequentium emplaſtrorum medicamentum commiſceatur, ut cæratum eſt de mucillaginibus, diaquilon (paruum nuncupant) cæratum de ceruſſa, Emplaſtrum de lithargyrio (Tripharmacon appellant) Emplaſtrum de minio, & cæteris. In ea enim diſſolutorũ Emplaſtrorũ ſubſtantia modico negotio miſcetur. Eodẽ exẽplo puluis ſit de medicinis debiliorib. carnem minuentibus, ſi ex cærato ceruſſæ uncia, lento igne liquefiat, & corticũ radicũ dulciũ ma

Fen. 4. tract. 3. cap. 12.

Vrinarij meatus adeò tenella eſt ſubſtantia, ut erodentia medicamẽta ferre nequeat.

lorum granatorum, aut ponticorum in umbra exiccatorum; & in ſubtiliſsimũ puluerem redigantur drachmæ duæ, & miſceatur aluminis ſaccarini dimidius ſcrupulus, & candelæ (ut præcipimus) extremitas illinatur: quòd ſi medicamen hoc, uel cætera, quæ proponemus, duriora quàm par eſt, ob eam pulueris admiſtionem uideantur, olei aliquid, aut gallinæ axungiæ adiungendum eſt. Aut illius manibus oleo, uel axungia diu Emplaſtrum ſubigendum eſt, ut lenteſcat, quatenus opus ſit, eoq; in curatione utendum eſt. Aut medicamen fiat ex cærati de mucillaginibus uncijs duabus, ſucci corticum capparum, ſucci cupreſsinarum nucum, corticum iuglandium uiridium, aut eius loco foliorũ olearum ſylueſtrium, uel olearum immaturarum, & portulacæ ſingulorum drachmis tribus, & ad cærati ſpeciem redigantur: quo utaris ut dictum eſt. Aut cæratum fiat ex ſpongiæ combuſtæ, corticis ſaligni combuſti ſingulorum drachma una, quæ ſecundum præcepta artis conficiantur. Medicamenta autem media ſunt, ſi cærati uncia de minio liquefiat, ſucci ſquillæ drachma una, portulacæ drachmæ duæ, & olei frumenti drachmæ totidem: quæ ubi ferbuêre, in cærati ſpeciem redigantur. aut cum medicamen componitur ex cærati ceruſſæ uncia una, lactis fici, paulùm in ſole condenſati drachmis tribus: quæ manibus tractata commiſceantur, aut ſalis communi, ſalis gemmæ ſingulorum drachma una, cęrati de mucillaginibus uncia una, aut drachma æruginis raſæ parum combuſtæ cum eodem cęrato. Tutiſsimum autem & probatiſsimum medicamentum eſt, & quod uires omneis medicamentorum habeat imbecilli ſcilicet, ualentioris, ac medij, quod ex ſauinæ exiccatæ in umbra ſeſquidrachma fit, ac cærati de mucillaginibus ſemuncia. quàm tutiſsimè enim tractu temporis carunculã omnẽ ſine dolore minuit, ac deinde radicitus tollit, atq; exiccat: quod non modò in hoc morbo experti ſumus, ſed in omni uerendorum ægritudine ubi caro adiecta ſit, ſi puluis tamen ſuper aſpergatur, ubi loci opportunitas expoſuit. Aut ex hellebori nigri, ſtercoris murini, ſalis paulùlum uſti, ſingulorũ ſeſquidrachma, cærati ceruſſæ ſemuncia, ſucci porri, aut umbilici ueneris drachmis duabus, ex tragacanthæ aduſtæ, oſtreorum, calcis nondum aqua extinctæ ſingulorum drachma, cum cærati de mucillaginibus uncia dimidia. Aut ex albis ouorum dum quæ ſub prunis, uel feruenti aqua induruerint, uitrioli (ut uulgò dicunt) ſeſcuncia, quæ uertantur in puluerem, & conficiantur, uel humidis locis in filtro (ut uocant) ſeruentur, ac deſtillet aqua, de qua ſemuncia cum cærato de mucillaginibus aſſumatur, & lento igne in ſpeciem emplaſtri redigantur. Aut fiat ex ſeminis & radicis ſerpentariæ ſingulorum drachma cum eodem cærato de mucillaginibus. Aut ex nucis cupreſsinæ, colocynthidos ſingulorum ſeſquidrachma, cum cærati ceruſſæ ſemuncia. Sed illud in cauſtici medicamenti adminiſtratione aduertendum, quantò innata caruncula antiquior eſt, eò difficilius curari. quapropter imbecillioribus medicamentis nõ ſufficientibus, ad ualentiora recurrendum eſt. Itaq; cum carni ea minuendæ propter ob calleſcentem eius duritiem ſatis eſſe non uidebuntur, ad eam pugnandam ac diſſoluendam argalia, uel ſpecillo benè perforantibus, & incidentibus, ut facilius penetrare poſsint, opus peragendum eſt. nec eſt cur ſanguinis effuſionem per hæc inſtrumenta timeamus, ſaluberrima enim ea eſt, dummodò ex caruncula ipſa (nec aliter) effundatur: quod ipſum modico negotio cognoſceretur, nobis facilè ſentientibus immiſſam argaliam, uel ſpecillũ repugnante caruncula impediri. quinimò tum Chirurgicum opus proſperè ſuccedit. Vidimus enim complures ſola ſpecilli, uel argaliæ ope curari, cum innatam illam carũculam penetrarent. Vrina enim tum egrediens ſuaptè abſtergendi atque exiccandi ui, ſine ullo alio artis præſidio ſanare poteſt. quòd ſi ob morbi malignitatem, aſſequi non poſſumus, ad ualentiora (ut ſuprà dixi) remedia confugiendum eſt. Id fiet, ſi ex uiuæ calcis, arſenici rubri, quę in aceto diẽ macerando, præparaaris, ſingulorũ dimidia drachma

&

& cum cerati de mucillaginibus ſemuncia medicamen conficiatur. Tutiſsimũ uerò illud Alexandri Græci medicamentum, atq; omni ex parte ſaluberrimũ, quod fit ex uitrioli romani, auripigmenti, aluminis rochæ, æruginis raſæ, quę aceto albo acerrimo per triduũ emaceraris, in ſoleq; exiccaris, ſingulorũ drachma una, cærati ex cæruſſa uncijs duabus, quæ lento igne ferueant, exinde prædictorum pulueres miſceantur, & ex his factum cæratum in uſum ſeruetur. Aliud præterea tutiſsimum, ualentiſsimumq; medicamentum eſt, quod fit ex pręcipitati (ut uocant) drachmis duabus, emplaſtri ceruſſæ ſemuncia. Aut ex zimat (quod dicunt) floris æris ſingulorum drachma una, quæ aceto atq; aqua roſacea quatuor & uiginti horarum ſpatio macerata, atq; exiccata in ſole, & emplaſtri ceruſſæ uncia adiecta uſui ſeruanda ſunt. Aut fiat ex aquę, qua diſſoluuntur metalla (fortem uocant) drachmis duabus, cærati ceruſſæ uncia una, & lento igne cæratum fiat. aut ex aluminis combuſti, æruginis raſæ combuſtæ, chalcanthi uel (ut uocant) uitrioli combuſti, ſingulorum ſemidrachma cum cærati de mucillaginibus, ſeruenturq; in uſum: ut ſuprà dictum eſt. Lib. 2. cap. 13.

Qua ratione internæ partes exulceratæ atque inflammatæ curentur poſt carunculæ diminutionem.
CAPVT X.

FIERI non poteſt quin in carunculæ innatæ curatione internæ partes omnes ulcerentur, excorienturq;, & cũ dolore, maximaq; eriſione, & ardore, & præſertim in lotio emittendo. Vnde neceſſe eſt ægros non minus, quàm ob innatam carnem excruciari. Opportunis ergo remedijs tum proprijs, tum communibus occurrendum eſt, ne morbus indies increſcat. Propria quidem extemplò, & intrinſecus & extrinſecus adhibenda ſunt: ut loca affecta recreentur, & à corruptione, & ab abſceſſu defendatur. Quod ſanè initio fit iniectorio liquida immittendo, quale caprinum lac, aſininum, uaccinum, humanum, aut dulcium amygdalarum, aut quatuor ſeminũ frigidorum maiorum, uel aquam hordei, roſaceam, plantaginis, myrtearũ baccarum, endiuiæ, nenupharis, uiolarum, aut decoctum ſeminis pſyllij, aut ſeminis maluæ, aut ſolani, foliorum maluarum, aut uiolarum, aut ſummitatum fabatum, aut arnogloſſæ, aut glycyrrhizæ recentis, aut quatuor ſeminum frigidorũ maiorum, aut cotoneorum, aut ſeminis lini cum roſaceo æqua portione. Quibus in lotionibus ouorum quatuor alba ſecundum artis præcepta, agitata, in principio præſertim maximè congruunt. Quod profectò acrimoniæ, & doloris remedium præſentaneum eſt. Internis etiam lauationibus philonium pro antidoto miſcendum eſt, atq; ore ſumendum, ſi opus ſit. Quæ lotiones ſanè fieri poſſunt ex roſaceo immaturo, myrteo, uiolaceo, nenufarino, amygdalino, ac generis eiuſdem cum ouorum albo. Lenimen quoq; fit ex unguento roſaceo, ſandalino, refrigerante Galeni, roſaceo, uiolaceo, nenufarino, papaueris, mandragoræ, atq; eiuſdem generis cum refrigerantium herbarum ſuccis. Extrà uerò (ſcilicet pectini, ſcroto, peritonæo, & coli) panni conueniunt eiuſdem lotionibus, & aquis madentibus, aut in oxycrato ex aceti & aquę roſaceæ æquis portionibus, aut in ſuccorum, ſolani, plantaginis, lactucæ, & aquę roſaceæ, aceti roſacei, & olei itidem roſacei, in ouorum albuginibus pari pondere, aut in eiſdem ipſis, cum ſuis uitellis agitatis, aceti roſacei portione dupla, & paulo aceti adiecto, uel pro his olei uiolacei, nenufaris, & papaueris dupla itidem portione: quibus omnibus opij grana aliquot (ſi uehemens fuerit dolor) adijci poſſent: quæ omnia calida magnopere conferre ſolent. Emplaſtra etiamnum fiunt ex hordeacei, furfuracei, uel miliacei panis medulla, cum lacte aliquo, ex eo omni, qđ ſuprà memoratum eſt: quibus emplaſtris ouorum recentium alba cum uitellis

commiſcenda ſunt. Aut ex hordeacea farina, cum maluarum & uiolarũ folijs, & nenufaris, uel maluarũ, uel fabarum floribus. Aut ex ſandalorũ, ſumach, ſpodij, myrti baccarũ, ſingulorum ſemuncia. Acaciæ, hypociſthidos, ſingulorũ drachmis duabus, ſucci plãtaginis, ſolani, aquę roſaceę, ſingulorũ uncijs duabus, tum farinæ hordeaceæ quantũ ſatis eſt: è quibus cum albis ouorum emplaſtrũ fiat. Aut fiat unguentum ex olei nenufarini, uiolacei, ſucci endiuię, plantaginis, ſem peruiui, lactis humani, muccilaginis pſyllij ſingulorũ ſemũcia, camphorę drach ma dimidia cum cęra alba, quo ſanè unguento renes, pecten, peritonæũ, locaq; adiacentia illinantur. In incremento pręterea, & ſtatu cruciantis doloris, prædictis lauationibꝰ aliquid rubri ſaccari adijciendũ eſt, aut deſęcati mellis, aut rhodomellis ſaccarini, aut roſacei, ſyrupi uiolacei, ziziphini, aut glycyrrhizæ. Aut medicamentũ fiat ex corticũ papaueris, amyli, ſucci glycyrrhizę, ſingulorum ſemuncia, ſeminis hyoſcyami drachma, opij granis ſex, q̃ cum ſolani ſucco & caſei aqua, aut mulſa diſſoluta, & in ſpecié unguẽti redacta loco detergendo, & futuræ corruptioni prohibendæ, & dolori leniendo præſentaneo remedio ſunt. Aut decoctũ fiat ex glycyrrhiza uuis paſsis ſine uinaceis, ſebeſten, dactylorum ſimpliciter, uel cõmiſtim, uel in decocto ligni ſancti, aut ex teneri tatibus urticarũ, radicũ lapathi acuti, & inulæ cũ ſapa. In quorũ colatura paſtilli alchechengi diſſoluantur, & ſieph albũ cũ opio: aut fiant iniectiones cũ ſucco conſolidę aut diſſoluatur idẽ ſuccus cum aliqua prędictarũ lauatióum. Quòd ſi deterſio neceſſaria ſit, q̃ planè res è multo emanante pure, & graui eius odore cognoſcitur: quod quidẽ & eroſionẽ, & corruptionẽ, & ueſicę exulcerationem minatur, ſieph de memita, uel ęrugine roſa, lapideſcens ſaccarũ, roſaceũ, aut ęrugo raſa ad nigredinẽ cõbuſta, aut ęgyptiaci aliquid cũ lixiuio, aut mulſa, cum lupinorum, & lentium decocto diſſoluendum eſt: quo tutiſsimè utẽris. Sunt qui in hiſce lotionibus ad extremum remedium argẽtum uiuum mortificatũ diſſoluãt. Quo, in internis pręcipuè partibus, me iudice, ſi ullo alio modo fieri poſsit, omninò abſtinendum eſt. Candela item unguenti pompholygos, & apoſtolorum (ut uocant) uel alius conſimilis detergentis, ęqua portione illita immittenda eſt. Nec non & chalcitidis emplaſtrum cum roſaceo ad unguenti ſpeciẽ redigendũ eſt. Detergit enim optimè, & conglutinat. Extra uerò ex hordeacea farina, lupinorum, orobi, fabarum, & lentium, cum lixiuio, & ſyrupo acetoſo emplaſtrum imponẽdum eſt. Aut ex urtica, parietaria, malua, uiolis, umbilico ueneris cum ſapa. Aut ex maſtiches, olibani, boli armenicę, terrę ſigillatę, hypociſthidos, myrtearum baccarũ, mumię, farinę ſiliginis, lolij ſingulorum ſemuncia, olei roſacei, myrtei, ſingulorũ ſeſcuncia, cum roſacea, & plantaginis aquis. In declinatione morbi etiam iniectiones fiant ex ſieph albo ſine opio, bolo armenica orientali, ſiue cõmuni, terra ſigillata Alexãdrina, uel alia, ſanguine draconis ex lachryma, mumia iniecta cum lacte humano, aqua caſei, tota curatione præſentaneum remedium eſt. ex hæmatite, cimolia, ſandalionibus: ex paſtillis de charabe, de ſpodio ſimpliciter, aut cõmiſtim, aut cum aqua roſacea, plantaginis, uel myrtearũ baccarum, aut cũ decocto caudę equinę: aut diſſoluatur roſaceum cum aqua plantaginis, aut lotio fiat ex tutia præparata, & ærugine raſa cõbuſta cũ eadem plantaginis aqua, uel roſacea, de qua mentionem fecimus in libro de ligni ſancti multiplici medicina Cap. de Vulneribus mentulę. Quæ ſanè omnia medicamentorũ genera (prout res exegerit) repetenda ſunt. In declinatione item candela, aut plumbeum ſpecillum aliquo unguentò conglutinante, aut cicatricem inducente illitum immittendum eſt: ueluti unguento de minio, lithargyrio, plũbo, tutia, calce, aut de ſambuco, aut de tutia præparata, plumbo combuſto, antimonio, lithargyrio, ceruſſa, uel decies elotis cum aqua roſacea in plũbeo mortario, cum roſaceo, aut myrteo duas horas laborioſe agitatis. Quæ ſanè omnia dolorem leniunt, conglutinant, & carunculæ incrementum prohibent: quod

ſemper

ſemper medico timendum eſt: Cõmunia inſuper medicamenta neceſſaria ſunt, ne doloris magnitudine humores inflãmentur atq; ebulliant: quod quidem ab acetoſis, ſalſis, acutis abſtinendo, prohibetur. quæ res aũt abſceſſum impediat, & facto iam medeatur, ſanguinis miſsio, frequẽs alui deiecto, cũ cœleſti melle, ſiue manna, aut caſia imprimis eſt. Tum ſoluẽs electuariũ ſebeſten, aut leniẽs aliud, aut uiolaceus uel roſaceus ſyrupus, pulpa tamarindorũ, catholicõ, & cętera generis eiuſdem, prout neceſsitas ipſa ſex rerum non naturaliũ poſtularit. q̃ ſanè cõmunia, & propria medicamenta non ſolum in ulcerum internorum curatione, q̃ cauſa externa innata ſint, præſentanea remedia ſunt, uerumetiã in quauis interna affectione, unde exulcerationes, dolores, & excoriationes oriantur.

Quibus medicamentis abſceſsibus, phlegmonis, & eryſipelatis ſcroti ſuccurratur. CAPVT XI.

QVanquam, & antiqui, & recentiores de huiuſcemodi abſceſsib⁹ benè longam mentionem fecerunt, tamen cum in carunculæ agnatæ curatione ægritudo de membri raritate, ac neruoſa eius ſubſtantia, necnon uehementi dolore oriatur, operępretium facturũ me exiſtimaui, ſi quibus remedijs ſubueniatur (quod differre periculoſum ſit) aperirẽ, prout ex longo medendi uſu & rerum experientia cognoui. Abſcedente igitur ſcroto, uel aliqua eius parte, ſiue calidus, ſiue frigidus abſceſſus ſit: q̃ res & colore, & dolore, & inflammatione ſuperueniente indicabitur: & ſi cõmunia remedia præceſſerint, adhuc tñ iteranda eſſe cenſeo, & ſanguinis miſsionẽ, & deiectionem alui, ut uſus & morbi magnitudo poſtularit. Semper enim in defluentibus humoribus ab initio propter membri facilem receptum, uenæ inciſio baſilicæ, & ſaphenæ opportuna eſt: ut ab humore locus defendatur: & ſi quid deſcenderit, amoueatur. Vtatur itaq; æger prætenui uictu, habita, & ætatis & conſuetudinis ratione, deinde ad particulam ipſam curandã proprijs medicamẽtis deueniatur. In principio lenimentum hoc dolẽti loco imponendũ eſt, ꝙ habet roſacei immaturi, myrtearũ baccarum cotoneorum, ſingulorũ ſemunciam cũ cæra. Exinde laboranti particulę applicetur emplaſtrum ex ſolani contuſi uncijs quatuor, ſucci ſolani ucijs duabus, rubentium roſarum, myrtearum baccarum ſingularum ſemuncia, farinę hordeaceę, & fabaceę, ſingularum uncijs tribus, roſacei uncijs quatuor, cum decocto ſolani & roſarum. quo quidem medicamẽto paucis in diebus nõnullos ſanos fecimus: Aut fiat emplaſtrum ex malorum punicorum, rubentium roſarum, lentium, ſingulorum uncijs duabus, aqua & roſaceo ferueant: Aut fiat ex farina hordeacea, & fabacea ſingularum ſelibra cum aceto albo, aut nigro: Aut ex teneritatum hyoſcyami, hordeaceæ, & fabaceæ farinæ pari pondere cum roſaceo, & uiolaceo ſecundum artis præcepta: quòd ſi ab his æger abhorreat, madentes panni in ſucco ſolani, ſemperuiui, portulacæ, roſacei, & aceti æqua portione, aut in oui albugine cum roſacei immaturi, myrtei, ſucci portulacæ, & aceti pari pondere imponantur. In morbi autem incremento, & ſtatu lenimentum fiat cum olei chamæmelini, amygdalini, roſacei, myrtei æquis portionibus: Imponatur emplaſtrum ex florum chamomillæ, & meliloti ſingulorum uncia, farinæ fœni græci, & fabaceæ, ſingularum uncijs tribus, ſepi caprini uncijs quatuor, cum roſarum, & chamomillæ decocto: cum ab igne remouebitur, additis uitellis ouorum tribus. Aut ex farinę triticeæ, & fœni græci ſingularum ſelibra. Axungiæ gallinæ, olei uiolacei ſingulorum uncijs quatuor cum uino albo. aut in incremento, ſtatu, & declinatione ex pulpę paſſarum uuarum, fabaceæ farinæ, ciceris, & lentium ſingularum uncia, cumini ſemuncia, olei liliorum cœleſtium, ſapæ, ſingulorum ſelibra. In ſola autẽ declinatione fiat ex diaquilon minore, diapalmæ, ſingulorum ſeſcuncia, urſinę axungiæ drachmis tribus. Quod emplaſtrum quarto quoq; die imponendum

eſt. quòd ſi abſceſſus matureſcere incipiat, arte adiuuetur, incidatur & curetur ut fieri cõſueuit. Cùm autem frigidi humoris peccantis indicium eſt, in ſcroto abſcedente, optimũ remedium tota curatiõe eſt emplaſtrũ ex triticeis furfurib. in tenuiorem puluerem redactis, libra una uiui ſulphuris ſemuncia, ammoniaci aceto diſſoluti uncijs duabus, oxymellis ſimplicis, quantum ſatis eſt, quod calidum imponatur. Aut ex arẽtium roſarum, millefolij, ſtercoris caprini ęqua portione cum uino albo. Aut lenimentum à principio ad finem ex cimolia aceto diſſoluta. Aut ex lithargyrij aurei, plumbi uſti, olibani, maſtiches, colophoniæ aſſæ fœtidæ, aloes, ſingulorum ſemuncia, cum oleo & aceto roſaceis: & in mortario plumbeo agitatis: quibus bis in die abſcedentia loca illinantur: aut fiat ex furfuribus decoctis ex uino: aut ex ſemine lini cum uino: aut foueatur locus bis die ſpongijs hoc decocto madentibus, & parum expreſsis, ſcilicet ſeminis fœniculi, apij, petroſelini, cari, dauci, aniſi, cymini ſingulorum uncia cum uino albo, ferueant ut ex more artis fieri conſueuit. Illud autem diligenter animaduertendum, ac præ oculis ſemper habendum eſt, ne ſuppuratio abſceſſus diſtrahatur, & relinquatur ſanies. Quinimò ante abſolutum humorũ concurſum, & perfectam curationem incidatur, ne ſcrotum ac teſticuli emoriantur. Quod ſanè breui tempore fit, niſi diligenter prouideatur. Quòd ſi tamen contingat, ad corrupti amputationem (ne pars ſyncera trahatur) deueniendum eſt.

Qua ratione ſanati conſeruentur. CAPVT XII.

PRudentis Medici conſilio prouidetur, ne caruncula, uel callus (ut quandoq; accidit) rurſus innaſcatur: quod quidem rebus ſex nõ naturalibus fit, prohibendo ſcilicet humorum acumen atq; aduſtionem, & à noxijs abſtinendo, ne rurſus humores defluant locum infecturi. A uenere igitur potiſsimum abſtineat, qui iam ſanitatem eſt conſecut⁹, dũ cicatrix benè inducta ſit. Alioquin facillimè locus labefactari poſſet: utpote infirmus, ac debilis. Idcirco præter illa, quæ ad uictus ratiõé, & Pharmaceuticum regimen attinent, optimum quidem remedium fuerit ligni ſancti decoctum. ut in eius libro diximus, cùm de renum & ueſicę ulceribus ageretur. In omni enim curatione atq; in omni ætate, & in quouis humoris affectu, ſiue calidus, ſiue frigidus ſit, ſalutarem inde habebis medicinam. Quòd ſi ab uſitata atq; integra eius aſſumptione abhorreas, in prandio ſaltem, & cœna eo abſtinẽdum non eſt: cuius pręparandi rationem eodem loco deſcriptam inuenies. Vrinę autem iter rectè tuebere, ſi candelã butyro, aut oleo myrteo, aut roſaceo, aut amygdalino, aut aliquo unguento ex his, quæ cicatricem inducunt, illitam immittas. aut ea ex emplaſtro chalcitidis, uel diapalmæ fiat: quæ fiue per ſe, ſiue ex aliquo oleo inuncta mirifice prodeſt. Si autem inter immittendum carunculę, uel calli impedimentum, id eſt, eminentiam ſentias, ex uiridi cæra, hoc eſt, ex ærugine raſa commiſta (ut Pharmacopolæ nouère) cõflanda eſt. Aut aliquid olei uitrioli diſtillati, ei cæræ uiridi, uel alicui dictorum Emplaſtro more artis admiſceto. Deſiccat enim, carnemq; omnem ſuperfluam minuit. Ita ut non modò præſeruandi, ſed etiam curandi præſentaneum ſit remedium. Quæ omnia, quoties opus fuerit, repetenda ſunt.

Hæc habui de huius carunculæ morbo, quæ dicerem, cum præſertim breuitati pro uirili conſuleremus. Quæ ſi Medicis (ut ſpero) probabuntur, non dubito, quin & ægris ualetudinem medendo, & ſibijpſi decus quàm facillimè pariant.

FINIS.

IOANNIS LANGII LEMBERGII ILLVSTRISS. PRINCIPVM PALATINORVM RHENI ETC. MEDICI, THEMATA aliquot Chirurgica, ex opere Epiſtolarum ipſius medicinalium.

Sunt autem hæc.

1. *Methodum rectam curandi vulnera, pyrobolis cum glande plumbi aut æris facta, ignorare Chirurgos, qui uanum in extinguendo pulueris nitri ardore ſibi negotiũ faceſſunt.*
2. *Chirurgicorum in curandis articulorum vulneribus, phlegmone obſeſſis, ignorantia inexpiabilis.*
3. *Audax Chirurgicorum Germaniæ in cura cauſonis temeritas.*
4. *Eorundem in cæca cranei fractura curanda, cæca ignorantia.*
5. *De fungis in vulneribus capitis, atque alijs, Galeni explicatio.*
6. *Oculus cultro diſciſſus, à Langio illæſo uiſu curatus.*
7. *Qua temeritate chirurgi phlebotomatos ſanguinem abſorbere tremulum cogant.*
8. *Quare vulnera temporum periculoſa, & illorum uenæ ſectio ſteriles faciat.*
9. *De falſa eryſipelatis cura.*
10. *De emplaſtris barbaris enæmis.*
11. *De recta luxata inſtaurandi methodo.*

† Brauaſolus hęc tormēta ex Græco appellat pyrobolos

VVLNERA EIACVLATORIIS IGNE† TORMENTIS facta, citra methodum à chirurgis temerè curari. THEMA I.

ENIXE deſideraſti, ut tibi in bellum contra Machometicę factionis principem profecturo, aliquem uulnerarię Medicinę peritũ mitterem, qui pręcipuè uulnera eiaculatorijs igne tormētis illata, ac ardorem pulueris, cuius impetu miſsiles ex ære aut plumbo tormentorum globi eiaculantur, probè extinguere in uulneribus noſceret. Talis certè chirurgi operam libens cōducerem, quem in bello ἄνδρα πολλῶν ἀντάξιον ἄλλων cum Homero æſtimo: quales in Troianę urbis oppugnatione fuerũt, Podalirius, Machaon, & Chiron Centaurus.

Cor. Cel. li. 2. & 7. in proemijs.

Verùm cum hæc noua ſint bellica, à Germanis, & mihi finitimis Bohemis reperta tormenta (niſi quis illis honorem inuidens, horum autorem olim Salmonea fuiſſe contendat, qui teſte Virgilio, flammas Iouis & ſonitus imitatus Olympi, demens, Nimbos & non immutabile fulmen cœli, ære ſimulauit) & nouam quoq; requirant curam, à ueteribus ſpeciatim non prius edoctam: ea, me iudice, incenſum uulneris ex cōtuſione facti rectè referre, ac illorum methodo, prius tamen ærea extracta glande, curare quis poſſet, quam Hippoc. more Laconum breuiter ita complexus eſt: ἤν τις δὲ ὑπὸ τοῦ βέλους θλασθῇ τι, ἢ διακόπῃ σάρξ, ταύτην ἰατρεύειν, ὅπως διάπυος ὡς τάχιστα γένηται, ἧττον φλεγμαίνει. καὶ ἀνάγκη τὰς σάρκας τὰς θλασθείσας καὶ κοπείσας, πῦον γενομένας ἐκτακῆναι, ἔπειτα βλαστάνειν νέας σάρκας.

Methodum curandi uulnera cōtuſionum, docet Gal. lib. 5 Methodi. Hip. in libello de Vlceribus.

Nam quæcunq; uulnera cæſim uel punctim telo acuto præcipuè in carnoſa corporis parte facta, recens ſolis emplaſtris enhæmis & exiccatorijs, citra putrefactionem, curari poſſunt, ob id etiam minus ardent. At quæ contuſa ſunt, primùm putreſcere, quod non ſine ardore fit, oportet. quorum curationem ob id, ut quàm celerrimè, præuia aliquali putrefactione, ad ſuppurationem promoueantur, exigere Hippoc. hic aſſeruit. At uulgares noſtri ſeculi chirurgici, differentias & naturas uulnerum ignorantes, illorum curam nulla rationis methodo temerè aggredi audent: quorum uniuerſum curationis ſcopum in extinguendo uulneri pulueriſq; pyrij ardore conſiſtere arbitrantur, quem ex puluere tormentorum incendiario (qui ex ſulphure, carbonibus tiliæ, ac halinitro conficitur, cuius uix feſtuca aliqua cum glande miſsili uulneri ingeritur) oriri ſuſpicantur: qui tam exigua, aut ferè nulla uirtute cauſtica participat, ut eo non ſcabiem modò, ſed ulcera ſordida & cacoethica abſtergere & conſolidare uiderim.

De Nitro hæc Dioſcorides libro 5. cap. 85. & Plin. lib. 31. ca. 10. Gal. de Simpl. medic. lib. 4.

Taceo quòd nitrum, & eius ſpumam aphronitrũ, ueteres Medici contra uentris tormina cum cymino, & bupreſtis, fungorum, ac taurini ſanguinis uirus, in aqua dulci aut poſca ebibendum dederint. Sed noſtrates uulnerariæ medicinæ ſeplaſiarij, nihil prius ducunt, quàm hunc puluerẽ halinitri quamprimum ex uulneribus eluere. quare hic urinam pueri infantis, alter ſerum lactis caprini uulneri inſtillat. At ſi ex Galeno didiciſſent, oleum quod ſit ſalis expers, & aqua ſtillaticij roſarum liquoris lotum, ardorem ex thapſiæ urticæ, aut ſquillæ applicatione factum, ſedare: putredinem quoq; in ulceribus, ſine qua contuſa curari non poſſunt, promouere, id in principio rectius infunderent. externè uerò ea quæ humorum alluuionem & phlegmonem fieri prohiberent, quamprimum applicarent: & deinde reliqua quæ ad uulneris ſuppurationem & abſterſionem, incarnationem & conſolidationem fieri uulneris ratio poſtulat, ritè exequerentur. Talem ſi nactus fuero Medicum (qui nobiſcum Cygno nigro eſt rarior) quamprimum ad te mittam. Et tuum erit officium, ut illum ſuo merito ſtipendio & honore digneris. Nam fruſtra merere in caſtris, & gratis mederi, par cenſetur eſſe uitium. Vale.

Gal. de oleo dulci hæc lib. 2. de Symplic. medicina.

De

DE CHIRVRGICORVM IN CVRANDA VVLNErum apoſtematione imperitia. THEMA II.

QVIS igitur admonitus literis, uela uentis committam, tu uerò orá ſoluenti fœlix auſpicium precare:auſpicaturus à uetuſsima Medici nę parte Chirurgia,quam primùm Aeſculapius,deinde eius filij Machaon & Podalirius,ac Chiron Achillis pręceptor, Troiani belli tẽporib⁹ magno mortalium cõmodo domi foriſq; in bello profeſsi ſunt: quę cũ multarum rerum peritiam,tum maximè humani corporis conſtitutionis notitiam requirit:ſine qua nullus luxata inſtaurare, fracta coadunare uenam aut apoſtema rectè incidere poteſt. Ob id poſt Hip. Herophilus & Eraſiſtrat⁹, tanto ſtudio humani corporis fabricam ſcrutati ſunt,ut latrones morti addictos à regibus ex carcere impetratos, uiuos inciderint, quo uitali adhuc micante in corpore ſpiritu,illius organorũ actiones,officia,colligantias,& conſtitutiones exactè dignoſcerent. At noſtri ſeculi Chirurgici,cum ſemel uitulum aut porcellum lanium exenterare uiderint, totius anatomiæ imperiti, non uerentur ineffabili quadam tyrannide in corpora hominum urendo & ſecando graſſari: quod cùm in alijs morbis, tum maximè in curanda uulnerum phlegmone, eorum imperitiam uidere licet. Nam ſi quando forte fortuna caput aut finis muſculorum, tendo,circa articulos,arbitrarij motus organa ligamentis circumſepta, punctim uel cæſim læſa fuerint, tum ob dolorem & humorum colluuionẽ uulnus phlegmone inflammatur:qua niſi prius rectè curata,fruſtra uulneri medeberis: & membrum læſum non tabeſcet modò gangræna, aut ſphacelo putreſcens emorietur, ſed & putridos per arterias & uenas ad cor & cerebrum exhalans uapores, & patiens in ſomnis delirabit, & tandem ſpaſmo conficietur. Cæterùm cum nemo incognita curare poſsit, operepræcium erit, ſingula apoſtemationis uulnerum accidentia pathonomica ex Damocrate referre.

Corne. Celſus in Prologo lib 1.

Viuorũ & mortuorum Anatomia neceſſitas.

ὁ γὰρ μυὸς τρωθέντος, ἢ νεύρων τινῶν
ἢ καὶ νυγέντος ὑμένος ὀστέου
μετὰ τὴν τετάρτην ἡμέραν πυκνοὶ πόνοι,
καὶ φλεγμοναί, πυρετοὶ μετὰ συμπτώματα,
πολλῆς ἀγρυπνίας, παρακοπῆς, δίψους σφοδροῦ,
καὶ γλώττης γίνεται πρόσθεσις,
καὶ ἡμέραν ῥέποντα πρὸς τὰ χείρονα,
ἰχὼρ τρυγώδης, λεπτός, ἐρυθρὰ τραύματα,
ταῦτ᾽ ἐγγὺς αὐτῶν πάντα ἔχοντα σώματα
ὀργάς, διαστάσεις, φλεγμονάς, οἰδήματα.

Quamuis bona pars Medicorum cauſam phlegmões uulnerũ in corporis cacochymiá referunt, Damocrates tamen(me iudice) rectius in dolorẽ refert, qui ex muſculorũ neruis & tendinib⁹ uulneratis oboritur circa articulos, ſenſus & arbitrarij motus organa: quæ cũ ferè nulla carne ſint cooperta, acutius ſentiũt, & ob id maiori dolore, quàm epigaſtrij muſculi carnoſi affligunt: qui uelut cucurbitula omnifariã humorũ alluuiẽ ad uulnus pellicit, quo tandẽ uulnus intumeſcens, tertio, aut plurimũ quinto die phlegmone & alijs ſymptomatibus corripit. Ob id Hipp. li. 4. de Morbis inquit: Vlcera ſi curẽtur, maximè in diebus imparibus inflãmantur. uenit enim tum humor ad oẽs uenas, cum criſi turbat: uenę autem replętę, dolorem & calorem toti corpori inducunt. Proinde rectè tradit Damocrates, poſt quartum diẽ non ferendos dolores in neruorũ articulorumq; uulneribus, cũ grauiſsimis ſymptomatibus incrudeſcere: qui dolores cũ humorum affluxum ad uulnus proritent, quib⁹ uenę arterięq; circa articulorũ muſculos infarciant: qd obſtare poterit, quin doloris exacerbatiõe & ſanguinis

Vis doloris attractiua.

alluuio uulnꝰ ruborẽ,œdemate & phlegmone turgeat, & putredinis dolorisq́ꝫ æſtu adeò efferueat,ut putridus ille calor per uenas & arterias cordi pcordijsq́ꝫ cõmunicatus,tandẽ febrẽ continuam incendat,& linguã continua ſiti & aridi-tate emaceret?Nec cerebrũ ab illius contagione intactũ manet: quippe cũ muſculorum nerui à cerebro & eius medulla propagẽt,neceſſe eſt id, lege cõſortij,muſculorũ & neruorũ apoſtemationi cõpati. Quare dum morbus & dolor ingraueſcit,patiẽs uigilia & delirio affligitur,& tandẽ ſpaſmo diuellitur. q̃ cuncta Gal.de Prænotionibus ex pulſu,lib.4. his uerbis ſcitè cõplexus eſt,quę,cum Græca Latinis plus energię & lepôris habeant,hic inſerere placuit: οὐδὲν (ait) θαυμαςὸν ὐδὲ διότι τοῖς περὶ ἐπιγάςριόν τε καὶ θώρακα μυσὶ φλεγμήνασι πυρετοὶ ἑτοίμως ἕπονται. καὶ διὰ τοῦτο καὶ οἱ σφυγμοὶ μεγάλοι γίγνονται, καὶ ταχεῖς καὶ πυκνοί. τῶν δ' ἐν πήχει καὶ κνήμῃ μυῶν φλεγμηνάντων, καὶ μάλιστα καθ' ὃ μέρος αὐτῶν ἐκπεφύκασιν οἱ τένοντες, ἑτοίμως μὲν ἁλῶναι καὶ σπασμῷ, ῥᾷστα δὲ οἱ σφυγμοὶ τείνονταί τε καὶ σκληρύνονται. σαρκώδεις μὲν γὰρ οἱ περὶ τὸν θώρακα καὶ γαστέρα, νευρώδεις δὲ ἱκανῶς οἱ τ' ἐν χερσὶ καὶ ποσί. ἔτι δὲ μᾶλλον εἰ τινῶν φλεγμήνειε τῶν περὶ χεῖρας ἢ πόδας, ἑτοίμως μὲν σφυγμὸς αὐτοῖς γίνεται σκληρός, ἑτοίμως δὲ σπῶνται. Expoſitã ſatis clarè arbitror apoſtemati uulneris naturã, & ſymptomata,illorũq́ꝫ cauſas:ex quibꝰ Medicus phyſicus facilè totius curę & remediorum indicatiões depromere poteſt. Circa q̃ mira Chirurgicorũ imperitia manifeſtatur.nam cum(teſte Gale.)in curando uulnere nihil ſit prius,quàm prouidere ne phlegmone corripiat:hi nõ modò quid phlegmone ſit ignorãt,ſed nec muſculorũ aut tendinum aut articulorũ cõpaginem & ſitum nouerunt. Nec pricipio neruorum,ne ſpaſmo corripiat,prouidẽt: nec febris, qua totũ corpus tabeſcit, rationẽ habent,cum uulneratis merum bibere uinum,cibarijsq́ꝫ aromatũ conditura præparatis liberè ueſci permittant: nec uulneris apoſtemationẽ agnoſcũt,donec pro ſanie benè cocta liquorẽ feculentũ,oleagineum,& inſtar ſeri lactis tenuẽ ubertim emanare uiderint, quẽ Damocrates perbellè appellat ἰχῶρα τρυγώδη λεπτὸν, Cor. uerò Celſ. hydropẽ & meliterã appellat.Eſt,inquit, quædã ſanies,q̃ uel hydrops,uel melitera appellat̃. hydrops tenuis, ſubalbidꝰ, ex malo ulcere exit:maximè ubi neruo læſo, inflãmatio ſubſecuta eſt. Melitera, craſsior & glutinoſior,ſubalbida,mellisq́ꝫ albo ſubſimilis fertur:hęc quoq; ex malis ulceribus.ubi nerui circa articulos læſi ſunt,& inter hęc loca maximè ex genibus profluit. Quẽ liquorẽ,aut ſi mauis ἰχῶρα,noſtrates Chirurgici ineptiſsimo uocabulo Aquã articulorũ appellant, & eſſe arbitrant̃:licet ex oĩbus ſanè articulis, totius corporeæ molis, nõ tm̃ liquoris eliceres,quantũ uel una die & nocte ichoris ex uulnere apoſtemato profluit. At noſtrates ſcioli,hũc eſſe arbitrant̃ articulorũ mucci:aginẽ, quẽ natura(teſte Hip.)illis indidit,ne cõtinuo motu exiccarent,& ut illius muci lubricitate facilꝰ & ſine offenſa promouerent. Audi obſecro illorũ dementiã. Ne igitur talis ichor, quẽ ipſi congenitũ articulis humorẽ arbitrant̃,effluat incaſſum:pilis capreolarũ,quibus ephippia equorum infarciũtur,oſculum uulneris,appoſito ſpleniorum faſciculo obſtruunt:quo fit,cum ſanies illa effluere non poſsit, ut ſubtercutanea totũ perreptet membrũ. tandem hoc ſemiputridũ,obſtructis uitalis ſpiritus meatibus, ſphacelo emorit̃. Dicere me pudet,ſed dicã,q̃ hiſce oculis uidi:Ambergę chirurgũ, unguẽtum populeonis in patella ferueſactũ,bulliens adhuc,uulneris oſculo infundentẽ,à quo quũ remedij rationẽ ſciſcitarer,Malis mala curari oportere, reſpondit. tum patiens effuſis lachrymis:Certè,inquit,tua remedia nõ mala tm̃,ſed peſsima eſſe ſentio. cui ego poſt biduũ,abſciſſo ferra brachio medebar. Hi ſi ſcirent,calorẽ naturalem,omnis humorum concoctionis in corpore & ſaniei in ulcerib. digeſtionis eſſe opificem,facilè intelligerent,qua ratione tanta crudorũ humorũ copia,ex inflãmatis articulorum & neruorum uulnerib. efflueret. Nam perinde ac in corpore hominis morituri,ulcera effœto calore naturali,nulla ſanie bona madida, liueſcunt:ſic in his uulneratorũ corporibus,in quibꝰ cõgenitus corpori & mẽbro

Gal.lib. 6. Methodi id tradit.

Pollux lib. 4. hæc eadẽ Gal. in lib. de Tumoribus præter naturam. Cor. Celſ.li. 5. ca. 26. de ſaniei ſpeciebus. *Chirurgicorum gliedwaſſer.*

Lib de Locis in homine, & de fracturis oſſium.

Ridicula & perniciosa in uulnerum apoſtematione Chirurgicorũ medicamenta.

Vlcera morituri cur ſicca liueſcunt.

bro calor, febris & phlegmonis ęſtu obrutus languet, nullã bonã poſſe produci ſaniẽ fateberis: quam ſublata uulneris phlegmone & febre facilè produceret, ut tandem uulnus facilè curare poſsis. Sed q̃ ſit uera curandi uulnerum inflammationis methodus referre, Epiſtolę compendium non fert: quam Hippoc. & fidus illius interpres, cum paſsim alibi, tum in lib. 4. de Articulis, ac lib. 3. & 4. ac ſexto Methodi, te docebunt: quam etiam in conſilijs noſtris propediem publicandis leges. Vale, & de his boni conſule quæſo.

Cor. Celſ. li. 5.

IN CVRA CAVSONIS CHIRVRGICORVM *temeritas.* THEMA III.

NVper tuis literis Baro generoſe petijſti, ut quis nam fuiſſet morbus, qui duce Friderico comite Palatino (in cuius caſtris uterq; noſtrûm merebat) contra Machometicæ factionis Imperatorem in bellum profecto, in exercitu Romani Imperij ita populatim graſſatus eſſet, ut ferè plures eo tum morbo quàm hoſtis gladio perierint, tibi iterum in bellũ profecturo declarem. Quum itaq; cõmilitoni amico mos gerendus ſit, te celare non poſſum, fuiſſe alteram cauſonis ſpeciem, ueterib⁹ Medicis melius quàm noſtratibus cognitam. Cuius prima ſpecies, ſi aeris ſicca calidáque conſtitutio χολοποιΐα præceſſerit, tunc ab ortu Pleiadum uſq; ad ſolſtitium æſtiuale magno mortalium exitio ingraueſcit. cuius interna cauſa fertur cholera ſanguini commixta, in maioribusq; circa cor, epar, uentriculũ, ac non rarò circa pulmonem in uenis putreſcens, feruentẽ illam febrem ab urendo καύσονα dictam, parit: cui⁹ æſtu lingua aduſta nigreſcit, patientemq; ſæuiſsimis ſymptomatibus, nempe cephalalgia, delirio, hæmorrhagia, phrenitide, & tandẽ uentris torminib. & diarrhœa emacerat: & magis interne circa præcordia, ſiti intolerabili, quàm in extremis ęſtuat. At altera notha eius ſpecies hyberna, plurimũ ab ęquinoctio autumnali uſq; ad Pleiadũ occaſum, ſi auſtralis aëris cõſtitutio præceſſerit, ingraueſcit: cuius humore & frigore cholera, eius in uenis fomes, pituitę permixta miteſcit, ac longè præfatis mitiora ſymptomata parit, curatuq; altera eſt longè facilior: & cum huius febris cauſa procathartica ſit aëris conſtitutio, qui teſte Hippocr. cõmunis eſt Epidemialium morborum cauſa, & hanc eſſe Epidemiæ aut Endematis morbũ, contagionis lue infectum, quis inficiabitur? Nemo. Hic eſt ille morbus, qui autumni tempore in Pannonia milites pręteritis annis toties debellauit, & crebro populatim in Rheni accolas ſæuit: quem uulgus ab accidente modò cephalalgiam, modò ob nigricantis linguę colorẽ, fuſcedinem ineptiſsimè appellant. Sed cur quotannis hoc morbo tot hominum millia pereunt, in promptu cauſa eſt. Nam dum hæc Epidemialis febris lues ſęuit, tum præcipuè in caſtris, non naturę & morbi peritus Medicus, ſed indoctiſsimus quiſq; chirurgicus, qui nec cauſam nec ſubſtantiã morbi nouit, accerſitur. Itaq; in ſola huius morbi cura millies chirurgicorum imperitia plures, quàm hoſtis gladio interimi, ſanctè deierare auſim. Qui cum cauſam morbi & necis in fuſco linguę colore ſubſiſtere arbitrentur, quàm (Deus alme) fœda excogitant remedia, quibus linguam expoliant? Hic expreſſo de cancris ſucco, os patiẽtis colluit: alter diſſoluto equorum ſtercore, illius colatura linguam ægroti eluit. Taceo quod nefas eſſe ducunt, alio quàm fuſci aut rubei coloris panno, aut alio quàm prunorum fuſci coloris ligno, linguam abſtergere: ac ſi ſpecialis in coloris ſimilitudine ſubſiſteret ſympathalia. O ſtulti, quando accidens, neglecta illius & morbi cauſa, curare ſatagitis: umbram quoque corporis creta dealbare fruſtra laborabitis. Hæc illorum temeritas, ſanè eos prodit ignorare, quis ſit in complicatis affectibus, quos Græci συνθέτους appellant, curationis methodus, & indicationum ordo ac ſcopus: quorum primus à cauſa affectuũ & morbi ſumit̃ interna, quę ſui ablationem per contrariũ indicat. Conſtat aũt morbum eſſe ſuo-

Prima cauſonis ſpecies æſtiua.

Hippo. & Gal. li. 1. & 2. Epid. & li. 1. de Mor. ac. lib. 4. Reg. acut. lib. 5. de Loc. affectis. Gal. Diocles. Chariſt. ad Antigon. regem.

Altera cauſonis ſpecies brumalis & hyberna.

Hipp. lib. 2 de Natura ho. & Gal. eius interpres li. 1. Epid. & li. 2. de Diæta acutorum.

Der vngelerten feldſcherer brëne.

Delira chirurgicorum in cura cauſonis remedia & imperitia.

Gal. lib. 3. Methodi, hos tres curationis ſcopos uberius declarat.

Primus curandæ cauſonis ſcopus.

De hac nigredine linguę Gal. li. 4. de Dięta ac. & li. 5. de Locis affect. lib. 2. Epid. lib. 8. de doctrin. Hipp. & Plato.

Alter generalis curationis ſcopus.

Tertius curationis ſcopus, & indicationum præſtantia.

Cor. Celſ. li. 5. & Hipp. lib. de Artic. & libr. 3. de Fracturis, & medici uulnerarij officio.

rum ſymptomatũ cauſam. Proinde febrim illã feruẽtem, cuius ardor ſaliualẽ linguæ humiditatẽ, qua ex adenibus irrigatur, exiccat, & atra incenſi ſanguinis fuligine linguã obfuſcat, nigredinis linguæ cauſam eſſe, fateri oportet. quã niſi extinxeris, citius Aethiopẽ dealbabis, quàm linguã, niſi prius ablata febre, ab hac nigredine uindicaueris: qua nõ ſolũ in cauſone, ſed in quouis interno epatis eryſipelate & inflãmatione inficitur. Vnde Gal. γλῶσσα, inquit, μελαίνεται διὰ τὴν ἄμετρον θερμασίαν, ὥσπερ τοῖς ἀλυθηροῦσι τὸ δέρμα. Alter uerò curationis ſcopus, eius ſine quo nõ habet. Sic puritas ac repletio in cura ſordidi & caui ulceris, rationẽ eius ſine quo nõ habet: niſi id à ſordidib⁹ primùm expurgaueris, & deinde carne bona impleueris, fruſtra ulceris cõſolidatioem molieris: & niſi prius ablata phlegmone, uulneri inflãmato fruſtra medeberis. Tertius uerò curationis ordinũ ſcopus, urgẽtiũ & accelerantiũ, curamq́; ad ſe attrahentium affectuum rationẽ habet: unde homini pręcipuè imminet periculũ, hic curã primùm ad ſe allicit: ut ſi ex puncto muſculi capite immedicabilis cõuulſio oborta fuerit, nerui per trãſuerſum inciſio, & in uenę aut arterię hemorrhagia, totius uaſis per tranſuerſum pręciſio, curã uulneris anteuertit. Pariter, ſi luxatio cũ ulcere, præcipuè phlegmone obſeſſo, in aliquo maiorũ articulorum inciderit, uulnus ſanamus: & luxationẽ intactã reliquere, periculũ cõuulſionis nos urget: ſic ſyncope & lipothymia primas curatiõis partes ſibi deſpondẽt. Atqui cũ lingua inceſſu naturalium uitę membrorũ nõ ſit, eius diſcoloratio nec cauſę eius ſine quo non, uel urgentis, rationẽ habere poteſt. Quippe cũ nõ equis modò, ſed hominibus periuris linguã clauis affigere trunco, illiusq́; primã pręcindere partem, non in Germania tantũ, uerùm & Bononię & in Hiſpanijs citra noxam uidi: & Gal. lib. 1. de Differentijs morborum refert, quendã in magna corporis cõuulſione primam linguę partẽ mordicus abſcidiſſe, & demorſam citra ſanitatis offenſam deglutiſſe. At id ęque animaduerſione dignũ, quũ in huius febris cura, poſt leuẽ alui deiectionẽ, & phlebotomiã, nulla in pręcordijs exiſtente phlegmone, præcipuè ſi concoctionis ſigna apparuerint, paulo liberaliori aquę frigidę, prius tamen, ne circa præcordia moretur, decoctæ potu, nullum ſit præſentius remedium: ipſi uerò tanta ſiti ægros temere macerant, qua nec maiorem ſitibundus ille Tantalus apud inferos ferre cogitur. Quid multis? Præſtaret incidere coruos, quàm ſe tam imperitis committere Medicis. illi in cadauer inſenbile ſæuiunt, at iſti uiuos graſſantur: quos hormicidij reos peragere meritò magiſtratus deberet. Verùm cum curandi cauſonis rectam methodum præter Arabes medicos, Hippocrates lib. 3. Epidimiarum, & in lib. 4. de Ratione uictus in morbis acutis, Gal. in methodo, & eius ſimia Paulus Aegineta doctè conſcripſerint, præter Epiſtolæ decorum foret, eam hic repetere. Vale.

IN CVRANDA CAECA CRANEI FRACTVRA, *caca chirurgicorum amentia.* THEMA IIII.

Hiſtoria de ſymptomatib. fracturæ cranei occultæ.

SCRibis, mi Auerbachi, amicorum optimè, nuper oborto inter aulicos diſsidio, equitẽ quendam Franciſci tui affinis caput, iactu lapidis ſatis ponderoſi ſauciaſſe: quo ictus in terrã proſtrat⁹, aliorũ ſubſidio eleuatus, quũ domũ redijſſet, nares & aures illi cruẽtaſſe. Et q̃uis uulnus quantitatẽ fabę uix excederet, chirurgusq́; tantillũ uulnus ne pili quidẽ faceret, tertio tñ die cholerã patientẽ euomuiſſe, oculos eius caligaſſe, linguaq́; balbutiente, pedes obtorpuiſſe, & corpus ſenſim febre lenta incaluiſſe: chirurgicum uerò horum omniũ cauſam non in uulnus, ſed paulo liberaliorẽ uini cõpotationem retuliſſe. Deinde uerò quinto die ingraueſcente febre, patientẽ epilepſiæ ſpaſmo correptum, & toto ſiniſtro corporis latere reſoluto, ſoporifero ueterno obtorpuiſſe, nec ſibi tum mente conſtitiſſe: at tandẽ ſeptimo die planè delirantẽ, ſubitò ſideratũ, obijſſe: chirurgumq́; eum non ob malã uulneris affe-

ctionem

ctionem,ſed apoplexia perditum,paſsim proclamaſſe:uerùm defuncti hęredes autorē uulneris,cõpedibus adhuc detentū,homicidij accuſatū in ius uocaſſe. Atreus pro tribunali cauſam dicturus, uulnus nõ fuiſſe mortis cauſam, chirurgũ teſtatus eſt.Hæredes uerò chirurgum id dicere,ut fortaſſe ſuę curationis imperitiã celaret,aſſeueraſſe. Et quum Iuriſconſultus non tantũ de partu decemmeſtri,ſed & de lethalis conditione uulneris medicos doctos conſulendos ſtatuiſſet,affines interempti,ab Empirico medicos phyſicos appellaſſe.

Iuriſconſulti in pleriſque cauſis Medicorum iudicio egent.

Proinde petis, ſenatus nomine,ut meũ de cauſa mortis tui affinis iudiciũ declarare uelim.Et cũ Senat⁹ de me ſit benè meritus,id laboris detrectare nõ poſſum:ſimulq; ut is intelligat, quantum interſit reipublicæ, doctos habere & alere Medicos,rem paulo altius repetam. Multifarias eſſe in capitis uulneribus & contuſionibus fracturarum cranei differentias & nomina, Medici docti nouerunt:quarum una,quæ cæteris eſt periculoſior,Cæca appellatur,quòd detrimẽta eius,uiſui non ſint palàm obuia,niſi cute prius tranſuerſis inſtar X literę lineis inciſa, locum cranei affectum detexeris, ad pericraneum uſq;. Quæ ut plurimum accidit,quum quis ab alto in caput ceciderit,aut id pauimento aut parieti cadens alliſerit,aut lapide,fuſte, telò ue quouis obtuſo ictum, conquaſſatúm ue fuerit.quo fit,ut cute adhuc integra,uel parum uulnerata,caluaria,cerebri& ſenſus organorum conclaue,ictu depreſſa,ad cerebrum ſubſideat,illiusq; membranam ſuturis cranei adhærentẽ, eiusq; neruos comprimat. quo fit, ut lingua & membra arbitrij motus organa,ad quæ nerui coarctati à cerebro uergunt,& ſpiritum animalem deferunt, παράλυτα torpeant,& ęger obmuteſcat,donec inciſa cute caluaria tripodis inſtrumẽti terebra attracta,eleuataq; fuerit. At ſi caluaria caſu uel quauis plaga cõquaſſata & rupta dehiſcit,tum nullo uel anguſto exiſtente cutis uulnere,ſanguinis ἰχὼρ & ſanies ſupra cerebri duriorem pelliculam defluit per rimas fracti cranei:quorum alluuione cerebrũ & eius panniculus, aſperitate partiũ fracti cranei lęſus, phlegmone corripitur:& eo magis,ſi in tus capitis cõcuſsione uena rupta ſanguinem profuderit,qui extra ſua uaſa effuſus,repentè coagulatur,& putreſcens uirulẽtis ſuis uaporibus,cerebrũ, illiusq; arterias replet, & ſpiritũ animalem ſua contagione inficit & alterat. inde fit,ut febris incrudeſcat,patiensq; deliret:& ſpaſmo epilepſię crebrò conuulſus, ſtomachus lege conſortij lęſus,cholerã euomat:patiensq; obmuteſcens, tandé ſideratus moriatur.Proinde rectè ait in Aphoriſ. Hippoc. Quibuſcunq; cerebrũ preciditur,his neceſſe febrẽ & bilis uomitũ accidere.Et lib. de Morbis.1. Si percuſsi,inquit,cerebrũ conquaſſatum dolebit,percuſſus obmuteſcet,nec uidere nec audire poterit:ſi uerò uulneratũ fuerit,febrem & choleræ uomitũ ſuperuenire,ac aliquam corporis partem ſiderari ac perire neceſſe eſt.Hęc fracti cranei ſymptomata ſi inciderint,ſpes uitę in anguſto erit:niſi tẽpeſtiuè cute inciſa, depreſſa diſcooperti cranei oſſa tripodis terebra eleuaueris,exaſperata polieris, fracta exemeris,rutaq; trepano ἀβαπτίστῳ perforata lenticulari ſcalpro excideris, ut tandem per ampliatum caluarię foramen,cerebrũ,ſaniem & eius ſerum ἰχῶρα expurgare,& putridi uapores exhalare poſsint.Horũ ſymptomatum cauſas,ſimulq; curandi methodum,Hippo. Laconica ſui uernaculi idiomatis breuitate ita explicuit: ἢν δὲ τὸ ὀστέον ῥαγῇ, καὶ ῥωγμὴ ἐγγένηται, ἐπικίνδυνον τοῦτο πρίειν, ὡς μὴ διὰ τὴν ῥωγμὴν τοῦ ὀστέου ἰχὼρ ῥέων, τὴν μήνιγγα σήπῃ. ὥστε γὰρ κατὰ στενὸν μὲν ἰών, οὐκ ἐξιὼν δὲ, λυπεῖ, καὶ μαίνεσθαι ποιεῖ τὸν ἄνθρωπον. τοῦτον χρὴ ποιεῖν, ὡς ἔξοδος ᾖ τῷ ἰχῶρι, μὴ μοῦνον ἔσοδος, εὐρέως διαπρισθέντος. καὶ φαρμάκοισι χρῆσθαι, ὅσα ἐφ' ἑαυτὰ τὸ ὑγρὸν ἕλκουσι, καὶ λύειν. His uerbis monet,os fracti cranei ſerra incidere,& foramen dilatare,ut humores,ne his cerebri pellicula putreſcat,effluere poſsint, & hos pharmacis attractorijs eliciendos. Hac ego olim curationis methodo in Nouoforenſi Nericorum ciuitate uſus,dũ puer lanij trimus ex ſuperiori domus tabulato proſpiciẽs,pron⁹ in ſtratũ cecidiſſet, & in delapſu caput parieti prominẽti

De differentijs fractu. cranei, Celſus lib 8. cap. 4. Gal. in Diffinr. lib. 6. Methodi. li. 2. de Cauſis morborum.

Cæca cranei fractura.

Sanguinem extra ſua uaſa effuſum, intra corpus coagulari, & putreſcere,teſtatur Galenus li. 1. de Locis affectis. Hipp. lib. 1. de Morbis & lib. 6. Aphor. 19.

Altera occulta cranei fracturæ deſcriptio, & ſpecies.

Symptomata & cõia fracti cranei, deſcribit Corn. Cel. lib. 8. capit. 4. Gal. lib. 6. Methodi. Hipp in lib. de Capitis uulneribus.

Hiſtoria pueri in fractura cranei per Langium curati.

alliſiſſet: qui quum in domum patris ſemianimis deferretur, primũ bilem euomuit, & ſpaſmo epilepſiæ bis conuulſus, obmutuit, & tam brachio quàm crure ſiniſtri lateris reſolutus, commate deprehenſus iacebat. ex quibus ſignis facilè cõijcere potui, offenſam per cranium ad cerebrum uſq; penetraſſe. Quare altero die mox caput concuſſum, primùm in occipite non longè à futuræ interuallo, & utroq; latere aperui, unde quotidie cruor ſanie permixtus, ubertim profluebat: & cum per hæc caput expurgatum fuiſſet, puer (uel hodie ſuperſtes) citra omnem membrorum & loquelæ offenſam, Deo auſpice, conualuit. Quandoquidem ex commemoratis à te accidentibus conſtat, cæcam cranei fracturam uulneri capitis, nõ illęſo cerebri panniculo, unà cũ phlegmone coniunctã fuiſſe: quam ſi medicus prædicta ratione ab diuino Hippocrate tradita, & à Galeno ſummopere probata, curare neglexerit: tum nec percuſſorem, nec Medicum culpę mortis, immunes ſtatuo: nempe quum uulneris autor morti occaſionem dederit, uulneris uerò curator mortis remedia neglexerit: unde occaſio mortis facta eſt deterior, quam ſuis remedijs extirpare, non erat impoſſibile. Ex his iudex, quis, & qualem commeruit pœnam, facilè decernere poteſt. At ſi licet ridicula, attamen uera, ſerijs miſcere, quid mihi nuper contigerit, paucis cõ memorabo. Nuper cum quibuſdam empiricis in conuiuium accerſitus, & ut id genus hominum eſt gloriabundum, ſingulis ſua chirurgiæ inſtrumenta partim Auguſtæ, partim Nurbergæ, ex Norico ferro & chalybe facta, cõmendantibus: tum ego ab illis ſcicitabar, Ecquis illorum trepanum ἀβάπτιστον, cuius Galenus meminit, haberet, aut uidiſſet unquam? Obſtupeſcebant omnes, attentiq; ora aperta tenebant. tandem unus ait: Langi doctor, fruſtra quæris in Germania abaptiſta. Non enim chirurgicorum inſtrumenta nobiſcum, ſed campanæ & pueri baptizantur. Tum ego ſubridẽs, aiebam: Me Romæ, uiuente Leone põtifice, apud Vigonem Iulij ex Liguria pontificis chirurgicum, trepana ἀβάπτιστα non uidiſſe modò, ſed etiam qua ratione, ne in perforatura cranei panniculum cerebri offenderent, aut pungerent, indemerſibilia conficerent, didiciſſe. Tum cæteri, Romæ ea ob præſentiam Pontificis facilè baptizari poſſe annuebant. Ego uerò, quum riſum continere non poſſem, illis uale dixi. Hæc Senatum tuũ, ob pleraq; in me collata beneficia, celare nolui. Vale.

De trepano abaptiſto Gal. li. 6. Methodi. Corn. Celſ. li. 8. cap. 3. & 4.

DE FVNGIS, QVI FRACTO CRANEO ET *alijs ulceribus adnaſcuntur.* THEMA V.

PETIISTI à me certior fieri, quare fungos in uulneribus capitis naſcentes, non inter fractæ caluariæ ſymptomata enumerauerim, quũ tamen Gal. in 1. lib. de Locis affectis, eos non obticuerit, dum ex agnatis (ut ait) aliquando locus affectus quoq; cognoſcitur. Agnata enim ſubſtantiæ proprietate participant, quemadmodum in capitis fractura fungi, quando membrana cerebri, μῆνιγξ Græcis dicta, læſa fuerit, & patitur. Simul quoque oras, ut quales hi fungi ſint, tibi declarem. Nihil certè tam arduum, modò ſit noſtræ opis, noui, in quo non libenter tibi obſecundarem: ob id & in hoc libens tua iuſſa capeſſam. Primùm quòd fungorum non memini, id à me dedita opera factum ſcito. Non enim apertæ cranei fracturæ & ulceris ſymptomata, ſed cæcę & occultæ accidentia recenſere libuit: in qua raròv, uel ferè nunquam fungi naſcuntur. Quemadmodum ſanè in ſtipitibus arborum, humores ſemiputridi per corticem extuberantes, in fungos coaleſcunt: ſic uulnerato cranio, humores cerebri affluunt, qui (teſte Alexandro Aphrodiſeo) oſsis frigore condenſati, in ſpeciem fungi concreſcunt: qui in ſuperiori parte ampliuſculi, infrà uerò præ tenues, pro ratione loci perficiuntur. Vnde Galenus lib. Epidem. tertio ait, τὸ πάχους τῶν χυμῶν τὰς τοιαύτας ἐπιφύσεις ἐργαζομένου, κωλύουσι δ' ἂν τὰς

Galeni de Locis affectis, locus obſcurus declaratur, de fungis capitis.

De fungis in uulner. capitis naſcentibus.

Alex. Aphrod. lib. 2. Problemate. 86. & Gal. in tertium Epide. Hippo.

οὓς οἱ πολλοὶ μύκητας:id eſt, Denſitate humorum tales in uulneribus adnaſcentias efficiente, quos multi fungos appellant, quos quum noſtrates chirurgici in capitis uulneribus enatos uident, ſubſtantiam cerebri eſſe arbitrati, aut ægros tanquam deploratos relinquunt: aut ſi forte fortuna eos curauerint, uulnera cerebri ſeſe curaſſe, tantillúmque de cerebro fruſtum exemiſſe gloriantur. Quid igitur ſint fungi, & qua ratione in ulceribus quoque naſcantur, te intelligere puto. Vale.

OCVLI DISCISSI, VISV ILLÆSO, curatio. THEMA VI.

MAgnopere petis, ut qua methodo oculum ciuis Ambergenſis cultello diſſectum, uiſu illæſo curauerim, tibi enarrem: quod ut acciderit, paucis ita accipe. Ciuis erat Ambergæ, cui nomen Neudegker. hic debita exacturus, in quendam pagum peregrè ibat: & dum cultello oblongo, rapum ex agro proximo euulſum excorticaret, & ob itineris lubricitatem pedibus uacillaret, pronus cum oculo in cultellum cadens, oculum ab inferiori palpebra ad ſupercilium uſque per medium diſſecuit. Chirurgici uerò accerſiti, ne putredo intra craneum ſerperet, oculum excidere ſtatuerant. id ciuis citra mei abſentis conſilium fieri nolebat. Veſperi uerò, quum domum ab ægro, quem in oppido Sulczpah inuiſeram, redijſſem, uidi oculum ad oui gallinacei magnitudinē intumuiſſe, quare quamprimum, ne oculus ob dolorem & humoris alluuium phlegmone corriperetur, eum unguento de alabaſtro illeui: & albumen oui, addito caphuræ momento, cum oleo & aqua roſarum diſſolutum, & othonijs exceptum, ſupra oculum applicui: quibus tumor deſidebat, & tandem oculi recens uulnus, citra phlegmonem & ſuppurationem conſolidaui. Noſti ſanè, quam frugiferum ſit in omnium uulnerum phlegmone coercenda, unguentum illud, quod ex alabaſtriti de marmore fit, frigidę & ſiccę conſtitutionis, Beneuenutus Hieroſolymitanus, in libello de Oculorum morbis, conficere docet. Similem uerò diſſecti oculi curam, Galenus de Cauſis Symptomatum libro quarto, his admiratur uerbis: Equidem uidi incredibile quidpiā, quod antea nunquā uidere conſueueram. Puer cum iuxta pupillam ſtylo pungeretur, effluēte protinus humore albugineo, imminuta eſt pupilla, ac ceratoides tunica omnino corrugata uidebatur: qui mox curatus, uiſum recuperauit, inſtaurato ſcilicet paulatim humore, qui antea effluxerat. Sed huiuſmodi euentus rarò uidentur. Et noſter quoq; patiens uiſum recuperauit plenariè, uno relicto ſymptomate, quòd temulentis quoq; accidere ſolet: omnia uiſa gemina eſſe illi apparebant. Pupilla ſanè oculi ad inferiorem palpebram agglutinati, depreſsior altera ſtabat. Cryſtalloides quippe humor, ſi ad ſuperiora uel ad inferiora declinat, tum (inquit Galenus) quicquid cernitur, id duplum uidetur. Sed tandem oculus frequenti motu, quem illi indixeram, ab inferna relaxatus palpebra, à geminati uiſus fallacia liberabatur.

Hiſtoria oculi uulnerati a Langio curati.

Vnguenti de alabaſtro utilitas

Hiſtoria oculi uulnerati, curati a Galeno.

Cauſam geminati viſus. refert Alexan. Aphrod. Plutarchus & Ariſtot. in Problema ſect. 31 & Gal. de Vtilita partic. libro.10.

Aliam curam docet Albucaſis parte.2.cap. 14.& 15.

Hæc non eo nomine tibi petenti ſcribo, ut mihi honorem, quem Deo acceptum refero, arrogare uelim: ſed ut noſtrates chirurgicos admoneam, quo rationali methodo uulnera curare diſcant. Vale.

CHIRVRGI QVARE PHLEBOTOMATOS ſanguinem ſorbere cogunt. THEMA VII.

ALiam uerò æquè temerariam chirurgicorum inſcitiam te celare nō poſſum. qui cum muſculos temporum, frontis, genę, aut maxillarū, ab intercutaneo aere diſtentos, contremiſcere uident, illic mox hominis animā & uitam latere, ueluti ergaſtulo incluſam, proclamāt.

Pariter quoq;, quamuis nulla corporis per pharmaca euacuatio ſit magis ipſa phlebotomia periculi expers: attamen cum ſecta uena ſanguinem in lebete, ob flatulentum incluſum ſpiritū, contremiſcere uident, uitam cum ſanguine effuſam ſuſpicantur, quem ob id repentè antequam tepeſcat, patientem abſorbere cogunt. O audax chirurgicorum ignorantia, qui neſciunt, aerem, uitalis & animalis ſpiritus fomentum, non modò per arterias cerebri, pulmonis & cordis cauernas, ſed per occultam quoq; inſpirationem & poros, uniuerſos corporis artus perreptare. qui ob arteriarū cum uenis coadſtomoſim, ſanguini quoq; permiſceretur. quem etiam ex flatulento & uiſcoſo humore non in muſculis modò, & omnibus quæ diſtendi poſſunt membris (nempe uentriculo, inteſtinis, iocinore, liene, ſepto tranſuerſo, ac in ipſo puerperarum utero) crebrò generari accidit, cuius tremulo motu matrix agitata, fœtum in utero moueri puerperæ falſo ſuſpicantur. Hunc inquam tremulum non in muſculis & alijs membris tantum, ſed præcipuè in corde motum, Græci Palmum appellant. Proinde Galenus inquit, ὥστε ἀνάγκη τὴν ἐργαζομένην τοὺς παλμοὺς αἰτίαν, ἀερώδη τινὰ οὐσίαν ὑπάρχειν. Et certè ſi magna paruis conferre fas eſt, quemadmodum uentus uiſceribus terræ incluſus, erupturus terram tremulo conquaſſat motu: ſic aër flatulentus muſculorum, aliarumq; corporis partium, quæ diſtendi poſſunt, uelamine circunſeptus, eas palmo concutit, donec per diſtentum uelamen eruperit. Huius cauſam quum uulgares illi chirurgi ignorent, illic ſubeſſe animam arbitrantur. Quare ne ab illis decipiaris, & ſanguinem pro anima impurum deglutire cogaris, hæc te cælare nolui. Vale.

Cauſas palmi deſcribit Galen. lib. 5. de Cauſis ſymptomatum, & lib. 4. de differentijs pulſuum, & li. 3. de Prænotione ex pulſu.

De cordis palmo, Galenus li. 5. de locis affectis. cap. 2.

Temerè chirurgos ung. popu. uenam incidendam inungere.

Veteres uenam incidendam oleo unxiſſe.

Gal. lib. 2. de Simpl. medic. & libro. 3. de Complexionibus.

Cæterùm quum phlebotomiæ à nobis facta ſit mentio, non intempeſtiuum arbitror, & hoc de chirurgicorum imperitia, uelut κολοφῶνα adijcere: qui uenā incidendam exploraturi, primùm frigido ex populi baccis unguento inungūt. quod potius ſanguinem ingroſſare ac regere, quàm ad uenam allicere poteſt. At ueteres rectius, oleo tantum membrū incidendæ uenæ irrigatum fricabant, ut eius teporè ſanguinem fluxilem redderent. unde Galenus inquit, ὡς φλεβοτομουμένοις ἐπισταζόμενον ἔλαιον, εὔρουν ἐργάζεται τὸ αἷμα. Vidésne obſecro, quantum intereſt, aliquid ratione duce, quàm ſola imitatione fretum, facere? quod ſimiarum eſt peculiare, quibus illi iure conferuntur, nihilo illis ſapientiores, quum ferè omnia citra rationis iudicium agunt. Iterum uale.

QVARE VVLNERA IN TEMPORIBVS periculoſa, & uenarum ſectio ſteriles facit.
THEMA VIII.

Hip. in lib. de Sperm. de cauſ. de aere & aqua. Auicen. 2 o. tertij, cap. tertio.

Gal. in lib. Definitionum.

SCiſcitaris, quamobrem alias caluariæ uenas citra noxā incidi, eas uerò iuxta aures ſectas, ſteriles facere, ac uulneratos in temporibus ſpaſmo, apoplexia, delirio & febre corripi, Hippocrates tradiderit. Cauſa omnibus Anatomiæ peritis, facilè eſt obuia. Verùm chirurgicos tuos, illius ignaros teſtaris: eam tibi cauſam explicare non cunctabor. Et ut ſimul intelligas, problema tuum plus in receſſu habere, quàm fronte promittat, cauſæ ſcrutinium ab humani ſeminis natura & ſcaturigine paulo altius repetitum auſpicabor. Sperma quidem Græci definiunt eſſe πνεῦμα ἔνθερμον ἐν ὑγρῷ, ἐξ ἑαυτοῦ κινούμενον, καὶ δυνάμενον τοιοῦτο γεννᾶν, οἷον ἀφ᾽ οὗ καὶ ἀφείθη, id eſt, Sperma eſt ſpiritus calidus in humido, per ſe mobilis, potens tale generare, quale eſt à quo emittitur. Hic certè humani embryonis & fœtus in utero matris primarium principium & opifex rectè fertur: cuius ſubſtantiam, quamuis Philoſophorum Medicorúmque ſchola ab utili & reliquo totius corporeæ molis & membrorum

rum alimento, in uiſceribus exactè concocto, unà cum ſpiritibus decidi affirmet: & Lucretius poëta id quoque fatetur, dum ait libro quarto.

Lucretius Epicureus lib. 4.

Semen, adulta ætas quum primum roborat artus,
Per membra atq; artus decedit corpore toto:

Potior tamen eius pars triplici ſpiritu turgens, ac cœleſti uirtutis informatiuæ energia imbuta, à cerebro, corde, epate, & ſpinali medulla, genuina teſticulorum uirtute attractiua, per uaſa ſeminaria, uenæ chylis & arteriæ magnæ, inſtar capreolorum uitis intortas propagines: ex lumborum quoq; uenulis, in teſtium anfractus, chremaſteras & epidemiades attracta, quum in ſinuoſis illarum anfractibus exactius coctum & dealbatũ ſemen fuerit, tandem in Veneris conflictu, per uariciformes paraſtatas, uelut per tubulos & elices, in canalem penis defertur, ac tandem in matricis loculos effunditur. in quibus uirtutis informatiuæ adminiculo, ex utriuſque parentis ſemine, & materno per acetabula in uterum attracto ſanguine, fœtus ad parentum ſimilitudinem effingit: eósque parentum, ac non rarò proauorum næuis, cicatricibus, & ſtigmatibus, aut cogitationis ſimulachris, deſideratæq; rei figuris inſignit. Nec mirum. nam perinde ac magnes ſuam uirtutem per cohærentes ordine acus in quartam & ultra effundit: ſic natura uirtutẽ animæ informatiuam de ſemine in ſemen diffundit. Hinc accidit, ut crebrò auorum notæ in nepotibus eluceſcant, poſt plures affinitatis gradus. Redditur enim (ait Ariſtoteles) poſt plura genera ſimilitudo: ut in Helide, quæ cum Aethiope concubuerat, non filiam Aethiopi colore ſimilem enixa eſt, ſed natus ex filia Aethiops erat. Sic Niceus poëta Byzantius, à candido utriuſque parentis colore in auum Aethiopem degenerauit. Quod Lucretius perbellè his uerſibus teſtatur, libro quarto:

De iſtis vaſis ſpermatis omnibus, exactè Gal. lib. 14. de Vulst. partic.
Admiranda virtutis informatiuæ energia.
Aſsimilationis prolis vera cauſa formalis.
Quare nepotes auis & non parentibus, aliquando aſsimilentur.
Ariſto. lib. 2. de Gener. animal. cap. 18. Plin. lib. 7. ca. 12. Lucretius libro. 4.

Fit quoq;, ut interdum ſimiles exiſtere auorum
Poſsint, & referant proauorum ſæpe figuras,
Propterea: quia multimodis primordia multi
Miſta, ſuo celant in corpore ſæpe parentes.

Et ne cauſam ſimilitudinis, tantum in attentam mentis cogitationem referas, en in Cydone inſula plurima Medica malus naſcitur, quæ poma Priapo ſimillima ferunt: harum ſemina in aliud ſolum ſata, cum in arborem adoleuerint, quędam poma mentulæ hominis ſimillima proferunt: alia uerò in naturalem citrij mali ſimilitudinem rurſum degenerant. Quam in producenda prole & fructibus uarietatem, dum cauſa materialis uirtutis informatiuæ actioni reſiſtit, accidere arbitror. has admirandas prolifici ſeminis uires, uirtutis informatiuæ participes, Citieus Zenon Stoicus erudita breuitate in ſua ſpermatis definitione ſingulas complexus eſt, his uerbis: σπέρμα ἐστὶν ἀνθρώπου. πνεῦμα, ὃ μεθίησιν ἄνθρωπος μεθ' ὑγροῦ, ψυχῆς μέρους ἅρπαγμα, καὶ σύμμιγμα τοῦ τῶν προγόνων γένους, οἷόν τε αὐτὸ ἦν, καὶ αὐτὸ συμμιχθὲν ἀπεκρίθη. Id eſt: Sperma eſt hominis ſpiritus, quem cum humido emittit, partis animæ ſpolium, & generis proauorum permixtio: quale enim ipſum erat, tale permixtum excernitur. Accipis iam, Zenonem, ſemen, ob eius uirtutem informatiuam per ſe nobilem, eſſe partem animę teſtari. quod ob id etiam eſſe animatum, bona philoſophorum pars affirmat. Et uelut anima per uniuerſos corporis artus diſperſa, ipſa tamen cerebrum uelut Palladis arcem præcipuè incolit: ſic & uirtus informatiua cœleſtis animæ dos, in plantarum et animalium ſingula membra diffuſa, in cerebro præcipuè reſidet. Vnde huius & prolifici ſeminis potiorem partem à cerebro, & ſpinali medulla, per uenas & arterias temporum ac lumborum ad ſeminaria defluere uaſa indicium eſt, quòd coeuntes in ſpermatis effuſione oculis nictant, & quod coitu cerebrum exiccatur. Vnde qui ſalaces ſunt, citius calueſcunt. Hinc illud in triumpho Iulij Cæſaris ſcomma proclamatum fuit: Romani ſeruate uxores, mœchum caluum ad-

Pereruditа Zenonis Stoici de ſpermate definitio.
Galen. lib. De finitionum.
De uirtute informatiua Galen. in fine libri de forma fœtus.
Qua ratione genitura ex cerebro & ſpinali medulla ad vaſa ſpermatica fertur, Hippoc. libro de Naturis oſsiũ docet.
Quare eunuchi & pueri non caluescant. Hippo.

& Gal. lib. 6. Aphor. 28. docent

De venis iuxta aures diſſectis.

Hæc Hippoc. in libello de Aere. & in libro de Spermate.

Auicennæ in Galenum calumnia, fen. 20. tertij. cap. 3.

Hæc Hip. lib. de capit. vulneribus, &. 2. de Articul. Galen. lib. 2. de Vtili. parti. Alexan. Aphro lib. 2. Problem. 1.

Temporalis muſculi propago.

Gal. lib. 4. Anato. Hippoc. lib. 3. & 4. Prædi. & lib. 2 de Articulis.

A iij. a quarto pari neruorum deriuari aſſerunt hos neruorum ſurculos.

Hiſtrionis Schœnobatæ robur in geſtanda trabe, Auguſtæ.

Gal. lib. 11. de Vtilita. particu. & libro. 4. de Prænot. expulſ.

Puella pugno ad tempora cæſa, facta epileptica.

Eques lapide in temporibus leuiter vulneratus obijt.

ducimus. Et cuidam petulantiſsimo hiſtrioni, diſſecto poſt funus capite, exigua cerebri portiuncula reperta fertur. Quare ſpadones, quum coitu cerebrũ eorum non exiccetur, ac pueros non caluеſcere, Hippocrates rectè diffiniuit: & boues ectomi, id eſt, caſtrati, maiora ferunt cornua. inde & paſſerum cerebrum, quum ſimile nutriat ſuum ſimile, ad ſalacitatem conferre, plериſque perſuaſum eſt. Rectè igitur Hippocrates ait, quibus prope aures uicinæ inciduntur, eos inueneris actu quidem ſperma effundere, uerùm modicũ, imbecille, & ſterile. Nam, inquit, plurima ſeminis pars à capite per uenas iuxta aures in ſpinalem medullam defluit: quibus cicatrice obductis, genituræ meatus obſtruitur. Et proceres Scytharum, inciſis iuxta aures uenis ſterileſcere affirmat. Et illud Galenum, fidum Hippocratis interpretem, ignoraſſe, Auicenna mihi non perſuadebit. Cæterùm illud magis admiratione dignum, quod idem Hippocrates prodit, ſecta quæ per tempora fertur uena, & uulneratos in temporibus, apoplexia, ſpaſmo, ac ſoporifero caro, delirio, & febre corripi. Qui uerò temporũ cranei, ex oſsibus, muſculis, neruis, uenis & arterijs carotidib. cõſtitutione nouerit: hic planè cognoſcet, quare tam grauia ſymptomata uulnera temporũ excipiãt: quomodo oſſa frontis oſsibus, cuneoformi ac iugali inſerta, ab utroq; caluariæ latere, quia ſua canicie & macilẽtia ætatis annos produnt, tempora dicta ſunt. Vnde nec temerè Homerus, homines à temporum canicie, πολιοκροτάφους appellat. Vt autem cauſam ſymptomatum exactius intelligas, ſcire primùm debes, muſculum cæteris longè præſtantiorem in cauitate temporum reconditum, ab oſsibus uertici ac fronti ſupra aures finitimis, illorúmque additamentis & oſſe cuneiformi, Græcè σφηνοειδοῦς dicto, & iugali, cum breui, ſed robuſto tendine, in maxillæ inferioris proceſſum propagari: cui Maſſiter muſculus, ab iugali oſſe prognatus, in ore deliteſcens, tam arctè implicatur, ut ægrè utrunque ſecernere poſsis. Et ut illi ſuo officio, dilatandi & coarctandi os & maxillam, probè fungerentur, Natura, induſtrius humani corporis opifex, muſculo temporali robuſtas tertij & quinti paris neruorum cerebri, quinq; propagines inſeruit: & ut plus roboris illi accederet, tertij paris neruorum cerebri propaginem & ſurculum circa os temporum, inſtar capreolorum uitis inuolucri intorſit: unde tantum roboris maxillæ & mento accreuit, ut nuper in Auguſtanis comitijs uiderim, quendam hiſtrionem Italum σχοινοβάτην funambulum, trabem uiginti pedum oblongam, mento impoſitam, nulla apprehendentem manu, ſed tantum in æquilibrio pendulam, prorſum ac retrorſum, manibus in coxas ſuffultis, geſtaſſe. & alterum in Scheſia, uas aliquot metretarum ceruiſiæ capax, mordicus apprehenſum, ultra caput poſt tergum proijcere uidi. Quid igitur mirum, tam inſigni temporum muſculo, quo nullus cerebro propinquior & neruoſior, punctim uel cæſim læſo uel contuſo, patientem conuulſione, delirio, apoplexia, & febre affici, aut ex altero latere relaxari? An oblitus es, puellam in gynæcio noſtro, pugno fatui ad tempora afflictam: quæ multis inde epilepſiæ paroxyſmis conuulſa, tandem ægrè meo conſilio & opera conualuit? Quid tibi commemorem? Nam & tu, qui aderas, probè noſti, equitem in Noricorum Nouoforo, à ſtabulario iactu lapidis in temporibus, leuiter cute ad pericranium uſque uulneratа, ſauciatum: ad cuius curam ſeptimo die ego accerſebar. quùm uerò rationem, ac ſiniſtri lateris brachium & crus labaſcere, & lingua ægrum titubare uiderem, & chirurgum nulla opportunè applicuiſſe remedia, breui moriturum prædixi: qui tandem decimoquarto die conuulſus obijt. Stabularius uerò prognoſtico meo cautior factus, ne manus carnificis incideret, fuga ſibi conſuluit.

Temporum venæ iugulares, & arteria ſoporales

Operæ quoque precium eſt hic obſeruare, quàm inſignes arteriæ καρωτίδες, ſoporalis ſurculi & externæ uenæ iugularis σφαγίτιδες dictæ ſoboles, per oſſa tempo-

temporum uario plexu diſperſæ,in cerebrum & eius panniculos propagentur, per quas,uelut elices,ad cerebri & ſpiritus animalis alimoniam,defecatior ſanguis & ſpiritus uitalis copia in cerebrum defertur:quibus oblęſis,uel contuſis, quid mirum,patientem cataphora,uertigine,aut ſoporifero caro corripi? Vnde hæ arteriæ Græcè Carotides,& tempora in uernacula lingua Schloff appellantur : quibus rectius Medicus peritus medicamina ſoporifera,quàm fronti illiniret. Hic ſolers ſpectanda eſt in doctæ naturæ induſtria, quæ ne quid temporales muſculi detrimenti paterentur,eos omnifarijs oſsibus, & illorum agnatis proceſsibus,uelut lapidoſo aggere uallauit. Hæc ſanè, quum alia caluariæ oſſa,quæ denſam cerebri membranam cooperiunt, poris fungoſa, & ſquamiformi ac ſerratili ſuturarum compage,ad cerebri expurgationem cauernoſa affinxerit: temporum uerò oſſa, ut externis incommodis obſiſterent, ferè lapidea dotauit duritie: temporalésque muſculos,tam præclari officij organa,oſſe cuneiformi & iugali(quod Pollux ζύγωμα appellat) duro, medulla experte, ad patiendum obſtinace ſepiuit, quorum additamenta uulgus medicorum oſſa paris appellat:quum id ſcire,non modò chirurgicorum,ſed & iudicum(ut quę uulnera ſint lethalia,ſtatuere poſsint)interſit,te celare nolui. Vale.

Hæc ſimptomata ob læſis temporibus accidere, Galen.lib.2. de Vtili.parti & de Pranot.ex pul.lib.4. & in Hippocra. Prædictio.lib. 2. & 3. & de Articulis lib. 2. Solers indolis naturæ induſtria.

De oſſe Zygomate Pollux lib. 2. Galen. lib. 2. Hippoc. de Articul. & lib. 2. de Vtil. part.

Nec certè ante & poſt Troianum bellum, ulla apud Græcos fuit bene inſtituta reſpublica,quæ non ſuos ex ærario publico conductos habuiſſet chirurgos. Ita ſacerdos Aeſculapij in Pergamo,Galenum noſtrum curandis gladiatoribus præfecit.At noſtros imperitos chirurgos, agnita illorum imperitia uix Libithinæ,ad efferenda uulneratorum cadauera pręfeciſſent.Haud uerò iſthęc in eos contentionis ſtudio dico,ſed ut mea lucubratio, ſementem frugi produceret,repaſtinandus erat ager, ne zizania luxuriaret. Reliquum erit Medicorum,quos Celſus phyſicos appellat,errorum ſementa,quæ plus æquo altius radices egerunt,euerruncare.

In Prologo libri primi.

DE FALSA ERYSIPELATIS CVRA THEMA IX.

Cauiſus eras,non tam meo,quàm ægrorum nomine, quòd meam curandi ægros operam generoſis Rheni Comitibus Palatinis,illuſtriſsimis Bauariæ principibus locaſſem. Primùm, quòd terram incultam, cum ea quæ eſſet uino ſalubri & frumento fœcunda, ac populoſa,commutaſſem : deinde,quòd mea opera & recta curandi ægros methodo, accolas Rheni ab empiricorum tyrannide,quos Galenus rectè latronibus comparat, & à Iudæorum impoſtura me uindicaturum ſperaſſes. At mi Germane frater,quàm ægrè id fieri poſsit,rationes inexpugnabiles in prima epiſtola acce piſti.Nam ut terra lætis fœcunda ſegetibus,tribulos,urticas,lolium & carduos parit,quæ etiam ſi eruncauerit repullulant : ita Rhenus inter præclara medicorum ingenia,nullis ſecunda,fraudulenta quoque parturit, quæ magiſtratus indulgentia alit & tuetur.hæc ut cardui lætas ſegetes, ita illa fraudibus adulatione,op tima quęque ingenia opprimunt.Quæ enim ciuitas,quis denique pagus, imperitiſsimum in re medica empiricum, λογίατρον garrulum, perfidum Iudæum, aut parrochianum, totius Philoſophiæ ignarum apoſtatam, non alit? quibus,ut feli cum muribus captis, ita illis cum uita ægrotantium colludere impunè licet: non ſanguinem tantum cum uita, ſed pecuniam quoque, qua paupercula unà cum liberis uxor alenda erat,emungere his permittitur. Hoc certè eſt præter boni paſtoris officium,non tondere & paſcere,ſed deglubere pecus:

Empiricos latronibus peiores, Galenus in libello de prænotione. & lib.1.prognoſt. teſtatur.

cuius ſanguinem innocentem Deus,iuſtus ſcelerum uindex, ab auaris illorum manibus aliquando eripiet. Verùm ne tu omnino ſpe fruſtreris, quàm falſam curandæ eryſipelatis methodum Iudæi,& illorum aſſeclę empirici,in locis Rheno finitimis inſtituerint,paucis indicabo. Nam ſi qua etiã citra febrem, uel ſanguinis ebullitionẽ cholerici,puſtula uel macula rubea in aliquo corporis membro, præcipuè in capite,temporibus, crure, eruperit,id eryſipelam eſſe exclamant:ac miſeris ægris omni humectationi & lotioni interdicunt.quo fit, ut magni nominis proceres neq; caput aut barbam in uiginti annis lauerint,nec ægri ſordes manuum abluere audeant. Vide quæſo, quomodo falſa opinio rationem captiuam ducit. Quare ut illorum temeritatem agnoſcere poſsis, ſcito eryſipelas latinis ſacrum ignem dici:qua diuum Anthonium,qui incendijs præeſſe creditur,eos qui eius numen non reuerentur, affligere arbitrantur: & quia

GloKfewer vnd rothlauff Germanice.

eius imago,& quicquid donariorũ uel porcorum illi conſecratum fuerit,campanulis inſignitur,accidit, ut hic quoq; morbus à Germanis glokfeuer, & ob

Eryſipelata definit Galen. li. 14. Methodi & libro 2 ad Glauco. Paulus lib. 4. cap. 21.

rubeum affecti loci colorem,das rothlauff appelletur. Hic ſanè morbus eryſipelas eſt feruens, raro citra febrem ephemeram ſanguinis cholerici in epate & uiſceribus ebullitio:in qua cholera flaua, naturæ uiribus à ſanguine bono ſeqeſtrata, peringuina, epatis emunctoria, ad crura defluit, & protruditur: uel ad collum,caput,faciem & pectus,ſed cum maiori periculo,regurgitat: & non raro uulnera quoq; obſidere ſolet. Quare ut phlegmon ſanguineæ, ſic eryſipelas bilioſæ fluxionis ſoboles: quæ inter utranque cutem citra ſubiectæ carnis offenſam diffuſa,eryſipelas purum appellatur. Si uerò bilis flauæ craſsior & acrior ſubſtantia,ſupremam corporis cuticulam, quam Græci epidermida uocant,& ſubiectam illi carnem exulcerauerit: tum eryſipelas quoq;, ſed nothũ,

De cura eryſipelatis Galen. lib. 13. & 14 Method. ad Glauc. lib 2. de com. med. general lib. 1. & de ſimp. medicam. lib. 3. Paulus. lib. 4. cap. 21.

aut herpes illi affinis dici poteſt. Ex his, ô Germane frater, te ſatis intelligere arbitror,utrumque phlegmonis & eryſipelatis morbum eſſe præter ſolutionem continui,ex repletione,abſceſſus calidos. Quare utrumq; per uenæ ſectionem, aut pharmaca cholagoga, euacuationem cauſæ antecedentis exigere, ac cauſæ coniunctæ,per eum qui ſenſum fugit halitum,digeſtionem, ac loci affecti & feruentis choleræ cum reſolutione refrigerationem poſtulare. At quoniam, ut Galenus ait, eryſipelas non quantitate modò affligit, ſed etiam ex uehemẽti inflammatione ac qualitate ſicca excruciat: quare ipſum ampliorem refrigerationem & humectationem,quàm phlegmonem,requirere. proinde Hippocrates, Galenus, Auicenna, Paulus, & Aetius, medicorum coryphæi, eryſipelas curaturi,poſt uacuationes ritè factas, fomẽtationes ex ſuccis uel decocto ſolani, lactucæ,ſemperuiui,umbilico Veneris,aut emplaſtra ex pſyllij muccilagine ac lente paluſtri cum oleo Omphacino confecta applicuerunt, donec rubeus eryſipelatis color liueſcere,uel obfuſcari uideretur. poſtea emplaſtra quæ temperato calore materiam impactam diſcuterent,ex aqua marina uel muria, & ὠμηλύσῃ, id eſt, farina ordei aut polentæ compoſita, applicabant: in principio tamen exacerbationis, ne bilis efferueſcentis fluxus ſiſteretur, & ad aliquod uiſcus internũ principale regereretur, à frigidis, humectantibus, apocruſticis, penitus abſtinuerunt, præcipuè circa emunctoria, applicare. Id quum nequiſsimi pauperum & ægrorum expilatores Iudæi, agyrtæ, & aliptæ non intelligant, qua ratione id ueteres medici ſtatuerint, & cauerint: omnibus uel ſemel eryſipelate affectis, per omnem ætatem humectationi, lauacris, capitis quoque lotioni interdicunt. quo fit, ut à ſordibus corporum poris obſtructis, corpus per inſenſilem exhalationem non expurgetur, ſanguinem putreſcere, corpus pſora, uitiligine ac omnifarijs ſcabie puſtulis conſpurcari contingat. Sed hos nebulones λογιάτρους, qui ob turpe & uile lucrum animam proſtituunt, miſſum faciamus. Valeant igitur ἐς κόρακας: & ad alteram eryſipelatis ſpeciem, prædictis longè

longè pernicioſiorem, Galeno & alijs Arabum medicis uel non uiſam, uel non cognitam, accedamus. de qua Plinius ille polyhiſtor libro uiceſimoſexto: Ignis, inquit, ſacri plura ſunt genera: inter quæ medium hominem ambiens, qui zoſter appellatur, & enecat, ſi cinxerit, & certè meritò à cingulo ζωσήρ appellatur: quoniam ob nimiam febre continua efferueſcentis choleræ copiam, inflammatione à lumbis umbilico & teſticulorum oſſeo uſq; ad genua hominem cingit, ſepit, & circundat. Hoc illuſtris Princeps & Marchio Brandenburgenſis Georgius in Onelſpachio correptus, ex ulcere cruris intẽpeſtiuè à chirurgo quodam conſolidato, quod idem chirurgus, ne quid ad ulcus efflueret, faſcia arctiſſimè ſtrinxerat, interijt. deinde poſt biennium, eodem eryſipelatis zoſtere, illuſtris Princeps & Comes Palatinus Otthenricus, dux utriuſque Bauariæ, à lumbis ad genua uſque circundatus, ac febre continua, ad delirium uſque æſtuabat: quem ego Heidelbergæ, inciſa utriuſque pedis ſaphena, adhibitis quoque quæ febrem reſtinguerent, Deo auſpice, à morte uindicaui: qui te ab hoc ſacri ignis æſtu, ſui ſpiritus refrigerio, ſoſpitem nobis conſeruare uelit, oro. Vale; & qui in amore noſtri frigent, hoc ſacro igne incaleſcant uelim.

Sic Scribonius cap. 106. Hiera, inquit, Pacha ad ſacrũ ignem, quem zona vocant, bene facit, ex aqua mulſa, detracto prius ſanguine.

DE EMPLASTRIS BARBARIS ENAEMIS. THEMA X.

Iterum enixè deſideras Chriſtophore, ut quæ ueteribus dicta ſint emplaſtra barbara, enæma nigra, tibi explicem: quamuis Galenus paſsim apertè illorum meminit, & compoſitionis ſcopum oſtendit. Vt tamen mea compendiaria compoſitionis remediorum methodus unico illuſtretur exemplo, ſcito, ex emplaſtris conglutinantibus, ut Celſus ait, nulla maiorem uſum præſtare, quam quæ cruentis protinus uulneribus, deterſo ſpongia ſanguine, & labris prius ſutura aut fibulis (quas Græci ἀγκτῆρες dicunt) coarctatis inijciuntur, ἔναιμα Græci uocant. hæc enim reprimunt inflammationem, niſi magna uis eam cogit: atque illius quoque impetum minuunt: tum glutinant uulnera, quæ id patiuntur: cicatricémque eiſdem inducunt. ideo paracolletica dicebantur, & rectè quidem. Conſtant autem ex medicamentis non pinguibus, ideóque Alipene nominantur: quia pinguia relaxant & humectant. Atqui huiuſmodi uulnerum diatheſis, id eſt, præternaturalis diſpoſitio, eſt continui, nulla deperdita parte, ſolutio, ex humorum affluxu humida per accidens, quæ indicat, & requirit medicamenta exiccantia, & quæ citra abſterſionem aſtringant: ſed tamen pro ætatis & ſexus ratione, & loci affecti natura, diuerſa: ut quæ ex lithargyrio, oleo & aceto ac myrrha præparantur, imbecillem mollémque puerorum, mulierum, eunuchorúmque carnem agglutinant, & illorum qui muliebriter degunt. at ualidioribus indigent uirorum corpora, qui ex uiribus uel agriculturæ munijs, & ſolis æſtu, duriorem corporis habitum contraxerunt: qualia ſunt ærugo, pix arida, aloes, reſinæ, & bitumen: non artificiale illud gluten, ſed naturale: qualis eſt ex Iudaico lacu aſphaltus, & quæ ex eo concreta ſunt, ut electrum, & gagates lapis: quem emplaſtro barbaro additum, Galenus ait, τὰ ἔναιμα τραύματα κολλᾷν: id eſt, recens cruenta uulnera agglutinare. & quod clarius Glauconi his uerbis indicat: Si recens, inquit, cruentum uulnus medicaris, impones emplaſtra conglutinatiua ex aſphalto facta. uocant aurem ea, ait, neſcio quo pacto emplaſtra barbara. Ego uerò barbara dici ideo arbitror, quia aſphaltus, aloes, myrrha, ex Cœloſyria, barbarorum terra, afferrentur. Dum Ambergæ Palatinatus metropoli, Medicinam profitebar, quidam aulicus ex HELVETIORVM thermis glebas nigras, inſtar pumicis leues ac lapideſcentes ſecum attulit, quæ

Corn. Celſ li. 5. cap. 18. Gal. in 5. Method.

Hæc vberius Galen. lib. 2. de compoſ. med gener. & lib. 3. de fract. oſsium.

Galen. libr. 9. ſimpl. med. de gagate

Gal. lib. 7. ad Glauconem.

in aqua calida inſtar bituminis lenteſcebant: quas ab arena elutas, ac inſtar ceroti diſtentas: ulceribus uulneribusq́ applicabat, quæ ea facile conſolidabant. hæc nobis argumento ſunt, thermarum aquas ex ſulphureo bitumine, in uiſceribus terræ ab undarum fluctu calce & halitu accenſo, feruere. Nec mirum, quũ & lapis Thracius bituminoſus, ut gagates, aſpergine aquarum accẽdatur, oleo uerò extinguatur. unde Nicander in Theriacis ait:

Feruoris thermarum cauſa uerißima.

De Thracio lapide Dioſc. lib. 5. cap. 100. Gal. lib. 9. ſimplic. med.

ἠὲ συγγεθρύιοσαν ᾗ φλέξας πυρὶ λᾶαν,
ἥν ὕδατι βρεχθεῖσα σελάσσεται, ἐσβέσε δ' αὖ τὴν
πυτθόν, ὅτ' ὀσμήσηται ἐπιῤῥανθέντος ἐλαίου.

Hos uerſus eo libentius adduxi in teſtimonium, quoniam apud Galenum à chalcographo uitiati leguntur. Tali methodo Andromachus emplaſtrum barbarum conglutinatiuum ex aſphalto bitumine compoſuit, quod Aphrodas medicus admiratus eſt. Accepit picis aridæ pondo libras duas: bituminis, id eſt, aſphalti, ceræ, ſingulorum pondo libram: guttæ ammoniaci, mannæ, ſingulorum pondo uncias ſex: ceruſæ pondo uncias tres, olei heminæ dimidium, aceti heminas quatuor. At ſi uelis emplaſtrum conglutinatorium cephalicum conficere, tum accepta indicatione à loco affecto, qui ſui roboris, temperamenti, ac pliſinatis conſeruationem indicat, & requirit: tum certè nec gagates, nec aſphaltus bitumen competeret: quoniam omnia quæ bitumen redolent, cerebro & capiti ſunt infeſta. Quare commodius pro bitumine aſphalti reſinam aliquam odoriferam ſubſtitueres. nec acetum, quamuis exiccat, ualde competit: quoniam ſua mordacitate pericranium, & alia capitis ac cerebri oſsiumq́ uelamenta offendit: ſed ut in eo & oleo aſphaltus & gummi liqueſcant. aliis uerò emplaſtris barbaris, quæ ex lithargyro, ærugine, & calchante, id eſt, atramento ſutorio conſtant, oleum additur, ut eius lenimine aliorum acuitas miteſcat: & lithargyrium, ſi cera deſideretur, uel non competat, in oleo ad lentam & nigram uſq; uiſcedinem decoquatur, qua reliqua coadunentur. Accipíſne iam, mi Chriſtophore, ad medicamenrorum compoſitionem non ſufficere tantum ea ſimplicia, quæ morbi indicationes efflagitant: ſed opus quoq; eſſe hæc admiſcere, quæ illorum uires & qualitates defectas roborent, & adaugeant: excedentes uerò obtundant, & corrigant. Quare exacta compoſitionis medicamentorum methodus requirit, ut non emplaſtra & unguenta modò, ſed etiam alia pharmaca quæuis compoſita, ex contrariis coadunentur: quibus ſimul in aliquo liquore maceratis, uel decoctis. aut fermentatis, tertia quædam ſingularis uirtus ex horum mixtura prodeat, quam nulli ſimplicium acceptam referre poteris. Quare præcipuè illa magnifica, nuper adeò compoſita medicamenta, non rarò nos ſuo effectu fruſtrantur, ſi non ſatis macerata, & (ut aiunt) fermentata fuerint. uides quoque, quanta ſit compoſitorum medicamentorum ſimul neceſsitas & utilitas: & quantum delirent noſtri pharmacopœi, qui ex multis medicamentis homogeniis, ad oſtentationem in unum pharmacum congeſtis, ſibi ſecretioris medicamentorum eruditionis famam arrogare ſtudent: quod certè rectius chaos confuſum, quam medicamentum appellabis. Vale.

Enæma loco affecto accommodare docet Galen. in fin. lib. 2. de Artic.

De compoſitionum medicamentorum methodo declaratio.

DE RECTA LVXATA INSTAVRANDI methodo. THEMA XI.

DE HEIDELBERGA mi Pandulphe, ad thermas Badenſes, quas olim Marcus Aurelius Antoninus condidit, & poſtea Carolus quartus ſuæ nomenclaturæ Imperator inſtaurauit, profecturus, cum parum à recto itinere uerſus pagum Kyrloch diuertiſſes: omnes

omnes tibi obuios, quos de recto itineris compẽdio percontatus fuiſſes, uel luxata coxendice, uel diſtortis talis loripedes claudicaſſe, ſcribis. Quum uerò chirurgos etiam, inſtaurandi luxata peritos (quos Græci εὐεμβόλους appellant) hunc pagum incolere accepiſſes: admiratus quoque è proximis uillis claudicantium multitudinem, quid cauſæ ſubeſſe arbitrer, à me ſciſcitaris. Non enim illiceſſe Lemnum, Aegei maris inſulam, in quam Iuno Vulcanum (qui inde claudus eſſe factus traditur) præcipitaſſet: quum pagus hic multis millibus paſſuum ſit Rheno quàm Aegeo mari uicinior. Cauſam itaque tibi eius rei petenti, reddere haud pigebit. Noſti quidem ex Hippocratis aſſertione, quoſdam claudos naſci: alios uerò ex morbo arthritide, aut alio morbi dolore, caſu à præcipiti loco, aut ex palęſtræ lucta, aut quauis alia uiolenta concuſsione luxatos: plures uerò, ut Galenus refert, ob chirurgicorum imperitiam claudicare, qui rectam ueterum inſtaurandi luxata methodum penitus ignorant. De quorum ſecta, huius pagi euembolos paucis tibi oſtendam. Recta quippe luxata reducendi methodus quatuor habet ſcopos. Primus, ut membra de ſuo ſinu elapſa, ante inflammationem, quantum natura neruorum ac tendinum fert, modò ſolis manibus, aut loris, uel chiromactris iniectis, aut glocoſſomio, ſiue alijs machinis, leniter diſtenta, in ſuum priſtinum acetabulum reponantur, cum minori quantum fieri poteſt dolore. Enimuerò ſi pars luxata, dolore intenſo afflicta, phlegmone occupetur, aut congenita neruorum tendinúmque duricies obſtiterit, ſi membrum ſic affectũ diſtenſione laceſsiueris temerè, incrudeſcente dolore (ut Galenus ait) tali diſtenſione, φλεγμονὰς δ᾽ ὕστερον καὶ πυρετὸν καὶ σπασμοὺς γίνεται καὶ παραλύσεις ἐπιφέρει, καὶ παραφροσύνας. Proinde Hippocrates, & poſt eum Cornelius Celſus: Quicquid, inquit, loco ſuo motum eſt, ante inflammationem reponendum eſt, ſi illa iam præoccupauit, dum conquieſcat, haudquaquã laceſſendum eſt. ubi finita, tentandum eſt, in his membris, quæ id patiuntur. Oportet autem inflammationem ipſam, atq; dolorem leuare lana ſuccida ex hydreleo, id eſt, aqua & oleo moderatè calido, acetíque momento ſuperimpoſita, febríſque rationem in uictu habere quam maximam. At iſti, ſi dijs placet, chirurgi, nec quid ſit phlegmon, aut febris, nec ullum reponendi luxata organum norunt, quo leni tenſionis moderamine elocata, ſine doloris exacerbatione reponerent. Alter uerò & ordine ſecundus ſcopus exigit, ut membrum inſtauratum in ſinu articuli quieſcere ſinas, donec firmatum in eo probè coaluerit. id uerò effeceris, ſi roſaceo Meſuæ perfecto, aut quod primas certè obtinet, unguento noſtro de alabaſtro illeueris, & pannum lineum, uſu emollitum, lenem, rhodino quoq; delibutum, applicueris. Deinde ſi ſplenia ex ſtuppa ab aceribus purgata, aut multiplici panno conſarcinata, ouorum candido imbuta, appoſueris. Poſtremò faſcijs poſca uel uino madidis, primùm circa articulum, aut etiam oſsis fracturam iniectis, pro membri habitu latis aut oblongis, non nimis arctè, nec plus æquo laxè deligaueris. Quin etiã ſi neceſsitas poſtulat, poſt quartum uel quintum diem, ferulas ex corio bubulo uel ſuillo, aut tenuioribus aſſulis faginis, quibus panifices impoſitis pannos ſub prælo applanant, rectè applicato. Sic igitur membro deligato, & ad quietem ſchemate, figura naturali, doloris maximè experte, ſecundum uillorum & muſculorum rectitudinem ſituato, quieſcere ſinas: nec antè ſeptimum aut decimum diem religabis, niſi prauũ aliquod ſymptoma pruritus intolerabilis, aut phlegmon ex dolore, aut quauis alia occaſione inciderit. Vnde Hippocrates inquit, χρὴ τὸν ἰητρὸν τῶν ἐκπτωσίων τε καὶ κατηγμάτων, ὡς ἰθυτάτας κατατάσιας ποιεῖσθαι. αὐτὴ γὰρ ἡ δικαιοτάτη φύσις. Oportet medicũ luxatorũ aut fractorũ ſitus ac ſtatus quam directiſsimos facere, ſecundũ naturalẽ membri ſtatũ: ipſa enim natura iuſtiſsima eſt. Vnde Gal. ibidem ait: Duo ſunt ſcopi, quib. naturalis mẽbri lęſi figura, σχῆμα Græcis, aut ſitus,

Vulcanus claudus natus.

Claudicantium varia cauſa.

Gal. & Hipp. li. de Articulis

Rectè luxata inſtaurandi Methodi tres ſcopi.

Pericula praue inſtaurandi oſſa methodi.

Gal lib 3. de medic. uulnerum officio.

Hippoc. de Articulis. & Cor. Cel. lib. 8. ca. 11. & 10.

Alter inſtaurationis ſcopus.

Quis rectus oſsis fracti aut reducti ſitus.

Hippoc. lib. 1. de Fracturis.

Duo ſcopi ſitus membrorum.

rationalis diuini Hippocratis methodi ordinem euertũt. Nam membra fortè fortuna repoſita, nondum confirmata, necdum ſedato dolore aut phlegmone reſoluta, miſeris carnificum modis, & quotidianis diſtorſionibus, ne dicam torturis, exercent: nec ægrotorum (quam unicam laudem nobiles illis tribuũt) miſerentur: uerùm ſi quis natura delicatior ſęuas illorum manus inciderit, qui hęc chirurgicorum tormenta epaueſcit, cum illo obiter luctantur, proſtratum in terram, membrorumq́ torſionibus exanimatum ferè, pudet dicere quàm obſcœnis ſcommatibus ægro illudant. Certè Deo naturáque nil iuſtius, qui tales euembolos, ne dicam tyrannos, literarum oſoribus reliquit. Nec Nemeſis iuſtè in illorum patruo uindictę oblita fuit, quem claudicantem perpetuò, omnibus ludibrio expoſuit: ut eius exemplo quiſq; admonitus, hæc ſibijpſis artis ſubſidia præſtare non poſſe agnoſceret, quæ in alienorum corpore temerè experiri auderent. Vale, mí Pandulphe: ac faxit Deus, ne quiſquam illorum manus incidat, niſi qui doctis medicis malè affecti ſunt, & honorem ipſis inuident.

GALENVS DE FASCIIS VIDO VIDIO FLORENTINO INTERPRETE.

VIDIVS LECTORI.

P OSTREMI libri de faſcijs, de laqueis, de machinamentis non reperiuntur (quod ſciam) niſi in eo codice, cuius mentionem fecimus in epiſtola ad regem, in quo ſunt tres auctores de faſcijs, Galenus, Soranus, & Heliodorus, è quibus ego Latinum feci Galenum duntaxat, nam qui hunc norit, reliquos plane norit. Sed an eiuſmodi liber germanus ſit Galeni, dubitare nemo debet, nam uel ipſo proœmio conuincitur, atque hic eſt liber ille, quem ipſe pollicitus eſt in ſecundo commentario de officina medici. Verùm deſiderantur in Galeno quædam, quæ placuit accepta à Sorano & Heliodoro in hunc librum inſerere, ne qua ſuperſit humani corporis pars, cuius uinculum in hoc opere non reperias: quæ ſuppleuimus putamus, uel ab auctore omiſſa, uel (quod magis probabile eſt) intercidiſſe. neque enim ueriſimile eſt Galenum tam Sorano quam Heliodoro poſteriorem, qui ab utroque multa alia de faſcijs mutuatur, quæ nunc deſiderantur, omiſiſſe, nec ſingulis partibus (ut pollicetur) ſuam uinciendi rationem aſsignaſſe. Huc accedit quod deſcriptio Aſciæ uinculi, quam poſuit Heliodorus ad uinciendum femur, in libro Galeni non legitur, licet eius meminerit ſæpe numero, quia tamen neceſſaria fuit, prætereunda fuiſſe non uidetur. Vbicunque autem aliunde quidquã petemus, auctoris nomẽ maiuſculis literis notabimus, hoc pacto. EX SORANO, EX HELIODORO, *cumq́ ad Galenum reuertemur. Nunc Galenus.*


H *IPPOCRATES ILLE AVCTOR VETVSTIS*ſimus mundiciem ſpectans, quam exigunt alię artes in agendo, mihi uidetur non inconſideratè protuliſſe, Nobis ſanè placet in arte uniuerſa animi intentionem adhiberi. in quacunq; enim opera decorè agere rectèq; poſſumus decorè ac rectè agere conuenit quæcunque mundiciem celeritatemq́; admittũt, celeriter mundeq́; conficienda ſunt: atque ubi dolor euitari poſsit, quàm maximè iocundè: tum reliqua huius generis omnia pręclarius agere debemus, quam alij eiuſdem artis Profeſſores. Siquidem (ut in nonnullis quæ efficiuntur, uidere licet) artifices uſum habentes nõ alia re pręſtant ignaris & expertibus, quàm celeritate atque elegantia. Medicum ergo eo magis quàm alium artificem fungi decet ſuo munere, quo ſibi nobilior eſt ſubiecta materies: & idcirco, ſiue ſecet ſiue adurat, ſiue alliget, ſiue quid aliud manu moliatur, non modo utilitati ſtudere debet, ſed mundiciei & elegantiæ, quemadmodum ipſe alibi rurſus teſtatur, cum inquit: Vinculi ratio duplex, altera illius quod inijcitur, altera illius quod iniectum eſt. Quod inijcitur, ut celeriter, iocundè, promptè, eleganter. Celeriter quidem, ut opus expediatur: iocundè, ut facile præſtetur: promptè, ut ubique ſit in promptu: eleganter, ut oculos delectet. Mala enim in nonnullas corporis partes incumbentia, idoneam uinciendi rationem poſtulant, eámque per ſe homo ſæpiſsime decoram expetit. quare tam ſolius ægrotantis gratia, quàm omnium quibus ſui uidendi copiam faciet, ſcire oportet quę uincula, & ſimplicia, & uaria ſingulis partibus accommodentur: nec ignorandum eſt nonnullis utraque conuenire, nonnullis alterutra, nempe uaria, licet alij ſecus exiſtiment, de qua controuerſia primo dijudicare operępretium eſt. Expellunt nonnulli uaria uincula, non modo tanquam nihil proficientia, ſed ueluti uſum præſtantia maximè alienum. id quod nulla ſtabili ratione firmant: ſed teſtimonio maiorum nituntur, primum Hippocratis, cum inquit, Sed qui præſtantia uincula amant ſine mente complura alia lædunt. pręſtantia, id eſt, uaria: deinde Mantiæ referentis cuidam oculos procidiſſe, cui pharmacopola caput & faciem uario uinculo deligauerat: idq; iurè putant eueniſſe, quòd faſciæ ob uarieta

tem inæquales urgeant, & idcirco mouere inflammationes poſsint, atque ab-
ſceſſus. Sed ſatius fuit eos dignoſcere, non uinculorum uarietate accidere,
quod adducunt, ſed inſcitia alligantium, qui ualenter adſtringunt, oportuit »
enim ita deligare, ut Hippocrates docuit, cum ait, in his autem maximè ad uin- »
culum pertinet ut arctetur quidem ſic, ut quæ iniecta ſunt neque recedant, ne- »
que comprimant, ſed fulciantur non tamen cogantur. æquum autem fuit ubi »
Hippocratem citarunt, illud adiungere quod in Hippocratis oratione reſta- »
bat, non enim ſimpliciter ſcripſit. Sed, qui præſtantia uincula amant, com-
plura alia lædunt. Verùm ſubiecit, ſine mente, intelligant autem ex ijs quæ
mox perſequar, uinculum uarium nullo modo ab Hippocrate ſubmoueri,
ipſe igitur in libro de officina medici faſciandi rationem agens, ubi narrauit
quid uincula requirant dum inijciuntur, quid poſtquam iniecta ſunt, ſubdit.
Quod iniectum eſt, ut rectè, ut decorè: rectè intelligit iniectum, quod confert: »
decorè, quod elegans eſt. ut autem exponat quid ſibi uelit decore, addit. De- »
corè quidem, ut ſimpliciter, ut diſtinctè: adiungit autem uerbum ſimplici- »
ter, non quo ex toto declaret decore, ſed ex parte, quaſi dicat uinculum ſim- »
plex ſit, & diſtinctum, quod euidentius colligitur ex ijs, quæ ſubiecit. Aut »
ſimilibus & æqualibus, æqualiter & ſimiliter, aut inæqualibus & diſsimilibus, »
inæqualiter & diſsimiliter. Species autem ſimplex orbicularis aſcia, ſima, »
oculus, rhombus, dimidiatus. aptetur uerò ſpecies ſpeciei, ac morbo illius »
qui deuincitur. Ergo uinculi ſpeciem, quæ ſimplex eſt orbicularem eſſe ».
neceſſe eſt, ſed aſcia omninò ſima eſt, atque ita quod prorſus æquale eſt. erit
ſibi ſimile, quod inęquale, diſsimile. num igitur deterrentur idem de ſententia,
quia uaria uincula repudiari ab Hippocrate uoluerunt, fatentes aſciam, ocu-
lum, rhombum, dimidiatum, uarijs aſsignari? an præter hæc illis commemo-
rem eundem Hippocratem in libro de articulis, ad fractum iugulum, uincu-
lum admouere, quod à gruis ſimilitudine γερανίδα nominauit, idq; uarium
eſſe? Sciant autem quibuſdam partibus, cuiuſmodi femur eſt, ubi repoſitum
eſt, atque humerus & cubitus aliáque plura nullum aptari uinculum poſſe ni-
ſi uarium. Hactenus de his. pergamus iam ad faſciarum uinciendiq; rationem,
ſcrutemúrque in primis, ut faſciæ inter ſe diſtent, materia, habitu, longitudine,
latitudine, ſtructura. Materia igitur inter ſe diſsident, quoniam nonnullæ lin-
teæ ſunt, nonnullæ ex lana, aliæ ex membranulis, quarum uſus, cùm neque u-
nus ſit, neque ſimilis, ſed diſpar, ubi opus erit, eas accipere conabimur, quæ
morbo maximè congruant. quæcunque ergo adſtringenda erunt, linteis alli-
gabimus, at ubi adſtringere non oporteat, propterea quod hoc inflammatio-
ni ſit inimicum, ſed abunde ſit continere uel tegere, ex lana, ex membrana ue-
rò ſecuti Hippocratem, ubi naſus uel maxilla comminuitur, extremitatem
membranulæ parti quæ uinculum poſtulat, agglutinantes: Habitu, cum aliæ
glomeratæ aliæ ſciſſæ ſint, aſſutæ aliæ: Glomeratę ſunt, quæ ex habena in longi-
tudinem fiunt, quibus nihil aſſuitur, tales ſunt quibus perfracta membra uinci
untur, ſciſſæ, quæ ex uno linteo extremis partibus uel alibi ſciſſo conficiuntur,
quales ſunt, quæ ad capitis uulnera dantur (cancri dicuntur) ſiue in quatuor
partes ſcindatur, ſiue in ſex, ſiue in octo, aſſutæ ex pluribus habenis uaria figura
inter ſe iunctis componuntur, quales ſunt, quæ ſuſpendunt, quæ cingunt, quæ
mammas deuinciunt, quæ mammis & loco præterea, qui iuxta anum eſt, ac-
commodantur: Longitudine, cum quædam breuiores, quędam longiores ſunt:
Latitudinis eadem ratio eſt, ſiquidem tam hæc, quàm illa debet uinciendis par-
tibus reſpondere: Structura, nam aliæ texuntur, aliæ conſtant ex materia per ſe
coacta, uel certo ordine implicata, quæ ſimplici textura fiunt, nonnullæ hac de
cauſa texuntur, nonnullæ conficiuntur ex tela, quæ ad alium uſum texta ſcin-
ditur

ditur in faſcias, his plerunque uulnera obligamus, illis utuntur uenatores ad crura defendenda, eædem primæ palmæ parti circumdantur, quæ ex implicata materia fiunt, ab aurigis ad latera continenda adhibentur. Eſt autem perpetuum, ut qui uinciunt, faſcijs abundent, & quas habent, ſciant quàm optimè adhibere, atque ubi deligendi locus eſt, tales accipiant, quales docuit Hippocrates, quum inquit. Iam uerò faſciæ parentur, leues, tenues, molles, mundæ, latæ, ſine ſuturis, ſine eminentijs, ita ualentes, ne extentæ rumpantur, & paulo amplius. Mundas quidem eſſe conuenit, quoniam ſordidæ præterquàm quòd indecoræ ſunt, liquore aliquo reſperſæ, non madeſcunt, deteriúsque id reddunt, quo perfunduntur. eſſe item ſui coloris debent, ne purpura inficiantur, uel alia huiuſmodi re, eandem noxam afferant, aut coloris ſimilitudine currentem ſanguinem repræſentent: tenues inſuper, ne ambitus in tumorem nimium aſſurgant: molles, ne ob duritiem urgeant: leues ne onere infeſtent: ſint præterea ſine ſuturis inæqualibus, ob quas futurum eſſet, ut comprimerent: tum ſine eminentijs, hoc eſt, non ſint oræ à lateribus ipſa textura confectæ, uel alioquin uerſæ atque conſutæ, nec quædam extantia quaſi fibræ. cum quæ eminent, uinculum reddant inæquale, quæ extant, non patiantur faſciam facilè circuire. Quòd ſi faſciæ ex inciſo linteo fiant, incidatur non tranſuerſum, ſed in longitudinem, ſicut intextum eſt, ſectione ad ſtamen directa, ſic enim lintea facilè ſcinduntur, quod ſecus habet, ſi qua ſubtegmen procedit, hoc tentetur. Adde, quod quæ in longitudinem ſcinduntur faſciæ, quod uinctum eſt firmius continet. At uinciendi ratio quædam (ut ſuperius dixi) ſimplex eſt, & quædam uaria, atque hæc modo nomen inuenit à ſede cui adhibetur, modo ab euentis, nonnunquam translato uocabulo à ſimilitudine animalium: à ſede, quæ uincitur nomen trahit, oculus, naſus, inguen, cæteráque huius generis: ab animalibus, cancer, accipiter, aries, lepus, teſtudo: ſed ab euentis, uallum ſeu coniunctum, ſeu diſiunctum, operculum, habena, & quæ his ſimilia ſunt. Præterea ex huiuſmodi uinculis quædam ſunt uincula tantum, ut tholus, regium, ſcapha, diſcrimen: quædam uincula ſimul & laquei, cuiuſmodi eſt lepus auritus, paſtorialis, cæteríque conſimiles. Vinculum inſuper aliud ab altero faſciarum capite incipit: aliud à medijs faſcijs: aliud utroque modo. Quoddam item certis ſedibus idoneum eſt, reliquis alienum cum ſit: quoddam alijs quoque aptatur. Super hæc, aliud à priori parte conſpicitur, quod priorem hominis partem duntaxat alligatam oſtendat: aliud à poſteriori, aliud ab utraque ſimiliter & priorem & poſteriorem partem æque uinctam demonſtrans, atque hæc nunc conſimili, nunc diſpari ratione ueniunt in conſpectum, quæ omnia plena fient, cum ad ſingula uentum erit. Sed conſiderandum eſt, inquirendúmque an quomodolibet ordiri faſcias oporteat: maiores enim omnes ſtatuerunt certas corporis ſedes, à quibus faſciæ ordiri deberent, exempli cauſa in capite, ob quamcunque cauſam uinciatur, faſciæ caput in occipitio collocant, inde ipſam circumagentes, iuncturam conficiunt, nec quicquam intuentur, quod agunt morbo ne, cuius cauſa uinculum adhibent, ſecundum ſit an aduerſum: in alijs item partibus inſcitia uel ignoratione (ut credibile eſt) decepti, locos præſcripſerunt, neceſſe enim eſt rectè uincientem auctore Hipppcrate eò incumbere, ut non ſolum deligandæ parti, ſed affectui quoque uinculum conueniat. Nos igitur non undecunque, ſed qua maximè expedit, ordimur, extremámque faſciam imponimus, quà docuit Hippocrates, cum inquit. Quæ mouentur, ut articuli, qua curuantur, minimis, & maximè collectis, ueluti poples: qua extenduntur, ſimplicibus & latis, ueluti patella, obuolui debent. quæ autem adijciuntur ad continendum quidem, quæ circa hæc ſunt: ad ſuſpendendum uerò faſciam omnem, qua corpus


quieſcit & qua magis cauum eſt,ſuperimponenda,ut ſuprà uel infrà genû.Con- »
ſentit autem cum capite humeri faſcia alteram alam demiſſà,cum inguine,ad al- »
terum illum : cum crure, ſuper partem huius poſteriorem, quæ carnoſa promi- »
net.Quibus autem ſurſum labitur,ab inferiori parte ſuſpendenda eſt:quibus de »
orſum à ſupriori.ubi nihil tale eſt ,quemadmodû in capite,qua maximè æquale »
eſt contineri faſcia debet, & duci quàm minimè obliqua,ut poſtremo obuolu- »
ta, qua ualentiſsimè hæreat uagos circuitus contineat. Oportet præterea deli- »
gatem ad ea reſpicere, quæ in uinculo requiruntur, cuius Hippocrat. duas eſſe »
ſpecies teſtatur, unam eius quod inijcitur , alteram eius quod iniectum eſt. utrobique autem ſumma cura enitendum eſt,dum uinculum inijcitur, ut celeriter, iocundè, promptè, eleganter : celeriter quidem ut opus expediatur: iocunde, ut facilè præſtetur : promptè, ut ubique ſit in promptu : eleganter ut oculos delectet. Cum iniectum eſt, ut rectè , ut decorè habeat, nihilque abſit ex his quæ ſupra opus eſſe retulimus. De uſu autem uinculorum ſcire licet, quædam ea de cauſa adhiberi, ut continendo curantibus præſidijs ſubſeruiant: alia non propter hoc, ſed ut ipſa per ſe agant, quibus curatio committitur. in his maximè attendendum à qua parte faſcia ordiatur, qua circumeat , qua deſinat. quæ ſingula exquiſitius conſcribi non poſſunt, docere tamen uiam licet per quam medicus facile iudicare de ſingularibus poterit , naturam ſingularium partium perſpiciens,quàm facilè alligentur,ſuſpendantur, collocentur: atque inſuper quid uinculum ualeat : efficit enim , ut quæ abſceſſerunt propellantur, hiantia coniungantur , peruerſa dirigantur, atque omnium contraria præſtentur. Oportet autem ſi quid abſceſsit, ita deuincire, ut quæ ſublimia ſunt ſedem contingant,hoc eſt,locum unde receſſerunt,at non prẹmant: incipiendum uerò à parte ſana,& qua ulcus eſt finiendum,ut quod ſubeſt effundatur,& aliud ultra non coeat. Sed quæ abſcedere uolumus, contrario modo penitus alliganda ſunt, atque ubi in unum adducere conuenit. Verùm ubi, quæ hiant, hoc eſt, quæ in exteriorem partem conuerſa ſunt, longè initio accepto coniungenda ſunt, in cæteris eodem modo uinciendum, tantum ab ulterioribus aliquid adducendum erit , paulatímque comprimendum , primo minimum , deinde magis , maximæ compreſsionis terminus ſit, ubi ſe contingunt, aptantúrque , ſed non urgent. Verùm in diducendis, quæ contracta ſunt, ſi inflammatio eſt, ſuperſedendum eſt, ſi ea non eſt, præparatione eadem utendum, ſed uinculo contrario , dirigere item ubi peruerſa oporteat , cætera fieri eadem debent, tum quæ receſſerunt adducenda ſunt, contraria autem contra. Hæc omnia medicum quaſi leges tenentem obſeruantémque expedit id eligere, quod ſingulis uitijs idoneum eſt, miniméque ad certos locos conſilium dirigere. Nos, quanquam in uino quoque caſu, qua primum ordiri uinculum oporteat, perfectè explicare difficile eſt, dum tamen faſciarum rationem indicabimus, ut res euidentior ſit, locos ſtatuemus, à quibus ordiri potiſsimum conueniat: medicus uerò in agendo ubique illum eliget, qui maximè in rem erit.

Linteum ſciſſum ad ſummum caput, & ei proximam regionem. I.




Linteum iuſtè magnitudinis ſcinditur in partes ſex, & medium qua uerticem complectitur, integrum relinquitur, ex partibus uerò pendentibus mediæ findantur è regione aurium, ac ſub mentum demiſſæ, nodo inter ſe uinciantur. Quo facto altera faſciola anguſta media occipitio iniicitur, extremáque ad frontem adducuntur, & à latere capitis nodum accipiunt: quatuor uerò partium, quas pendere ſinebamus. hæc ratio eſt poſteriores propè nodum anguſtioris faſciolæ, priores ſupra occipitium inter ſe colligantur. licet item abſque nodo, alijs ſubiectis, alijs ſuperdatis, poſtremæ fibulam imponere.

Linteum ſciſſum, ad frontem & partes, quæ iuxta ſunt. II.



In quatuor partes ſcindere linteum oportet, medio intacto qua fronti circundetur: prioreſque partes ſuper poſteriores, quæ dependeant ad occipitium dare, ibique inter ſe deuincire: poſt hæc reliquas duas conuerſas, in ſummo capite colligere, quæ ſub mentum etiamnum demitti poſſunt, & ibi nodum accipere. Hoc uinculo ad occipitium quoque utimur, partibus à latere capitis nodo inter ſe deligatis.

Linteum ſciſſum ad totum caput. III.



Linteum ſciſſum in partes octo, ita, ut medium integrum ſit, donec tegere caput poſſit, toti capiti obuoluatur: tum ex pendentibus partibus, duæ iuxta aures fiſſæ ſub mento inter ſe diligentur, è reliquis uerò, binis à priori parte, quaternis à poſteriori, duę à poſteriori, duæ à poſteriori extremæ ſuper alias ducantur ad frontem, altera alteri ſubiecta, ut à ſuperiori contineatur, deinde priores duæ ferantur ad occipitium, ſic, ut ęquè alteri altera inſidat, his comprehuntur quæ prius fuerant circundatæ, reliquæ duæ poſteriores ad frontem attrahantur, altera ſimiliter alteri ſubiecta, extremæq; à latere fibula iniiciatur. Hæc uinciendi ratio efficit, ut caput ſine nodis inuolutum defendatur à tædio, quod hi comprimendo afferre plurimum ſolent.

Cancer ſiue uinculum capitis, ſiue operculum ſciſſum in partes octo, ad caput. IIII.



Medium amplecti debet uniuerſum caput, ſic, ut quatuor partes à fronte rectè dependeant, ab occipitio totidem: ex illis exteriores, ad occipitium porrectæ inter ſe alligentur: ex his exteriores ſimiliter fronti circundatæ, à latere diligentur. tum ex reliquis, quę in fronte ſciſſæ partes ſunt, ad occipitium, quæ in occipitio, ad frontem attrahantur.

Operculum ex faſcia lata trium capitum (σκεπάστρα dicitur) & ex altera, quæ hanc continet (κάτοχος uocatur) & tertia, quæ prohibet, ne totum uinculum diducatur, καθολκεὺς nominatur. V.




Pertinet ad obuoluendum uniuerſum caput, dicitur autem περισκεπάστρα. eſt quidem κάτοχος faſcia longior, quæ in orbem faciei & capiti circundatur, ut operculum comprehendat: ſed καθολκεὺσ ex faſcia fit oblonga, adhibetúrque eo nomine, ut diduci uinculum non ſinat: quarum hæc ratio eſt. Linteum adhibetur ſic latum, ut caput uniuerſum complectatur, longius quàm ut duplicatum, hoc efficiat, cuius alterum caput occipitio datur, alterum à fronte dependet: tum anguſtior faſcia ſub mentum media inijcitur, & in utranque partem per malas attrahitur inter frontem & uerticem, inde ſub mentum rurſus demittitur: poſt hæc alterius anguſtioris faſciæ medium fronti inijcitur, capitáque in orbem ad occipitium porrecta, ibi & inter ſe, & cum alterius anguſtioris faſciæ capitibus alligantur: at quod à facie pendebat in longitudinem, uſque dum ad ſupercilia uentum fuerit, diuiditur in duas partes, quæ in fronte altera ſuper alteram inſidente ad ſimilitudinem literę X in orbem ad occupitium ducuntur, atque ibi deligantur. Poteſt autem una faſcia duntaxat longior, & operculum continere, & prohibere, ne tota iunctura diducatur, ad hunc modum, ſi media inter frontem & uerticem ordiatur, capita uerò recta per malas ſub mentum demiſſa, ibiq; altero ſuper alterum excedente in ſimilitudinem literæ X ſub imas aures ad occipitium dentur, ubi rurſus in ſpeciem literæ X, inter ſe aduerſa ad frontem ducantur, & nodo à latere deligentur.

Hactenus de ſimplicibus uinculis, ſequitur ut de uarijs dicamus, ſi id antea oſtenderimus, quod faſcię circuituum alius dicitur rectus, alius tranſuerſus, obliquus alius, quid autem hi ſibi uelint, nomina declarant; tum alius στεφανιαῖος, μετωπιαῖος alius, παρειὰς, alius γενειὰς: pręter hæc aliud uinculum orbiculare, aliud in orbem ſerpens nuncupatur, aliud poſtremo aſcia. eſt autem στεφαναῖος, qui coronarum modo inter frontem & uerticem tēdit: μετωπιαῖος, qui frontem ambit: γενειὰς, qui ſub mēto circumagitur: παρειὰς ſimiliter à malis per quas ducitur, nomen habet: illa demum uocatur aſcia, quæ lunata figura ab una parte ſima eſt, ab altera gibba. Circuituum igitur iſtæc nomina ſunt.

Rhom-

Rhombus alter ſimplex, alter Hipppocratis de quo nunc. *VI.* *VII.*

Aptiſsimum eſt uinculum hoc (ut quidã ſenſerunt) ad ſuturas, ubi dehiſcunt (uel ut alijs placet) ad partium, quas uulnus diduxit, glutinationem, atq; ad emittendum humorem, eo, quòd cõprimendi uulneris uim habeat. Sic autem circuire debet: faſcia à latere capitis orſa, obliqua ducẽda eſt ad uerticem atque alterum tempus, deinde malis




utrinque circundanda & obliquè parti prius obuolutæ aduerſa in modum literæ X ad occipitium dimittenda, inde obliqua, ſic, ut à priori circuitu diſtet, per malas porrigenda eſt ad alteras malas, ac rurſus obliqua ſurſum danda ut bis X literam repræſentet, quodq; in medio eſt rhombi figuram accipiat, quo facto ad occipitium ferenda eſt, & fronti in orbem inijcienda, eatenus autem circumagenda, ut quæ nuda ſunt, includantur.

Semirhombus uel lepus ſine auribus. *VII.*

Huic, & illi cui nomen eſt Tholus, in omnibꝰ eadem uis eſt. Ratio adhibẽdi huiuſmodi eſt: Faſciæ caput occipitio inijcimus, eámque ſub infimam auriculã obliquè inter frontem & uerticem ad occipitium ducimus, tum inter frontẽ & uerticem priori parti aduerſam ac ſub infimam auriculam ad occipitium attrahimus. poſt hæc fronti circumagimus ſic, ut quod medium eſt, ſemirhombi effigiem referat. extrema uerò faſcia, non modo in hoc, ſed in alijs quoque capitis uinculis, fibula à latere uincienda eſt. Poſſumus etiam ſi ex uſu ſit, faſciam circumducere, non ab inferiori parte ſurſum, ſed contra.

Vinculum ad caluariam, vel ſcapha, vel Tholus, ſeu Dioclis, ſeu Glaucij. *VIII.* *XI.*

Maximè idoneum eſt, ubi ſummum caput, & quod inter ipſum & frontem eſt, uincire conuenit. hoc autem modo ipſum inijcies: orſus ab occipitio faſciam rectè per uerticem duces ad frontem, ibiq; ſiniſtræ manus digito indice continebis, & iuxta priorem partem rurſus ad occipitium demittes, ab eóque tertio ad frontem porri-



ges iuxta partem priorem, ubi ipſam obuolues per eum ſinum, qui à digito tenebatur, poſtremo fronti circumages.

Thais Perigenis, quam alij ad Molpi eam auctorem referunt. *IX.*

Adhibetur eadem cauſa, qua Tholus, ſed quandam præter uſum elegantiam habet. Vbi Tholus uinculum ſuperdatum fuerit, anguſtioris faſciolæ caput, ſub eius ambitum indatur, eáque porrigatur obliqua ad ſummum caput, & inter ipſum & frontem, tum in fronte ſub prioris faſciæ ſinum agatur, inde

obliqua ad uerticem, per id, quod inter ipſum & frontem eſt, ducatur, poſt hæc ad occipitium, dein ſub infima auricula dextra inter frontem & uerticem, ſub infima auricula ſiniſtra rurſus ad occipitium reuertatur. Nos uerò ut fidelius contineatur, alium quoque ambitum per frontem adijcimus.

Thais alia ſine auctore. X. XI.




Tholo obuoluto, faſciola quę digiti latitudinem æquet uel etiamnum anguſtior ſit, orſa ab occipitio recta ad ſummum caput, & ad frontem, per id, quod inter ipſam & uerticem eſt, adduci debet, ibíque dupli cata rurſus ad occipitium porrecta conuerti, atque inde per dextram capitis partem ad uerticem, & inter ipſum & frontem procedere, deinde ad ſiniſtrum tempus demitti, qua duplicanda eſt, & per partem prius obuolutam, ad dextram capitis attrahenda, inde ſimiliter duplicata ad tẽpus, quod tertio fiat, ut tres ſinus duplicatæ faſciæ cincinnorum imaginem referant, ſed poſtquam tertio ad dextram occipitij partem uentum fuerit, faſciola ad ſiniſtram partem conuertenda ut æque in altero tempore conſpiciatur, poſtremo, ut benè priores ambitus teneat, fronti circumagenda.

Diſcrimen. XI.

Ad eoſdem pertinet ad quos Glaucij Tholus, inijcitúrque hoc modo. faſcię quod ſatis eſt, à facie dependeat & reliqua eius pars ad ſummum caput, per id quod inter ipſum & frontem eſt, feratur, inde ad occipitium, ibiq; tradatur miniſtro continenda, poſt hæc conuerſa circa frontem detur, quo facto caput à facie pendens, per partem primo iniectam, rectè ad uerticem, per id, quod inter ipſum & frontem eſt, procedat, inde ad occipitium, ibiq; finiatur.

Scapha, ſeu Tholus Diocleus. XII. XII.



Rectè datur, ubicunque coniungere dicta neceſſe eſt, uel quod ob diutinum materiæ curſum ad oculos inciſa cutis fuerit, uel quod frons alioquin uulnus acceperit. Obuoluitur autem hoc modo: faſciam ab occipitio orſam, trahimus ſub infima auricula dextra, uel ſiniſtra, prout ab hac uel illa prius ducenda æſtimabimus, inde ad tempus adiunctum, ab eóque tranſuerſam inter frontem & uerticem, porrigimus ad alterum tempus, inde ſub infima auricula ad occipitium, qua caput prius ſuperiniectum adſtringimus, dein ſuper aurem fronti circundamus, ſic, ut ambitus hic, illi ſubijciatur, qui inter frontem & uerticem procedit, ac uterq; è regiõe alterius, ab interiori parte ſit reſimus, tum quoties opus eſt eodem modo circumagimus.

Inijcitur & aliter per duos faſciæ ambitus, circa eam ſuturam, quæ ad aures per uerticem tendit ſic, ut alter ambitus ſuper ſuturam ſit, alter infra, & uterq; ab interiori parte ſit reſimus, inferior autem ſurſum procedere debet, ſuperior uerò deorſum.

Thais

Thais ſub incerto auctore. XIII. XIIII.





Illis idonea eſt,quibus quod inter frontem & uerticem eſt ac proximas partes,cõuenit deuincire. Eam ſic admoueto, ubi ſemirhombum inieceris,ſic tamen, ut faſcia frontem non complectatur, ipſam ab occipitio obliquam, ad uerticem & frontem porrigito, ibíque conuertito, facitóque,ut circa frontem lunæ figuram imitetur,& cornua ſurſum ſpectent, ima parte ſita inter ſupercilia: poſt hæc altera parte uerticis ad occipitium ducito,ſicq; circa frontem attrahito.Huius modi uinculum præter eam, quam ſemirhombus affert utilitatem,eſt etiam aliquo modo ſpecioſius.

Glaucij vinculum ſuperimpoſitum, vel additum.
XIIII.

Ad eoſdem confert,ad quos uinculum ad caluariam, ſed huic magis fidendum igitur,ubi uinculum ad caluariam adhibitum eſt, aliud ſuper inijcito,cui nomen eſt lepus ſine auribus,ne longum faciam.

Regium. XV. XVI.






Idem efficit,quod Thais ſub incerto auctore, nimirum, quod inter frontem & uerticem eſt, ac proximas partes, deuincit, cuius hæc ratio eſt, faſciæ quantum ſatis eſt de pendere à facie ſinimus, quódque ex ea reſtat, inter frontem & uerticem rectam ad occipitium trahimus, inde conuerſam, ſub ima aure inter frontem & uerticem obliquè ad occipitium,ab hoc obliquè item ad id contrariæ partis,quod inter uerticem & frontem eſt, tum per tempus, ac ſub ima aure ad occipitium ducimus, deinde caput, quod à facie pendebat, ad frontem attrahimus, térque ibi replicamus,ſic,ut ſinus ad ſimilitudinem graduum, ſe excedant quos poſtremo cõprehendimus faſcia circa frontem obuoluta.

Capiſtrum, quod dimidiatum, vel ad alteram partem dicunt. XVI.

Expeditiſsimum eſt, ubi maxillam ſeu uulneratum, ſeu prolapſam, ſeu ob diſtentionem oris aliúm ue morbum oportet ab altera parte uinciri. faſcia ab occipitio orſa,obliqua per uerticem,& inter ipſum & frontem per tempus ferri debet ad malas,inde ſub mento & ima aure alterius partis ad occipitium, deinde ſub imis auribus ac mento attracta,eodem reuerti, atque ad eandem rationem,quoties opus eſt, circuire. Tunc uerò commodum ita circundatur, cum à ſuperiori parte deorſum deligandum eſt, ſin ab inferiori parte ſurſum, faſcia ab occipitio incipiat, & ſub imam auriculam, mentúmque procedat, tum per malas ducatur, & obliqua inter frontem & uerticem ad occipitium, dein ſub mentum circumagatur,poſtremo frontem ambiat.

Capiſtrum ad utranque partem. XVI. XVII.



Ad eos pertinet, quibus maxilla uel utrinque, ſuo loco mota eſt, uel alio quopiam tenetur, ex ijs quæ dicta ſunt in capiſtro ad alteram partem. Faſcia occipitio primum iniecta, oblique per uerticem & inter ipſum & frontem ad malas porrigitur, demiſſáque ſub mentum maxillam & malos ab altera parte amplectitur, inde inter frontem & ſummum caput per partem prius iniectam in ſpeciem literæ X ad occipitium reuertitur, & ſub imis auribus, ac mento rurſus ad occipitium data, nouiſsimè frontem complectitur.

Idem ab inferiori parte ſurſum. XVIII. XIX.



Ab occipitio ordiatur, & ſub infimam auriculam, ac ſub mentum detur ad malas, inde oblique per ſummum caput ad occipitium tendat, ab eóque ſub infima auricula alterius partis, & ſub mento demittatur, tum ad malas, poſt hæc oblique inter frontem & uerticem ad occipitium ducatur, & fronti poſtea circundetur.

Idem in utranque partem ductum à ſuperiori parte deorſum. XIX.

Media faſcia complecti occipitium oportet, capitáque eius per uerticem obliqua inter ipſum & frontem porrigere, ſic, ut X literam repræſentent, deinde per malas ſub mentum, & ſub imas aures ad occipitium reuerti, poſt hæc circa frontem obuolui, & ad occipitium adducta ſub mentum demitti, poſtremo ad occipitium per frontem circuire.

Idem aliter. XX. XXI.



Media faſcia ſuper frontem detur, capitáque eius ducantur ad occipitium, ibíque figuram accipiant literæ X, poſt hæc ſub imas aures ac mentum ad malas, inde inter frontem & uerticem obliqua ad occipitium demittantur, tum ſub mentum, nouiſſimè per frontem circumdentur.

Aliter. XXI.

Faſcia media ab occipitio orſa, capita ſub imas aures mentúmque attrahenda ſunt, tum per malas, quod ſuper eſt eodem modo obuoluendum, quemadmodum in ea, quæ proximè poſita eſt.

Capiſtrum

Capiſtrum obliquum ad alteram partem, quo uinciuntur quæ iuxta aurem ſunt, & maxillæ proceſſum. *XXII.* *XXIII.*





Ab occipitio initium ſumat, & ſub infimam auriculam ad tempus, atq; inter frontem & uerticem oblique ad occipitium, & circa frontem procedat, ſæpiuſq; ad eãdem rationem circumeat quo modo procedere debet, cum ab inferiori parte ſurſum attrahi tur. Sin expeditius fit à ſuperiori parte deorſum, ita porrigatur, incipiat ab occipitio, & oblique per uerticem & inter ipſum & frontem ad tempus procedat, ab eoq; ſub imam aurem ad occipitium reuertatur, deinde frontem ambiat.

Quod alij leporem ſine auribus, alij ſemirhombum uel nauiculam dicunt, ad utranque partem commodiſſime ad frontem, & ex parte etiam ad id, quod inter ipſum & uerticem eſt, adhibetur. *XXIII.*

Occipitio primum faſciam inijcimus ab eóque ſub infimam auriculam ad tempus, & inter frontem & uerticem adducimus, & obliquam ad occipitium demittimus, inde circa frontem iuxta angulum oculi tempori propiorem, & inter frontem & uerticem obliquè ad occipitium, inde obliquè inter uerticem & frontem, parti prius iniectæ aduerſam ſic, ut ibi X literam repræſentet, poſt hoc ſub infimam auriculam ad occipitium, poſtremo circa frontem.

Idem in utramque partem ductum à ſuperiori parte deorſum. *XXIIII.* *XXV.*





Media faſcia occipitium amplectitor, capitáque eius per uerticem inter ipſum & frontem adducito, ſic, ut ibi X literam repræſentent: inde ſub imas aures ad occipitium, poſthæc circa frontem attrahito.

Idem ab inferiori parte ſurſum. *XXV.*

Faſcia media ab occipitio orſa ſub infimis auriculis in utranque partem ducitur ad angulos oculorum temporibus propiores, ab his inter frontem & uerticem ad occipitium reuertitur, deinde frontem compræhẽdit. quibuſdam placet hanc ſub mentum quoque circumagi.

Vinculum à ſuperiori parte iunctum. *XXVI.* *XXVII.*





Capiſtrum rectum ad utranq; partem adhibemus, faſciamq; non amplius ſub mẽtum, ſicut in illo, ſed per medium naſum agimus ad occipitium & ſuper eam ſuturam attrahimus, quę ad aures per uerticem tendit.

Vinculum Glaucij ualde iunctum. *XXVII.*

Eadem ratione obuoluitur, atque id, quod à ſuperiori parte iunctum inſcribitur, niſi quod fertur etiam ſub mentum.

Perigenis galea gladiatoria. XXVIII. XXIX.




Aptiſsima eſt, ubi caput ac malę pluribus locis uulnus acceperunt. Capiſtrum obliquum ad utranque partem inijcitur, deni Glaucij ſcapha, poſt hæc rurſum capiſtrum ad utramq; partem. nonnulli ut uinculum hoc elegantius reddant, id capitis ornamentum, quod κεφαλὸν appellant, parantes aſſuunt. Adhibetur item & alio modo ſine obliquo capiſtro, & faſcia per malas minimè porrecta.

Galea aliter ad eoſdem. XXIX.

Faſciæ quod ſatis eſt à fronte dependeant, reliqua ad occipitium recta ducatur, & eatenus obuoluatur, ut rectum capiſtrum efficiens, totas genas & caput complectatur, quo facto caput quod à fronte pendet, ſurſum conuertendum eſt, & recta per uerticem ad occipitium attrahendum, ac, ſi placeat ſub imas quoque aures adducendum.

Lepus auritus. XXX. XXXI.




Sic appellant ſemirhombum, ubi laqueus ille accedit, quem auriculas nuncupant, qui uel gladiatorib. decoris cauſa datur, uel ut caput contineat, ubi propter aliquem faciei affectum pertractare id oporteat. ſi decoris cauſa auriculæ breues ſint, & in medio frontis. Nam ſic animalis imaginem referunt: Sin ut contineant, in medio ſimiliter & magnæ, ut digiti in earum ſinus coniecti, continere caput queant.

Alius ad tempora. XXXI.

Hac ratione obuoluitur ex altera parte faſciæ laqueus fit paſtoralis, uel qui duos habens ſinus nominatur (quos ſæpius in libro de laqueis breuiter declarauimus) & fronti inijcitur, ſuper quem deinde ſemirhombus, uel nauicula circumligatur.

Simplex oculus, uel tenue uinculum ocularium. XXXII. XXXIII.




Faſciam ab occipitio orſam ducimus per uerticem inter ipſum & frontem, inter ſupercilia ad oculum ſic, ut ipſum contegat, inde ſub infimam auriculam ad occipitium, poſtremo circa frontem.

Idem ab inferiori parte ſurſum. XXXIII.

Ab occipitio initium ſumit, & per ſummum caput inter ipſum & frontem inter ſupercilia ad oculum, tum ſub infimam auriculam ad oculum, inter fronté & uerticem agitur, poſthæc ad occipitium, & circa frontem.

Duplex oculus à ſuperiori parte ductus. XXXIIII. XXXIIII.

Orditur ab occipitio,& per ſummum caput,atq; id, quod inter ipſum & frontē eſt, inter ſupercilia fertur ad oculum, tum ſub infimam auriculam alterius partis,ad alterū oculum, inter ſupercilia, inter frontem & uerticem ad occipitium, poſtea circa frontem.Poteſt etiam,ſi ad rem magis pertineat, initio conuerti, & ab inferiori parte ſurſum circumdari.





Duplex in utranq; partem ductus à ſuperiori parte deorſum. XXXV. XXXVI.

Media faſcia ab occipitio orſa,ducere capita oportet inter frontem & uerticem,atq; inter ſupercilia,ſic,ut ibi X literę figuram accipiant, tum ad oculos, atq; inde ſub imas aures ad occipitium & circa frontem.





Aliter. XXXVI.

Media faſcia ordiatur à fronte,capita ad occipitium dentur, inde ad modū literæ X ſimiliter,atq; in ſuperiori uinculo procedant.

Oculus rectus ad alteram partem. XXXVII. XXXVIII

Orſi ab occipitio faſciam per ſummum caput,& inter ipſum & frontem directa ad oculū ducimus,inde per eam partem, qua maxilla cum malis committitur, ſub mentum,& ſub infimam auriculam ad occipitium & circa frontem.





Duplex ex eodem ductus. XXXVIII

Priuſquam frontem comprehendat, ab occipitio ad alterum oculum trahi debet,tum recta,qua maxilla cum malis committitur,ſub mentum,ab eoq; ſub infimam auriculam ad occipitium & circa frontem.

Idem ab inferiori parte. XXXIX. XL.

Faſciam ab occipitio orſam ducito ſub infimam auriculam,ab eáque ſub mentum, & qua maxilla cum malis committitur, ad oculum,inde inter frontem & uerticem ad occipitium,poſthæc ſub infimam auriculā, ſub mentum qua maxilla cum malis ex altera parte committitur,ad oculum attrahito, tum inter ſupercilia ſuper partem prius iniectam ad modum literæ X inter frontem & uerticem ad occipitium porrigito, & circa frontem nouiſsime circumdato.





Idem in utramq; partem ductus. XL.

Faſcia media non ſecus ac in ea, quæ obliqua oculum uinciebat occipitio inijciatur, capitaq; à ſuperiori parte, uel inferiori attrahantur, poteſt etiamnum media faſcia ſub mento incipere.

Linteum ſciſſum ad naſum. XLI. XLI.





Faſcia eatenus lata eſſe debet ut naſum complectatur, longa uerò, ut duplicata à naribus ad occipitium perueniat. Orſam igitur ab occipitio recta per uerticem & inter ipſum & frontem ad medium naſum adducimus, & quod ex ipſa ſupereſt à facie ſinimus dependere, quod rectum in duas partes ſcindimus, uſq; dum uentum ſit ad ſuperius labrum. Quo facto alteram faſciolam mediam, ab imo naſo orſam ſuper eam, quæ ſciſſa pendet à facie, in utranque partem, ſub imas aures ad occipitium ducimus, ſuper partem primo iniectam, ſic, ut ibi X literam repræſentet, miniſtróque tradimus, deinde partes ſciſſas à facie conuertimus ab utraque parte naſi inter ſupercilia, ut ibi literæ X ſimilitudinem accipiant, ac per ſummum caput obliquas ad occipitium porrigimus, & cum priori capite iungimus, ſuper quas deinde capita, à miniſtro contenta circa frontem attrahimus, ſic, ut à latere nodo uel fibula inter ſe uinciantur.

Funda ad naſum ex quatuor capitibus. XLII. XLII.






Scindendum linteum eſt in partes quatuor, mediúmque integrum relinquẽdum, qua uincire debet imum naſum. ex capitibus uerò, quæ ſuperiora ſunt, pendere deorſum oportet, inferiora per genas primùm ad angulos oculorum temporibus propiores procedere, inde inter frontem & uerticem ad ſimilitudinem X literæ inter ſe commiſſa, à miniſtro contineri, reliqua duo ſub imas aures ad occipitium demitt, ibiq; literæ X ſimilitudine accepta, circa frontem agi, & à latere inter ſe deligari, tum quæ à miniſtro tenebantur, in occipitio deſinere.

Eadem ex tribus faſciculis. XLIII. XLIIII.





Vna media inijcitur ſub imo naſo, capitaq; eius per oculorum angulos temporibus propiores inter frontem & uerticẽ ducuntur, ibiq; aduerſa ad imaginem literæ X à miniſtro continentur, altera media datur ſuper imum naſum, & in utranq; partem ducitur ad occipitium, ibiq; accipit nodum cum capitibus à miniſtro contentis, tertia

orditur à fronte,& capiti circumdata à latere deligatur.

Eadem ex duabus. XLIIII.

Vna ſub imo naſo dari media debet,capitaq́; eius per angulos oculorũ temporibus propiores inter frontem & uerticẽ porrigi,atq; inter ſe aduerſa in ſpeciem literæ X miniſtro ſimiliter tradi: altera media inijci ſuper imum naſum, & capita eius ferri ſub imas aures ad occipitium,& ibi X literæ ſimilitudine accepta per frontem circumagi,& à latere deuinciri.

Naſus ex binis faſciolis. XLV. XLVI.





Vna ſuper naſum in longitudinem detur, dimidiaq́; pars à fronte dependeat, reliqua per uerticem rectà ad occipitium porrigatur,ſed alterius medium dandũ eſt ſub imũ naſum,capita uerò ſub infimas auriculas ad occipitium ferenda,ubi debent literæ X ſimilitudinem accipere. Poſt hæc prioris faſciæ quod à fronte pendet, ſurſum conuertendum,& ſuper partem primo uolutam rectà per uerticem ad occipitium demittendum. Quo facto,capita quæ ibi literę X figuram acceperant,id complexa,poſtquam fronti circundata fuerint,finienda ſunt.

Accipiter ad naſum ex tribus faſciolis. XLVI.

Vna ſub imo naſo media incipit,cuius capita utrinq; iuxta nares inter ſupercilia ducuntur ad imaginem literæ X, inde ad ſummum caput atq; occipitium danturibiq; continentur:altera media ſuper imum naſum obuoluitur,capitaq́; eius ſub infimas auriculas,ad occipitium demittuntur,& ibi inter ſe,& cum capitibus,quæ continebantur,uinciuntur: tertia media à fronte orditur, & in utranq; partem circumacta à latere capitis finitur.

Idem ex binis faſciolis. XLVII. XLVIII.





Prior faſcia perinde atq; altera circũagenda eſt,ſed capita huius in occipitio ad literæ X ſimilitudinem inter ſe aduerſa, ubi frontem complexa ſunt,finiũtur: illius uerò ſub his comprehenduntur,uel ipſa quoq; in occipitio in ſpeciem literæ X inter ſe aduerſa ſub mentum adducuntur, ibiq; inter ſe alligantur.

Faſcia glomerata ad idem. XLVIII.

Faſciæ pendere tantum à facie ſinito, quantum à naribus poſsit ad occipitiũ peruenire,reliquam eius partem rectà per naſum,inter ſupercilia ad frontem & uerticem trahito,inde per medium caput ad occipitium demittito,ibiq; conuerſam ſub infima auricula ad imum naſum attrahito ſuper partem pendẽtem, inde ſub infima auricula alterius partis ad occipitium ducito,ibiq; contineto. Poſt hæc caput,quod à facie pendebat, rectà ſuper partem priorẽ uolutam, ac occipitium dato,ſic,ut à reliqua faſcia comprehendatur,quam poſtremo circa

ſrontem adducito,& ad occipitium reuerſam à latere capitis deuincito.

Funda. XLIX. L.

Orſa ab occipitio obliqua per uerticem, & inter ipſum & frontem tendit ad angulum oculi tempori propiorem, inde per genam ad imum naſum, ab eoq; ad genam ſimiliter alterius partis, oculi angulum tempori propiorem, inter frontem & uerticem, ad ſummum caput fertur priori parte aduerſa. Poſt hæc ad occipitium demittitur, & ſub infimis auriculis porrecta ad occipitium reuertitur, nouiſsiméque fronti obuoluitur.



Eadem aliter. L.

Faſciam occipitio primum inijcimus, deinde obliquam per uerticem ad tempus atque angulum oculi tempori propiorem adducimus, ab eóque ſub imum naſum, atque infimam auriculam, rurſus ad occipitium demittimus, ibíque conuertimus, & priori parti aduerſam obliquam ducimus ad tempus, ac ſub imum naſum ad infimam auriculam contrariæ partis, poſt hæc ad occipitium, deinde ſub infimam auriculam, ſub imum naſum, ac ſub imam auriculam alterius partis ad occipitium, poſtremo circa frontem obuoluimus.

Amintæ vallum. LI. LII.

Orſi ab occipitio, faſciam obliquè per uerticem ducimus, atq; inter ipſum & frontem inter ſupercilia, inde à latere iuxta angulum oculi, naribus propiorem rectà ad proximam narem, inde qua maxilla cum malis cõmittitur, attrahimus, tum ſub mentum demittimus, & ſub infimam auriculam ad occipitium damus, ab eóque per uerticem obliquè inter ipſum & frontem, atque inter ſupercilia porrigimus, priori parti aduerſam in ſpeciem literæ X. Poſt hæc à latere naſi, ex contraria parte, & qua maxilla cum malis committitur, ſub mentum atque infimam auriculam alterius partis ad occipitium, inde fronti circundamus, poſt hæc ſub infimam auriculam, per medium naſum, ad alteram infimam auriculam atque occipitium. præter hæc nonnulli quoque mentum complectuntur. Adhibetur autem commodiſsimè, ubi uel inter ſupercilia, uel medium naſum deligare opus eſt.



Phaleræ ſeu vallum. LII.

Ab occipitio inchoatur, & obliquè per ſummum caput atque inter ipſum et frontem procedit inter ſupercilia, inde iuxta angulum oculi naſo propiorem per genam ſub imam aurem ad occipitium, ab eóque per contrariam partem, ſic, ut inter ſupercilia literæ X figuram accipiat, tum obliquè inter frontem & uerticem ipſum ad occipitium demittitur, deinde ſub infimam auriculam, per medium naſum, atque alteram infimam auriculam, item ad occipitium reuertitur, poſt hæc circa frontem agitur. Quidam ut ſpecioſius uinculum efficerét,

per

per eam quoque ſuturam, quæ ad aures per uerticem tendit, circuire uoluerunt. Poteſt etiam, ut res poſtulat, faſcia duci in utranque partem. huic & ſuperiori eadem uis eſt.

Menecratis accipiter. *LIII.* *LIIII.*





Faſcia primũ occipitio detur, & rectà per uerticem inter ſupercilia tendat iuxta angulum oculi naſo propiorem, & ab altera nare ſuper imum naſum feratur iuxta alterum angulum naſo propiorem, & inter ſupercilia, ut ibi ſimilitudo literæ X fiat, poſt hæc rectà iuxta partem prius uolutam ad occipitium reuertatur, ibique conuerſa ſub infimam auriculam, & ſuper imum naſum, ac ſub infimam auriculam alterius partis, itidem ad occipitium adducatur, & fronti nouiſsimè circumdetur, quam agere etiam licet ſuper eam ſuturam, quæ ad aures per uerticem tendit. Nonnulli, ut elegantius uinculum reddant, adijciunt ſemirhombum, cuius rationem ſuprà indicauimus.

Amintæ uallum ad naſum in alteram partem declinatum.
LIIII.

Faſciam ab occipitio orſam rectà ad ſummum caput adducito, deinde inter ipſum & frontem, atque inter ſupercilia ab altera nare ſub imum naſum attrahito, inde ſub imam auriculam alterius partis, & ſuper imum naſum, ab eoque ſub imam aurem ad occipitium obuoluito, inde circa frontem.

Hippocratis uinculum adducens. *LV.* *LVI.*





Idem præſtat, quòd proximè poſitum, ſic autem obuoluitur: membranula palmæ longior accipitur, cuius unum caput glutine uel gummi illitum naſo agglutinatur ab ea parte in qua iacet. alterum ſub imam aurem ad occipitiũ adducitur, ab eoque ad frontem, quà ſimiliter agglutinatur.

Ad aures linteum ſciſſum in quatuor partes. LVI. *LVII.*





Medium auriculam complectatur, ex partibus uerò ſciſsis, quæ ſuper auriculam ſunt, ubi X literæ figurã acceperint, una per frontem, altera per ſummum caput, ad occipitium porrigantur, tum quæ per frontem procedebat, quà X literæ ſimilitudo eſt, attrahatur, quæ per uerticem, ad frontem ducatur, & à latere capitis ambæ inter ſe uinciantur, ſed partes ſubiectæ aduerſæ inter ſe procedant, & altera per poſteriorem partem, altera ſub mentum detur ad occipitium, ibique nodum accipiant.

Auris ex faſcia glomerata. LVII.

Faſcia poſt læſam aurem propè occipitium orſa, per ipſam ferri debet, ut ex parte eandem includat, inde inter frontem & uerticem attrahi nõ longè à fronte, tum per priorem partem propè alteram aurem ac ſub mentum ad aurem affectam, deinde inter uerticem & frontem ad poſteriorem partem integræ auris, & ſub mentum, atq; infimam auriculam ad occipitium, inde circa frontem, ac rurſus ad occipitium.

Aliter. LVIII. LIX.




Occipitio primum inijcitur, & ſub infimam aurem ſanam inter frontem & uerticẽ ad priorem partem affectæ auris porrigitur, atque inde ſub mentum, & ſub infimam aurem ad occipitiũ, deinde obliquè ſuper aurem, poſt hæc circa frontem.

Linteum ſciſſum in partes ſex ad regionem iuxta aurem. LIX.

Medium ſuper locum uinciendum inijcimus, ex partibus uerò alijs à ceruice dependentibus, alijs ſuper caput collocatis, eas, quæ à priori parte ſunt, inter frontem & uerticem nodo inter ſe deuincimus, medias uerò in ſummo capite, & inter ſe, & cum prioribus alligamus, poſteriores ad occipitium adductas, ut X literam referant, circa frontem agimus ſic, ut à latere capitis finiantur.

Iunctura ad malas ex tribus faſcijs. LX.



Vna media inter frontem & uerticẽ inijciatur, capitaq; eius per malas ſub mentum demittantur, ab eoq; per malas iuxta priores partes inter frontem & uerticem procedant, ibiq; inter ſe colligentur; quòd ſi oculos quoque deuincire uolueris, ducantur non iuxta priorem partem, ſed per oculos, tum inter frontem & uerticem data in ſpeciem literæ X ad occipitium adducantur: altera faſcia media inter frontem & uerticem orſa, in utranq; partem attrahatur iuxta oculorum angulos temporibus propiores, ad mentum, atq; ibi nodum accipiat: tertia media medium naſum amplectatur, capitaq; eius ſub infimis auriculis ad occipitium adducãtur, ibiq; X literæ ſimilitudine accepta per frontem circumeant, & nodo à latere capitis uinciantur.

Longa ad frontem & regionem quæ inter ſupercilia eſt ex faſcia glomerata. LXI.

Dari primo ſuper occipitium debet, poſt hæc rectà duci ad frontem & inter ſupercilia, deinde ad occipitium reuerti, & poſtremò per frontem circumagi.

Funda

Funda ad labrum inferius ſciſſa in partes quatuor.

LXII. LXIII.



Medium quod integrum eſt inijcito ſuper labrum inferius, ſuperiores uerò partes ad mentum adducito, atque inde ad occipitium; ibiq; in ſpeciem literæ X altera ſuper alteram excedente, ad ſummum caput, & inter ipſum & frontem attrahito, miniſtroq; tradito, reliquas uerò binas partes ſub infimis auriculis ad occipitium porrigito, atq; ad formam literæ X ad frontem attrahito, & has, & quæ à miniſtro continebantur, inter ſe deuincito.

Eadem ad labrum ſuperius. LXIII.

Media ſuperius labrum complectitor, inferiores partes iuxta angulos oculorum temporibus propiores adducito inter frontem & uerticem, ut ibi X literæ figuram accipiant, inde ad occipitium demittito, reliquas duas partes ſub infimas auriculas ad occipitium attrahito, ibiq; inter ſe aduerſas circa frontem agito, & inter ſe deuincito.

Faſcia glomerata ad labrum inferius. LXIIII.

LXVI. LXVII.



Orditur ab occipitio, & ſub infima auricula fertur ad labrum inferius, ac ſub infima auricula reuertitur ad occipitium.

Eadem in vtramque partem ducta. LXV.

Media labrum complectitur, capitáque eius ſub imas aures ad occipitium attrahuntur, & fronti circumdantur.


Alia. LXVI.

Incipimus ab occipitio, & ſub infimam auriculam ad labrum faſciam ducimus, ab eóque ſub infimam auriculam ex altera parte ad occipitium, inde per uerticem obliquam, & inter ipſum & frontem, ad tempus porrigimus, ab eóque per malas ſub mentum ad malas ex altera parte, deinde inter frontem & uerticem in ſpeciem literæ X, inde ad occipitium, poſtremò circa frontem.

Ad labrum ſuperius. LXVII.

Ab occipitio ordiatur, & obliqua detur inter uerticem & frontem iuxta oculi angulum temporibus propiorem ad labrum ſuperius, ab eóque ad alterum tempus, atque oculi angulum ipſi propiorem, tum inter frontem & uerticem ſuper partem prius iniectam ad imaginem literæ X inde ad occipitium & circa frontem.

Eadem à medio orſa. LXVIII. LXX




Media ſuperius labrum complectere, capitaq; iuxta tempora, oculorumq; angulos temporibus propiores porrige, inde inter frontem & uerticem, ut ibi X literam referant, tum ad occipitium, poſt hæc per frontem, rurſus ad occipitium.

Funda ſciſſa in partes quatuor ad occipitium. LXIX.

Media occipitium comprehendit, ex partibus uerò, quæ ſubiectæ ſunt per malas atq; angulos oculorum temporibus propiores inter frontem & uerticem feruntur, ibiq; interſe deligantur. Reliquæ ſub infimas auriculas ad occipitium ducuntur, ubi ad modum literæ X. altera ſuper alteram excedit, quod ſi breuiores fuerint, in occipitio cum prioribus aptantur, ſi longiores ad frontem adducuntur.


Cum de uinculis tam ſimplicibus quàm compoſitis, quæ faciei & capiti conueniunt, abundè dixerimus, proximum eſt, ut ad reliqua pergamus.

Iunctura ad mentum EX SORANO. LXX.



Faſciam ab utroq; ſcindentes, ſic, ut medium, quo mentum comprehenditur, intactū relinquatur, inferiores quidem partes, rectà per malas inter frontem & uerticem porrigimus, ſuperiores per mentum tranſuerſas ad occipitium attrahimus, nodoq; inter ſe alligamus. Prodeſt autē quibus deuincire mentum conuenit.

Spica Glaucij. Nunc GALENVS. LXXI. LXXII.



Nomen inuenit à ſpica, quam ſuo ambitu imitatur, maximè autem proficit, ubi iugulum fractum eſt, aut humerus excidit. Eius ratio eſt: Hapſus lanæ mollis ab ea parte, quæ uincienda eſt, alæ ſubijcitur, donec id cauum compleat, poſt hæc faſcia glomerata, quæ longitudinem & latitudinem habeat pro portione eius, qua alligatur, ab altera ala incipiens obliqua per dorſum tendit, qua iugulum cum lato ſcapularū oſſe committitur, inde ſub ala affecti humeri ad eam partem reuertitur, quà iugulū cum lato ſcapularum oſſe committitur, ita, ut ibi X literam repræſentet, deinceps obliqua per pectus procedit ad alam integræ partis, inde per dorſum obliqua ad iugulum, ita, ut parti prius obuolutæ aliquantulū inſidat, ab eoq; ſub ala iterum datur ad iugulum, ſic, ut ſecundo ſimilitudo X literę fiat. Poſtremò ad alam integræ partis, atq; ad eandem rationem circumagitur.

Eadem media primum iniecta. LXXII.

Adhibita ſpica brachium figurandum eſt ad angulum rectum, atq; altera faſcia media inuoluendum, cuius capita recta ducenda ſunt, quà iugulum cum lato ſcapularum oſſe committitur, atq; ibi in ſpeciem literæ X. aduerſa inter ſe

ad

ad alam integræ partis attrahenda, poſt hæc per latera atq; affectum humerum circumdanda eatenus, ut omnia includantur, & ſub ala ſanæ partis finienda.

Eadem in vtranque partem ducta. LXXIII. LXXIIII.




Media alam affecti humeri complectitur, & in utranque partem ducta, qua iugulum cum lato ſcapularum oſſe committitur, X literæ figuram accipit, inde obliquè pars una per dorſum, altera per pectus procedit ad alteram alam, atq; ad hunc modum, quoties opus fuerit uoluta, finitur.

Geranis (ita enim appellatur à gruis ſimilitudine) Hippocratis (ſiue vt alijs placet) Perigenis. LXXIIII.

Iiſdem conuenit, quibus ſpica: In hunc autem modum obuoluitur, ubi ſpicam iniecerimus, ſemel circa humerum dari faſcia debet, inde ad iugulum procedere, tum obliquè ad alteram alam, atq; ibi deſinere.

Funda humerum complectens, quæ idem præſtat atque Geranis. LXXV. LXXVI.





Spicam adhiberi prius conuenit, tum ab ea parte qua iugulum cum lato ſcapularum oſſe committitur, faſciam ſemel recta ferri ad brachium, quod angulum rectum figuratum ſit, atque inde rurſus ad eam partem qua iugulũ cum lato ſcapularum oſſe committitur, deinde ad alam integræ partis, poſt hæc humero & lateribus circumdari, & ſub ala nodum accipere.

Eadem aliter. LXXVI.

Media uitiati humeri caput amplectatur, capitáque eius recta ducantur ad brachium in uicinia cubiti, & rurſus iuxta partes prius iniectas, qua iugulum cum lato ſcapularum oſſe coniungitur, inde ad alam integræ partis, poſt hæc in orbem.

Aliter. LXXVII. LXXVIII.





Media circundanda eſt alæ integræ partis, capitaq; eius in orbem ad latera atq; humerum attrahenda, tum ſub ala integræ partis iterum demittenda, inde obliqua ducenda ſunt ad eum uitiatæ partis locum, ubi iugulum cum lato ſcapularum oſſe committitur, deinde recta per humerum ad cubitũ, ab eoq; rurſus ad eam partem, qua iugulum cum lato ſcapularum oſſe committitur, inde ad alam integræ partis, poſtremò in orbem circa humerum.

Spica duplex, quam alij quadrigam dicunt. LXXVIII.

Cōmodiſsimè inijcitur, cum utrūq; humeri caput male habet. eius ratio hęc eſt: ubi ſpica ſimplex data fuerit, faſciam ſub alam uincti humeri demittētes obliquam ducimus ad alterum humerum, atq; ad eam partem qua iugulum cum lato ſcapularum oſſe committitur, ſic, ut ibi X literam referat, deinde ad alterā alam, atq; ad eandem rationem circumagimus.

Cathaphracta. LXXIX. LXXX.




Nomen habuit à ſimilitudine thoracis Romani, quem cataphractam dicunt. Prodeſt aūt quibus deligare iuxta iugulum conuenit latum os ſcapularum, pectus, dorſum aut latera. quod uinculi aliqua ex parte duplicem ſpicam repręſentat, ſic autem obuoluitur. Alę primo circumdatur, tum obliquè per pectus ducitur propè illā regionem, ubi iugulū cum oſſe pectoris committitur, inde per ceruices ad latum ſcapularum os humeri contrarij atq; ad alam ſubiectā, ab eaq; ad ceruices ſuper partem prius iniectam, ita, ut prope ceruices ſimilitudo X literæ fiat, poſt hæc obliqua datur ad latum ſcapularum os ex altera parte, atq; ad alam, ab ala ad ceruices, ut in uertebra colli X literę figuram accipiat, deinceps ſub ala & obliquè prope eam regionem, ubi iugulum cum oſſe pectoris committitur, ſic, ut hic quoq; ſimilitudo X literæ fiat, & iuxta ceruices & ſuper latum ſcapularum os, & ſub ala, ut quater X literam repræſentet, nimirum ſemel à priori parte, ſemel à poſteriori, bis propè iugulū. Ad eandem aūt rationem quoties opus eſt, circuit, deinde in orbem attrahitur circa pectus & latera ſic, nec tota iunctura thoracem referat.

Eadem in utramq; partem ducta. LXXX.

Sub ala dari mediam faſciam oportet, & in utramq; partem ferri ad proximū iugulum, ſic, ut prope ceruices X literam referat, deinde obliquè porrigi ad contrariam alam, ab eaq; ad proximum iugulum, ut ibi prope ceruices fiat ſimilitudo literæ X, inde ad alteram alam obliquè, poſtremo in orbem circa pectus.

Soſtrati uinculum rectum ad alam & pectus. LXXXI. LXXXII.



Maxime conuenit ubi mediū pectus, uel dorſum aut latera, ſeu thoracē uolumus deuincire. duas igitur faſciolas iuſtæ longitudinis humerorū capitib. inijcimus, earumq; capita recta ſinimus dependere: deinceps faſcia glomerata thoracem totū obuoluimus & latera, ut contegantur, extremamq; faſciam nodo alligamus: capita uerò, quæ & à priori & poſteriori parte pendebant, faſciæ circuitibus aſſuimus, ac, ſi longiora fuerint, ſurſum conuerſa, qua iugulum cum lato ſcapularum oſſe committitur, inter ſe colligamus.

Vinculum in ſpeciem literæ X ad alam & pectus. LXXXII.

Quas proximè poſui faſciolæ, non rectę, ſed obliquę dependent, ita, ut tam à pectore, quàm à dorſo ſimilitudo X literæ fiat. Cætera eadem fieri debent, quæ, ubi rectæ adhibentur.

Amintæ

Amintæ thorax. LXXXIII. LXXXIIII.




Huic & uinculo, quod ad alam poſui, eadem uis eſt, ſic autem faſciatur: impoſita cataphracta ad utramq; partem ducta, ubi faſcia eatenus circuierit, ut uſq; ad umbilicũ complexa omnia fuerit, capita inter ſe uinciri debent, ſic, ut lupus laqueus fiat, quódque ex his ultra laqueum relinquitur, ad ilia utrinq; adductum prioribus circuitibus inſeritur, ſic, ut extremum pendeat, quod quatuor digitorum longitudinem æquet, quo fit, ut thoracis fimbrias repræſentet.

Thorax ad idem X literam repræſentans. LXXXIIII.

Faſciam ilibus primum à dextra parte inijcito, & oblique per latus & medium pectus trahito ad humeri caput, ab eóque ad alam atq; iterum ad humeri caput, ſuper partem priorem ad effigiem X literæ poſt obliquè per dorſum ad ilia ſuper caput primo iniectum, deinceps per uentrem ad ilia ſiniſtræ partis in orbem circumducito, deinde per dorſum priori parti aduerſam, ſic, ut ibi eiuſdẽ literæ ſimilitudinem habeat, ad caput humeri dextrũ, poſt hæc ſub alam demittito, & rurſus ad caput humeri circumagito ſic, ut ibi ſimilitudo X literæ fiat, poſt hæc per medium pectus ac latus obliquè ad ilia ſiniſtræ partis, nouiſsime in orbem circũdato, atq; ad eandem rationem uoluito, dum quæ liganda ſunt, omnia includantur.

Stella. LXXXV.

Adhibito uinculo, cui nomen eſt thorax X literam repræſentans, debet anguſtior faſciola dari in orbem ſemel aut iterum circa pectus & dorſum, & extremo capite fibula deuinciri.

Geranis in ſpeciem ſiſcellæ. LXXXVI. LXXXVII.




Idem poteſt, quod cataphracta, eius autem ratio eſt: à dorſo incipit, & obliquè per ſcapulas ad eam partem procedit, ubi iugulum cum lato ſcapularum oſſe cõmittitur, inde ſub ala demiſſa eodem reuertitur, ut ſimilitudinem X literæ ſuper eandem cõmiſſuram accipiat, poſt hæc obliqua per mammam ad umbilicum, ibiq; conuerſa obliquè trahitur ad alteram mammam, atq; ad eam partem, ubi iugulum cum lato ſcapularum oſse committitur, ut ibi literæ X figuram accipiat, deinde per dorſum demittitur, & in orbem detur circa latera, atq; ad eandem rationem circuit.

Stella à poſteriori parte ſe oſtendens. LXXXVII. LXXXVIII.




Vtiliter adhibetur, quibus deuincire dorſum oportet. ſic autem circumcidatur: ab ilibus orſa puta ſiniſtræ partis, per dorſum tendat ad caput humeri dextri, inde ad alam, ab eáque per latum ſcapularum os ſiniſtræ partis ad alam atque humeri caput, dehinc obliquè per dorſum feratur priori parti aduerſa, poſt hæc ſemel aut iterum

orbem circa ilia detur, eoq; ambitu extrema pars contineatur. Eandem quoq; ſic circumagere licet, ut à priori parte oculis exponatur, id quod fit, ubi non à priori parte, ſed à poſteriori æquè circumeat.

Vinculum, quod à fulmine κεραύνιος appellatur. LXXXVIII.

Idem efficit, atq; illud, quod proxime poſitum eſt, faſciam iuſtè longitudinis atq; latitudinis mediam in longitudinem ſcindimus, dum recipere caput poſſit, ex capitibus uerò unum à uentre, alterum à dorſo patimur dependere, poſt hæc imponimus id uinculi, cui nomen eſt Thorax X literam repræſentans, imáque capita prioris faſciæ ſciſſa in plures partes pendere ſinimus.

Simplex vinculum ad ceruicem. LXXXIX. XC.

Commodiſsimum eſt, ubi res poſcit alteram ceruicum partem alligari. incipit autẽ à medio latere, & per dorſum fertur ad ceruicem & pectus, & poſt hæc ad latus ſuper caput primo iniectũ, deinde per thoracem in orbem.





Duplex. XC.

Faſcia primum alæ circumdari debet, tum obliquè per dorſum ad ceruicem procedere, inde ad pectus & alam, atq; alteram alam, poſt hæc obliquè per pectus ad ceruicem, ita, ut ibi X literam repræſentet, deinde obliquè per dorſum ad alam, ac poſtremo in orbem circumagi, atq; ad eandem rationem circuire.

Cuſpis ſiue hamus. XCI. XCII.

Binæ faſciolæ, quæ & longitudinem conuenientem habeant, & duorum digitorum latitudinem non excedant, mediæ humerorum capita complexæ dependent, & tam à dorſo, quam ab umbilico X literæ figuram accipiunt, poſt hæc fibula inter ſe iungũtur, quo facto obuoluitur Geranis in ſpeciẽ fiſcellæ.





Rhombus ſimplex. XCII.

Iiſdem prodeſt, quibus proxime adſcripta. Conficitur autem ex duplici uinculo, & ex Geranide, ante dictis.

Rhombus duplex ad idem. XCIII. XCIIII.

Faſcia ab ilibus orſa obliqua per iugulũ fertur ad latum ſcapularum os, inde ad alã, ab eaq; ad iugulum ita, ut qua iugulum cum lato ſcapularum oſſe committitur, referat ſimilitudinem literæ X. poſt hæc tranſuerſa per collum ad alterum iugulum, tum ſub ala demittitur, atq; ad idem iugulum reuertitur, ut ibi quoq; ſimilitudo X literę fiat, inde





obliqua

obliqua per mammam porrigitur ad ilia contrariæ partis,ſic, ut in pectore eandem literam referat,poſtea in orbem circa ilia fertur,& obliqua per dorſum tẽdit,qua iugulum cum lato ſcapularum oſſe committitur,inde ad alam demiſſa eodem reuertitur, tum tranſuerſa per priorem partem, qua ingulum cum oſſe pectoris, & qua cum lato ſcapularum oſſe committitur, & obliqua per dorſum ad ilia,poſtremo in orbem.Cum hoc etiam imponitur,uel duplex geranis, uel ſimplex uinculum ad ceruicem,uel etiam duplex.

Soſtrati κεραύνιον. XCIIII.

Proficit ubi medium pectus & dorſum deligandum eſt, ſic autem obuoluitur:duo inijci uincula oportet,& quod cuſpis,& quod ſtella nuncupatur, tã tummodo capita,quæ in ſtella per fibulam inter ſe iungebantur, ad ilia adducta dependent.

Apollonij iunioris ἡμικεραύνιος. XCV.

Faſciolas quas in cuſpide adhibuimus, ad humerorum capita damus, tum duplex uinculum ad ceruices inijcimus,deinde geranida in ſpeciem fiſcellę.

Soſtrati parua ara. XCVI.

Specioſa eſt,ſiquidem obuoluta paruæ arę angulos repræſentat.Primũ deligetur uinculũ ad ceruices, deinde geranis in ſpeciem fiſcellæ,quo facto adijcitur uinculum Soſtrati ad pectus,cum faſciolis ſuſpendentibus.

Eiuſdem paruum templum. XCVII.

Hoc etiam & decorum eſt,& idem proficit. recto uinculo Soſtrati impoſito illud inijciendum eſt,quod Quadriga nominatur.

Apollonij Thirij paruum templum. XCVIII.

Binæ faſciolæ ſuper dorſum dantur, quemadmodum in uinculo recto Soſtrati ad pectus poſtea ſimplex rhombus circumagitur.

Geranis in ſpeciem fiſcellæ in priori parte ſe oſtendens. XCIX.

A latere orſa obliqua per pectus eò ducenda eſt, ubi iugulum cum lato ſcapularum oſſe committitur,inde ſub alam,ab hac eodem reuerſa per collũ tranſuerſa ducenda eſt ad commiſſuram iuguli alterius partis cum lato ſcapularum oſſe,deinde ſub ala à priori parte uerſus poſteriorem ad eandem commiſſuram porrigenda,inde obliqua per pectus,& poſteremo in orbem circa ilia idẽ quoque uinculum à poſteriori parte ſe oſtendet,ſi circuitus, qui à priori parte fuerant in poſteriori collocemus,& eos qui à poſteriori,in priori.

Auriga.

Valet ad latera deliganda,atque ad hunc modum inijcitur.Media faſcia collum comprehendimus, capitaq; obliqua per pectus attrthimus,ibiq; inter ſe implicata ſub alas adducimus ad dorſum, ubi rurſus implicamus,atq; ita,donec totũ thoracẽ deligauerint,modo à poſteriori, modo à priori parte implicamus extremáque inter ſe deuin-

C.



CI.




cimus, quo uinculo utuntur aurigæ ad latera continenda.

Expoſitis faſcijs, quæ thoraci accommodantur, proximum eſt, ut ad reliquas pergamus.

EX HELIODORO.

Aſſuta faſcia ad mammam. CI. CII.




Faſciam, cuius longitudo & latitudo ſit proportione hominis, duplicamus, tum initio facto à medio eius partis, ꝙ duplicatur, ſuimus deorſum obliquè tendentes, deinceps omne id, quod ſuper ſuturam eſt, excidimus, ut pilei modo ſinus fiat, qui mammam, & quod ſuperiniectum eſt, capiat. Vtrunq; huiꝰ faſciæ caput in duos ſcindimꝰ, deinde ab altera parte ſinus, quæ contra ſuturam eſt, & ueluti labrum lintei, faſciolam latam circiter digitos duos à latere ſuimus ſic, ut alterum caput longius ſit, breuius alterum, quæ faſciola cingulus dicitur. Vinciendi ratio eſt: Sinus datur ad mammam, ut ipſam comprehendat longius uerò cinguli caput per dorſum attrahitur ad integram mammam, & cum breuiori nodum accipit. ex capitibus ſciſsis priora duo ſurſum feruntur ad ceruices, ita, ut dexteriori ſiniſtrum, ſiniſteriori dextrum procedat, pendereq; ſinatur, quibus cum reliqua duo capita colligantur.

Glomerata faſcia ad mammam. CII.

Longioris faſciæ, quæ tantum latitudinis habeat quantum uſus requirit, caput in duas partes ſciſſum detur iuxta integram mammam, faſcia uerò per dorſum obliquè ad uitiatam mammam procedat, ab eáque ad alteram, poſt hæc ſuper dorſum, inde ad affectam mammam à ſuperiori parte deorſum porrigatur, ut inter utramq; mammam X literæ figuram accipiat, ſæpiuſq; ad eandem rationem circumeat, dum quæ nuda ſunt, omnia contegantur. Extrema uerò faſcia ſcindatur, tum ſciſſæ partes inter ſe uinciantur altero nodo ſub integra mamma, altero ſupra collocato.

EX SORANO.

Duplex in utranque partem ducta, à ſuperiori parte deorſum. CIII. CIIII.



Mediæ faſciæ, quæ pectori tranſuerſa circundetur, altera aſſuitur, donec utranq; mammillam per tranſierit, hæc capitibus ſuis recta ad collum datis ex eo ſuſpenditur, illa per dorſum procedit, utriuſq; capita inter ſe uinciuntur, ut deligandis mammis accommodentur.

Vinculum ſuſpendens ſex habens capita. CIIII.

Suſpendenti uinculo quatuor capitum circa mediam ſuturam, alia faſcia

tranſuerſa

tranſuerſa aſſuitur, cuius capita, ubi (ut dictum eſt) deligauerimus in dorſo inter ſe uinciuntur, ne aut reſolui uinculum poſsit, aut rugoſum fieri. Habet autẽ eundem uſum, quem proximè traditum.

NVNC GALENVS.

Iunctura ad alterum inguen. CV. CIIII.






Expeditiſsima eſt, ubi alligare inguen oportet. Inijcitur autem hoc modo: faſcia ab ilibus orſa obliquè per clunes ferri debet à parte inguinis uitiati inter anum & naturale, poſt hæc ſurſum procedere ad inguen, tum in orbem per coxam ad ilia ſuper partem prius iniectam, & ab inferiori parte ſurſum adduci.

Ad utranque inguen. CVI. CVIII.





Abdomini faſciæ caput inijcito, eámque obliquè per coxam inter anum & naturale attrahito ad inguen ab inferiori parte ſurſum, deinde iuxta caput primo iniectum ad coxam, atque inter anum & naturale ad alterũ inguen ab inferiori parte ſurſum, poſthæc infra umbilicum, ſicq́; circumagito dũ inguen utrumq́; includatur.

Eadem in utrunque partem ducta. CVII.

Media faſcia incipit ab inguine, capitáque eius ad coxam data literæ X figuram accipiunt, & unum ad inguen, alterum ab exteriori parte procedit, deinde ambo in unum adducuntur, atque ad eandem rationem circumeunt.

Aliter ad alterum inguen. CVIII.

Vnum faſciæ caput, quod breuius ſit, nec duorum uel trium cubitorũ longitudinem excedat ab inguine depẽdeat, alterum uerò glomeratũ, & per ilia ad coxam detur, atque abdomen, inde obliquè ad coxam & inguen circumagatur ab inferiori parte ſurſum, tum ad ilia & coxam, ac per ilia contrariæ partis ad abdomen, tuncq́; caput dependens, ad inguen ſurſum conuertatur ſic, ut ibi ſinus fiat, qui altero capite, quod glomeratum eſt, comprehendatur, poſthæc rurſus quod glomeratum eſt, per inguen & coxam ducatur ad abdomen, rurſusq́; primum caput duplicetur à ſuperiori parte deorſum, & eo, quod glomeratum eſt, comprehendatur, ac dum faſcia deſinat, alterum quidem duplicetur, alterum ſuperdetur, nouiſsimè fibula imponatur.

Aliter ad utrunque. CIX. CX.

Faſciola media lumbos complectimur, capitaq; eius ab inguine non ſecus quam in iunctura ad alterum inguen ſinimus dependere, tum alteram faſciam à uentre orſam, quemadmodum in iunctura ad utrunq; inguen circundamus, capita uerò, quæ pendebant, quemadmodum in ſimplici dictum eſt, duplicamus.





Pecten ſeu vinculum ſuſpendens ad colem. CX.


Faſciola media lumbis inijcienda eſt, capitáque eius ſuper uentrem adducta nodo inter ſe uincienda, tum alterius faſciæ glomeratæ caput zonæ inſerendũ, reliqua pars ad colem data in zonam rurſus à ſuperiori parte deorſum conijcienda, poſt hæc ſub colem & ad zonam poſtremo teſticulos complexa, in zonam demittenda eſt.

Aliter. CXI.

Iniecta zona faſciæ caput ſuper colem imponatur, eaq; circa ipſum in orbem detur, donec totum includat, deinceps ad zonam feratur, ab eáque ad colem, atque inde rurſus ad zonam, nouiſsimè teſticulos amplexa in zonam demittatur.

Idem ex faſcia ſciſſa ac zona. CXII.

Linteum iuſtè magnitudinis ſcindito in partes quatuor, ſic, ut medium integrum relinquatur, quo colem excipito, tum ab altero capite ſciſſas partes in uicina colis ſindito, in quæ ſiſſa conijcito partes alterius capitis, cingulóque inſerito, & nodo alligato.



EX HELIODORO.

Vinculum ad alterum inguen, quod nonnulli dixerunt cancrum pro inguine. CXIII. CXIIII.

Faſcia ab ilibus contrariæ partis incipiens obliqua fertur ad lumbos, deinde ad inguen, quod uinciri debet, ab eoq; ad ſummam coxam porrigitur, poſt hæc ad idem inguen reuerſa, datur ad regionem, quæ ſub umbilico eſt, ut X literæ figuram accipiat, ab eáque ad ilia alterius partis, ſicq; circumagitur, donec, quæ nuda ſunt, omnia complectatur tuncq; utiliter ſemel in orbem ambit circa lumbos, & infra umbilicum. Prodeſt autem quibus deuincire inguen oportet.






Ad

Ad utrunque inguen. CXIIII.

Vbi uinculum adhibuerimus ad alterum inguen, omiſſo circuitu in orbem, in uinculo ad utrunque inguen, faſciam à lumbis attrahimus ad alterum inguen, deinceps ad ſummam coxam, ab eáque ad idem inguen, ut in altero ſimilitudo X literæ fiat, deinde ad lumbos adducimus, poſt hæc eatenus hac ratione obuoluimus, ut quæ nuda ſunt, includamus. Valet ad utraq; inguina deliganda. neque ab re eſt, ultra propoſitos circuitus, in orbem quoque faſciam circumagere.

Iunctura ad inguen tuendum. CXV. CXVI.





Faſciæ glomeratæ, à capite duodecim interpoſitis digitis faſciolam aſſuere duorum cubitorum oportet, eóque capite ſuper ilia contrariæ partis iniecto, faſciolam rectam à poſteriori parte per lumbos & clunes demittere inter anum & naturale, obuolutámque inguini uitiato ſurſum porrigere, deinde glomeratam faſciam bis, térue circumagere, per quem ambitum faſciola attrahitur quaſi per nodum, ubi uerò huiuſmodi circuitibus in orbem inguen, adſtrictum eſt, faſciola ad ſummam coxam porrigitur, ab eáque ad idem inguen, & ad eam regionem, quæ ſub umbilico eſt, quo facto ex faſcia glomerata uinculum fit ad alterum inguen, nodúmque accipit ſub umbilico. Pertinet autem hoc uinculum ad eos, quibus propter uarices, qui inguen implent, manus curatio admouetur.

Aſſuta iunctura ad anum. CXVI. CXVII.






Faſcia ſumi debet eatenus longa, ac lata, ut huic iuncturæ ſufficiat, cui ab uno capite altera ualentior faſcia lata circiter digitos tres tranſuerſa aſſuenda eſt, hæc zonæ nomen inuenit: tum eidem faſciæ interuallo puta nouem digitorum alia faſcia tranſuerſa, perinde lata ut zona, ſimiliter aſſuenda eſt, cuius partes utrinque adiuncta crura nuncupantur: alterum uerò caput rectæ faſciæ, quod contra ſuturam eſt, ſcindendum in duo crura. Homo igitur explicata zona cingatur recta uerò faſcia per lumbos procedat ad anum atque inter ipſum & naturale, eiúsque crura ad inguina ducta zonæ inſerantur. poſthæc adiuncta crura arctata in zonam demittantur, atque ibi cum cruribus alligentur. quod uinculum ſine adiunctis cruribus nonnulli ad calculoſos, ubi calculus euulſus eſſet, adhibuêre, id nos ob nodorum inæqualitatem reijcimus, ne pars umbilico ſubiecta urgeatur. ueſica enim inęqualiter compreſſa inflammationi obnoxia eſt. deligamus autem, quibus calculus euulſus eſt, parua faſcia, quam proximè ad inguen propoſuimus: ſed nunc breuiorem rectam faſciolam aſſuimus, extremámque ſcindimus in duas partes. hæc autem iunctura illis longè commodior eſt, quam quæ ani cauſa inijcitur: ſiquidem glomerata faſcia in orbem uoluta lumbos & omne id, quod ſub umbilico eſt, tegit, extremáque ſub umbilico prioribus circuitibus

aſſuitur. ex recta uerò faſcia: quod integrum eſt, ad anum & inter ipſum & naturale demittitur, partes uerò ſciſſæ ad inguina attractæ in priores circuitus immittuntur, quæ uinciendi ratio, calculoſis, ubi ſecti ſunt, aptiſsima eſt.

Sciſſum vinculum ad ſcrotum. CXVII. CXVIII.



Linteum pro hac ipſa iunctura longum latúm ue, ab utroque capite in quatuor partes diuiditur, ſic, ut ab uno breuiores ſint, ab altero longiores, deinde à medio uerſus breuiores exciditur, donec ubi uſus requiritur, coles eo cauo excipiatur. Zonam ergo inijcere primum homini oportet, tuncq́ ex breuioribus partibus lintei medias duas in zonam demiſſas, interſe deuincire, & reliquas duas in eandem zonam coniectas pati dependere. Quo facto coles per id cauum excipi debet, ſcrotúmque totum comprehendi integro linteo, ex cuius partibus longioribus, duæ exteriores ſcroto inuoluendæ ſunt, ita, ut dextra ſiniſteriori, dexteriori ſiniſtra procedat, deinceps in zonam demiſſæ eó modo, quo priores permittendæ ſunt pendere, reliquæ duæ mediæ ſcroto ſimiliter iniectæ, ut dextra ſiniſteriori, dexteriori ſiniſtra procedat, per ſummas coxas in eandem zonam demittendæ, & cū prioribus partibus pendentibus alligandæ.


EX SORANO.

Iunctura ad ſcrotum ex tribus capitibus. CXVIII.

Vni extremæ faſciæ aſſuatur altera media ad imaginem literæ. T. harum, quæ tranſuerſa eſt, hominem cingat: quæ recta feratur ad ſcrotum, ibiq́ eatenus incidatur, quatenus coles ſuo cauo recipiatur, extremaq́ ad zonam alligetur, ut ſcroti uitijs accommodetur.

EX HELIODORO.

Faſcia glomerata ad cubitum. CXIX. CXX.



Incipit ab imo humero in uicinia cubiti, atque in orbem circumagitur, poſthęc obliqua ducitur per priorem cubiti partē, qua ſecari uenæ ſolent, tum brachio in orbem obuoluta obliqua ad humerum reuertitur, ſic, ut in priori parte cubiti X literam repræſentet, ſic autem circuit, donec tegantur, quæ nuda ſunt, & ubique à latere nodum accipiat. Illud autem commune eſt humeri, brachij, alteriús ue membri uinciendi, quod faſciæ in orbem ferri debent, cum eo ut interdum etiam obliquæ procedant, quo uinculum firmius hæreat. Huius uerò faſciæ extremitas uel inferioribus aſſuenda eſt, uel anguſtiori faſciola uincienda eſt, aut in duo capita ſcindenda, quæ ab altera membri parte nodo inter ſe alligentur.

Iunctu-

Iunctura in orbem, quidam adijciunt ſub auctore Hippocrate. CXX.

Huius uinculi ratio eſt ut faſcia ſuper aliquod membrum pluribus circuitibus in orbem ambiat. Rectè autem inijcitur, ut membrum contineat, quod in ſuum locum reſtituitur, magis uerò pertinet ad corporum, quæ abſceſſerunt glutinationem, his ſeruatis, quæ ad artificioſam faſciandi rationem pertinent. Abſcedentium enim ore in inferiori parte ſito faſcia à ſuperiori parte deorſum procedit, ut humores excernantur, & eorum quę abſceſſerunt alterum alteri inſidat, ut glutinentur: ſed ſi ulcus ſuperius ſit, ut materia ab inferiori parte ſurſum ſub uinculo excernatur. Vbi uerò abſcedentia corpora tranſuerſa ſint, faſcia ab ipſis circumdetur uerſus os, ut humor emittatur.

Menecruti vinculum ad partes extremas. CXXI.

Ab extremo brachio propè manum orſi, ubi faſciam ſemel in orbem duxerimus, obliquam attrahimus per primam palmę partem, deinde per palmam ipſam circumagimus priori parte aduerſam, ita ut ad primam palmæ partem reuertatur, propè ipſam prius X literæ ſimilitudine accepta, atque ad eandem rationem obuoluimus, dum quæ nuda ſunt, contegantur. Adhibentur autem utiliſsime, ubi & primæ palmæ partem, & palmam alligari neceſſe ſit.

Cancer. CXX. CXXII.





Anguſtioris faſciolæ, cuius latitudo exempli cauſa digitum æquet, capite ſuper primam palmæ partem impoſito, ipſa per palmam attrahenda eſt, & ab interiori parte uerſus exteriorem obliquè ad pollicem adducenda, tum circa ipſum ab exteriori partè obliquè porrigenda ad primam palmæ partem aduerſa parti prius iniectæ ſic, ut ſuper exteriora pollicis X literam referat, atque ad eandem rationem eatenus uoluenda, ut omnia complectatur, nouiſsiméque circa primam palmæ partem data, finienda eſt. Commodiſsimè autem obuoluitur ad uinciendum pollicem, quem ἀντίχειρα uocant.

EX SORANO.

Iunctura ad primam palmæ partem. CXXIII. CXXV.





Orſa à prima parte palmę obliqua uerſus palmam ducatur, deinde per palmam ipſam tranſuerſa, poſtremo in orbē circa primam palmę partem, ut quibus hanc ipſam uincire uolumus, accommedetur.

Vinculum oppoſitum. CXXIIII.

A prima palmę parte incipiens, poſt ipſam obliquè circa pollicē obuoluitur, tum obliquè à priori parte manus ad primam palmæ partem porrigitur, ibiq; in orbē attrahitur, ut uinciēndo pollici aptetur.

Vinculum, ut in palæſtra ductum. CXXV.

Adhibito uinculo oppoſito, faſciam inſuper obliquè propè primam palmæ partem uerſus digitos circundamus, deinde in orbem circa indicem, poſt hæc obliquè aduerſam parti prius iniectę, propè primam palmæ partem attrahim⁹, idemq; facimus circa reliquos digitos, ut illis idoneum ſit, quibus tam quod propè primam palmæ partem uerſus digitos eſt, quàm quod poſt digitorum articulos, uinciri debet.

Rhombus ad medium membrum. CXXVI.

Faſciæ caput membro inijcimus, eámque ſuper id obliquam ducimus, poſt hæc in orbem, deinde aduerſam parti prius obuolutæ, atque ab altera parte in orbem, ut ad eas fracturas conferat, quibus carnis quoq; uulnus acceſsit.

Rhombus multiplex ad unicum membrum. CXXXVII.

Super extremam unius membri partem faſcia imponitur, & per ipſum æquis interuallis, quaſi in cochlea ſerpit uſque ad alteram extremitatem, quã in orbem complexa, oblique circuit, & in orbẽ datur aduerſa parti prius iniectæ certa ſeruans interualla, ut ijs, quæ comprehendit, accommodetur.



Palma habena. CXXXVIII.

Orſa à ſummo membro, obliqua per medium ad imum feratur, & in orbem circa ipſum detur poſt parti prius iniectæ aduerſa ad ſummum reuertatur, & iuxta eoſdem circuitus ambiat, ut eas partes fideliter contineat, quæ recenti callo glutinatæ ſunt.

EX HELIODORO.


Rhombus æqualium crurum. CXXIX.

Tradita iunctura hæc eſt ad femur, ubi id aliqua parte uulneratum ſit, & adiunctæ partes abſcedant, cuius ratio eſt. Ab inferiori parte ulceris faſcia in orbem circuit, inde obliqua ducitur à latere ulceris, & rurſus in orbem à ſuperiori parte ulceris attrahitur, tum obliqua ad imaginem literæ X deorſum demittitur, deinceps conuenienti interuallo bis iuxta ulcus obliqua porrigitur ſemel ab inferiori parte ſurſum, ſemel à ſuperiori deorſum, ita, ut bis litera X repræſentetur, & in medio rhombus ſuper ulcus collocetur, quo per medium interuallum nudatum humores excernantur. Circuit autem ad eandem rationem, donec quæ nuda ſunt excipiat, eoq; fit, ut quæ abſceſſerunt ſub uinculo, quaſi ſponte ſua ad glutinationem ueniant, nudatóque ulcere, quicquid humoris collectum eſt, effundatur.

Rhombus inæqualium crurum. CXXX.

Vbi proximum uinculum inieceris, requirit quod nunc proponitur, ut faſcia per uulnus feratur, etiam obliqua. Eo uſi ſunt, quibus operiendi quoque uulneris conſilium fuit.

Aſcia. CXXXI.



Scribunt, qui huiuſmodi iuncturam ad hibuerunt, ipſam utiliter inijci, quibus uulnerato femore proximæ partes diducuntur, ſic autem inijci debet. Voluenda ſub uulnere faſcia eſt in ſpeciem aſciæ ſic, ut pars gibba deorſum, ſima ſurſum ſpectet, deinde ſuper ulcus iterum in ſpeciem aſciæ priori aduerſæ circumagenda eſt, atque ad eandem rationem attrahenda, dum quæ nuda ſunt contegat, ab inferiori parte ſurſum, & à ſuperiori deorſum procedens, interdum etiam per ulcus, ut ipſum operiat.

Vinculum à latere X literam repræſentans. CXXXII.

Faſcia imo femori in orbem propè genu circumagimus, tum obliquè ducimus, & rurſus parti prius iniectæ aduerſam attrahimus ſic, ut à latere genu literæ X ſimilitudinem referat, eodémque modo circumducimus. Potiſsimum autem pertinet ad eos, quibus genu in alteram partem lapſum reconditum eſt. Repræſentanda uerò X litera eſt ab ea parte, in quam excidit.

Teſtudo. CXXXIII.


Super genu faſciam tendere in orbem oportet, inde obliquam à ſuperiori parte deorſum per patellam demitti ad poplitem, ibíque ſub genu in orbem iterum circumagi, & parti prius iniectæ aduerſam ſuper patellam procedere in ſpeciem literæ X. poſt hæc per poplitem & patellam in orbem circuire, atque ad eandem rationem obuolui. Conuenit autem patellæ, quomodocunque ſua ſede proruperit.

Ad calcem. CXXXIIII.

Circumagenda faſcia eſt circa talos in orbem, inde à poſteriori parte ex uno latere nerui lati obliquè ducenda ad alterum latus, tum circa calcem uoluenda, ab eóque porrigenda, atque ad eandem rationem circundanda. Valet autem ad calcem alligandum.

Ad talos. CXXXV.

Faſcia ſuper talos datur, inde obliqua ad ſuperiora pedis porrigitur, poſt hæc ſub plantam demittitur ſic, ut ad ſuperiorẽ partem reuerſa X literæ ſimilitudinem referat, alligata uerò planta circumducitur in orbem. Valet, ubi uinciri talos oportet.



Spica ad plantam. CXXXVI.

Faſcia in orbem magnum digitum complectatur, ab eoq; per plantam procedat circa talos, inde obliqua reuertatur ad plantam ſic, ut non longè à minimo digito ſimilitudo literæ X fiat, poſt hæc ad ſuperiorem partem pedis intendat, & ad eandem rationem circumeat. Maiores uinculum hoc ad magnum digitum deligandum memoriæ prodiderunt: nobis uerò ſuperuacaneum uidetur digitum alligare ad plantam atq; ad talos, abunde enim exiſtimamus, ſi cum digito, & planta pars pedis ſuperior uinciatur, quemadmodum propoſitum eſt in digitis manus.

EX SORANO.

Calceus. CXXXVII.

Faſciam primo talis inijcimus, tum per ipſos obliquam ducimus ad plantã, ab eaq; ad alteram partem talorum obliquam attrahimus, poſtremo circa crus in orbem porrigimus, ut illis accommodetur: quibus deuincire talos cõuenit.

Ad calcem. CXXXVIII.

Faſciæ caput ſub talis inijcito, eaq; circa ipſos obliquè ad plantam demittito, tum obliquè circa calcem, & in orbem iuxta talos adducito, ut illis aptetur, quibus obligare calcem uolumus.

FINIS GALENI DE FASCIIS.

ORIBASIVS DE LAQVEIS EX HERACLE.

VIDO VIDIO FLORENTINO INTERPRETE.


VIDIVS LECTORI.

Laudatur liber de Laqueis à Galeno in libro de Faſcijs, quamuis alibi quoque mentionem faciat laqueorum, qui hoc opere continentur, refertur tamen hic liber in Græco exemplo ad Oribaſium auctorem. Quicquid eſt, opus utiliſsimum eſt, ſine quo multa ſunt, quæ in medicinali arte nec comprehendi, nec præſtari poſſunt. Pertinent enim laquei non modo ad faſciandum, ſed etiam extendendum oſſa fracta, vel ſuo loco mota, ſeu æqualiter, ſeu inæqualiter adhibere vim oporteat: tum ad curanda atque alliganda membra, dum manus adhibetur.


Quæ ratio ſit laquei attollentis.

AD ATTOLLENTEM HABENA ADHIbetur duplicata, cuius utrunque caput ſiniſtra manu continetur, ſinus uerò dextra prehenditur, & capitibus ſuperinijcitur, ſic, ut capita ſita ſint in medio ſinu. Quo fit, ut ex una parte, laquei nexus feratur, capita ex altera. Habet autem hic laqueus facultatem extendendi æqualiter, pertinetq́; non modo ad extendendum membra, ſed etiam ad continendum, cum in ſuam ſedem compelluntur, & ad figurandum corpora, ubi quid manu fieri oportet. Rectè quidem eas partes intendit, quæ binis oſsibus continentur, quandocunque enim alterum uitioſum ſit, ſinus ſuper ipſum, capita ſuper integrum imponuntur. Nam ſinus corpori inhærentes affectam partē uehementer diſtendunt, at capita cum recedant à corpore, eam partem quæ benè ualet, uel nihil omnino intendunt, uel certè quàm minimum. Membris quoque, cum reponuntur, aptiſsimus eſt, ſicuti cubito, cum in aliquam trium partiū excidit, in quas ubi prolapſus eſt, brachium curuum eſt, neq; extenditur, id eſt, in poſteriorem, interiorem, atq; exteriorem. In quo caſu laqueus oſsibus brachij iuxta primam palmæ partem inijcitur, capitáque eius ſublimiora feruntur, & ut retinacula ſint, ad aliquid immobile deligantur. Ad figuranda inſuper corpora, ubi manu medemur, adhibetur commodiſsime. In ijs enim, quæ iuxta anum uitia infeſtant, ubi tractantur, brachia poplitibus ſubijciuntur, & huiuſmodi habenæ attollentes ad brachia dantur in uicinia manus, eorúmque capita ad ceruices hominis adducta, inter ſe uinciuntur. Quoniam attollens laqueus non ſolum inijcitur implicitus, ſed ſuper membrum quoq; circumponitur. Suſpenſa enim faſcia ſinus membro ſubijcitur, capitáque eius per medium ſinum traijciuntur, eáque ratione circumpoſitus conficitur.

1




2



Quo modo laqueus Nauticus debeat adhiberi. II.

Ex medio ſinu duplicatæ habenæ duos item ſinus facere oportet, eoſq; inter ſe permutatos ita collocare, ut interior extrinſecus, exterior ab interiori parte ſitus ſit. Hac eñ uia nexus laquei ab una parte, ab capita altera procedũt. Eſt autem idoneus ijs, quæ extendi inæqualiter debent: ualet item tum ad continẽdas ferulas, quę fracturis accommodantur. Iunctura nanque adhibita unum habenę caput ſiniſtra manu teneatur, alterum uerò per affectam partem uoluatur, ſic, ut unus & alter ſinus fiat, per quos reliquum habenæ caput traijciatur, ut ab ea parte quæ in nos ſpectat, uerſus contrariam porrectum ſiniſtra rurſus contineatur. quo iniecto ferulæ in ſinus demiſſæ ad uitioſum membrum dentur, capitaq; attrahantur, & inter ſe alligentur, ut ferulas teneant. Valet item ad cubitũ ſuſtinendum, non ſecus atq; ad intentionem, aut ad ferulas continendas, imponitur enim implicaturq; ad cubitum ſuſpendendum, ubi lata faſcia non eſt. In quo caſu ſinus ita inter ſe diducendi ſunt, ut alter propè cubitum ſit, iuxta manum alter, capita uerò ad ceruicem adducenda ſunt, ibiq; nodo inter ſe deliganda.

Laqueus χιαστὸς quo modo implicetur. III.




Ad χιαστὸν habena duplicanda eſt, cuius utrunq; caput ſiniſtra manu continendum: ſinus uerò dextra prehenſus conuertendus eſt, ſic, ut capita ad ſimilitudinem literæ X aduerſa inter ſe ſint, inde enim nomen habuit χιαστὸς. Quo facto ſinus capitibus X literam referentibus ſuperinijciendus, quodq; ex his ſubiectũ eſt, per medium ſinum attrahendum. Eoq; fit, ut medius laquei nexus appareat: à lateribus uerò hinc ſinus unus, inde duo capita ſe oſtendant. Valet autem, ubi oportet inæqualiter diſtendere.

Paſtoralis laqueus qui Sandalius dicitur, quo modo inijciatur. IIII.

Paſtoralis dictus à quibuſdam Sandalius, cum eo implicatur, quem χιαστὸν nominauim', hic ſiquidem primo eſt adhibendus, ut Sandalius fiat: quo iniecto ſinus eius dependens attrahi debet ab inferiori parte ſurſum, per medium eius ſinus, qui contra capita ſitus eſt. Sic enim ab una parte laquei nexus, ab altera capita collocantur: in nexu uerò terni ſinus, duo ſcilicet à lateribus, tertius in medio conſpiciuntur. Adhibetur autem commodiſsimè ad talum prolapſum, ubi reponitur. Vnus enim ſinus à poſteriori parte tali ſuper latum neruum datur, à priori alter ad partem pedis ſuperiorem, medius, hoc eſt tertius plantę ſubijcitur. Quo facto capita ad id uinciuntur, quo extendendi cauſa utimur, neq; talo duntaxat conuenit, ſed maxillæ, quæ excidit, ubi in ſuam ſedem compellitur. Vnus enim ſinus ad frontem hominis, alter ad occipitium datur, medius per os procedit utrinq; ſub malis, capita uerò per tempora ad ægri caput feruntur, ac ſiue, ut retinacula ſunt, ſiue, ut à ſuperiori parte extendant, ibi inter ſe uinciuntur.

Draco laqueus; qua via inÿciatur. V.

Ad laqueum draconem media habena à poſteriori parte tali, incipiat, iuxta latum neruum: capita uerò uerſus priorem ferantur ad ſuperiorem partem pedis, ubi X literæ ſimilitudine accepta, ad plantam porrigantur, & rurſus inter ſe aduerſa eandem literam repræſentent, poſt hæc circa talum, uel ab inferiori parte ſurſum, uel à ſuperiori deorſum circũdentur, tum deligentur ad id, cuius opera ad extendendũ utimur. Facit autem hic laqueus ad talum ſuo loco motum, ubi recōditur.



Qua ratione is laqueus adhibeatur, quem Simplicem nodum dixerunt. VI.

Laqueus cui nomen eſt ſimplex nodus, à quibuſdã Perineos appellatur. Quomodocunq; aũt uocetur, eius ratio eſt. Habena ſimplicem nodum accipiat, eiuſdemq; ſinus attrahat, capita uerò dependeant: deinde membrum, quod reponere opus eſt, inter ſuperiores ſinus collocandum, tum alter ſinus in alterum inſitus, ad capita ducendus, cõmuniq; nodo cum capitibus ad id uinciendus, quod intendendum adhibemus. Habet autem inęqualem extendendi facultatem.

Lupus laqueus quo modo nectatur. VII.

Duæ habenæ iuſtæ longitudinis duplicentur ſic, ut capita ab eadem parte collocẽtur, ſinus inter ſe aduerſi ſint, tum capita quæ ab inferiori parte, ſurſum, quę à ſuperiori, deorſum uellantur, ſic, ut medius laquei nexus, utrinq; uerò bina capita ſe oſtendãt. Habet autem uim extendendi ęqualiter, pertinetq; nõ modò ad oſsium, quæ reſtituuntur, intentionem, ſed in herniæ curatione ad membranã abdominis adſtringendam, item ad uincienda uenarum capita ſanguinẽ fundentia. Nos autem in ſinus conijcere lina ſimplicia conſueuimus, quę cõmuni medicorũ uocabulo, quod relaxent, χαλαστικὰ dicuntur, neque hęc ipſa temerè adijciuntur, ſed ut, ubi quæ arcta ſunt, remittere uolumus, per lina id præſtemus, & non per capita.

Nodi Herculei ratio. VIII.

Ad nodum Herculeum, habenam adhibere oportet, quæ duos nodos accipiat inter ſe diſtantes, quo fit, ut Herculeus nodus utrinq; ſe oſtendat, hinc autẽ ſinus, inde uerò ſint capita duo. Valet ubi æqualiter intẽdere conſiliũ eſt. Quòd ſi ſinus, qui contra capita eſt, medius incidatur, à lupo laqueo non differet.

Simplex charcheſius qua via implicetur. IX.

Ad ſimplicem charcheſium, qui uim habet extendendi æqualiter, duplicari habena debet, capitaq; eius ſiniſtra manu cõtineri, ſinus uerò dextra ſurſum cõuerſus ſuperimponi capitibus, quæ media opus eſt aduerſa inter ſe collocare in

ſpeciem X literæ. Eo facto ſinus capitibus iniectus, à ſuperiori parte deorſum attrahatur, per medium eius partis, qua X literæ fuit accepta ſimilitudo. Sic enim laquei nexus medius apparet, ab uno latere ſinus unus, ab altero duo capita.

Duplex charcheſius quo modo implicetur. X.


Duplex charcheſius æqualiter diſtendit, ac ſimplici longè eſt efficacior: eius autem ratio eſt. Habenam prehendimus duplicatam, capitaq; leua continentes, ſinum patimur dependere. Tum ex capitibus, quæ contra ſinum ſunt, alterum duplicamus, ſic ut paruus ſinus fiat, quem in ſiniſtra manu ponimus, alterũ per ſinum traijcimus, deinde nexum per ſinus conuertimus, & in ſiniſtra collocamus. Quo facto ex capite, quòd contra ſinum eſt, rurſus alterum ſinum efficimus, quẽ nexui adiungimus: poſtremò pendentem ſinum per medium nexũ trahimus, ab inferiori parte ſurſum. Quo fit, ut ab uno latere ſint duo capita, ab altero unus ſinus, quibus laquei nexus medius interijciatur.



11

Duplex charcheſius quomodo ex ſimplici fiat. XI.

Cum duplex charcheſius uariè cõſueuerit implicari, ſiquidẽ per ſe interdũ, interdum fit ex ſimplici, nonnunquã cõficitur circũponendo. Supra demonſtratum eſt, quo modo per ſe inijciatur, nũc qua ratione ex ſimplici fiat, exponemus. Adhibere igitur primo ſimplicem charcheſiũ oportet, ſinusq; alterũ ab altero diducere, deinde eum qui ſubiectus eſt, in ſuperiorem conijcere, & ſimiliter utrunq; diducere, ac per ſpatiũ, quod ipſis mediũ interijcitur, ſinum qui contra capita eſt, ab inferiori parte ſurſum attrahere. Sic enim rurſus laquei nexus medium ſeſe oſtendit, hinc unus ſinus, inde bina capita conſpiciuntur.




12

Duplex charcheſius, quo modo implicetur circumponendo. XII.

Quoniam uehementi ualidorum corporũ intentione, laquei capita, ex una parte ſæpius rumpuntur, ante perfectam intentionem, ne cogamur intendentis adhuc laquei capita relaxare, charcheſiũ circumponimus. Tenentes igitur ſiniſtra manu caput, circa membrum reſtituendũ tres ſinus efficimus inter ſe diſtantes, ita, ut ex his quod ſatis eſt, dependente poſt hæc primũ ſinum in poſtremũ demittimus, & ſemel aut iterũ eos cõuertimus, per quos mediũ ſinũ rurſus attrahimus. Quo fit, ut circa membrũ laquei nexus, ab uno latere unus ſinus, ab altero duo capita ſe oſtendant.



13



14

Plinthij, quod alioqui quadruplex circulus dicitur, quæ ratio ſit. XIII.

Ad plinthium laqueum, adhibetur habena circulum repræſentans, id eſt, ſine capitibus, hęc ab interiori parte manus, pollicibus


minimisq;

minimiſq; digitis circundatur, nec non utrique indici, ut ſinus in utraque manu terni ſint, unus circa minimum digitum, circa indicem alter, tertius ſuper pollicē. Poſthæc, ſinus in quos inſiti pollices ſunt, ad proximos minimis transferuntur, tùm ad indices, qui minimis iniecti fuerunt, deinde ſinus, in quos indices demiſsi poſtremò erant, medij à pollice à ſuperiori parte deorſum uelluntur, ſicq; ab uno latere duo ſinus, totidem ab altero, medium inter hos laquei nexus ad rhombi ſimilitudinem conſpectui ſubijciuntur. Habet autem æqualem intendendi facultatem, & non ſolum ad intentionem, ſed uidetur ad menti quoq; fracti compoſitionem pertinere. Nam mentum ipſum ſub fractura aliquando peruerſum, in laquei complexum, rhombum referentem inſeritur ab exteriori parte, ſinus uerò per malas, parteſq; ſuperiores, ad ſummum caput feruntur, atq; ibi inter ſe deligantur.

Laqueus Epangylotus (ita enim appellatur, quoniam ſinus ſuper ſinum inijcitur) qua via inſeri poſsit. XIIII.

Ad Epangylotum, unum habenæ caput, inter ſiniſtræ manus pollicem & indicem collocamus, eamq; extrinſecus ultra primam palmæ partem adducimus, inde per palmam ipſam, datam inter pollicem & indicem utriuſq; manus attrahimus, poſt hæc inter minimum & proximum digitum demittimus. Eo facto habenæ caput dextra manu ſurſum uellimus, extremamq; partem inter minimum ac proximum digitum tenemus. Quo fit, ut duo ſinus efficiantur, inter quos attractus nodus apparet. Facit autem ad corpora figuranda, ubi manu curatio adhibetur. Inter ſinus enim utraque manu hominis coniecta, reliquis habenæ partibus totum corpus firmiter continetur.

Ratio eius laquei, quem auriculas nuncupant. XV.



Ad auriculas, epangylotus primo inijciendus, danda autem opera eſt, ut alter ſinus amplior ſit, quem implicare oportet ad modum laquei chiaſti, ſic, ut duo ſinus oculis exponantur, inter quos, quod ex habena dependet, duplicatum ſe oſtendat. Rectè autem adhibetur ubi prolapſa maxilla reponitur, tum ad proceſſus capitis recondendos. Sinus enim dantur ad tempora ægrotantis, quodq; inter eos duplicatum conſpicitur, ad frontem, deinde uinculum illud inijcitur, quod leporem auritum appellant, poſtremò auriculæ, uel ut contineant, uel ut à ſuperiori parte extendant, ſuper caput offenſi porriguntur.

Laqueus duos habens ſinus (quem nonnulli minus propriè ſtrangulantem dixerunt) quo modo inijciatur. XVI.

Laqueus, quem duos ſinus habentem appellant, ex binis conſtat chiaſtis, quorum alter ab altero diducitur. Eſt autem aptiſsimus ad corpora figuranda, ubi uitia iuxta anum curantur. Siquidem brachia ſubiecta poplitibus, eiuſmodi laqueis adſtringuntur: at pars, quæ media inter ſinus duplicata dependet, ad ceruicem hominis fertur, atque hac uia corpus figuratur.


.16.


ϛ. *Ratio laquei, quem ſtrangulantem proprie nuncupant.* X.VII.



Laqueus, qui proprie ſtrangulans nuncupatur, ex ſimplici fit charcheſio. Hic enim primo inijcitur ſic, ut alter ſinus ab altero diſtet. Confert autem ad quos proximè expoſitus, brachia nanque rurſus coniecta in ſinus coarctantur, & ea pars habenæ, quæ duplicata eſt, media ſimiliter collocatur, in eamq́ ceruices inſeruntur.

ιζ. *Quo modo adhibeatur laqueus ὑπέρβατος, id enim nomen traxit, ex eo quod ſupra feratur.* XVIII.



Hyperbatus fit ex laqueo Nautico, ſiquidem in hunc primo implicitum brachia inſeri debent, ſinusq́ inter ſe diduci, & capita ad ceruices deligari.

Laquei igitur, quorum expeditiſsima cõprehenſio eſt, huiuſmodi ſunt.

FINIS ORIBASII DE LAQVEIS.

ORIBASIVS EX HELIODORO DE MACHINAMENTIS.

VIDO VIDIO FLORENTINO INTERPRETE.

VIDIVS LECTORI.

Machinamentis non ſolum vtuntur architecti, ſed medici etiam, cum his robuſtiora membra vtiliter, et quantum fieri poteſt, ſine dolore extendant, vbi luxatis vel fractis medentur. Hæc ab Oribaſio collecta ſunt ex Hippocrate, Galeno atq; alijs auctoribus vt patet, vbi ſingulorum vſus & ſtructura exponitur: ſed præter vtilitatem, quàm in curatione exhibent, multos aperiunt in medicina locos, qui ſine his omninò ſunt incomprehenſibiles. Quanquam in hoc libro machinamenta aliqua deſunt, quæ auctor inter initia commemorauit, ubi vniuerſam machinamentorum rationem recenſet, ſed optimè nobiſcum agitur, quando non omnia interierunt.

Quibus modis luxata reſtituantur. *I.*

LVXATA IN SVAM SEDEM TRIBVS GEneralibus modis collocantur, quibus alij ferè omnes continentur. Vnus uocatur palæſtricus, ad quē ferè ſolas manus admouemus, atq; hic utpote imbecillis, aptatur ad mollia corpora, muliebria nimirū & puerilia, tum ad maſcula, quæ illis robuſtiora ſunt, modo recens uitium fuerit: alter methodicus dicitur, ad quem inſtrumenta adhibemus, quorū uſus in cōmuni uita eſt, hic omnibus idoneus eſt, pueris, fœminis, maſculis iam robuſtioribus, & corpori iuuenili, atque ijs luxatis, quæ iam uetuſta ſunt: tertius reponendi modus, qui per organa eſt, maius momentum habet. Valet enim ad prolapſa, ubi malū diutius trahitur, ualet ad corpora athletarum, præterea quæcunq; prolapſa curationem recipiūr, & ſub methodico modo curari nequeunt, omnia organorū opera reponuntur.

De organorum differentijs. *II.*

ORganorum medicinaliū differentiæ in uniuerſum, & quaſi generales (ſummum ut alij ſentiunt) ternæ habentur, alia enim tractoria ſunt, alia machinamenta, alia quæ erecta collocantur. nobis aūt placet nonnulla tractoria eſſe: nonnulla machinamenta: nonnullaq; erecta, nōnulla quæ plana collocantur. Tractoria ſunt, quæ cum parua breuiq; ſint ſtructura, extendendi duntaxat facultatē habent. Hæc ut ſuo munere fungantur, aduentitia quædā poſtulant, ut ſcamnum, lectū, ſcalam, eo quod per ſe uſui eſſe minimè poſsint, quocirca & alligata, & in plano ſita nuncupantur. Nam, ubi in agro, aut ſolitudine quapiam, quæ ſuo loco mota ſunt, reponimus, ac neq; ſcamni neq; lecti, neq; ſcalæ copia eſt, aliquid in ſolum defigimus, ad quod tractoriū organum alligemus. Machinamenta ſunt organa tractorijs ampliora, minora tamen alijs, quæ non modò intentionē, ſed impulſum quoq; pollicentur, ac præcipuè quorundā membrorum gratia cōparantur. Erecta organa ſublimiorē ſtructuram habent, & non ſolum ad extendendū ualent, ſed etiam ad impellendum. Porrò aūt plana organa ſunt, quorum humilis ſtructura eſt. Ex ijs cōſtant, quæ & extendendi & impellendi uim habent, ita, ut homine illis inſidente, recondi quod elapſum eſt, poſſit. Reperiuntur etiam in his quædam propria ſtructuræ diſcrimina.

Ex qua materia ſtruantur organa. *III.*

BAſis, crura, latera, tranſuerſaria, cubiti, teſtudines, adiuncta crura, hæc omnia, quæ in organis ampliora expediūtur, ex robuſtiori materia cōficienda

ſunt,utputa ilignea,uel fraxinea,quæ ſecúdas obtinet. Oportet aũt ea de cauſa, ualidiſsimã eſſe organorũ materiam,ut uim queant in condendis articulis ſuſtinere,quod in ijs potiſsimũ organis requiritur,quæ erecta collocant. Vertebræ, radices,claui,unci,catenulæ,uectes,omnia quæcũq; exigua ſunt,quæq; plus efficiunt,ærea uel ferrea cóparentur,ut quod ſtructuræ exiguitas detrahit, materiæ firmitas reſtituat. Aliquando aũt quæſitũ eſt,ferreá ne,an ænea ſumi debeãt. Inquiunt,qui ferro æs præferunt,hoc leuius eſſe & facilius tractari, minusq; rubiginẽ trahere quàm ferrũ:cótra qui æri ferrũ anteponunt, ualidiorẽ huius materiã laudant,ære enim efficacius robuſtiusq; ferrũ eſt. Atqui de ferro cóuenit, firmius eſſe.ſed ſuperuacuũ eſt eximium robur,ubi eius nullus eſt uſus,cũ liceat hæc ex ære fabricare, quod mollius eſt, & ſatis roboris habet:licet tamen & ex ferro. Quòd ſi ex ære fiant,ſumatur id, quod ducitur,nã,quod cóflatur, facilius rumpitur,cóminuiturq;, ita ut præſtet ex ferro hæc parare, quã ex fuſo ære. Sed quoniã ferrũ cito rubigine obducitur,idcirco aliquot interpoſitis diebus ſubinde pingui aliquo inungendũ,ac ne rubiginẽ ſentiat,manu perfricandũ. At dicet quis,ſi ferrũ neglectum rubigine corrũpatur,id culpa dñi ipſius organi fieri.

Ex quibus partibus organa conſtent, & quis ſit earum vſus. IIII.

CONtinetur omne organũ nó omnibus,ſed quibuſdã ex ijs,quæ numerabo, nempe baſi,cruribus,traſuerſarijs,cubitis,axib.regulis teſtudinibus, cochleis,tympanis,clauis,manubriolis ductarijs,uectib. baculis uerſantibus, obicibus,cuneis,itẽ lunatis lignis,orbiculis,trochleis.foſsis,operculis,uertebris,fibulis,radicibus,uncis catenis,forficib.ſedilibus,priapiſcis, ad hæc cochlea fœmina,quæ græcè θηλυκόχλιον appellatur,cuneolis,chiniſcis,colũbarijs,ergata. Hæc ferè ſunt,quibus organa cóponuntur,quorũ uſus ſigillatim iam nunc exponendus nobis eſt. Baſis ad id potiſsimũ ſtruitur,ut ſuper eã erecta organa ſtatuãtur. Crura in organis & latera dicuntur, in ijs,quæ erecta collocãtur,propriè crura, minus propriè latera,ſed in tractorijs propriè latera dicũtur,minus propriè crura. Hęc ferè in organis ſtatuũtur,ut ipſorũ machinationes cótineant:propriè autem in organis erectis crura rectè cómodeq; dimenſa,ad illã pertinent códendi rationem,quæ excitando pręſtatur. Tranſuerſaria quæ διαπήγματα dicuntur,ut Græcũ nomen indicat,ad crurũ laterumq; compaginẽ fiunt, ad quem uſum primo pręcipueq; deſtinantur:huc accedit,quòd machinationes quoq; ſuſtinent, ut puta trochleas,cubitos atq; alia quædã. Cubiti ad eũ uſum in organis comparantur,ut per ipſos,quæ ſuo loco mota ſunt,à ſuperiori parte extẽta reponant, quemadmodũ uidere licet in organis Fabri atq; Andreę,in quibus cubiti per ſuperius tranſuerſariũ demiſsi in teſtudinẽ figurantur, ut hac elata, quæ prolapſa ſunt à ſuperiori parte intenta recódantur. Latæ cubitorũ ſummitates alæ ab architectis dicuntur,imæ uerò partes quadratæ,calces. Hi ergo propriè cubiti nominantur,ſed quidã uocabulo abutuntur. Spathæ impellendo ſunt idoneæ, ea aũt ſpatha quæ in Fabri atq; Andreæ machinamento eſt,utimur,ubi extrahẽdo impellimus,ad femur in poſteriorẽ partẽ erumpens, ſunt & aliæ ſpathæ in quibuſdam organis,ad alios impellendi modos fabricatæ. Radices & fibulæ complures uſus in organis præſtant. Primo enim radix & fibula in organo Fabri ſpatham diſtinent ad teſtudinẽ. Eſt quidem in teſtudine radix,ſpatha uerò,qua parte quadrata eſt,mediũ habet cauũ, in quod radix eadem inditur, deinde fibula continendi cauſa,in ſpatham atq; radicem pertuſam inſeritur. Propriè radices ad id fiunt, ut recipere uncos poſsit,& alios effectus præſtare: ſed fibulæ item gratia eſt,quòd machinationes immobiles ſeruat,ut puta axes. Catenæ eò pertinent,aut fibulæ ex ipſis ſuſpendantur,quo ſeruentur in organis, neq; decidant. Vnci adijciuntur,ne mobiles machinationes moueantur,ueluti axes quóue in radices coniecti quædam organorũ machinamenta ſiſtant. Per uertebras(quas

Græci *ϛρόφωματα* dicunt) ferè id efficimus, ut quędam organa immobilia moueantur, ſicuti crura organi Andreæ. Crura enim in organo tranſuerſa ſecta, uertebris fibulisq; continentur, ut organo, modo erecto, modò per uertebras inclinato, circumducendo impellamus. Ad exemplum huius ſtructuræ organi Andreæ plinthij crura propè baſim ſecta ſunt, rurſusq; uertebris continentur, ut organum modò erigatur, modò per uertebras motum, adiunctis cruribus innitatur, uſumq; illius organi præſtet, quod planum collocatur. Hi ſunt effectus uertebrarum in organis. Axes ad corporum ductionem, hoc eſt intentionem ſpectant, quorum quidam ab una parte ad alteram penetrant, ac per ſe mouentur, quidam latent, & per alias machinationes conuertuntur. Penetrat axis in plinthio Nilei, & ſcamno Hippocratis: latet in Appellidis organo, quod, quia per tres funes circumuoluitur, triſpaſtum appellatur, & in Nymphodori gloſſcomo. Penetrantes igitur axes per ſe manibus cóuertuntur, latentes autem per alias quaſdá machinationes, exempli cauſa Nymphodori gloſſocomo per tympanum, & cochleam ad lentis imaginem fabricatam, in triſpaſto per funes alligatos. Ad clauos qui in axibus infiguntur, funes alligátur, uel habenæ atq; huiuſmodi alia ad extendendum pertinentia. Manubriola ductaria, bucula uerſantia & uectes, omnes hæ machinationes ad axium cochlearumq; uerſationes ſtatuuntur. Primas obtinent manubriola ductaria, ſecundas uectes, quibus minus efficacia ſunt bacula uerſantia. Pleraq; enim ex ipſis exigua cú ſint, una manu conuertuntur. Chiniſci, cuiuſmoni ſunt in lyra, excogitati ſunt ad axes continédos. Vbi enim fibulæ nó ſint, quid poterit aliud utilius inueniri? Quod enim ad uim pertinet, uſum habent fibularum: decoris autem cauſa, inſculpta habent anſerina capita lignea. Statuuntur in organis phliæ, ut ab uno latere ad alterum penetrantes axes cótineant, cuiuſmodi ſunt in ſcamno Hippocratis & in noſtro. Eſt & alia media, phlia in organo Hippocratis ad ſimilitudinem literæ χ. eo nomine fabricata, ut ad eam impellendi rationem, quæ extrahendo fit, ubi femur excidit, accómodetur. Trochleæ in organis collocátur, ut funes liberè duci poſſint, ueluti in organo Fabri, quod duplicem trochleam, qna teſtudo mouetur, in ſuperiori tranſuerſario cótinet. In noſtro quoq; organo rurſus trochleę ſunt, quæ per inditos funes, axes attollunt. Verùm trochleæ ferè ad id fiunt, ut axes & habenæ celeriter ducantur, ſimulq; ut ad intentionem, quæ alio intercedente motu fit accommodentur. Orbiculi ſtruuntur ad trochlearum motionem, quæ per ſe ſunt immobiles, collocantur autem in medio earum, quemadmodú in Demoſthenis *ἀϛράβη*, & ad funes continendos, ut in triſpaſto Apellidis. Cuneus præſertim paratur ad humeri caput, in alam prolapſum, ac deinceps ad alios quoq; uſus. At lunatum lignú prodeſt, ubi humeri caput in priorem aut poſteriorem partem excidit. Eſt autem polus lignum infixum ſuperioribus crurum extremitatibus, in organo Philiſtionis. Luxato enim humeri capite brachium extenditur, polusq; obijcitur ad hominis ceruices. Epipoma uerò, quod & Epipigma dicitur, eſt χ. figura in ligno inſculpta, in quá conijcitur χ. inuerſum: qualis conſpicitur in eo organo, quod Hermes dicitur. Fit autem hoc, ne ab Hermis uultu corpora terantur, ut in organi compactione oſtendemus. *καλάβιον* uerò & *σκιβάλιον* communiter parata ſunt, ut epipigma ferant. Eſt qnidem *σκιβάλιον* lignum ſex digitorum in medio hebes. *σκαλάβιον* uerò lignum ſex digitorum rotundum: quod anguſtiori baſi nititur, & quaſsillo ſimile eſt. Sunt & in organis quædam columbaria inſculpta ad ſimilitudinem columbarum, quæ & ornandi cauſa facta ſunt, atq; ad id etiam, ut aliud ferant epipigma. Tympanis hæc gratia eſt, quod quædam organorum machinationes, quæ maximum uſum præſtant, per ipſa paulatim mouentur, ut axes & cochleæ. Eſt autem tympanum rotunda machinatio dentata. At Delphines dentibus incluſi machinationes motu prohibent, quod unci quoque efficiunt.

Teſtudines in organis ad id collocatæ ſunt, ut corpora, quæ reſtituũtur, paulatim & minimè cõcuſſa extendantur. Quemadmodũ enim teſtudines animalia lento gradu procedunt, ita machinationes, quibus illa referuntur. Porrò aũt ex teſtudinibus nõnullę tranſuerſarijs ſimiles ſunt, aliæ oblõgæ, alię cubi ſpeciẽ repręſentãt. Trãſuerſarijs ſimiles ſunt in organo Andreæ, Fabriue: oblõgæ in quadrata columna, quæ appellatur Hermes. Cubũ referunt in rotunda coluna Eraclidæ Epheſij. Præterea teſtudinũ aliæ cubitos, & ſpathã attollunt, aliæ cuneatã & lunatã appendicem, quædã nihil attollunt, ſed ſolum ſunt ad extendendũ in uentæ. Cubitos attollit teſtudo, quæ ſurſum fertur, in organo Andreæ: cubitos & ſpathã teſtudo, quæ eſt in organo Fabri. Cuneata & lunata appendix ea teſtudine excitatur, quę in Herme eſt. Nihil attollit, ſed ſolũmodo extendẽdo eſt, ea teſtudo, quę in rotunda columna Eraclidę Epheſij collocatur, ſimiliter & quæ deorſum fertur in organo Andreę. Alę aũt & dracones fibulæq; infixæ clauorũ uſum præſtant, propriè aũt dracones, quod ad materiã pertinet, in uicẽ manubrioli ductarij fabricãtur. Quoniã uerò teſtudines plerunq; à cochleis mouentur, proximũ eſt, ut cochlearũ ſtructuram, atq; uſum exponã. Cõparantur ergo cochleę in organis, ad alias machinationes impellẽdas, puta tympana & teſtudines, qua paulatim & nulla ratione cõcutiendo extendãt. Cochlearũ, quędã quadratæ ſunt, quędã ad imaginẽ lentis, quę figuræ nomen inuenerunt, relatę ad capreolos, at nõ ad ſtructurã ſcapi, quęlibet enim cochlea rotũda eſt ad tornũ rotundata. Differũt cochleæ à capreolis, ꝙ aliæ quadratę, alię ad lentis imaginẽ dicuntur. Quadrata cochlea eſt, quę capreolos habet quadratos, atq; ex ijs nõ ſolum ꝙ prominet, ſed etiam quod cauũ eſt, cuiuſmodi cochleas uidemus in organo Andreę: quę in lentis ſpeciẽ ſunt, id capreoli, quod cauũ eſt, alte anguſtũ habent, latũ uerò in ſummo, cõtra quod ꝓminet à baſi latũ uertice ipſo tenuatur. Similis aũt eſt huiuſmodi capreolus lenticulæ dimidiatæ, à qua figura cochlea hæc ad imaginẽ lentis dicta eſt. Cochleæ igitur tam quadratæ, q̃ ad imaginẽ lentis ad motionẽ diuerſarũ machinationum ſtatuuntur. Quadratæ enim teſtudines compellunt: quæ ſunt ad imaginem lentis, primo quidem tympana, interdum etiam teſtudines in ijs, quæ pericochlia nuncupantur.

Qua ratione quadrata cochlea teſtudinem moueat. V.

Demus teſtudines ita eſſe fabricatas, queẽadmodũ in organo Andreę, quarũ ſingulę ꝓtuſę ſint, atq; in id cauũ cochleę demiſſę, ab interiori aũt parte cui ferrea, uel ęnea lamina teſtudini infixa ſit, quę quidẽ lamina dens nuncupat̃. Hic igit̃ dens teſtudinis, in cochleę capreolo includit̃. Quo fit, ut in quadã cochleę cõuerſione, lamina quę dẽs nũcupat̃, teſtudini infixa, atq; in cauo capreolo cõtenta teſtudinẽ moueat. Pręterea ex ijs ipſis cochleis quadratis, alia ſimplex eſt, alia duplex. Simplex cochlea eſt, quę uno dũtaxat capreolo excauata, unãq; teſtudinẽ impellit: in duplici, bini ſecti ſunt capreoli, hęc & binas teſtudines mouet, qualis cochlea reperit̃ in magno Andreę organo, ꝙ plinthiũ nuncupat̃. Excauatũ eñ lignũ eſt à medio ad trãſuerſaria capreolis inter ſe aduerſis, ita, ut quadã cochleę cõuerſione orſę teſtudines, uel à medio uerſus trãſuerſaria, uel à trãſuerſarijs uerſus mediũ impellant̃. Eſt & alia cochlea duplex in eo, ꝙ ἀκεῦνικον appellat̃ excauata à ſũmo principio uſq; ad extremũ aduerſis capreolis, quę rurſus duas teſtudines mouet, quẽadmodũ in ipſa organi ſtructura uidem⁹. at cochlea ad imaginẽ lentis tympanũ mouet, ſiqdẽ capreoli cochleæ, tympani dentib. inſiti, machinationẽ cõuertunt, quẽadmodũ cochlea, quę baculo uerſante, uel manubriolo ductario cõuertet̃ in tympani dẽtes cõueniẽs machinationẽ mouet: mouet interdũ eadẽ cochlea teſtudinẽ, ſed nõ ampli⁹ ꝑ dentẽ, quẽadmodũ quadrata, uerũ in fœmina cochlea cõtenta, quę in ipſa teſtudine ſtruit̃. quoniã teſtudinis cauũ, in qđ cochlea demittit̃, exciſos habet capreolos aduerſos ijs, q̃ ſunt in cochlea lẽtis formã referẽte, ſic, ut, id, qđ ꝓminet ex capreolis cochleæ lentẽ

referentis

referentis,in cauo capreoli fœminæ cochleæ recipiatur, quodq; cauũ eſt in capreolis cochleæ,id quod extat ex capreolo,cochleæ fœminæ capreolis admittat.Accidit aũt in cochleæ cõuerſione,ut teſtudo modo ſurſum moueatur,modo deorſum,cũ cochlea in ipſius capreolis uoluatur.Huiuſmodi ſtructuræ plurimæ adhibẽtur ad organa,quæ plana collocãtur.Ad id enim fabricãtur,ut homines,quibus luxata reſtituuntur,inclinatis organis inſidant:organa enim quę plana collocantur,ita parata ſunt,ut ægris ſuper ipſa,uel ſedentibus,uel cubantibus,luxata reponantur. Priapiſcus,qui & ſtiliſcus & ſcalmus nuncupatur,in quolibet organo,quod planũ collocetur,ſtatuitur.Fit aũt ea de cauſa,ut ei parti,quæ inter anũ & naturale eſt,obex ſit,ubi quæ prolapſa ſunt,reſtituuntur. Eſt igitur Priapiſcus lignũ octo digitorũ,magna ex parte rotundũ,ab eo, quod ſuper eſt quadratũ,ſic ut quadrata ipſius pars cõijciatur in cauũ,ad literæ π.ſimilitudinẽ quadratũ,in organo quod planũ collocatur:reliqua uerò pars, quæ extat inter anũ & naturale obijciatur.Configitur aũt in tranſuerſariũ π. ferreũ ut firmiter priapiſcũ contineat.Sed in noſtro organo uidere licet magnũ π. ferreũ ad aliũ uſum comparatũ,nempe ad gibbã ſpinã per preſſum impellendã. Opercula in organis parantur,ut machinationes ſub ipſis occultẽtur,ne ſi abſq; operculo fuerint,idiotis pateant.Annuli adhibentur ad organa tractoria,ut alligari poſsint:ad alia uerò,ut machinationes cõtineant, quemadmodũ in Menecriti Bucranio,ubi axis cõtinetur,atq; eadẽ de cauſa in alijs organis.Forfices in organis arctè tranſuerſaria cũ cruribus iungunt, ad hunc enim uſum infixas forfices æneas inuenimus.Adiuncta crura id efficiunt,ut organa quæ erecta collocãtur, illis innixa,inclinataq; eundẽ uſum præſtent, ac ſi plana ſtatuerentur. Præfatus ex quibus omnia organa parentur, & quorſum ſingulæ ipſorũ machinationes ſpectent,declarabo in ſequentibus,quæ nã ex organis immota,ſuo munere fungantur,& quæ mota:tũ ex ijs,quæ mouentur,quæ nã ſuo loco maneant,quæ locum mutent,dũ mouentur:rurſus ex ijs,quæ immobilia ſunt, quæ perpetuò & ubiq; immobilia maneant,quæ eximi poſsint,ad alios quoq; uſus idonea. Hæc itaq; immobilia ſunt in organis,baſis,crura, latera, tranſuerſaria, cuneata & lunata appendix,ſedile,priapiſci,atq; alia cõplura. Vſui ſunt cũ mouentur,uertebræ,unci,axes,tympana,cubiti,cochleę,teſtudines,atq; huius generis plurima. Mouẽtur in eodẽ loco manentia:uertebrę,unci,tympana cochleę,pleriq; axes. Locũ mutant teſtudines, cubiti.Eorũ quæ in organis immobilia ſunt, quædam ſemper & ubiq; immobilia ſunt,quædã & eximi,& inſeri poſſunt. Semper quidem immobilia manent,baſis,crura,latera,tranſuerſaria,radices,ſedilia, lunata appendix:extrahi poſſunt in quibuſdã organis,quãuis immobilia ſint,tũ cunei tum priapiſci,qui ad alios quoq; uſus facti extrahuntur,& immittuntur.

Ex Galeno de machinamentis VI.

ARrticulis reponendis Hippocratis ſcamnũ per ſe abũdè eſt. Si quis aũt uelit alijs quoq; uti,eſt polyſpaſtõ(ita appellatũ, quoniã multis orbiculorũ circuitionibus facilitatẽ præſtet)ꝙ iter faciẽtib.maximè idoneũ eſt,refertur aũt ad Archimedẽ auctorem.In urbibus uerò non alienũ eſt Fabri uel Andreæ organum,cũ erecto opus eſt:ubi plano,ſcamnũ Hippocratis præcipuè aptatur.


De gloſſocomo machinamento. VII.

NOn ab re quidẽ mihi gloſſocomũ uidet̃ à iuniorib.medicis inuentũ,quod ſeu femur,ſeu crus cõminutum ſit,ubi callus circũdatur, cõmodiſsime admouetur.Habet aũt à prima parte axem,ad quẽ extremi laquei in diuerſa extendẽtes deligãtur.Inijciant̃ laquei extremis partib.oſsis,quod curat̃,fiãtq; eo duabus habenis,ſic,ut quatuor uterq; capita habeat,bina à dextra,totidẽ à ſiniſtra. Ex ijs capitib.quę inferioris laquei ſunt, ꝑ foramina facta in inferiori parte gloſſocomi ad axẽ duci debẽt:quæ ſuperioris,primo ꝓcedere ad ſuꝑiora,deinceps

ipſa quoq; per latera gloſſocomi perforata traijci, quibus foraminibus trochleæ includantur. Vtrinq; ergo ab exteriori parte gloſſocomi, ſuperioris laquei capita ferenda ſunt ad axem. His enim ita conſtitutis, una axis cõuerſio pariter ambos laqueos extẽdit deorſum uerſus, illũ qui ad inferiora fracti oſsis alligatur ſurſum, alterum ſic, ut compoſita fractura in poſterum liceat, quotidie hanc laqueorum in diuerſas partes intentionem corrigere, ualentius, uel leuius extendendo. Laqueum igitur, qui in inferiori parte eſt, directa ductione axis extendit: eum qui in ſuperiori parte, intercedente alio motu, Græci διὰ τῆς μεταληπτικῆς τάσεως dicunt.

CAPSVLA MACHINARIA.

A AXIS AD QVEM LAQVEORVM CAPITA CIRCVMIICIVNTVR.
B LAQVEVS SVPERIOR.
C LAQVEVS INFERIOR.
D INFERIOR CAPVT CAPSVLAE.
E TROCHLEAE.
F SVPERIORIS LAQVEI CAPITA AB EXTERIORI PARTE CAPSVLAE.



Nilei plinthium. VIII.

FActum eſt plinthium Nilei ad eorum organorum exemplum, quæ uocantur tractoria quadrata oblonga. Duo enim habet latera longa palmos quatuor, digiti craſsitudine, quæ extremis partibus tranſuerſarijs inter ſe compacta ſunt. Eſt autem tranſuerſariorum craſsitudo & latitudo, quanta laterum, ſed longitudo palmum implet. Meritò igitur cum talis compactio ſit, ut latera quatuor palmos longa ſint, tranſuerſaria unum, totius organi quadrati ſtructura oblonga confecta eſt. Licebit autem, ſi quis uoluerit latera breuiora, quàm dictum eſt, efficere, quandoquidem organum per unicum axem, effectũ præſtat. Media itaq; latera pertuſa ſunt rotundis ac peruijs foraminibus, per quæ axis traijcitur, qui media parte clauum infixum habet: capitibus uerò, quibus latera excedit, uectes æneos, uel ferreos decẽ digitorum magnitudine. Sunt item in organo quatuor annuli lateribus affixi, bini ab inferiori parte, totidem à ſuperiori. Antiqua huius organi ſtructura auctore Nileo talis eſt. Herodotus quidam architectus tranſuerſariorũ priores partes medias excauauit ad figurã literæ ω. ne habenæ quæ à corporibus quibusuis adhibetur, ad axis clauum feruntur, extantibus angulis atterantur, ſed recta procedant. Hactenus Herodotus.


A Duo latera. B Tranſuerſaria. C Rotunda, ac peruia foramina. D Axis, qui media parte clauũ infixum habet. E Vectes ænei. F Annuli. G Tranſuerſarij priores partes excauatę ad figuram literæ ω. H Aeneorũ draconum cõplexus. I Foramina rotũda. K. Tympana ænea dentata. L Fibula indita. M Vnc*.



Nos

Nos uerò quam accipimus,hiſtoriam referemus.Ferunt Paſicratem architectũ
Sidoni organum hoc uidiſſe,quòd à ſtatua continebatur, aliter tamen fabrica-
tum.Nam cum eadem compactio eſſet,conſpiciebantur in eo organo ab extan
tibus axis capitibus æneorũ draconũ complexus, quorum capita è regione ad
caudas ſpectabant.Sed quo pertinebant hi dracones? nó aliò niſi ut in uicẽ ue-
ctium axes conuerterent:tum in organo,quod Sidoni erat media,tranſuerſaria
pertuſa erant rotundis foraminibus,quæ clauo axis reſponderent. Conſtat aũt
foraminũ eundem eſſe uſum,qui in organo Herodoti,nimirũ ut habenę quibus
corpora extenduntur,ad clauum rectæ per ea foramina porrigantur.Retulit in
ſuper Paſicrates axem incluſa habuiſſe in uicinia laterũ tympana quatuor ex æ-
re dentata,duo ab interiori parte,totidem ab exteriori,atq; item in lateribus fo
ramina fuiſſe dentium ordini reſpondentia,ut poſtquã abundè extenta corpo
ra fuiſſent,fibulæ inter dentes eò demiſſæ,ubi in luxatis reſtituendis opus eſſet,
axem ſiſterent.Sed recentiores tympanis omiſsis priori parte latera pertude-
runt:pertuderunt item in orbem aliquo in
termiſſo ſpatio, & ipſa axium capita, quo
ad uſum dictum fibulæ inditæ axem mobi
lem tuerentur.Ego autem cum fibulę deci
dant,ad eum quem dixi uſum, uncos lateri
bus infixi:axis uerò capita foraui ſic, ut hu
ius foramina illis cõuenirent,quæ erant in
orbẽ in lateribus aliquo ſpatio interiecto,
quo,ubi uellem in luxatis cõdendis axem
immobilem reddere, uncum includerẽ in
foramen,quod eſſet accõmodatum. Com

N SCAMNVM QVALE IN LVDO VIDEMVS.
O CAVA QVADRATA.
P FIBVLA.



munis plinthij tractorij fabricatio huiuſmodi eſt: uerùm ego aliter plinthium
ſtruxi,ſalua enim eadẽ laterum menſura inferius tranſuerſariũ ſurſum tranſtuli.
Quatuor digitis infra tranſuerſariũ extrema crura relinquens,axẽ uerò colloca
ui,in medio tranſuerſariorũ, cui parti Græcè *φατνὶ* nomen eſt, ſcamnũ quoddã,
quale in ludo uidemus,ab una extremitate excidi cauis quadratis atq; oblõgis,
ut propoſitorũ crurum extrema in eiuſmodi caua cõuenirent, ipſa item latera
extremis partibus tranſuerſa pertudi,foraminibus ab uno latere ad aliud pene-
trantibus,ut fibula in foramina coniecta plinthium contineret. Hæc de organi
ſtructura,nunc ad ipſius motionem aggrediar.


De motu organi tractorij. *IX.*

QVoniam tractoria organa imperfecta ſunt,nec præſtare quicquam per ſe
poſſunt,ſed alterius operam requirunt, puta ſcalæ, lecti, ſcamni, quæ ubi
non ſunt,eorum uicem exhibet pauimentum, terraq; ad prolapſa reſtituenda,
mihi operæprecium uidetur,quaſi doceam in ludo,gratia eorum,quæ nunc tra
ctantur,ſuper ſcalam præparatam,organi motum enarrare.

Scala præparata ad humerum reſtituendum in alam prolapſum. *X.*

PAratur ſcala una ex ijs,quæ in cõmuni uſu ſunt,nó lata, quæ obliquè collo
catos gradus habeat.ſiquidẽ talis luxatis reponẽdis eſt aliena,ſed ęquè craſ
ſa ſit, quadratisq; gradibus conſtet, leuatis angulis,ne corpora conterant,atq;
in rotundam figuram redactis. huiuſmodi ſcalæ ubi copia non ſit, quo molli-
us corpora inſidant, gradus lana inuoluantur. Ordiar autem ab humeri ca-
pite in alam excidente. Oportet igitur ubi id reſtituitur, cuneum funibus ſu-
ſpenſum collocare ſuper gradum idoneum, cui brachium (ut oſtendi) ſuper-
imponatur, & per funes ad eum alligare. Eſt autem ille gradus reponendo
idoneus,quem retuli.Brachio ſuperiniecto intentioneq; adhibita ſuſpenden-
dus homo eſt ſic, ut duos palmos à pauimento recedat, & cuneus ad gradum
firmiter alligandus non temerè, ſed eo obſeruato, ut ex partibus, quæ cum

cauo quodam capitulata eſt, ad humerum detur, quæ gibba iuxta eſt; ad latus. A cuneo uerò deorſum uerſus alterius, ſiue tertij gradus interuallo, organū ad ſcalam uinciendum eſt per eos quos habet annulos & funes aut habenas, aut alia quæpiam traiecta. Ipſa item ſcala in pauimentū fortiter adigenda eſt, ne in extendendo moueatur, ſed ſtabilis maneat, ac ſine ulla inclinatione. Quatuor præterea trochleæ, ſiue ſolidæ, ſiue ex duobus lignis curioſius factæ alligentur, quarum duæ à ſummo gradu ſuſpenſæ deorſum ſpectent, duæ ab imo ſurſum. Qua fabricatione parata cuneus ad id quod prolapſum eſt reponēdum, admoueatur, tenui lana mollic̨ obuolutus, tum ut lignum quod durum eſt, circūdata lana minus tactu lędat, tum ut ſudor, qui propriè oriri ſolet ala plurimum calefacta, magiſc̨ ægrotantis metu ac labore, lana cuneo impoſita combibatur. Hæc autem ſcala, uel contineatur ſtabiliter ab aſsiſtentibus, uel extremis partibus in pauimentum defigatur, cuneiſc̨ (ut propoſitum eſt) confirmetur. Illud autem in aperto eſt, ſcalam benè longam eſſe debere, ut poſtquam demiſſa in terram fuerit, quod extat, ubique pro magnitudine eius, qui curatur, abundè longum ſit, ſcala confirmata ſubſellium iuxta collocetur.



A Cuneus funibus ſuſpēſus, ac ſuper gradum alligatus.
B Organum ad ſcalam alligatum.
C Trochleæ duæ à ſummo gradu ſuſpenſæ, deorſum ſpectantes.
D Trochleæ duæ ab imo gradu ſuſpenſæ, ſurſum ſpectantes.
E Subſellium.

De humeri capite in alam prolapſo. XI.

SVper ſubſellium homo aſcendens, brachium ſuper gradum traijciat, ita, ut cuneus aptè in alam demittatur, poſt hæc duplicata habena media inter cuneum & humerum detur, capitaq́ eius extrinſecus pendeant, deinde charcheſius laqueus, uel alius æqualiter extendens humero inijciatur, non circa medium, ne lacertum urgeat, ſed citra tumorem uel ultra. Sic enim cubiti inæqualitas laqueum deorſum labi non patietur, præter quàm quòd hoc modo utilius imponetur. Sequuntur enim facilius ea corpora, quæ ampliori interiecto ſpatio adducuntur: quæ exiguo, difficilius. Circundato laqueo capita eius recta deorſum ducta ad clauum axis religentur, & axis uel per uectes, uel ſolis manibus conuertatur, ut eius cōuerſio directa ductione ab inferiori parte intendat. Eodem autem tempore, cum aucta iam intentio eſt, ſubſellium ſubtrahatur, ut homo à ſcala pendeat, atq; ita excitando reponi luxatum poſsit. Suſpenſo homine miniſter aſsiſtens à poſteriori parte utramq; manum ſimul iunctam ad ceruicem eius adducat, collumq́ in contrariam partem cogat, idq́ fiat, quo tempore intendimus, atq; excitamus, cum laquei ægro iniecti poſtea laxentur. Neruis abundè diductis, debet qui reponit, aſsiſtens habenæ capita prehendere, cubitumq́ ad ſcalam repellens, humeri caput per habenam extrahere. Quo facto

remittenda

remittenda intentio eſt,& ipſe articulus ſurſum compellendus,ut in regionem priſtinam reuertatur. Ratio directæ ductionis ita habet.Sed ut tuto reponam⁹, optimum fuerit prius,quàm nerui extendantur,habenis &crura hominis inter ſe & integrum brachium ad latus deuincire,ne ob tormentum quod in condēdo articulo ſentiet, uel ſuper ſcalam aſcendat, uel manu laquei capita contineat. Licebit etiamnum alio intercedente motu, ab inferiori parte extendere, id qua ratione fiat,ſubijciam.Iiſdem omnibus factis,quæ præcepimus,cum ab inferiori parte extendentes directa ductione utebamur,laquei capita per inferiores trochleas traijciuntur ab inferiori parte extra,atque ad axis clauum religantur,uel ducta ab exteriori parte uerſus interiorem ad axis uectes uinciuntur,ut axe uerſato,alio intercedente motu ab inferiori parte extendamus. Nihil item prohibet,quo minus eadem fabricatione parata duplici motu contrario intercedente ab inferiori parte adducamus, quod ad quem modum fiat, indicabimus.Laquei capita ad inferiores trochleas ducta,ibiq; traiecta,ad ſuperiores referuntur,tum deorſum attracta,ad axis uectes alligantur: ut eius conuerſio duplici motu contrario intercedente ab inferiori parte extendat.Poſtquam abunde extenderimus, proximum eſt ut impellamus,eo quo oſtendimus modo,ubi de directa ductione loqueremur.Hi ſunt modi,quibus ab inferiori parte intendimus.Poſtquam reconditus articulus fuerit, ſubſellium ad ſcalam referēdum eſt,ut æger ſuper id ſtatuatur tam à ſcala,quàm à cuneo remotus,collocato humero ut antè dixi. Verùm,cum maiores noſtri idem organum idoneum à ſuperiori parte attrahēdo tradiderunt, ſequitur ut nos quoq; à ſuperiori parte extendēdi rationem nobis aperiamus. Ergo (ſicut dixi) placuit maioribus luxati reſtituendi modum, & à ſuperiori parte adducendo, & in diuerſa trahendo explicare. Potiſsimum autem à ſuperiori parte intenderunt, ubi humerus non ſolum elapſus eſſet, ſed etiam perfract⁹. Spectemus igitur quibus modis uoluerint luxata reſtituere, à ſuperiori parte intendentes. Scala igitur in cęteris eodem modo præparata,cuneum non amplius ex funibus ſuſpenſum, ad gradum alligant, ſed ſolum ſuper imponunt:funium uerò capita admodū longa per ſuperiores trochleas ab inferiori parte extra traijciunt: poſthæc deorſum demiſſa uectibus, qui pro clauis ſint,circumligant. His ita conſtitutis ſubſellium ad ſcalā ponunt, ſuper quod homo aſcendens, brachium ſuper inijciat, ut cuneus rurſum in alam indatur,deinceps charcheſium laqueū uel alterum æqualiter extendentem humero inijciunt, capitaq; eius deorſum ducta, ut contineantur, ad aliquem ſcalæ gradum deuinciunt.Quibus ita contentis axis conuertitur, per quam conuerſionem cunei funis alio intercedente motu attractus à ſuperiori parte intendit. Neruis,quantum res poſtulat,intentis,impulſus adhibetur,per duplicem habenam extrahendo,& manibus ſurſum compellendo. Equidem huic reponendi modo non ſubſcribo,ea de cauſa,quam adiungam : Cuneus elatus circumagitur,qui cū ſub ala non manet, articulus ex toto nō reponitur,ac potiſsimū ubi quis uelit ſuſpenſo homine excitando illum reponere. Ea uerò extendendi ratio, quæ ab inferiori parte adducit, ſtabilis eſt cuneo ſuper gradum collocato,



& per funes alligato, ut antea diximus. At quo pacto nos à ſuperiori parte adducentes firmiter reſtituamus, paulo poſt intelligetis, ubi condendi luxati rationem recenſebimus. Ratio autem quæ in diuerſa diducit, ſic habet: cæteris omnibus ordinatis laquei capita non amplius ad gradum uinciuntur, ſed ad axis clauum dantur, per ſe dantur, uel alio motu intercedēte, ut prius ſcilicet per inferiores trochleas traijciantur, tuncq; ad axem deligentur. Eadem nunc culpari poſſunt, in hac indiuerſa extendendi ratione, quæ paulo ante dicta ſunt in illa, quæ à ſuperiori parte extendit. Vbique enim probo, cum is, cuius articulus reponitur, rectus collocatur, ſolam ab inferiori parte extendendi rationem adhiberi. Nunc proximum eſt, cum de humero in alam prolapſo dixerimus, ut de eodem quoq; in priorem partem excidente pertractemus.

De humeri capite in priorem uel poſteriorem partem excidente. XII.

AD humeri caput in priorem uel poſteriorem partem elapſum ſcala eadem ratione modoq; præparata uel figurata organoq; & trochleis (ut antea dictum eſt) alligatis, rurſus, ubi reſtituere uolumus, ſubſellium iuxta ponimus, lanaq; uel linteis contegimus gradum idoneum, ſuper quem reſtituamus: cui (ſicut oſtenſum eſt) inuoluto ala inſidat: tum charcheſium laqueum, uel alium æqualiter extendendi uim habentem humero (ut propoſitum eſt) circundamus, cuius capita deorſum attracta ad organi axem religamus, quemadmodum ad humerum in alam prolapſum tradidimus, ut conuerſus axis directa ductione ab inferiori parte intendat. Eodem momento quo intendimus, aliquis rurſus à poſteriori parte aſsiſtens, utraque manu ad ceruices hominis data, corpus in contrariam partem repellat. Licebit aũt in hoc caſu magis & extendere & ducere ad inferiora. Subſellio itaque ſubtracto, homo ſuſpenditur, ut ſimul & articulus excitetur, & quæ illi ſuperiecta ſunt, laxentur. Vbi quantũ reponendus articulus poſtulat, intenderimus, circumducendo impellimus: Siquidem in priorem partem, humeri caput exciderit, ab ea ſede in quam uenit ad eam, ubi eſſe naturaliter debet, prominentiori palmæ parte urgemus, atque altera manu cubitum à poſteriori parte in priorem adducimus, quo facto miniſter aſsiſtens manum apertam lato ſcapularum oſsi opponat, atque id repellat, ne uis operæ reſoluatur: uerùm ſi in poſteriorem partem prorumpat contrarium fieri debet, humeri quidem caput prominentiori parte palmæ urgendum eſt, ut à lato ſcapularum oſſe in ſuam ſedē reuertatur, atq; altera manu cubitũ à poſteriori parte in priorem adducimus, quo facto miniſter aſsiſtens manum apertam lato ſcapularum oſsi opponat, atque id repellat, ne uis operæ reſoluatur: uerùm, ſi in poſteriorem partem prorumpat contrarium fieri debet, humeri quidem caput prominentiori parte palmæ urgendum eſt, ut à lato ſcapularum oſſe in ſuam ſedem reuertatur, atque altera manu cubitus ad poſteriorem partem prorſus ad ducendus. Hac igitur ratione humeri caput reſtituendum ducimus, ubi in priorem uel poſteriorem partem erupenit. Sed alij in utroque caſu eam reponendi rationem probarunt, quæ à ſuperiori parte extendit, hoc, quo pacto agant, uideamus. Scala eodem modo parata duplicatæ habenæ, uel funis medium lana, uel linteo inuolutum alæ ſubijciunt, capitáque eius per ſuperiores trochleas traducta deorſum ad axis uectes tanquam ad clauos alligant, deinde humero carcheſium laqueum, uel alium qui æqualiter extendere ualeat, circumdant, cuius capita deorſum demiſſa, ut contineantur ad aliquem ſcalę gradum deuinciunt. Quibus ita conſtitutis axis conuertitur, quo conuerſo & continent, & à ſuperiori parte intendunt, ac poſtquam abunde extenderunt, adducendo impellunt. At cum in diuerſa contendunt, capita laquei, uel directa ductione, uel

alio

alio intercedente motu,funis uerò per alium motum interiectum ad axis clauum alligant,ut conuerſo axe in diuerſa diducant,pòſtquam ſatis intenderunt adducendo impellunt.Intentiones quidem ſuccedunt, ſed impulſus fallax eſt. Siquidem homine excitato,& ſuſpenſione diſtracto ægrè articulus reſtituitur: atque ob hanc cauſam nunc placuit extendendi rationem tam à ſuperiori parte,quàm ab utraque præterire.Humeri ergo caput,in quamcunque partem uenerit,conuenit ab inferiori parte extendendo reponere, cum erectus homo collocatur. Qua uia humeri caput reſtituatur, expoſuimus. Pergamus igitur ad cubitum.

De cubito. XIII.

AEque duo brachij oſſa in quatuor partes erumpunt,in interiorem, exteriorem,priorem & poſteriorem,atque ubi in tres partes uenerint:exteriorem ſcilicet interiorem & poſteriorem,brachium curuatur, & extendi non poteſt.Commune eſt horum trium caſuum,in quibus curuum brachium minimè extenditur,ſcalam cum organo (ut dictum eſt) ad reſtituendum parare, poſtea hominem iuxta ſcalam collocare, ut ſuper ſubſellium aſcendens brachium ſuper conuenientem ſcalæ gradum inijciat, tum ea iunctura, quæ palma nuncupatur,humerum continere,& laqueum inæqualiter extendentem, ut attollentem chiaſtum, aut nauticum brachio in uicinia manus circumdare,eiúſque capita ad unum ſcalæ gradum,ut retinacula ſint, deuincire, ut ubi uis adhibetur, recti anguli figura fideliter conſeruetur, eóque facto medium duplicatæ habenæ,brachio propè cubitum inijcere, capita uerò deorſum ducere ad axem, ibiq; uel directa ductione ad axis clauum alligare, uel alio intercedente motu, non ſecus ac ubi humeri caput reponitur,ut ſimiliter axis conuerſio ab inferiori parte intendat.Traditur etiam ad cubitum ille reponendi modus, qui à ſuperiori parte extendit, cuius ratio eſt hæc. Cæteris omnibus (ut propoſitum eſt) conſtitutis,humerus non amplius ut contineatur,deuincitur,ſed laqueus charcheſius, aut alius ex ijs,qui æqualiter extendunt,ipſi circumligatur,cui⁹ capita ad ſuperiores trochleas adducta ab interiori parte in exteriorem attracta deorſum feruntur,& ad axium uectes quaſi ad clauum alligantur: duplicatæ uerò habenæ capita deorſum adducta, ut retinacula ſint ad aliquid immobile dantur. Conuerſo igitur axe & continemus, & alio intercedente motu à ſuperiori parte extendimus.At modus,qui in diuerſa extendit,hinc manifeſtus eſt, ubi enim in diuerſa extendimus,laquei capita per ſe ad clauum axis uel alio intercedente motu ad eiuſdem uectes deligantur, ut eadem conuerſio in diuerſa extēdat Neruis quantum res poſtulat, extentis conuenienter impellere oportet, adducendo,ſi luxata in duas partes uenerint, in interiorem ſcilicet & exteriorem:ex trahendo,ſi in poſteriorem,quas impellēdi rationes in opere de articulis expoſui.Hæc igitur fieri debent,quando cubitus in propoſitas partes erumpit. Verùm,ſi in priorem,in quo caſu diximus extentum brachium non curuari, iterū eadem ſcala atque organum comparatur, æger ſcalæ aſsiſtens brachium ſuper commodum eius gradum imponit,humerus ad ſcalam per eandem iuncturam uincitur laqueus æqualiter extendens ad brachium datu⁹ in uicinia manus,cuius capita deorſum feruntur ad organū,ut ab inferiori parte attrahātur. Si quis autem uelit agere hoc tum continendo,tum à ſuperiori parte adducendo, humerum non amplius ad ſcalam deuinciat,ſed utrique membro laqueum inijciat,qui æqualiter intendat,unum ſcilicet humero, alterum brachio, & ſuperioris quidem laquei capita ſurſum ferat ultra caput, alterius uerò deorſum, ut (quemadmodum in alijs reponendi rationibus declarauim⁹) extendat. Quod ubi abunde fecerit,nunc reponendi cauſa duo modi impellendi potiſsimum

aptantur, qui premit, & qui circumducit. Sed ante quidem premere conuenit, dum intentio adhuc manet, dehinc circumducere, quos impellendi modos multo ante expoſui in opere de articulis. Oportet autem eo, quod luxatum eſt, reſtituto brachium curuare atque extendere, pronúmque & ſupinum collocare, ut ex toto reſtitutum eſſe intelligas, tum ad angulum rectum in ſequentem curationem figurare. Vtraque igitur brachij oſſa, ubi loco ſuo non ſunt per ſuperiores modos reponũtur. Verùm quoniam utrunque per ſe proprie uitiatur, cum ſuo loco mouetur, poſthac neceſſe eſt ſcribamus, quonam modo cubitus erumpens, radiusq́ diductus ab inferiori parte extenti, reuertantur.



A Cuneus ſub ala per funes ſuſpenſus.
B Organum ad ſcalam alligatum.
C Trochleæ à ſummo gradu ſuſpenſæ.
D Trochleæ ab imo gradu ſuſpenſæ.
E Subſellium.
F Iunctura quæ palma nuncupatur.
G Laqueus attollens in uicinia manus.
H Capita laquei, ut retinacula ſint, ad ſcalæ gradum deuincta.
I Medium duplicatæ habenæ propè cubitum iniectum.
K Capita ad axis clauum directa ductione alligata.

De cubito & radio. XIIII.

MOuetur per ſe cubitus interdum loco, & rurſus per ſe radius diducitur, ijs modis, quos in opere de articulis declarauimus. Ad hæc igitur oſſa reſtituenda, ſcala ſimiliter paratur, humerusq́ ad gradum uincitur ea iunctura, quę palma dicitur: ad ipſum uerò brachium utiliter datur laque' aliquis, ex ijs, qui inæqualiter extendunt, cuius laquei ſinus à parte, quę reſtituitur, capita à contraria, hoc eſt, ab integra collocentur. Propriè enim laquei, qui inæqualiter extendunt, eas partes magis cogunt, quibus ſinus hærent, minus uerò, quibus capita. Siquidem conſilium eſt, ubi ſuperius os excidit, ab inferiori parte attrahere: ad id, quod ſuo loco eſt, uim minimè adhibere. Huius igitur laquei capita ad axis clauũ dari debent, uel directa ductione, uel alio motu intercedente, ut cõuerſio axis ab inferiori parte extendat. ſed ubi, quantum reſtituendum os poſcit, extenderimus, idoneis impellendi modis uti conuenit, cubito quidem in interiorem partem excidente, radioq́ in exteriorem adducto, utriusq́ manus digitos intereſſe iunctos eminentiæ cubiti ſubijcimus, prominentioresq́ palmarum partes utrinq; e ponimus, atque his ſummopere urgentibus adducim': ſed ſi in poſteriorem partem prorumpant, cubitus præſertim, ea reponendi ratio efficaciſsima eſt, quæ extrahendo impellit, ſin radius in priorem partem cõuertatur, expedit premendo, & circumducendo impellere, quemadmodum oſtendimus, ubi utrunque os in priorem partem elapſum ponebamus: exquiſitos autem reponendi modos in opere de articulis expoſuimus. Repoſiti autem oſsis inditium erit, in cubito libera brachij contractio atque porrectio: in radio, in pronum uel ſupinum habitu conuerſio. Quo modo igitur per ſcalam

homine

homine erecto reſtituere luxatum conueniat, demonſtrauimus. Verùm quia iuſta aliqua de cauſa, aut imbecillitatem, aut ob femur, ſeu crus ſimul comminutum, æger ſtare nequit, dum luxatum reſtituitur, neceſſe eſt in ſequentibus aperire, quæ ratio ſit reſtituendi, homine ſuper planam ſcalam iacente.



B Organum ad ſcalam alligatum.
C Trochleæ ſuperiores.
D Trochleæ inferiores.
E Subſellium.
F Iunctura, quę palma nuncupatur.
G Laqueus inæqualiter extendens.
H Capita laquei duplici intercedente motu ad axem data.

Quo pacto iacente homine reſtituatur humerus in alam prolapſus. XV.

SCalam collocare planam oportet, & ut à pauimento attollatur, extremitatibus lapides uel ligna ab utraque parte ſubijcere, atque æquandi gradus cauſa linteum ſuperimponere. Huiuſmodi enim lectus, quod pertinet ad ægrum iacentem, dum reſtituitur, ſcampi munus præſtabit. Organum uerò ad ſcalam alligãdum ab inferiori crurũ extremitate, rurſusq; trochleę (quemadmodũ dictũ eſt) binæ à ſuperiori ſcalæ parte, totidem ab inferiori unciendæ. Satius aũt eſt, ad luxata reſtituenda pro ſcala adhibere ſcamnum, quod ab altero extremo, quadratis foſsis excauatum ſit, ubi organum firmiter inſiſtat: quæ præparatio eſſe debeat, dictum eſt: modos autem, quibus humeri caput reſtituitur, exequemur. Prolapſo igitur humeri capite collocare hominem conuenit, ſic, ut iaceat ſuper ſcalam, organo ad pedes conſtituto, ſupinus, ubi in alam uel priorem partem excidit: in uentrem ubi poſteriorem. Igitur, ubi in alam conuertitur, funis capita ſuper caput à priori uel poſteriori parte adducenda, mediumq; habenæ duplicatæ dandum eſt ad humetum ſic, ut inter ipſum & cuneum demittatur, capitáque eius ab exteriori parte ferantur, atque ita pendeant: poſthæc laqueus charcheſius, uel alius ex ijs, qui æqualitet extendunt, humero (ut ſupra oſtenſum eſt) inijciendus, cuius capita deorſum ad otganum adducenda. Cum capita ergo ad pedes ferantur, agemus uel continentes, & ab inferiori parte extendentes, uel in diuerſa trahentęs, ſiue directis ductionibus utamur, ſiue alius motus intercedat, ut antea indicauimus: cum ſatis extenderimus, condere humerum debemus, idoneam impellendi rationem adhibentes. Præcipuè autem duplex impellendi ratio idonea eſt, & quæ articulum extrahit, & quæ ſurſum compellit. Manente intentione duplicatæ habenæ capita tenentes, ui humeri caput extrahimus, eodémque momento cubitum in interiorem partem ad latus repellimus. Eo enim fit, ut humeri caput facilè promptéque in exteriorem pattem ducatur, moueatúrque. Quo facto remiſſa intentione, protinus ſurſum compellimus, poſthæc humerum prehendentes, attollimus, ut

in ſuum locum collocemus: Hæc ſunt quæ fieri oportet, ubi humeri caput in alam excidit.



A Cuneus alligatus ad funem, cuiꝰ capita dãtur ad gradum ſupra caput.
B Organũ ad ſcalam alligatum.
C Trochleę à ſummo gradu ſuſpéſę deorſum ſpectantes.
D Trochleæ ab imo gradu.
E Habena media demiſſa inter cuneum & humerum, cuius capita ſpectent in partem exteriorem.
F Charcheſius ad humerum datus.

De humeri capite in priorem partem vel poſteriorem partem excidente. *XVI.*

SEd ſi humeri caput in priorem uel poſteriorem partem conuertatur, homine (ut dictum eſt) figurato, nempe ſupino, ſi in priorem partem uenit, in uentrem: ſi in poſteriorem, funis aut habenæ medium lana ſiue linteo obuolutum, alæ ſubijcitur, capitáque ſuper caput feruntur, non quidem è regione uitiati humeri, ſed obliqua uerſus partem contrariam, ad rem aliquam immobilem uinciuntur, qua retineantur. Ambigitur uerò quamobrem capita non rectè ferantur, ſed uerſus contrariam partem obliqua. Paſicrates quidem atque alij nonnulli, hoc ea de cauſa fieri aiunt, ne à medio funis humeri capite ſurſum attracto prohibeamur, quo minus ab inferiori parte extendamus. Sed decipiuntur ſimilitudine femoris, cum res aliter habeat, ſiquidem femur ad .r. literæ ſimilitudinem declinat, at humeri caput dimidium orbiculatum eſt, neque poteſt femoris modo à medio fune ſurſum adduci: quorſum igitur id fit? ne ſub medio fune, quæ ſub ala ſunt compreſſa, alæ regionem compleant, completo enim receſſu humeri caput locum non habebit, in quem recondatur. Nos etiam non ſecus atque ij, qui non multo antè uixerunt, ob propoſitam cauſam, habenam & funem ſimiliter collocamus. Conſueuimus interdum & aliter continere: duos enim laqueos ex ijs, qui inæqualiter extendunt, implicantes, thoraci, dorſóque ſub alijs circumponimus, eorúmque capita continendi cauſa ad gradum, qui contra ſitus eſt, alligamus, qua continendi ratione adhibita laqueum æqualiter extendentem humero circumponimus, quemadmodum tradidimus, qua de humeri capite in alam prolapſo, cuius deinde laquei capita ab inferiori parte ad organum demittimus, & ad axem deuincimus, ut eo conuerſo contineamus, & ab inferiori parte pariter extendamus. Vi, quantum res exigit, adhibita, ut articulum reſtituamus, premendo impellimus. Prominentiori enim unius manus palma ui humeri caput comprimimus, altera uerò cubitum huc atque illuc agitamus. Indicium autem repoſiti oſsis in ſuperioribus explanauimus. Fit etiam interdum, ut ad humeri caput luxatum, medij quoque

humeri

humeri fractura accedat, cogatúrque medicus eodem tempore utrique uitio ſubuenire. Docendi autem gratia ſermoni inſiſtam, qui eum caſum explicet, ubi & caput humeri in alam excidit,& medius humerus comminuitur.

De humero fracto ſimul & prolapſo. XVII.

QVæſitum eſt à maioribus noſtris,qua uia hæc reſtituantur.Paſicrates quidem os ſuo loco motum primo reſtituit, quod maiorem uim in reſtituendo poſtulet, quam fractura. At ſi quis ſub fractura laqueum inijciens eodem momento uelit,tam quod fractum eſt, quã quod excidit,reſtituere,dum uis ad luxatũ,quantũ poſtulat,adhibet, fractura plus iuſto intẽta partes fracturæ ſuper iectę ultra debitũ extentæ lædent,reſoluentur nerui,aut abrũpentur, & fortaſſe corpora tota,priuſquã articulus laxetur, atq; hac de cauſa cẽſuit ipſe laqueũ ſuper fracturã imponendũ,& ante quod luxatum,deinde quod fractum eſt, reſtituendum.Voluit Ariſtion eodem tempore,& luxatum & fractum humerum reſtituere,ne ſi luxatum prius reponatur, dum fractura componitur, præ ui poſitum humeri caput erumpat. Quæ dicuntur in utroque caſu ſequi detrimenta, uerè ſic habent, quapropter nobis placet, antè articulum reponi, proximéque fracturam curari, ea cautione, ne dum quod fractum eſt, ab inferiori parte extenditur,articulus elabatur. Ad luxatum igitur reſtituendum cuneus à funibus dependens in alam conijcitur, rurſúſque capita funis ſurſum adducuntur ſuper caput,humero ſuper fracturam charcheſius laqueus imponitur, uel alius qui æqualiter extendat,eiúſque capita, deorſum demiſſa, ut retineantur ad aliquam moram uinciuntur,atque à ſuperiori parte attrahendo articulus reponitur. Quo facto cuneus in ala relinquitur, ut humeri articulus maneat, laquei uerò capita inferiori parte reſoluuntur, & ſuper caput adducta tanquam retinacula uinciuntur, ut utriúſque præſidio cunei ſcilicet & laquei, articulus ſuo loco ſeruetur. Poſt hæc Charcheſius laqueus, uel alius æqualiter extendens humero inijcitur, cuius capita deorſum demiſſa ad axem, ut ab inferiori parte intendant, religantur. Quo fit, ut fractura ab inferiori parte intenta componatur, ſuperiori articulo non excidente: hactenus de humeri capite, nunc de cubito.

De cubito luxato. XVI.

CVBito in illas treis parteis conuerſo, in quas ubi procidit, brachium curuum eſt, neque extenditur, homo reſupinandus eſt ſuper aſſerem ſcalæ inſidentem: alligatis trochleis organóque ab inferiori parte laqueus inæqualiter extendens brachio propè manum inijciendus, cuius capita ſuper caput adducta ad oppoſitam moram alligentur: tum duplicatæ habenæ medium iuxta cubitum dandum, capitáque eius deorſum, adducenda. Dantes igitur capita, laquei quidem humero iniecti, ſupra caput, duplicatæ uerò habenæ, deorſum, continebimus ſimul,& ab inferiori parte extendemus,ut oſtenſum fuit in ſuperioribus: neruis abunde intentis eo modo impellemus, quem paulo ſupra diximus, cum de erecta ſcala pertractauimus. At ſi in priorem partem elabatur, in quo caſu brachium extenditur, reſupinato itidem homine laqueus æqualiter extendens humero inijciatur, capitáque eius ſuper hominis caput attrahantur, tum alter laqueus ęqualiter extendẽs ad extremum brachiũ alligetur, eiuſq; capita deorſum ducant: intentionẽ uerò à pedib⁹ adhibẽdã eſſe antea expoſui. Eodẽ aũt modo, ubi articulũ reſtituim⁹, impellere oportet, premendo ſ.& circũducendo, eademq; ratione, q̃ in opere de luxatis dicta eſt. Ve-

rum ſi alterum os præter naturam habeat,ſiue cubitus excidat,ſiue radius diducatur,laqueo rurſus æqualiter extendente ad humerum dato, capitibúsque eius ſurſum ſuper caput adductis, ut retinacula ſint, brachio laqueus inijcitur, qui inæqualiter extendat,quemadmodum explicauimus,capitáque eius deorſum ad organum adducuntur, & ijdem impellendi modi accommodantur. Abſoluimus iam ſermonem uniuerſum de cubito atque humeri capite, reſtat, ut ad manum accedamus.

De Manu. XXVII.

MAnus in quatuor partes mouetur, in interiorem, exteriorem, priorem & poſteriorem.Reſtitui autem debet,uel ſuper ſcamnum,uel ſuper ſcalam, quæ plana collocetur.Homine itaque iuxta ſcalam uel ſcamnum ſedente,figuretur manus,ſupina,ſi in interiorem partem erupit:prona,ſi in reliquas tres.Deinceps circa ſinum manus, ferramentum, quo adurimus tranſuerſum uel tranſuerſus axis detur, atque ad ipſam palmam uinciatur : tum extremitatibus propoſiti uectis, ſeu ferramenti ſinus laquei inæqualiter intendentis uel mediæ habenæ inijciantur, capitáque à priori parte ad organum ferantur. Brachio autem in uicinia manus circumligetur laqueus æqualiter extendens, cuius capita ferantur à poſteriori parte, rurſúſque intentio adhibeatur,quæ paulo antè expoſita eſt,uel continendo & ſeu ab inferiori,ſeu ſuperiori parte extendendo, uel in diuerſa adducendo, poſtquam abunde intenderimus,impellere debemus,quemadmodum in libro de luxatis expoſuimus, premendo, ubi in interiorem, uel exteriorem partem uenit: ubi in priorem & poſteriorem, adducendo,ſed uenio ad ſpinam.



A Organum ad ſcalam alligatum.
B Trochleæ.
C Ferramentum datum ad ſinus manus.
D Sinus laquei dati ad ferramenti extremitatem.
E Laqueus æqualiter extendens brachio iniectus in uicinia manus.

De Spina. XXVIII.

SPina gibba recenti ictu reſtituitur. Oportet in reſtituendo hominem pronum collocare, uel ſuper ſcalam, cuius gradibus aſſer iniectus ſit, uel ſuper ſcamnũ ,trochleaſq́; (ut dictũ eſt) adhibere:poſt hæc ad ſpinam dare binos laqueos ęqualiter extẽdentes,unũ à ſuperiori parte gibbi, alterũ ab inferiori,uel quaternos ex ijs,q̃ inæqualiter extẽdũt,inter ſe oppoſitos,binos à ſuperiori parte,totidẽ ab inferiori,& ſuperiorũ quidẽ capita ſurſum,inferiorũ uerò deorſum adducere, ſiue ut retinacula ſint, & uel ab inferiori uel à ſuperiori parte intendant, ſiue ut in diuerſa diducãt. uerũ ubi ĩ diuerſa diducimus,trochleis utimur alio

alio intercedente motu agentes. Poſtquam abunde intenderimus, eo modo impellimus, quem in libro de articulis enarrauimus. Sequitur autem, ut de modis reponendi femoris pertractemus.

De femore. XIX.

FEmur in quatuor partes prorumpit, interiorem, exteriorem, priorem, & poſteriorem, atque ubi in tres partes conuertitur, crus extentum eſt, & curuari minimè poteſt: quod ſi in poſteriorem partem prolabatur, curuatur, ſed non extenditur. Igitur ſi in illas tres partes uenit, ubi extẽtum crus minimè implicatur, reſupinandus homo eſt ſuper ſcalam uel ſcamnum, & duplicatæ habenæ uel funis medium lana ſeu linteo circumdatum inter anum & naturale inijciendum, capitáque eius ſuper caput adducenda. Si in exteriorem quidem & priorem partem femur eruperit, media habena uarie quacunque parte inter anum & naturale dari poteſt: ſed ſi in interiorem partem exciderit inter femur integrum adhibenda eſt, & articulum, qui reſtitui debet, ne ſi femoris capiti ſubiecta fuerit, membrum ab inferiori parte attrahi non ſinat. Quo facto charcheſius laqueus uel alius æqualiter extendens, femori extremo circumponendus eſt, capitáque deorſum ad organum ferenda, & ad axis clauum alliganda, ut adhibitis retinaculis conuerſo axe contineamus, & ab inferiori parte extendamus. Nihil item prohibet, quo minus à ſuperiori intendamus, quemadmodũ dictum eſt, qua de humeri capite. Neruis, quantum ſatis eſt, diductis, ijsdem utẽdũ eſt impellendi modis, quos in opere de articulis indicauimus. At, ſi femur in poſteriorem partem prolabatur, ubi complicari crus diximus, ſed nullo modo extendi, organo ab inferiori parte alligato æger ſedeat, magis tñ in ſupinũ habitum conuerſus, in alterã coxã inclinetur, poſthæc contineat, ſicut in opere de articulis oſtendimus, tunc charcheſius laqueus, uel alius æqualiter extendens femori circumdetur, eiusq́ capita deorſum demiſſa, ut ab inferiori parte extendant, ad axẽ religentur. Neruis quantũ res poſtulat, intentis, oportet eadem ratione in reſtituendo impellere, quæ in opere de articulis expoſita eſt, ſpatha premendo idonea extrahere, & femoris caput in exteriorem partem adurgere, ſicq́ crure deorſum extento, atque homine reſupinato articulus reponitur. Crus autem reſtitutum, teſtatur eius flexus, atque porrectio: in quamcunque enim partem uenerit, ubi reſtitutum eſt, liberam eius actionem ſpectamus, flexum ſcilicet & porrectionem.

De Genu. XX.

GEnu in tres partes erumpit, interiorem, exteriorem, & poſteriorem: ubiq́ autem crus extentum eſt. Si in interiorem & exteriorem partem ueniat, hominem reſupinare conuenit: ſi in poſteriorem, pronum collocare, túncque laqueos æqualiter extendentes membris inijcere, ũnum quidem femori propè genu, alterum cruri ſuper eam regionem, quæ carnoſa à poſteriori parte prominet, rurſúsque organo ad inferiora deligato, eaſdem adhibere intendendi rationes, quæ in alijs luxatis ſunt oſtenſæ, impulſumq́ in opere de articulis declaratum.

De talo. XXI.

TAlus modo in interiorem, modo exteriorem partem prolabitur, nonunquam etiam in poſteriorem. Rurſus itaq; oportet hoiem ſedere, extentoq; cruri laqueum imponere, qui æqualiter extendat, eiusq; capita ad poſteriorem partem porrigere, ad talum uerò ſandalium, uel draconem laqueum dare, capitaq; à priori parte ad axem adducere, continendoq; ab inferiori parte extendere, & ijsdem uti modis impellendi, quos in opere de luxatis explicauimus. Reſtituendi rationem prætermimus, quoniam de hac præcipuè agim', ubi organorũ, quæ plana collocantur, præſertimque noſtri machinamenti, motum declaramus.



A Laqueus iniect' cruri æqualiter extendens.

B Sandalius laque' ad talũ datus.

Gloſſocomum Nymphodori. XXII.


GLoſſocomum Nymphodori tractorium organum eſt quadratum, habet autem duo latera, quę extremis partibus per duo tranſuerſaria inter ſe iunguntur, laterum uerò & tranſuerſariorum eadem eſt magnitudo, ſunt enim longa lataq; duos palmos, craſſa digitos totidem. Quare, cum æqualis ſit eorum modus, iure gloſſocomum ex eorum numero eſt, quæ proprie quadrata appellantur. Media igitur latera excuſpta, cauataq; ſunt cauis non nimis altè penetrantibus, quibus includitur axis habens in medio tympanum, cui ab utraq; parte ferrei unci ſunt, duo in uniuerſum, uel foramina, in quæ poſsint conijci funes, quorum hæc ratio eſt. Funes duo uncis medij circumligantur, & ab utraque parte propè foramina nodum accipiunt, quorum capita quum quatuor ſint, duo traijciuntur per tranſuerſarium prius, ab interiori parte extra, reliqua duo per id, quod poſterius eſt. Secundum tympanum cochlea ſpeciem lentis referens recta collocatur, hæc compoſito uocabulo græce κοχλιάξων dicitur, eius extremitas demittitur in cauũ non penetrans prioris tranſuerſarij: pars uerò, quę cochleæ modo ſtriata eſt, iuxta tympanum collocatur. quod ſuper eſt ex eius longitudine per foramen tranſit, extremaq; parte baculum uerſans habet, quo torquetur, ut cochlea per id uerſata tympanum moueat, conuerſo hoc axis uerſetur, quo moto funium capita, quæ extra procedunt, ad intendendum ducũtur. Sunt item in Gloſſocomo opercula, ut quæ in eo ſunt machinationes occultétur: tum quatuor annuli ad latera fixi, bini ab inferiori parte, totidem à ſuperiori, ea de cauſa, ut alligari organum poſsit. Huius fabricationis auctor eſt Ariſtion filius Paſicratis, ſiquidem aliter ſtructum fuit à Nymphodoro. In uetuſta enim ſtructura extat cochlea non per tranſuerſarium, ſed, qua opercula ſita ſunt, traiecta: duas enim forſices ferreas ad latera affixa habet ad medium pertuſas, quarum una axi ſubijcitur, altera ſuperponitur, utraque à latere tympani collocatur, inferior anguſtius foramen habet, ſuperior latius. Cochlea igitur ab ea parte, qua opercula ſita ſunt, traiecta, atque à forficibus contenta,

alterum


alterum operculum ſine impedimento clauditur: alterum claudi non patitur pars cochleæ, quam penetrare diximus, cuique baculum uerſans affigitur. Hoc itaque operculum medium tranſuerſum in duas partes ſecatur, quarum altera manet immobilis, altera clauditur, atque hæc media in longitudinem lunata ſigura exciditur, ut cum operculum clauditur, lunatum eius cauum propoſitam cochleæ partem excipiat. Hanc Nymphodori ſtructuram non accepit Ariſtió, ſed adiecit organo axem habentem tympana foramináque, ut axis, qui in medio eſt, motus, ubi uelis, conſiſtat, & ui minimè uoluatur: tranſtulit item annulos iuxta prius tranſuerſarium, ne organum à parte operculi, ſed à parte prioris tranſuerſarij alligetur: traiecit præterea funium capita per opercula, hæc quidē à ſuperiori parte, illa uerò ab inferiori. Quod quidem pertinet ad annulorum ſitum, unà nobiſcum ſentit. ſed axem, quem adiunxit, tanquam ſuperuacaneū reijcimus. Siquidem unus axis ex robuſta materia præparatus, quod opus eſt, abunde efficit. Sed cum gloſſocomi fabricationem abſoluerimus, ſequitur ut ad eius motum ueniamus.

- A Latera.
- B Tranſuerſarium prius.
- C Tranſuerſarium poſterius.
- D Cauum non penetrans.
- E Axis habens tympanum in medio.
- F Foramina in quæ funes conijci poſsint.
- G Funes duo.
- H Capita funium traiecta per prius tranſuerſarium.
- I Capita funium per poſterius tranſuerſarium traiecta.
- K Cochlea ſpeciem lentis referens.
- L Manubriolum.
- M Quatuor annuli in tranſuerſarijs.
- N Ferrea forfex.
- O Pars operculi, quæ manet immobilis.
- P Pars operculi in lunatam figuram exciſa.
- Q Axis habens tympana foraminá-que.

NYMPHODORI GLOSSOCOMVM CLAVSVM.



NYMPHODORI CLOSSOCOMVM APERTVM



De motu organi. XXIII.


VBi humeri caput ſuo loco mouetur, præcipueq; ſi in alam ueniat, ad ſcalã eodem modo paratam, quo in Nilei Plinthio explicauim⁹, nunc pro Plinthio Gloſſocomum alligetur, non ab operculis, ne ſub cochlea habenæ abrumpantur, ſed à priori transuerſario, annulis propè ipſum affixis. Aperiantur item opercula, capitaq; funium ad axem alligata excipiantur, hæc quidem à ſuperiori parte, illa uerò ab inferiori: ac deinceps, ubi reſtituere uolumus, ſubſellium propè ſcalam ponatur, ſuper quod homo aſcendens brachium ſic traijciat, ut indatur cuneus in alam: Circumligetur inſuper humero charcheſius laqueus, uel alius æqualiter extendens, eiusq; capita ducantur ad ſuperiora funium capita, ut Machinationum motu, aut directis ductionibus ab inferiori parte intendamus, aut alio intercedente motu, aut per duos contrarios motus interiectos, hoc modo. Laquei capita per inferiores trochleas traijciantur, & cum funium capitibus colligentur, quo rurſus fit, ut machinationes motæ, alio intercedente motu ab inferiori parte extendant: uerùm ſi per ſuperiores laquei capita traijciantur, deinceps per inferiores demiſſa, ad funiũ capita uinciantur, rurſus machinationum motus per duos contrarios motus interiectos, ab inferiori parte extendit. Impulſus uerò, quos deinde res poſtulat, fiunt, quemadmodum dictũ eſt, ubi humerus in alam prolabitur, & per duplicem habenam extrahendo, & intentione remiſſa per manus ſurſum compellendo. Retulerunt alij organum hoc, ubi à ſuperiori parte extendere uolumus, idoneum eſſe, transferunt enim ipſum ad ſuperiorem partem ſupra caput, cuneumq; ad gradum adhærentem, ſolutum tamen, in alam conijciunt, deinde capita funium cunei, ad inferiora capita funium organi religant, & charcheſium laqueum humero inijciunt, cuius capita deorſum adducta ad imum ſcalę gradum immobilem deuinciunt, ut per hæc retinaculis adhibitis directis ductionibus à ſuperiori parte intendant. Licet etiam organo ab inferiori parte alligato à ſuperiori extendere alio intercedente motu, alligatis enim laquei capitibus, ut (quemadmodum dictum eſt) retinacula ſint, cunei funium capita per trochleas traiecta cum ſuperioribus capitibus funium organi uinciunt, ut machinationibus motis alio intercedente motu à ſuperiori parte extendãt, aut laquei capitibus nõ amplius retinaculi uicẽ exhibentib⁹, ſed ad funiũ organi capita alligatis, uel ad ſuperiora directis ductionibus, uel alio intercedente motu ad inferiora idem præſtent, cumq; abunde extendunt, eoſdem adhibent impulſus, quos paulo ante propoſuimus. Quę relata ſunt, adſcripſimus, probamus autem, & in hoc, quod de Nilei Plinthio diximus, ubi ſcala erecta collocetur, intentionem ab inferiori parte adhiberi, cuneo ad ſcalam alligato: eam uerò, quæ uel à ſuperiori parte trahit, uel in diuerſa deducit, ex toto prætermitti, eiuſmodi ſiquidem imbecilles ſunt. Quòd ſi homo iaceat, ſic interdum cenſui luxatum reponi. Contentus ſum propoſitis reponendi rationibus exempli cauſa propter organi motum huc allatis. Omnia enim luxata per hoc quoq; inſtrumentum reponi poſſunt, non ſecus ac per Nilei Plinthium. Vtriuſq; machinationes ſunt diuerſæ, ſed reponendi rationes eædem, ſic, ut liceat ex ſuperioribus uniuerſum huius organi motum intelligere.

Triſpaſtum Apellidis, ſeu Archimedis. XXIIII.

ILlud in primis ſcire conuenit, quod neq; Apellides, neq; Archimedes medici fuerunt, ſed architecti, qui machinamentum hoc excogitarunt (quemadmodum nos accepimus de hiſtoria) ad naues deducendas funibus non per manus, ſed per ergatam attractus, illius autem ſeculi medici eius ſtructuræ modum minuen-

fluentes triſpaſtum organum medicinale ad luxata, fractaq; reſtituenda fabricarunt in hunc modum. Totum organum ex eorum genere eſt, quæ oblonga quadrata nuncupantur, eſt autem hoc modo cópactum: duo latera longa palmos quatuor, digiti craſsitudine inter ſe coagmentantur per tranſuerſaria longa palmos duos, craſſa digitum. Latitudo potiſsimum poſterioris tranſuerſarij ſex digitos æquat: prioris propter opercula palmos duos. Vt retulit autem Paſicrates, media latera excauata ſunt, cauis non nimis altè penetrantibus, quibus duo axes includuntur, rotas habentes in uicinia laterum. Vtriuſque axis rotæ perforatæ ſunt, peruijs foraminibus, quæ non alia de cauſa facta ſunt, niſi ut in ea funes immittantur, quorum ratio hæc eſt: Funes duo extrema parte nodum accipientes, coniecti in prioris axis foramina attrahuntur ita, ut nodi ſuper foramina collocentur: tum funes circa ſuas uterq; rotas inuoluũtur, & per poſterioris axis foramina traiecti nodũ accipiũt. Poſterior axis medius inter rotas foramé habet, in quod rurſus funis conijci debet: ſumitur funis longus, qui ab utraque extremitate nodum acceperit, deinceps per propoſitum foramen traijcitur ſic, ut nodus foramini iungatur, poſt hæc circa medium axem inuoluitur, quo facto altera eius extremitas per poſterius tranſuerſarium, quod medium perforatum ſit, traijcitur. At quid nunc fit fune traiecto? manu tractus euolutusq; poſteriorem axem conuertit, quo conuerſo alia capita funium, qui extra procedunt, ducuntur. Adhibentur autem funes quatuor, duo, & item duo, atque ad hunc modum immittuntur. Sumũtur funes duo, qui extrema parte nodum acceperint, & per duo foramina prioris axis, quæ inter rotas ſunt, traijciuntur, attrahunturq; ſic, ut nodi foramina contingant, tuncq; funium capita per prius tranſuerſarium perforatum ab interiori parte uerſus exteriorem traijciuntur: aut prehenditur funis unus duplex, cuius capita coniecta in prioris axis foramina attrahuntur, ut medius funis inter foramina ſtatuatur, poſtea eiuſdem funis capita traijciuntur per foramina tranſuerſarij prioris. Duo item alij funes ſumuntur nodo extrema parte deuincti, hi per foramina inter rotas poſterioris axis facta, & à medio foramine recedentia attrahuntur, qui deinde, ubi eorum nodi ad foramina peruenerint, tunc ducũtur traijciunturq; per poſterius tranſuerſarium perforatum ſic, ut quinq; nunc ſint, funium, quæ extra feruntur, capita, duo per prius tranſuerſarium, tria per poſterius. His poſterioribus manu attractis, incluſisq; funibus (ut dictum eſt) inuolutis atq; euolutis, capita eorum, qui exterius ferebantur, ducuntur, extenduntq; capita habenarum, quibus diſtenditur corpus. Huiuſmodi organi ſtructuram Paſicrates exponens reprehendit tanquam minimè efficacé: uniuerſum enim organi opus conſiſtit in ductione funis poſterioris, qui manu attrahitur, at nequit manus in reſtituendis luxatis uim tantam ſuſtinere, præſertim ubi magni articuli ſunt, & corpora robuſta. Quamobré organi ſtructurã immutauit, duosq; axes, qui incluſi erant, ita ſtruxit, ut penetrarent, & priorem, minoré exiguis capitibus extanté, poſteriorem maiorem & longiora capita habentem, & ad prioris quidem axis extantia capita clauos confixit: poſteriori uerò uectes adiecit: demiſsis axibus duobus digitis machinamentum in reſtituendo ſic mouit. Habenas extendendis corporibus iniectas ad extantia prioris axis capita deligauit: ut poſteriori axe conuerſo prior moueretur, & euolutis inuolutisq; funibus nerui extenderentur. Sed Ariſtion Paſicratis filius patri aduerſatur, ut uetuſtam organi ſtructuram ignoranti. In uetuſta enim (inquit) organi ſtructura, axes non mouebantur in laterũ cauis, ſed circa ferreos chodaces affixos lateribus, in capreoli formam excauatis, quod uidere licet in organis ad aquam hauriendam comparatis, quæ ob fabricationis rationem facilè conuertuntur, neq; tamen rotæ in ſe continent armillam, ſed chodacem. Quoniam igitur axes per armillas mouentur circa chodaces & rotæ, per chodaces circa armillas axes promptè admodum uerſabun-

tur,atq; idcirco ſine impedimento erunt, etiamſi funis manu ducatur. Ob id autem ipſum triſpaſtum organum appellatum eſt, quoniã tres funes agunt, unus quidem extra ductus, duo incluſi. Hactenus ipſe probabiliter ſcripſit, ſed uera ſunt, quæ à Paſicrate adducuntur, non enim poteſt manus funem ducens bene reſtituere, ſed fortaſſe monſtrationis cauſa in ludo organum mouere, uis autem, quæ in reſtituendo requiritur, per manum minimè poterit adhiberi, atque ea de cauſa iiſdem omnibus factis, quæ in uetuſta ſcriptura ſunt oſtenſa, tertiũ axem organo adijciendum iudicauimus, cuius capita traiecta per latera eſſent, ut poſterior axis nunc medius fiat, medius autem perforetur, in extantibus capitibus uectes demittantur, uel manubriola, aut bacula ductaria: medius uerò funis poſterior, ubi circa axem eſt inuolutus, traijcitur per foramen axis penetrantus, ſuoq; ibi capite alligatur. His ita conſtitutis conuerſus poſterior axis, ille inquam cuius capita extant, funem circa ſe inuoluit, quo fit, ut medius axis moueatur, quo moto prior quoque axis mouetur. Tribus axibus conuerſis, funium, qui extra ducuntur, capita tenduntur, cum quibus uinciuntur habenæ, quæ corpora extendunt. Habet item organum opercula, ueluti gloſſocomũ, ne machinationes oculis exponantur, atq; item annulos ad latera affixos, quibus alligetur. Hæc eſt uniuerſi triſpaſti fabricatio. Reſtituendi autem modi aptantur ijdem, quos poſuimus in gloſſocomo, diſtat enim ſolũ, quibus mouetur, machinationibus: præterea funium eadem eſt ductio, habenis ad eos alligatis. Sed iam triſpaſti fabricationem explicatam habemus.




A Duo latera.
B Prius tranſuerſarium.
C Poſterius tranſuerſarium.
D Duo axes habentes rotas in uicinia laterum.
E Funes circa rotas inuoluti.
F Funis coniectus in foramẽ medium inter rotas poſterioris axis.
G Funis duplex, cuius capita traiecta per foramina prioris axis per prioris trãſuerſarij foramina traijciunt.
H Tertius axis, cuius capita traiecta ſint per latera.
I Vectes in extantibus capitibus demiſſi.
K Annuli ad latera affixi.

Fabri organum. XXV.


FAbri organum ad hunc modum fit: ſuper baſim, quæ *κρηπὶς* nominatur, pro organo dimenſam ſtatuuntur crura duo, quorũ longitudo duos cubitos & ſemiſſem æquat, aut etiam excedit: latitudo implet digitos quatuor: craſſitudo tres. Crura hęc per duo trãſuerſaria inter ſe coagmentant, altero ab inferiori parte, quod quinq; palmos à baſi recedat, altero à ſuperiori, qua crura finiuntur. Inferiori tranſuerſario ſubijcitur aſſer tranſuerſus, qui & cum lateribus organi, & cum tranſuerſario committitur, hunc aſſerem ſedile cõſueuerunt omnes appellare, cuius medium ad tranſuerſariũ exciditur ad effigiem λ. inuerſi, qua parte tranſuerſario infigitur æneum λ. Accõmodatur tam cauum, quàm λ. demittendo

tendo priapiſcô octo digitos longo. Inter tranſuerſaria ab interiori parte crurũ canaliculi excauantur, in quibus, dum luxata reponuntur, moueatur quadrata teſtudo, ſpatham & cubitos mouens. Quandoquidẽ prior pars teſtudinis (frontem dicunt) peruio foramine pertunditur, in quod radix conijcitur, cuius extremum qua extenuatur, ad poſteriorem teſtudinis partem per craſsitudinem traijcitur. Propoſita pars radicis peruio foramine pertunditur, per quod fibula demittitur, ne radix euellatur, ſed manens in foramine torqueatur. Fibula autẽ in extrema radice ſcutulo ſuperpoſito includitur. Radix eò pertinet, ut ſpathã in organo ſuſtineat, habet enim organum ſpatham capitulo leniter cauo aſſurgentem, ita longam, ut à teſtudine ad ſuperius tranſuerſarium, quod caput nominatur, pertineat, & cuneati axis modo excedat. Huius ſpathę extremitas, quę contra capitulum eſt, media in quadratam figuram exciditur, atq; in id cauum includitur radicis extremitas lata, quæ perforatur. Perforatur itẽ ſpatha ab uno latere ad alterum, in quod foramen fibula demittitur, ut ſpatham detineat ad radicem. Ipſa uerò teſtudo iuxta mediũ pertunditur foraminibus quatuor, uel ordine diſpoſitis, uel duobus à priori parte, totidem à poſteriori conſtitutis, quæ non alia de cauſa fiunt, niſi ut funes in ea indantur, ut in ſequentibus oſtendam. Medium caput, hoc eſt ſuperius tranſuerſarium, in quadratam figuram excauatur, in quod cauum duplex trochlea inditur, quæ circa axiculum uerſatur. Habet item ſuperius tranſuerſariũ duo alia caua quadrata peruia, nempe ab utroque trochleæ latere unum, in quæ conijciuntur quadratæ cubitorum partes, duo enim cubiti per ſuperius tranſuerſarium demittuntur deorſum, & teſtudini inhærent, quæ quadrata caua in ſummo habet. Imas cubitorum partes quadratas tenuésque architecti calces nuncuparunt: ſuperiores latas ac rotundas dixerunt alas. In alas ergo cubitorum, quæ ſuperius tranſuerſarium excedunt, & peruijs foraminibus pertuſæ ſunt, axis conijcitur, cuius capita utrinque excedunt, medium cuneatum eſt, in extremis capitibus uectes ſunt, uel manubriola ductaria, quibus conuertatur. Alarum partes priores iuxta foramina & axis capita rurſus forantur, ut ſi quando opus ſit in foramina fibulæ demiſſæ ſeruent axem immobilem. Organo præterea iuxta crurum extremitates alia duo ſunt adiuncta crura, ut ſi quando ſedilis uicem exhibeat, ſuper baſim atque adiuncta crura iaceat. Verùm quia teſtudo per funem elata, & cubitos & ſpatham attollit, in ſequentibus qua ratione funis indatur, adijciam. Sumitur funis duplex, cuius capita per duo foramina, quæ uel iuxta cubitos ſunt, uel à priori parte, uel à poſteriori, uel in medio traijciuntur, uel ab inferiori parte ſurſum adducuntur ſic, ut medius funis inter foramina collocetur, deinde capita ſurſum feruntur, & circa duplicem trochleam prioris tranſuerſarij inuoluuntur, atque (ut dictum eſt) permutata deorſum procedunt, & ad clauos penetrantis axis religantur, continetur enim organo Fabri, alius axis coniectus in crura, quæ ſuper tranſuerſarium inferius digitis quinque interpoſitis perforata ſunt. In axis medio duo claui ſunt infixi in extãtibus capitib. uectes uel manubriola ductaria, quibus cõuertitur axis, cuius conuerſio per funes teſtudinẽ attollit, atq; unà cum ſpatha ſimul cubiti & axis, qui alis continetur, ſurſum feruntur ad luxata, quæ à ſuperiori parte extenta in ſuam ſedem collocantur. Huiuſmodi eſt antiqua ſtructura organi, quod ad Fabrum refertur auctorem.

FABRI ORGAMVM.




FABRI ORGANVM.



- A Baſis.
- B Crura duo.
- C Tranſuerſarium ſuperius.
- D Tranſuerſarium inferius.
- E Aſſer tranſuerſus ſubiectus inferiori tranſuerſario.
- F Medium aſſeris exciſi ad forma x. inuerſi.
- G Priapiſcus.
- H Canaliculi excauati ab interiori parte cruriū.
- I Quadrata teſtudo.
- K Spatha.
- L Cubiti.
- M Prior pars teſtudinis peruio foramine pertuſa.
- N Radix.
- O Fibula demiſſa per radicem.
- P Capitulū ſpathæ cuneati axis modo.
- Q Extremitas ſpathæ in quadratam figuram perforata.
- R Foramina quatuor teſtudinis.
- S Duplex trochlea indita in cauum ſuperioris tranſuerſarij.
- T Caua duo quadrata ſuperioris tranſuerſarij, in quæ demittūtur cubiti.
- V Imæ partes cubitorum quadratæ.
- X Superiores cubitorum partes rotundæ, quæ alæ dicuntur.
- Y Axis in alas cubitorum demiſſus.
- Z Fibulæ demiſſæ in alas perforatas, quæ axem immobilem ſeruent.
- a Alia duo crura adiuncta.
- b Funis duplex.
- c Alius axis, qui in cruribus continetur.
- d Vectes, quibus conuertitur axis.
- e Trochleæ binæ ad baſim.
- f Binæ trochleæ ad ſumma crura.
- g Cuneus.

De motu organi. XXVIII.

CVm erecta organa compararentur ad reponendum humeri caput excitando,& alijs quoque modis idonea ſint,de humeri capite reſtituendo tracta re conſtitui:ordiar autem ab eo caſu,ſub quo in alam prolabitur. Verùm,ut organi motum perfectum habeamus, quaternæ trochleæ organo adijcientur, binæ ab inferiori parte, qua baſis ſurſum ſpectat, totidem à ſuperiori ad ſumma crura. Vbi ergo luxatum reſtituere uolumus, cuneata pars axis primum lana uel linteo circumdetur, ſubſelliumq́ iuxta organum ponatur, ſuper quod homo aſcendat,deinceps uinciantur crura quidem habena inter ſe, ſed integrum brachium extentum, ad latus: in foramina autem alarum indantur fibulæ, ut axis ſeruetur immobilis,uſque dum eo moto opus erit. His ita conſtitutis brachium ſuper axem imponatur, atque ubi cuneata pars axis in alam coniecta ſit, laqueus charcheſius, uel alius æqualiter extendens humero inijciatur, eiusq́ capita deorſum adducta, ad clauum eius axis, qui cruribus annectitur, alligentur, fune non amplius indito, quemadmodum in organi fabricatione retulimus,axis conuerſio directa ductione ab inferiori parte extendet: id quod etiam, alio intercedente motu,ad hunc modum fit. Laquei capita primo per inferiores trochleas traducuntur, inde ſurſum data ad clauos axis alligantur, ut hic uerſatus propoſitam intentionem moliatur. Idem quoque efficitur duplici contrario motu interiecto, laquei enim capita per inferiores trochleas traiecta ad ſuperiores feruntur, inde ad axis clauos uinciuntur, ut duplici contrario motu interiecto ab inferiori parte extendant. Tales ſunt modi, quibus ab inferiori parte intendimus. Si quis autem à ſuperiori intendere uoluerit, fune in teſtudinem coniecto, uelut in organi ſtructura poſuimus, laquei capita deorſum adducat, & tanquam retinacula ad aliquid immobile deuinciat: poſt hæc axem conuertat: quo conuerſo teſtudo alio motu intercedente, per funem elata à ſuperiori parte intendet. Ex his quoque ille modus comprehenditur, qui in diuerſa extendit, hic non amplius requirit, ut capita retinacula ſint, ſed ab inferiori parte ad axis clauos uinciantur, uel per ſe uel alio motu intercedente, ut per unum machinationis motum, propoſitus extendendi modus adhibeatur. Seruetur autem in intendendo axis immobilis, quemadmodum declarauimus. Poſtquam abundè intenderimus, fibulæ, quæ moueri illum non patiebantur, recipiendæ ſunt, atque ipſe per uectes uel manubriola ductaria conuertendus, ut cuneo aliqua ex parte inclinato, extrahendo impellamus, ſicut in alijs organis oſtendimus: poſt hæc dum reſtituimus humero deorſum intento, miniſter à poſteriori parte aſsiſtens, manus det ad ceruices hominis, ut corpus uerſus pedum regionem cogat in contrariam partem. Verùm, ubi reſtituimus, miniſtro id præſtante, quod oſtendimus, ſubſellium pedibus hominis ſubiectum ſubtrahatur, ut ipſe ſuſpendatur ab organo, tum (ut alibi dictum eſt) eodem momento, quo ab inferiori parte extendimus, atque excitamus,



per cuneum extrahendo impellemus,deinde intentione remiſſa ſurſum cogemus,utraq; manu membro comprehenſo,&,ut in ſuum locum recondatur, elato.Hac igitur ratione humeri caput in alam prolapſum reſtituitur.

Verùm ſi in priorem partem aut poſteriorem ueniat,uertere ſic axem oportet,ut quod ex eo cuneatum eſt,deorſum ſpectet,ſurſum,quod æquum eſt:hoc ſiquidem nunc aptatur ad reponendum humeri caput, quod in propoſitas partes eruperit. Eo facto homo ſuper ſubſellium, quod iuxta ſit, aſcendens brachium ſuperponat ſic, ut axi inſidat:eędémque intendendi rationes adhibeantur,quæ traditæ ſunt,ubi in alam excidit.Neruis abundè diductis impulſus conuenit,quem in aliorum organorum motione monſtrauimus.

Sed ſi neque cubiti ſint,neque axis in alas conìectus, humeri caput in alam prolapſum ita reſtituitur. Agitatur ſpatha ſic, ut capitulum eius, perinde atque cuneata pars axis ſuperius tranſuerſarium excedat, tum duplex habena media inter ſpatham & tranſuerſarium datur, cuius capita ab exteriori parte pendent. In reſtituendo autem, æger ad organum aſsiſtens, brachium ſuper tranſuerſarium imponit ſic, ut ſpatha in alam indatur, poſthæc charcheſius laqueus, uel alius æqualiter extendens humero inijcitur: cuius capita deorſum demiſſa ad tranſuerſarium ut retinacula deligantur: fune ad teſtudinem dato axis conuerſus teſtudinem,cumq; ea ſpatham attollens à ſuperiori parte extendit. Aptatur item ille extendendi modus, qui in diuerſa ducit: laquei capita mutata ad axem alligantur, tunc ſiquidem conuerſus axis in diuerſa diducet. Poſtquam ſatis extenderimus, duplicis habenæ capita continenda ſunt, & per hanc ipſa ſpatha, ut per ſpatham extrahendo impellamus. Quo facto intentio remittenda eſt, membrumq; ſurſum adducendum, ut quàm celerrimè in ſuum locum articulus collocetur. At ſi organum non ſpatham habeat, non cubitos, non axem illis contentum, humeri caput in alam ueniens per cuneum ſic reponi debet. Cuneus in quem funes coniecti ſint, ſuperiori tranſuerſario inſidat, & per funes ad ipſum uinciatur, deinceps æger brachium ſuperimponat,cuneusq; in alam conijciatur, quo coniecto laqueus charcheſius humero circumligetur, eiusq; capita deorſum demiſſa dentur ad axem,qui cruribus continetur, ut axis uerſatio ab inferiori parte extendat. At ubi ſatis intenderit, impellere oportet, uelut in alijs organis demonſtrauimus, aut extrahendo, aut ſurſum compellẽdo,qui modi cum ab inferiori parte extendimus, potiſsimum ad rem pertinent. Placuit alijs per teſtudinem ita reponere: funem primo reſoluunt ipſumq; duplicant,cuius duplicati capita per duo teſtudinis foramina traijciunt, à ſuperiori parte deorſum, & ad inferioris axis clauos alligant: attollunt iaque teſtudinem propè ſuperius tranſuerſarium,tuncq; reſtituendum brachium ſuperinijciunt,cuneumq; in alam demittunt, poſt hæc brachium per palmam iuncturam ad teſtudinem uinciunt. His ita conſtitutis, inferior axis conuertitur, teſtudoq; à ſubiecto fune deorſum uerſus attracta ab inferiori parte ducit. quo pacto intentio quidem ab inferiori parte adhibetur, ſed humero ad teſtudinem alligato prohibetur conueniens impulſus.

Cubito in illas tres partes elapſo, ubi brachium curuatur, interiorem inquam,exteriorem,& poſteriorem, iuxta organum ab omni parte præparatum ſtare æger ſuper ſubſellium debet, atque axis conuerti ſic, ut pars eius, quæ cuneata eſt, deorſum ſpectet,ſurſum quæ æqua, dehinc brachium dare ſuper axẽ. Quo facto humerus ad axem per palmam iuncturam deligandus eſt: brachio uerò in uicinia manus inijciendus eſt laqueus inæqualiter extendens,eiusq; capita ſurſum adducenda, & ad alam,uel ad extans caput axis è regione alliganda: brachio ſic ad rectum angulum figurato, habenæ uel latæ faſciæ medium ad eam regionem detur, quæ proximè ſub cubito eſt, cuius capita deorſum ad axem porrigantur. Quod ad extendendum pertinet, ijdem modi conueniunt,

quos,


quos,ubi humeri caput reſtituitur, oſtendimus,nunc ſiquidem licebit,uel continendo, & à ſuperiori parte extendendo, uel in diuerſa ducendo uim adhibere,qua abundè adhibita eadem impellendi ratio accommodatur, quæ tradita eſt, ubi de aliorum organorum motu pertractauimus. At ſi cubitus in priorem partem moueatur,in quo caſu brachium extenditur, membro ſuperimpoſito, humerus ad axem deligetur,tunc charcheſius laqueus, uel alius æqualiter extendens brachio inijciatur, eiusq; capita deorſum ferantur, eadem intendendi ratio adhibeatur: poſt idem impellendi modus expeditiſsimus, quem in tractandis organis demonſtrauimus. Propriè autem ſpatha plurimum uidetur ad cubitum reſtituendum pertinere. Videamus autem, quo modo ubi neque cubiti in organo ſint, neque axis in alis contineatur, opus hoc efficiendum ſit. Funis igitur reſoluitur, duplicaturq;, & eius capita per duo foramina teſtudinis à ſuperiori parte deorſum traiecta, ad axis clauos alligantur. Teſtudo autem, cum ſpatha propè ſuperius tranſuerſarium attollitur, dein ſpatha toquetur, & brachium ſuper tranſuerſarium, cui lana circumdata ſit, imponitur, humerusq; ad tranſuerſarium per palmam iuncturam alligatur, brachium uerò ad ſpatham toto membro curuato. Conuertitur igitur axis cruribus contentus, teſtudóque deorſum uerſus à fune coacta ſpatham ſimiliter deorſum adducit, ſicq; ab inferiori parte intendimus. At,ubi ſatis extẽderimus,aptatur impulſus, quẽ paulo ſuprà poſuimus,:ſi in exteriorẽ uel interiorẽ partẽ cubitus elabat̃,adducendo:ſi in poſteriorẽ extrahendo. Porrò ab inferiori parte extendere poſſumus,impulſu aũt,eo quod brachiũ deuinctum ſit,ad ſpatham extrinſecus prohibemur,niſi cũ radix euelli ex foramine poſsit,extrahẽdo impellamus. Magis autem accommodatur ſpatha,ubi cubitus in priorem erupit, quem ſi reſtituere uelimus, funem demittere ſimiliter oportet, ſinereq; ut ſpatha dependeat, deinde membro ſuperiniecto,humerum ad tranſuerſarium deuincire, brachium uerò ad ſpatham, poſt hæc ab inferiori parte extendere, ui, quantum res poſtulat,adhibita impellere, ante quidem premendo, tum circumducendo, ſpatha cum brachio torta curuataq; premendi cauſa. Hactenus de cubito luxato.

Ex Ruffo ſcamnum Hippocratis. XXIX.

HIppocrates maximè admiratione dignus multis in locis ſuum organum ξύλον appellauit in quibuſdam etiam χεδίαν: recentiores id βάθρον, id eſt, ſcamnum, dixerunt, eoq; affixis cruribus & pro organo & pro ſcamno uſi ſunt ſtruitur autem ſic. Paratur lignum ſex cubitos longum, latũ duos, nouem digitorum craſsitudine, reſupinaturq;, & quatuor alia ligna pedem longa extremis partibus rotunda, duo ſcilicet & duo cuius eius extremis iunguntur, huiuſmodi ligna, quæ φλιαὶ ab Hippocrate uocantur in latitudine peruijs foraminibus pertundũtur, qui bus continentur penetrantes axes in medio clauos habentes, & in extantibus capitibus manubriola ductaria ad conuertendum. Totum lignum in medio uſque ad alteram partem quatuor digitorum ſpatio iniecto caua habet, quorum altitudo pariter & latitudo treis digitos æquet: caua hæc Hippocrates καπέτους nuncupauit.

Scamnum Hippocratis.

A LIGNVM QVADRANGVLVM SEX CVBITORVM, LATITVDINE BICVBITALI, CRASSITVDINE DODRANTALI.
B POSTES BREVES AXES HABENTES.
C FOSSVLAE.
D LIGNVM TERES IN MEDIO CAVO INFIXVM.
E POSTES PEDALES LIGNVM TRANSVERSVM TANQVAM SCALAE GRADVM CONTINENT.



Medium præterea lignum altè in quadratam figuram excauatur, quo ſcalmus demittitur, qui priapiſcus uocatur. Alias item φλιὰς in medio ad ſimilitudinem literæ π, non inutiliter adiectas. Structura igitur, Paſicrate auctore huiuſmodi eſt, cui deinceps ſubdam, qua ratione moueatur ſcamnum Hippocratis, quod, ubi uetuſtam ſtructuram habeat, homine iacente, ad luxata omnia reſtituenda idoneum eſt, ut dum ſingula exequar, declarabo.

De maxilla reſtituenda. XXX.

MAxilla excidente, ſiue ab altera parte, ſiue ab utraq; homo reſupinatur ſic, ut caput iuxta axem, qui ab eius parte eſt, collocetur, brachijs ad pectus, atq; abdomen alligatis, cruribuſq; inter ſe, & omnibus ad ſcamnum organum deuinctis. Tum capiti ea iunctura imponitur, quæ lepus auritus dicitur, eiuſq; ſinus ad ea ligna, quę proximū axem ſuſtinent, ut retinacula ſint, deligantur: media habena in os inditur, quantum poteſt intima, iuxta eam regionem, qua maxilla cum malis cōmittitur, inter dentes maxillares, eiuſq; capita deorſum demiſſa ad axem, qui à pedibus eſt, alligātur, aliaq; habena media mentum complectitur, & in utramque partem ultra caput adducta ad axem, qui ſuper ipſum eſt, diducendi cauſa deuincitur. His ita conſtitutis, inferior axis torquetur, ut continendo, & ab inferiori parte extendendo uis adhibeatur. Poſtquā intenderis, quantum res poſtulat, ad eos impellēdi modos uenies, quos in opere de articulis expoſuimus. Si maxilla quidem ab una parte exciderit, tria efficies, adduces, premes, & ſurſum compelles: ſin ab utraq; extrema mota fuerint, premere conueniet, & ſurſum compellere. Hæc de maxilla, nunc uenio ad humeri caput.



A Iunctura lepus auritus.
B Sinus leporis deligati ad ea ligna, quę ſuſtinent axem proximum, ut retinacula ſint.
C Habena, quæ media in os inditur.
D Capita habenæ alligata ad axem qui à pedibus eſt.
E Alia habena, quæ media mentum complectitur.
F Habenæ alterius capita diducēdi cauſa ad axem deuincta.

De humeri capite in alam prolapſo. XXXI.

VBicunq; humeri caput reſtituimus, ſi in alam uel in priorem partē uenerit, reſupinare hominem debemus: ſi in poſteriorem, pronū collocare. Vbi ergo in alā prolapſum reſtituimus, cuneus eò immittendus eſt, ſic, ut qua capitulum aſſurgit rotundum ac leniter cauū, in priorem partem ſpectet, qua æquus eſt, in poſteriorē: expedit autem cuneū, ut mollior ſit, linteo uel lana inuoluere, Omne enim lignum (auctore Hippocrate) durū eſt & tactu lædit, atque hac de

cauſa potiſsimum lana circumdatur. Adde quod hæc ſudorem abſorbet, qui in ala oritur & ob curationis metum, & ob calorem eius partis naturalem, qui ad diducendum confert: & quod cuneum labi non patitur. Deinde funium capita, hæc quidem à priori parte, illa uerò à poſteriori ſuper caput ad axem adducenda. Media item habena ſub ala inter cuneum & humerum danda eſt, uel ut alijs placuit) inter cuneum & latera, eiuſq; capita ab exteriori parte attrahenda. Ipſi autem humero charcheſius laqueus, uel alius æqualiter extendens, inijciendus non qua laceratus eſt, ne cum neruoſus ſit, ſi adſtringatur, doleat: ſed ſupra uel infra. Plerique ſuperiorem regionem anteponunt tanquam magis idoneam, quod proximè ad articulũ accedat, ſed locus hic ad curationem minus accommodatur, prohibet enim rectum impulſum. Sub muſculo igitur deligandum cenſemus, & ob hanc cauſam, & propterea quod locus, qui iuxta adſtringitur, ægrè laxatur, quæ uerò mediocri interiecto ſpatio attrahuntur facilè ſequuntur. Expedit autem, ut laqueus mollius inſidat, humerum lana obuoluere, deinde laqueum inijcere: tubercula enim cubito ſubiecta prohibent, quo minus laqueus ſub extendentium ui deorſum labatur. His ita conſtitutis laquei capita deorſum demiſſa è regione ad axis clauum alliganda ſunt uel circa ipſum obuoluta, uel nodo inter ſe deuincta: magis autem ad rem pertinent, ubi inter ſe alligato clauo circumponuntur, tunc ſiquidem opus ſuum firmius præſtant: neceſſe autem eſt, uel continere, & ſeu ab inferiori, ſeu à ſuperiori parte extendere, uel per organi axes in diuerſa contendere. Abundè ui adhibita, primum conuenit impellere, per duplicem habenam extrahendo: & eodem, quo extrahimus, momento cubitum altera manu ab exteriori parte in interiorem agere, intentione adhuc manente: tum hac remiſſa laxatáque, manibus ſurſum compellere. At ſi caput humeri in priorem partem moueatur, hominem ſupinum collocamus: pronum ſi in poſteriorem, cuneóque omiſſo, medium duplicatæ habenæ lana inuolutum ſub alam demittimus, capitáque eius ſupra caput adducimus, non è regione humeri uitiati, ſed uerſus contrariam partem, homine reſupinato, ſi in priorem partem articulus exciderit. Quæſita autem cauſa eſt, quamobrem id fiat: Paſicrates quidem id propterea fieri dixit, ne humerus detineatur habena è regione ſurſum uerſus attracta: recentiores non ea de cauſa, capita obliquè ducenda eſſe dixerunt, ſed ne corpora, quibus ala continetur, compreſſa lati ſcapularum oſsis ſinum impleant: nobis uerò cum omnibus conuenit, capita obliquè danda eſſe ad contrariæ partis ligna, quibus axis continetur. Rurſus autem humero charcheſius laqueus inijciatur, uel alius, qui æqualiter extendat, eiúſque capita deorſum ad axem qui à pedibus eſt, demittantur, ut uel retinaculis adhibitis ab inferiori parte intendamus, uel (ſi placeat) in diuerſa contendamus. Conuenit autem impulſus, quemadmodum ſuprà declarauimus manibus præcipuè adducendo, comprimendóque. Similiter autem ubi humeri caput in poſteriorem partem moueatur, homine prono eadem moliri conuenit, quæ, ubi in priorem uenit, tradita ſunt. At ubi ſatis extenderimus, manibus premere, & adducere, & ſurſum compellere neceſſarium eſt.



A Cuneus.
B Funium capita ad axem ſupra caput adducta.
C Habena media inter cuneum & humerum data.
D Charcheſius laqueus humero iniectus.
E Laquei capita ad axem, qui à pedibus eſt alligata.

De humero luxato comminutoque.
XXXII.

NOnnunquã accidit, ut prolapſo humero fractura quoq; adijciatur mẽbro medio cõminuto, in quo caſu recõdere articulũ oportet, & fracturã componere. Quod ad reponendum pertinet, retinaculo uti expedit, & à ſuperiori parte extẽdere: quod ad fracturã, ſimiliter uti retinaculo, & ab inferiori parte attrahere: ſed ante reſtituere quod prolapſum eſt, oportet: deinde quod fractũ. Ergo ubi uolumus, quod prolapſum eſt condere, cuneũ in alam indimus, capitaq; funium ſuper caput attrahimus, ac mediã habenam inter cuneum, & humerũ demittimus, cuius caput ab exteriori parte procedant. Tum infra cuneũ ac ſuper fracturam charcheſium laqueũ inijcimus, eiusq; capita deorſum ad ligna, quæ axem ſuſtinent, ad retinendũ, alligamus: ſed funiũ capita ad axem, qui ſuper caput eſt, uincimus, ut eo conuerſo & contineamus, & à ſuperiori parte extendamus. Neruis abundè intentis per conuenientẽ impulſum articulũ reſtituimus: quo facto, laquei capita ſuper caput data, retinacula fiũt, & alter laqueus ęqualiter extendẽs, cuiuſmodi charcheſius eſt, humero inijcitur, cuius capita demiſſa ad axem, qui à pedibus eſt, uinciuntur, ut & retinendo, & à ſuperiori parte extendendo uis adhibeatur. Neque nunc eſt quod timeamus, ne fractura ab inferiori parte attracta repoſitus articulus excidat: ſiquidem, cum à ſuperiori parte tam à cuneo quàm à ſuperiori laqueo retineatur. Vi ſatis adhibita fracturam manibus componimus, quemadmodum ſæpius indicauimus. Quòd ſi humeri caput in priorem uel poſteriorem partem uenerit, ubi reſtituitur, eaſdem animaduerſiones deſiderat. Hactenus de humeri capite.

De cubito. *XXXIII.*

CVbito in illas tres partes elapſo, in quas ubi uenit, brachium curuum eſt, neque extenditur, in interiorẽ exteriorem & poſteriorem, homo ſuper organum reſupinetur, quo commodè figurato charcheſius laqueus, uel alius æqualiter intendens humero circumdetur, cuius capita ut retinacula ſint, ſurſum ſuper caput uinciãtur, brachio autem in uicinia manus laqueus inijciatur, qui inæqualiter extendat, puta Attollens, Chiaſtus, aut Nauticus, cuius capita ſurſum adducta ad ligna, quibus axis continetur, religentur, utrunque ſcilicet ad id, ad quod ſpectat è regione ſic, ut cubitus cum humero ad rectum angulum figuretur. Tum duplicatæ habenæ, ſeu latæ faſciæ medium ad brachiũ denturiuxta cubiti iuncturam, cuius capita ad axem, qui à pedibus eſt, uincianrur.

Datis

Datis igitur capitibus laquei, ad ſuperiora, duplicatæ habenæ, ad inferiorã, binisq; axibus uno ſuper caput, altero iuxta pedes collocato, uim adhibebimus, uel continendo, & à ſuperiori, uel inferiori parte attrahendo, uel in diuerſa ducendo: eaq; ratione impellemus, quæ reponendo articulo idonea ſit. Vbi in interiorem uel exteriorem partem conuertatur, adducemus: ubi in poſteriorem, extrahemus. Quòd ſi in priorem partem articulus elabatur, in quo caſu curuari extentum brachium nequit, homo ſupinus iaceat in uitiatam partem inclinatus, brachio ſuper ſcamnum extento charcheſius laqueus humero inijciatur, cuius capita ſuper caput procedant, extremo item brachio in uicinia manus alius detur laqueus, qui ęqualiter extendat, cuius capita deorſum attrahantur, itẽ eadem uis adhibeatur, nempe retinaculis, & intentione à parte inferiori. Equidem ſatius duco in diuerſa contendere, nam hoc ad articulum reponendũ efficacius eſt, quàm ſi ab inferiori parte ſolũmòdo extendamus. Oportet aũt, cum abundè extenderimus, ad commode impellendum tranſire, premendo nimirũ & circumducendo: premendo quidem intentione adhuc manente, circumducendo, poſtquam remiſſa fuerit. Condito articulo, ut eius reſtituti certa indicia habeantur, experiri oportet naturales brachij actiones, flexum inquam & porrectionem, præterea ſitum in pronum habitum, ac ſupinum, quoniã, ubi huiuſmodi actiones liberæ ſint, perfectè reſtituti articuli fidem faciunt: poſſumus & conferentes cum altero cubito, num ex toto luxatum reſtituerimus, colligere. Quo perfectè reſtituto brachium cõmodè ad rectum angulum curuetur, contineaturq; in ſequentem curationem. Duo igitur brachij oſſa, ubi ſuo loco mota ſunt, his modis reuertuntur: ſed poteſt ſeorſum utrunq; etiam offendi, cum cubitus erumpat, radius diducatur, quod nunc quoq; explicabo. Læditur per ſe cubitus radio inuiolato: dehiſcit ſeorſum radius, cubito in ſua ſede manente. Vtrumlibet horum oſsium lædatur, ubi per hoc organum reſtituitur, humerus iniecto laqueo ad ligna, quæ axem ſuper caput continent, alligatur, extremoq; brachio rurſus laqueus circumdatur, qui inæqualiter extendat, ſicut Attollẽs, aut Nauticus, cuius capita deorſum demiſſa intẽdendi cauſa ad axis clauos uinciuntur. In circumdando laqueo, qui inæqualiter extendit, id obſeruatur, ut ſinus ſuper eam partem, quæ reponitur, capita ſuper contrariã collocentur, ſiquidem laquei inæqualiter extendentes propriè illas partes magis cogunt, quibus eorum capita inſident, minus uerò contrarias. Ergo cum brachiũ duobus oſsibus contineatur, ubi alterũ ſuo loco motum reponitur, cogere id potiſsimum expedit, & alterum, ſi fieri poteſt, non urgere. Intentione abundè adhibita, illi cõueniunt impellendi modi, quos luxati genus poſtulat, ſiquidẽ cubitus in interiorem partem uenerit, utriuſq; manus digiti inter ſe iuncti ab exteriori parte radij eminentiam cubiti complectuntur, prominentioresq; palmarum partes à latere dantur, ut his impellentibus quaſi adducendo, os in ſuam ſedem collocetur. At ſi cubitus ad poſteriora radij proruperit brachio aliquantiſper curuato eodẽ momento, quo ab inferiori parte extendimus, prominẽtiori palmæ parte premere debemus, ut os in ſuã ſedem reponat: hæc enim premendi ratio, ad reſtituendum propriè aptatur. At, ubi radius in priorẽ partẽ recedat, extento brachio perinde agere conuenit, quaſi utrunq; in eandem partem exceſſerit, adhibenda itaq; uis eſt, & continendo, & ab inferiori parte extendendo, quo abundè facto duplex impulſus accommodatur, & qui premit, & qui circumducit: qui premit intentione manente, hac remiſſa: qui circumducit, ut oſtenſum iam eſt. Commune eſt utriuſq;, ubi reſtituta fuerint, ſpectare, an brachium ſuo munere ſine impedimento fungatur, curuetur nimirum & extendatur, & ſupinũ pronumq; figuretur, quæ actiones, ſi liberæ ſint, ex toto reſtitutum eſſe teſtantur. Quo facto brachium, in ſequentem curationem ad rectum angulum collocetur.



A Charcheſius laqueus humero iniectus, cuius capita ſurſum, ut retinacula ſint, adducantur.


B Attollens laqueus in uicinia manus, cuius capita ad ligna, quibus continetur axis, religantur.

C Medium duplicatæ habenæ ad brachium datæ.

D Capita duplicatæ habenæ religata ad axem, qui à pedibus eſt.

De manu. XXXIIII.

MAnus in quatuor partes prolabitur, in interiorem, exteriorem, priorem, & poſteriorem. Oportet, ſi in interiorem partem ueniat, ſupinam collocare, ſuper ſcamnum homine ſimiliter reſupinato, pronam ſi in reliquas tres partes elabatur: deinde charcheſiũ laqueum uel alium æqualiter extendentem brachio inijcere, & ſuper ſinum manus dare uectem tranſuerſum: uel ferramentum quo adurimus, ad palmam ipſam deligare eo uinculo, quod [Ad extremas partes] inſcribitur: tum uectis uel ferramenti extremitatibus inijcere, uel medias habenas duplicatas, uel laqueorum inæqualiter extendentiũ ſinus, deorſumq́ demittere, atq; alterũ laqueũ æqualiter extendentem brachio circumponere, eiusq́ capita ſuper caput adducta, ut retinacula ſint, deuincire: quæ uerò deorſum ferebantur capita extendendi cauſa ad axem, qui à pedibus eſt, religare, ut eius conuerſione & contineamus, & ab inferiori parte extendamus. Quam rem ubi ſatis præſtitimus, conuenienter impellimus. Nunc autem maximè ad manum reſtituendã pertinet adhibito retinaculo, ab inferiori parte extendere: licebit præterea & ſurſum adducere, & in diuerſa cõtendere. Neruis abũde diductis impulſus neceſſarij ſunt, qui eam compellere in ſuum locum poſsint. Quod ſi in interiorẽ uel exteriorem partẽ exciderit, prominentiori parte palmæ, aut etiam calce ſuperdato preſſa oſſa coguntur, deinceps manus iuxta digitos huc atque illuc agitur: ſin in priorem uel poſteriorem partem eruperit, utiliter adducendo impellimus.



De ſpina luxata. XXXV.

HIppocratis organum luxatis omnibus reſtituendis accommodatur, ſed præcipuè ſpinę, quæ ubi gibba facta eſt, tunc maximè curari poſſe cenſetur, cum recens ex ictu uitium eſt. Collocatur igitur homo pronus ſuper ſcamnum, ut laquei capita è regione ad axem ferant, circumdantur ſpinæ laquei duo æqualiter extendentes, unus ſupra gibbum locum, alter infrà, aut quaterni ex ijs, qui inæqualiter

æqualiter extendunt, bini à ſuperiori parte, totidem ab inferiori inter ſe aduerſi inijciuntur, ut in opere de luxatis explicauimus. Vis neruis adhibetur potiſsimum in diuerſa deducendo, interdum tamen continendo, & uel ab inferiori, uel à ſuperiori parte extendendo. Intentione abunde adhibita, ille impulſus, quo premim°, accommodatur. Hippocrates uarios tradidit impellēdi modos, & per prominentiorem palmę partem, & per ſpatham premendo idoneam. Impulſus per huiuſmodi ſpatham illis reſtituendi modis annumeratur, qui facilè comparantur: extremitas enim ſpathæ in foſſam aliquam demittitur, uel in lignum excauatum. Nos, ut ſpathæ obex opponeretur, Hippocratis ſcamno. π. ferreum adiecimus, quod & extrahi, & infigi poteſt, & ſpathæ reſponderet, pertuſumq; pluribus foraminibus eſſet, & in foramina crurum organi demittetur, ut. π. pro gibbi magnitudine accommodaretur, ſpathaq; extrema in. π. cōiecta, eius partem premendo accommodatam ſuper gibbum dantes premendo impulimus. Alij duplicatæ habenæ medium organo ſubijcientes eandem ſpatham ſuper locum iniectam premunt. Premendi modum in opere de articulis exquiſitius indicauimus.

- A Laqueus æqualiter extendens ſupra gibbum, cuius capita recta ad axem feruntur.
- B Laqueus æqualiter extendens infrà gibbum, cuius capita recta ad axem feruntur.
- C Spatha.
- D π. ferreum.

De femore. XXXVI.


FEmur in quatuor partes promouetur, in interiorem, exteriorem, priorem, & poſteriorem: ſi in tres partes prolapſum eſt interiorem, exteriorē & priorem, crus extenſum eſt, implicariq; non poteſt: ſi in poſteriorem, curuum eſt, neque extenditur. Ergo, ſi in illas treis partes erumpat, in quas ubi uenit, crus extenſum eſt, reſupinato homine medium duplicatæ habenæ lana inuolutum inter anum & naturale demittendum eſt, capitaq; eius ſuper caput adducenda: ubi in alias partes uenerit, nullo interpoſito diſcrimine inter anum & naturale dari habena debet: ſed ea animaduerſione, ſi in interiorem partem exciderit, ut ad integrum femur magis ſpectet, ne femoris caput, cum extenditur, habena media detineatur, cuius capita uel ad ligna, quibus axis, qui à capite eſt, continetur. Vbi & retinemus, & ab inferiori parte extendimus. Extremo autem femori propè genu Charcheſius laqueus inijciatur eiúſque capita deorſum demiſſa ad axis clauum unciantur ut eo conuerſo, & contineamus, & ab inferiori parte adducamus. Neruis, quantum res exigit, intentus ueniendum eſt ad impulſum.

De femore in interiorem partem prolapſo. XXXVII.

PRopriè autem ad femur in interiorem partem prolapſum excogitata ſunt ligna ad ſimilitudinem. π. à lignis, quibus axis continetur, non abhorrentia. Vbi ergo femur in interiorem partem erumpens reſtituitur, æger in integrū latus uerſus iaceat, euulſóque priapiſco integrum crus propoſito ligno ſubijciatur, alligetúrque ad ſcamnum ita, ut immobile perſeueret, eadémque ratione & brachia, & reliquum corpus. Crus autem uitiatum detur ſuper tranſuer-

Oo

ſarium lignorum, quæ.π. literam repræſentant, ita,ut tranſuerſarium inter anũ & naturale collocetur: ſed extremo femori iuxta genu inijciatur laqueus, uel Charcheſius, uel alius, qui æqualiter extendat, eiúſque capita ad inferiorem axem demittantur. Super ipſum uerò lignum.π. literam repræſentans ſub crure,quod reſtituitur,detur ſpatha,quæ premendo aptatur,uel lignum habens in ſummo capitulum rotundum ac leniter cauum, ab interiori parte à ſummo crure ad imum pertinens. Quo facto ubi reſtituere uolumus,axis conuertitur. cuius cóuerſio ab inferiori parte extendit. poſtquam nerui abunde extenti fuerint ſpatha uel eo ligno,quod in ſummo capitulum habet, ſuper id lignum, quod.π. literam refert, cum crure magna ui deorſum adducto, impulſus extrahendo adhibetur, poſt quem alius idoneus eſt, qui ſurſum uerſus compellit, quemadmodum diximus de humero in alam prolapſo.



- A Poſtes.π.literam repreſentantes.
- B Tranſuerſarium.
- C Charcheſius laqueus.
- D Lignum à ſuperiori parte cruris ad imum pertinens.

De femore in poſteriorem partem prolapſo.
XXXVIII.

VErum, ſi femur in poſteriorem partem elabatur, neque pronum, neque ſupinum hominem collocamus, ſed ſedentem, magis autem in integram coxam inclinatum. Homine ita figurato, duas prehendere habenas oportet, earúmque unam ſimplicem extendere, atque alteram duplicem demittere in mediam ſimplicem, & ſimplici quidem hominem cingere, duplicem à ſuperiori parte deorſum demittere, ab ea regione, quæ umbilico proximè ſubijcitur, ad eam, quæ inter anum & naturale eſt, & per anum ſurſum adducere, ut quatuor habenæ capita à poſteriori parte ad retinendum uinciantur. Retinaculis datis lata pars ſpathæ, quæ premendo accommodatur, coxæ ſupponatur, imóque femori iuxta genu laqueus inijciatur, qui æqualiter extendit, cuius capita ad inferiorem axem demittantur, ut eo conuerſo, & contineamus, & ab inferiori parte intendamus. Intentione ſatis adhibita, dum adhuc intendimus, caput femoris per ſpatham in exteriora propellatur, apertáque manu æger reſupinetur, per hanc enim uim femur in ſuum locum compelletur. Repoſiti autem indicium erit, comparatio cum altero crure, & liberæ ipſius actiones. Nam ſi citra impedimentum complicari & extendi poteſt, ex toto intus eſſe conijciendum eſt.

De

De Genu. XXXIX.

GEnu in tres partes prolabitur, interiorem, exteriorem, & poſteriorem,in omnibus his caſibus,crus extentum eſt,& minime complicatur. Oportet, ſi in exteriorem partem prociderit, hominem extento crure ſuper ſcamnum collocare:tum duos laqueos æqualiter extendentes,cruri inijcere: alterũ à ſuperiori parte ſuper femur,alterũ infra genu : dein capita ſuperioris ſuper caput adducere,inferioris ad axem: neruóſque intendere, quemadmodũ in reliquis articulis dictum eſt,ſiue retinaculis uſi ab inferiori uel ſuperiori parte intendamus,ſiue in diuerſa diducamus. Neruis abunde diductis, ſi in latus ab interiori uel exteriori parte motum fuerit, ille impellendi modus conuenit, qui adducit: ſi in poſteriorem, & ille qui premit, & ille qui circumducit. Quos impellendi modos cum ſimiles illis ſint, qui ad cubitum traduntur, commode in hunc locum transferuntur.

De Talo. XL.

TAlus modo in interiorem partem procidit,interdum in poſteriorem quoque conuertitur,in quas partes ubi uenerit, æque reſupinare hominem cõuenit crure extento: ac cruri Charcheſium laqueum æqualiter extendentem circumponere, eiúſque capita à poſteriori parte ad axem,qui ſupra caput eſt,adducere: talo aũt draconẽ uel ſandalium laqueũ inijcere, eiúſque capita ad inferiorem axem alligare, túncque membrum uel in diuerſa diducere, uel continere, & ab inferiori parte extendere. Neruis quantum res poſtulat diductis conuenienter impellere, ubi in interiorem uel exteriorem partem eruperit,retro cogẽdo, ubi in poſteriorem, extrahendo: nunc ſiquidem ob eum habitum impulſus extrahendo aptatur. De modis autem impellendi diligentius tractabimus in opere de luxatis.



A Charcheſius laqueus.
B Sandalius laqueus.

FINIS.

IACOBI DONDI PATAVINI MEDICI ET PHILOSOPHI PRAECLARI, QVEM AGGREGATOREM COGNOMINANT,

Enumeratio remediorum ſimplicium & compoſitorum ad affectus omnes qui à Chirurgo curantur, ex uetuſtiſsimis & optimis quibuſque authoribus.

Authores in hoc libro citati.

Albertus.	*Albucaſis.*	*Almanſor.*
Antonius Muſa.	*Apuleius.*	*Auicenna.*
Circa inſtans.	*Colliget.*	*Dioſcorides.*
Galenus.	*Haliabas.*	*Ignotus.*
Iſaac.	*Kiranides.*	*Lapidarij author.*
Macer.	*Meſue.*	*Nicolaus.*
Plato.	*Plinius.*	*Præparator.*
Raſis.	*Sextus.*	*Serapio.*
Simon Genuenſis.	*Theſſalus.*	*Viatici author.*

De apoſtematibus & pertinentibus ad ea. *Caput I.*

Inflationes, apoſtemata, Tumores diſſoluentia & ſedantia.

AGNVS. j. uitex. Plin. 24. Agrippa unguentum. Nic. ualet omnib⁹ tumoribus in quacunque parte fuerint.

Alnus. Plinius uigeſimo quarto, folia cum aqua feruenti.

Allium. Plinius uigeſimo. Macer cum adipe porci.

Althæa. Serap. ſecundum Dioſc. ſoluit, maturat, & aperit.

Ammi. Plin. uigeſimo. Hali. Serap. ſecundum Dioſc. ſoluit inflationes.

Anethum. Iſaac.

Aniſum. Hali. Serap. ſecundum Galenum expellit inflationes uentris. ſecundum Dioſc. eſt conueniens in flationibus.

Apium. Serap. ſecundum Dioſ. ſemen inflationes reſoluit.

Abrotonum. Serap. ſecundum Dioſ. & Galenum, cum farina hordei, reſoluit apoſtemata.

Aqua maris. Plin. trigeſimoprimo, cũ farina hordei cocta.

Atriplex. Sera. ſecundum Dioſ. cocta & cruda emplaſtrata, reſoluit apoſtemata.

Bdellium. Hali. cum ſaliua ieiuni. Serap. ſecundum Dioſ. & Eben Meſ. in decoctione, diſſoluit apoſtemata.

Albu. emplaſtratum cum rob dulci.

Beda, uide Sicla.

Braſsica. Plin. xx. domeſtica & ſylueſtris. Apul. ſyluaticę folia trita cum axungia ueteri. Vide Caulis.

Butyrũm. Iſaac. reſoluit apoſteamata.

Calamus aromaticus. Aui. Sera. ſecũdum Habyx, emplaſtrum.

Cannabis. Sera. ſecundum Galenum inflationes & apoſtemata reſoluit.

Cancer. Auice. fluuialis ſuperpoſitũs, magna reſoluit apoſtemata.

Caprificus. Plinius. 23. ligni & foliorũ fumigium.

Carus Iſaac.

Caſsia fiſtula. Colliget.

Caſtiorum.Alman.Auicen.
Caulis.Mac. cum urina propria ſuper poſita. Vide Braſsica.
Centumcapita. Pli. 22. Sera. ſecundũ Dioſc. centumcapita albi. putarũt quidam quod ſuſpenſa ſuper apoſtemata aut emplaſtrata, reſoluit ea.
Cerifolium.Macer. cum cera noua & axungia ueteri.
Cerotum Andromachi.Meſu.xj. antido.diſſoluit diſſoluenda.
Cicer. Iſaac. diſſoluit apoſtemata & minuit.
Cyclaminum.Sera.ſecundum Gal.ad miſcetur medicinis reſoluentib. ſecundũ Ebẽ Meſ.ſoluit apoſtemata.
Cicuta.Plinius.xxv.&xxvj.folia cum axungia.
Cyminum.Plin.xx.Al.Serapio.
Cimolia creta.Plinius uigeſimoquinto, cum aceto.
Cyperus.Plinius uigeſimoprimo.
Cypreſſus.Pli.24. ſuccus nucum eius cum ficu ſicca.
Citrum.Haliabas folia.
Colocynthis Hali.folia uiridia, reſoluunt apoſtemata.
Condiſi.Sera.ſecundum Dioſ. cum farina hordei & uino coctum emplaſtrum, reſoluit apoſtemata in principio eorum.
Confectio de muſco.Auice.j. quinti.
Coriandrum.Plin.xx. cũ melle.Mac. cum melle & paſſulis. Sera. emplaſtrum cum farina fabarum.
Cucumer erraticus.Plini. xx. & xxiij. Apul. cucumeris agreſtis radix cum polenta.
Crocus.Auicen.reſoluit apoſtemata.
Crocomagma.Plinius. 21.
Dactyli.Auic.decoctio eorum.
Diaquilon. Meſ. xj. antid. reſoluit & maturat omnem inflationem.
Ebenus.Haliabas.
Elleborus.Plin.25.albus.
Epithymum.Alman.Auicenna.
Eruum.Plinius.22.cum uino.
Fœniculum.Plin xx.folia linita.
Fœnugrǽcum.Serapio.Haliab.emplaſtrum cum ſemine lini.
Fermentum.Serap.ſecundum Dioſc. apoſtemata propriè in inferioribus corporis reſoluit.
Fæx uini uel aceti. Plinius. 23. Haliab. Auicen.uſta ſola & cum nitro. Serapio fæx uini, reſoluit apoſtemata non aperta.
Ficus. Serap. ſecundum Galenum cũ farina hordei, aut cum medulla panis fermentati.Iſ.ſiccæ cum hordeo & fœnugræco, non maturæ ſimiliter cum cera.
Fiſtula paſtoris.Auicenna.
Furfur.Auicenna.
Flos æris. Serap. ſecundum Dioſcori. reſoluit apoſtemata.
Flos nitri.Pli.31.cum uino.
Frumentum.Serap. ſecundum Dioſc. cap.ſputi maſticatum linitum, reſoluit & maturat apoſtemata in corporibus ruſticorum.
Gith.Plinius uigeſimo.
Graſſula.Macer.
Hyoſcyam^9^.Apul. herba cum ſtercore ouis & aceto. Macer. folia cum polenta.
Ieſemin.Auicen.embrocata.
Iuncus odoratus.Plin.21.ſemen.
Iuniperus.Plinius 24.ſemen.
Indicum. Auicen. detumeſcere facit. Serap. ſecundum Galenum, diſſoluit & minuit apoſtemata mollia diminutione multa.
Inula.Plinius uigeſimo.
Lactuca.Plinius uigeſimo.
Lana.Plinius xxix.ſuccida.
Liguſticum.Plinius uigeſimo.
Lini ſemen.Serap.ſecundum Dioſ. reſoluit & maturat calida apoſtemata cum melle, & oleo, & aqua.Hali. ſimiliter cum oleo uiolarum.
Lolium.Iſ.Sera.ſecundum Dioſ. cum ſtercore columbi & uino, ſoluit apoſtemata. Aui. cum ſemine lini & uino coctum, uel ſtercore aſini, uel canis & ſemine lini diſſoluit ea.
Lupini.Plinius.22.cum polenta.
Malua.Pl.20.Iſa.reſoluit apoſtemata.
Markaſita.Hali.reſoluit ea.
Menta.Ser. ſecũdum Dioſ. emplaſtrũ cum ſauich, reſoluit apoſtemata dicta carſthimata.(Dio.ſimpliciter habet, diſſolui ab ea apoſtemata quibus cum Polenta imponitur.)

Mercu-

Mercurialis.Igno.tunſa appoſita.
Myaces piſces.Plin.32. teſta eorum.
Myrtus.Plinius 23.
Morus.Sera. ſecundum Dioſ. lachrymus eius reſoluit apoſtemata.
Mulſa.Plinius.22.
Murex piſcis. Plinius trigeſimoſecundo, cinis cum oleo.
Nigella.Auicenna.
Nuces.Iſaac.
Oleaſter.Plinius 23.folia cum uino, cinis etiam ramulorum.
Oleum:
- Laurinum.Auic. reſoluit inflationes ualde.
- De ruta.Aui.ut ibi.
- Papaueris rubei. Auic. x. v. cum adipe anſeris uel gallinæ,ſoluit apoſtemata.
- Anethinum. Meſ.xij.anti.
- Michæ.Hali.xix.antido.

Oliua.Plin.23.cinis eius cum aceto.
Oua. Kiranides. cortices aſſati cum oleo myrti.
Petroſelinum. Serap. ſecundum Gal.
Phrygius lapis,Serapio ſecundũDioſ. cum terebinthina uel ceroto reſoluit apoſtemata.
Pyrites,uide Markaſita.
Pix.Ser.ſecũdum Dioſ.reſoluit apõata.
Porrum.Plinius.xx.biſcoctum.
Pulegium.Plin.xx. ſylueſtre. Mac. radix cum polenta.
Plantago.Plinius uigeſimoſexto,folia cum ſale.Macer.
Propolis cera.Plinius 22.
Pſyllium.Pli.26.ſemen.Igno.infuſum in aqua emplaſtrum collectionis omnes curat.
Rhecoma.Plinius.22.illinita.
Reubarbarum. Sera. ſecundum Dioſ. emplaſtrum cum aqua in apoſtemate antiquo.
Ruta.Serap. ſecundum Gale. confert inflationibus maximè.
Sanguis.Plinius. 28. urſi & tauri arid⁹ & ſiccus.
Secacul.Gal.reſoluit apoſtemata.
Sicla.Auicenna.elixa emplaſtrata, reſoluit apoſtemata.
Sideritis.Plinius.22.
Sinapis.Auicenna.apoſtema antiquũ reſoluit.
Siſymbrium.Auicenna.
*Siſion.Ser.ſecundũ Gal.radix cũ farina lolij & hydromelite emplaſtrata.
Sordicies.ſera.ſecundum Gal. uniuerſaliter reſoluit apoſtemata indigeſta,& illa q̃ accidũt propter ſodá.
Sotira.Auicen.primo quinti.
Sudor.Sera.ſecundum Gale.hominis luctantis linitus humores præter naturam reſoluit.
Sulphur.Plinius.25.diſcutit.
Spica.Auicenna.
Spongia. Plinius. 31. ipſa & cinis eius cum paſta.
Sputum.Serap. ſecundum Gale.cum maſticatione frumenti,reſoluit apoſtemata in ruſticis, ſed in corporib⁹ mollibus ſufficit ſputum ſolum, uel maſticatio eius cum pane.
Squinanthum.Serap.ſecundũ Dioſc.
Stercus.Pli.28. ſuis calefactus cũ oleo Sera. ſecundum Gal. cinis cum medicinis reſolutiuis maximè ꝓdeſt. Kir.canis cum aceto & murium diſſolutum in aqua.Sex,columbi cum oleo & elephantis linitum & tauri applicatum. Halia. ouis ſuper groſſa apoſtemata.
Teſticulus canis.Auice.phlegmatica apoſtemata reſoluit.
Tilia.Plinius.24. folia & cortex in uino cocta.
Thymus.Plinius 21.cum uino.
Tragoriganum.Plinius uigeſimo.
Triticum.Iſa.reſoluit apoſtemata.
Verbaſcus.Plin. uigeſimoſexto, ſemẽ coctum in uino.
Vincaperuinca. Pli.xxj.cum uino.
Violæ. Plinius. xxj. Igno. folia cum axungia.Macer.cataplaſma.
Viſcus.Almanſor.
Vitis. Plinius. 23. pampini & cinis ueteris cum axungia.
Vitis alba. Ser. ſecundum Dioſ. radix cum rob emplaſtrum,uel cum oleo diſſoluta, aut cũ uino, diſſoluit apoſtemata.Kir.cum uino.
Vnguẽtum:
- Baſilicon.Ser.28. anti.
- Marciaton. Nicol. tumores reprimit.
- Ariſtolochię.Theſſal. cap. herbæ piſcium.

Zinziber.Aui.reſoluit inflationes.
Zurumbet.Serap.reſoluit apoſtemata proprie matricis.

Eruptionibus, Collectionibus, & Apoſtematibus conferentia.

ACACIA. Plin.uigeſimo quarto.
Adeps porci.Serap. ſecundum Dioſ. cum cinere & calce.
Agaricum.Aui. omnibus confert.
Alkekengi.Serap.ſecundũ Habyx,ſuccus coctus linitus.
Aloë.Sera.ſecundum Alcanzi, arabicum.
Althæa, Auicenna Apul. cum fœnu græco & ſemine lini.
Amygdala.Plinius.24.amara.
Ammoniacum.Auic. apoſtematibus paruis primo,poſtea magnis ſine capite.
Amurca olei. Serapio. cocta cum aceto & uino.
Anagallis. Serap. ſecundum Dioſcô.
Apium riſus.Apul. cum fimo porci.
Agrimonia.Plin.26.folia linita.
Ariſtolochia. Theſſalus. unguentum ex radicê.
Aron.Plinius.24.cum melle.
Arundo.Plinius uigeſimoquarto, folia cypriæ arundinis.
Balſamus.Plin.uigeſimotertio.
Buglоſſa.Plinius. xxvij.
Butyrum.Iſa.Hali.Sera.ſecundum Galenum linitum in mulieribus & infantibus,curat apoſtemata eorum.
Caprificus.Plin.23.frondes & folia.
Caulis.Serap. ſecundum Galenũ glutinat apoſtemata. ſecundum Dioſc. agreſtis folia emplaſtrata, conſolidat & curat apoſtemata indurata.
Cedrus.Plin.23.fructus eius.& 24.cortex,folia,& glandes.
Cicer.Auicenna.
Cichorea.Plin.uigeſimo illita.
Cinis. Plinius.28. cornu caput, uel fimi uituli.
Citrum.Iſaac.ſemina.
Colocynthis.Auicen.folia.
Coriandrum.Plin.xx.cum melle.
Clymia.Serap.ſecundum Dioſcoridê apoſtematibus conuenit.
Elleborus.Plinius 25.albus applicat*.
Erum,uide Orobus.Eryngium, Gale. Simplicium 6.
Fel.Plinius uigeſimooctauo,lupi.Auicen.aſini ſylueſtris.
Galbanum.Auicenna.
Gallæ.Plinius.24.
Helyine,uide paretaria.
Hyoſciamus.Alman.
Hypericum. Auic. propriè frigidis & duris magnis confert.
Indicum.Colliget.Auicenna.
Keyri. Serap. ſecundum Galenum eſt medicina ualde utilis apoſtematibus.
Lac.Serapio ſecundum Dioſcoridem confert uniuerſaliter omni apoſtemati,ubi humores mordicâtes currunt.
Lapathum. Apul. cum axungia emplaſtratum, aut ſpargit, aut collectionem facit & aperit.
Lentes.Plinius.22.
Lenticula aquæ.Plinius. 23.
Leucoion,uide Keiri.
Licon. Plin. uigeſimoſexto, quædam eius ſpecies linita.* forte Leucoion.
Lini ſemen.Hali. cum melle maximè.
Luf. Auiceñ. apoſtematibus indigentibus abſterſione confert.
Manna,Sera.in medicinis appoſita.
Mandragora.Apul.cũ polenta tunſa.
Mercurialis.Haliab.cum uino.
Multipeda.Plin.trigeſimo,cum quarta parte terebinthinæ.
Myrtus.Pli.23.folia cum cera.
Morus.Plin.uigeſimotertio,ſucc* corticis uel radicis.
Nuces.Sera. ſecundum Dioſcori. nucleus uetuſtarum maſticatus ſuperpoſitus, curat apoſtemata, nempe gangrænas, anthracas, ægilopas, & alopecias.
Oleander.Plinius 23.
Oliua. Sera. folia agreſtis cum melle in apoſtemate dicto duo ulcera.
Ordeum.Plin.uigeſimoſecundo,farina eius cocta & cruda.
Orobus.Iſaac.cum melle.
Oua. Auic. apponũtur in emplaſtris.
Panis.Plin.22.in aqua & oleo.

Parieta-

Parietaria. Galenus ſexto ſimplicium. Auicenna.ſedat.
Pilulæ alburmaki.Auic.ix. quinti.
Pix.Plinius. 24. ex nauibus exterius raſa.
Poma.Galen. ij. alimen. antiqua aſſata in calido cinere, aut benè cocta in aqua circum cataplaſmata naſcentiæ.
Platanus.Pli.24.folia & cortex.
Plumbum.Auicē.fricetur unum eorū ſuper aliud cum aliquo ex oleis, aut fricatura eius cum uino uel aliquo ſucco frigido.
Pſyllium.Plin.xxv.lg.ſemen tritum imbibitum aqua,emplaſtratum,omnes collectiones curat.
Quinquefolium.Plin. uigeſimoſexto, coctum in aceto.
Ranunculus,uide Apium riſus.
Rhamnus. Plinius.26.coctus in aceto.
Rhecoma.Plin.27.illinita.
Reſeda.Pli. 27. circa Ariminum nota, eſt herba quam reſedam uocant.qui curant ea,addunt hæc uerba:Reſeda morbos reſeda, ſcis ne ſcis ne quis hic pullos egerit: radices nec caput nec pedes habeant, hæc ter dicunt, totiesq; expuunt.
Rubea.Plin.24.ſemen eius & radix.
Sauina.Plinius uigeſimoquarto.
Saluia.Sera. ſecundū Dioſc.decoctio.
Salix.Plini⁹.24. ſuccus emanans à cortice inciſo.
Sanguis.Plin. uigeſimooctauo, urſi & tauri ſuccus.Serap. ſecundum Dioſ. hœdi,agni,anſeris, & anatis, apoſtematibus confert.Auic. leporis in leui apoſtemate.
Secacul.Colliget.
Semperuiua.Apul.cum axungia,coriandro, & pane trito appoſita, aut ſpargit aut rumpit.
Sudor. Sera. ſecundum Galen. hominis luctantis cum puluere ſuo miſto oleo roſ.
Smyrnion.Plinius 27.radix.
Stercus.Sera. ſecundum Gal. bouis lito membro apoſtemato.
Struthium.Ignotus.cum polenta hordei & uino.
Tamariſcus. Pli. uigeſimoquarto ſuccus foliorum.
Taſſus barbaſſus.Aui.decoctio foliorum.& Plin.25.& folia radix.
Terra ſigillata.Colliget.
Terebinthus.Pli.23.folia & radix.
Tilia.Plin.24.lachryma eius.
Tribulus.Plinius.22.
Verbaſcum,uide Taſſus.
Verbena.Plinius.25.
Vinum.Plin. uigeſimoſecundo, infuſa lana. Serapio. uetus dulce infuſa lana non lota.
Virga paſtoris.Auic. ulceratis apoſtematibus confert.
Volubilis. Haliab. cum uino cocta ſuperpoſita.
Vnguentum diaphœnicon.Meſ. ſecūdo antido.apoſtematibus diuerſarū medicinarum confert.
Vnguentum colcotar.Hali.24.antidota.omnibus apoſtematibus de materia fluente ad membrum.
Vnguentum de calcandi. Aui. xj. quinti, ad prima apoſtemata confert. Serapio.28.antido.

Tardantia & prohibentia apoſtemata.

ACETVM. Auicen. prohibet aduentum uel augmentum apoſtematum.
Acetoſa.Hali.folia cataplaſmata.
Althæa Serap.ſecundū Gal.prohibet. Auicenna ſimiliter.
Bolus armenia.Haliabas.
Beta.Serap.ſecundum Gal.cocta.
Chamæleoni.Auicenna.
Camphora.Auicen.Circ. prohibet calida apoſtemata.
Hepatica.Sera.ſecundum Galenū prohibet calida.
Lapis molaris.Auicen. uaporatio eius cum aceto.
Lutum Samium. Auicenna. in calidis prohibet.
Ouum.Sera.ſecundū Gal. miſcetur in emplaſtris prohibentibus apoſtemata,ſicut eſt emplaſtrum de meliloto.
Pſyllium.Aui.prima parte.ij.cap.j. integrum appoſitum.
Rhus,uide Sumach.
Rubus canis.Ser.ſecundū Dioſ.empla

ſtrum foliorum recẽtium prohibet.
Sanguis draconis. Serap. ſecundũ Gal. herba eius prohibet.
Solanũ. Aui. j. parte. ij. canonis.
Sumach. Auicenna. prohibet additionem eorum.
Stercus. Serap. ſecundum Galenũ, bonum linitum membro apoſtemato.
Talk. Aui. prohibet in principio apoſtemata carnium laxarum.
Terra ſigillata. Sera. ſecundum Paulũ, prohibet calida in principio, ſi non fuerit in membris mollibus.
Tribuli Sera. ſecundũ Gal. prohibent confirmationẽ calidorũ. Hal. marini.

Prohibentia fluxum humorum ad apoſtemata.

ACACIA. Hali. Cimolia creta. Plinius 25. cum aceto.
Poma. Serap. ſecundum Gal. pontica & acetoſa ſtyptica prohibent quod currit ad apoſtemata in principio eorum.
Plumbum. Sera. ſecundum Galenum, oleum fricationis eius ad apoſtemata calida mala.
Sandali. Sera. ſecundum Eben Meſ. fluxum prohibent humorum ad membra.
Sordicies. Serap. ſecundũ Gal. prohibet fluxum ad apoſtemata calida mamillarum.
Tribuli. Haliabas. marini.

Sedantia apoſtemata, & dolores eorum.

ALKANNA. Haliabas. folia.
Althæa. Sera. ſecundum Galenum, ſedat dolores.
Cannabis. Sera. ſecundum Dioſ. radix ſylueſtris emplaſtrata ſedat calida.
Caſsia fiſtula. Sera. ſecundũ Eben Meſ. ſedat apoſtemata ſanguinis.
Cherua. Serap. ſecundum Dioſ. oleum eius cum cicuta, ſedat phlegmatica.
Cucurbita. Serap. ſecundum Dioſco. cum cruda emplaſtrata, dolori calidorum confert.
Ebulus. Sera. ſecundum Dioſ. folia recentia cũ ſauich hordei ſedat calida.
Fermentum. Sera. ſecundum Dioſ. apoſtematibus inferioribus corporis.
Glandes. Meſ. Sera. ſecundũ Dioſ. apoſtematibus emplaſtrũ ſedat calida.
Hyoſcyamus. Auic. ſedat dolores apoſtematum.
Laurus. Sera. ſecundum Dioſ. folia cũ pane & ſauich emplaſtrata, ſedat pulſationes calidorum.
Lupinus. Sera. ſecundũ Dioſc. cum ſauich & aqua, ſedat calida apoſtemata.
Malua. Serap. ſecundum Eben Meſue, ſedat calida & curat ea.
Ordeum. Sera. ſecundum Dioſ. farina eius ſedat dolorem calidorum.
Orchis. Serap. ſecundum Dioſ. emplaſtrata, ſedat calida.
Panis. Serap. ſecundum Dioſc. frumenti coctus cum melicrato, & ſine decoctione cum aliqua herba uel aliquo ſucco conuenienti emplaſtratus, ſedat calida.
Parietaria Auic. ſedat apoſtemata.
Pinus. Serap. ſecundum Dioſc. emplaſtrum ex folijs, ſedat dolorem.
Polenta. Plinius. 22.
Pulegium. Sera. ſecundũ Dioſ. emplaſtrum cum ſauich calida.
Ricinus, uide Cherua.
Sauina. Sera. ſecundũ Dioſcoridẽ. folia ſedant calida.
Sarcocolla. Auic. omnia apoſtemata ſedat ſuperpoſita.
Scea Auicenna. ſedat apoſtemata.
Stercus. Sera. ſecundum Dioſc. uaccæ ſuperpoſitum cum humiditate ſua, & inuoluitur in folijs, & calefit in cinere calido, & ablatis folijs apponitur, & ſedat calida apoſtemata.
Viola. Serap. folia ſola, aut cum farina hordei, ſedant calidum apoſtema.
Vſnee. Auicen. calida.

Apoſtematibus in principio eorum conferentia.

ACETVM. Sera. ſecundũ Dioſc. lana nõ lota, aut ſpongia in eo.
Aſphodelus. Serap. ſecundum Dioſc. cum ſauich in principio calidorum.
Auic.

Auicen. cum farina hordei.
Furfures. Auicen. cum aceto.
Glandes. Serapio ſecundum Galenũ, in principio calidorum & augmento. Auicen.
Indicum. Auicenna. omni apoſtemati confert.
Lapis lacteus. Auicenna.
Lutum ſigillatum. Auicenna.
Lana. Sera. ſecundum Dioſc. infuſa in aceto, uel oleo, uel uino.
Lutum ſamium. Auicenna. prohibet in principio.
Parietaria. Gal. vj. ſimpli. Auic.
Poma. Serap. ſecundum Gale. inſipida apponuntur medicinis in principio & augmento ſuccus eorum & folia. Auicenna.
Pſyllium. Serap. ſecundũ Habyx folia.
Sandali. Hali. in principio calidorum.
Semperuiua. Circ. ualet ſuperpoſita repercutiendo.
Virga paſtoris. Serap. ſecundum Dioſ. in principio emplaſtrum etiam frigidorum confert.
Violæ. Circainſt. ipſæ & herba appoſitæ calidis in principio.

Maturantia apoſtemata & phlegmones.

ALTHAEA. Hali. Col. Serap. ſecundum Dioſ. radix ſola trita non cocta, ſoluit, maturat, & aperit, apoſtemata. ſecundum Galen. maturat exituras, dum eſt recens. Auic. mollificat ea. Al. maluauiſcus mollificat.
Amomum. Serap. ſecundum Dioſ. maturat calida.
Anethum. Iſa. Aui. Col. Hali. Serap. ſecundum Dioſ. coctum in oleo, frigidis & crudis apoſtematibus. Beta, uide Sicla.
Butyrum. Aui. non recens maturat in corporibus non duris, ut infantium & mulierum proprie & poſt aures. Haliabas.
Caprificus. Pli. 23. frondes & folia mollificant apoſtemata.
Caulis. Auic. ſylueſtris, domeſticus, & marinus.
Cerotum Andromachi. Meſ. xj. anti.
Colocynthis. Aui. folia uiridia.
Diaquylon. Meſ. xj. anti. maturat & reſoluit omnem inflationem.
Faba freſa. Plinius. 22.
Fœnogræcum. Hali. Circ. farina eius cum uitello oui attenuat, & cum terebinthina maturat & rumpit.
Frumentum. Haliab. Serapio ſecundũ Dioſcoridem.
Ficus. Plinius. 23. ſiccæ cum calce aut nitro. Serap. ſecundum Galen. cum farina frumenti.
Galbanum. Circ. ſuperpoſitum, apoſtemata maturat & rumpit.
Lactis butyrum. Iſaac.
Lapathum rotundum. Circain. decoctum in oleo cum axungia ſuperponatur.
Lilium. Plinius. 21. ſuccus florum. Macer ſimiliter.
Lini ſemen. Haliabas. Serap. emplaſtratum.
Lupini. Cir. cum oleo, apoſtema frigidum maturant & rumpunt.
Malua. Iſaac. cum axungia, maluauiſc⁹ plus maturat.
Markaſita. Serapio ſecundum Dioſ. cũ reſina pini, dura apoſtemata maturat.
Melilotum. Serap. ſecundum Dioſco. calida apoſtemata.
Narciſſus. Haliab. cepe eius.
Ordeum. Plin. 22. farina cum reſina. Serap. ſecundũ Dioſc. cuſch eius phlegmatica & calida maturat. Circ. ad frigida apoſtemata maturanda farina eius cum pice, uel terebinthina, uel melle.
Panis. Plini. 22. cum aqua & oleo mollificat apoſtemata.
Pix. Plinius. 24. Colliget.
Raphanus. Plinius uigeſimo.
Roſmarinus. Ser. ſecundum Dio. folia emplaſtrata trita difficilis maturationis apoſtemata maturat.
Sanguis. Serap. ſecundum Gale. hirci uel urſi ſuperpoſitus calidus, maturat cito. Auicen. leporis.
Sapo. Serapio ſecundum Abaſari, maturat & colligit ſaniem.
Sicla. Aui. elixa emplaſtrata.
Sinápis. Almanſor.

Sputum.Sera.ſecundum Gal.ſolum li nitum in corporibus mollibus maturat, uel cum maſticatiõe panis,ſed in corporibus ruſticorum fit cũ maſticatione frumenti.

Triticum.Haliab.maſticatum.

Viſcus.Serap.ſecundum Dioſ. cum reſina pini & cera æqualiter.

Viticella. Circainſt. radix cum farina, oleo,& axungia.

Calidis apoſtematibus & acutis conferentia.

ACACIA. Auicenñ. cum albumine oui.Haliab.ſuperpoſita. Circ.cum ſucco plantaginis,& corrigiolæ.

Acetoſa.Hal.herba cataplaſmata.

Adeps.Sera.ſecundum Dioſ. porci cũ cinere & calce confert.

Alcanna.Col.Haliab.folia.Sera.ſecundum Dioſc. foliorum emplaſtrum. Auicen.decoctio.

Alkekengi,uide kekengi.

Althæa.Aui.Hali.maturat ea.

Amiberberis. Auic. emplaſtrum proprietate cõfert.Sera.ſimiliter.

Amomum.Serap.ſecundum Dioſ.maturat ea.Auicen.ſimiliter.

Apium,Sera.ſecundum Dioſc. ſpeciei ſmyrnion emplaſtrum,reſoluit ea. Auicen.ſimiliter.

Aſphodelus. Auicen. Sera. ſecundum Dioſcorid. Hali.decoctio foliorum manifeſte confert.

Atriplex.Iſa.Sera.ſecundũ Gal.in principio.Hali.in ſtatu.

Auricula muris.Gal.vj.ſimpli.

Bolus armenus,& commune. Haliab. cataplaſmatum.

Blitum.Aui.Sera. ſecundum Eben Meſue,emplaſtrum.

Cannabis.Auic. radix ſylueſtris cocta emplaſtrata.Ser. ſecundum Dioſcoridem ſedat ea.

Camphora.Sera.ſecundum EbenMeſ. Auicenna.prohibet ea.

Canna.Serap. ſecundum Diſcorid. folia recentia trita ſuperpoſita,curant.

Chamomilla. Auice. mollificando & reſoluendo confert,& ſedat ea.

Caſsia fiſtula. Serap.vij.practicæ.

Caſtorium.Auicen.confert.

Cauda equina.Almanſor.

Caulis.Sera.ſecundũ Dioſc.emplaſtrũ foliorum agreſtis,diſſoluit ea.

Centũcapita.Ser.ſecundũ Dio.cõfert.

Cerotum de ſandalis. Meſ. undecimo antidota. ſedat ea.

Ceruſſa.Haliab.cataplaſmata.

Cicer. Auicenna.

Cimolia. Haliabas.

Cypreſſus. Haliabas. folia cum farina hordei.

Coriandrum.Iſa.Aui.cum ceruſſa,aceto,& oleo roſ.Sera.ſecundum Dio. ſimiliter, addito lithargyro,multũ confert.Hali.folia & ſemen cũ mucilagine pſyllij, manifeſte prodeſt. Mac.ſuccus cum aceto.

Cucurbita.Sera.ſecundum Gale.caro eius emplaſtrata, extinguit & infrigidat ea temperate.

Diaquylon paruum. Meſ. xj. anti.diſſoluit & maturat.

Dialthæa. Viaticus.vij. in cura apoſtematum.

Ebulus.Sera.ſecundum Dioſ. folia recentia cum ſauich hordei ſanant.

Epithema eryſipelatis.Al.vij. tractatu duodecimo cap.

Faba.Sera. ſecundum Dioſ. emplaſtrũ ex farina eius ſola uel cum ſauich,ſedat calida ex percuſsione accidentia.

Farina.Ser.ſecundum Dioſ.puluis molendi coctus cum melicrato, aut cũ aqua & oleo,reſoluit ea.

Fœnogręcum. Sera.ſecundum Dioſc. farina eius.Auic. ſimiliter in apoſtematibus occultis.

Ferri ſcoria.Auicenna.

Fæx aceti.Alman.Haliabas.

Folium.Auic.coctum cum aqua roſ.

Furfur.Auic. Sera. ſecundum Dioſ.cũ aceto in principio in apoſtematib⁹ occultis.

Glandes.Serap.ſecundum Gal. adminiſtrantur in calidis in principio & augmento.Auicenna.

Hepatica.Serapio ſecundum Gal. prohibet ea.Circ.ſimiliter.

Holus iamenum. Serapio ſecundum Eben

Eben Meſue emplaſtrum.
Hyoſciamus.Serap.ſecundum Dioſc. foliorum aut ſeminis emplaſtrum cum farina aut ſauich.Auicen.
Hyſſopus herba.Serapio ſecundũ Dioſcor.emplaſtrum cum uino.
Iris agreſtis.Serap. ſecundum Dioſco. radix emplaſtr.
Karabe.Serap.ſecundum Alcanzi,appoſitum.Auic.appenſum.
Kekengi.Auicenna. emplaſtrum. Haliabas.ſuccus.
Lactuca.Pli.xx.Iſ. Aui.Serap. ſecundũ Dioſ.& Gal. emplaſtrum in parum intenſis.Hali ab.ſuccus.Cir.cum oleo trita in principio.
Lapis molaris.Auicenna.
Laurus.Sera. ſecundũ Dioſ. folia cum pane & ſauich applicata, pulſationem eorum ſedat.Auic.ſimiliter.
Lenticula aquæ.Serap.ſecundũ Dioſ. & Gal.dulcis & marinæ emplaſtrata ſola uel cum ſauich.
Lycium.Haliab.cataplaſmatum.
Lingua arietis.Auic.Alman.
Lithargyrus.Haliab.Circainſt.cum ceruſſa & aqua roſ.
Lini ſemen.Ser.ſecundum Dioſc.cum melle, & oleo, & aqua, reſoluit & mollificat ea ſiue interius ſiue exterius.Auicenna.lenir.
Lupinus.Auic.cum aceto & melle.
Lutum ſigillatum.Auicen.
Lutum ſamium.Auicenna.
Malua.Sera.ſecundum Eben Meſ. emplaſtrũ ſedat & curat.Auic.in principio & augmẽto.Cir.in principio.
Mandragora. Pli.26.folia.Sera. ſecundum Dioſ.emplaſtrum foliorum recentiũ cum ſauich, confert apoſtematibus uulnerum & ulcerum calidis. Cir. in principio ungatur oleo eius, & etiam cataplaſmetur ex folijs,uel puluere eius.
Matricaria.Serap.ſecundum Dioſ. emplaſtrum ex floribus.
Melilotum. Auic. propriè cũ careno & etiam cum uitello oui,farina fœnugræci,uel ſeminis lini, & etiã papauere ſecundũ quod oportet. Serap.ſecundum Dioſ.maturat coctũ cum rob.&c.ſicut.Auic.
Memithe.Auicenna.Haliabas.ſuccus diſſoluit ea.
Myrtus. Auicen. cũ oleo & uino. Haliab.cum ſucco hordei.
Muſcus herba. Auicenna.
Naſturtium.Sera.ſecundum Dioſc. reſoluit calida apoſtemata.
Nenufar.Sera.ſecundũ Iſa.reſoluit calida apoſtemata.Auic.radix. Halia. ſuccus.Nicol.oleum eius.
Ocimum,uide Ozimum.
Oleum nenufarinum.
Oleum cucurbitæ.
Oleum uiolatum ſedat ea.Meſue duodecimo antidotarij.
Oliua. Auicenna. Serapio. folia agreſtis cum melle.
Opium. Auicen.maximè calidis confert.Cir.cum ſucco corrigiolæ.
Orchis.Serap.ſecundum Dioſ. emplaſtrum ſedat calida.
Ordeum.Auic.ſolum & cum furfure ſuo.Haliab. emplaſtrũ diſſoluit ea. Cir.cum aceto in principio ad maturitatem cum uitello oui.
Ozimum fluuiale.Auicen.cum aceto & oleo.
Ozimum cõmune. Serap. ſecundum Dioſc.emplaſtrum cum aceto uel oleo roſ.
Panis. Auic. frumenti cum melicrato & ſuccis cõuenientibus, lenit ea & infrigidat ea.Serap.ſimiliter.
Papauer. Sera. ſecundum Dioſc. folia fortiter trita cum ſauich emplaſtrata. Circainſt. ſemen uel herba cum oleo roſato in principio.
Poma. Auic.ipſa & folia.
Portulaca.Auic.Serap.ſecundũ Dioſ. emplaſtrum cum ſauich.
Plantago.Alman.Auicenna.
Plumbum.Serap.ſecundum Gal. oleũ fricationis eius roſatum,aut myrtinum, aut citoniorum, confert calidis apoſtematibus in uirga, pectine & ano.Auic.& Cir.ſimiliter.
Pſyllium.Meſ.Sera.emplaſtrũ eius uel foliorum,refrigerat ea.Auicen.conquaſſatum cum aceto. Hali. ſuccus herbæ recentis, uel mucilago ſeminis,manifeſtè confert.Circ. cum ſacello ſuperpoſitum.

Reubarbarum.Auic.emplaſtrum.
Roſa.Auic.trita non expreſſa.
Rubus.Circ.folia ſumitatum cũ aqua roſata ſuperpoſita.
Ruta.Auicenna.ſylueſtris cũ ſale emplaſtrata.
Sandali.Col.Sera.ſecundum Atabari, liniuntur cum eis apoſtemata calida.Hali.in principio, manifeſtè cõferunt,uel profunt.Item Sera.ſecundum Iſ.rubei cum ſucco ſolatri aut ſemperiuiæ, aut lenticulæ aquæ. Auicen.rubei liniti. Circ. cum ſucco ſolatri.
Sanguis. Auicenna. leporis uel hirci, maturat cito.
Sauina. Serap. ſecundum Dioſc. folia eius ſedant ea.
Sehedenigi.Auicenna.
Semperuiua. Alman. Haliab. Serapio ſecundum Galenum.
Sinapis.Auicen.reſoluit ea.
Siſamum.Auic.reſoluit ea.
Solanum.Auic. emplaſtrum. Haliab. ſuccus.Circainſt.in principio.
Scoria ferri.Auic.reſoluit ea.
Squinanthum.Auic.decoctio.
Stercus.Sera.ſecundũ Gal. uaccarum paſcentium herbam recens ſedat.
Terræ.uide lutum.
Terra ſigillata. Serap. ſecundũ Paulũ, in principio prohibet ea.
Tragacãtha.Circa.diſſoluta cũ ſucco uermicularis in principio apoſtematum.
Tribuli.Sera.ſecundũ Dioſ.fit emplaſtrum ex eis. Secundum Gal. prohibent ne confirmetur.
Vinacea.Serap.ſecundum Dioſc. emplaſtrum cum ſale.
Violæ.Serap. ſecundum Gal. folia ſola uel cum farina hordei.Auicen.ipſæ & folia cum ſauich hordei.Circa inſtans.in principio.
Virga paſtoris. Haliabas.Serap. ſecundum Dioſc. Auic. phlegmoni. Circainſt.in principio.
Vitis.Almanſor.folia.
Volubilis magna.Meſue.
Vſnee.Auicenna. ſedat ea.
Vnguentum berudi. Haliabas.14. antidot.

Sanguineis apoſtematibus conferentia.

ADEPS. Serap. ſecundum Dioſcor. urſi.
Althæa.Auic.reſoluit ea.
Caſsia fiſtula. Serap. ſecundum Eben Meſue,ſedat ea.
Coriandrum.Sera.aquæ eius linitio.
Roſa.Serap.ipſa & oleum eius.
*Silphiton.Plin.uigeſimo ſecundo.

Eryſipelati conferentia.

ACACIA. Sera.ſecundum Dioſc. ſuccus eius confert.
Acetum.Auic.ſumptum & linitum.
Aerugo ferri.Serap.ſecund. Dioſc. cũ aceto illita aufert.Auicen.
Alkanna.Serap.ſecundũ Gal.adminiſtratur in medicinis ad hoc.
Alkerengi,uide Kerengi.
Anagallis. Serap. ſecundum Dioſcor. prohibet eryſipelas.
Anchuſa,uide Lactuca aſini.
Aper.Kiranides.ſtercus eius cum aceto,uel fel.
Arundo,uide Canna.
Aſphodelus. Haliab. decoctio ſuperfuſa manifeſtè confert.
Atriplex. Serap. ſecundũ Gal.in principio,ſed agreſtis in fine.
Beta. Serapio ſecundum Dioſcoridẽ, cocta cum folijs.
Calamẽthum. Theſſalus. ſuccus cum ceruſſa & roſaceo.
Colcotar. Auic. cum aqua coriandri.
Canna.Sera.ſecundũ Dioſ.folia recentia trita appoſita,curãt.Auic. arundinis folia humida ſuperpoſita.
Cannabis.Auicenna.ſylueſtris radicis decoctio.
Caulis.Serap. ſecundũ Dioſ. folia ſola trita, uel cum ſauich emplaſtrata. Secundum Galenum, eryſipelati indurato confert.
Cicuta. Serap.ſecundum Dioſcor.emplaſtrum ex ſucco ſeminis.Auicen. ſuccus.
Cypreſsi folia & nuces. Serap. ſecundum Dioſcor. nux ſola, uel cum ſauich,uel cum hordeo & aceto cum aqua miſto. Auicenn. cum farina hordei.

Corian-

Coriandrũ.Iſaac. Col. Serapio ſecundum Dioſc. emplaſtrum cum pane & ſauich. Haliabas. folia.

Cucurbita. Serap. ſecundum Dioſc. raſura eius cum medulla panis.

Crocus. Auic. linitus. Serapio ſecundum Dioſc. unguentum ex eo.

Endiuia. Serap. ſecundum Dioſcorid. emplaſtrum cum ſauich.

Fel. Serap. ſecundũ Dioſc. tauri ingreditur in unguentis prohibentibus. Auic. ſimiliter, ad ulceratam & dolores eius, & fel etiã aſini ſylueſtris ponitur in emplaſtris.

Ficus. Auic. cum farina hordei.

Gallus. Kiranides. ſanguis.

Homo. Aui. ſtercus eius calidum.

Indicum. Serap. ſecundum Dioſ. foliorum emplaſtrum curat. Auic. cũ farina hordei.

Hyoſcyamus. Auicenna.

Intybus, uide Endiuia.

Kekengi. Ignotus. cum polenta.

Kitran. Serap. ſecundum Gal. & Dioſ. ex humoribus groſsis, curat factum.

Lactuca. Serap. ſecundum Gal. & Dioſcor. in his quæ ſunt debilis inflammationis confert. Iſaac. Auicen.

Lactuca aſini. Gal. vj. ſimplicium, intus & extra. Auicen. cum farina hordei applicata.

Lentes. Iſaac. Serapio. coctæ in aqua maris.

Lenticula aquæ. Serap. ſecundũ Dioſ. ſola, uel cum ſauich emplaſtrata.

Lilium. Auicenna. folia & ſemen cum uino emplaſtrata. Serapio ſecundũ Dioſcoridem, ſimiliter.

Lingua arietis. Auic. cum ceruſſa & cimolea. Serap. ſecundum Dioſc. plantago cum cimolea uel ceruſſa.

Lithargyrus. Circ. cum oleo roſato.

Lumbrici terreſtres. Kiran. cinis eorũ cum aceto.

Malua. Auicen. Serap. ſecundũ Dioſc. trita cum oleo curat.

Mandragora. Serap. ſecundum Dioſc. radix fortiter emplaſtrata cum aceto. Auicenna ſimiliter.

Matricaria. Serap. ſecundum Dioſ. emplaſtrum ex floribus.

Memithe. Serap. ſecundum Gal. curat eam, quæ nõ eſt fortis. Aui. ſanat fortem in corporibus duris, & non par uam & non in corporibus teneris.

Myrtus. Serap. ſecundum Dioſc. foliorum emplaſtrum cum oleo omphacino, uel roſato & uino. Auicen. cũ oleo & uino.

Muſcus herba. Auicenna.

Nuces. Serap. ſecundum Galen. oleum. ſecundum Dioſc. caro uetuſtarum maſticata.

Oleum uiolatum. Nicolaus. cum farina hordei.

Oliua agreſtis. Auicen. Serapio. folia emplaſtrata.

Opium. Serapio ſecundũ Dioſ. diſſolutum in aceto.

Orchis. Serap. ſecundum Gal. ſuperpoſita curat.

Ouum. Auicen. cum oleo.

Papauer. Auicen. Serap. ſecundũ Dioſcor. folia cum ſauich.

Parietaria. Auic. ſuccus cum ceruſſa.

Pentaphyllon. Auicenna.

Portulaca. Auicenna.

Pſyllium. Meſue. Auicen. conquaſſatum cum aceto.

Rhamnus. Serap. ſecundum Dioſc. & Gal. folia in ea quæ eſt tepidæ calidi tatis. Auicen. emplaſtrata.

Roſa. Serap. ſecundum Dioſ. folia cocta non expreſſa. Aui. recens trita.

Ruta. Serapio ſecundum Dioſc. cum aceto, oleo roſato, & ceruſſa. Auic. cum aceto & ceruſſa.

Rubus. Auicen. folia. Haliab. ſuccus foliorum.

Sal. Serapio ſecundum Dioſcor. emplaſtratum uel linitum cum hyſſopo, prohibet augeri.

Sandali. Auic. propriè rubei liniti.

Sanguis menſtruus. Auicenna. ſecundum quod dicitur.

Sauina. Serap. ſecundum Galen. cum melle.

Semperuiua. Serap. ſecundũ Galenum & Dioſ. emplaſtrum. Haliab. ſuccus foliorum.

Solanum. Serap. ſecundum Dioſ. folia cum cicuta emplaſtrata, uel ſuccus cum ceruſſa, lithargyro, & oleo roſato. Auic. ſimiliter.

Stercus.Auicenna.pecudis.
Tithymalus.Sera.ſecundũ Galen.lac curat,& folia, & ſemen.
Virga paſtoris.Auic.Serap.ſecundum Gal.de medicinis melioribus ei quę extenditur & ambulat de membro ad membrum.ſecundum Dioſc. em plaſtrum.Haliab.folia.Circ.appoſita in principio.
Vitriolum.Serap.ſecundum Dioſcor. extinguit eam.

Vnguentũ { Violatum. / De ceruſſa. / Roſatum.Meſ.xij.anti. }

Vrina.Serap.ſecundum Gal.& Dioſc. ſedimen quod reſidet in fundo, uelut fæx linitum, ſedat eam. Auicenna.fæx uaſis.

Formicæ conferentia.

ACACIA. Sera.ſecundum Dioſc.
Acetum. Auicen. Serapio ſecundum Dioſc.lana non lota, aut ſpongia infuſa.
Amygdalæ amaræ.Sera.ſecundũ Dioſcor.cũ melle.Auicenna ſimiliter.
Colcotar.Auic. cum aqua coriandri.
Capilli.Plinius.28.aduſti.
Cardo. Serapio ſecundum Dioſc. dicunt aliqui quod curat ſpeciem formicæ quæ dicitur paragodos.
Caries lignorum.Serap.ſecundũ Dioſcor.cum tanto aniſi confectũ cum uino comburatur in pecia, & contritum apponatur.
Caulis.Serap.ſecundum Gal.
Chamæoitis.Aui.Serap.ſecund.Dioſ. emplaſtrata cũ melle prohibet dilatationem.Al.
Cheldonia.Auicen.cum uino.
Cicuta.Sera.ſecund.Dioſc.emplaſtrũ ex ſucco ſeminis.Auic.ſuccus.
Cytoniorum oleum.Auicen.
Cypreſsi folia & nucis. Serap.ſecundum Galen.cum hordeo, & aceto, & aqua.ſecundum Dioſco.nux ſola cum ſauich.Auic.cum hordeo,& aceto,& aqua.
Coriandrum.Serap.ſecundũ Dioſ.emplaſtrum cum pane aut ſauich.
Curcuma.Serap.ſecundũ Dioſ.emplaſtrum radicis cum uino.

Elleborus.Serap.vij.practicæ.
Ficus.Serap.ſecundũ Dioſ. immaturæ cum farina frumenti,& nitro, & lac arboris non ſinit dilatari linita circumquaque maximè admiſta pinguedine porci. Iſaac. non maturæ piſtatæ appoſitæ, ulcera formicæ ſanant.
Formicæ.Kir.eorum decoctio.
Gallina.Kir.ſtercus eius recens.
Indicum.Serap.ſecundum Dioſ. foliorum emplaſtrum curat. Auic. cum farina hordei.
Lentes.Auicenna.cum aqua maris coctæ.Serap. ſimiliter.
Lycium. Serapio ſecundum Galen. & Dioſ.Auic.Haliabas.
Lini ſemen.Serap.ſecundum.Dioſ. cũ uino coctum.
Lingua arietis.Auicen.Serap.ſecundũ Dioſcoridem,folia plantaginis prohibent dilatari.
Malua.Mac.nigra.Auicenna.
Muſcus herba.Auicenna.
Myrtus. Serap. ſecundum Dioſc. emplaſtrum foliorum cum uino & oleo roſ.uel omphacino. Auic. cum oleo & uino.
Nigella.Haliab.cum aceto.
Oliua agreſtis.Auic.Serap.folia.
Olibanum.Serap.ſecundum Dioſcoridem, cum aceto & oleo linitum in principio eius aufert.
Orchis.Sera.ſecundũ Dioſ.emplaſtrũ eius prohibet dilatari.Auicen.
Parietaria.Auic.ſuccus cum ceruſſa.
Pentaphyllon.Auicenna.
Pinus.Sera.ſecundũ Dioſc.cortex trita cum chalcantho,prohibet ulcera dicta formicæ ne augeantur.
Pix humida. Serap. ſecundum Dioſc. cum ſulphure, aut cortice pini maſculi linita, non ſinit dilatari. Auicen.cum ſulphure prohibet ambulationem.
Pſyllium.Auicen.conquaſſatum cum aceto.
Rhamnus.Serap.ſecundum Galen. & Dioſc.folia in ea quæ eſt tepidæ caliditatis.
Rubus.Auic.folia prohibent.Haliab. ſuccus foliorum.

Ruta.

Ruta.Serap.ſecundum Dioſc. cum aceto,oleo roſat.& ceruſſa.Auicen. ſimiliter.
Sal.Serap. ſecundum Dioſcorid. cum aceto & hyſſopo, prohibet augeri. Auic.ſal prohibet dilatari.
Salamandra. Kiranides. cinis cordis aſperſus.
Salix.Auic.cinis eius cum aceto.
Secatura corroſionis.Auicen.
Semperuiua.Serap. ſecundũ Dioſ. em plaſtrum.Hali.ſuccus foliorum.
Solanum.Sera. ſecundum Dioſc. folia cum cicuta emplaſtrata, uel ſuccus cum ceruſſa,lithargyro,& oleo roſ. Auicen. aqua eius.
Stercus.Serap. ſecundum Dioſ. capræ coctum cum aceto aut uino.
Teſtudo.Auicenna.cinis eius.
Teſticulus canis. Auicenna. prohibet dilatari.uide Orchis.
Thus.uide Olibanum.
Tithymalus.Ig.ſuccus illinitus.
Virga paſtoris.Serap.ſecundum Dioſ. emplaſtrata.Hali.folia.Auicen.

Igni ſacro conferentia.

ACACIA.Plin.uigeſimoquarto.
Adeps.Plin.28.urſi,&maximè renum.Et xxx.anſeris.
Aerugo ferri.Plin.24.cum aceto.
Allium.Plin.xx.uſtum cum oleo.
Alkekengi.uide Kekengi.
Amurca oliuarum.Plinius. 23.
Atriplex.Plinius.xx.cum aceto & melle.Macer ſimiliter.
Arũdo.Plin.uigeſimoquarto, folia cypriæ arundinis.
Aizoon.Plin.26.Macer.
Baccar.Plinius.21.
Beta.Plin.xx.cum alumine pauco.
Capilli.Plin.28.uſti.
Capra. Sex. cornu uſtum cum aceto ſquillitico mirificè operatur.
Caſeus. Plin. uigeſimooctauo, capræ ſiccus cum porro.
Caulis.Auicen.Serap.ſecundum Dioſcoridem,cum ſale.
Ceruus.Plin.28. abraſio cutis cum pumice in aceto.
Cicuta.Mac.Plin.26.folia.
Coriandrum. Sera. ſecundum Dioſc. cum melle & oleo.Auice. ſimiliter. Macer.ſuccus cum aceto.
Cucurbita.Plinius uigeſimo, appoſita uel ſemen eius.
Crocus.Plinius.21.flos eius.
Elleborus.Colliget.
Ericius.Plin.xxx.ſanguis eius.
Fæx aceti.Plin.23.cum cera.
Fimus. Plin. 28. uituli recens & bubali.Auic. ſtercus columbi cum melle & ſemine lini.
Graſſula.Mac.cum albumine oui.
Gryllus. Plin. xxx. illinitus, contritus manibus quo genere pręſtat,ut qui id fecerit antequã incipiat uitiũ toto eo anno careat.
Hyſſopus.Plin.30.cũ roſaceo & pompholyge.
Kekengi.Ig.foliorum cataplaſma.
Lacticinia.Auic.cum ceroto.
Lactuca.Plinius uigeſimo.
Lentes.Plinius.22.
Lentiſcus.plinius. 24.ſemen cortex & lachryma.
Lycium.Plinius.21.ſemen.
Lupini.Ser.Auic.cum farina hordei.
Malua.Plin.uigeſimo.folia cocta in oleo.Macer ſimiliter.
Mandragora. Plin. uigeſimoſexto, radix ſicca. Ignotus. cum aceto trita. Apuleius ſimiliter.
Menta. Apuleius, trita cum ſulphure & aceto.
Myrtus.Plinius.23.
Naſturtium.Auicenna.
Oliua.Plinius uigeſimotertiò, folia & amurca oliuarum.
Opopanax.Auicenna.
Orobus.Serap.ſecundum Dioſ.Auic.
Ouum. Plin. xix. albumen cum oleò uel amylo ſuperpoſitis folijs betæ. Sex.crudo liniatur,& ſuper folium betæ,miraberis ſanitatem: uel duorum albuminum decoctio cum ceruſſæ duorum denariorum pondere & myrrhæ parum.
Papauer.Pli.xx.folia. Macer ſimiliter. Ignot.capita eius trita cataplaſmata cum polenta,uel papauer cum aceto tritum.
Perſonacia.Plin.26.radix.

Pilulæ tabari.Hali.17.antido.

Pix humida. Serap. ſecundum Dioſc. cum paſſulis & melle, aufert eſcharas ulcerum quæ dicuntur pruna.

Polygonum.Ignotus.Plin.27.folia illita.

Portulaca.Plin.xx.cum ſale.

Plantago.Mac.Plin.xxvj.cum creta cimolea.Ign.ſimiliter,&cum ceruſſa. Auicen.lingua arietis.

Rana.Plinius 32.uenter uiuentis ſuper poſitus.

Roſa.Plin.xxj.ſemē.Mac.roſa trita.

Rubus.Plin.xvj.flos minorum.

Rubrica.Plin. trigeſimoquinto, quædam ſpecies terræ.

Ruta.Plin.xx. cum aceto. Macer. ſuccus cum ceruſſa,oleo roſato, & aceto,mirabile eſt.

Sauina.Plinius 24. cum melle linita. Apuleius ſimiliter.

Sal.Plin.31.cum aceto.

Sanguis Menſtruus.Plin.28.

Semperuiua. Igno. trita cum polenta appoſita,uel ſola.

Serpentis ſenecta.Plinius xxx. cum ſeuo agni & bitumine.

Siler.Plinius xx.& xxj.

Silurus piſcis. Plinius 32. cinis capitū ſalſorum cum aceto.

Sideritis.Plinius 22.

Spongia.Plin.31.cum aceto efficacior ignibus ſacris quàm aliquid imponi oportet ſicut ſanas quoq; partes ſpecioſe cooperiat.

Spuma argenti. Plinius 33. cum ruta, myrto,& aceto.

Stratiotes.Plinius 24.

Strychnum.Macer.folia cum polenta additis ceruſſa,ſpuma argenti, & oleo roſato.Apuleius.ſuccus ſuperlinitus.

Terra cimolia.Serap.ſecundū Dioſcoridem,linita.

Teſtudo.Plinius 32.ſanguis cuiuſcunque linitus.

Vermes terreni.Plin.xxx. cum aceto.

Vermicularis. Ignotus. herba cum polenta.

Vipera. Plini. trigeſimo, caput uſtum uel ſiccum cum aceto.

Vitis. Plinius 24. cinis eius cum oleo & uino.

Vnguentū:
- Kermes.Auic. ix. v.
- Roſatum. Meſ.xj. antid. igni ſacro.
- Violatū.Meſ.xj. antido. igni ſacro.

Veſicis conferentia.

APIVM raninū. Gal. vj. ſimpliciū. Colla. Auic. piſciū & de corijs in ueſicis combuſtionis confert.

Oleum myrtinum.Plinius 23.

Oſtraca.Plinius 31.

Polium.Plinius 21.

Sordicies balnei.Auicenna.

Ad Scere, vel Scyre, vel epinyctides ſecundum plurimum conferentia.

ABSINTHIVM.Plin.27.cū aqua. Sera.ſecundum Dioſc.ſimiliter.

Amygdalæ amaræ.Plinius 23. cum uino. Serap. ſecundum Dioſc. & Auicenna ſimiliter.

Aper.Plin. 28. dens eius. Sex. axungia eius immiſſa roſ. epinyctidas puſtulas quæ nocte grauant corpus, ad ſanitatem conuertit.

Braſsica.Plini. uigeſimo. Vide Caulis.

Caprificus.Plin.23.folia cum aceto.

Caulis.Sera.ſecundū Dio.folia trita ſola,uel cum ſauich. Vide Braſsica.

Coriandrum. Plin.xx. Serap. ſecundū Dio.cū melle & oleo.Aui.ſimiliter.

Cucumer.Serap.ſecundum Dio. folia cum melle.Auicen.ſimiliter.

Ficus.Serap.ſecundum Dioſ. ſiccæ cū nitro,farina, aceto, & ſale. Auic. folia ficus ſuperpoſita.

Gluten.Plinius 32.piſcium.

Laurus. Plinius 23. baccæ cinis cum oleo linitæ.

Lingua arietis. Auic.Serap. ſecundum Dioſcoridem, plantago.

Marrubium,uide Praſium.

Melitites lapis.Plinius 36.

Myrtus.Plinius 23.folia.

Oleaſter.Plinius 23.flos.

Oliua ſylueſtris.Plinius.23. folia. Auicenna.fructus.

Paſſulæ.Plinius 23.

Pepo.Plinius uigeſimo,cortex,et folia cum

cum melle.
Plantago, uide Lingua arietis.
Porrum. Plin. xx. Serap. ſecundũ Dioſ. ſumach. Auicenna ſimiliter.
Praſium. Plin. xx. cum pice.
Ruta. Plinius uigeſimo.
Siſymbrium. Plinius uigeſimo.
Stercus. Plin. xxx. ouis calefactum. Serap. ſecundum Dioſc. arietis emplaſtrum cum aceto curat.
Tamariſcus. Plin. 24. uinum decoctionis cum roſaceo & cera.
Viſcum. Auicen. Serap. ſecundũ Dioſ. emplaſtrum.
Vrina. Haliab. hominis.

Carbunculis conferentia.

ABROTONVM. Ignotus. cũ farina tritici coctum.
Alkelkengi minus. Auic. j. quinti.
Anſer. Kiranides. cerebrum cum paſſulis enucleatis.
Apes. Plinius xxx. quæ mortuę ſunt in melle poſitæ cum polenta.
Aper. Sextus. cerebrum cum melle appoſitum, mirificè ſanat.
Aſphodelus. Serap. ſecundum Dioſc. radix cocta cum fæce uini.
Betonica. Plinius. 26. Muſa cum calida ſumpta & applicata cum axungia.
Braſsica. Plinius 26. cum thure.
Caſeus. Plinius 28. caprinus tritus cũ oxymelle impoſitus. Sex. cum porro ſectiuo impoſitus.
Columbus. Plinius xxx. fimus eius per ſe, uel cum ſemine lini & aceto mulſo.
Coriandrum. Plinius uigeſimo.
Coctanum. Plinius 13. lanugo eius cũ uino & cera linita.
Eruum. Plinius 22. cum uino.
Fermentum. Iſa. cum ſale & oleo maturat & aperit.
Ficus. Auicen. propriè cum ireos, uel nitro, uel calce. Plinius 23. ſiccæ in uino coctæ.
Lac. Auicenna. multoties ſanantur bibitione eius.
Lapis phrygius. Serap. ſecundum Dioſcorid. cum terebinthina uel cerato reſoluit.
Laſer. Plin. 22. cum ruta uel melle.
Naſturtium. Auice. emplaſtrum cum aqua & ſale.
Nigella. Serap. ſecundum Dioſc. cum urina antiqua confert.
Nuces. Plinius 33. ueteres.
Oleander, id eſt rhododaphne. Plinius 23. ipſe & fructus cum melle.
Oleaſter. Plin. 23. folia cum uino.
Oliua. Plin. 23. ſuccus foliorum.
Opopanax. Serap. ſecundum Dioſ. cũ paſſulis aperit eas.
Panax. Plinius 20. rumpit.
Papauer cornutum. Plin. 20. folia.
Paſſeres. Kiranides. ſtercus cum adipe porci frangit.
Paſſulæ. Plinius uigeſimotertio, ſine nucleis cum ruta.
Pecus. Plin. trigeſimo, fimus eius incipiente carbunculo.
Piſces. Plin. 32. & coracinorum ſalſamenta, coracini carnes, & muli piſcis ſalſi aduſti cum melle.
Pix. Plinius 24.
Porca. Plin. uigeſimooctauo, cerebrũ coctum illitum.
Polenta. Plin. 30. aſperſa apibus mortuis in melle.
Plantago. Plinius 26. Ignotus.
Quercus. Plinius 36. carbones eius cũ melle.
Ruta. Plinius uigeſimo, cum aceto. Apuleius. appoſita.
Sal. Auicen. cum melle & paſſo emplaſtrum.
Sauina. Plinius 24. cum melle linita. Apuleius ſimiliter.
Sinapis. Plin. xx. cum fermento.
Scea. Auicenna. ſedat.
Tithymalus. Ig. ſuccus linitus.

Anthraci conferentia.

NASTVRTIVM. Mac. recens cum fermento.
Oliua. Serap. ſecundũ Dioſc. matura emplaſtrata.
Sauina. Macer. cum melle.
Sapphirus lapis. Alber. dicit ſe uidiſſe duas anthraces fugaſſe.

Herpeti eſthiomeno conferentia.

ALLIVM. Cir. folia capitum trita emplaſtrata cum pipere.
Alkanna. Circ. herpeti granuloſo ualet, abluto prius loco cum calida di ſtemperetur cum albumine oui & aceto liniatur, & parum poſt remo ueatur, & lauetur iterũ, & liniatur, & fiat ſæpe.
Alumen. Auicen. cum tanto fæcis uini, & tanto ſaliſgemmæ, in herpete corroſiuo.
Aizoon. Plinius uigeſimoſexto. Ignotus. Macer.
Arſenicum. Alman. Auicen.
Atramenta. Auicenna.
Cicuta. Plinius uigeſimoſexto, cum ſiligine & mero. Macer.
Elleborus. Meſue. niger.
Iuniperus. Auicenna. puluis fructus cum melle.
Lacticinia. Auic. radix in ceroto.
Lentes. Auicenna. coctæ in aqua maris. Serapio ſimiliter.
Lupini. Auicenna.
Lutum ſigillatum. Auicenna.
Plumbum. Circainſtans. unguentum factum ex oleo fricato in mortario plumbeo.
Pſyllium. Circainſtans. in ſacello ſuperpoſitum herpeti.
Ruta. Macer. ſuccus cum ceruſſa roſaceo, & aceto.
Scea. Auicenna. prohibet herpetem eſthiomenum.
Strychnum, id eſt ſolanum. Mac. folia trita cũ polenta addita ceruſſa, ſpuma argenti, & oleo roſato.
Trochiſci de arſenico. Diuiſiones antido. de medicinis oris.
Vermicularis. Ignot. appoſita.
Vnguentum diaphœnicon. Meſ. unde cimo antidotarij.

Exituris, Suppurationibus, & Adubelet conferentia.

AGNVS caſtus. Serap. ſecundum Dio. ſemẽ cũ folijs curat exituras.
Allium. Plinius uigeſimo. Auicen. intrinſecus dubelet. & cinis eius con uenit eis.
Alkelekengi maius. Aui. primo quinti adubelet cõfert. Vide Kelkelengi.
Althæa. Serap. ſecundum Dioſc. confert, ſecundũ Gal. maturat.
Anagallis. Galenus ſexto ſimplicium, putredini membrorum ualet.
Anethum. Serap. ſecundum Dioſc. coctum in oleo reſoluit.
Aniuden. Serap. ſecundum Dioſ. cum ceroto reſoluit eas. Vide Aſſa.
Ammoniacum. Serap. ſecundũ Dioſ. reſoluit eas.
Apium. Serap. ſecundum Dioſcoridẽ, ſpecies ſmyrnion.
Abrotanum. Galenus ſexto ſimplicium, coctum cum farina hordei, re ſoluit eas.
Arſenicum. Ser. ſecundum Dioſ. cum adipe reſoluit. Auicenna putredini membrorum ualet.
Aſphodelus. Serap. ſecundum Dioſc. radix cocta cum fæce uini.
Aſſa. Auic. apparentibus & occultis, adubelet eſt bona. Vide Aniuden.
Berſeguaſcen. Auic. Gal. vj. ſimpliciũ, dubelet confert.
Calx. Circ. cum ſeuo & oleo, putrida apoſtemata iuuat.
Karabe. Circ. cum ſeuo & oleo putrida apoſtemata iuuat.
Capra. Sextus. caro combuſta cum aqua, diſcutit eas.
Centaurea minor. Serap. ſecundũ Gal. ſicca in unguentis, curat malas anti quas & profundas.
Cerrus. Plin. uigeſimoquarto, cortex. folia, & glandes.
Cyclamen. Serap. ſecundum Dioſcoridem, radix cum aceto & melle, cu rat exituras. Secundum Ebẽ Meſue, reſoluit eas.
Cicer. Serap. ſecundum Galenum, ſpecies eius dicta cerſeni, & ſunt cicera minuta alba, curant exituras malas cum melle.
Cucurbita. Plinius uigeſimo, caro eius ſine ſemine.
Daucus. Plinius 26.
Dictamnus. Plinius 26.
Elleborus. Plinius 25. albus & niger cũ axungia.
Fœnogræcum. Auicenna. lenit & maturat

turat adubelet.
Fæx aceti. Plinius. 23.
Gluten. Serap. ſecundum Dioſ. boum cum aceto & melle diſſolutum.
Hiera Archigenis. Auicenna. 2. 5. Meſue 3. Antid. Serapio 9. Antid.
Indicum. Auic. malis exituris confert.
Iris. Sera. ſecũ. Gal. folia cocta cũ rob. emplaſtrata ante maturationẽ exitu ræ. Serap. ſecund. Dioſ. emplaſtrũ ex folijs coctis cum uino, antequã perueniant ad ſaniẽ, reſoluit eas.
Kelkelengi maius & minus. Sera. 8. antid. dubelet cõfert. Vide Alkelkelégi.
Lapis aſius. Auicen. Serap. ſecundum Dioſc. cum terebinthina aut pice, diſſoluit eas.
Lentes. Plin. 22. cum polenta.
Lycium. Plin. 24. foliorum coctum in uaſe æneo cum aceto & melle.
Lilium. Serapio ſecundum Dioſ. folia cum aceto emplaſtrata, uel ſuccus foliorum coctus in uaſe æneo.
Liquiritia. Serapio ſecundum Dioſcoridem, ſuccus linitus.
Lutum armenum. Serap. ſecundũ Galenum, deſiccat exituras indigentes exiccatione.
Mandragora. Serap. ſecundum Dioſc. folia uel radix cum ſauich, diſſoluit eas. Auicen. ſuperpoſita.
Medicamen albuneos. Auic. v. tract. ſum. ſecundæ quinti, interioribus adubelet confert.
Menta. Auic. emplaſtrum cum ſauich adubelet confert. Serapio ſecundũ Gale. ſylueſtris cum farina hordei, exituris confert.
Minium. Serap. bullitũ in oleo, & poſitum in unguentis.
Morus. Plin. 23. ſuccus radicis.
Narciſſus. Auicen. cum melle & orobo, rumpit dubelet quæ ſunt difficilis maturationis.
Oleum de ruta. Nic. cerotum ex eo poſitum ſuper apoſtemata aperta, attrahit uenenum, & id quod fluit ex eis.
Oliua. Plin. 23. uruntur cauliculi floreſcentes, ut ſpodij, cinis cum melle, uel folia cum melle.
Opium. Serap. ſecundum Dioſc. cum aceto in calidis.
Ordeum. Plinius. 22. farina cum reſina & adipe ueteri.
Panax. Serapio ſecundum Gal. ſemen & flos cum melle.
Pentaphyllon. Auicen. emplaſtrũ adubelet iuuat.
Pæonia. Plin. 27. recentes, ſuppurationes diſcutiuntur, nigro eius ſemine ſuppurationes rubentes rubeo ſemine.
Platanus. Plin. 24. folia & cortex.
Pſeudodictamnus. Plinius. 26.
Pſylliũ. Sera. ſecundũ Dioſ. cum oleo roſ. aceto & aqua in phlegmaticis.
Sordicies. Auic. Sera. ſecundum Gal. ex corpore exercitãtis, reſoluit exituras durę reſolutionis. & ſudor hominis linitus, confert adubelet.
Terebinthina. Serap. ſecundum Dioſcoridem, emplaſtrata.
Tribuli. Plinius. 22.
Violæ. Plin. 21. purpureæ.
Vitis alba. Plinius. 23. radix cum melle & thure.
Vnguentũ palmenum. Meſ. xj. ant.
Vnguentum calcadis. Serap. uigeſimo octauo antidot.
Vrina. Serap. ſecundum Galen. pecia infuſa, ſuperligetur in corporibus ruſticorum.
Vrtica. Auic. cum raphano emplaſtrata, diſrumpit dubelet.
Xiphion. Plin. trigeſimoquinto, radix cum thure & uino.

Duris exituris conferentia.

GLVTEN albotin. Auicen. maturat eos.
Indicum. Auic. confert.
Reſina. Sera. ſecundũ aliquos, cõfert.

Putridis exituris conferentia.

BARBA hircina. Serap. ſecundũ Gal. emplaſtrũ maximè ex flore.
Myrrha. Serap. ſecundum Galenum.
Oſtraca. Serap. ſecundum Galen. uſta cum aceto & aqua, aut cum aceto & melle, conferunt ualdè apoſtematibus putridis.

Rumpentia & aperientia exituras.

ALTHAEA. Sera. ſecundũ Dioſc. maturat & aperit apoſtemata.
Apium. Kir. emplaſtratum, uel cerotũ per tres horas.
Agrimonia. Apul. contrita apposita, aperit & ſanat.
Butyrum. Haliabas.
Cantharides. Plinius trigeſimo, cum calce.
Cucumer aſininus. Sera. ſecundũ Dio. in apoſtemate ſanioſo radix cũ glutino albotin. Auicen. ſimiliter ſuccus radicis. Apul. radix cum reſina, rumpit & ſanat.
Elaterium. Circ. cum terebinthina optimum ruptorium fit.
Emplaſtrum quoddam de fermento. Meſ. undecimo antidot.
Faba frixa. Plinius. 22.
Fœnogræcum. Cir. cũ farina eius cum terebinthina maturat & rumpit.
Fimus. Plin. 28. bubali cum cinere cale factus, capræ etiam cũ uino & aceto. Serap. ſecundum Dioſc. columbarum cum farina hordei & aceto, rumpit & maturat.
Flammula. Circainſtans. cum oleo & ſquamma ferri contrita.
Galbanum. Cir. appoſitum, apoſtemata maturat & rumpit.
Lapathũ rotundum. Circ. in oleo coctum cum axungia apponatur.
Lingua bouis. Apul. cum melle & pane appoſita, mirificè rumpit.
Lolium. Serap. ſecundum Dioſc. cum ſtercore colũbi & uino, aperit apoſtemata quæ nondum ſunt perfectè matura. Aui. cum ſemine lini & ſtercoris columbi. Mac. cum ſulphure uiuo & ſtercore columbi, & uino.
Lupini. Circa. cum oleo, apoſtema frigidum maturat & rumpit.
Narciſſus. Serap. ſecundum Gal. cum rob. ſecundum Dioſ. cum orobo et melle, aperit dura apoſtemata difficilis maturationis.
Naſturtium. Serap. ſecundum Dioſc. ſuccus eius.
Ordeũ. Sera. ſecundũ Dioſ. ponitur ſuper ipſũ aqua donec fiat ſicut puls, & coquitur cum pice, & aperit.
Pſyllium. Auic. prima parte ſecundi cap. primo tantum. Hali. emplaſtrũ mucilaginis.
Sambucus. Ig. folia ſicca cum melle.
Sarcocolla. Serap. ſecundum Gal. aperit apoſtemata percuſsionis.
Thapſia. Serap. ſecundum Dioſc. ſuccus cum melle linitus.
Terebinthina. Circ. cum farina hordei emplaſtrata, rumpit.
Viola. Plinius. 21. alba.
Vitis alba. Serap. ſecundum Dioſ. radix cum rob, rumpit ea in quibus eſt ſanies, aggregat, uel cum oleo diſ ſoluta uel uino.
Viticella. Cir. emplaſtrum ex ſucco & puluere adarti, ſanie facta.
Vrtica. Auicenna. cum raphano, diſrumpit adubelet.

Mundificantia exituras.

ORCHIS. Serap. ſecundum Gal. radix mundificat exituras.
Pix humida. Serap. ſecundum Dioſc. cum melle.

Dolorem inciſionis, vel vſtionis mitigantia.

CROCODILVS. Kir. cutis aridæ puluis ſuperaſperſus membro urendo uel incidendo, doloré non ſentiet, uel unctio pinguedinis carnis eius aſſatæ.
Mandragora. Plin. 25. ante bibita. Auicen. iij. anoloſat ſumpti. Serap. ſecũ dum Dioſc. uinum decoctionis radicis uſque ad conſumptionem tertij, ſumatur plus uno conos quando in cidere aut cauterizare uolum⁹. Ignotus. uinum infuſionis radicis bibitũ ante.
Marmor memphites. Plin. xxvj. uſus illiniri aceto, conuenit his quæ urenda & ſecanda ſunt. obſtupeſcit enim ita membrum, ut non ſentiat cruciatum. Albert. memphites lapis potatus cum aqua tritus, inſenſibilitatem inducit, ut ſecatus cruciatus non ſentiat.
Opium. Haliabas.

Apoſtematibus ex percuſsione conferentia.

FABA cũ melle. Haliab. ſimiliter. Fœniculum. Mac. radix cocta cũ oleo & uino, ſubito ſedabit, & etiam trita cum aceto, tumori ex percuſsione & fractura.
Myrtus. Hali. cum ſucco hordei.
Sarcocolla. Serap. ſecundum Gal. aperit ea.
Sumach. Serap. ſecundũ Dioſ. emplaſtrum granorum prohibet ea.

Furunculis vel Papulis ſecundum plurimum conferentia.

ALVMEN. Plin. xxxv. cum duabus partibus mellis.
Ammoniacum. Auicenna.
Apium riſus. Apuleius. cum fimo porci appoſitum.
Atriplex. Plinius uigeſimo.
Araneus. Plinius. xxx. appoſitus, & tertia die ſolutus.
Axungia. Plinius. 28.
Baurach. Haliab. maturat eos.
Beta alba. Plinius xx. eruptioni papularum confert.
Butyrum. Serap. ſecundum Gal. liniatur in mulieribus & infantibus confert & curat. Haliab. his qui ſunt in uentre confert.
Caquelenegum confectio. Haliabas ſexto antidotarij.
Caſeus. Plinius. 28. capræ ſiccus cum melle & aceto.
Cimolea. Plin. 35. cum uino.
Creta. Plin. 35. cum uino ſumpta.
Faba. Plin. uigeſimoſecundo, cortex maſticata in ieiunio.
Ficus. Plin. 23. humidæ, & etiam ſiccæ cum uino coctæ, & cauliculi ficus nigræ cum cera.
Galbanum. Plinius. 24. Serapio ſecundum Dioſc. emplaſtrum.
Gallina. Plin. uigeſimo. fimus rufus cũ aceto maximè recens illitus. Sextus ſimiliter.
Lactuca. Plin. xx. cũ uino & polenta.
Laurus. Plin. 23. delphica tenerrima in uino.
Lupini. Plin. 22. cum aceto.
Markaſita. Plinius. 36. cruda.
Mezereon. Serapio ſecundum Habyx, ualdè confert.
Mus araneus. Plin. 30. pendens necatus ſit, ut terram poſtea non attingat, ter circumdatus funiculo, toties expuentibus medenti, & cui me detur.
Muſcę. Pli. 30. cõtritæ digito medico, ita quod ſint impares numero.
Naſturtium. Sera. ſecundum Dioſcor. emplaſtrum cum aqua & ſale maturat. Macer. recens cum fermento. Apul. ſimiliter.
Nitrum. Plinius. 31. cum reſina, uel oleo, uel uino.
Oleũ { Balſami. Amygdalarum. Lentiſci. Plin. 23. cum cera.
Ordeum. Plin. 22. furunculum, ſi quis circuncidet cum granis nouẽ hordei ſingulis ter manu ſiniſtra, & omnia in ignem proijciat, confeſtim ſanari aiunt.
*Phirites lapis. Plinius. 36.
Populus niger. Plin. 34. aquoſitas ex ligno uulnerato.
Pulegium. Macer.
Praſium. Plinius uigeſimo, cũ ficu aut hyſſopo.
Sal. Plin. 22. & 21. cum oleo, uel cũ paſſulis, uel cum ſeuo uituli, origano, & fermento. Serapio ſecundũ Dioſcor. cum melle & oleo roſ.
Saliua. Plinius. 28. ieiuni ter præſignare incipientes ſanari. Auicenna. furunculos.
Sandali. Albu. fricatio eius ſuper teſta terrea alba.
Seuum. Plin. 28. capræ uel bubali cum ſale & oleo. Et xxx. cinis cum cinere capillorum mulieris, & arietis cum cinere pumicis & ſale. Sextus. capræ cum ſale minuto, furunculos diſcutit.
Sinapis. Plin. xxx. cum adipe anſeris.
Sordicies. Plin. trigeſimo, ex auricula pecudis.
Spuma nitri. Serap. ſecundum Galen. cum terebinthina, curat orificia eorum.
Sudor. Hal. luctantiũ maturat eos.
Tamariſcus. Plinius. 24. ſemen eius

cum pinguedine.
Ventriculus ciconiæ. Plin. xxx. cum aqua coctus.

Apoſtematibus malignis, pernicioſis, peſtilentialibus, fraudulentis, ambulatiuis, & canceroſis conferentia.

ACETVM. Auic. prohibet ambulationem.
Aſſa. Serap. ſecundum Dioſc. ſciſſo apoſtemate intromittatur. Auic. cũ inciduntur apoſtemata membrum mortificantia, ſuppoſita confert.
Atramentum. Auic. ſ. colcotar.
Cantharides. Serapio ſecundũ Dioſc. miſcetur medicinis in apoſtemate canceroſo. Auicen.
Hominis capilli. Auicenna. uſti cum butyro.
Indicum. Auic. cum farina ordei.
Lac. Auicenna. bibitum.
Lingua arietis. Colliget.
Lupini. Serap. ſecundum Dioſc. ſuper apoſtemata ancoria conferunt.
Lutum armenum. Auic. Haliab.
Orchis. Serap. ſecundum Galen. radix quæ eſt ſicca, curat apoſtemata fraudulenta putrida.
Oſtraca. Serap. ſecundum Gal. cõbuſta ſola, fraudulentis confert.
Papauer cornutum. Serap. ſecundum Gal. folia & flores multum conferunt apoſtematibus fraudulẽtis, & caueatur, quia poſt mundificationem abſtergunt fortiter, & diſſoluunt & diminuunt carnem: & ipſa auferunt eſcharas aduſtas, quę ſunt in eis.
Plumbum. Sera. ſecundũ Gal. uſtũ, lotum confert apoſtematibus malis, & oleum fricationis plumbi ſimiliter multum confert. & in apoſtematibus in quibus eſt cancer, facit mirabilem effectum.
Rhus, uide Sumach.
Ribes. Auicen. apoſtematibus quæ citò interficiunt, confert.
Rubus. Auicen. emplaſtrata, prohibet ambulationem eorum.
Semperuiua. Sera. ſecundum Gal. apoſtematibus latis quæ dilatantur in corpore.
Sumach. Sera. ſecundũ Dioſc. cũ melle & aceto, ꝓhibet apoſtemata corroſiua dicta ancoria.
Stercus. Serap. ſecundum Gal. caprarum cũ farina hordei & aceto, fraudulentis confert. Albu. hominis ſic cum cum melle, fraudulenta curat ualde.
Theriaca diateſſaron. Nicol. apoſtematibus uenenoſis dictis bonũ malum, data cum decoctione pingui, uel gentianæ.
Virga paſtoris. Auicenna. apoſtematibus cancroſis.
Viſcum. Serap. ſecundum Dioſc. cum calce & lapide gagate, aut aſio coctus ſuperponatur.
Vnguentũ { Diaphœnicon. Meſ. xj. anti. peſtilentialibus. Palmeũ. Meſ. xj. antid. De calcadis. Auic. xj. v. Sera. 23. anti. apoſtematibus peſtilentiæ. }

Phlegmaticis & frigidis apoſtematibus.

ABROTONVM. Auic. ſoluit ea.
Alkanna. Auic. decoctio eius.
Allium. Halia. cum aceto cataplaſma ſubtiliat & diſſoluit ea.
Alumẽ. Serapio ſecundum Dioſ. uſtũ illitum cum aqua.
Apium. Serapio ſecundũ Dioſc. ſmyrnion emplaſtratum, reſoluit recentia. Auicenna ſimiliter.
Arum, uide Iarus.
Bedeguard. Serap. ſecundum Dioſ. delentur cũ ea apoſtemata phlegmatica. Auicen. radix ſoluit ea.
Bdellium. Auicenna. cum ſaliua ieiuni, reſoluit ea.
Branca urſina. Circainſtans. folia cum axungia ueteri.
Caſtorium. Auicenna.
Caulis. Sera. ſecundũ Dioſc. folia ſola trita, uel emplaſtrum cum ſauich et agreſtis folia reſoluit ea.
Cherua. Serap. ſecundum Dioſc. oleũ eius cum cicuta ſedat.
Cyclaminum. Cir. cum oleo bullitum calidum ſuperponatur frigidis apoſtematibus quæ non poſſunt rumpi pro-

pi propter ſpiſsitudinem cutis, aut propter interiora, aut per exteriora purgantur.

Cotula. Sera. ſecundum Dioſ. flos cum ceroto ſoluit.

Cucurbita. Sera. ſecundum Dioſ. cruda emplaſtrata.

Cucumer aſininus. Auicen. radix cum farina hordei, reſoluit omne apoſtema phlegmaticum antiquum. Sera. ſecundum Dioſc. ſimiliter.

Daucus. Sera. ſecundum Dioſc. emplaſtrum ſeminis reſoluit.

Elaterium. Circ. ſcrupu. vj. cum farina hordei & uitello oui maturat ea.

Fœnogræcum. Serap. ſecundum Gal. Auicen.

Fæx uini. Serap. uſta & non uſta ſola & cum myrto recenti ſtringit ea.

Furfur. Auic. cum uino reſoluit.

Glandes. Sera. ſecundum Dioſc. folia arboris omnium ſpecierum eius trita, conferunt phlegmaticis apoſtematibus.

Haſce. id eſt, hyſſop. Auic. emplaſtrũ cum ceroto.

Hiera Logadij. Auicenna ij. quinti.

Hypericon. Auicenna. propriè frigidis & duris magnis.

Iarus. Cir. cum axungia ueteri apponatur apoſtematibus frigidis.

Iris, Serapio ſecundum Dioſcoridem folia cocta cum uino emplaſtrata. atque etiã radicis agreſtis emplaſtrũ.

Lilium. Auice. ſeminis & foliorum emplaſtrum. Circ. cum axungia, frigidũ apoſtema maturat.

Lupini. Circ. cum oleo, frigidum apoſtema maturant & rumpunt.

Maiorana. Auicen. Serap. ſecundum Dioſcoridem, in ceroto.

Manna. Serapio. delet ea.

Matricaria. Auic. Sera. ſecundum Galenum, emplaſtrum reſoluit.

Menta. Circ. cataplaſma ex ea cocta in uino & oleo, ſoluit ſclroſim apoſtematum frigidorum.

Myrrha. Auicenna.

Mumia. Auicenna.

Naſturtium. Auicenna. cum aqua & ſale emplaſtrum.

Nigella. Auicen. emplaſtrata. Serap. ſecundum Dioſco. antiqua apoſtemata phlegmatica reſoluit.

Oleum de ſtyrace. Auic. x. v. Serap. uigeſimoquinto antido.

Parietaria. Auicenna. folia.

Paſſulæ. Circainſtans. coctæ in uino cataplaſmatæ.

Pix. Circ. cum cera & oleo.

Platanus. Auicenna. folia.

Pſyllium. Auicen. Serapio. ſecundum Dioſcor. cum oleo roſ. & aceto, & aqua emplaſtratum.

Roſmarinus. Sera. ſecundum Dioſco. emplaſtrum ex radice humida reſoluit.

Sal. Auic. cum mentaſtro & melle.

Siſymbrium. Auicenna.

Sordes. Sera. ſecundum Gal. uniuerſaliter reſoluit apoſtemata indigeſta.

Spongia. Sera. ſecundum Dioſco. noua, reſoluit. Auic. deſiccat ea.

Tamariſcus. Plinius 24. Al. Serap. ſecundum Dioſcor. radicis corticis & fructus emplaſtrum. ſecundum Alcanzi, fumigatio.

Theca origani. Sera. ſecundũ Dioſ. emplaſtrum cum ſauich.

Teſticulus canis. Auic. roſoluit ea.

Thymus. Serap. ſecundum Dioſcor. emplaſtrum cũ aceto in principio.

Virga paſtoris. Serap. ſecundum Dioſ. emplaſtrum in principio confert frigidis.

Viſcum. Auicenna. propriè cum calce reſoluit.

Mollibus & fluxibilibus apoſtematibus conferentia.

ANETHVM. Serap. ſecundum Galen. & Dioſcorid. coctum cum oleo mollia cruda maturat. Haliab. combuſtum puluerizatum appoſitum manifeſte prodeſt.

Bedeguard. Serap. ſecundum Gal. radicis emplaſtrum, reſoluit ea.

Butyrum. Haliabas. recens maturat & aperit mollia.

Coriandrum. Hali. diſſoluit ea.

Fiſtula paſtoris. Auicenna.

Gummi marmoris. Albuk. mollibus apoſtematibus confert.

Indicum.Serap. ſecundum Galenum, diſſoluit & minuit multum ea. Haliab.ſimiliter.

Lentiſcus.Alman.diſſoluit ea.

Lycium.Auicenna

Parietaria. Galenus. vj. ſimplicium,in principio apoſtematis.

Semperuiua.Serap.ſecundum Galenũ confert apoſtematibus latis quæ dilatantur in corpore.

Tamariſcus. Auicenna. foliorum emplaſtrum.

Vlnee.Auicenna.ſedat ea.

Nodis & nodoſitatibus conferentia.

AMMONIACVM. Aui.Halia. emplaſtrum, maxime miſta pice.

Ericius marinus.Aui.caro eius.

Euphorbium. Meſue. puluis eius cum aceto forti fricatione, nodoſitates delet.

Diaquylon.Auicen.ij.quinti.

Opopanax.Meſ.emplaſtrum, reſoluit nodoſitates membrorum.

Serapinum. Meſ. cum ſucco capparis aceto linitum, nodoſitates membrorum reſoluit.

Styrax. Serap. ſecundum Albugerig,linitum,confert nodoſitatibus membrorum.

Glandulis & apoſtematibus eorum conferentia.

ASPHODELVS. Auice. radix cum fæce uini.

Althæa.Auicenna.

Apium raninum.Auicen.Kiran.aperit emplaſtrum, uel cerotum dimiſſum per tres horas.

Alſa. Ser.ſecundum Dioſ.cum ceroto & ficubus ſiccis ſuperpoſita, cõfert: aufert etiam reſiduum earum.

Cicer Auic. apoſtematibus eorum cõfert.

Fæx olei. Auicen. amygdalarum apoſtematibus confert.

Ficus. Iſaac. crudæ & coctæ cataplaſmatæ diſſoluunt.

Pix.Auic. cum ſulphure, prohibet earum exituras.

Plumbum. Auicenna. lamina eius ſuperligata.

Scrophulis & ſtrumis eorum ſecundum plurimum conferentia.

ACETOSA. Ser.ſecundũ Dioſ. quidam ſuſpendunt radicem eius ſuper habentem ſcrophulas, & dicunt ſanari.Auic.emplaſtrum,uel radix appenſa collo,ut quidam.

Adeps anguis.Plin.xxx.cum oleo.

Allium.Plin.uigeſimo crudum.

Althæa.Plinius xx. cum uino. Sera. ſecundum Dioſc.cum uino cocta,uel ſola trita confert. Aui. cum caulib⁹. Mac.flos tritus cum uino appoſitus. Vide Maluauiſcus.

Ammoniacum.Al.Hali. Aui. Serap.ſecundum Gal.reſoluit.Circ. unguentũ ex eo ſale gemma, ſale nitro ſucco marrubij, & cera.

Anguis.Plin.25.cutis eius cum oleo & cera.Vide Adeps.

Andrachne agria.id eſt, portúlaca ſylueſtris.Serap.ſecundum Dioſ. emplaſtrum cum axungia ueteri, reſoluit ea.

Aniuden. Serap. ſecundum Dioſc.radix cum ceroto reſoluit. Hali. folia cum cera & oleo.

Apium raninum.Pli. 25. appoſitum,& parte eius in fumo ſuſpenſa. Kir. emplaſtrum uel cerotum dimiſſum per tres horas.

Apium riſus.Apul.cum fimo porci appoſitum.

Apoſtolicon.Auic.xj.quinti.

Araneus. Kir. magnus niger qui in arboribus facit telam, acceptus in nomine patientis, & circumquaq; aptatus incipientes ſanat.

Ariſtolochia. Theſſalus. unguentum ex radice.

Artemiſia.Pli.26.Macer. intus ſumpta & exterius cum axungia.

Arum,uide Iarus.

Aſphodelus.Plini⁹. 22. folia cum uino cocta. quidam aiunt ſi appoſita radix eius in fumo ſuſpendatur, quarta die ſoluatur una cum radice, areſcere ſtrumam.

Aſinus

Aſinus.Auicen.cinis hepatis eius cum oleo.
Axungia.Plinius.28. cum elleboro albo,farina,& ſale.
Berbena. Apuleius. cum axungia non ſalita.
Berſceguaſcen.Auicen.Alman.
Buthormarien.Auic.ſuccus.
Bitumen iudaicum.Auicen.
Bdellium.Auicen. Haliabas. cum ſaliua ieiuni.
Braſsica ſylueſtris.Plin.uigeſimo.
Callitrichum.Apuleius.tritum appoſitum ſolũ uirginibus ſtrumas ſanat.
Cancer.Plin.22.fluuialis contritus uel combuſtus cum melle.
Cappares.Plin.xx. radix Aui. ſimiliter Sera.ſecundũ Dioſ. radix & folia reſoluunt ea. Haliab. folia cum farina hordei,manifeſte ſoluunt.
Capill⁹ Veneris.Meſ.Ser.ſecundũ Gal. diſſo'uit.Hali.folia ſuperpoſita.
Capra.Plin.38. ſeuum eius cum calce, uel ſim⁹ eius cum aceto. Haliab.eius extremorum cum oleo.
Caprificus.Plin.23. caprifici corticem impubeſcentem puer ſi de fracto ramo detrahat dentibus medullam ipſam alligatam ante ſolis ortum, prohibere ſtrumas.
Chelidonia. Plin. uigeſimoſexto, cum melle & axungia.
Centumcapita.Plinius.22.
Cicuta. Circain. cataplaſmata ex duabus partibus cicutæ & tertia ſcabioſæ.
Cyclaminum.Sera.ſecundum Gal.admiſcet medicinis reſoluẽtibus.ſecũdũ Dioſ.radicis emplaſtrũ,curat eas. Theſ.emplaſtrũ ex eo cũ cera,reſina, & lithargyro.Auic.ſuccus eius.
Cinis.Plin.27.ungulæ aſini & bouis cũ oleo. Et xxx. pullorum hirundinis muſtellæ cum axungia aſpidis cum ſeuo tauri anguis potatus talpæ exterius cum melle.Et trigeſimoſecundo,muricis piſcis cum oleo capitis mænæ piſcis cum melle. Haliab. extremorum capræ cum oleo.
Cytonia.Plinius 23.radix eorum circũ ſcripta terra, manu ſiniſtra capitur, ita ut qui capit, dicat quæ capiat, & cuius cauſa ſit alligata, ſtrumis medetur.
Cochleæ.Plin.xxx.cum teſtis ſuis uſtę illiniantur,maximè quę fructetis adhærent in fœminis.
Coriandrum.Iſa.Col. Sera. ſecundum Dioſc. cum farina fabarũ, ſoluit eas. Mac. ſimiliter. Auicenna. ſimiliter. aut ciceris.
Cucumer aſininus.Meſ. radix cum aceto cataplaſmata.
Diaquylon. Auice.xj. quinti. Alman. tract.ſeptimo.
Ericius marinus.Auicn. carnes eius.
Elleborus niger. Plin. uigeſimoquinto.Serap.vij.practicæ.
Emplaſtrum Oribaſij. Meſ. xj. anti.
Faba. Iſa. cum albumine & oleo ueteteri, diſſoluit. Serap. farina eius ſauich, alumine iameni, & oleo ueteri facto emplaſtro,reſoluit eas.
Fel.Plinius.28.apri uel bubali calidum illinitum.
Ficus. Plin. 23. folia uel fructus crudi ſi inclinata arbore ſupino ore aliquẽ nodum eius morſu abſtulerit nullo uidente, atque cum aluta colligatum licio è collo ſuſpenderit, ſtrumas & parotidas deſtruit. Serap. ſecundum Dioſc.emplaſtrum ex ficubus coctis crudis, diſſoluit eas. Iſa, ſimiliter.
Ficus Pharaonis.Auicenna. lac. & decoctio eius.
Galbanum.Plin.24.Auicenna.
Gagates lapis.Plinius.trigeſimoſexto, cum cera.
Geneſtra.Meſ.flores contriti cũ melle roſ.Auicen.cum ouo reſoluit eas.
Gramen.Plinius.24.
Gryllus.Plini⁹.30. defoſſus cum terra ſua liniatur.
Hæmatites.Plinius.36.
Hiera Logadij.Auicenna ij.quinti.
Iarus.Cir.herba cum axungia ueteri & ſquilla, uel urſina, liberat nouellas ſcrophulas.
Iris.Serapio ſecundum Dioſc.coctum emplaſtrum cum melle. Auic. Elixa lenit eas.Meſue, Propriè cocta cum aqua ſiclę,aut cauliũ, aut cũ uino,& pmiſtũ cũ melle & oleo chamęmali.

Lactuca aſini, id eſt, anchuſa. Auicen. cum adipe ſuperpoſita.

Lacertus uiridis. Plinius trigeſimo, alligatus.

Lapathum. Plin. uigeſimo, cum axungia uel uino. Macer. radix cocta in uino applicata, & radix ſuſpenſa collo, præſeruat à ſcrophulis. Circ. lapathum acutum cum axungia in nouis ſcrophulis.

Lapis. Plinius uigeſimoſexto, magnetes phirites ſiſton, & aſius cum pice & farina.

Lentes. Plinius uigeſimoſecũdo, cum mulſa uel aceto. Serapio. coctæ in aceto diſſoluunt eas. Auicenna. ſimiliter.

Lepus. Plinius uigeſimooctauo, coagulum eius. Sex. cum uino, exulceratis confert.

Limaces. Circainſt. contritæ appoſitæ.

Lolium. Serapio. ſecundum Eben Meſue aperit ſcrophulas quando comeditur aut bibitur. Auicen. cum ſemine lini reſoluit eas, ſed dirumpit cũ ſemine lini & ſtercore columbi. Iſa. cum uino & ſtercore aſini, uel canis & ſemen lini, diſſoluit eas. Mac. cum ſulphure uiuo & ſtercore columbi, & uino.

Lupini. Alman. Auicen. Col. Haliabas. diſſoluunt. Plin. uigeſimoſecundo, in aceto cocti. Serap. ſecundũ Dioſcoridem farina eius emplaſtrum cũ aceto reſoluit ſcrophulas. ſecundũ Gale. farina eorum, reſoluit eas cocta cum aceto & melle, aut cum aceto, aut aqua ſecundum complexionem infirmi & groſsitiem humorum.

Lutum abſolute. Auic. in ceroto.

Malua. Plinius. xx. cum ſaliua.

Maluauiſcus. Circin. radix cocta cum oleo, adipe qualeæ, & cera. Vide Althæa.

Mandragora. Plinius. 26. Auice. radix cum aqua Serap. ſecundum Dioſco. emplaſtrum radicis, uel foliorum cũ ſauich eas reſoluit.

Markaſita. Plinius 36.

Marrubium. Plin. xx. cum adipe.

Meliſſa. Sera. ſecundum Dioſ. folia cũ ſale emplaſtrata, reſoluunt eas. Mac. cum ſale ueteribus confert.

Mentaſtrum. Plinius. xx. exterius.

Millepeda. Plinius trigeſimo, cũ quarta parte terebinthinæ.

Muria. Plinius. 32. menarum piſcium.

Muſtella. Plin. xxx. ſanguis eius, & ipſa cocta in uino, & cinis eius cum axũgia ulceratis confert. Hali. ſanguis eius. Kir. oleum decoctionis eius cum cera, confert.

Naſturtium. Plinius uigeſimo, Apuleius tritum ſuperpoſitum.

Oleum { Cucumeris aſinini. Meſ. duodecimo antido. / Irinum. Meſ. ibidem. / Deben. Meſue. ibidem. }

Opopanax. Meſ. emplaſtratum, reſoluit eas.

Ordeum. Plinius. 22. farina eius cum pice. Serapio. maturat.

Oſtraca. Plinius. 22. cruda piſtata.

Paſtinaca piſcis. Plinius. 32. radio impoſito, ita ut celerrime auferantur.

Panis porcin⁹. Meſ. Vide Cyclaminũ.

Pentaphyllon. Auic. Plinius 26. radix quinque folij.

Perſonatia. Plinius 26. cum axungia.

Piper. Serap. ſecundum Dioſ. cum pice reſoluit. Auic. ſimiliter. Mac. cum pice dura.

Pix. Plinius. 24. cũ hordei farina & urina impuberis cocta. Sera. ſecundum Dioſ. ſimiliter cocta, aperit eas. Auic. pix humida cum farina hordei.

Polytrichum. Plinius 22.

Plantago. Plinius. 26. Serap. ſecundum Dioſcor. emplaſtrum cum ſale, & dicitur quod radix ſuſpenſa collo, reſoluit eas, nec amplius naſcuntur. Macer ſimiliter, & radix portata collo, præſeruat ab eis. Auicen. radix linguæ arietis ſuſpenſa collo & applicata.

Plumbum. Auicenna. lamina eius ſuperligata.

Praſium. Plin. xx. cum aceto & oleo.

Rana marina. Plinius. 32. oſsiculo de cauda tangere quotidie, ita ut non ulceretur.

Roſmarinus. Plinius 24. cum aceto linitus

nitus.Ser.ſecundum Dioſ. folia tritā emplaſtrata,maturant.
Ruta.Auic.Plinius. xx. cum adipe uel ſeuo.Serap. ſecundū Albugerig. gūmi eius cōfert ſcrophulis gutturis & ſubaſcellarum caputpurgio ex eo facto.
Senation. Plin. uigeſimoquinto, cum ſale.Macer ſimiliter.
Sepia.Plin. trigeſimoſecundo, oſſa earum cum axungia.
Serapinum.Meſue.
Serpens.Aui.caro & cutis abiectis extremitatibus Albuk. emplaſtrum ex cinere,liquefacit eas.
Sideritis. Plinius uigeſimoſexto, folia lata clauo ſiniſtra manu circunfoſſa alligantur.
*Silphiton.Plinius. 22.cum cera.
Sinapis.Serap.ſecundum Dioſ.emplaſtrata cum conuenientibus reſoluit eas.Auic.cum caulibus.Macer.cum axungia ueteri.
*Sirim.Plinius.21.
Scolopendria marina. Plinius trigeſimoſecundo,cum melle.
Spuma maris. Serap. illa quæ raſa eſt, ſcilicet ſpuma adarce.
Squilla.Plin.xx.ſcilicet folia.
Stercus.Plinius.xxx.columbarum per ſe,uel cum farina hordei, uel auenæ & aceto. Serapio. ſecundum Dioſc. uaccæ cum aceto,reſoluit eas, colūbi cum farina hordei,& aceto ſimiliter.Auic.cameli & capræ fortiter cū fert.Halia. columbi cum ſemine lini & aceto. Kir. columbi cum farina hordei, ireos, uiſco, & adipe porci, diſrumpit eas.
Styrax.Plinius.24.linitum.
Strychnum.Plin.uigeſimoſeptimo,illi nitum,proprium eſt.
Talpa.Plin.xxx.iecur contritum inter manus illinitum,& triduo non ablu tum,pes etiam eius dexter.
Tegula.Ser.ſecundum Dioſ.cū cereto reſoluit.Aui.ſimiliter,teſta dicit.
Terra. Plin. xxx. terra à ſcarabeis egeſta,uel à formicis illinita.
Teſtudo.Pli.32.oua dura linita ſanguis fluuialis, & caro terreſtris in cibo. Auicen.fel eius linitum.

Thyrus.i.uipera.Ser.ſecundū Dio. carnes prohibent augmentum earum. Albuk. emplaſtrum carnis earum liquefacit eas.
Tribulus.Plinius.22.radix.
Verbena,uide Berbena.
Vermes. Plini⁹. xxx. terrenos totidem quot ſunt ſtrumæ, alligant paritérq; cum his areſcunt.
Verbaſcum.Plin. uigeſimoſexto, folia in aceto aut uino.
Vipera.uide Thyrus.
Viſcum.Pli.24.cum reſina & cera.
Vitis alba.Meſ.ex ſucco eius, melle, & uino,proprie partib.ęqualibus fit potio ad eas experta, & iterū emplaſtrū ex radice & melle,delet eas.Kir.cum ariſtolochia emplaſtrum.
Vulpis.Plinius.28.teſticuli.
Vmbilicus Veneris.Apul. cum axungia ouis,& ſale ęqualiter.
Vngula aſini.Serap. ſecundum Gal. cinis cum oleo reſoluit.
Vnguentū:
- Arthanitę paruū.Meſue. xj.antidota.
- De uzifur.Aui.xj.v.
- Aſcelemanum.Serap. uigeſimooctauo ant.
- Zinziberis.Haliabas.ma phari.
- Iuſali.24.antidotar.
- Ariſtolochię.Theſſa.cū. herbæ piſcium.

Vrina.Plinius.28.calefacta.
Vrtica.Plinius.22.cum axungia.

Apoſtematibus duris, & duritiebus membrorum conferentia.

ACORVS. Plin.26. radix cocta. Adeps. Plin. 28. lupi,duritiesremouet. Serap. ſecundum Gal.leonis eſt magis iuuatiua medicina in apoſtematibus antiquis duris, & omnibus duritiebus & perfricationibus. Aui. leonis reſoluit durities. Haliab. ſimiliter.Sextus.gruis cum adipe anſeris reſoluunt.
Agnus caſtus.Serap. ſecundum Galenum,diſſoluit.
Aizoon.Plinius.26.
Algete confectio.Auic.j.quinti.
Althæa.Aui.Apul.cum fœnogręco &

ſemine lini.Macer.cocta cum melle, lenit & mollit, & cum terebinthina, maturat ea. Gal. vj. ſimplicium,maturat.Haliabas.Colliget ſimiliter.

Ammoniacum.Al.Pli.24. cum melle. Serap.ſecundum Dioſ.reſoluit. ſecũ dum Albugerig,maturat.

Aniſum.Plin.xx.in aceto.

Apium.Auic.Sera. ſecundum Galen. ſmyrnion ſpecies apij, durities & du ra apoſtemata reſoluit.

Atriplex.Plinius.xx.Mac. apoſtemata reſoluit & lenit.

Abrotonum.Auicenna. coctum cum citonijs.

Auena. Sera. ſecundum Gal.& Dioſc. emplaſtrum cum farina reſoluit.

Balſamum.Plin. 23.remouet & lenit.

Been.Auicenna.emplaſtrum.

Berbena.Plinius.26.

Buchormarien.Aui.ſuccus reſoluit.

Bulbus cinis.Haliab.cum adipe & butyro diſſoluit.

Butyrum.Al.crudum mollificat.

Bdellium.Alman.Ser. ſecundum Gal. & Dioſ.dura & cruda diſſoluit.Aui. cum ſaliua ieiuni.

Chamomilla.Auic. lenit & mollificat & reſoluit.

Cannabis.Auic.radix cocta emplaſtra ta,reſoluit.

Cappares.Aui.radix.Serap.ſecundum Galenum & Dioſ. radicis & foliorũ emplaſtrum.

Carnes uaccinę.Auicen. reſoluunt du ra apoſtemata.

Caſeus.Col.antiquus maturat.

Caſsia fiſtula.Auic.linita.

Caſtanea.Aui. cum adipe eius & porci ſalita confert duritiebus.

Caulis.Serap.ſecundũ Galenum, Auicenna.maturat.

Chamæpitys.Auicenna.

Cheiri.Sera.ſecundum Ignotum, omni duro & putrefacto confert.

Centaurea minor.Serap.ſecundũ Gal. ſicca in unguento dura & antiqua mollificat.

Cera.Sera.ſecundum Albugerig, mollificat groſsities apoſtematum.

Ceruſſa.Auicenna.lenificat apoſtema ta frigida dura.

Cherua.Almanſor.lenit.

Cicer.Auicen.confert apoſtematibus duris.

Cyclaminum.Sera.ſecundum Gal.admiſcetur medicinis reſoluentibus ea. Auic.ſuccus reſoluit.Theſſal.emplaſtrum ex eo cera,lithargyro,& reſina. Vide panis porcinus.

Cyperus.Plinius.21.reſoluit.

Cypreſſus.Serap.ſecundum Dioſ. nux cum ficubus trita lenit.

Cotula.Sera. ſecundũ Gale. cũ cera & oleo ſecundũ Dioſ. flos cũ aceto uel ceroto.Ig.folia trita cum ceroto.

Cucumer aſininus. Meſu. emplaſtrum radicis cum aceto, reſoluit apoſtemata groſſa dura.

Crocomagma.Plinius.21.mollificat.

Diaquylon.Meſ.xj.anti.Aui.xj. quinti.Sera.28.antidota.

Elleborus niger. Plin. 25. Macer. cataplaſmatus.

Emplaſtrum { Oribaſij. Meſ. j. antid. | De meliloto.Sera.uige ſimoſeptimo anti. | De ſtyrace. Via.vj. tracta.in cu. ſciaticæ. }

Eruum.Auicenna. Serapio ſecundum Dioſcoridem orobum dicit.

Fœnogræcum.Sera.ſecundum Gal. reſoluit, & farina eius cum melicrato cocta emplaſtrata,lenit& mollit.Hali.cum ſemine lini.Auic.

Fæx uini.Almanſor.

Ficus ſiccę.Sera. ſecundum Dioſ. cum calce & nitro,reſoluunt:& ipſæ & decoctio earum, mollificat omnes durities:& cum ireos,nitro,aut calce coctę,maturant.Haliab.decoctio reſoluit & maturat. Aui. cum farina hordei, & lac ficus Pharaonis etiam uehementer reſoluit.Plinius.23.folia ficus & fructus qui non maturantur mollificant ea.

Gallia.Aui.lenit apoſtemata dura.

Gith.Plin.xx.linitum. Vide Nigella.

Glandes.Plinius. 24. & corticis arboris cum axungia ſalſa.Auic.cum adipe hœdi & porci ſalita.Serap.ſecundum Dioſc. cum axungia porci ſalſa,confert apoſtematibus duris.

Gummi rutæ.Haliab.reſoluit.

Gummi

Gummi albotin. Auic. maturat ea.
Heptaphyllos. Apuleius. decocta in aceto, applicata.
Hiera Andromachi. Auic. ij. quinti.
Hypericon. Auicenna.
Hyſſopus. Meſue. Plini⁹. 26. cum uino ſumpta. Serapio, mollificat durities corporis.
Iris. Auic. elixa. Meſue, reſoluit. Serap. ſecundum Dioſ. emplaſtrata.
Iuniperus. Plinius. 24. ſemen, remouet & maturat.
Lactuca aſini. i. anchuſa. Aui. confert.
Lapathum acutum. Apul. cum axungia & pane.
Lentes. Plin. 22. cum aceto coctæ. Sera. ſimiliter, diſſoluunt dura apoſtemata. Auic. ſimiliter.
Lilium. Col. Mac. ſuccus florum albi.
Lini ſemẽ. Sera. ſecundũ Dioſ. cũ aqua diſſoluit. Hali. Aui. mollificat.
Lolium. Aui. cũ ſtercore columbi, ſulphure, & uino mollificat.
Lubue. i. ſtyrax. Auicenna.
Lutum cum ceroto. Auicen.
Lupinus cum melle.
Macis. Auicen. cum ceroto.
Malua. Hali. ſemẽ maioris & minoris reſoluit. Mac. cocta cũ oleo mollificat. Circain. maluauiſcus magis mollificat & relaxat durities.
Mandragora. Aui. Sera. ſecundũ Dioſ. emplaſtrum foliorum cum ſauich, apoſtemata dura reſoluit. Ig. folia cũ polenta. Apul. ſimiliter.
Markaſita. Plin. 36. Serapio ſecundum Dioſ. cum reſina pini, reſoluit & maturat. Auic. ſimiliter.
Maſtiche. Ser. ſecundũ Gal. nigra multum confert in diſſoluendo.
Marrubium. Hali. cum axungia.
Medulla animalis. Serapio ſecundum Dioſco. & Galenum, durities membrorum mollificat & reſoluit uituli & cerui.
Melilotus. Auicenna.
Memem. i. ſiſymbrium. Auicen.
Mum. Auicen. mollificat.
Narciſſus. Plini⁹. 21. oleum eius mollificat. Serapio ſecundum Dioſcoridem cum melle & orobo maturat.

Nigella. Serap. ſecundum Dioſ. reſoluit. Vide Gith.
Oeſypus, yſſopus humida uulgò. Alman. maturat. Auicenna, ſoluit. Albucaſis, mollit.
Oeſypi cerotum Democriti. Meſue. 9. Antidotarij.
Oleander. Auic. eſt magni iuuamenti ualde. Haliab. folia emplaſtrata reſoluunt.

Oleum:
- Vetus. Plinius. 23.
- Anethi. Nico. mollificat. Meſ. xij. antidota. reſoluit durities.
- De lilio. Auicenna. antiquę duritiei.
- Amygdalarum dulciũ. Nic. reſoluit dura.
- Cannabis in ceroto. Nic. ut ſupra.
- Benedictum. Nic. in emplaſtro cum armoniaco.
- De ben. Meſ. xij. antido.
- Irinum. Meſ. xij. antido.

Oleum maſtichinum. Meſue. ibidem. Auicen. decimo quinti.
Ordeum. Plinius uigeſimoſecundo, cum fimo columbi, aut ficu, aut cinere. Auicen. farina eius cum pice & colophonia. Serap. ſecundum Dioſcoridem, cum oleo, reſina pini, & ſtercore columbi, dura apoſtemata maturat.
Origanum. Mac. ſuccus cum oleo & aceto in lana ſuccida applicatum.
Opopanax. Auicenna.
Oxycroceum emplaſtrũ. Nic. in quacunque parte apoſtemata dura mollificat & reſoluit.
Panis. Plinius. 22. cum mulſa mollit, cũ uino reſoluit.
Panis porcinus. Meſue ſecundum omnem modum adminiſtrationis, confert apoſtematibus duris. Vide Cyclaminum.
Pentaphyllon. Auice. uigeſimoſexto, quinque folium coctum in aceto.
Perſicaria. Auic. recens, & ſemen eius emplaſtrata reſoluit.
Pira. Plin. 23. decoctio eorum.
Pix. Col. Ser. ſecundum Dioſ. humida

reſoluit.ſecundũ Gal. ſicca, oĩa apoſtemata dura maturat ĩ emplaſtris appoſita, ſed humida pluſquam ſicca. Aui.mollificat proprie humida.

Porrum.Macer.reſoluit.

Planta leonis. Apul.trita cum axungia ſine ſale, diſſoluit. Mac. minor cum axungia ueteri maturat.

Propolis.Pli. 23.prima cera.

Raphanus.Sera. ſecundum Atabari,reſoluit durities.

Rôſmarinus.Ser.ſecundum Dioſ.folia trita emplaſtrata maturant.

Sanguinaria.Apul.cum axungia & pane reſoluit.

Sapo.Serap.ſecundum Albaſari,mollificat apoſtemata dura.

Serapinum.Meſue. reſoluit durities & nodoſitates.

Serpentaria. Meſ. auctoritate Galeni, reſoluit durities & apoſtemáta dura.

Sinapis.Plinius uigeſimo.

Siſamum.Apul.lenit & mollit.

Sycomorus.Auic.Sera.ſecundũ Dioſ. lac eius tempore ueris ſumptum exiccatum,reſoluit ea.

Sordicies.Ser.ſecundũ Gal. ex corpore exercitantis reſoluit.Haliab.ex lana caudæ pecudis,mollificat.

Smyrnion.Plinius.27.radix illinita.

Stercus.Aui.porci cum ceroto, & ficcum cum aceto.Sera.ſecundũ Dioſ. uaccæ cum aceto, apoſtemata dura reſoluit. Sex. columbi cum oleo, & tauri cum ſale & elephantis reſoluit. Kir.murium diſſolutum in aqua.Serap.ſecundum Gal. bouis cum aceto,confert apoſtematibus duris. Hali.capræ cum aceto.

Struthium.Ignotus.cum polenta hordei & uino reſoluit.

Taurus.Sera. ſecundum Dioſ. ſanguis emplaſtratus cum ſauich, dura apoſtemata reſoluit & mollificat. Auic. calidus. Sextus. ſeuum eius cum reſina & cera.

Theca origani. Sera. ſecundum Dioſ. emplaſtrũ cum ſauich, reſoluit apoſtemata dura phlegmatica.

Tegula. Serap. ſecundum Dioſc. cum ceroto reſoluit.

Theriaca magna.Serap.8.antid.

Triticum.Iſaac.coctum cum oleo diſſoluit dura.

Verbaſcus. Plinius uigeſimoſexto, folia & radix cocta.

Verbena Plinius.20.

Vinacia.Serap.ſecundum Dioſ.emplaſtrum cum ſale.

Vitis alba.Meſue. Auicenna. radix cũ uino.

Vnguentũ:
- Aſcelenianum. Serap. 28. antidota.
- Baſilicon. Sera. ibidem.
- Ginabaris.
- Zimaſari.
- Iuſali.
- Colcotari.
- Diaquylon. Haliab. 24. antidotarij.
- Ariſtolochię. Theſſaca. herbæ piſcium Auice.

Vrtica.Auic.Hali.ſemen mollificat.

Vſnee.Auicenna.

Zinziber caninum.Aui.recens,uel ſeminis eius emplaſtrum.

Antiquis apoſtematibus conferentia.

ADEPS. Serap.leonis.

Been.Ser. ſecundũ Dioſ. emplaſtrum cum aqua,reſoluit ea.

Sinapis.Auicenna.

Virga paſtoris.Auic.Serap.ſecundum Galenum.

Melancholicis apoſtematibus, & Inflationibus conferentia.

BRASSICA. Pli.xxx. ſylueſtris.

Nux.Aui. medulla maſticata ponatur ſuper apoſtema melancholicũ ulceroſum,& confert.

Inducentia cancrum.

CARNES. Groſſæ.Auic.uaccinæ. Iſaac.Auicenna.

Comedere in uaſe æneo. Serap. maximè acria.

Lentes.Iſa.cum corticibus coctę.Gal. primo alimen. multus earum uſus. Auicen.ſimiliter.

Melon

Melongia.Iſaac.Auicenna.

Cancro conferentia.

ALVMEN. Circ. cum uermibus in pingui terra inuentis, appoſitum, ualet. & ſimiliter licinium unctum melle,& ſuperaſperſum puluere eius.

Antimonium.Circ.puluis cancro corrodenti optimus eſt.

Cancer fluuialis.Ser.ſecundũ Dioſ. cinis cũ melle cocto.Plinius.32.ſimiliter cũ melle & alumine, & cinis cancri marini cum plumbo.

Capra.Sex.ſtercus eius cum melle.

Caulis.Sera.ſecundũ Dioſ. crudus tritus bis die appoſitus,ita quod locus primo lauetur aqua uel uino.

Chelidonia.Circa.radix cum puluere roſato in aceto cocta.

Cerifolium.Mac.appoſitum cũ melle.

Cera.Serap.ſecundum Dioſ. poſita in aqua,& emplaſtrata.

Confectio Hamech.Meſ.iij.anti.

Confectio alfazurine.Meſ.ij.anti.

Dragontea.Sera.ſecundum Gal.ſemẽ. Mac.ſuccus in lana.Igno.ſimiliter.

Elleborus.Meſue.niger.

Emplaſtrum arabicũ. Meſ. xj. antido.

Epithymum. Meſue. Decoctio epithymi.Meſ.vij.antid.& in cura ſodæ melancholicæ.

Fœnogræcum. Plinius uigeſimoquarto,coctum in oxymelle.

Ficus ſiccę.Plinius.23. ſi ſine ulcere eſt quam pinguiſsimam imponi pene ſingulare remedium eſt.

Hiera Raſis.Meſue.3.Antidot.

Hiera Logadij.Auicenna.ij.quinti.Serapio 9.Antid.

Hyſſopus,(forte œſypum.)Plinius 30. cum cinere hordei & æruginæ æqualiter.

Lapis armenus.Meſue.

Lilium.Apul.folia tunſa impoſita.

Lolium.Macer.cum raphano & modico ſalis.

Melilotus.Plinius.21.cum oleo.

Multipeda. Plinius trigeſimo, trita cũ terebinthina.

Muſtella.Plinius trigeſimo,fumus eius & cinis.

Naſturtium. Plin.uigeſimo, cum aceto & albo oui.

Oleum de iunipero.Meſ.xij.antid.

Oleum de fraxino.Meſ.xij.antid.

Paſſulæ. Serapio ſecundum Dioſcoridem,cum ruta.

Paſtinaca.Mac.ſemen cum melle.

Pecus. Plinius trigeſimo, cinis fimi cũ nitro, aut cinere oſsium femorum agni.

Pentaphyllon. Apuleius. cum adipe ſuis non ſalita.

Pilulæ indæ.Meſ.x.antidota.

Pilulæ de lapide armeno. Meſ. in cura ſodæ melancholicæ.

Plumbum.Serap ſecundum Gal. oleũ fricationis eius in apoſtemate mirabiliter operatur ubi eſt cancer. Auicenna. fricatio unius plumbi ſuper alio cum oleo.

Sal.Plinius.31.cum uua taminia.

Serpentaria.Circ. cum tertia parte calcis & aceto,optimum eſt.

Syrupus de epithymo. Meſ.vj. antido.

Tamariſcus.Plin. uigeſimoquarto, cũ melle linitus.

Tithymalus.Ser.ſecundũ Dioſ.lac ei⁹.

Vnguentũ
- Arabicum.Meſ.ij. ant.
- De uzifur.Aui.xj.v.
- Ginabaris.
- Zimafari.
- Iuſali.
- Calcatar.Hal.24.antido.
- Ariſtolochię.Theſſa.ca. herbę piſcium.

Vrtica.Serap.ſecundum Galen.ſemen tritum.Auic. ſemen emplaſtrum,cinis eius etiam.

Cancrenis vel gangrenis conferentia.

ACETVM. Auicen.prohibet eorum ambulationem.

Cantharides.Auicen.linitæ.

Cancer. Plinius uigeſimoſecundo, cũ melle.

Cinis. Plinius uigeſimoquarto, foliorum ficus. Et uigeſimooctauo ungularũ aſini.Kiran.hirundinis cũ melle.

Columbus. Kiran. ſtercus cum farina hordei,ireos, uiſco, & adipe porci.

Eruum.Plin.22.farina eius cum rapha no,ſale,& aceto.
Fel.Plin.28.urſi linitum cum penna.
Laurus.Plin.uigeſimotertio,bacca eius cum melle.
Lacticinia.Auicen.in ceroto.
Lentes.Plin.22.cum balauſtia.
Lini ſemen.Plinius.uigeſimo.
Lumbrici terreni. Circainſt. cum melle appoſiti.
Lupini.Plin.22.cocti in pluuiali.Auic. decoctio.
Marrubium.Plinius.uigeſimo.
Nuces.Plinius.23.ueteres.
Paſſulæ.Plin.23.cum oleo coctæ.
Pentaphyllum.Plinus.25.
Pomfolyy.Plinius.24.
Raphanus. Auic. emplaſtrum cũ melle eradicat integre.
Tamariſcus.Plin.uigeſimoquarto,folia cum melle.
Tithymalus. Plinius. uigeſimoſexto, ſuccus uel decoctio ramorum cum polenta & oleo.
Vitis alba.Plinius.24.cum ſale. Kiran. cum ariſtolochia.

De ſolutione continui in oſsibus maximè, & reſtauratione.
Caput II.

Verberatis & flagellatis conferentia.

LANA. Plinius.xxix.cinis eius.
Pentaphyllon.Plinius.26.
Pellis.Haliabas.capræ ſtatim excoriata calida applicata,manifeſte prodeſt.

Contuſioni, & Percuſsioni, Fracturis, & Eneruatis conferentia.

ABSINTHIVM. Circa.emplaſtrum ex ſucco cymino & melle dolori contuſionis ualet.
Acacia.Haliabas.decoctio eius applicata.
Acetum ſquilliticum.Plin.23.
Acorus.Plinius.26.radix.
Agaricum.Plin.26.Auic. Serap.ſecundum Dioſc. cum uino ſumptum. ij. anoloſat.
Aizoon. Plinius uigeſimoſexto, ſucc⁹ maioris efficax eſt.
Althæa.Pli. uigeſimoſeptimo, Macer. flos eius cum uino.
Amygdala.Auic.amara.
Ariſtolochia.Plin.xxv. & xxvj. Serap. ſecundum Gal.bibita cum aqua, cõuenit conquaſſationibus accidentibus in capitibus neruorum & muſculorum plus omni medicina.
Axungia.Plinius.28.
Baccar.Plinius.21.
Balauſtia.Auic.puluerizata.
Balſamum.Plinius.23.
Betonica.Plin.26.Sera. ſecundũ Dioſ. drac.j. foliorum cum hydromelle, uel aqua ſumpta.Mac.puluis. Muſa. drac.ij.cum uino ueteri.
Braſsica.Plinius uigeſimo.
Bulbus.Ignotus. cum melle tritus appoſitus.
Chamædrys.Plin.24.Macer. cum aceto ſumpta.
Cedrus.Plin.24.fructus eius.
Centaurea.Pli. 26. minor potata. Aui. cum uino ſumpta.
Centumcapita.Plinius.22.
Ceruus.Aui.pellis recens ſuperpoſita, ſtatim prohibet nocumenta.
Conſerua. Pli. 27. curatum ea ſcio fere omnibus oſsibus confractis prolapſum ex arbore alta putatorẽ,circundata uniuerſo corpori:aquã ſuã aſpgentibus,quoties inareſceret,raroq; nec niſi deficiente herba, mutatiõis cauſa,reſoluentibus,conualuiſſe uix credibili celeritate.
Cutis.Serap.ſecundum Gal.arietis recens ſicut excoriatur appoſita, pcuſſioni curat læſionem in die & nocte.
Dragontea,id eſt, dracunculus.Serap. ſecundum Dioſcor.folia.
Faba. Sera. emplaſtrum farinæ eius cũ ſauich hordei, confert mẽbris apoſtematis propter percuſsionem.
Fel.Plin. xxx. ouis cum lacte mulieris.
Ficus.Plin.23.cinis ſumptus. Serap.ſecundum Dioſc. aquæ cineris datur unc.j.& 5.cum tanto olei ad coagulationem ſanguinis,& caſui,& attritioni.
Fimus. Plinius. 28. apri uel ſuis ſicus

eus, uel combuſtus, potatus, & etiam recens applicatus.

Galbanum. Plinius. 24. ſumptum. Ser. ſecundum Dioſ. quantum faba ſumptum, caſui confert.

Gentiana. Plini⁹. 36. potata. Aui. radix. Sera. ſecundum Dioſc. ſucci drac. j. cum aqua, confert caſui & attritioni neruorum.

Hiera. Andromachi, Auice. ij. quinti.

Hypociſthis. Haliab. emplaſtrata.

Iuniperus. Pli. 24. ſemẽ cum uino ſumptum. Hali. gummi eius.

Kitram. Haliabas.

Lactuca. Plinius uigeſimo.

Lana. Plin. xxix. ipſa & cinis eius. Sera. ſuccida.

Lilium. Plinius. 21. radix.

Lutum ſigillatum. Auic. conſeruat mẽbra apud caſum, & reſtaurat. Sera. ſecundũ Dioſco. datur in potum poſt caſum in quo timetur læſio interiorum, & liniuntur eo membra poſt pcuſsionem & caſum, uel attritionẽ, & prohibet apoſtemari, & ſi fuerit ſolutio continui conſolidat.

Marrubium. Plinius. xx.

Maſtiche. Plinius. 24.

Millefolium. Plin. 24. bibitum.

Myrtus. Hali. cum ſucco hordei.

Myrrha. Haliab. cataplaſmata.

Mumia. Al. Hali. Sera. ſecundũ Albugerig. confert fracturis & conquaſſationibus interiorum corporis & exteriorum, & habet proprietatem ſedandi dolores in fracturis potata & linita. ſecundum Eben Meſ. eſt bona doloribus diſlocationis & fracturis, & caſus, & percuſsionis bibita, & in percuſsione inuncta.

Narciſſus. Plinius. 21.

Nux græca. Plin. 23. cum aceto & abſinthio ſumpta.

Oleum myrtinum. Plinius 23.

Origanum. Mac. ſumptum, uel ſuccus eius cum oleo, & in anetho, & in lana ſuccida applicatus.

Panis. Plinius. 22. in aceto.

Panace. Plinius. 26.

Parietaria. Plin. 22. Verna charus Pericli Athenienſium principi, cum is in arce templum ædificaret, repſiſſetq; ſuper altitudinem faſtigij, & inde cecidiſſet, hac herba dicitur ſanatus, monſtrata Pericli ſomnio à Minerua quare parthenium uocari cœpta eſt.

Pinus. Serap. ſecundum Gal. folia minoris quæ nominata eſt cauliculáris, percuſsiones & uerberationes in carnat. Auicenna. ſed folia ſunt conuenientiora.

Pix. Serap. ſecundum Galenum, ſicca in emplaſtris, incarnat fortiter loca percuſsionis.

Polyrrhizos. Plinius. uigeſimoquinto, ſpecies ariſtolochiæ.

Porrum. Macer. appoſitum.

Plantago. Plinius uigeſimoſexto, omnibus modis confert.

Rhecoma. Plin. 27. decoctio bibita, ſi pectoris ſint dolores, additur piperis aliquid, & myrrhæ: ſi diſſolutio ſtomachi eſt, frigida.

Reſina. Plin. 24. lentiſci utiliſsima.

Reubarbarum. Auicenna. drach. ij. cum uino ſumptæ, aut olei eius inunctio.

Robilię. Serap. ſecundum Meſcha, emplaſtrum confert membris conquaſſatis & ſecundũ Abaſari, emplaſtrũ ſedat dolores eorũ. Auic. emplaſtrũ cum uino & croco. Iſ. cataplaſmatæ membris fractis appoſitum, ſedat, & dolores aufert.

Rubeæ. Aui. drac. j. cum ij. reubar. cũ uino paſſularum ſumpta.

Ruta. Plin. uigeſimo, ſemen cum oleo appoſitum.

Sal. Meſ. cum ſulphure & melle, ualet caſui ſuper membrum contritioni neruorum.

Sanguis. Auicen. turturis & columbæ cum oleo roſato, prohibet apoſtemari in caſu.

Symphytũ. Pli. 26. radix uel decoctio. Theſ. emplaſtrum ex radice.

Sumach. Auic. non ſinit apoſtemari & uiriditatem emplaſtratum.

Scordion. Plinius. 26.

Spongia. Plinius. 31.

Stercus. Sera. ſecundum Dioſc. apri cũ aceto, attritionibus confert.

Smyrnion, Plinius. 27. radix.

Trochiſci de reubar. Auic. 8. quinti.
Verbaſcum. Plinius. 26. habens aureos flores.
Vitis. Plin 23. cinis cum oleo.
Vinum. Plinius. 23. picatum exterius. Auicenna. bibitum.
Vitis alba. Plinius. 24. radix.
Vlmus. Auicen. cortex ſicut ligamentum ſuperpoſita uel inuoluta.
Vnguentum palmeum. Meſ. undecimo antidota.
Vnguentum calcadis. Serap. 28. antid.

Oſſium contuſionibus, Luxationibus, & Fracturis conuenientia. (Item conuulſis & ruptis.)

ABROTONVM. Plinius 21. conuulſis confert & rupturis.
Acanthos. Plinius. uigeſimoſecundo, radix ſumpta, mirabiliter confert. Ig. herba contuſa applicata.
Agnus caſtus. Plinius. uigeſimoquarto, cum ſale & nitro.
Allium. Plinius. xx. cum ſale & oleo.
Alkanna. Auicenna. ſola, & cum cerato, & oleum eius.
Alkekengi magnum. Auicen. j. quinti.
Althæa. Plinius. xx. & xxvij.
Amurca olei. Plinius. 23. cocta poſita in lana.
Anchuſa. Plinius. 22. folia cum melle & farina applicata.
Aqua maris. Plin. 31. balneatio.
Aqua ferruminoſa. Plinius. 31.
Ariſtolochia. Plin. uigeſimoquinto, quædam eius ſpecies.
Aron. Plin. uigeſimoquarto, cum melle imponitur.
Arundo. Plin. 24. potati oboli. ij. uel radix cum aceto.
Aſphodelus. Plin. 22. interius.
Agrimonia. Apul. cum axungia.
Axungia. Plin. uigeſimooctauo, laxationibus confert.
Baccar. Plin. xxj. conuulſis confert.
Balſamum. Plinius. 23. ruptis confert.
Betonica. Plinius. 26. ualet. Macer. puluis eius.
Bulbus. Ignotus. cum melle tritus applicatus, conuulſis confert.
Braſsica. Plinius uigeſimo, cum ruta exterius conuulſis.
Calx. Plinius. 36. cum adipe aut reſina & melle, luxationibus confert.
Chamædrys. Plinius uigeſimoquarto, conuulſis ualet.
Cancer. Plinius trigeſimoſecundo, fluuialis tritus in lacte aſinæ maxime ſanat ruptiones.
Capra. Sex. ſtercus impoſitum, non ſinit conſurgere timorem in diſlocatione.
Carnes bubali. Plinius 28. applicatæ in diſlocatione.
Cedrus. Plinius 24. fructus eius.
Centumcapita. Plinius. 22.
Centaurea. Plinius. 25. minor.
Cerebrum. Plin. uigeſimooctauo, canis illitum appoſita lana uere in viij. diebus, ſanat.
Cedrides. Plinius. 24. conuulſis & ruptis confert.
Cinis. Plinius uigeſimotertio, ficus interius ſumptus cum oleo applicat⁹. Et uigeſimooctauo, cinis maxillæ apri uel ſuis. Et xxx. muris ſylueſtris cum melle, aut ex uermibus terrenis, cito conſolidat.
Cyperus. Plinius uigeſimoſecundo, folia luxationibus confert.
Enula. Macer. ſuccus cum ſucco rutæ ſumptus. Vide Inula.
Fel. Plinius uigeſimooctauo, ouis cum lacte mulieris.
Fœnogræcum. Plinius uigeſimoquarto, cum aceto laxationi.
Fœniculum. Plinius 26.
Fimus. Plinius 28. apri, uel ſuis interius, & recens extra applicatus, & uituli & capræ in fracturis coſtarum cũ uino ueteri unice laudatur.
Galbanum. Plinius. 24.
Gentiana. Plinius. 25.
Heliotropium. Apul. contuſum, appoſitum, luxationi & diſlocationi cõfert.
Herba iuxta quam mingunt canes. Plin. 24. iuxta quam canes urina fundunt, euulſa ne ferro attingatur, laxatis celeriter medetur.
Hyoſcyamus. Auicenna.
Inula. Plinius. uigeſimo, conuulſis ualet. uide Enula.

Iuniperus.Plin.uigeſimoquarto,ſemẽ cum uino ſumptum.
Lactuca.Plinius uigeſimo,cõuulſis exterius ualet.
Lana. Serap. ſecundũ Dioſc. infuſa in aceto & oleo, aut uino fractis confert.Plinius 29.ſuccida.
Lardum.Plin.28.elixum circumligatũ mira celeritate ſanat.
Libanotis.Plinius uigeſimo.
Lilium.Plinius 21.radix.
Liguſticum.Plinius uigeſimo.
Lutum armenum.Hali.cum acacia.
Marrubium.Plinius uigeſimo interius conuulſis & fractis ualet.
Maſtiche.Auicen.decoctio foliorum & ſuccus appoſitus.
Mentaſtrum. Plin. xx. conuulſis confert & fractis.
Myrrha.Auic.cum carne oſtracorũ linita,cartilaginibus læſis confert.
Mithridatum.Nicol. diſtorſioni ualet appoſitum.
Mulſa.Plin.22.laxatis confert.
Mumia.Alman.Serapio.
Narciſſus.Plin.21.laxatis confert.
Nuces.Plinius 24.cum ruta & melle, laxatis confert.
Oleum myrtinum.Plinius 23.conuulſis & laxatis confert.
Oxycroceum.Nicolaus. ualet fracturis oſsium.
Panis.Plinius uigeſimoſecũdo, in aceto laxatis ualet.
Paſtinaca.Plin.xx.oſsibus & cartilaginibus confert læſis.
Pulegium.Plinius xx.ſylueſtre,cõuulſis confert.
Polypodium.Plin. 26. exterius applicatum,laxatis confert.
Praſiũ.Plinius uigeſimo, ruptis & conuulſis ualet.
Rhecoma.Plin.27.decoctio data, con uulſis & ruptis confert.
Roſmarinus.Plinius uigeſimoquarto, conuulſis ualet.
Sal.Plinius 31.cum aceto,uel cum farina & melle,laxatis.
Sanſucus. Plin. 21. oleum eius cum cera.Ig.ſimiliter, laxatis confert.
Sarcocolla.Sera.Auic.reſtaurat.
Seuum. Plin. xxx. leporis cum cinere capillorum mulieris.
Symphytum.Plin.27.radix.
Spongia.Plinius 31.
Spuma maris.Plinius 28.recens cũ aceto,laxatis confert.
Thymus.Plinius uigeſimoprimo, exterius,laxationi ualet.
Vinum. Plinius 23. picatum exterius, conuulſis ualet.
Vitis.Plinius 23. cinis cum aceto & roſaceo,laxatis.
Vitis alba.Plin.23. radix.Kiran.ſuccus foliorum bryoniæ cum tanto uino potus.
Vitis nigra.Ignotus. cataplaſmata, laxatis ualet.
Volubilis. Haliabas. cocta cum uino ſuperpoſita.
Vrtica.Plinius 22. laxatis.

Reſtaurantia oſſa fracta.

GVMMI Arabicum.Serap.ſecundum Habyx.emplaſtrum conglutinat oſſa fracta.
Lutum ſigillatum. Serapio. reſtaurat. Auicenna ſimiliter.
Maſtiche.Serap.decoctio corticis arboris ad ſpiſsitudinem mellis cocta. Auicenna. decoctio foliorum & ſuccus.
Myrtus.Auicenna. embrocata decoctionis eius.
Vitis alba.Serap.ſecundum Dioſ. emplaſtrum cum rob, uel radix diſſoluta cum oleo.

Cooperientia oſſa carne.

CENTVMcapita. Plinius 22. cũ axungia & cera confert carni recedenti ab oſſe.
Emplaſtrum Arabicum. Meſ. undecimo antidotarij.
Fœnogræcum. Plinius 24. carni recedenti confert.
*Higor emplaſtrum.Plinius 24.
Iris.Auicen.Mac. cum melle. Serap.ſecundum Dioſc. ſimiliter. Meſ. capitulo proprio.
Myrrha.Serap. ſecundum Dioſ. cocta cum carne conchulæ marinę. Auic.

conſolidat & cooperit ea.

Opopanax.Sera.ſecundum Dioſc. cũ melle.ſecundũ Gal.cortex radicis.

Ordeum.Plin.22.farina eius, uel cinis eius cum meliloto, carni recedenti confert.

Peucedanum. Serap. ſecundum Gal. cortex appoſita oſsi cuius corticẽ uolumus extrahere,expellit cito & incarnat.

Squamma ferri.Plinius 34.

Thapſia.Serap. ſecundũ Dioſ.unguentum ex ſucco eius,ueſtit oſſa carne.

Vnguentum diaphœnicon.Meſ.undecimo antidot.

Vrtica.Plinius 22.Macer.

Oſsibus corruptis conferentia.

ARON. Plin.24. cum melle.

Omphacium.Plin.23.

Orchis,id eſt ſatyrion.Plin. uigeſimoſexto,radix.

Peucedanum. Auicenna. abradit oſſa corrupta.

Trochiſci *diaſtenaton.Hali.xiij.ant.

Educentia fragmenta oſsium.

ANAGALLIS.Plin.uigeſimoſexto.

Ariſtolochia longa. Plin.25.& 26. cum reſina.Serap. ſecundum Dioſ. emplaſtrum ex herba.Igno.

Balſamum.Auicenna.

Betonica. Serap. ſecundum Dioſc.recens emplaſtrata.

Chalcanthum. Plin. uigeſimoquarto, cum ſemine hyoſcyami.

Caprificus.Plinius 23. frondes & folia cum folijs papaueris.

Columbus.Plinius trigeſimo, ficus eius cum melle.

Crocomagma.Plinius 21.

Dragontea, id eſt dracunculus. Apul. radix cum axungia.

Eruca. Plinius uigeſimo, radix cocta. Macer.ſimiliter.

Emplaſtrũ quoddã de frumento.Meſ. xj. anti. efficax eſt ad extrahendum ſpinas & ſurculos,& oſſa cranei infixa etiam ſi profunda ſint.

Emplaſtrum mirabile relatum Nicodemo.Auic.xj. quinti, extrahit oſſa corrupta,ſurculos & ſpinas.

Emplaſtrum barbaſsi. Theſ. cap. herbæ Mercurij.

Euphorbium.Serap. ſecundum Dioſ. excoriat oſſa una die, & ſeparat ab eis fragmenta:oportet tamen quod caro circunſtans oſsi permuniatur ceroto aliquo,uel pãnis lineis. Auicenna ſimiliter.

Ficus. Plin.23. caules eius fouere cum folijs papaueris ſylueſtris.Ser.ſecundũ Dioſ.ficus immaturæ cũ folijs papaueris & melle.Aui.ſimiliter.Iſ.crudæ cũ frondibus papaueris agreſtis extrahit oſſa ex uulneribus.

Galbanum.Plin.24.

Iris agreſtis. Serap.ſecundũ Dioſ. emplaſtrum ex radice partem unam,floris æris partes tres,centaureæ partes duas,& parum mellis.

Lacertus uiridis.Plin.xxx.cinis eius.

Limaciæ. Serap. ſecundũ Galenum & Dioſc.tritæ cum cortice.

Lini ſemen. Plin. uigeſimo cum radice cucumeris ſylueſtris.

Lolium.Plin.22.cum melle.

Mus ſylueſtris. Plin. trigeſimo, cinis eius cum melle,aut cum uermibus terrenis.

Pecus.Plinius xxx.pulmo eius.

Peucedanum.Aui.Plin.26.radix. Serapio ſecundum Gale. radix appoſita expellit cito corticem oſsis,& incarnat ipſum.ſecundũ Dioſ.puluis radicis extrahit cortices & ſquammas, ſeu fragmenta.

Seuum.Plin.xxx.arietis cum nitro.

Spolium ſerpentis. Plinius 30.

Vitis alba.Plin.23.maximè radix. Sera. ſecundum Dioſ. emplaſtrũ.Aui. emplaſtrum cum uino.Meſ. propriè cũ uino & melle.

Vitis nigra.Plinius 23.

Xylobalſamum.Sera. ſecundũ Dioſc.

Sagittas, & alia infixa corpori extrahentia.

ABROTANVM.Plinius 21. Macer.per ſe,uel cum axungia.

Allium.Plinius xx.cum pice.

Ammoniacum.Haliabas.

Anagallis.Auic.Serap. ſecundũ Galenum

num & Dioſcoridem.

Agnus. Plin. 30. oſſa eius cum coagulo cuiuſcunque, intra tertium diem approbant effectum.

Apoſtolicon emplaſtrum. Nicol. extrahit lanceam uel ſagittam.

Ariſtolochia. Hal. Aui. Col. Mac. Ign. Plin. 26. longa cum reſina. Serap. ſecundum Dioſ. emplaſtrum ex herba extrahit. ſecundum Gal. rotũda. Meſ. utraq; eſt extrahens ſpinas & fracturas lignorũ infixas carni.

Arundo. Plin. 24. radix filicis ſtirpem extrahit, & radix Iudaicæ arundinis, & folia cypriæ. Auic. radix cum cepe ſyluestri.

Auricula muris. Auicenna. quædam eius ſpecies.

Barbaſſus. Plinius 26. ſemen & folia cocta in uino. Theſ. unguentum ex radice.

Berberis. Serap. ſecundum Dioſc. radix trita emplaſtrata.

Bulbus. Serap. ſecundum Dioſc. emplaſtratus.

Cancer fluuialis. Plin. trigeſimoſecundo. Auicen. Kiranides.

Canna. Serap. ſecundũ Dioſc. & Gal. ſola radix aut cum bulbo.

Centum capita. Plinius 22.

Cyclaminum. Plin. 26. radix cum melle & uino partibus æqualibus. Meſ. cap. proprio de artamita.

Cochleæ. Plin. 30. quę manduntur exemptæ teſtis cum coagulo leporis, efficacisſime ſunt. de his quæ gregatim folia ſectantur, tunſæ impoſitæ cum teſtis.

Coagulum. Plin. 28. maximè leporis cum thure & oleo, aut propoli.

Daucus. Plinius 26. ſemen.

Dictamnus. Plin. 26. interius & exterius. Apul. interius ſumptus. Serap. ſecundum Dioſ. dicitur quod ſi animalibus percuſsis ſagitta, detur in cibo, de hac herba egredietur ſtatim ſagitta.

Emplaſtrũ:
- Quoddã frumenti. Meſue. xj. ant. efficax eſt.
- Mirabile relatum à Nicodemo. Auic. ix. v.
- Barbaſsi. The. cap. herbæ Mercurij.

Fel. Plinius uigeſimooctauo, maxime caprarum cum uino.

Fiber. Plinius 32. pellis eius uel fimus combuſtum cum pice liquida & cũ ſucco porri.

Filix. Plin. uigeſimoquarto, radix eius extrahit arundinem infixam.

Guadar ſpecies oſtrei. Auicenna. uide Oſtrea.

Harbe, eſt animal quoddã. Serap. ſecũdum Galenũ, trita applicata. ſecundum Dioſ. caro ſalſa & uetus applicata.

Iris agreſtis. Serap. ſecundum Dioſcoridem, emplaſtrum radicis pars. j. floris ęris partes. iij. terebinthinę partes quinq;, & parum mellis.

Indicum. Auicen. propriè cum farina lolij.

Lactuca aſini, id eſt, anchuſa. Auicen. radix.

Lacerta. Plinius trigeſimo, diſcerpta applicata, uel caput eius ſolum contuſum cum ſale.

Lapis magnes. Cir. puluis cum apoſtolicon, trahit ferrum.

Leontopodion. Plin. uigeſimoſexto, ſemen illitum.

Limax. Serap. ſecundũ Gal. & Dioſc. trita cum cortice ſuo.

Lini ſemen. Plinius 20. cum radice cucumeris agreſtis.

Lolium. Haliabas. ſuperpoſitum.

Mandragora. Plinius uigeſimoſexto, folia cum polenta.

Mum. Serap. ſecundũ Dioſ. emplaſtrũ. Auicen. nigrum ex eo.

Mus. Plinius 28. & 30. diſſectus impoſitus.

Narciſſus. Plinius uigeſimoprimo. Serap. ſecundum Dioſcoridem, emplaſtrum cum lilio & melle, infixa extrahit & incarnat. Auicenna ſimiliter.

Naſturtium. Plinius uigeſimo, cum pice.

Oſtrea. Auic. tota cum carne ſua. uide Guadar.

Piſces. Auic. quidam ſaliti.

Propolis, id eſt, prima cera. Plinius uigeſimoſexto.

Pſeudodictamnum. Plinius. 26.

Roſæ. Auicen. ſecundum quoſdam.

Rubus canis.Serap. ſecundum Dioſc. radicis emplaſtrum.
Salſamentorum carnes.Plin.32.
Sepia.Plin.32.teſta eius cum aqua.
Sideritis.Plinius 25.
Silurus fluuialis. Plinius 32.carnes impoſitæ recentes, uel ſalſæ,uel eius cinis.
Sordicies.Sera.ſecundum Dioſc.ſemicupij balnei. Aui.aluearis & balnei.
Stellio.Auicenna.
Terebinthina.Haliabas.
Verbaſcum,uide Barbaſſus.
Vitis alba.Meſ.extrahit ſpinas & ligna propriè cum uino & melle.
Vrtica.Plinius 22.cum ſale.
Vrina hominis.Plin.38. lana uel ſpongia impoſita.
Xiphion.Serap. ſecundum Gal.radix ſuperior cum uino & olibano emplaſtrata.

De ſolutione continui in carne & cute. Cap. III.

Vlceribus & plagis conferentia.

ABROTANVM. Haliab. uſtũ.
Abſinthium.Plin. xxvij. priuſquam uulnus tangatur in aqua.
Acetum. Auicenna.
Achillea herba. Plinius 25.
Adeps.Sera.capræ ſecundũ Dioſ.porci cum cinere uel calce.
Aerugo æris.Plin.34. cruda in emplaſtris.
Aerugo ferri.Plin.34.cum uino lota et appoſita cum myrrha.
Agnus caſtus. Serap. ſecundum Dioſ. ſemen cum folijs.
Alabaſtrum.Plinius 23.
Allium.Serap.ſecundũ Gal. conglutinat plagas magnas recens appoſitũ, & mundificat ſi fuerint fordes.Auicen. in fraudulentis recens appoſitum.
Aloe.Mac.Hali.Plin.27.& folia etiam efficaciſsima ſunt. Serap. ſecundum Dioſc. folia trita faciunt adhærere uulnera, & ipſum pulueriżatum incarnat uulnera.ſecun.Gal.ſimiliter.
Alcanna.Auicenna.facit ſicut ſanguis draconis.
Althæa.Plin.xx.ſuccus interius & exterius cum melle & reſina. Macer. flos coctus in melle.Auicenna.maturat ea.
Amygdala.Plinius 24.amara.
Amurca olei.Plin. 23. cocta in linteolis appoſita.
Anagallis.Plinius 26.Auicen.
Apium. Serap. ſecundum Gal. ſmyrnion ſpecies eius incarnat ea. Auicenna.ſigillat.Mace.ſuccus cum farina & albo oui.
Aqua piſcium ſalſorũ. Serapio ſecundum Gal.confert uulneribus putridis,ſalmuri maximè anguillarum & paruorum piſcium.
Aries.Plinius.xxx.cinis fimi cum lacte mulieris.
Arbor cimicum. Auicenna. conſolidat recentia.
Agrimonia. Apul. trita appoſita,& cap.filicis drach.ij. cum uino bibatur,& in uulnere ponatur radix filicis,mire ſanat.
Ariſtolochia. Plin.24. Mac.cum melle.Igno. cum melle & origano ſordida purgat.
Aſphaltus. Plin.35.Serapio ſecundum Galenum, recentia cum ſanguine ſuo conglutinat.
Arſenicum.Auicenna.cum adipe emplaſtratum.
Aurum.Plinius uigeſimo tertio.
Balauſtia.Serap. ſecundum Dioſ. conglutinat ea quãdo ſunt cũ ſanguine.
Barba hircina.Serap.ſecundũ Gal. folia recentia trita.Haliab.Col.
Barbaſſus.Ig.cum melle & uino cocta etiã in tumidis & ſimilibus ualet: & cum aceto cocta, ualent in recentibus uulneribus.Vide Taſſus.
Berbena. Macer. recens trita applicata.Apul.cum butyro.
Betonica.Mac.folia cum ſale trita.
Buthormarien.Auic.ſuccus cum aceto & melle.Vide Cyclaminum.
Burdi.Serap.ſecundum Gal.infundantur in aceto & aqua, aut in uino ſolo,incarnat uulnera recentia.
Bulbus.Plinius uigeſimo.

Braſsica. Plinius uigeſimo, domeſtica & agreſtis.
Britanica. Auicenna.
Chalcanthũ. Plin. 24. per ſe illinitũ.
Camphora. Col. iudaica.
Canis. Sex. cinis capitis aſperſus.
Caſeus. Serap. ſecundum Gal. recens ſuper profunda poſitus cũ folijs acetoſe, uel uitis, uel lactucæ, aut ſiclæ, aut platani, curat. Auicenna. recens recentibus, antiquus malis uulneribus confert.
Cadmia. Plin. 24. quædã eius ſpecies.
Cauda equina. Col. Serap. ſecundum Dioſc. folia piſtata emplaſtrata conglutinat recentia uulnera, etiã ſi ſint ibi nerui inciſi, conſolidat eos. ſecundum Gal. conglutinat & conſolidat uulnera mala. Auic. mirabiliter confert. Ignotus. folia in modum cataplaſmatis.
Caulis. Mac. Hali. napo caulis.
Celſus, id eſt, morus. Hali folia recentia trita.
Centaurea. Col. maioris in uulneribus uis tanta eſt, ut coercere etiam carnes tradatur, ſi coquatur ſimilis, in uſu tantum radix eſt. Auicen. recẽs. Apul. maioris puluis impoſitus, uel decoctionis fomentum. Serap. ſecundum Gal. minor incarnat magna uulnera recens appoſita. Meſ. ſanat uulnera, & mundificat, & conſolidat propriè difficilis conſolidationis, puluis eius & unguentum & uinum decoctionis eius, & eſt potens ad hoc.
Cepe. Plin. uigeſimo, ſylueſtre.
Cerebrum. Plin. xxx. galli & bubonis cum adipe anſeris, mirè conſolidat.
Chamæpitis. Serap. ſecundũ Galen. recens cõglutinat uulnera magna multum. & curat plagas putridas. ſecundum Dioſcor. emplaſtrum ex ea & melle. Auicenna, cum melle conſolidat. Apuleius, Succus impoſitus dolorem & tumorem tollit.
Cyclaminũ. Serap. ſecundũ Dioſc. ſucc⁹ radicis coctus ad ſpiſsitudinẽ mellis, maximè cũ aceto miſtus. Auic. radix ſola, uel cum aceto, aut melle. uide Buthormarien.
Cyminum. Auic. ſylueſtre propriè cũ eo implentur uulnera.
Cyperi. Col. Mac. Plin. xxj. ſolum uel cum melle. Circ. puluis tollit putredinem.
Cypreſſus. Auic. Sera. ſecundũ Dioſc. folia & nuces. Haliab. folia recentia in uulneri recenti.
Cochleæ. Plinius trigeſimo, terreſtres tunſæ impoſitæ.
Colla. Auic. cum aceto & melle.
Conyza herba. Ig. tunſa & appoſita.
Cornal. Auicen. fructus eius conſolidat groſſa.
Coriandrum. Plinius uigeſimo.
Cucurbita. Plin. xx. teſta trita cum adipe anſeris.
Climia auri & argenti. Auic. Serap. ſecundum Dioſ. conſolidat ea.
Chryſocolla. Plin. 23. per ſe trita & cũ cera & oleo.
Diaquylõ emplaſtrũ. Nic. uulnera deſiccat, & cicatrizat & replet.
Dictamnũ. Apul. ſuccus in plaga recẽti infuſus in ipſa, & bibitus.
Dragontea id eſt, dracunculus. Serap. ſecundũ Gal. folia in recenti uulnere. Ig. foliã trita. Vide Luf.
Equiſetum. Plin. 26. cum aceto.
Equus. Plin. 28. carnes eius & fimus.
Ericius. Serap. ſecundum Galen. terrenus & marinus combuſtus, adminiſtratur à quibuſdam in medicinis ad generandum carnem uulneribus.
Fel. Plinius 28. tauri cum ſucco porri uel lacte mulieris. Serap. ſecundum Dioſc. tauri. Auic. adib.
Filix. Apul. herba tunſa appoſita.
Ficus Pharaonis. Auicenna. adhærere uulnera facit.
Furfur. Auicenna.
Gallæ. Circainſtans. puluerizatæ appoſitæ conſolidant.
Gagates lapis. Alber. Hali. recentibus uulneribus.
Gentiana. Plinius 26. ſuccus. Serap. ſecundum Dioſ. radix poſita in uulnere cum licio. Auicenna.
Gummi. Plin. 24. Haliab. pini.
Gummi marmoris. Albuk. Hali. puluerizatum uulneri recenti conſolidat, & non ſinit facere ſaniem.

Glandes. Serap. ſecundum Gal. folia eius conglutinant plagas recentes ſuperpuluerizata. Auic. ſimiliter.

Gluten auri. Auicenna. optimum eſt in uulneribus difficilis conſolidatio nis.

Gluten tauri. Plinius 28. liquefactum ſed tertia die reſoluatur.

Gramen. Plin. 24. Serap. ſecundũ Gal. conglutinat uulnera recentia dum ſunt ſanguinolenta. Auicenna. radix propriè.

Granata. Auic. propriè uſta.

Grana tinctorum. Serap. ſecundum Dioſc. cum aceto conglutinat ea.

Graſſula. Mac. cataplaſmata.

Hes. Auic. combuſtum ablutum.

Hermodactyli. Meſ. in medicinis uulnerum. abſtergit enim ſordes eorũ, & conſumit putridas carnes.

Hœdus. Plin. 28. pellis eius recens.

Hæmatites, Albertus. puluis admiſtus uino.

Hypericum. Auic. magna conſolidat.

Ilex. Plin. 24. cortex in aceto.

Indicum. Col. Hali. maximè corporibus duris & capitibus lacertorum. Auicen. ſimiliter.

Iris. Plin. 26. cum aceto.

Lac. Auicen. Serap. ſecundũ Gal. acetoſum in ruſticis.

Lactuca. Plin. xx. quædã eius ſpecies.

Lana. Plinius 29. ſuccida cum uino & aceto, uel aqua, uel oleo expreſſa, uel cinis eius.

Lanaria. Plin. 24. cum oleo impoſita in fra quinq; dies ſanat.

Lapis magnes. Circ. puluis confectus cum apoſtolicon imponatur.

Leontopodion. Plin. 26. ſemen.

Lebleb. Hali. cocta cum uino, peſsimis uulneribus ualet.

Lycium. Plinius 24.

Lilium. Serap. ſecundũ Gal. quidã utũ tur folijs infuſis in aceto ad incarnationem uulnerum, uel ſucci partes. v. cum parte. j. aceti & mellis competit uulnerib. magnis, propriè quę ſunt in capitibus muſculorũ. Auic. ſuccus lilij. ſ. ireos cũ aceto & melle coctus in uaſe ęneo. Mac. ſuccus foliorũ cum aceto & melle coctus.

Limax. Serapio ſecundũ Gal. caro eius, cũ puluere molendini, aut myrrha, aut olibano, aut glutine, conſolidat uulnera magnæ apparitionis fortiter. ſecundum Dioſcoridem, tritæ cum carne ſua maximè addito thure & myrrha.

Liquiritia. Auicen. ſuccus. Ignot. ſimiliter linitus.

Lyſimachia. Plinius 26.

Lithargyrus. Circa. uulneribus impoſitus ſaniem conſumit, & conſolidat ulcera.

Lolium. Iſa. cum radice urticæ, in uulneribus putridis mundat & ſanat.

Lutum { Sigillatum. Auicen. conſolidat ea. Magrum. Aui. cõſolidat ea. Armenum. Auicen. mirabile eſt. }

Luf. Aui. radix humida & folia eius in uulneribus malis. uide Dragontea.

Lupini. Auicenna.

Malua. Plin. xx. cruda cum pane. Mac. folia eius & ſalicis æqualiter trita bene iuuant, uel ſola cum adipe ueteri. Ignot. maluæ ſyluaticæ radix in cinere cocta.

Mala. Iſaac. frondes.

Maltina ſpecies uitrioli, Serap.

Mandragora. Plin. 26. radix cum melle uel oleo. Haliabas. folia. Ignotus. recentia folia cum polenta in feruore uulneris.

Marrubium. Plinius xx. cum axungia.

Mel. Plin. 22. Iſaac. Auic. coctũ ingroſſatum, conglutinat recentia.

Milleſolium. Plinius 24. & 25. interius ſumptum. Ignot. coma eius tunſa & appoſita, dolorem tollit & glutinat, & ſanguinem ſtringit.

Minium. Auicen. cum ceroto.

Myrrha. Hali. Auic. uulneribus putridis impoſita, putredinẽ conſumit.

Narciſſus. Plin. xxj. Sera. ſecundũ Gal. incarnat ulcera magna. Auicen. conglutinat uehementer.

Nymphea. Plinius 26. trita.

Oemanthe. Plinius 25.

Oleum myrtinum. Nico. ſuperpoſitũ, inducit carnem.

Oliua. Auicen. gumma ſylueſtrium in emplaſtris

emplaſtris ponitur.
Olibanum.Hali.Auic.conſolidat recentia ualde.Serap.ſecundum Dioſcor.ſimiliter.Vide Thus.
Opopanax.Auicenna.
Orchis.Plinius 26.radices ſiccæ recentes cum melle.
Orobus.Plin.uigeſimoſecundo,Iſaac. cum melle.Haliab.
Oſtrea.Auic.cum carne ſua cum thure,& myrrha,& puluere molendini.
Ouum.Plinius 29.albumen.
Palma.Serap.ſecundũ Galenum, cortex ſummitatum.
Panax Aſclepij.Serap.ſecundum Gal. & Dioſc.cortex,radix,folia & ſemẽ cum melle.
Papauer.Plin.uigeſimo,folia.
Papyrus.Auic.puluerizata uel infuſa aceto & ſiccata.
Perſica.Iſ.foliorũm puluis recẽtes plagas & cruentas claudit.
Perſolata.Plinius xxvj.radix.
Perſonacia. Apul. decoctione foueatur uulnus.& ipſa herba cum nitro & axungia,& picula atque aceto tritaimponitur:uel radices eius & ſpumas quæ naſcuntur in locis ſiccis ęquali pondere contritas,ſubtiliſſime impone.
Peucedanum.Plin.26.ad recentia uulnera,tanta uis eſt, ut ſquammas ex oſsibus extrahat.
Pinus.Auic.folia puluerizata conglutinant ea.Col.pinea alkitran.
Pira.Auic.ſylueſtria exiccata.Serap.ſecundum Gal. vj. ſimpl. curaui cum eis aliquas plagas quando non potui inuenire aliquas medicinas.
Pix ſicca.Auic.Serap.ſecundũ Dioſc. in unguentis poſita.
Polycnemon.Plin.26.maſticata quinta die ſoluatur.
Polygonos.Apuleius.recentibus applicata.
Polium montanum.Plin.21.Serap.ſecundum Gal.polium magis recens, incarnat uulnera magna.ſecundũ Dioſc.emplaſtratum conglutinant uulnera.Auic.uiride,recẽtibus uulneribus.Haliab.peſsimis.
Poma.Serap.ſecundum Galen.pontica,ſtyptica,acetoſa,conglutinant uulnera.Iſaac.frondes,& rami cortices ſtypticorũm & aridorum ſolidant uulnera.
Porrum.Plin.xx.Mec.cum ſale.
Plantago.Aui.Serap.ſecundum Dioſ. conglutinat profunda recentia.Ig. herba cõtuſa,pnicioſis imponitur, recentibus & ſordidis.Apul.trita cum axungia ueteri nõ ſalita,& etiam puluis ſeminis impoſitus.Mac. plantago maior & minor.
Platanus.Auicen.cinis eius in uulnere putrido.
Plumbũ.Auic.oleũ fricationis eius cũ alio plumbo,& plumbũ uſtum lotum,in malignis confert.
Puluis de ſarcocolla.Ser.xxx.ant.
Puluis croceus.Hali 23.anti.
Quercus.Hali.folia puluerizata.
Rhamnus.Plin.23.folia cum oleo.
Reſina.Plinius 24.
Rhecoma.Plin.26.illinita.
Roſa.Haliab.puluis.
Roſmarinus.Plinius uigeſimoquarto, radix uiridis impoſita.Apul.contuſus cum axungia.
Rubus.Plin.24.flos uel morum.Sera. ſecundum Galen.maſticatus,curat uulnera.Auic.conſolidat ẽa.Apul. flos aut morum ipſum impoſita ſine collectionis periculo ſanat.
Ruta.Apuleius.folia cum melle & pice appoſita.
Salix.Sera.ſecundũ Gal.folia adminiſtrantur conglutinationi uulnerũ. ſeuundũ alium cõglutinat recentia. Aui.fruct⁹& folia emplaſtrata in magno uulnere,& cuiuſdã ſpeciei eius cortex & folia in recenti applicata. Hali.folia trita incarnant.
Saluia.Ignotus.aqua eius linteis impoſita in recenti.
Sanguis.Plin.28.ſiccus cum cotyledone herba.Ser.ſecundũ Dioſ.porci.
Sanguis draconis.Auic.Serap.ſecundum Gal.cõglutinat uulnera ex percuſsione.ſecundũ Dioſ.planta trita ſuperpoſita uulnera cum ſanguine ſuo glutinat.
Sarcocolla.Al.Meſ.Auic.Hali.Serap. ſecundum Dioſc.conglutinat ea.
Sauina.Macer.cum melle.

Satyrion. Apul. radix tunſa impoſita, difficillima uulnera curat.
Senecion. Apul. cum axungia ueteri.
Sycomorus. Serap. ſecundum Hal. lac eius cõglutinat ea. ſecundũ Dioſc. collectum tempore ueris exiccatũ.
Sideritis. Plin. 26. cum melle. Ignot.
Symphytũ. Theſ. radicis emplaſtrum.
Symphytum. Plin. 26. celerrimè ad cicatricem perducit. Et 27. uulneribus ſanandis tanta præſtantia eſt, ut carnes quoque dum coquuntur, conglutinat addita.
Sinopica. Ser. ſecundũ Dioſc. in emplaſtris conſolidat. Auic.
Sucaha. Galen. ·. ſimplicium. radix. Haliab. folia.
Scamonea. Auic. cocta cum melle & paſſulis emplaſtrata, reſoluit ea.
Scordion. erap. ſecundũ Dioſ. ad uulnera magna & fraudulenta.
Scotanũ. Serap. ſecundum Gal. cinis eius ſolus, curat uulnera in quibus eſt ſordes & putredo propter nimiã humiditatẽ eorũ. Auic. ſimiliter.
Smyrnion. Plinius 27.
Spongia. Plin. 23. Serap. ſecundũ Gal. conſolidat recentia cum ſanguine ſuo cum aceto miſto aqua uel uino. & ſecundũ Dioſ. noua ſpongia applicata cõglutinat recentia. Auicen. ſimiliter.
Squamma ferri. Plinius uigeſimo.
Stibia quædam terra. Plin. 23.
Stratiotes herba. Plin. uigeſimoquarto, cum aceto linita.
Taſſus barbaſſus. Auic. cum melle.
Tegula. Serap. ſecundum Gal. fit ex ea medicina ad conſolidanda & incarnanda uulnera.
Tela araneæ. Circainſt. in nouis uulneribus multum ualet.
Terebinthina. Serap. ſecundum Dioſ. emplaſtrata.
Terra ſigillata. Sera. ſecundũ Gal. Col. cum aceto ſuperpoſita, uulneri recenti conglutinat.
Tilia. Plinius 24. lachryma eius, & cortex eius etiam maſticatus.
Thus. Haliab. cortex eius replet ea carne. Macer. thus cum aceto. pice, & lacca. Vide Olibanum.
Verbaſcum, uide Barbaſſus, & Taſſus.
Verbena, uide Berbena.
Vermes terreni. Plinius 31. recentes uel arefacti in ſole cum aceto, & niſi biduo reſoluantur.
Vinum. Serapio. dulce uetus infuſa lana non lota.
Viola. Ignotus. purpurea uiola cum axungia recentia uulnera ſanat efficaciter.
Virga paſtoris. Haliab. Serap. ſecundũ Gal. conglutinat recentia cum ſanguine ſuo. Auic. ſimiliter.
Viſcum. Plin. xx. cũ reſina, cera, & galbano. Auic. malis uulneribus.
Vitis. Plinius uigeſimotertio, folia ſicca, & cortex etiam.
Vitrioli ſpecies maltina, Serap.
Volubilis. Hali. cocta cum uino, peſsimis uulneribus. Auic. ſpecies dicta ſinus papaueris cocta in uino recentia magis conſolidat.
Vlmus. Aui. cortex inuoluta ſicut ligamentum, & folia, & flos ſimiliter.

Vnguentũ:
- Fuſcũ. Nic. attrahit, mũdificat, & ſanat uulnera.
- Ceraſeos.
- Paruum.
- De lilio.
- Baſilicon.
- Tripharmacum.
- Palmeum.
- Aureum. Meſ. xj. ant.
- Nicodemi. Meſ. ibidem. uulneribus putridis.
- Siricinum.
- Calcadis. Aui. xj. quinti.
- Colcatari. Hal. 14. ant.
- Faduricum. Hali. ibidẽ.
- Tabedinati. Sera. uigeſimooctauo antidot.

Vrtica. Colliget.
Vzifur. Auicen. conſolidat.

Arteriarum & venarum inciſioni conferentia.

GYPSVM. Col. Haliab. cum albo oui & pilis leporis.
Rana. Kiranides. cinis eius cum aceto. Auic. ſecundo quinti.

Semonis

*Semonis herba. Plinius 25. ſanguinẽ ſiſtit, non ſolum aperta uena, ſed eti am præciſa.

Thus. Macer. cum aloe & albumine oui, non ſoluatur donec conglutinetur.

Fluxui ſanguinis ex vulnere conferentia.

ALOE. Plin. xxvij. per ſe, uel cum aceto.

Aparine. Plinius uigeſimoſeptimo, folia impoſita.

Araneæ tela. Kir. Auicenna.

Capra. Plin. 28. fimus eius uſtus. Sext. cor combuſtum aſperſum.

Cypreſſus. Serap. ſecundũ Dioſc. nucis eius emplaſtrum.

Equiſetum. Plin. uigeſimoſexto, cum aceto.

Equus. Plin. uigeſimooctauo, coagulum, & cinis fimi eius cum corticibus ouorum impoſita.

Faba. Auic. Serap. ſecundũ Dioſc. medietas grani fracti ſuperpoſita puncturis ſanguiſugæ, abſcindit fluxum ſanguinis. Iſa. ſimiliter.

Ferula. Plinius 26. cinis eius uel carbo, & fungus natus in radice eius, efficacior eſt.

Granata. Iſaac. cortex.

Graſſula. Macer.

Indicum. Serap. ſecundum Galenum.

Lycium. Plin. uigeſimoquarto.

Liquiritia. Macer. cap. uiolæ albæ retenta in ore glutito ſucco, ſiſtit fluxum.

Millefolium. Ignotus. coma tunſa appoſita.

Myrtus. Plinius uigeſimoſexto, folia trita ſicca.

Olibanum. Haliabas.

Perſica ſicca. Sera. ſecundũ Dioſ. trita.

Pinus. Serap. ſecundum Dioſc. trita folia, prohibent humida ulcera ne fluat ſanguis ab eis.

Polypus piſcis. Plin. trigeſimoſecundo, tunſus & illinitus.

Puluis de ſarcocolla. Serap. xxx. anti.

Puluis croceus. Haliab. xiij. anti.

Plantago. Plinius 26. tunſa. Macer. ſimiliter. Ignotus.

Rana. Kir. cinis eius cum aceto. Plin. 32. cineris eius linire, uel areſacto ſanguine quodam hoc fieri iubet ex ranis paruis uiridiſsimis.

Saliua. Ign. aqua eius linteis impoſita.

Mac. cruda trita applicata. Plinius 22. ſylueſtris.

*Semonis herba. Plinius 25.

Sideritis. Plin. 26. alligata.

Sucaha. Haliabas. folia.

Sumach. Circainſt. puluis combuſtus uiolis. apponatur in exteriori ruptura uenæ.

Scoria argenti. Auic. conſolidat.

Spina Aegyptiaca. Auic. ſemẽ proprie & radix conſolidat uehementer.

Spongia. Plin. 31. cum aceto & aqua uel uino, & etiam uſta ſimiliter cum pice. Serap. ſecundum Gal. ſicca imbibita aſphalto Iudaico, aut in pice liquida poſita ſupra locum fluxus, & accenſo igne ſuper eo. nam ualet ut cauterium faciens eſcharam uulneri. Auicen. uſta.

Squamma ferri. Plinius 22.

Squilla. Plinius uigeſimo.

Stercus. Haliabas. aſini applicatum ſi ex uenarum uel arteriarum inciſione fuerit.

Stibia, uena quædam terræ. Plin. trigeſimotertio, pulueriżata.

Trochiſci de terra ſigillata. Meſ. octauo antidotarij.

Trochiſci de karabe. Meſ. 8. anti.

Thus. Macer. cum aloe & albumine oui, nil utilius.

Vacca. Haliabas. ſanguis uulneri appoſitus.

Viola. Macer. alba radix ſi teneatur in ore ſæpe tranſglutito ſucco, Vulneris in modicum traduntmox ſiſtere fluxum.

Vitis. Plin. 23. folia ſicca.

Vter. Plin. 28. hircini uinarij tantum cinis cum pari pondere reſinæ.

Prohibentia apoſtemari vulnera.

ACETVM. Auicenna. lana infuſa appoſita.

Anagallis. Auicenna.

Araneæ tela. Auic. ſuperpoſita. Serap. ſecundum Gal. ſimiliter & Dioſ. in non profundis.
Aſphaltus. Serap. ſecundum Dioſcoridem. Auicen. linitus.
Berbena. Ig. cataplaſmata folia.
Caſeus. Auicen. recens præcipuè cum folijs platani & acetoſæ.
Fimus. Plinius 28. bubali uſtus & etiam auis calefactus.
Rubus. Plinius uigeſimoquarto, flos & fructus.
Sanguis draconis herba. Serap. ſecundum Dioſc. planta trita applicata uulneri recenti.
Spongia. Plinius uigeſimoprimo, cum pluuiali aqua.
Verbena, uide Berbena.
Vitis. Auicen. fructus ſylueſtris.
Vitulus. Plinius 23. carnes eius & cinis femoris etiam.

Dolori & inflammationi vulnerum conferentia.

APOSTOLICON emplaſtrum. Nicolaus. ſuperpoſitum.
Lupinus. Auicen. farina eius cum farina hordei.
Mandragora. Apul. cum polenta.
Portulaca. Plin. xx. cum oleo.
Sideritis. Ig. trita & impoſita.
Spongia. Plinius 31.
Verbena. Ig. foliorum cataplaſma.

Dolori ex punctura ſpinæ conferentia.

ARVNDO. Pli. uigeſimoquarto.
Vrina. Plin. 28. hominis.

Apoſtemati & dolori uulnerum conferentia.

MANDRAGORA. Plin. 26. folia. Serap. ſecundũ Dioſ. emplaſtrum ex folijs recentibus cũ ſauich, cõuenit apoſtematibus eorũ calidis.
Oleum de chryſomelis. Meſ. duodecimo antid. confert tumoribus uulnerum.

Aduſtioni ignis, & ſimilium, & aquæ feruentis conferentia.

ACACIA. Alman. cum albumine oui. Haliabas ſimiliter.
Acanthos. Plin. 22. radix. Igno. herba contuſa appoſita.
Acetũ. Auic. cõfert uelocius omni re.
Adeps. Plinius 28. urſi cum radice lilij. Serap. ſecundum Dioſc. porci. Auicenna ſimiliter.
Aizoon. Plin. 26. Igno. Macer.
Alabaſtrum Plinius 23.
Alkanna. Alman. Auic. Col. Hali. puluis foliorum. Sera. ſecundũ Dioſc. decoctio eius. ſecundum Gal. aqua decoctionis, prohibet dilatationẽ combuſtionis ignis.
Alnus arbor. Plin. 22. folia.
Althæa. Serap. ſecundum Dioſc. emplaſtrum ex folijs cum pauco oleo. Mac. ſimiliter confert combuſtioni ignis.
Alumen. Plinius 25. cum pice. Serap. ſecundum Dioſc. uſtum cum aqua. Auicenna. cum ſalgemma.
Antimonium. Serap. ſecundum Dioſ. Hali. cum axungia ueteri. Auic. cũ adipe recenti, & ſi fuerit ulceratum adijcitur ceruſſa.
Anchuſa. Ignotus. radix cum oleo cocta cum cera mire prodeſt.
Aron. Plin. uigeſimoquarto, folia cũ uino & oleo cocta.
Aſphodelus. Plin. 22. Serap. ſecundum Dioſc. oleum coctum in cauatura radicis. Hali. decoctio perfuſa.
Aurum. Cir. cocturæ cum auro factæ meliores ſunt alio metallo.
Axungia. Plinius 28. cum cera.
Barba hircina. Serap. ſecundũ Dioſc. flos eius cum uino & oleo.
Beta. Plin. xx. domeſtica & ſylueſtris. Serap. ſecundum Dioſc. cocta cum folijs eius. Vide Sicla.
Bubalus. Plin. 28. cinis talorum eius cũ cera & medulla cerui.
Bulbus. Plinius xx. flos eius.
Calamenthum. Theſ. ſuccus cum ceruſſa & coſto, mirabiliter ſanat, & non remanet cicatrix.
Calamus aromaticus. Auic.
Calx. Al. Auic. Albuk. Haliab.
Cannabis. Plin. xx. radix cruda.
Cancer. Plinius 32. cinis fluuialis & marini.
Canis. Plinius. 30. cinis capitis eius, hepar

hepar etiam combuſtum.
Caulis. Serapio. cinis cum albumine oui. Auicen. ſimiliter.
Celſus, id eſt morus. Haliab. folia cum oleo. Vide Morus.
Cyclaminum. Plinius 26. radix.
Cimolia. Auic. propriè cũ aqua & aceto. Serap. ſecundum Gal.
*Cyperus arbor. Plin. uigeſimotertio, folia. Haliab. cinis.
Cochleę. Plinius xxx. cinis earum. Almanſor. marinæ.
Colla. Auicenna.
Coriandrum. Plinius uigeſimo.
Cucurbita. Plin. xx. Serap. ſecundum Dioſc. puluis combuſtæ ſiccæ.
Cuſſus. Auicẽ. cerotum. Serap. ipſa & flos eius. Vide Edera.
Draganthum. Cir. diſſolutum in ſucco uermicularis non prima die, ſed ſecunda uel tertia.
Ebulus. Plin. 24. Serap. ſecundũ Dioſ. folia recentia cum ſauich hordei.
Edera. Plin. 24. flos & ſemina uſta cum cera. edera terreſtris etiam.
Emplaſtrum de calamẽtho. Theſ. cap. herbæ uirginis.
Faba. Plinius 22.
Fel. Plinius 28. tauri.
Fœnogræcum. Auic. cum oleo roſa.
Fæx ſapæ. Plinius uigeſimotertio, cum lanugine arundinis.
Ficus ſiccæ. Plin. 23. cum granatis. Serap. ſecundum Dioſc. in ceroto.
Ficus arbor. Plinius 23. cinis ramorum cum cera & roſaceo.
Fimus. Plin. 28. apri uel ſuis ſiccus. & leporis ualde confert, & capræ ſine cicatrice ſanari dicitur. Et 30. cinis cũ cera & columbi cõbuſtus cũ oleo. Sextus. tauri combuſtus.
Fuligo pini. Auic. cum gumma pini & bdellio dimittatur donec cadat.
Gallæ. Plinius 24. maſticatæ.
Garum piſcium. Plinius 31.
*Glyrium oleum. Plinius 30.
Glutinum. Plin. 28. tauri quod fit ex uirga & auribus eius necquicquam efficacius prodeſt.
Hypericũ. Plin. 26. Serap. ſecundũ Gal. emplaſtrũ foliorũ. ſecundũ Dioſ. folia & ſemẽ. Ig. folia cum ſemine trita.
Hedera, uide Edera.
Indicum. Auicen. cum melle.
Iris. Plin. Col. Auic. capite de lilio. domeſtica eſt optima medicina aduſtioni ex aqua.
Iris lapis. Plin. 37. uſtus.
Lactuca. Plinius xx. cum ſale. Auicen. lactuca aſini cum cera.
Lana. Plinius 29. combuſta.
Lentes. Pli. 22. ſine corticibus ſemicoctæ in aqua cum melle applicatæ.
Lilium. Serap. ſecundum Gal. aſſatum applicatum cum oleo roſ. dimittatur quouſq; curetur. ſimiliter facit eius radix aſſata. ſecundũ Dioſ. radix cocta cum oleo roſ. Mac. folia & radix lixa cum roſ. Auic. lilium. Serapio ireos domeſticum eſt melior medicinarum in aduſtione aquæ.
Lutum ſigillatum. Auicen. ſanat eius ulcerationem.
Magnes. Pli. 36. crematus. Lapidarius. ſuperaſperſus.
Malua. Plin. xx. cocta. Serap. ſecundũ Dioſ. trita cum oleo. Aui. decoctio foliorum cum oliuis. Mac. cũ oleo.
Mercurialis. Colliget.
Minium. Auic. in ceroto poſitum.
Myrtus. Plin. 23. ipſa & cinis foliorum. Serap. ſecundum Dioſc. folia cum myrrha aut oleo, curãt combuſtionem ignis. Aui. cinis foliorum cum ceroto, uel decoctio in uino.
Morus celſi. Plin. 23. cortex radicis. Serap. ſecundũ Dioſcoridẽ, folia trita emplaſtrata cum oleo, curant combuſtionem. Vide Celſus.
Narciſſus. Pli. 21. cũ melle. Auic. ſimiliter. Serap. ſecundum Dioſ. ſimiliter.
Naſturtium. Serap. ſecundum Dioſcoridem, ſuccus curat.
Nitrum. Plinius. 31. linitum.
Oleum myrtinum. Plinius 23. Nicolaus. cum cera alba.
Olibanum. Serap. ſecundum Dioſc. Auicenna. Macer.
Oliua. Plinius 23. folia cocta cum melle, & oliuæ maturę, maſticatæ, linitę. Iſaac ſimiliter.
Oliuæ maturæ. Auic. oliuæ conditæ ſale & aqua emplaſtratæ.
Ordeum. Plinius 22. cinis.

Oſtrea.Plinius 32.& earum cinis. Auicen.cum ſale.

Oua.Col.Auic.Plin.29.dura infrigidata cum aqua, & albumen oui ſtatim appoſitum,& cortices uſti. Serap.ſecundū Gal.albumen illitum lana ſuperpoſitum, confert multum. Haliabas.contuſa appoſita. Kir. gallinarum recentia.

Parietaria.Auic.præcipuè confert.

Pellis.Auic.muli & ſimilium ponatur calida.Hali.pellis uetus ocrearum uſtarum.Sera.ſoleæ calciamentorū combuſtorum.ſecundum Dioſ. cōferunt apoſtematibus eius.

Perſonacia.Apul.ſucci cyathus j.cum melle cyathis tribus.

Pili combuſti. Haliab.Plin.28. porci cum adipe.Kiranides.leporis ſuper aſperſi.

Pinus.Serap.ſecundum Dioſc. cortex cum lithargyro & puluere olibani. Auic.cortex puluerizatus.

Polenta.Plinius 22.

Porphyra marina. Serap. ſecundum Dioſ.teſtæ repletæ ſale adurātur in uaſe terreo, & puluerizentur ſuper locum, & dimittatur donec per ſe cadat. Cadit enim homo medicamen per ſe conſolidato loco.

Porrum.Plinius xx.folia.

Plantago. Ignot. Plin. 26. folia cocta. Macer.cum albumine oui.Auicen. lingua arietis dicitur.

Platanus.Plin.24.ſemen & cinis frondium.Al. folia & nuces cum aceto emplaſtrum. Auicē. cortex coctus in aceto. Haliab. cortex contritus combuſtus.

Plumbum. Serap.ſecundū Gal. oportet quod ſtringatur ſuper locū ignis & non in partibus circumſtantibus. Cir.unguentum ex oleo confricatio nis in mortario plumbi.

Ranæ.Kir.cinis earum cum aceto.

Roſa.Plinius 21.ſemen. Macer. oleum eius.

Rubus.Serap.ſecundum Dioſc. foliorum emplaſtrum, prohibet dilatari combuſtionem. Cir. ſuccus turionum eius cum oleo & cera ungatur omnis uſtura.

Sal.Meſ.Plinius 31.cum oleo. Auicenna ſimiliter.

Sambucus.Plinius 24.

Sandali.Haliab.rubei.

Sapo.Cir. ſarracenicu mox appoſitus per tres uel quatuor horas dimittatur.

Semperuiua. Ignot. Serap. ſecundum Dioſc.Cir.ex ſucco & oleo roſ. unguentum non ante triduum apponatur.

Serpyllum.Apul.cum ſpuma argenti, oleo roſato & adipe urſi.

Sideritis.Plinius 22.

Sinapis.Macer.

Sicla.Auicenna.cocta.Vide Beta.

Siler.Plinius uigeſimo.

Siſamus. Plinius 22. Serap. ſecundum Dioſc.emplaſtrum.

Sulphur.Auicenna.

Scotanus.Serap. fructus ſecundū Galenum, cum axūgia apoſtematibus eius confert.ſecundum Dioſ. ſimiliter combuſtiones curat.

Stercus.Serap.ſecundum Gale. pecudis maximè cum oleo raſaceo,& cū cerato roſaceo:conſolidat enim excoriationes.ſecundum Dioſc. arietis cum cera & oleo roſato curat. columbi * terra cum oleo ſimiliter curat: & gallinæ ſimiliter, ſed debilius. Auic. capræ cum aceto uel cera & oleo roſ. columbi cum melle & ſemine lini, ouis arietis & gallinę.

Stibia.Plin.33. cū adipe, ſpuma argenti, ceruſſa,& cera.

Tamariſcus. Auic. cinis & puluis impoſitus.

Terra ſigillata. Serap. ſecundū Paulū.

Teſtudo.Plin.32.oua eius.

Tilia.Plinius 24.lachryma eius & decoctio foliorum.

Thymus.Plinius 21.

Thus.Macer.cum axungia.

Vermicularis.Plin.26.Ig.Mac.

Vipera.Plin.xxx.adeps eius.

Vitis.Plinius uigeſimotertio, cinis cū roſ.& aceto.

Volubilis.Serap.flos eius cum ceroto confert plus aliquo. Auic. uolubilis dicta funis pauperum cum ceroto non eſt ei par ad hoc.

Vnguentū

Vnguentũ — Palmeum. Meſ. xj. antid. Siricium. Meſ. ibidem. De ceruſſa. Meſ. ibidem. Serap. 28. antid. Auic. xj. quinti. De calce. Serap. ibidem. Album. Hali. 14. antido.

Vrina. Plinius. 28. pueri & ſenis. Sext⁹. fæx urina linita.

Vzifur. Auic. prohibet aduſtionem & eſcharam.

Prohibentia ulcerari locum combuſtionis.

ANTIMONIVM. Serap. ſecũdum Dioſcor. cum adipe recenti. Auicen. ſimiliter. & ſi fuerit ulceratum, addatur ceruſſa.

Cimolia. Serap. ſecundum Dioſ. linita. ſecundum Gal. cum aceto & aqua. Auicen. lutum cimolea.

Gluten. Sera. ſecundum Dioſ. bouum diſſolutum in aqua calida.

Gummi arabicũ. Ser. ſecundũ Dioſc. cum albumine oui.

Lutum ſigillatum. Aui. Ser. ſecundum Paulum, terra ſigillata non ſinit ueſicari, & ueſicatum curat.

Myrtus. Aui. decoctio fructus in uino, uel cinis eius in ceroto.

Oliuę. Plinius 23. linitę maſticatæ. Ser. ſecundum Dioſcoridem, aquaticæ emplaſtratæ. Auic. conditæ aqua & ſale.

Ouum. Plinius. uigeſimonono, albumen. Serap. ſecundum Dioſc. album eius linitum.

Polenta. Plinius. 22.

Porphyra marina. Sera. ſecundũ Dioſ. combuſta cum ſale puluerizata, ſuper locum dimiſſa donec cadat. cadit enim dum conſolidatus eſt.

Sal. Plinius trigeſimoprimo. Serap. ſecundum Dioſ. cum oleo. Auicen. ſimiliter. Meſ. bullitum cum oleo tepido ſuperpoſitum.

Inflationi & apoſtemati ex aduſtione.

CALCIAMENTVM. Serap. ſecundum Galen. uetus combuſtum, curat apoſtemata ex aduſtione.

Colla. Auic. piſcium de corijs, ueſicis combuſtionis confert.

Ebenus. Haliabas.

Auferentia eſcharas aduſtionis.

BOLVS. armenus. Serap. ſecundum Galen. exiccat eſcharas quæ egent exiccatione.

Matricaria. Auicenna.

Mezereon. Sera. ſecundum Gal. ſuper poſitum.

Mum. Aui. lenit eſcharas.

Papauer cornutum. Auicen. flos & folia.

Sauina. Serap. ſecundum Dioſ. ſtercus Auicenna. columbi cum melle & ſemine lini.

Vlceribus ex aduſtione conferentia.

AES. Serap. ſecundum Dioſ. uſtum mundificat ulcera, incarnat, conſolidat. & batitura (ſquama) ei⁹ ſimiliter. Haliabas, dura ulcera uſtum. ablutum uerò mollia cicatrizat.

Antimonium. Serap. ſecundum Dioſ. cum mum & ceruſſa, conſolidat ulcera aduſtionis. Auicenna. cum adipe & ceruſſa.

Bubalus. Plinius. 28 ſplen cum melle.

Cuſſus. Serap. ſecundum Galen. folia cum uino cocta. ſecundum Dioſcoridem, flores cum mum diſſoluti in oleo, uel coctum cum uino emplaſtratum.

Ebenus. Haliabas.

Mus. Pl. 28. caput eius & fel.

Olibanum. Aui. Sera. ſecundum Dioſ. cum adipe & axungia.

Ouum. Plin. 29. albumen cum oleo coſto, & adipe ſuis.

Tamariſcus. Sera. ſecundum aliquos, cinis eius deſiccat propriè ulcera quę fiunt ex aduſtione ignis.

Teſtudo. Plin. trigeſimoſecundo, oua eius dura linita.

De diſpoſitionibus vlcerum.
Caput IIII.

Vlceribus conferentia.

ADEPS. Plinius.32.recens.
Abrotonum. Serap. ſecundum Galenum, combuſtum, ulceribus humidis confert: mordicat tamen ea.
Aloë.Sera. ſecundum Gal. claudit ulcera cutis. ſecundum Dioſ. puluerizatum incarnat ulcera, prohibet dilatari,& conſolidat & curat.
Althæa.Mac.cocta cum melle.
Ammoniacum. Serap. cum myrrha in unguento.
Amylum. Plinius uigeſimoſecundo, Auic.conſolidat ulcera.
Anagallis.Plinius.26. Serap. ſecundũ Gal. ſuccus incarnat ulcera, & confert corruptioni membrorum. Aui. prohibet ampliationem ulcerum.
Anchuſa.Plinius.22.
Anthenis.Plinius.22.
Antimonium.Auic.Serap. ſecundum Dioſ.incarnat &conſolidat.Haliab. cicatrizat.
Apium. Mac. cum farina & claro oui.
Apollinaris.Plinius.26.
Ariſtolochia.Plin.Auice. Sera. ſecundum Gal.facit naſci carnem, proprie longa. Secundum Dioſ. emplaſtrum eius replet ulcera profunda carne cũ ireos & melle. Igno. cum melle & origano.
Aron.Plin.24.cum melle.
Balauſtia.Serap.ſecundum Dioſ. facit in ulceribus quod faciunt granata. Auic.conſolidat ea.
Baucia. Sera. ſecundum Dioſ. agreſtis folia trita cum melle.
Berbena. Apul. cum axungia ſine ſale. Plinius.26.cum ſale & melle.
Bulbus. Auicenna. cum oxymelle in ulceribus lepibus.
Butyrum.Plinius.28.Serap. ſecundum Dioſc. replet & mundat, & generat carnem in eis.Aui.implet ea.
Braſsica.Plinius uigeſimo.
Britannica.Auicenna.
Callitrichum. Plin. 26. cocta in aqua.
Calx.Haliab. extincta exiccat ea. Col. ſimiliter lota.
Chamelæa.Plinius.22.&24.
Camelus.Plin. 28. urina eius.
Chamæmalum. Macer. maſticata applicata.
Cancer. Plin. 22. ſuccus fluuialis cum farina hordei.Sera. ſecundũ Galenũ triti deſiccant ea. Auicen. marinus uſtus.
Capilli uſti.Plinius 28.Auicenna.exiccant humida.
Caprificus.Plinius uigeſimo tertio,ſuccus cum aceto.
Cardamomum.Alman.uſtum.
Caries lignorum.Ser. ſecundum Dioſ. & Galenum.
Cauda equina. Auicenna. mirabiliter confert.
Caulis.Haliabas.folia& flores.Macer. folia.
Catimia.Plin.24.Hal.deſiccat ea.
Chelidonia.Plin.26.deſiccat ea.
Centaurea.Plinius.26. maior & minor ſperſa uel linita.Serap.ſecundum Galen.maior in antiquis.Cir.puluis radicis conſolidat ulcera.
Cepe.Galen.ſexto ſimplicium.Plin.uigeſimo cum melle.
Cera.Serap.ſecundum Dioſcor.replet ea mediocriter.
Ceruſſa. Serap. ſecundum Galen. uſta & lota,replet ulcera carne ſubtili,& aufert ſuperfluam. Auicenna. replet & conglutinat.Haliab.deſiccat.Col liget ſimiliter.
Ceruus. Plinius. 28. cornu eius uſtum & medulla eius.
Chamæpitys. Auic. cum melle, putridis ulceribus.
Cicera.Haliabas.
Cinnamomum.Auicenna.Circ.nouas eorum ſciſſuras glutinat puluis eius.
Cyperi.Serap. ſecundum Gale. ulceribus difficilis conſolidationis propter nimiam humiditatem. Macer. cum melle.
Cypreſſus. Serap. ſecundum Galen.in corporibus duris incarnat ea. Haliabas.cinis foliorum.
Cyclaminum.Serap. ſecundum Eben. Meſue.unguentum ex eo.
Colophonia. Auicenna. cum balauſtijs.
Confectio aſuledati.Auicen. iij. quinti,in

ti,in cura lepræ.

Corallus.Plinius trigeſimoſecundo,ul cera caua replet.Cir. impoſitus pulvis ea conglutinat.

Coſtus. Auicen. amarus ſiccat humida.Macer.puluis.

Cubebe. Auicenna.

Cucurbita.Serap.ſecundum Dioſc.ſemen ſiccum puluerizatum,concaua ulcera replet.

Climia.Serap.ſecundum Dioſ. & Gal. deſiccat & incarnat ea, & replet, & purgat ſordes putridorum, & aufert carnem ſuperfluam in eis,& conſoli dat. Auicen. climia auri & argenti. Haliabas.

Chryſolithus lapis. Alber. tertia eius ſpecies.

Chryſomela.Serap. ſecundum Gal.eſt in ea iuuamentum magnum.

Dragontea.Serap. ſecundum Gal. folia. Mac. cum betonica. Auic.radix contuſa ſumitur quandoq; loco licinij ad omnia ulcera.

Edera.Plinius. 24. cocta in uino.Apuleius ſimiliter.

Equus.Plin.xxx.fimus eius cum cinere corticum ouorum.

Eruum,Auic.Sera.ſecundũ Dioſ.cum melle,in ulceribus dictis ancora.

Ericius marinus. Kir. cinis cum adipe linitus,illud conſolidat.

Eupatorium.Serapio ſecundumDioſ. folia trita cum axungia ueteri porci curat difficilia conſolidari.

Fel.Plin.28.hirci & tauri cũ oleo cyprino. Et 23. ranæ aperit eas.Ser.ſecundum Dioſ.porci.

Filix.Sera.ſecundũ Gal.deſiccat fortiter ea ſine mordicatione.

Fæx olei.Serap.ſecundum Galenum.

Ficus.Plin.32.lac. eius aperit ulcera,& ficus crudæ ſiccatę etiam.Auic.folia eius ponuntur ſuper ulcera groſſarum.Sera.cinis arboris.

Galbanum. Auicen. cum aceto linitũ in lenibus.

Gallę.Halia.combuſtę extinctæ in uino & aceto,exiccant ea.

Gluten albotin.Auicenna.

Grana tinctorum.Serap.ſecundũ Gal. magnis ulceribus.

Granata,Hali.flores.Gal.vj.ſimpliciũ, ſylueſtrium puluis.

Graſſula.Macer.cum melle.

Hęmatites.Apul.Sera.ſecundum Gal. confert ulceribus omnibus illitus. Alman.*populus eius cum uino.

Hermodactyli. Sera. ſecundum Eben Meſ.deſiccant antiqua, & abſtergũt ea.Aui.albi in antiquis ulceribus.

Hes.Aui. uſtum cum melle, duris aduſtis confert in corporibus duris.

Hyoſcyamus.Ser. ſecundum Gal.cap. papaueris,exiccat ea.

Hypericum.Serap.ſecundum Gal. cito incarnat ea.Auic. tritum ſuper tumida & putrida. Haliab. exiccat ea.

Indicum.Serap.ſecundũ Gal. glutinat in corporibus duris,etiã ſi fuerint in capitibus muſculorum.

Iris.Plini?. 26.Macer.cum melle. Sera. ſecundum Dioſ. incarnat profunda.

Iumem. Auicen.lac eius.

Kekengi.Auicenna.ſuccus.

Lac.Sera.ſecundum Gal.uniuerſaliter omni ulceri ad quod currunt humores mordicatiui confert,&aqua eius lauat & curat ſanioſa.

Lactuca.Plin.xx.ſylueſtris. Aui. lactuca aſini cum cera incarnat ea.

Lana combuſta.Sera. ſecundum Dioſ. aufert carnem ſuperfluam, & incarnat & conſololidat ea.

Lapis aſius.Plin. trigeſimoſexto, cum melle illinitus.

Lapis phrygius.Sera. ſecundum Dioſ. deſiccat putredinem.

Lentes.Plinius.22.Serap.cum melle replent putrida.

Lilium.Haliabas.puluis foliorum exiccat ea.Serap.ſecundum Galen.radix aſſata cum oleo roſ. incarnat omnia ulcera,& ſimiliter faciunt eius folia cocta, & etiam radix maximè cum melle ita miſta quod ſit temperatę ſubſtantiæ ſecundum Dioſc.ſuccus foliorum cum melle &aceto coctus albus in uaſe æneo, uel radix cocta in oleo roſ. incarnat ea. Macer.ſuccus foliorũ coct? cũ melle & aceto.

Lingua arietis.Auice.folia humida ulcera replent carne.

Limaces.Serap.ſecundum Dioſc. car-

nes earum curant ea.
Licium.Plinius 24.
Lithargyrus.Serap.ſecundum Dioſ.implet uulnera profunda carne, & aufert ſuperfluam,& conſolidat.Auic. creat carnem.Haliabas.humidis cõfert.
Lolium.Aui. puluis ſuperaſperſus, uel emplaſtrum cum corticibus raphani. Macer cum raphano & parum ſalis.Iſ.cum radice urticę.
Lupinus: Auicenna. Plinius. 22. farina eius.
Mandragora.Pli.26.folia.Hal.folia exiccant humida.Serap. ſecundũ Gal. cap. papaueris ſimiliter. & cap.proprio. ſecundum Dioſcor. foliorum fricatio rectificat colorem malum in ulceribus.
Markaſita.Sera.ſecundumDioſ.abſter git ea, & aufert ſuperfluam carnem ulcerum cum pauca calefactione. Auicenna.gummi pini.
Maſtiche arbor.Ser.ſecundũ Dioſ.corticis decoctio & ſuccus.Auic.foliorum decoctio generat in eis carnẽ.
Medicamen ſiccum. Haliab. 24. antidota.exiccat ea.
Medullę animalium.Serap.ſecundum Dioſ.omnes replent ulcera. Plin.28. cerui.
Melilotus.Sera.ſecundum Dio. ſolum cum aqua confert.Aui.cum gallis & ſimilibus linitum cum aqua, humidis confert.
Millefolium.Plinius.24.
Myrtus.Aui.Plin.23. folia trita. Sera.ſecundum Dioſcor. emplaſtrum cum folijs aqua, & parum olei omphacini uel roſ.& uini, confert humidis ulceribus.Hali. folia in uino cocta deſiccant humida.Circ. puluis conſolidat.Vide Oleum.
Myrobalani. Meſ. contriti cum maſtiche,deſiccant ea.
Morus.Plin.23.cinis corticum.
Multipeda.Plinius trigeſimo, cum terebinthina.
Myrrha.Aui. putridis ulceribus. Sera. ſecundũ Paulum,ſimiliter.
Muſtella. Plinius trigeſimo, cinis eius & fimus.

Nenufar. Auicen. Plin. 26. radix ſicca trita.
Nigella.Auicen.cum aceto, phlegmaticis ulceribus.
Nux. Aui. gummi eius in cauſa calida. Haliab. folia maſticata & cinis corticis ſolidi exiccat optime ſine morſura.
Oenanthe.Plinius uigeſimotertio,deſiccant humida.
Oeſypus,uulgò yſſopus humida.Sera. ſecundum Dioſ.mollificat dura.
Oleander.Hali.puluis foliorum deſiccat.Plin.23.cinis.
Oleum myrtinum. Nicol. omnibus ex quibus manat humiditas, ualet. Auicenna.
Olibanum.Sera. ſecundum Dioſ. ulcera profunda replet carnę. Mac. cum lacte mulieris.
Oliua.Serap.agreſtis folia.Auicen.ſylueſtris gumma. Plin. 23. folia maſticata.
Opium. Aui. Serap.ſecundum Galen. cap.papaueris exiccat ea.
Opopanax. Serap. ſecundum Habyx, in unguentis poſitum.
Omphacium uuæ. Plinius uigeſimotertio,cum melle.
Orchis.Plin. 26. cum melle. Serap. ſecundum Dioſco.prohibet dilatationem ulcerum,& abſcindit putredinem ſicca applicata.
Panax.Plinius. 26.radix.Sera. ſecundũ Dioſ. flos & ſemen cum melle panacis aſclepij.
Pancratium.Plin.27.
Papauer.Auice.campeſtris emplaſtrũ cum oleo.
Parietaria.Plinius.22.
Paſſulæ. Plinius uigeſimotertio, enucleatæ cum uino.
Paſtinaca.Haliab.hortenſis.
Perſolata.Plin.uigeſimoſexto, folia cũ axungia.
Pellis. Auicenna. muli & ſimilium in ulcere ſine apoſtemate.
Peucedanum.Plin.26.Sera. ſecundum Dioſc.radix puluerizata in uulnerib. mundat,incarnat,& conſolidat antiqua.Auicen.
Pinus.Sera. ſecundum Dioſ.cortex cũ lithar-

lithargyro & puluere olibani, confert ulceribus apparentibus in corpore, & cum cera diſſoluta in oleo myrtino, conſolidat ulcera in corporibus delicatis.

Pilulæ aggregatiuę minores. Meſ. x. antido. Aui. nono quinti. ſanant pruritum & ulcera.

Piſces ſaliti. Aui. aqua eorũ & piſciculi ſoli in putridis ulceribus.

Pix. Plinius. 24. cum melle linita. Hali. Sera. ſecundum Dioſ. cum melle incarnat ea. & pix ſicca generat carnẽ in eis.

Plantago, uide Lingua arietis.

Polygonia. Plinius. 26.

Porrum. Plin. uigeſimo, folia cum melle. Macer ſimiliter.

Porphyra marina. Sera. ſecundũ Dioſ. uſta mundat & conſolidat.

Portulaca. Plinius uigeſimo.

Pumex. Hali. Serap. ſecundum Dioſc. replet & conſolidat ea, & aufert ſuperfluam carnem in eis.

Platanus. Auicen. folia uel cinis corticis. Haliab. ſimiliter.

Plantago. Plinius. 26. omnium generũ ulceribus confert. Macer. cum melle. Ign. herba contuſa. Gal. vj. ſimplicium. Auic. lingua arietis recentib⁹ confert.

Plumbum. Sera. ſecundũ Dioſ. uſtum replet profunda.

Prunus. Serap. ſecundum Gal. gummi eius glutinat ea. Auicen. cum aceto.

Pſyllium. Pli. 26. Sera. ſecundum Dioſ. cum oleo roſ. & aceto, & aqua.

Quercus. Hali. foliorum puluis.

Quinquefolium. Plin. uigeſimoſexto, cum ſale & melle.

Raphanus. Sera. ſecundum Dioſ. agreſtis cõbuſtus mundificat & curat.

Reſina. Serap. ſecundum aliquos, cum balauſtia.

Roſa. Auic. Serap. ſecundum Dioſco. nigra ingreditur in pluribus miſturis puluerum qui curant ulcera. Haliab. puluis eius. Macer. oleum eius cum aceto.

Rubus flos. Halia. Gal. vj. florum ſummitates & folia.

Sauina. Plinius uigeſimoquarto, linita. Macer. cum melle.

Sal uiperinum. Plinius. xxx. in cibo.

Salix. Sera. ſecundum Galen. folia conglutinant ea. Circa. puluis corticis aduſtæ ulcerationis conſolidat.

Sanguis draconis. Serap. conglutinat ea. Auicenna ſimiliter.

Sarcocolla. Sera. corrodit carnem corruptam ulcerum. ſecundum aliquos incarnat & mundificat.

Senetion. Apul. cum axungia ueteri.

Sepia. Plinius. 32. oſſa eius combuſta exiccant ea.

Sinapis. Plin. 35. exiccat humida.

Sordicies. Aui. luctantiũ in ſenibus cõfert. Sera. ſecũdum Gal. ſimiliter.

Sucaha. Sera. ſecundũ Dioſc. & Gal. radix incarnat & glutinat.

Scoria argenti. Plinius. 33. Sera. ſecundum Dioſ. conſolidat Aui. ſimiliter.

Spodium. Plinius. 35.

Spongia. Plin. 31. Sera. ſecundum Dioſ. impoſita ſicut licinium, aperit ea, exiccat & conſolidat. Auicenna. conſolidat.

Squamma ferri. Plinius. 33.

Squilla. Auicenna. deſiccat ulcera exteriora.

Staphiſagria. Plin. uigeſimotertio, in aceto cocta.

Stercus. Plinius 28. fimus porci recens, uel puluis eius ſiccus. Kiran. fimus galli cum aceto. Serapio. capræ uſtum, & canis. Auicenna. pecudis & cameli.

Styrax. Serapio. ſecundum aliquos, in unguento illinitus, ſecundum alios, ulceribus extrinſecis.

Taſſus barbaſſus. Aui. cum melle.

Tamariſcus. Sera. ſecundũ aliquos, cinis eius exiccat omnia ulcera. Auic. fimus eius, & cinis, & puluis exiccat humida.

Terebinthina. Hali. carnẽ inducit. Ser. ſecundũ Dioſ. cum melle & oleo, pruritui eorum confert.

Teſta. Aui. emplaſtrum ex ea confert. Haliab. cicatrizat.

Thucia. Serap. ſecundũ Dioſ. replet ea carne. Auic. abluta.

Thus, uide Olibanum.

Tribulus. Plinius. 22.

Verbaſcum,uide Taſſus.
Verbena,uide Berbena.
Vermes lignorum.Plinius.30.
Vernix. Serap. ſecundum plures exiccat ulcera.
Vinum.Plinius.23.picatum.Sera. uinũ uetus infuſa lana.
Viſcus. Plinius.24. maſticatus efficax eſt.Serap.ſecundũ Dioſc.cum olibano,curat antiqua.
Virga paſtoris.Sera.ſecundum Galen.
Vitis alba. Sera. ſecundum Dioſc.emplaſtrata cum ſale.Kir.folia cataplaſmata cum uino omnibus ulceribus confert.
Vultur.Kiranides.oſſa pulueriżata cõ buſta.
Vlmus.Plinius.24.cortex interior.

Vnguentũ:
- Arabicum.
- Ceraſeos.
- Paruum.Meſ.xj. antid.
- Baſilicon.Meſ.ibidem. Auice.xj. quinti.
- De calce.
- Adhærens.
- Tebedenati. Sera. uigeſi mooctauo antid.
- Aſterebi.
- De ſiſamo.
- Zenitrialis.
- Cerat.Halia.24.antido. exiccat ea.

Vrina.Auicenna.
Vrtica. Serapio ſecundum Galenum exiccat ea.Col.ſimiliter. Macer.emplaſtrata cum ſale.
Vzifur.Auic. carnem generat.
Ziniar.Serap. ſecundum Dioſco.cum oleo & mum,conſolidat ulcera.

Infantium ulceribus, & mulierum.

ALVMEN.Plinius.35.
Capilli.Plin.28.uſti cum melle.
Gummi uitis.Plinius.23.
Polytrichum.Plinius.22.
Plantago.Plin. 26. folia molli ſiccata igne.

Senum & durorum corporum ulceribus conferentia.

AES. Serap.ſecundum Dioſcor. uſtum.
Amurca olei. Gal. vj. ſimpl.in corporibus ſiccis.
Anagallis.Plinius.xxvj.
Cypreſſus.Sera. ſecundũ Gal.incarnat ulcera magna in corporibus duris.
Pix ſicca.Gal.ſexto ſimplicium,in corporibus ſiccis.
Reſina.Galenus ibidem.
Sordicies luctantium.Auicenna. Sera. ſecundum Galenum.

Mundificantia & abſtergentia ulcera.

ALCYONIVM. Plin.32.Ser.ſecundum Dioſco.
Ariſtolochia.Plin.xvj.cum melle.Ser. ſecũdum Gal. extrahit putredinem, & abſtergit ſordida.ſecundũ Dioſc. ſimiliter,emplaſtrum ex herba.
Balſamum.Plin.23. Sera. ſecundũ Dio. mundificat ſordida.Auicenna. proprie cum ireos.
Berbena.Ignotus.
Butyrum.Auicenna.recens.
Chalcanthum. Plinius.34. in emplaſtris poſitum.
Chamæleon.Plin.24.folia.
Caries lignorum.Sera.ſecundũ Dioſc. & Galenum.
Caſeus. Plinius.28. capræ ſiccus cum aceto & melle.
Cepe.Gal.vj.ſimpl.emplaſtratum.
Chamædrys.Serap.ſecundũDioſc.antiqua ulcera cũ melle.Mac.ſimiliter.
Cinis.Plin.trigeſimoſecundo, ex teſtis echini piſcis.
Cupreſſus.Sera.ſecundum Gal. aufert putredinem,expellit eam manifeſte, & pręſeruat à nocumento eius.
Dragontea.Sera.ſecundum Galenum.
Ficus.Sera.ſecundum Dioſc.lauare cũ lixiuio cineris ramorum, abſtergit concauitates eorum.Aui.aqua cineris eius eſt corroſiua,& mundificatiua ulcerum antiquorum putridorũ.
Gluten albotin.Auicenna.
Handacoca. i. trifolium aſphaltites. Auicenna. ſuccus domeſticæ cum melle.

Herbum

Herbum.Auice.Sera.ſecundum Dioſ. cum melle.
Hermodactyli.Meſue.
Iris, Meſue.
Iuniperus.Colliget.
Lac. Serap. ſecundũ Gal. aqua eius lauat & curat ſanioſa.
Lapis phrygius.Sera. ſecundum Dioſ. abſtergit putredinem eorum.
Lentes. Auic. Serap. cum melle.
Markaſita. Serap. ſecundum Dioſcor.
Mel.Auicenna. mundificat ſordida ulcera.
Marrubium.Mac.cum melle.
Meliſſa.Macer.Serap.ſecundum Dioſ. folia cum ſale.
Mezereon.Sera. ſecundum Gal. mundificat multũ ſordida.ſecundũ Dio, mundificat & aufert eſcharas ab eis foliaeius trita cum melle.
Minium.Sera. ſecundum aliquos,mũdicat & aufert carnem putridam.
Narciſſus. Sera.ſecundumDioſc. cum orobo & melle, mundat ſordes ulcerum.Auicen.ſimiliter.
Oenanthe.Plinius.23.cinis.
Oleaſter.Plinius.32.cinis.
Oliuę.Serap.ſecundum Dioſ.antiquæ emplaſtratæ.
Oſtrea purpurea. Sera.ſecundumDio.
Orchis.Sera.ſecundũ Dioſ. emplaſtrata,mundificat ea.
Papauer rubeum.Gal.vj.ſimpli.
Peucedanum.Auic.Ser. ſecundũ Dio. puluerizatum mundificat.
Piſces.Auicen.aqua ſalitorum.
Pix.Plinius.24.cum melle.Sera.ſecundum Dioſ.ſimiliter. Aui.mundificat à corruptis humiditatibus.
Porrum.Plin.uigeſimo, capitatũ.Et uigeſimoſeptimo,nigrum.
Puluis de chartis.Serap.xxx.antidota. ſaniem mundificat.
Praſiũ.Ser. ſecundum Dioſ. emplaſtrũ cum folijs & melle, ſordidamundat.
Roſmarinus.Serap. ſecundum Dioſ.radix ſicca cum melle.
Saluia. Serap. ſecundum Dioſco.
Sauina.Serap. ſecundum Dioſc. abſtergit putredinem putridorum malorũ corrodentium antiquorum.
Scordotis.Plin.23.cum melle.
Spongia.Plinius.31.
Teſticulus canis.Auicenna.
Verbena,Ignotus.
Vnguentũ { Baſilicon.Sera.28.antid. Fadiricõ.Hal.14. antid. Viride.Almanſor.
Vrina.Hali.vij.tract.cap.vj.
Ziniar.Sera. ſecundum Dioſ. cum mel le ſordida mundificat. Auicenna. ſimiliter.

Prohibentia apoſtemata ulcera.

ARANEAE tela. Serapio ſecundum Dioſco.ſuper non profunda poſita.
Lentes.Serapio.emplaſtratæ prohibẽt apoſtemata.
Virga paſtoris.Sera.ſecundum Gal.cõferr manifeſte ulceribus,apoſtematis ad quę fluunt humores.
Ziniar.Serap.ſecundum Dioſcor.

Duriciei ulcerum conferentia.

APES. Plinius. xxx. quæ in melle mortuæ ſunt.
Aſſa.Serap.ſecundum Dioſ.mollificat ea ſuperpoſita.
Ficus.Sera.ſecundũ Dioſc.& Gale.cineris ramorum lixiuio lotis ſæpe ulceribus diſſoluit & corrodit duritíes eorum, & abſtergit concauitates eorum.
Herbum. Auicen. lenit duritíes ulcerum mortificantium carnem & mẽbrum.
Hes. Auicen. uſtum linitum cum melle conueniens in ulceribus duris adu ſtis in corporibus duris.
Matricaria.Serap.ſecundum Dioſ.diſſoluit calloſitatem eorum.
Oeſypus,uulgò yſſopus humida.Sera. ſecundum Dioſcoridem,cum butyro & meliloto,mollificat dura.
Salix.Serap.ſecundũ Dioſcoridem,cinis corticum cum aceto, reſoluit duritíes eorum.
Spuma argenti. Plinius.33.
Vermes terreni. Plinius trigeſimo, cinis eorum cum pice liquida & melle.

Malignis ulceribus, fraudulentis, antiquis, ambulatiuis, & difficilis conſolidationis conferentia.

ACACIA. Plinius.24.

Acetum.Plinius.23. Auicen.ambulatiuis ulceribus confert. Sera. ſecundum Dioſcoridem, confert & fraudulentis quæ accidunt in corpore.

Aes uſtum.Sera.ſecundum Dioſ.fraudulenta prohibet augeri.Auicenna. cõſolidat magna ambulatiua, & prohibet ambulare.

Agreſta.Ser. ſecundum Dioſ. cum aceto,fraudulentis & antiquis.

Aizoon.Plinius. 26.Macer.

Allium.Serap. ſecundum Gal.pulucrizatum ſiccum,incarnat fraudulenta. Auic.ſylueſtre recens.

Aloe.Meſ.Hali.Ser.ſecundumGal.incarnat quæ ſunt difficilis incarnationis.Auic.ſimiliter.

Alumen.Plinius.35.cum adipe. Sera.ſecundum Dioſ. uſtum prohibet fraudulenta ut non creſcant,& cum duplo eius & ſale ſimiliter.

Amygdala. Plin.23. amara cum melle. Sera.ſecundumDioſ.ſimiliter fraudulentis confert.Aui.ſimiliter.

Ammoniacum.Auicenna.

Amurca.Plinius.23.cocta.

Anagallis.Serap.ſecundumDioſ.reprimit fraudulenta.Auic.prohibet ambulationem ulcerum.

Anethum.Sera.ſecundum Gal. cõbuſtum puluerizatũ in ulceribus multum ſanioſis.ſecundum Dioſ. ſemen uſtum conſolidat antiqua difficilis conſolidationis.

Apes.Plinius.xxx. in melle mortuæ.

Apollinaris.Plin.26.Apul.

Ariſtolochia.Plinius.26.Meſ. Gale.vj. ſimpli. rotun. & lon. Auic. mundat ea,&cum ireos replet carne,proprie longa. Hali. longa cum melle. Theſ. unguentum ex ea.

Argentum uiuum extinctum.Auicen. cum oleo roſ.

Aries.Plinius trigeſimo,puluis.

Aron.Plini. uigeſimoquarto,cum melle mire ſanat.

Arundo. Plinius. 24. radix iudaicæ cũ uino cocto,& etiam cinis arundinis cypriæ.

Aſphodelus.Plinius uigeſimoſecũdo, & uigeſimoſexto,linitus.Serap. ſecũdum Dioſc.radix cocta cum fæce uini.Auicen.ſimiliter.

Bacca lauri.Plinius uigeſimotertio cõſolidat antiqua.

Balauſtia.Plinius uigeſimotertio,conſolidat antiqua.

Barba hirci.Ser. ſecundum Dioſc.emplaſtrum ex floribus, confert ulceribus fraudulentis ne augeantur in corpore. & cum mum & oleo, confert antiquis.

Berbena.Ignotus.

Bolus cyprius.Hali.cum aceto & ſola tro,aut portulaca.

Burdi.Serap.ſecundum Dioſ.cinis eorum prohibet dilatari ulcera maligna ubicunq;.

Bleta.Plinius.xx.Sera. ſecundum Dio. emplaſtrum fraudulentis ualet.

Braſsica.Plinius uigeſimo.

Britanica. Galenus ſexto ſimplicium, ſuccus coctus.

Chalcitis.Plinius trigeſimoquarto, cũ aceto.

Calx.Plinius.36.uiua.

Colcotar. Auicen. puluerizatum deſuper.

Chamæleon.Auicenna.antiquis & putridis confert.

Chamæleon niger.Ser.ſecundumDio. ſordida fraudulenta,& corroſiua curat,& mundat emplaſtrata.

Chamælea. Ignotus. folia cum melle trita non ſolum purgant, ſed ad cicatricem perducunt.

Canis. Kiran. fimus cum roſeo, maximè cum ceroto roſ. Auicen. ſtercus eius ex oſsibus cum melle, in antiquis ulceribus.

Cappares.Ser.ſecundum Gal.& Dioſ. puluis indicis ſuper fraudulenta iuuat multum, quoniam abſtergit & deſiccat.Auic.cortex radicis.Haliabas.radix.

Capilli Veneris. Auicen. Serapio emplaſtrum.

Capilli

Capilli uſti.Auicenna.Plinius.28.cum thure & melle.
Caprificus.Plin.23.folia & frondes cũ aceto uel melle.
Caries lignorum.Auicenna.cum uino & aniſo.
Caſeus.Auicen.antiquus, malis ulceribus confert.
Caſtorium.Aui.pernicioſis ulceribus.
Caules.Ser. ſecundum Galen.& Dioſ. ſuccus cũ farina fœnugræci,& aceto in ſordidis & antiquis. Auic. prohibet ambulationem ulcerum. Halia. caulis napo.
Cedrus.Plinius.24.ſuccus eius.
Chelidonia. Plinius. 26. cum axungia in iam deſperatis.
Centaurea.Plinius.26.Meſ. Serap.ſecũdum Gal.minor recẽs appoſita conſolidat & incarnat antiqua & duræ incarnationis. & ſicca etiam in unguentis poſita,hoc operatur. Aui.in antiquis & malis.
Cepe.Auicen.aqua eius.
Chamędrys.Plin.24. cum melle.Igno. ſimiliter. Serap. ſecundum Dioſc.ſimiliter cũ melle repurgat antiqua. Auicen.antiqua.
Chamępitys. Aui. in putridis confert.
Cicer.Serap. ſecundum Dioſc. fraudulentis confert.Auicen.farina.
Cytini granatorum.Plinius.23.
Cicuta. Plinius.26. cum filigine miſta mero,aut nitro.
Cyclaminũ.Plin.26.per ſe,uel cum aceto & melle.Serap. ſecundum Dioſc. imponitur medicinis mundificantibus ſordida. ſimiliter oleum coctũ in radice eius.
Cimolia.Auic.uſta & lota.
Cyperi.Col.xxj.cum uino & aceto.Serap.ſecundum Dioſc.ſicci triti, corroſiuis putridis.Auic.cum oleo grani uiridis,conſolidat difficilia conſolidari.Mac.cum aceto.
Cyprus.Plinius.22. flos combuſtus.
Cochleæ.Plinius trigeſimo,cum teſtis ſuis tunſis.
Collyrium Arſiſtratis.Auic.ij.v.
Chondrus.Plinius.24.
Coriandrum.Plin. xx.cum melle.
Cucurbita.Galen.vj.ſimplicium,cinis ſiccæ.
Cuſſus.i.ciſthus Ser.ſecundum Gal.folia recentia cũ uino cocta, cõſolidãt ea.Aui.ambulationi confert.
Climia.Serap.ſecundum Gal.humidis ulceribus multum,& in corporibus multum mollibus & infantiũ & eunuchorum ſecundum Dioſ. conſolidat ea.Auicenna. climia auri & argẽti pulverizata.
Crocum ferri. Albu.humidis difficilis cõſolidationis uel ſanationis.
Darſiſahan.Ser.ſecundũ Gal. putridis.
Dragontea,Haliab.Sera.ſecundũ Gal. radix.Vide Luf.
Ebenus.Haliabas.
Ebulus. Sera. ſecundum Dioſco. folia recentia cum ſauich hordei, glutinat concaua.
Edera. Plin. uigeſimo quarto, alba cocta in uino.
Elleborus.Meſũe.uterque.
Emplaſtrum arabicum.Meſ. xj. antid.
Equus.Plin. 28. ſanguis eius, uel fimus ſiccus aut uſtus.
Ericius.Auic.cutis uſta.
Eruum.Plinius. 22. farina eius cum raphano,ſale & aceto.
Eupatorium.Aui.cum adipe ueteri.Sera.ſecundum Dioſ.ſimiliter curat difficilia conſolidari.
Fel.Plin.Sera.ſecundum Dioſ.tauri cũ melle,fraudulentis confert.
Fæx.uini.Plinius.23.uſta cum fico.
Ficus.Plinius. 23.cauliculi teneri cum melle.Serap.ſecundum Dioſc. aqua cineris ficus agreſtis & domeſticę,in fraudulentis confert. aufert enim carnem corruptam, & incarnat & conſolidat. Auicenna. aqua cineris ligni ficus.
Filix.Plinius.27.puluerizata.
Fungus.Plin.32.
Gallæ.Plinius.24.cum melle.
Garus piſcium.Plinius.32.
Gentiana. Plinius uigeſimo ſexto, cocta linita.Auicenna.
Gezar,id eſt baucia.Auicenna.
Glans uſta.Serap.Auicenna.
Gluten auri.Auicenna.
Gramen.Plinius.24.quædam eius ſpecies parua.

Granata.Sera. ſecundum Dioſ. ſuccus maximè acetoſorum cum melle, fraudulentis confert. Auicen. grana cum melle.

Haſeck. Auicenna.

Hermodactyli. Serap. ſecundum Eben Meſ. antiqua deſiccat & abſtergit.

Hiera. tum Archigenis tum Logadij, Hali. vij. Antidoti.

Holus iamenum. Auicenna.

Indicum. Col. Serap. ſecundum Gale. ualde confert. Auicenna. cum melle mirabiliter.

Iuniperus. Auicen. fructus confert cũ melle, & prohibet ambulationem, & ulcera denigrata. Haliabas. folia cũ melle emplaſtrata, in peſsimis confert.

Lac. Plin. uigeſimooctauo, mulieris. Serap. aqua lactis.

Lactuca. Plinius uigeſimo.

Lacticinia. Auic. in ceroto putridis & corroſiuis.

Lapis aſius. Plinius. 36. Aui. Serap. ſecũdum Dioſc. flos eius ſiccus mundat & curat ulcera profunda difficilis ſanationis, & aufert carnem ſuperfluam ſimilem fungis, & cum melle mũdificat & replet carne & curat fraudulenta.

Lapis phrygius. Sera. ſecundum Dioſ. incarnat & conſolidat.

Laſer. Plinius. 32. cum ſucco uel farina hordei.

Laurus. Plinius. 23. baca eius cũ oleo, & oleum lauri delphicæ.

Laudanum. Auic. Plin. 26. cum ſale. Serap. ſecundum Gal. in difficilibus cõſolidationis.

Lebleb. Haliab. cocta in uino.

Lentes. Plinius. 22. Serap. ſecundum cũ melle, replent, mundificant, & auferunt fraudulenta. Auicenna. replent coctæ in aceto.

Lentiſcus. Plin. uigeſimoſexto, ſemen, cortex, & lachryma.

Lycium. Plinius. 24. Serap. ſecundum Gal. & Dioſc. Auicenna.

Lilium. Plinius. 21. flos & folia. Serapio ſecundum Galen. ſucci foliorum partes v. cum aceto & melle pars. j. cocti, ulcerib. antiquis difficilis conſolidationis. ſecundum Dioſ. ſuccus foliorum coctus in uaſe æneo cum melle & aceto, antiquis ulcerib. Aui. ſimiliter de lilio .ſ. ireos.

Lini ſemen. Plin. xx. cum uino.

Lolium. Serap. ſecundum Dioſc. quod naſcitur in tritico habet uirtutẽ euellendi ulcera fraudulenta cum cortice raphani & ſale emplaſtrum.

Luf. Sera. cum melle, fraudulenta conſolidat. Aui. radix criſpę cum uite albain emplaſtris. Vide Dracontea.

Lupini. Plinius. 22. triti. Serap. ſecundũ Gal. & Dioſc. conferunt fraudulentis. Auicenna.

Lutum armenum. Auicenna. conſolidat ea.

Lutum ſigillatum. Aui. conſolidat ea.

Mena piſcis. Plin. 32. combuſtum.

Maſtiche. Sera. ſecundum Dioſ. decoctio corticis arboris ad ſpiſsitudinẽ mellis reducta profundis reſtaurat carnem. Auic. ſuccus & decoctio foliorum, prohibet ambulatiua.

Matricaria. Aui. Sera. ſecundum Gale. antiquis difficilibus conſolidari.

Medicamen calidicon. Alman. vij. tracta. cap. vj.

Mel. Sera. ſecundum Gale. coctum, incarnat profunda. ſecundum Dioſco. ſordidis & profundis multũ confert. Auic. mundat ſordida & profunda, & prohibet putredinem & corruptionem carnis.

Melilotus. Auicenna.

Mercurialis. Hali. cocta in uino.

Mezereon. Meſ. Sera. ſecundũ Gal. mũdat ſordida. Aui. cum melle.

Myaces piſces. Plinius. 32.

Myrtus. Plin. uigeſimotertio, ipſa & folia in uino.

Mora celſi. Sera. ſecundũ Dioſ. ſuccus coctus in uaſe æneo, & poſitus in ſole in eodem uaſe admiſto pauco melle, eſt bonus fraudulentis. Auic. acetoſa ſicca & ſuccus.

Muria. Plin. 32. ex piſcibus. Sera. ſecundum Dioſ. ex carnibus & piſcibus ſalitis, fraudulentis confert. Auic. ſimiliter prohibet ambulare fraudulenta.

Narciſſus. Auicen. cum melle, confert fraudulentis.

Nymphea.Plinius.28.radix.
Nitrum. Plini°.31. cum aceto & calce.
Nuclei dactylorum.Aui.combuſti.
Oleaſter.Plinius.23.cinis.

Oleum — De mezereon. / De ouis. / De iunipero. / De fraxino. / Siſaminum.Meſ.xij.antido. / Amygdalarum cum uino. Plinius.23. / Myrtinum cum ſquamma æris & cera.

Oliua. Plinius. 22. folia cum melle,& ſuccus fructus eius recentis, & aqua ligni eius accenſi, & fructus domeſticę.Sera.ſecundum Dioſ. fructus domeſticarum maturarum emplaſtratus,& ſylueſtris,fraudulentis cōfert, uel folia eius cum melle ſordidis emplaſtrata. Auicenna. ſalitarum aqua & folia ſylueſtrium, ambulatiuis & fraudulentis conferunt.
Olibanum.Serap.ſecundum Dioſcor. licinium cum lacte, fraudulentis. Auicenna. prohibet ea dilatari. Vide Thus.
Opopanax. Meſ. Serapio.ſecundum Gale. cortex radicis, in fraudulentis antiquis.Auicen.cum melle.
Ordeum.Plin. uigeſimoſecundo, farina eius cum reſina.
Oſtrea.Serap. ſecundū Gal. teſtæ uſtæ in ulceribus ubi non poſsit naſci caro ex fluxu antiquorum humorum ad ipſa,& in quibus factæ ſunt cauernæ & fiſtulæ iuuant, maximè exterius quidem cum axungia,interius cū generantibus carnem.
Panax.Plinius.26. radix cum uino linita, uel cum flore & uino temperata omnibus modis. ſ. flos,ſemen & radix.
Papauer.Auic.folia cornuti ulceribus ſordidis.Serap. ſecundum Dioſcor. cornuti folia &flos cum oleo emplaſtrata,auferunt fraudulentiā ulcerū.
Papauer rubeum. Ser. ſecundum Gal. mundificat ſordida.
Papyrus. Aui. infuſus in aceto & exiccatus,in ambulatiuis ualet.
Paſſulę.Serap.ſecundum Dioſco.cum ruta,in ulceribus dictis ancora.
Pellis.Auic.recens cerui.
Pepo.Plin.uigeſimo radix.
Peucedanum. Sera. ſecundū Galen.& Dioſc. puluis radicis confert multū fraudulentis malis,quia mundat, replet carne,& conſolidat.
Piſces.Plin.32.cinis capitis menę uel ſtilur.Auicen.caput ſameros,id eſt ſardellæ uſtum, prohibet ambulatiua, & aqua piſciculorum ſalitorum, in putridis confert.
Pira.Gal.vj.ſimpl.ſylueſtria.
Pix.Plinius.24. cum ſulphure & cortice pini.Sera.ſecū dum Dioſc.humida cum thure & mum,incarnat profunda,& ſimiliter cum paſſulis & melle.
Pilulę aggregatiuę minores. Meſue de cimo antidotarij.
Pilulę indę.Meſu. in cura ſodę melancholicę in ulceribus nigris.
Polium.Plin.xxj.Serap.ſecundū Gale. puluis proprie minorum.Auic.ſiccū fraudulentis.Haliab.
Pomphylox.Plinius.24.
Porrum.Sera.ſecundum Dioſc.emplaſtratum cū ſale,ſordidis cōfert. Aui. ſimiliter fraudulentis.
Polytrichum.Plinius.26.
Pulegium. Plinius. xx. radix ſylueſtris recens,potentiſsima eſt.
Puluis de aloe.Serap. xxx.antidota.in antiquis.
Plantago.Sera.ſecundū Dioſ. & Gale. incarnat antiqua.Igno.Aui.antiquis & ambulatiuis.
Platanus. Plinius. 24. grana eius cum aceto & parum mellis.
Plumbum.Plinius.24.Sera. ſecundum Galen.uſtum lotum,ulceribus malis confert,& cancroſis putridis ſimplex adminiſtratum.ſecundum Dioſcoridem,uſtum cum oleo roſ. ulceribus difficilis conſolidationis. Haliabas. uſtum lotum. Auic. ſimiliter in fraudulentis & ambulatiuis, uel fricatiō plumbi. ſ. ex duobus fruſtis plumbi ipſius.
Propolis.i.pin°(forte prim°) fau° Pl.22
Quercus.Haliab.foliorum puluis.
Raphanus.Plinius.xx.ſemen. Serap.ſecundum Dioſcor. ſemen cum aceto

emplaſtratum, confert multum.

Roſa. Auice. carnem generat in putridis.

Rubus. Plinius. 24. folia maſticata.

Sal. Plinius. 31. cum aceto uel hyſſopo. Sera. ſecundum Dioſcor. prohibet fraudulenta.

Salis flos. Plinius. 31. Serap. ſecundum Dioſ. fraudulentis confert.

Salſamenta piſcium. Plinius. 31. & 32.

Saluia. Sera. ſecundũ Dioſ. mundificat fraudulenta.

Sauina. Serapio. ſecundum Galenum, abſtergit putredinem ulcerum malorum corrodentium antiquorum cũ melle. Macer ſimiliter.

Semperuiua. Sera. ſecundum Dioſco. emplaſtrata.

Seuum. Plinius. 28. cum cera, uel additis pice & ſulphure.

Seſama. i. ſiſamus. Plinius. 22.

Syrupus de epithymo. Meſu. ſexto an.

Solanum fluuiale Sera. ſecundum Gal. radicis emplaſtrum.

Sumach. Auic. prohibet ambulationẽ fraudulentorum.

Scordion. Serap. ſecundum Dioſcor. fraudulentis.

Scotamus. Sera. ſecundum Galenum, cinis in ſordidis & putridis. ſecundũ Dioſc. ſimiliter ſolum, & cum axungia porci uel arietis.

Splen. Plinius. 28. uituli.

Spongia. Plin. 31. Auic. cum melle cocta, aut infuſa aqua uel uino, aut ſicca ſuperpoſita, conſolidat. Serap. ſecundum Dioſcoridem, cõſolidat antiqua.

Squamma ferri. Plinius. 34.

Staphiſagria. Plinius. 22.

Stercus. Serap. ſecundum Gale. uſtum capri, curat mala. Sex. hominis uſtũ aſperſum etiam inſanabilibus maxime ualet. Plinius xxx. pecudis uſtum cum nitro aut cinere oſsium agni.

Tamariſcus. Auicen. fructus & cinis exiccant difficilia.

Terra ſigillata. Sera. ſecundum Galen. fraudulentis & ſordidis, & cum aceto antiquis.

Teſticulus canis. Auicenna. incarnat fraudulenta.

Tithymalus. Serap. ſecundum Dioſc. lac eius fraudulentis confert. ſecundum Galen. putrida curat adminiſtratum ut oportet loco & tempore, & folia & ſemen ſimiliter, ſed debilius.

Thucia. Serap. ſecundum Galen. uſta, fraudulentis confert.

Thus. Haliab. cortex eius replet ea carne. Vide Clibanum.

Vetonica. Plinius 26. cum ſale.

Vinum. Serap. uetus infuſa lana non lota.

Viſcum. Serap. ſecundum Dioſc. cum olibano, curat antiqua. Auicenna. lenit antiqua.

Vitis alba. Serap. ſecundum Dioſ. emplaſtrum cum ſale. Auice. ſimiliter radicis. Kir. cum ariſtololochia.

Vipera. Plin. uigeſimo carnes comedere mirabiliter ualet.

Volubilis. Auic. cum uino cocta.

Vlmus. Aui. quod cadit ſicut farina ex cortice eius æquali pondere ex aniſo cocto, prohibet ambulare fraudulenta.

Vnguentũ:
- Nicodemi.
- Ceraſeos magnum.
- Siricinium.
- De lilio. Meſ. xj. antid.
- Ex melle. Alman. vij. tractatu cap. vj.
- Arabicum. Meſ. xj. anti.
- Diaphœnicon. Meſu. undecimo antid.
- Calcidis. Aui. xj. quinti. Sera. 28. antido.
- Viridis æris. Aui. xj. v. Serap. 28. antido.
- Colcotari. Hali. 13. antid.
- Zenit. Haliab. 14. antid.
- Palmeum. Meſ. xj. antid. ulcerib. ſanguinolẽtis.
- Ariſtolochia. Theſſa. ca. herbæ piſcium.

Vrina. Haliab. hominis. Plin. 28. ſenis & cameli. Serap. ſecundum Dioſ. uetus maxime prohibet dilatari in corpore fraudulenta. ſecundum Galenum curat profunda & multę ſordis. Aui. aſini, ambulatiuis confert.

Vrtica. Plinius. 22. cum ſale. Serap. ſecundum

cundum Dioſc. folia ſale trita. Auic. cinis cum ſale.

Corroſiuis ulceribus conferentia.

AES. Serap. ſecundum Dioſ. uſtũ prohibet augeri ulcera fraudulẽta & corroſiua. & batitura (ſquamma) æris ſimiliter.

Alumen. Sera. ſecundum Dioſ. uſtum cum tanto gallæ & fæce aceti.

Aſphodelus. Ser. ſecundũ Dioſc. radix cocta cum fæce uini.

Baucia. Serap. ſecundum Gale. emplaſtrum ex folijs, ulceribus incipientibus corrodi confert. Auicen. ſemen & folia appoſita. Haliab. & Col. paſtinaca dicunt.

Chamæleon. Auic. emplaſtratum.

Chamæleon niger. Serapio. ſecundum Galen. & Dioſc. emplaſtrum.

Cuſſus. i. Ciſthus Auicen. emplaſtrum.

Cyperi. Serap. ſecundum Gal. ſicci triti. Auicen. cum oleo de canna.

Fel. Plinius 24. apri uel ſuis cum reſina & ceruſſa, uel cinis maxillarum eius.

Fimus. Plini⁹. 28. ſuis linitum, & capræ cum aceto coctum.

Galla. Serap. ſecundum Dioſcoridem.

Gentiana. Serap. ſecundum Dioſc. maximè ſuccus radicis.

Indicum. Serap. ſecundum Galenum, ualde confert.

Iuniperus. Aui. fructus cum melle.

Lapis phrygius. Sera. ſecundum Gale. & Dioſc. curat ea.

Maſtiche. Ser. ſecundũ Dioſ. decoctio corticum arboris prohibet dilatari.

Muria. Sera. ſecundũ Dioſ. ex piſcibus, uel carne ſalita prohibet dilatari.

Oleum nucum. Sera. ſecundum Gale.

Panax aſclepij Sera. ſecundum Gal. & Dioſc. flos & ſemen.

Plantago. Sera. ſecundum Dio. & Gal. foliorum emplaſtrum.

Plumbum uſtum. Ser. ſecundum Dioſ. cum oleo roſato.

Puluis { De chartis. / Alkokion. / Rubeus. Serap. xxx. antido. }

Sal. Plinius trigeſimoprimo. Sera. ſecũdum Dioſcoridem, emplaſtrum cũ ſauich hordei.

Salis flos. Sera. ſecundum Dioſ. corroſiuis, & illis quæ ſerpunt.

Sauina. Mac. Sera. ſecundum Dioſc. & Gal. folia prohibent dilatari.

Teſticulus canis. Auicenna. incarnat ea.

Tithymalus. Sera. ſecundum Dioſc. & Gal. lac, & folia, & ſemen.

Vitriolum. Sera. ſecundum Dioſ. prohibet corroſiua & ambulatiua.

Vnguentum calcis. Haliab. uigeſimoquarto, antidota.

Vrtica. Serap. ſecundum Galenum.

Ziniar. Serapio ſecundum Dioſcoridem, prohibet ambulationem eorum.

Cancroſis ulceribus conferentia.

APIVN. riſus. Apul. cum axungia ſine ſale, impoſita uulneri, corrodit putredinem, & expurgat, ſed nõ diu permaneat ne ſanum corrodat.

Agrimonia. Apul. trita appoſita. Pl. 26. cum melle efficaciſsima.

Ariſtolochia. Theſſalus. unguentum radicis.

Aron. Plinius. 24. cum melle mire ſanat.

Cancer. Kir. marinus crudus cum plũbo uſto comminuit.

Canis. Sex. cinis capitis aſperſus.

Centaurea. Apuleius. maior trita appoſita.

Cicera. Auicen. farina eorum.

Dragontea. Igno. radix cum melle, & cum radice uitis albæ.

Epithymum. Meſue.

Ficus. Sera. ſecundum Dioſ. in licinio cinis ramorum infuſa ſpongia ſuper ponatur.

Lac. Serap. ſecundum Gal. miſtum cũ aliqua medicina ſedatiua doloris, ſicut eſt cinis fornacis ęris.

Lappa. Plinius. 24. cum plantagine & millefolio, uel cum uino, ſanat trinis diebus ſoluta.

Lentes. Serap. in aqua maris coctæ.

Lepus. 3. Plin. 28. coagulum cum cyperis & uino.

Platanus.Plinius.24.grana eius cum uino & melle.

Plumbum.Auicen. uſtũ lotum,uel ipſius fricatio cum plumbo & oleo.Sera.ſecundũ Gal.ſimiliter.

Sauina.Macer.cum melle.

Stercus.Sex.hominis uſtũ & aſperſum maxime ualet.

Thucia.Ser.ſecundum Gal.lota ſimiliter.

Vetonica.Plinius cum melle.

Vrtica.Sera. ſecundum Gal.folia trita cum ſale.

Siccis corticalibus, & oſtracatis ulceribus conferentia.

AQVA caſei. Diuiſiones. Meſ. ſiccis malis confert.

Cera. Serap. ſecundum aliquos,cum oleo uiolato,mollificat ulcera habẽtia eſcharam.

Elleborus niger.Sera.vij.practicæ.

Matricaria.Auicenna.

Mezereon.Sera.ſecundum Gal. aufert cortices ſeu eſcharas magnas quæ ſunt in facie ulcerum.ſecundũ Dioſ. folia trita cum melle.

Olibanum.Auic.cum adipe porci.

Papauer cornutum. Ser. ſecundũ Gal. flos & folia auferunt eſcharas aduſtas quæ ſunt in ulceribus, oportet tamen quod cito auferantur.

Pinus.Auic.cortex arboris.

Pix.Serap. ſecundum Dioſc. cum paſſulis & melle, aufert eſcharas in ulceribus quæ dicuntur pruna.

Thus,uide Olibanum.

Verminoſis ulceribus conferentia.

ARISTOLOCHIA. Plinius.26. cum melle.

Calamenthum. Serap. ſecundum Galenum, ſuccus appoſitus, occidit uermes.

Cappares.Plinius uigeſimo.

Cochleæ.Plinius trigeſimo,cum corticibus ſuis tritæ.

Fel.Plin.32. ranæ.

Multipeda.Plin.xx.cum terebinthina.

Muſtella.Plinius trigeſimo,fimus,& etiam cinis eius.

Napta.Serap.nigrum cum lana.

Oleum de perſicis.Meſ.xij.ant.uermibus in uulneribus ualet.

Saluia.Plinius.22.

Vrina.Auicen.fæx eius.

Melinis ulceribus conferentia.

BLITVM. Auicen. emplaſtrum ipſius & radicis. Vide Holus iamenum.

Ficus. Serap. ſecundum Dioſc. crudæ cum melle.

Holus iamenum. Sera. ſecũdum Eben Meſ.radicis emplaſtrum. Vide Blitũ.

Melilotus. Plinius. 21. Auic. cum gallis & aqua.

Naſturtium.Ser.ſecundum Dioſ.ſemẽ cum melle mundat ea.Aui.ſimiliter.

Orobus.Serap.ſecundum Dioſc.

Sauina. Serap. ſecundum Galen. cum melle mundificat ea.

Stercus.Auicen.pecudis.

Vlceribus dictis faui.

BLITVM.Serap.ſecundum Iſ.emplaſtrum ex radice. Vide Holus iamenum.

Holus iamenum.Serap.ſecundũ Eben Meſ.radicis emplaſtrum. Vide Blitũ.

Lini ſemen Ser. ſecundum Dioſc.cum uino coctum.

Melilotos.Sera. ſecundum Dioſ. cum aqua uel emplaſtrum ex radice.

Melon.Sera. ſecundum Dioſc.emplaſtrum ex radicis.

Paſſulæ.Sera. ſecundumDioſ. cũ ruta.

Pepo.Plinius uigeſimo,radix.

Fiſtulis conferentia.

AES. Plin.34. ærugo eius collyrij modo impoſita. Cir. uſtum cum melle uel ſapone impoſitum, dilatat & curat.

Agaricum.Kir.cum ſale uſto, & tartaro,& melle impoſitum cõtenta oſſa extrahit,& malam carnem.

Agreſta.Serap.cum aceto.

Allium.Plin. xx. cũ reſina & ſulphure.

Aloe

Aloe. Auicen. Sera. ſecundum Galen. glutinat ea.
Alumen. Cir. licinium ex puluere eius cum lumbricis terrenis impoſitum.
Amurca olei. Plinius. 23. cocta.
Antimonium. Circainſt. cum ſapone licinio impoſito.
Apoſtolicon. Auic. xj. quinti.
Ariſtolochia. Plinius. 26. radix impoſita. Apul. ſimiliter. Theſ. unguentum ex radice. Meſ. Macer.
Aron. Plinius. 24. Aegypti.
Atramenta. ſ. colcotar. Aui. impoſito licinio cum allijs. Cir. cum farina fabæ & capitello, uel cum ſapone gallico licinium imponatur ori fiſtulæ.
Athanaſia. Hali. vj. antidota.
Barba hirci. Colliget.
Berſeguaſcen. i. capillus Veneris. Aui.
Bethonica. Muſa. cum modico ſale.
Burdi. Serap. ſecundum Dioſc. medici dilatant cum eis orificia fiſtularũ. infundunt primo in aqua, poſtea ligant ſuper eum lutum, & ſiccant, & poſtea diſſoluunt & ponunt in fiſtu ſtulis. implentur. n. humiditate, & tumeſcunt, & dilatantur.
Braſsica. Plin. uigeſimo, domeſtica & ſyluestris elixa.
Chalcitis. Plinius. 34. cocta cum aceto duritiei earum.
Caulis. Mac. elixa uel decoctio eius.
Centaurea. Meſ. Serap. ſecundum Gal. minor ſicca in unguentis. Pli. 26. minor cum melle. Auic. ſicca, & quandoq; impletur ea fiſtula.
Chelidonia. Circ. puluis cum capitello ori fiſtulæ.
Cyclaminum. Sera. ſecundũ Dioſ. emplaſtrum ex radice. Circain. tenta ex radice impoſita.
Cotyledon. Plin. uigeſimoſexto, cum medulla cerui.
Confectio aſuledati. Auic. iij. quarti in cura lepræ.
Confectio alſaſurine. Meſ. xj. antido.
Decoctio epithymi. Meſ. in cura ſodæ melancholicæ.
Dipſacos. Plinius. 27. radix cocta in uino impoſita.
Dragontes. Mac. radix cum betonica. Vide Luf.
Ebulus. Sera. ſecundũ Dioſ. folia recentia cum ſauich hordei conglutinant.
Elleborus niger. Plin. 25. die tertio exemptus. Sera. ſecundum Gal. in fiſtulam duram impoſitus in duobus diebus uel tribus, duritiem aufert. ſecũdum Dioſ. niger in fiſtula tribus diebus dimittatur: quarto uerò die ablatus, mundat eam. Auic. fit ex eo euacuatio ad duras & mittantur licinia in fiſtulam, & immittantur licinia ex ea in fiſtulam, & dimittuntur per diem, & extrahantur eradicantes eas.
Electuarium regum. Auic. iij. quinti.
Emplaſtrum arabicum. Meſ. xj. antid.
Fel. Plin. 23. tauri cum ſucco porri aut lacte mulieris.
Fimus. Plin. xxx. ouis calefactus.
Filix. Sera. ſecundum Dioſ. cuiuſdam ſpeciei eius puluis radicis impoſit', ſanat eas quę difficulter ſanantur.
Hermodactyli. Circainſt. cum ſapone gallico licinium intinctum imponatur.
Hiera. Raſis. Meſue. ij. Antidot.
Hiera Ruffini, Sera. xj. Antid.
Indicum. Colliget.
Iris. Sera. ſecundum Dioſ. replet ea carne pulueriżatum & miſtum cum melle mundat eas. Aui. carnem generat. Macer. radix impoſita.
Kekengi. Auic. duritiem eius delet.
Keiri. Sera. ſecundum aliquos, pulueriżata in eas.
Lacticinium. Auicen. radix. cum aceto linita, reſoluit durities in circuitu fiſtularum.
Lactuca. Auicenna.
Lana. Plinius uigeſimonono, ſuccida combuſta.
Laudanum. Plinius uigeſimoſexto, cũ caſtorio.
Luf. Serapio. ſecundum Dioſcoridem, licinium ea impoſitum. Auicen. radix impoſita. Meſue, auctoritate Galeni, confert. Circ. ſerpentaria dicit. Vide Dragontea.
Malua. Auicenna. cruda maſticata cũ ſale.
Matricaria. Auicenna.
Mel. Sera. ſecundum Galenum coctũ, incarnat eas.

Mezereon.Meſue.

Medicamen calidicon.Alman. tractatu ſeptimo cap.vj.

Oleum de ouis.Meſ.xij. antido.

Oleum remiſch.Auic.x.antido.

Oliua. Plini. 23. cinis eius cum aceto.

Opopanax.Auicenna.

Oſtraca.Serap.ſecundum Galen.teſtæ uſtæ maximè conferunt cum axungia.

Papyrus.Plinius.24. papyro præcipue utilitates cum inaruerit ad laxandas ſiccandasq́ fiſtulas & intumeſcēdo ad introitum medicamentorum aperiendas.Auic. intus in aceto exiccatus impoſitus.Serap.ſupra in hac tabula burdi.

Pellis.Aui.muli & ſimilium.

Plantago.Plinius.26.ſuccus.Sera. ſecūdum Gal.incarnat.Ig.ſuccus infuſus in clyſteri. Apul. ſimiliter. Col. lingua arietis dicit.

Quinquefolium.Plinius.26.

Salſamenta piſcium.Plinius.32. immiſſa cum linteolo.

Sandracha.Auicen.ſuffumigata deſiccat ea.

Sanguis.Plinius.28.ſuccus.

Syrupus de epythymo.Meſ.vj.antido.

Scoria argenti.Auicenna.prohibet fluxum.

Squamma ferri.Plinius.24.

Teſticulus canis. Auicenna. aperit eas.

Tithymalus. Plin.uigeſimoſexto.Col. Sera. ſecundum Dioſcor. lac ſecundum Galen. duritiem aufert. ſimiliter folia & ſemen.Ign.ſuccus exedit eas.Apul.ſuccus cum uino.

Verbaſcum. Plinius. 26. medulla radicis impoſita.

Vermis.Serap.ſecundum Iſ.ſuffumigatio ſecundum aliquos exiccat.

Vitis. Plin. uigeſimotertio, cinis cum axungia ueteri.

Vitriolum.Serap.ſecundum Dioſ.tentæ ex ipſo impoſitæ.

Vnguentū:
- Diaphœnicon.
- Arabicum.
- Ceraſeos magnum.
- Aegyptiacum.
- De lilio.Meſ.xj.antidot.

Ziniar.Serap.ſecundum Dioſc.cū ammoniaco facto licinio intromiſſo fiſtulæ diſſoluit durities & calloſitates earum.

Auferentia & minuentia carnem ſuperfluam.

AES. Pli.34.uena ęris.Serap.uſtū minuit ſuperfluam, & non ſinit augeri.Et flos ęris ſimiliter. Auicen. Col.flos æris.

Alcali Serap.ſecundum Meſeha.

Alumen.Sera.ſecundum Dioſc.aufert ſuperfluā carnē in ulcerib. & ſcabie.

Ammoniacū.Ser.ſecundū Dioſ.comedit carnem corruptam, & facit naſci bonam.Auicenna.

Anethum.Macer. ſeminis cinis uel radicis.

Antimonium. Sera. ſecundum Dioſc. Aui.Hali.Cir.puluis carni ſuperfluæ eſt optimum remedium.

Apoſtolicon.Auic.xj.quinti.

Argentum uiuum ſublimatū.Serap. ſecundum Raſim,deſtruit carnem malam in ulceribus & fiſtulis.

Ariſtolochia. Circain. puluis carnem mortuam leuiter corrodit in uulnere uel fiſtula.

Arum,uide Iarus.

Aſſa.Sera. ſecundum Gal. carnem minuit & liquefacit.

Auri folia.Hal.rodit ſine morſura.

Auripigmentū.Sera.ſecundum Dioſc.

Calx.Al.Auicen.non abluta.

Colcotar.Auic.adurendo operatur.

Chalcanthum.Plinius.34.

Chalcitis.Plinius.34.

Canis.Plin.30.cinis capitis eius.

Cedrus.Plin.24.ſuccus eius.

Ceruſſa. Auic. Sera. ſecundum Dioſc. Gal.uſta & lota in unguentis.

Cytinus granati.Plinius.23.

Cyclaminū. Cir. puluis carnem ſuperfluam corrodit.

Confectio alfaſurię.Meſ.xj.antid.

Corallus.Sera.ſecundū Dioſc. rubeus aufert carnes,ſuperexcreſcētes.Aui.

Coſtum.Alman.

Climia.Sera.ſecundum Dioſ. aufert & minuit carnē ſuperfluā in ulceribus. Auic.

- Aui.climia auri ualet ad hoc.
Elleborus niger.Meſ.Auicen. Sera. ſecundũ Dioſcor. ponitur in unguentis corrodentibus.
Ericius.Aui.Sera.ſecundum Galen.& Dioſc.cinis cutis marini.
Euphorbium. Cir. puluis ei⁹ corrodit carnem ſuperfluam.
Fel.Sera. ſecundum Gal. anſeris & muli corrodit carnem ſecundũ Dio.hirci,aufert ſupfluã. Aui. Col. ſimiliter.
Fæx.Sera.uini uſta. Albuk. uini & aceti uſta, aufert carnem ſuperfluam ab ulceribus.
Ficus.Plin.23.cinis foliorũ.Serap. ſecũdum Dioſ.aqua cineris arboris.
Fimus. Plin. xxx. maris & columbi cũ arſenico & melle.
Gallæ.Plin.24.Sera. ſecundum Dioſc. puluis.Auicen.ſimiliter.
Gluten auri.Auicenna.
Gummi iuniperi.Haliabas.
Hæmatites.Aui.Hali. Lapid. Serap.ſecundum Galen. tritus aufert carnẽ.
Hermodactyli.Meſ.Circain.moderate corrodunt.
Iarus.Cir.puluis eius ſolus corrodit ſuperfluam carnem.
Iris.Circa.puluis radicis lenit & corrodit ſuperfluam.
Kali.Sera. ſecundum aliquos, deſtruit carnem ſuperfluam in ulceribus.
Kitran.Haliabas.
Lacticinia.Auicenna.
Lana uſta.Auic.Haliab. Sera. ſecundũ Galenum.
Lapis phrygius. Ser. ſecundum Dioſc. aufert ab ulceribus.
Lapis aſius.Aui.Pli.36.Sera.ſecundum Galen.diſſoluit carnem ſine mordicatione.ſecundum Dioſ. flos ei⁹ ſiccus,aufert carnem ſuperfluam in ulceribus ſimilem fungis.
Lithargyrus.Sera. ſecundum Dioſ.aufert & conſolidat.
Lolium.Auicen.liniatur cũ tritico aut pulucrizetur.
Marrubium.Mac.cum melle.
Markaſita.Sera.ſecundum Dioſ.cũ reſina pini,aufert ſuperfluam cũ parua calefactione & ſtypticitate. Auicen. cum gummi pini.

Medicamen calidicon.Alman.vij.tra. cap.vj.
Medicamen acutum.Alman.vij.tract. cap.vj.
Minium.Sera.aufert putridam.
Oeſypus. Plinius trigeſimo, cum ærugine & cinere hordei.
Oleaſter.Plinius uigeſimotertio, cinis cauliculorum.
Papauer cornutum.Auic.folia.
Pineæ.Colliget.
Piſces.Auic. capita ſemeros. i. ſardelli uſta.Sera.ſecundum Gal. caput uſtũ ſalſum piſcis abſamaris, aufert ſuperfluam ab ulceribus.
Porphyra marina.Sera. ſecundũ Dioſ. uſta maxime diminuit & corrodit.
Pulmo.Plin.xxx.arietis efficax eſt.
Pumex. Serap. ſecundum Dioſ. aufert ab ulceribus.
Plumbum. Plinius.34. Serap. ſecundũ Dioſc.uſtum lotum.
Paraſium.Sera. ſecundum Dioſ.emplaſtrum cum folijs & melle, aufert putridam.
Sal.Plin.31.Aui.Meſ. Serap. ſecundum Dioſc. ſuperfluam ulcerum, & cum adipe uituli ſuperfluę in exteriorib⁹ confert.
Sanguis.Plinius.28.equi.
Sarcocolla. Sera.ſecundũ plures.Auicen.corrodit.
Sepia.Plinius.32.os uſtum.
Scordotis.Plinius.26.puluis eius.
Scoria argenti.Plinius.23.
Spongia.Plinius.31.uſta.
Spuma nitri.Serapio.
Stercus.Serap.ſecundum Galen. pecudis cum aceto linitum, confert ſupfluæ carni.Hali.ſimiliter.
Tamariſcus.Auicen.cinis.
Teſta clibani.Haliabas.
Vitis. Plinius uigeſimotertio, cinis cũ aceto & nitro.
Vitis alba. Auic. radix imponitur emplaſtris.Serap. ſecundum Dioſcoridem ſimiliter.

Vnguentũ:
- Zenit.Hali.24.antidota.
- Centrualis. Halia. ibidẽ.
- Aegyptiacum. Alm. vij. tract.cap.vj.
- Viride.Al. ibidem. Nic.

ualet ulceribus ubi ſuperfluę carnes naſcuntur,& corrodit malam.

Zinıar.Hali.Aui. Sera. ſecundum Gal. carnem teneram & duram ſuperfluam in ulceribus reſoluit, abſtergit, comedit, & diſſoluit appoſitum cũ ſummitate radij.

Incarnantia, glutinantia, & conſolidantia.

AES. Col.uſtum.Auicenna.uſtum glutinat.Hali.Conſolidat.Serapio ſecundum Galenum, uſtum incarnat, ſecundum Dioſc. uſtum,& batitura æris incarnat & conſolidat ulcera.

Allium.Sera. ſecundum Gal. incarnat &glutinat plagas magnas.

Aloe.Alman.Col.Ser. ſecundum Gal. & Dioſ. incarnat. Auicen. prima ſecundi,conſolidat.

Alkanna.Circa.conſolidat ſola applicata.

Amylum.Auicen.

Ammoniacum. Auic. generat bonam carnem, & aufert malam. Serapio ſimiliter.

Antimonium. Serap. ſecundum Dioſ. glutinat. Auic. conſolidat & incarnat.

Anagallis.Serap.ſecundum Gal.incarnat ulcera.

Apoſtolicon.Auic.xj.quinti.

Apium.Auicenna.

Argenti ſcoria.Plin.33.

Ariſtolochia.Meſ.Col. Mac. Auic.carnem generat,proprie longa. Sera.ſecundum Galen. ſimiliter cum ireos & melle.

Aſius lapis.Plinius.26.Auicen.

Aſphaltus.Plinius. 35..Sera.ſecundum Gal.glutinat.Cir.conſolidat.

Auricula muris.Aui. quædam eius ſpecies facit adhærere plagas.

Balauſtia.Aui.Ser.Cir.conſolidat.

Barba hirci.Ser.Aui.folia ſicca.

Berbena.Macer.trita.

Biſtorta.Circainſt.conſolidat.

Bitumen.Plinius.35.

Bolum commune pictorum Auicen. conglutinat.

Bulbus.Sera. ſecundum Gal.incarnat.

Butyrum.Auicenna. replet ulcera & mundat.

Britannica.Auicenna.conſolidat uulnera & ulcera.

Calx.Sera. ſecundum Dioſ.cum axungia uel oleo,conſolidat & incarnat. Auicen.abluta conſolidat.

Candaruſum.Serap.ſecundum Galen. glutinat & incarnat.

Cardamomum.Alman.uſtum.

Caries lignorum.Auicen.proprie ex lignis ſtypticis.

Caſtanea.Sera. ſecundum Gal.fructus incarnat,& folium glutinat plagas recentes.

Caulis.Ser.ſecundum Gal.cõglutinat. Auic.conſolidat. Halia. caulis napo glutinat & conſolidat ulcera.

Cauda equina.Auicen.conſolidat uulnera,&ulcera mirabiliter etiam ſi ibi fuerint nerui.

Centaurea.Meſ.Aui.Col.Serap. ſecundum Galen maior incarnat & glutinat.ſecundum Dioſc.recens & ſicca impoſita uulneri,& ſuccus eius ſimiliter glutinat & conſolidat.Minor ſecundum Galen. recens incarnat & conſolidat antiqua duræ incarnationis..ecundum Dioſ. recens contuſa conglutinat,incarnat, & conſolidat ulcera.Macer.minor.Circa.radix ſolidat ulcera.

Ceruſſa.Sera. ſecundum Gal. glutinat & uſta loca replet ulcera carne. Aui. carnem glutinat & generat.

Chamæpitys. Serapio ſecundum Gal. recens.Auicenna conſolidat.

Cyminum. Auic. conſolidat repleto uulnere proprie ſyluēſtre.

Cinnamomum.Circ.conſolidat.

Cypreſſus. Aui. Serap.ſecundum Gal. folia & nux eius recentia incarnant. Circ.nux eius conſolidat.

Colla.Aui.omnis.Ser.ſecundum Paulum,gluten piſcium.

Colophonia.Aui. carnem generat maximè in corporibus terrenis. Circa. conglutinat.

Cornal arbor.Auicen.conſolidat.

Climia auri.Auicen.incarnat.

Crocus.Aui.conglutinatiuus.

Dactylus.Serap.oſſa eorum.Auic. nuclei.
Diaquylon emplaſtrum.Nic.incarnat ſuper uulnera & cicatrizat.
Didar.Sera. ſecundum Gal.foliũ recẽs & radix glutinat recentia uulnera.ſecundum Dioſco.cortex arboris pluſ quam folia, quando ligatur uulnus ſicut ligantur corrigiæ.
Dragontea.Serap. ſecundum Galenũ, folia incarnant.
Ebulus.Sera.ſecundum Gal.incarnat. ſecundum Dioſ.glutinat.
Ericius.Plin. 32. marinus uſtus. Serap. ſecundum Gal. ericij cinis carnem generat in ulceribus.
Fel.Plinius.32.ſcorpionis marini.
Ferri ærugo.Plinius.34.
Fæx expreſsionis olei.Auicen.
Ficus.Plinius.23.cinis eius.Auic. ficus carnoſa glutinat.
Gagates.Haliabas.
Gypſum.Aui.Col. Sera. ſecundũ Gal. & Dioſ.glutinat.
Gummi arabicum.Aui. Sera. ſecundũ Gal.& Dioſ.glutinat ulcera.
Gummi prunorum.Aui. Ser. ſecundũ Gal.glutinat ulcera.
Gummi ceraſorum. Serap. ſecundum Gal.incarnat ſine mordicatione.
Gumma pini.Alman.Aui.Haliab. glutinat uulnera.
Glandis folia.Sera.ſecundum Gal.glutinant recentes.Aui.ſimiliter.
Gramen.Plinius.24.Auic.conſolidat. Sera. ſecundũ Gal. glutinat maximè recentia.
Grana tinctorum.Serap.ſecundũ Gal. incarnat.ſecundum Dioſc. cum aceto glutinat uulnera.
Granum pini.Auicenna.
Graſſula.Macer.
Hæmatites. Serap. ſecundum Galen. incarnat.
Hypericum. Auic, Serap. Galen. cito incarnat.
Indicum.Sera.ſecundum Gale. incarnat,agreſte uerò conglutinat plus domeſtico.ſecundum Dioſ. folia empla ſtrata in principio ulcerum glutinãt.
Iris.Meſ.Sera.ſecundũ Dioſc.incarnat profunda.Auic.ſimiliter.
Kitran. Auicen. carnem laxam fortificat & ſtringit.
Lactuca aſini.Aui.cum ceroto.
Lapis phrygius.Sera.ſecundum Gal.in carnat & conſolidat benè.
Laſer.Plinius.22.cum fimo muris & uino.
Laudanum.Aui.conſolidat.
Lentiſcus.Circ.conſolidat.
Lenticula aquę.Plinius.22.
Lilium.Aui.Sera.ſecundum Gal. cum oleo roſa. aſſatũ incarnat ulcera omnia . Et quidã infundunt folia in aceto,& incarnant uulnera.& radix ſimiliter eſt bona laudabilis ad incarnandum & conſolidandum omnia ulcera.ſecundum Dioſ. radix cocta cum roſaceo,incarnat ulcera.
Lingua auis.Aui.folia conſolidant.
Lithargyrus. Sera.ſecundum Dioſ.cõglutinat & implet uicera carne.Aui. ſimiliter. Haliab. carnem producit. Circ.conſolidat.

Lutum:
- Abſolute.Auic. conſtringit carnem laxam.
- Samium.Aui. conſolidat.
- Magra.Aui.conſolidat.
- Sigillatum.Auic.glutinat & conſolidat.

Mala. Serap. ſecundum Gal. pontica, ſtyptica, acetoſa incarnant & glutinant uulnera.
Mandragora.Apuleius.folia glutinant uulnera.
Markaſita.Auic.cum gummi pini, cõſolidat ulcera.
Maſtiche.Sera. ſecundum Dioſ. decoctio corticis arboris cocta ad ſpiſsitudinem mellis, in ulceribus. Auic. decoctio foliorum & ſucc⁹ generat carnem. Cir. glutinat & conſolidat.
Mel.Sera. ſecundum Gal.coctũ incarnat fiſtulas & ulcera profunda. Aui. coctum ingroſſatum glutinat.
Millefolium.Ig. coma tunſa impoſita.
Minium.Serap.glutinat.
Myrrha.Sera.ſecundum Dioſ.glutinat quicquid indiget glutinari.Aui. cõſolidat.Hal.glutinat uulnera.
Morus.Plinius uigeſimotertio,fructus & ſuccus radicis.
Mum. Auicenna. glutinat & oppilat

poros.
Narciſſus.Serap. ſecundum Gal. incarnat. ſecundũ Dioſ.cũ lolio & melle.
Oleum de granis uiridibus. Meſ. duodecimo antidota.
Olibanum. Sera. ſecundũ Dioſ.replet ulcera profunda carne.Hali.carnem inducit uulneribus. Aui. conſolidat ualde. Circainſt. conglutinat & conſolidat. Vide Thus.
Opopanax.Meſue.
Orobus. Haliabas. carnem producit in uulneribus.
Oſtraca purpurea.Auicenna.uſta conſolidant.
Ouum.Aui.albumen conglutinat.
Papyrus.Auicenna.
Parietaria.Auicenna.
Peucedanum.Ser. ſecundum Dioſc.radix incarnat & conſolidat.
Pinus.Sera.cortex.Aui. cortex conſolidat,folia glutinant.
Pira.Auicenna.ſylueſtria exiccata conſolidant.
Pix.Plinius. 24. cum paſſulis & axungia Sera.ſecundum Dioſ. cum thure & mum. Pix humida incarnat ulcera profunda, & cum melle ulcera ꝓfunda & putrida. ſecundum Galen. pix ſicca habet parum incarnationis.Auice generat carnem cum thure & melle. Haliab. carnem inducit uulneribus.
Poma. Auic. cortex arboris & folia,& ſuccus eorum conſolidat.
Polium montanũ maius.Sera.ſecundũ Gal.recens incarnat.Aui.uiride.
Puluis de capparis.Serapio.trigeſimo, antidota.
Pumex.Serap.ſecundum Galen. imponitur medicinis generantibus carnẽ. Haliab. carnem inducit uulneribus.
Plantago.Ign.Serap.ſecundum Galen. incarnat.Auicenna.lingua arietis cõ ſolidat.
Plumbum.Serap. ſecundum Dioſcor. uſtum.
Quercus. Haliabas. folia carne replẽt ulcera.
Ranæ. Plinius uigeſimoſecundo, cinis cum melle & pice.
Roſa.Haliabas. carnem generat. Mac. oleum eius.
Rubigo ferri.Plinius.34.
Rubus. Serap. ſecundum Galen. folia conglutinant.Aui.conſolidant.
Salix. Haliab. folia incarnant uulnera, Circ.conſolidant.
Sambucus.Serap. ſecundum Dioſcor. glutinat.
Sanguis draconis.Aui.Serap.ſecundũ Gal.& Dioſc.ſecundum Conſtan.incarnat & conglutinat ulcera & uulnera.Haliab.carne replet uulnera.
Sapa.Iſaac.
Sarcocolla.Meſ.Halia. Serap.ſecundũ Gal.glutinat & incarnat.Auic.glutinat & conſolidat,carnem generat.Albuk.ſimiliter.
Sepia.Plin.32.puluis oſsis.
Serapinum.Auic.incarnat.
Seſamum.Auic.conglutinat.
Sideritis.Igno.conglutinat.
Sycomorus.Sera.ſecundum Gal.lac ſecundum Dioſc. tempore ueris collectum & ſiccatum.
Sinopida.Auicenna.Serap.ſecundum Dioſcoridem,conglutinat.
Sordicies.Sera.ſecundum Gal.parietis balnei facit naſci carnem.
Sucaha. Haliabas. folia glutinant uulnera.
Scordion.Auicenna.conſolidat.
Scoria argenti. Plinius. 33. Auicenna. conſolidat.
Spina ægyptiaca.Auicen.radix,& proprie ſemen eſt uehementis conſolidationis.
Spongia.Sera.ſecundũ Dioſ.noua glutinat ulcera phlegmatica & antiqua.
Tela araneę.Circ.conſolidat.
Terebinthina.Haliabas. carnem inducit uulneribus.
Teſta.Sera.ſecundum Gal.fit unguentum bonum ad conſolidanda uulnera & incarnanda.Auic. emplaſtrum conſolidat fortiter.
Teſticulus canis.Aui.incarnat.
Thus.Alman.Haliab.ipſum & cortex eius carnem inducit. Vide Olibanum.
Thucia.Ser.ſecundum Dioſ.replet ulcera carne,& glutinat.
Tragacantha. Serapio. ſecundum Gal.

Galenum & Dioſc.glutinat.Circ. ſimiliter.Col.
Vernix.Circain.conglutinat.
Vitis.Plinius uigeſimotertio,cortex& folia arida.
Virga paſtoris.Sera.ſecundum Galen. incarnat.Aui.conſolidat.Haliab.incarnat uulnera recentia.

Vnguentũ:
- Arabicum.
- Nicodemi.
- Ceraſeos magnum & paruum.
- Tripharmacon.
- De lilio.Meſ.xj. antido.
- Baſilicon.Meſ.ibidem. Serapio. 28. antidota. Haliab.14. antidota.
- Seſami.
- Faduricum.
- Aſcerebri.Halia.24.ant.
- Tebedurniati. Serapio. 28.antidota.

Verbena.Macer trita.
Vrizifur. Auicen. incarnat & conſolidat,& carnem generat.
Ziniar.Auicen. Halia. cũ cera & oleo, carnem inducit.

Cicatrizantia.

AES. Haliabas,uſtum.Sera.prima parte ſimplicium,uſtum,ablutũ. & præfertur omnibus medicinis cõ ſolidantibus.
Aloë.Plinius.27. Galen.ſexto,ſimplicium.
Alumen. Serapio. prima parte ſimplicium.
Anagallis.Gal.vj.ſimplicium.
Antimonium.Haliabas.
Balauſtia.Serap.j.parte ſimpli.
Berbena.Ignotus.ad cicatricem ducit ulcera.
Calx.Plin.26.cum aceto & oleo roſ.
Cadmia.Plin.34. quędam eius ſpecies.
Centaurea minor.Macer.
Cyperi.Haliab.ulcera difficilia.
Cornua.Serapio prima parte ſimplicium,combuſta.
Chryſolachanon.Plinius.33.
Diaquylon.Nicolaus.
Dragontea.Gal.vj.ſimpli.folia.
Gallæ. Serapio prima parte ſimpliciũ, uirides.
Granata. Sera. ibidem cortex ſuccus.
Lilium.Macer.ſuccus albi coctus cum melle & aceto.
Limaces.Serap.prima parte ſimpliciũ, combuſtæ.
Lithargyrus.Serapio.ibidem.
Myrrha.Serapio ibidem.
Oleaſter.Plinius.23.cinis eius.
Plumbum.Haliabas. uſtum, difficilia cicatrizat.
Plantago.Ignotus.
Scoria ęris.Serapio prima parte ſimplicium,abluta.
Scoria argenti.Plin.33.Haliabas.
Teſta clibani.Haliabas.
Verbena,uide Berbena.

Extenuantia & planantia cicatrices & excrementa ulcerum.

ALVMEN. Plinius.35.cum aceto. Apoſtolicõ emplaſtrum.Nicolaus.ſanat & ſubtiliat.
Balſamum.Circ.cum cera applicatum per dies.x.remanendo uſq; ad.xl.cicatrices remouet.
Braſsica.Plinius.xx.ſylueſtris.
Corallus.Plinius.32.
Citrinum unguentum. Nic. ſubtiliat cicatricem.
Chryſocolla.Plinius.33.
Fel. Plinius.28. uituli. addunt medici myrrham,mel,& crocum.aliqui florem æris miſcent. Et 32. ſcorpionis marini. Kiran. tauri cum teſta oui diſſolutum.
Laudanũ.Sera. ſecundum Dioſ.linitũ.
Pulegium. Plinius uigeſimo, ſylueſtris radix ſicca.
Plumbum.Plinius.34.
Serapinum.Serap. ſecundum Dioſcoridem, linitum cum aceto, ſubtiliat cicatrices.
Spuma argenti.Plinius.33.
Staphiſagria.Plinius.23.

Veſtigijs & cicatricibus ulcerum conferentia.

APIVM Raninum. Galen. ſexto ſimplici. Plinius uigeſimo-

quinto, remouet ſtigmata.

Ben. Meſ. Aui. ſemen. Serap. ſecundum Gal. ſuccus granorum, cicatricibus ulcerum confert. ſecundum Dioſcoridem, grana cum aceto, cicatricibus nigris ex conſolidatione ulcerum.

Bulbus. Auicen. Serap. ſecundū Dioſcoridem, cum euphorbio liniantur cicatrices nigræ ex conſolidatione ulcerum.

Cucumer aſininus. Plinius. xx. Auic. Serap. ſecundum Dioſcoridem, puluis radicis, ueſtigijs nigris ex conſolidatione ulcerum confert.

Eruca. Serapio ſecundum Eben Meſ. ſuccus cum felle, delet cicatrices ulcerum. Auic. ſimiliter.

Fœnogræcum. Auic. oleum eius.

Herbum. Auic. lac & aqua eius.

Lacca. Auic. uelociter confert.

Mandragora. Apul. vij. diebus leuiter fricata, uel cum ſale ſeruata, ſtigmata ſine ulceratione detergit.

Maiorana. Auicen. appoſita poſt ſcarificationem uentoſarum prohibet albedinem quæ conſueuit apparere in eis.

Myrrha. Auicenna.

Oleum been. Meſ. xij. antido.

Olibanum. Auicen. cortex.

Sputum. Haliabas.

Vitis alba. Meſue. Auicen. Serapio ſecundum Dioſcoridem, cum orobo & fœnograeco.

Aperientia cicatrizata.

SANGVINEA uirga. Plinius. uigeſimoquarto, cortex interior.

FINIS.

EXAMEN LEPROSORVM,

AVTHORIS INNOMINATI.

OPORTET MEDICVM PROVIDERE, ET attentum eſſe circa ſigna ipſius lepræ, & illa reuoluere multoties, & non uni ſignorum credere, ſed pluribus, & uidere quæ ſint ſigna propria, & quæ æquiuoca, unde ſecundum propria ſigna iudicet, & ſecundum æquiuoca, ſecundum maiorem partem.

Faciat igitur primo infirmum iurare, ut de interrogandis dicat ueritatem, & conſoletur uerbis conſolatorijs, dicendo, quod hæc ægritudo ſalus eſt animæ, & tales Chriſtus non deſpexit, licet mundus eos fugiat.

Tunc medicus ſecundo quærat de regimine ſuo, & dięta, & ſi conſueuit habere æmorrhoidas, uel mentag. & nunc non habeat. Item quales habuit ægritudines, quæ ad lepram diſponunt.

Primo faciat fieri phlebotomiam de cephalica, uel de baſilica, uel de ambabus, & ex diſpoſitione ſanguinis & eius ſubſtantia iudicet.

Primo, ſi ſanguis fœtet.

Secundo, ſi tactu ſit uiſcoſus uel unctuoſus.

Tertio, ſi manibus & digitis totus ſtrideat, ita quod ſit arenoſus, & aſper ad tactum per aduſtionem.

Quarto, ſi poſt lotionem ſanguinis per pannum lineum duplicem, conſideret carnem illam quæ eſt in panno, ſi ſit arenoſa, granuloſa, tumboſa, nodoſa.

Quinto, ſi fila rubea apparent ibidem, & ſi caro alba quæ ſtridebat ad tactū, & fœteat, & nigreſcat, hoc eſt malum ſignum.

Sexto, ſi color ſanguinis ſit niger liuidus.

DE OCVLIS.

Si oculi

Si oculi rotundantur,& maximè uerſus domeſticam partem.
Secundo,ſi ſit palpebrarum inflatio.
Tertio,ſi ſit oculorum inflatio & ſuperciliorum.
Quarto,ſi pili ſuperciliorum cadunt,& apparent creuiſſe pili parui & minuti,quæ niſi ad ſolem uidentur.
Quinto,ſi extractis pilis palpebrarum,& ſuperciliorum,adhęreant eis uelut fruſtula carnis.
Sexto,ſi albugo ſit tenebroſa & liuida.
Septimo, ſi uenæ rubeæ apparent in alba, & præcipue in angulis oculorum.
Octauo,oculorum aquoſitas.

DE AVRIBVS.

Si ſint rectæ & rotundæ propter conſumptionem pulparum eius.

DE NARIBVS.

Si nares exterius ſecundum exteriorem partem ingroſſentur,& interius conſtringantur,& coartentur.
Secundo, ſi appareat cartilaginis in medio corroſio, & caſus eius, ſignificat lepram incurabilem.
Tertio,ſi fœteant.
Quarto,ſi apparet polipus & ſtrictura anhelitus.
Quinto,ſi multitudo ſit ſternutationis.

DE ORE.

Primo extrahatur lingua,& uide ſi ſit granuloſa de ſubtus,aut etiam in extremitate linguæ,& in poris apparent grana alba,uiridia,uel liuida,hoc eſt,certum ſignum.
Secundo,ſi fœteat anhelitus.
Tertio,ſi ſit eius ſpiritus difficilis attractionis,& cum difficultate attrahatur, ut in ptiſi,diſnia,& aſmate.
Quarto,labiorum ingroſſatio,durities,fiſſura,denigratio,& liuiditas.
Quinto,ſi gingiuæ ſint aſperæ,& corroſæ.
Sexto,ſi eius ſermo ſit,ac ſi per nares loquitur.

DE FACIE.

Primo,furfures capitis fricando.
Secundo,color liuidus totius faciei uergens ad fuſcedinem, mortificatus,& terribilis aſpectus faciei cum fixo intuitu.
Tertio,puſtulæ & nodoſitates in facie & tuberoſitates.
Quarto,formicatio & titillatio totius faciei,ac ſi acus pungat eum.
Quinto,ſi ſit tenſio frontis,& ſplendor,ut cornu.

DE PECTORE.

Si in pectore apparent uenæ groſſæ.Item ſi ſunt mammillæ duræ.

DE MANIBVS ET PEDIBVS.

Si manuum muſculi fuerint conſumpti,& maximè pollicis & indicis.Item liuiditas unguium cum ſanguinis diminutione.
Item liuiditas & ſciſſura unguium.
Item quando digiti manuum & pedum & alij ſibi propinquiores, quæ

uocantur medij, patiuntur frigus, & dormitationem, & quaſi quandam ſenſus priuationem. Et aliquando accidit cuti, inter illos digitos uſq; ad cubitum uel brachium, & à pede dormitatio illa extendit ſe ad ancham.

Item ſerpigo & impetigo [illegible]cis adſunt, & prius pili parui aſcendunt, malum ſignum eſt. Et ſi impetigo & ſerpigo fuerint in magna quantitate, manuũ aut pedum, eſt certum ſignum acuitatis materiæ.

Item conſumptio puluis tibiarum.

Item ſenſibilitas ſiue tibiarum, ſiue retro tibias, quod puncturam acus nõ ſentiat, eſt ſignum lepræ.

Item diſtorſio iuncturarum, & nodoſitas circa illas partes.

DE TOTO CORPORE.

Primo ſi ſit facilis infrigidationis.

Secundo, ſi eminentiæ frigoris, ſicut in anſere apparent, eſt ſignum infallibile.

Tertio, ſi ſub cute ſint nodi, quæ manibus tractari poſſunt.

Quarto, ſi ſit pruritus & ſcabies illic.

Quinto, ſi aqua deſcendit per corpus, ac ſi tranſiret per rem unctuoſam.

Sexto, ſi ſit corroſio cutis, & proprie inter ſpondilem & dorſum.

Septimo ſentiunt ſe graues cum dormitatione membrorum.

Octauo, ſub cute tranſeunt formicationes, ac ſi eſſet urtica percuſſus, uel ſicut uermes ibi eſſent.

Item plus appetunt coitum, & ardent.

Item ſunt magis doloſi.

Item ſomnia uident terribilia.

Item incubum ſępius patiuntur, ac ſi cor eorum claudatur in nocte, & comprimatur.

DE PVLSV.

Eſt debilis, & rarus, & ſubtilis.

Item formicatio in palato, lingua, genu, & palpebris, & in toto corpore.

Item color cutis liuidus.

Item fœtor ſudoris.

SIGNA ALOPITIAE SANGVINEAE.

Facies obſcura, ſubtumida, cum ruboribus multis ulceroſis, & uirulenta ſanioſa, oculi ſunt rubei, & lachrymãtur, urina uergit ad rubedinẽ & ſpiſsitudinẽ.

TYRIAE SIGNA.

Vrina alba, uergens ad ſpiſsitudinem, cum quadam globoſitate ſanioſa.

LEONINAE SIGNA.

Manuum fiſſura, pedumq; aſperitas, cutis macies, pruritus & ardor, uox rauca, calor citrinus, mobile lumen, gingiuarum corroſio, naris acumen, urina uergit ad citrinitatem & tenuitatem, & uenter conſtipatus.

ELEPHANTIAE SIGNA.

Vrina eſt clara, liuida, tenuis, ſubtilis, arenoſa.
Eſt pondus, tumor, oculi turbatio, fœtor.
Pruritusq; ſitis, aſperitasq; cutis.

FINIS.

DE MEDICINAE CHIRVRGICAE PRAESTANTIA ET ANTIQVITATE, CONRADI GESNERI OBSERVATIONES

ad Geryonem Seilerum nobilem Auguſtanæ Reipublicæ medicum.

TERTIAM ESSE MEDICINAE PARTEM (inquit Cor. Celſus) quæ manu curet, & uulgò notum, & à me propoſitum eſt. Ea non quidem medicamenta atq; uictus rationem omittit, ſed manu tamen plurimum pręſtat: eſtq; eius effectus inter omnes medicinæ partes euidentiſsimus. Siquidem in morbis cum multum fortuna conferat, eademq; ſæpe ſalutaria, ſæpe uana ſint, poteſt dubitari ſecunda ualetudo medicí ne (aliàs medicinę) an corporis beneficio contigerit. In his quoq;, in quibus medicamentis maximè nitimur, quamuis profectus euidentior eſt, tamen ſanitatem & per hæc fruſtra quæri, & ſine his reddi ſæpe manifeſtum eſt. Sicut in oculis quoq; deprehendi poteſt, qui à medicis diu uexati, ſine his interdum ſaneſcunt. At in ea parte quæ manu curat, euidens eſt omnem profectum, ut aliquid ab alijs adiuuetur, hinc tamen plurimum trahere. Hæc autem pars cum ſit uetuſtiſsima, magis tamen ab illo parente omnis medicinæ Hippocrate, quàm à prioribus exculta eſt. Deinde poſteaquàm diducta ab alijs habere profeſſores ſuos cœpit, in Aegypto quoq; increuit, Philoxeno maximè authore.

HOMERVS quidem antiquiſsimus poëta cum de reliquis medicinæ partibus quàm parciſsimè & nihil ferè ſupra uulgi cognitionem & conſuętudinẽ ſcribat, chirurgiæ ſæpius & perquàm honorificè meminit: ut hiſce uerſibus Iliados Λ. ἰητρὸς γὰρ ἀνὴρ πολλῶν ἀντάξιος ἄλλων, ἰούς τ᾽ ἐκτάμνειν, ἐπί τ᾽ ἤπια φάρμακα πάσσειν. Eſt medicus unus uir multis anteferendus, Tela excindendiq;, & lenia pharmaca gnarus Plagæ inſpergendi. Vbi pleriq; hoc γνωμικῶς & in uniuerſum de medicis pronunciatum accipiunt, ut annotat Euſtathius: alij uerò de Machaone priuatim, tanquam is tãtum huiuſmodi eſſet. Et ſanè uidetur Homerus Machaonem hoc elogio ornaſſe, quoniam uulgus hominum ſcientiam medicorum contemnit & aſpernatur tanquam ſubtilem quãdam, & curioſam potius quàm utilem loquacitatem tantumnon ſtolidam: quemadmodum etiã grammatici homines ſtulti & parum ſapientes exiſtimantur, quod Athenæus indicat ſcribens: εἰ μὴ ἰατροὶ ἦσαν, οὐδὲν ἂν ἦν τῶν γραμματικῶν μωρότερον. hoc eſt, Niſi medici eſſent, nihil ſtultius foret grammaticis, nimirum iuxta plebis ac uulgi iudicium. (Tales nimirum non tam ἰατροὶ quàm logiatri & iatroſophiſtæ ſunt, qui potius uerboſi & circa problemata prompti, quàm in opere medico felices erant. Et huiuſmodi quidem logiatrica in problematis apud Ariſtotelem, Alexandrum Aphrodiſieñ. Caſsium iatroſophiſtã & Macrobium reperire eſt.) Cæterum quòd Homerus medici officium facit excindere ſagittas, uidetur hoc uoluiſſe indicare, quod niſi à perito medico præſtari non poteſt aut certè non debet. Simplex enim teli extractio à quouis forte perfici poſſet: exciſio uerò, periculoſis tãtum ictibus adhibenda, à perito duntaxat chirurgo. Non enim ſagittæ omnes neceſſariò excinduntur, (inquit Euſtathius) ſed pleræq; extrahuntur integræ. ſed poteſt ſagittæ nomine etiam uulnus ab ea inflictum intelligi: quanquam uulnus quoque non omne exciditur. Agnouit ſanè poeta belulciæ, hoc eſt telorum exemptionis modos tres: nempe ἐκτομὴν, id eſt exciſionem, ut in Eurypylo: διωσμὸν, hoc eſt adactionem in partem aduerſam, uel ex-

tractionem à parte oppoſita, ut in Diomede: deniq; ἐξολκὴν, hóc eſt, ſimplicem extractionem, ut in Menelao. Paris quidem Iliados λ. ſagitta ferit Diomedis ταρσὸν δεξιτεροῖο ποδὸς, διὰ δ' ἀμπερὲς ἰὸς ἐν γαίῃ κατέπηκτο. hoc eſt tarſum, uel proximam tibiæ & eminentiorem pedis proni partem. ſagitta uerò penetrans pedem terræ affixit. hanc ei Vlyſſes per poſteriorem pedis partem extrahit. Sic Iliados ε. Pelagon Sarpedoni,

> ἐκ δ' ἄρα οἱ μηροῦ δόρυ μάλινον ὦσε θύραζε
> ἴφθιμος Πελάγων.

Porrò Iliad. lambda circa finem Patroclus Eurypylo ſagittam è femore excidit cultro, eò quòd per totum femur ictus penetraſſet, οἷα τῆς πληγῆς διαμπερὲς γενομένης. (atqui in Diomede ſimiliter icto per διωσμὸν extrahebat ſagitta. Tum ſanguinem aqua tepida eluit. nam calida etſi dolores mitigat, ſanguinem tamen prolicit. frigida uerò horrorem excitat. Poſtremò radicem amaram craſsiuſculè & manibus tantum contritam immiſit. ſanguis enim effluens pollinem tenuiorem ſuo motu facile repuliſſet, χερσὶ διατρίψας ὀδυνήφατον, ἥ οἱ ἁπάσας ἔσχ' ὀδύνας, τὸ μὲν ἕλκος ἐτέρσετο, παύσατο δ' αἷμα. Aiunt autem aliqui, inquit Scholiaſtes, radicem hanc fuiſſe ariſtolochiam dictam, & iſchæmon alio nomine. Euſtathius addit aliquos Achilleam dictam putare. Curat autem hoc Eurypyli uulnus Patroclus ἐκτανύσας, id eſt extendens ipſum in pellibus bubulis ſubſtratis. Aiunt enim ueteres ut teli extractio commodius peragatur, ſaucium in eadem corporis figura poſitum eſſe oportere, in qua erat dum uulnus acciperet. (Eurypylus quidem dum uulneraretur, ſtabat, ut ex poëtæ uerbis conijcio.) Itaque fertur de medico quodam, quòd renitente extractioni ſagitta ſaucium interrogarit, in qua corporis figura uulnus accepiſſet, & intellecto inter equitandum id accidiſſe, collocato illi ad equitantis figuram, telum eduxiſſe.

> ἕλκος δ' ἰητὴρ ἐπιμάσσεται, ἠδ' ἐπιθήσει
> φάρμαχ', ἅ κεν παύσῃσι μελαινάων ὀδυνάων,

Iliad. δ. Euſtathius uerbum ἐπιμάσσεται interpretatur ſpongia deterget, uel contrectando curabit, uel exuget, ἐκμυζήσει. Eodem libro Machaon uiſo Menelai ex ſagitta uulnere,

> αἷμ' ἐκμυζήσας ἐπ' ἄρ' ἤπια φάρμακα εἰδὼς
> πάσσε, τά οἱ ποτὲ πατρὶ φίλα φρονέων πόρε Χείρων.

hoc eſt, Sanguinem exprimens (uel ore exugens) lenia inſperſit pharmaca, quæ patri eius aliquando beneuolus donauerat Chiron. Exprimebant autem ſanguinem (teſte Euſtathio) ne in uulnere putreſcens in pus abiret & cicatricis inductioni moram pareret. Quod autem hic ἐκμυζᾶν, ſuperius ἐπιμάσσεσθαι dixit. Noſtro etiam tempore multi (inquit Euſtathius) præſertim ex Barbaris, ſi cui uulnus inflictum fuerit, ore exugunt inde ſanguinem, tanquam & hoc ad eius curationem conferat. μυζᾶν ſanè propriè eſt ſugere, ut lac ex uberibus, medullam ex oſsibus. Hæc ex Homero & interprete eius Euſtathio de antiquitate & præſtantia Chirurgiæ dicta ſufficiant. reliqua enim ex eodem poeta adferemus mox in catalogo uirorum illuſtrium qui hancce artẽ uel uſu uel etiã ſcriptis ſuis exornauerunt, in AEſculapij, Achillis, Chironis, Machaonis, & Pæonis mentione.

De cauterijs, & primum de infantium uſtione.

Pœnorum qui paſtorales (Nomades) ſunt, an omnes non queo pro certo dicere, ſed plerique hoc faciunt: Vbi filij ipſorum quadrimi effecti ſunt, uenas uerticis illorum lana ſuccida inurunt. nonnulli uenas temporum, eam uidelicet ob cauſam, ne ullo unquam tempore phlegma, id eſt pituita defluens è capite officiat: eáque de re ſe aiunt eſſe optima ualetudine. Et ſunt reuera Pœni inter omnes quos nos nouimus homines ſaluberrimo corporum ſtatu, incertum mihi an ob hanc cauſam, certè optima

ualetudine ſunt. Quod ſi pueris dum inurunt ſpaſmus ſuperueniat, inuenta eſt ab eis medicina. urina enim hirci aſperſa eos liberant, Herodotus lib. 4. Atqui apud nos Germanos, ut alia multa egregia remedia uel recepta non ſunt, uel deſerta, ſiue ob medicorum imperitiam, ſiue mollitiem hominum, qui ſcilicet longiore morbo potius diu confici, quàm ſemel uel breuiſsimo tempore dolere fortiter & liberari, malunt. ſic & cauteria in nullo penè uſu ſunt, quibus Italia & aliæ nationes externæ frequenter & fœliciter utuntur, quibus ſolis multi magni ac difficiles morbi uel depelli uel præueniri poſſunt. quorum antiquiſsimus uſus eſt, ut cum aliunde tum ex Arabica uſtione authoribus celebrata conſtat. Vſtio Arabica. De qua etſi in hiſtoria capræ inter Quadrupedes uiuiparas, quæ tum occurrebant, ſcripſerim. hîc tamen pleraque eadem opportunè repetiturus mihi uideor, & ea inſuper adiuncturus quæ Petrus Bellonius in Gallico libro Singularium obſeruationum ſuarum ſuper eadem uſtione ſcripta reliquit. Vtilem (inquit Dioſcorides) iſchiadici uſtionem hunc in modum accipiunt: In eo interſtitio ubi pollex brachiali committitur, caua ueluti lacuna ſubſidet, in qua lana oleo imbuta ſubſternitur, deinde ſigillatim feruentes ſtercoris caprini pilulæ imponuntur, dum uapor per brachium ad coxam ſentiatur peruenire, & coxendicis dolorem mitigare. aduſtio id genus Arabica appellatur, Hæc ille. Ego cauam illam lacunam in ipſo brachiali ad latus internum ſub pollice reperio: quæ tamen non ſemper apparet: manum uerò ita tenenti ut digitus minimus infimo loco ſit, pollex ſupremo, idémque ſurſum & retro tendatur, omnino conſpicua fit inter duos neruos, figura planè idonea quæ baccam recipiat caprinam, etc. Plinius hoc remedium Magis adſcribit: Fimum caprinum (inquit) ſubdito linteolo uncto caua manu (cauo manus ſub pollice) quantum pati æger poſsit, feruens ſuſtineri iubent: ita ut ſi læua pars doleat, hæc medicina in dextra manu fiat, aut è contrario. Fimum quoque ad eum uſum acus æreæ punctis tolli iubent. Modus curationis eſt, donec uapor ad lumbos ſentiatur peruenire. Poſtea uerò manum porro tuſo illinunt: item lumbos ipſo fimo cum melle. ſuadéntque in eodem dolore & teſtes leporis deuorari, Hæc Plinius. Simile remedium etiam author alibi docet, in quo plus rationis, (ut Marcello Vergilio etiam uidetur,) minus ſuperſtitionis eſt: Iſchiadicos, inquit, uri ſub pollicibus pedum (Aggregator legit ſub poplite) fimo caprarum feruente utiliſsimè tradunt. Arabica illa (inquit Marcellus Vergilius) apud Dioſcoridem uſtio, noſtra ætate, quod audierimus, in nullo uſu eſt. Plutarchus quidem in commentario Cur ſerò ſcelerati à numine puniantur, in uſu eam fuiſſe uſtionem ijs uerbis teſtatur. Καὶ γελοῖος ὁ φάσκων ἄδικον εἶναι τῶν ἰσχίων πονούντων καίειν τὸν ἀντίχειρα. Quod eſt, Ridiculus præterea eſt, dicens iniuſtum eſſe medicum, qui in coxendicis dolore pollicem urat. Coxendicis dolor per femora, genua tibiáſque ad infimos tales pertinet, quod in ſuperiore hominis parte non fit. Quamobrem plus rationis eſſe uidetur cur pedum pars potius quàm manuum uratur. Præterea qui aptiorem uſtionem coxendicum docuerunt, Hippocrates, Paulus Ægineta, alijque Græcorum medici, aliter uri in eo malo hominem uoluerunt. Non diſsimilis quidem uſtionibus his ea eſt, qua in gente noſtra circa quadrageſimum à partu diem infantes, Infantium uſtio. candente ferramento, ab alijs in imo occipitio, ab alijs in interſcalpio, ab alijs ſub poſteriore humero paſsim uruntur, uulgóque creditur ſine ea uſtione non poſſe fœliciter primæ illius ætatis pericula infantes euadere, Hæc fere Marcellus Florentinus, qui noſtra memoria Dioſcoridem Latinitate donauit. Aëtius libro duodecimo (cap. iij.) ex Archigene & Antyllo multa ſuper hac re adfert digna memoratu: & Dioſcoridis etiam uerba repetit, quæ ex Cornarij interpretatione nonnihil ab excuſis Dioſcoridis codicibus uariare uideo. Sed quoniam codice Aëtij Græco deſtituor, Cornarij tranſlationem recenſebo. Vete-

res (inquit Archigenes) etiam uſtione in iſchiadicis uſi ſunt, alij aliter, &cæt. Quidam ad propinquæ cruri affecto manus locum inter magnum digitum & indicem medium, circa infernum pollicis articulum, caprinum ſtercus feruens per forcipem imponunt, ſtercoráque permutant, donec ſenſus uſtionis ad locum affectum perferatur. Dioſcorides hanc rem ita tradit, Caprinum (inquit) ſtercus feruefacito, & extenſo pollice manus, cauum locum circa inferni eiuſdem articuli finem nota, &c. ut ſuperius recitaui. Antyllus autem, Nos (inquit) etiam huiuſmodi urẽdi modo utimur. Stercus caprinum ſiccum feruefacimus, eoq; uentrem magni digiti affecti pedis perurimus paulo infra unguem, uſque ad os ipſum uſtione penetrante. Hæc quidem uſtio extremas coxendicum affectiones, & quæ nullis alijs præſidijs cedunt, diſſoluit. Cæterum poſt uſtiones porri folia cum ſale trita imponito, &c. Bellonius libro 3. cap. 21. Singularium obſeruationum ſuarum de cauterijs Turcarum & uſtione Arabica ſic ferè ſcribit, ut nos è Gallico ſermone conuertimus: Turcæ cúm aliqua defluxione aut capitis aut alterius partis morbo afficiuntur, locum affectum fungo igniario uel panno inurunt. Huius uſtionis Græci, quam Arabicam uocant ante annos mille ſexcentos meminerunt: & apud Turcas & Arabes in hunc uſq; diem tam frequens eſt, ut multorum frontes, tempora & aliæ corporis partes cicatricum ex hac uſtione ueſtigia præ ſe ferant. Ego hunc inurendi modum utiliſsimum eſſe re ipſa deprehendi. nam Theſſalonicæ in Macedonia à dolore capitis mulierem Iudæam, quo ultra ſexennium laborauerat, eodem planè quem Dioſcorides uſtionis Arabicæ ad coxendicis curationem modum præſcribit uſus: pilulis ſcilicet fimi caprini ardentibus in cauum carpi ſub pollice immiſsis, non amplius quinque. Turcę quidem aliter faciunt. capite enim uel alia parte dolente, pannum de goſſypio contorquent ita ut ſolidi Gallici latitudinem & nucis ferè magnitudinem referat: aut ſi deſit hic pannus, fungum igniarium accipiũt: et ignitum particulæ ægræ impoſitum, donec per ſe extinguatur & in cinerem refrigeratus abeat, mira fortitudine & conſtantia relinquunt, Hæc Bellonius.

His de cauteriorum antiquitate hoc ueluti corollarium addiderim quod Cardanus lib. 7. de Subtilitate refert. Fit (inquit) eſcharoticum abſq; dolore, quod facile cutem pertundit horis xxiiij. ſi ſana eſt cutis, ipſum ſolum corio circundatum imponitur. ſin autem ſanies, ut in ſuppurationibus ſubeſt, locus aceto acerrimo lauatur. Conſtat medicamentum è tenero ſapone & calce uiua tenuiſſimè mixtis, adeò ut in unguenti formam mollis tranſeant. Cauterium potentiale uulgò uocant, quod non actu ignem continet, ſed aliquantiſper in corpore noſtro relictum à calore natiuo ex potentia in actum producitur, ut inſtar ignis urat: quod inter metalla maximè facit hydrargyrus ſublimatus, inter animalia, cantharides: in ſtirpium cenſu, ranunculi genera & quæ flammulæ appellantur, iberis, lepidium, aliæq; à ueteribus aut recentioribus traditæ. & inſuper, quod nos experti ſumus, conſiliginis flores mirificè (ſicut & flores flammulæ illius quam uitem ſyluestrem cauſticam appellamus, clematidi congenerem ac ſimilem niſi quòd maior eſt:) item inter radices raphani maioris uulgò dicti radix, & ari, & lepidij maioris cui folia lauri AEgineta tribuit, & uitis nigræ radix quam & tanum & tamarum appellant: cum albæ uitis radix non urat, etſi Galenus (Dioſcoridem ſecutus) uitem nigram eadem præſtare ſcribat, quæ alba, ſed ignauiùs omnia, quod ille mihi non ſatis perpendiſſe uidetur. Capſici uel cardamomi Arabici ſemina, & multò magis ſiliquas maturitate corallij inſtar rubentes ac nitentes, efficaciſsimè omniũ citiſsimeq; inter ea quæ natura tantũ conſtat (nã calx & hydrargyrus, aliaq; ſublimata ut uocant, artis non naturæ opera ſunt) urere non dubitârim: cum uel leuiſsimus & primus ſtatim guſtatus ipſius linguam igneo feruore prorſus inflammet. Senti & aconiti primi, hoc eſt toræ Valdenſium, quam nemò adhuc rectè deſcripſit, in Sabaudicis

Cauterium ſine dolore.

Galenus notatur.

montibus

montibus guſtata radice, cum nondum agnoſcerem, ſtrenuum ac uenenoſum feruorem. Sed hæc ſingillatim perſequi prolixum nec huius inſtituti foret. ſat fuerit è plurimis pauca & rariora, hoc eſt, à nobis primum obſeruata & tradita παρέργως & corollarij loco annotaſſe.

ENVMERATIO ALPHABETICA VIRORVM ILLVſtrium, qui rem Chirurgicam vel ſcriptis vel artis uſu excoluerunt, authore Conrado Geſnero.

** Aſteriſco notauimus illorum nomina, quorum in hoc Volumine ſcripta continentur.*

CHIRVRGIAM alij ex profeſſo tractauerunt, integris chirurgici argumẽti libris editis: alij paucis & breuiter, ut epiſtolis aut cõſilijs tantum perſcriptis. Nos utrorumque ſcripta, quæ hoc tempore memoriam noſtram non ſubterfugerint, enumerabimus. Quanquam autem anatomica quoque ſcientia, & bonæ ſtirpium partis aliorumque ſimplicium medicamentorum cognitio, & inter compoſita emplaſtrorum, malagmatum, cerotorum, unguẽtorum, & aliorum quorundam chirurgo neceſſaria ſit, illorum tamen ſcriptores recenſere minus operæprecium uiſum eſt: quòd anatomica præſertim, & ſimpliciũ medicamentorum ſcientia ad medicum etiam non exercentem chirurgiam pertineat. De compoſitis uerò medicamentis illis quæ foris adhiberi ſolent in affectionibus quas curat chirurgus, illi omnes ferè ſcripſerunt quorũ de cæteris etiã compoſitis remedijs libri extant, ut Nicolaus Myrepſus, Io. Meſue, Iac. Syluius, Leonardus Fuchſius, Antonius Braſauolus, & alij. Quanquam Braſauolus ſeparatim de emplaſtris, unguentis, cerotis &c. librum edidit. Galeni operis de medicamentorum compoſitione ſecundum genera, reliqua interierunt, chirurgica tãtum extant. Illa etiã medicinæ pars quę de cura morſuũ uenenatorum pertractat, qui amputando, excindendo, ſcarificando, urendo ſæpenumero curantur, etſi bona ex parte ad chirurgum pertineat, non temere tamen eius ſcriptores hac in parte à nobis non enumerantur. Obſtetricatum etiam ad chirurgum pertinere dixerim: item morbi Gallici curam: & elephantiacorum, quos leproſos appellant, inſpectionem: denique bonam coſmeticæ medicinæ partem, quæ uaria cutis uitia, tubercula & ſcabiei genera aufert, de qua in uniuerſum plura leges infra in CRITonis mentione. Sed duæ tantum præcipuæ ac neceſſariæ huius ſcientiæ partes ſunt, quarum altera circa carnis ſolutam cõtinuitatem & tumores abſceſſusque uerſatur, altera circa oſſa fracta & luxata, ut in procœmio ſexti Aegineta teſtatur.

ACHILLEM medicinæ non imperitum fuiſſe uel ex prouerbiali oraculo conſtat, quo reſponſum eſt Telepho Myſo, medicaturum illum qui uulneraſſet. is enim ab Achille uulnus lethale & initio accepit, & ab eodem ſanatus eſt poſtea. Vnde & Telephia uulnera dicuntur maligna, & quæ Achillem medicũ deſiderarent, ſicut & Telephi uulnus. ſic & Chironia, quæ cum curatu difficilia ſint, Chirone medico indigerent, Euſtathius. Telephia & Chironia ulcera Galenus curioſè ſic nominari ſcribit, quæ ſimpliciter cacoëthe, id eſt, maligna dici deberent. Telephus Myſorum rex cum Græcos ad expeditionem Troianam proficiſcentes prohibere uellet, ne per Myſiam tranſirent, ab Achille uulneratus eſt, qua plaga ſanari prius nõ potuit, q̃ ſuadentib. oraculis eadẽ haſta ab Achille repercuteret, quod ita intelligitur, quia rubigine emplaſtrũ fecit Achilles, quo uulnus ſanauit, ut grãmatici quidam ſcribunt. Inuenit & Achilles diſcipulus Chironis (herbam) qua uulneribus mederetur, quæ ob id Achilleos uocatur. Hac ſanaſſe Telephum dicitur. Alij primum æruginem inueniſſe, uti- Telephia ulcera.

liſsimam emplaſtris, ideóque pingitur ex cuſpide decutiens eam gladio in uulnus Telephi. Alij utroq; uſum medicamento uolunt. Aliqui & hanc panacen (panaces) heracleon, alij ſideritim, & apud nos millefoliam uocant: cubitali ſcapo, ramoſam, minutioribus quàm fœniculi folijs ueſtitam ab imo. (Hęc Dioſcoridis myriophyllos eſt, non Achilleos, quanquam hæc etiam nomenclatura ei adſcribitur, ut & reliquæ ferè utriq; cõmunes.) Alij fatent̃ quidem illã uulnerib. utilem: ſed uerá Achilleon eſſe ſcapo cæruleo pedali, ſine ramis, ex omni parte ſingulis folijs rotundis eleganter ueſtitam. (Hæc fortè perfoliatæ quoddã genus fuerit, cuius picturam hactenus à nemine publicatam uidi.) Hæc omnia Plinius. Et mox ſideritidis ſpecies deſcribit, ita ferè ut Dioſcorides, tanquam illæ etiam ſingulæ ab Achille denominentur ab alijs atq; alijs ſcriptoribus. Omnibus quidem uulnera ferro facta ſanandi uis eſt. Vbi hoc à nobis obſeruatum eſt, tertiam Dioſcoridis ſideritîn, herbã unã à Plinio (niſi quid librarij corruperunt) in duas tanquam diuerſas eſſe diuiſam. Poſtremò noſtri eã, (inquit, uel Achilleã uel ſideritin) quę eſt latiſsimo folio, ſcopas regias uocant, medet̃ angi nis ſuũ. Sed cũ in præcedentib. nulli foliũ latius attribuerit, ꝙ primæ ſideritidis ſpeciei, cui foliũ quercus, (ſed minus, Dioſcorid.) peculiare forſan hoc genus, et
Carpentaria. à prædictis omnibus diuerſum intelligi uoluit. Ruellius & alij quidam carpentariam uulgò dictam, uel herbam ſanctam, uel herbam S. Barbaræ accipiunt.

Ego Telephon haſta. Pugnantem domui, uictum orantemq; refeci, etcæt. Ouidius. Sanus Achilleis remeauit Telephus herbis, Claudianus. Achillẽ puerum legimus Chironi Theſſalo traditũ educandũ, à quo ſcilicet præter bellicas artes, Muſicę exercitiũ, & bonos mores, obiter etiã herbarum facultates cogno
Achillea herba. uit, quod uel una Achillea taſtatur, ab hoc heroë dicta, ſiue ꝙ is eã primus inuenerit, ſiue ꝙ eius remedio plurimum uſus fuerit. contrita enim eius coma cruentis impoſita uulneribus ea glutinat & inflãmationes arcet. ſanguinis quoq; omnes, priuatimq; ex fœminarũ locis eruptiones ſiſtit pro peſſario appoſita, authore Dioſcoride: qui etiã ſtratioticen. i. militarem appellatã ſcribit, ꝙ eius ſcilicet in caſtris & bello multus eſſet uſus: & ſideritin Heracleam. nã & aliæ ſideritides ſunt, à ferro ſortitæ nomen, eò ꝙ uulnera præcipuè ferro inflicta curent. Sũt qui Achilleæ radicẽ eſſe putẽt amaram illã Iliad. λ. quam Patroclus in Eurypyli uulnus, immittebat, ut & dolor leniret̃ & ſiſteretur ſanguis. alij uerò ariſtolochiã,
Iſchæmos. iſchæmon alio nomine dictam. Ego neq; Achilleæ radicem amarã eſſe dixerim, neq; ariſtolochiæ genus ullum rectè iſchæmon dici, quod nomen à ſiſtendo ſanguine factum: quæ uis ariſtolochiæ nulli tribuitur, ſed contraria potius, nempe ſanguinem euocandi ut menſes mulierum. Iſchæmonẽ (malim iſchæmon, à recto iſchæmos ut ſcholiaſtes Homeri & Euſtathius habent) Thracia inuenit, quo ferunt ſanguinem ſiſti non aperta modò uena, ſed etiã præciſa. ſerpit è terra milio ſimilis, folijs aſperis & lanuginoſis. farcit̃ in nares, quæ in Italia naſcitur, & ſanguinẽ eadem adalligata ſiſtit, Plinius 25.8. Quærendũ an hæc ſit herba quam
Gramen uulnerarium. apud nos aliqui gramen uulnerarium uocant, cuius iconem nemo adhuc protulit. aut ſpecies aliqua graminis, quales nõnullas & milio quoq; ſimiles Trag.
Piloſella. deſcribit lib. 2. cap. 35. aut piloſella uel muris auricula uulgò dicta, niſi folij latitudo prohibeat. hęc. n. (inquit Ruellius) humi proſerpit, folijs geminatim ex interuallo copulatis, ſeſsilibus, latis, in mucronem exeuntibus ſed obtuſiorẽ gramine, piloſis, &c. Ferũt foliorũ farinã uulnera mirum in modũ glutinare. Ferrum produnt quod huius herbæ ſũcco commaduerit, tantam contrahere duritiem, támque magnũ induere rigorem, ut chalybis aciem reſpuat, & ſcobinę modo quodcunq; ferramentum elimet, imò potius diſſecet. Eadem nimirũ facultate uentrẽ ouiũ uſq; eò firmat, ut alui ſuppreſsione cõfeſtim, quaſi perſtrictis (ut uolũt) inteſtinis emoriant̃. quod de ſanguinaria herba Columella tradit, (dicta fortaſsis à ſanguinis ſiſtendi facultate) ſiue illa eadem piloſellæ, ſiue nũmularia qui

buſdam

buſdam dicta.nam hac quoq; depaſta ſimiliter affici pecudes affirmant, ut ſanguinaria Columellæ dici poſſe uideatur,non uerò etiam iſchæmos diſcrepante deſcriptione. Iam cum de Telepho & telephijs ulcerib. ſuprà nobis facta ſit mentio,de telephio etiam herba nonnihil dicendum.nam hãc quoq; ſic appellatã coniecerim,quòd malignis,qualia ſunt telephia,ulceribus medeatur. Scribit enim Plinius ſanare eam lentiginem,uulnera & fiſtulas.Dioſcorides uerò al phos & leucen.qui hanc herbam deſcribit primum in fine libri ſecundi,& rurſus libro tertio tanquam tertium ſedi genus.ubi facultatem ei acrem & exulcerantem attribuit,qua ſtrumas etiam cum axungia emplaſtri modo impoſita diſcutiat.Hæc mihi planè minimũ ſemper uiui genus uidetur, floſculis luteis quæ guſtu magnam præ ſe fert acrimoniam, ut exulcerare etiam poſſe uideatur.non exulcerat tamẽ,ſi bene memini experimenti mei. Vtuntur eius ſucco illinendo mulierculæ noſtræ ad tollendas uerrucas, & ad ſerpiginem curandã cũ butyro (uel axũgia) coquentes exprimentesq;. Falluntur qui fabã inuerſam telephij nomine appellant.nos illã anacãpſerotem ueteribus Græcis appellatam,ſi quãdo ocium noſtras de ſtirpibus obſeruationes ædendi fuerit, demonſtrabimus. Eſt ſanè ea quoque uulneraria herba, & ita ſimpliciter à quibuſdam Germanis appellatur. Sed ſatis iam occaſione Achillis & Achilleæ herbæ uulnerariæ ad alias quaſdam eiuſdem facultatis herbas digreſsi ſumus.

Telephium herba.

Sedum tertiũ.

Faba inuerſa Anacampſeros.

AESCVLAPIVS (Aſclepius Græcis) chirurgiæ inuẽtor dicitur primus, quem Græci tradunt primum obligauiſſe uulnus, Polydorus Vergilius. Ab Aſclepio Aſclepiadæ dicti eiuſdem familiæ poſteri,in qua etiam Hippocrates & Ariſtoteles claruerunt. AEſculapius & eius filius Machaon ut diuina nati proſapia exiſtimarentur,artis medicæ præſtantia & utilitas effecit,Euſtathius. Sed de Aeſculapij filijs Machaone & Podalirio pluribus infrà in M. litera dicetur. Ego non AEſculapium ſed præceptorem eius Chironem primum huius artis inuentorem poſuerim. AEſculapium panaces dictum eſt ab AEſculapio, qui cum Herculem aduerſus hydram iuuaret,ab eo uulneratus & hac herba ſanatus eſt.

AETIVS medicus Græcus rem medicam ferè uniuerſam libris 6.complexus eſt.in horum quartodecimo chirurgica docet:nempe de ſedis,pudendorũ ac ſcroti uitijs: de thymis, formicis & huiuſmodi. & de ſimplicibus medicinis quæ imponuntur emplaſtris. de uulneribus ſanguinolentis. de neruis uulneratis,de inflammationibus,de abſceſsibus,de ulceribus recentibus,de diuturnis, de malignis, de cancerofis, de carbunculis,de eryſipelatibus, de ulceribus quæ ſerpunt,de ampullis quas phlyctænas appellant,de intertrigine,de contuſionibus,de attritionibus,de plantarum digitorum & unguium affectibus,de uarici bus,de uena Indica quam dracontion ſeu uermiculum uocant. Item in quintodecimo libro,de œdematibus,ſcirrhis, ſtrumis,meliceride,ſteatomate,atheromate,& ganglijs,& de emplaſtris uarijs plurimorúmque uſuum. In ultimo etiam de mulierum affectibus ſcribens, chirurgica multa intermiſcet,ut de fœtus ex utero extractione uel exectione:& de uarijs uteri mamillarumq; uitijs arte chirurgica curandis.

AGGREGATOR, uide Iacobus Dondus.

ALBVCASAE medici de chirurgia libri III. impreſsi Baſileæ apud Henricum Petri anno 1541. in folio, cum Rolandi & alijs ſcriptis chirurgicis. Idem fortaſsis fuerit qui Bulcaſis & alio nomine Seruitor appellatur, cuius liber de præparationibus medicamentorum agit. Primus liber eſt de cauterijs per ignem & medicamenta urentia, à capite uſque ad pedes. Secundus de ſectione,& perforatione,& extractione dentium,ſagittarum,fœtus, calculi:& de herniarum ſectionibus, & ſimilibus. Tertius

de oſsibus luxatis reſtaurandis,& fractis curandis,à capite uſque ad pedes. Adiectæ ſunt ubiq; uariæ inſtrumentorum figuræ delineatæ. Authorem cõijcio Mahometanæ ſectæ fuiſſe. hiſtorias chirurgiæ à ſe adminiſtratæ multas paſſim recenſet.

ALEXANDER Aphrodiſienſis problematũ.1.75. quærit, Cur qui rapidè inconſultoq; inciduntur, minus doleant quàm qui conſultò? Item 2.49. Cur muſculi tranſuerſè inſecti difficilius uniantur & curentur?

ALEXANDER Benedictus Veronenſis in uolumine ſuo de curãdis morbis à capite ad pedes etiam chirurgica quædam admiſcet: & inter cætera libro 24. cap. 37. nouum genus curationis ad enterocelas & epiplocelas deſcribit. Et 7.2. de notis luxatæ uertebræ in ceruice. Idem in Anatomicis libro 4. cap. 37. ſuffuſionis curam præſcribit.

*ALFONSVS Ferrius Neapolitanus medicus & chirurgus noſtro ſæculo clariſsimus, de ſclopetorum ſiue archibuſorum uulneribus lib. III. ædidit Corollarium de ſclopeti ac ſimilium tormentorum puluere. De caruncula ſiue callo quæ ceruici ueſicæ innaſcuntur.

AMATVS Luſitanus medicus in Italia noſtro tempore ædidit Curationũ ſuarum Centurias duas,& tertiam quoq; promittit.

Ex Centuria prima Curationes Chirurgicæ.

Curatio prima, De uiperæ morſus curatione.
Cur. 14. De uteri procidentia.
17. & 18. De aphthis, id eſt, oris ulceribus: deq; tibiarum & brachiorum ſcarificatione.
19. De caluaria reducenda quæ percuſſa & plicata antea fuerat.
23. De glande pudendi non perforata, nec in ea foraminis ueſtigio ullo apparente.
26. De ſcirrhoſo quodam Gallicano tumore.
27. De phymate tumore in ſeipſo.
31. De cancroſo quodam ulcere maligno ac doloſo mamillam mulieris infeſtante, quæ inde tandem mortua eſt.
32. De punctura acus in digito, febri & ingenti dolore ſequente.
40. De angina & nido hirundinis.
42. De calculo impediente urinæ exitũ: & eius extractione per inciſionem glãdis ſecundum longitudinem.
43. De pituita ad oculos deſcendente,& laqueo ad nucham indito.
45. De tumore in genu cum dolore & grauiſsimis ſymptomatibus.
47. De mamilla ad ſuppurationem ueniente, & de methodo mammarum curandarum.
49. De quibuſdam Gallicana ſcabie infectis,& quàm multis annis occulta hęc lues latitet.
50. De caſu quodam morbi Gallicani in fœtu, matre illæſa, cũ pater multis antea annis eo laboraſſet.
51. De puero cum cornu in capite naſcente, quo reſecto obijt.
54. De morbi Gallici cum lichenibus curatione.
61. De empyemate: & quòd in ſuppuratis inter ſecũdam & tertiam ab ima ſeu ultima coſtam, ſectio aut uſtio fieri debeat.
66. De uulnere quodam inflicto in quinta coſta.
67. De uulnere inflicto inter umbilicum & os uentriculi.
69. De tumore aquoſo in capitibus puerorum recens in lucem editis plerunq; apparente.

74. De

74. De ulcere fauces depaſcente.
75. De ulceribus Telephijs & Chironijs dictis,ſpurias coſtas occupantibus.
76. De abſceſſu in capite apparente, quem Græci atharoma: recentiores uerò talpam appellant,cum ulceribus colli.
79. De capillorum defluuio.
83. De morbo regio ob crurum ulcera quædam occluſa eueniente.
84. De ſubluxata uertebra quadam ſpinæ & ſymptomatibus,ac de oſsium compoſitione.
89. De parotidibus,id eſt,abſceſsibus in adenibus iuxta aures naſcentibus.
93. De ani procidentia, & ſedis hæmorrhoidibus, ac pudendorum tumefactione.
97. De carbunculo nato in oculi palpebra inferiori.

Ex Centuria. II.

Curatio 2. De occipitio fracto.
5. De coccyge oſſe recuruo & eius curatione.
10. De muliere per uuluam ſtercus reddente.
11. De quodam qui ob lapſum ex arbore urinam retinere non ualebat.
16. De quodam qui quum ab ſcabie per linimentum curatus fuit, in quandam faciei & labiorum incidit fœdam affectionem.
19. De quodam qui per ſcalam lapideā cecidit,cui brachium & ſiniſtrum crus abſq; motu manſerunt.
22. De papulis quibuſdam circa brachialia & manus, & utriuſq; pedis aſtragalum repente erumpentibus.
24. De eryſipelate phlegmonôde.
25. De eryſipelate puro apud Auicennam ſpina dicto.
29. De lichene impetigine dicta.
33. De quodam qui ex unguento illito ſupra ſcabiem intra noctem obijt.
34. De elephantia Auicennæ.
35. De pſora & lepra Græcorum.
37. De herpete miliari.
38. De uerrucarum curatione per aduſtionem cum ſarmentis ignitis.
58. De puero continuò febriente,qui ſola crurum ſcarificatione ſanus euaſit.
60. De quodam qui panis ſiue circa inguina bubonibus corripiebatur.
67. De mania ob occluſum ulcus eueniente.
71. De enterocelæ,id eſt,inteſtinalis ramicis curatione.
73. De cruſtoſo ulcere aures & faciem inficiente.
78. De morſu canis.
79. De elephantici cuiuſdam curatione.
82. De ſcirrhoſo tumore ob caſum ſuppurato & in ulcus uerſo, ex quo mors ſubſecuta fuit.
83. De uulnere inter utroſq; cerebri uentriculos penetrante.
84. De hernia aquoſa, uel ramice humorali.
85. De uulnere cuidam inter furculam & humerum inflicto.
87. De carneis excreſcentijs circa anum enaſcentibus, quas criſtas uulgus appellat.
88. De ſcirrhoſo tumore uteri os occupante,ac uteri euerſione.
91. De dolore hæmorrhoidum cæcarum.
92. De egregio quodam ad ambuſtiones remedio,ex medico Indo.
95. De documento habendo in pāno ſiue inguinis tumore curando.
98. De ſingulari topico medicamento ſcabiei,cruſtis & lepræ conueniente.

AMMONIVS Alexandrinus in chirurgia quædam reperit, Celſus 7.1.

ANDREAS Furnerius medicus Pariſienſis librum Gallicum ſcripſit de decoratione corporis humani, in quo multa ad chirurgum pertinentia habentur. Excuſus eſt Lugduni in 16. noſtro tempore. Pars eius altera ſcribitur de ornatu muliebri. Tertia de unguentis diuerſis ad ſcabiem, ulcera, excoriationem cutis, aduſtionem & ignem uolaticum.

ANDREAS Lacuna Secobień. medicus Iulij III. Pontificis ſcripſit Epitomen Alphabeticam omnium rerum & ſententiarum, quæ annotatu dignæ in Cōmentarijs Galeni in Hippocratem extant, cui etiam paſsim Chirurgica multa inſeruntur. Gul. Rouillius excudit Lugduni 1554 in 8.

ANDROMACHI permultas cópoſitiones tranſcripſit Galenus in uolumen ſuum de compoſitione med. ſecundum genera.

*ANGELI Bolognini profeſſoris in Academia Bononienſi, de cura ulcerum exteriorum libri II. Liber de unguentis, quæ communis chirurgorum uſus in ſolutæ continuitatis medela recepit.

ANTONIVS Beniuenius librum condidit de abditis nonnullis ac mirādis morborum ac ſanationum cauſis per capita CXI. Andreas Cratander excudit Baſileæ anno 1529. cum Scribonio Largo.

Ex illis Chirurgica hæc ſunt.

Caput 1. De morbo quem uulgò Gallicum uocant.
4. Fluxus ſanguinis ex poro ſeu meatu in hypochondrio dextro latente.
5. De uena umbilici, & ex uulua prolapſis inteſtinis.
6. Vmbilicus prominens.
9. Abſceſſus in genu cum tumore ad capitis magnitudinem, miraculo euidenti ſanatus.
10. In præcordijs ſagitta uulneratus, miraculo liberatus.
11. Mulier uulua carens (cum tota putreſcens excidiſſet) uixit annis X.
12. Aqua intercute liberatus puer mirificè, aqua per umbilicum (qui ob copioſum frigidæ potum ſubito apertus erat ſponte) paulatim educta à medicis.
14. Struma ingentis magnitudinis & ponderis (ſupra lx. libras) de coxa reſecta.
18. Eroſum capitis os.
20. AErea acus perforato ſtomacho extrinſecus truditur.
21. Ob incuriam & licentiam uictus à lepra liberatus.
22. Hulcus menti ſanatum dentis euulſione.
25. Magna ſuræ oſsis parte reſecata puella conualuit.
26. Sagitta carminibus euulſa.
27. Hulceratæ nares.
28. Naturalia clauſa inciſione curantur.
29. Emortuus fœtus unco extrahitur.
30. Natus ano clauſo.
31. Naturalia eroſa & clauſa.
38. Angina inciſa.
39. Soluta umbilici unitas.
42. Cordis pars patefacta inciſo abſceſſu, & æger tamen reſtitutus.
49. Ex inciſa arteria ferè mortuus.
50. Claudus ex loco eminentiori cadens liberum recipit greſſum.
67. Meliceria pro carbunculo iudicata.
68. Inciſus coles ſanari nequiuit.
70. Abſceſſus ſola theriaca apertus.
71. Gangrænam mortem afferre ſi à digito pedis inceperit.

72. Ex

72. Ex carcinomate exagitato mors ſubſequuta.
73. Ramice curatus interijt.
74. Puella oculo perforato uiſum recuperauit.
76. Sciſſo inteſtino graciliori uita fruitur.
78. Calculus ueſicæ cum ab ima parte acutior eſſet ſponte inciſa ueſica egreſſus.
79. Os feminis eroſum.
80. Calculo ueſicæ euulſo ſanata mulier.
82. Brachium ab humero diductum, in puella, cuius totum brachium feruentiſsimæ aquæ effuſione humero conæſerat.
86. Puella clauſo ani meatu nata, octauo quoq; die recrementa ex naturalibus deijciebat, &c.
90. Vrina ex alienis locis emanans.
93. Mulier ex lapſu urinam continere non poterat.
98. Elephantia.
104. Ex abſceſſu gulæ hominem penè iugulatum.
109. Aqua inter cutem eliſo utero propellitur.
110. Alapa mortuus.

ANTONII Fumanelli Veronenſis medici conſilium Chrurgicum, de caluariæ fractura, pectoris atq; pulmonis uulnere, ac inflammatione, excuſum Baſileæ apud Oporinum in 4. cum eiuſdem authoris Methodo de febribus, &c.

APOLLONII duo in chirurgia quædam repererunt, Celſus 7.1.

ARCHAGATHVS Peloponenſis Lyſaniæ filius, primus è medicis Romam uenit, L. AEmilio & M. Liuio Coſſ. anno urbis D.xxxv. eiq; ius Quiritum datum & taberna in compito Acilio empta publicè. Vulnerarium tradunt fuiſſe uocatum, miréq; gratum aduentum eius initio: mox à ſæuitia ſecandi urendiq;, tranſiſſe nomen in carnificem, & in tædium artem omneſq; medicos, Plin. 29.1.

ARCHIGENIS aliquas compoſitiones recitat Galenus in opere de cōponendis medic. ſecundum genera.

ARCHONTIVS uulnerum medicus, ſed planè impoſtor, Galeno & Plinio teſte, Brunfelſius. ego hoc nomen apud Plinium non reperio, ſed Aruntij ſimpliciter medici non Chirurgi.

ARISTOTELIS Stagiritæ problematum ſectio prima ad res medicas pertinet. interſunt autem chirurgica pauca. Videlicet,

Problemate 30. Quænam uirtus ſit cataplaſmatis?
31 Quónam argumento conſtet abſceſſum iam purulentum eſſe?
32. Quænam urenda, quæúe ſint incidenda?
33. Quænam uirtus medicamenti ſupprimentis ſanguinē ſit, quod enæmū appellamus?
34. Quænam incidenda, quæúe urenda: quæ contra non ita curanda ſint, ſed medicamentis?
35. Cur ſi quis ære inciſus ſit, facilius quàm ſi ferro ſaneſcat?
36. Cur ambuſta ex ære ſanentur celeriter?
46. Cur mutari cataplſmata debeant?
50. Cur impuris tetríſque ulceribus, ſiccis, acribus acerbíſque medicamentis utendum ſit, puris uerò & ſaneſcentibus humida tantum imponantur?
55. Quamobcauſam pernionibus, & ambuſtis frigore, tam aqua frigida quàm calida proſit?
56. Cur frigus perniones, calor ambuſta & facit & tollit?

Porrò ſectio nona tractans de ijs quæ ad uibices & cicatrices & pelles pertinent, tota chirurgica eſt.

ARNOLDVS Villanouanus ſcripſit de ſignis leproſorum, de ornatu mulierum, & de decoratione: qui eius libri impreſsi habentur inter reliqua eius opera.

ASCLEPIADES condidit librum de ulceribus, ut citat Caſsius Iatroſophiſta. In quibuſdam morbis medendi cruciatus detraxit, ut in anginis quas curabant in fauces organo demiſſo, Plinius. Plurimæ eius compoſitiones leguntur in libris Galeni de compoſit. ſec. genera.

ATTALI nonnullas compoſitiones recitat Galenus in opere de compoſit ſecundum genera.

AVICENNAE uoluminis magni de re medica liber quartus continet Fen ſiue Doctrinas 7. Fen. 1. eſt de febribus & earũ accidentib. 2. De ſignis prognoſticis, & de iudicijs criſis. 3. De apoſtematibus & puſtulis: primo de calidis, deinde de frigidis, tertio de lepra. 4. De ſolutione continuitatis, & primo de uulnere. Deinde contuſione, attritione, caſu, offenſione, torſione, excoriatione, punctura, diſruptione, combuſtione. de extrahendis infixis, de ſanguinis profluuio. Tertio de ulceribus, fiſtulis & cicatricibus. Quarto de uulneribus & apoſtematib. neruorũ, &c. De oſsium morbis in genere. de oſsium corruptione & fractura. 5. De reſtauratione oſsium: & primo de luxatione. ſecundo de fractura & deligatione in genere. tertio de fracturis ſingillatim. 6. De uenenis. 7. De decoratione, primo circa capillos. ſecundo circa cutis uitia ſine ulcere aut tumore, ut quæ circa colores ſunt. tertio circa eiuſdem uitia cũ ulcere (ſcabie, puſtulis) aut tumore aliquo paruo. quarto de totius corporis uel partium ſingularũ extenuatione & impingnatione: de paronychia & cæteris unguium uitijs.

AVRELIVS Cornelius Celſus ſolus extat ex ueteribus qui de chirurgia Latinè ſcripſerit. & quamuis ipſe chirurgiam propriè appellet, ubi medicus ſecat, urit, aut oſſa fracta luxatáue curat: poſteriores tamen Chirurgiæ profeſsionem latius extenderunt. Optima quidem hactenus Celſi librorum æditio illa prodijt, quam Baſileæ nuper Oporinus dedit, cum Gulielmi Pantini Tiletani in duos priores libros commentarijs, & in reliquos annotationibus.

Argumenta quatuor poſteriorum Celſi librorum.

Libri quinti. Ex præfatione authoris. Dixi de his malis corporis, quibus „
uictus ratio maximè ſubuenit. Nũc tranſeundum eſt ad eam medicinæ partem, „
quæ magis medicamentis pugnat. Primum autem ſimplicia medicamenta, „
quæ foris maximè adhibentur, ſecundum uarias facultatum differentias enumerat. Deinde cõpoſitiones multas deſcribit, malagmata, emplaſtra, paſtillos, peſſos, & arida medicamenta. Hieræ, Iolæ, Iudæi & Timæi mixturas: ſternutatoria, gargarizationes, antidota, acopa, catapotia, & alia huiuſmodi.

De uulneribus, & ijs quæ circa uulnera obſeruari debent, eorumq́ curatione.

De ulceribus quædam. Speciales curationes aduerſus ictus ſerpentium.

Aduerſus quædam uenena. De uarijs ulceribus & abſceſsibus, ſcabie, impetigine, papulis uitiligine.

Sexti. Ex præfatione. Dixi de his uitijs quæ per totum corpus orientia, „
medicamentorum auxilia deſiderant. nunc ad ea ueniam, quę non niſi in ſingu- „
lis partibus incidere cenſuerunt, orſus à capite. „

De uarijs affectibus & uitijs externis capillorum, capitis, faciei, oculorum, cum curationibus eorundem, & aliquot collyriorum deſcriptionibus ad caligationem oculorum. De affectibus aurium, narium, dentium, ac de tonſillis.

De ulceribus oris & gingiuarum. De uua, cancero oris, parotidibus, & umbilico prominente.

De

De uitijs colis,teſticulorum,ani,& ſi anus aut uulua procidat. De digitorũ ulceribus.

„ Septimi. Ex præfatione. Tertiam eſſe medicinæ partem quæ manu curet
„ & uulgò notum,& à me propoſitum eſt.Ea non quidem medicamenta atq; ui-
„ ctus rationem omittit,ſed manu tamen plurimũ præſtat. Et rurſus, Poteſt au-
„ tem requiri quid huic parti (chirurgiæ) propriè uendicandum ſit:quia uulnerũ
„ quoq; ulcerumq; multorum curationes,quas alibi executus ſum, chirurgi ſibi
„ uendicant. Ego eundem quidem hominem poſſe omnia iſta præſtare cõcipio:
„ atq; ubi ſe diuiſerunt,eum laudo qui quàmplurimum percipit.Ipſe autem huic
„ parti ea reliqui,in quibus uulnus facit medicus,non accipit:& in quibus uulne
„ ribus ulceribúſue plus perfici manu quàm medicamento credo tum quicquid
„ ad oſſa pertinet. Deſcribit igitur hoc in libro omne genus affectuum,quibus
„ curandis inciſio ferri deſideratur,à capite ad inferiora progrediens.

Octauus proponit oſsium totius corporis curam,quæ aliquo modo uitiata, fracta,luxataue ſunt.

B.

*BARTOLEMAEI MAGGII Bononienſis chirurgi peritiſsimi De uulnerum ſclopetorum & bombardarum curatione tractatus.

BARTOLEMAEI Montagnanæ ſiue de monte Gnana, medici & chirurgi eximij opera impreſſa Venetijs apud Octau.Scotũ in folio,anno 1497. chartis 198.Nempe Conſilia diuerſa, numero 305. Tractatus tres de balneis Patauinis. De compoſitione & doſi medicinarum. Antidotarium. Hunc medicum ferunt in bonis authoribus medicę artis diligentius quàm id ſeculum ferebat uerſatum eſſe,& in ſimplicium medicaminum eorũq; uirium notitia pleroſq; ſuperaſſe.

In uolumine Conſiliorum ad morbos diuerſos à capite ad pedes, &c. chirurgica ſunt hæc.

Conſilio 61.De fiſtula in angulo lachrymali.
62. De palpebra inuerſa.
64. De ulcere in aure cum exitu uirulentiæ,cum ſonitu quodam & diminutione auditus.
65. De exitu humiditatis corruptæ ab aure.
71. De ſcirrho non puro in naſo.
72. De polypo in naſo.
14. De cura apoſtematum quorumcunq; naſi,& ulcerum etiam,ſectione 3.parte 2.cap.2.
107.Ad prouocandum ſanguinem narium,tractatu 3. capitulis 2.6.& 7.Et Conſilio 301.ſectione 2.cap.2.intent.primum in fine.
82.De œdemate in gena,partim per eſſentiam,partim per cerebri rheumatizantis colligantiam.
83. De fiſtula in oſſe maxillæ.
299.De puſtulis in colatorio & toto palato,intent.10.rubr.14.& Conſilio 302. ſectione 2.cap.2.rubr.5.quintum accidens.
87. De corruptione gingiuarum,& dentium dolore.
88. De elongatione uuluæ à phlegmate aquoſo,à cerebro per colatoriũ ad uuluam deſcendente.
89. De apoſtemate gulæ quod botium nominant.

92. De apoſtematibus gutturis, quæ uulgò dicuntur dragoncelli.
91. De ſtrangulatione ab obſtructione, uel ab apoſtemate in partibus gulæ.
271. De ſquinantica diſpoſitione. cap. 3. rubr. 7.
124. De cancro in mamilla, & Conſilio 126.
127. De nocumento deglutitionis propter ulcus in meri.
168. De ægritudinibus ani, & primum de tumore hæmorrhoidum notabili in inteſtino recto intus & extra exiſtentium.
169 De fluxu hæmorrhoidum immoderato, licet interpolato. De dolore intenſo in iſtis partibus. De formica miliari in ijſdem. De eminentia hæmorrhoidali, quæ eſt ficus.
170. De tumore, apoſtemate & dolore inteſtini recti.
15. De frequenter moleſto hæmorrhoidum fluxu, partic. 3. cap. ul.
70. De immoderato fluxu hæmorrhoidum, tract. 2. cap. 1. & Conſilio 75. cap. 3. & Conſilio 157. c. 3. Ad ſtringendum hæmorrhoides, Cõſilio 15. in fine. & Cõſilio 20. intent. 2. & Conſilio 73. tract. 2. cap. 2. & Conſ. 75. c. 3. & Conſilio 114. in fine. & Conſil. 296. c. 3. 16.
De hæmorrhoidibus reſtrictis, Conſilio 10. tract. 2. cap. 6. & Conſ. 14. ſecti. 3. parte 2. cap. 7.
Ad prouocandum hæmorrhoidas, Conſil. 20. intent. 2. & Conſil. 37. intent. 1. & Conſ. 39. intent. 5. & Conſ. 73. tract. 2. c. 2. & Conſil. 75. & Conſil. 114. in fine. & Conſ. 242. c. 3. rubr. 2. & Conſ. 272. c. 3. intent. 3.
De apoſtemate, condylomate uel ficu in circulo ani, Conſ. 171.
172. De apoſtemate in fiteri (ſphinctère. i. circulo ani) quod dicitur ficus.
70. De apoſtemate in fiteri, tract. 2. c. 2.
198. De apoſtemate duro in radice uirgæ.
199. De exituris in inguinibus. De moro in eiſdem. De cancro & accidentibus quibuſdam.
200. De apoſtemate in inguine.
201. De tumore in teſticulo cum duritie & dolore.
203. De apoſtemate teſticulorum.
69. De deſcenſu humorum ad teſticulum ſiniſtrum, tract. 3. c. 9.
227. De hernia cuiuſcunque ſpeciei.
228. De hernia oſcheali cum motu contractiuo ſiue ſpaſmoſo in teſticulo ſiniſtro ab oſcheo in ſuperiori parte uerſus mirach eleuato.
229. De ramice oſcheali compoſita ex uentoſa & adipina.
230. De hernia oſcheali cuiuslibet ſpeciei.
56. De hernia compoſita ex ruptura & uentoſa, ſect. 2. cap. 3.
131. De hernia prægrandi cum ruptura ſiphac.
134. De hernia oſcheali, ſect. 2. cap. 4.
147. De uentoſitate in parte inferiori minante herniam futuram, cap. 2.
231. De ingenti tortura ſpondylorum, ſiue de gibboſitate cum cõtractione coſtarum, & tremore ſiue ſaltu cordis.
232. De gibboſitate cuiuſdam pueri.
233. De uaricibus.
234. De uaricibus in ſiniſtro crure.
235. De tumore cruris cum corruptione partis cutaneæ.
236. De elephantia ſecundum duas eius ſpecies.
42. De uaricali mala diſpoſitione, cap. 6.
258. De tumore pedum ulceroſo, & interdum non ulceroſo, per colligantiam hepatis & ſplenis, à quibus materiæ melancholicæ, & interdum aduſtæ ad pedes delegantur.
299. De ulceribus & puſtulis crurium & pedum, parte 2. intent. 10. rubr. 10. & 11. & Conſ. 301. ſect. 2. cap. 2. intent. 8. 261 De

261.De dolore in genu ex uulnere facto cum lancea uel enſe,& de tumore & duritiæ eiuſdem propter malam complexionem humidam accidentalem.
250.De impotentia motus digitorum manus propter inciſionem cum enſe.
De ægritudinibus ſeu uitijs cutis:Et primum De rubedine roſea in ſuperficie cutis apparente cum contractione digitorum manuum & pedum,cúmq; catarrho ſalſo,&c.
289.Conſilium uel potius dubium de faciei defœdatione.
290.De ſcabie ex aduſtione ſanguinis & choleræ,cũ mixtione phlegmatis non aduſti reddentis totam materiam acutam & ſalſam.
291. De ſcabie antiqua & fixa.
292.De ſcabie acuta uniuerſum corpus ambiente à melancholia aduſta cũ permixtione choleræ.
293. De ſcabie acuta cum ulceratione crurium.
294.De apoſtemate in collo pueri.
298.De cruſtis ſiue rupturis puerorum.
295.De puſtulis & cruſtis in brachijs cruribus & pedibus poſt partum mulieris propter malum regimen.
296.De ſahaphati humida,quę eſt puſtularum ulceratarum multitudo in facie.
297.De puſtulis ulceratis poſt cauſum cholericum.
299.De lepra & propriè elephantica,cũ 14.accidentibus ad ipſam conſequentibus,& duobus cum ea complicatis.
300.De lepra leonina.
301. De lepra cuiuslibet ſpeciei cum nouem accidentib.ad ipſam cõſequẽtib*.
302.De lepra elephantica cum 12.accidentibus ad ipſam conſequentibus.

BENEDICTI Victorij Fauentini de morbo Gallico liber, excuſus Baſileæ à Bebelio,anno 1536. in 4. cum alijs de eodem morbo ſcriptoribus. charta eſt una,nec aliam quàm per balneum huius morbi curationem docet. Et rurſus eiuſdem authoris ac tituli liber chartis nouem,diætã ac diuerſas in hoc morbo curationes exponens, impreſſus eſt Florentiæ apud Torrentinum,año 1551. in 8.unà cũ libro eiuſdem Benedicti de curatione pleuritidis per ſanguinis miſſionem ad Hippocratis & Galeni ſcopum.

BERNARDI Gordonij Lilium medicinę,qui eſt liber omnium corporis humani ægritudinum curationes continens,publicatum eſt Pariſijs typis Dioniſij Ianotij,anno 1542.in 8.in eo chirurgica inſunt hæc.

In particula I.

Cap.14.De morſu ſerpentum. 15.De punctura ſcorpij.
16.De punctura apum. 17.De morſu canis rabidi.
19.De apoſtematibus per uiam aduſtionis generatis,cuius Rubricæ ſunt 8. Rubrica 1.De apoſtematibus in genere. Rub.2.De curatione eryſipelatis,anthracis,carbunculi,& ignis ſacri. Rub.3.De curatione ulcerum ſanioſorũ. Rub.4.De curatione gangrenæ,& herpetis eſthiomeni. Rub.5.De impetigine. Rub.6.De formica miliari. Rubrica 7.De fiſtula. Rubrica 8.De cancro.
20.De uerrucis,porris,acrochordonibus & lupis.
21. De apoſtematibus frigidis,primum in genere:deinde ſpeciatim. Rub.2.De glandulis,nodis & ſcrophulis. Rubr.3.De apoſtematib. duris & lapideis. Rubr.4.De ſcrophulis clarificatio.
22.De lepra.
23. De morphea.
24.De ſcabie,cuius Rubricæ ſunt tres. 1.De ſcabie nõ ulceroſa nec ſquamoſa.

11. De apoſtematibus matricis.
12. De rhagadijs uuluæ.
13. De præcipitatione matricis.
16. De difficultate partus. 17. De retentione ſecundinæ.

BRVNI Longoburgenſis Chirurgia magna, chartis 9. & dimidia. & Chirurgia parua, quæ ſeſquichartam non excedit. impreſſæ Venetijs anno 1499. in folio cum aliquot alijs Chirurgicis libris Guidonis de Cauliaco & aliorum. Author in præfatione ſcribit ſe hoc opus compoſuiſſe ex libris ueterum, nempe Galeni, Auicennæ, Almanſoris, Albucaſis & Haliabbatis, nec nó & aliorum peritorum ueterum.

C.

C. PLINIVS Secundus cum alibi chirurgica quædam remedia memorat, ſingulorum naturas tradens, tum libro 26. ſecundum affectuum differentias remedijs quaſi per locos digeſtis, ut capite 12. eius libri, Contra luxata membra, furunculos, fiſtulas, ambuſtionem, &c. quæ pleraq; omnia ex ipſo deſcripta, & ſimul ex alijs multis ueteribus medicis * Aggregator per locos ſatis egregie diſpoſuit: & poſt ipſum etiam Otho Brunfelſius.

CANAMVSALI de Baldach philoſophi liber de curandis oculorũ paſſionibus, & de remedijs ad eas præparandis &c. ex uarijs ueteribus Græcis, Arabicis & Indis ſcriptoribus, impreſſus eſt Venetijs anno 1499. in folio chartis 3. & dimidia, cum chirurgia Guidonis de Cauliaco & aliorum, barbaro ſtylo.

CASSIVS iatroſophiſta phyſicas quaſdam & naturales quæſtiones Græcè condidit, quas nos Latinas fecimus, & ante nos Hadrianus Iunius. Ex ijs Chirurgicæ quædam ſunt. nempe Prima, Vlcera rotunda cur cæteris curatu difficiliora ſunt? 2. Cur & extremæ partes corporis & cauæ ulceribus depaſcentibus obnoxiæ ſunt? 3. Cur dum ulcera ſaneſcunt & inflammationes ceſſant, pruritus oboritur? 9. Cur in uulneribus capitis adeò profundis ut membrana quoque cerebri cuſtos uulnerata ſit, quamuis iam euaſiſſe uideantur affecti, & ad cicatricem poſtmodum adducta ſint uulnera, aliquando tamen conuulſio ſuperuenit ita ut moriantur? 10. Iſtud planè obſeruatum eſt, ubi capiti uulnera tanta inflicta ſunt, ut oſſa quoq; dirimantur; periculoſiora quidem eſſe in uertice ac ſyncipite, quæ uerò ad cicatricem ducuntur, facilius perſanari, q̃ quæ circa occiput uulnera facta ſunt. 11. Quinét hoc obſeruatione cognitum eſt, quòd uenter eorum qui habent huiuſmodi capitis uulnera, ſi ſponte fluat, mors conſequitur: ſin ratione uictus, ſalutare ſignum eſt. 13. Cur in operantib. circa mare oculorum pterygia abundant? 33. De uaris quæ circa faciem fiant, maximè circa naſum. 34. Cur aqua frigida admota naribus ſanguine copioſo fluentibus, fluxus augeatur? licet frigida condenſet ſuapte natura. 38. Qua de cauſa ubi in artubus fractura fuerit cũ incuruatione, & oſſis partes fractæ utrinque exaſperatæ & occurſu mutuo eminentes, intra os effractum caro naſcatur, ita ut ſoliditatem oſſium intercedens impleat, & natura æqualem cum oſſibus uim habeat: in ægilope autem ſi os atteratur & comminuatur, partes ita manét, neq; carnem producunt? 40. Cur offenſo membro uicina quidem nihil per conſenſum afficiuntur, multum uerò diſtantia communem affectum ſentiunt, ut inguina pedibus offenſis? 41. Cur in capite cum dextra parte membrana cerebri cuſtos uulnerata fuerit, ſiniſtra reſoluitur: ſin parte ſiniſtra uulnus inflictum ſit, dextra reſolutionem patitur? 42. Cur in pugnis ſaucij in ipſum uulnus prolabuntur? 43. Cur in uiuis quidem corporibus uſtis puſtulę oriuntur, in mortuis nequaquam? 52. Cur ulcera magna inter curationem, dum repurgantur, letalia ſunt? 57. Cur oſſium quæ in tofum ſiue pôrum coaluerunt, ſi-

gnum habetur ex faſcijs cruentis, etſi fractura citra uulnus extiterit? 58. Quomodo tofus oſsium conſiſtit? 84. Cur in rupturis quæ ex ictu fiunt abdomen quidem licet forinſecum non rumpitur, ſed peritonæum quod intrinſecũ eſt?

CHIRONEM aiunt manu aliquando uulneratum eam quæ ex herbis fit medicinam reperiſſe, Euſtathius. Herbariam & medicamentariam à Chirone Saturni & Philyræ filio inuentam uolunt, Plinius. Chiron uir omnium iuſtiſsimus in Pelio habitauit: & cum Hercules aliquandiu cum ipſo uerſaretur, ut qui eum ualde amaret, contigit aliquando è pharetra Herculis ſagittam in eius pedem illabi, quo uulnere extinctum à Ioue inter ſydera relatum ferunt, Varinus.

De chironijs ulceribus ſupra in Achillis mentione diximus. Centaurea curatus dicitur Chiron, cum Herculis excepti hoſpitio pertractanti arma ſagitta excidiſſet in pedem. quare aliqui chironion uocant. folia ſunt lata & oblonga, &c. Plinius. (Dioſcorides φύλλα ὑπεριμήκη in minore centaurio habet, quæ maiori tantum conueniunt.) Quartum genus panacis à Chirone repertum, (ut & tertium ab eodem: primum ab AEſculapio, alterum ab Hercule) centaurion cognominatur, &c. idem Plinius. Apud Dioſcoridem quoque centaurium maius chironiàs cognominatur. Radix eius (inquit Dioſcorid.) utilis eſt uulneribus, in quem uſum recens & humida tunditur: ſiccata uerò prius aqua madeſcit, tum pariter tundit. Conſtipat enim & glutinat, tantáq; eſt in conſtipando & glutinando uis eius, ut carnes ſimul elixa etiam cohæreſcere cogat. In Lycia ſuccum ex ea exprimunt & pro lycio utuntur. Minus etiam centauriũ uulnera glutinat, uetuſta purgat ulcera, atq; cicatricem perducit. Et rurſum Plinius, Tertium panaces chironeon cognominatur ab inuentore, folium eius lapatho ſimile, maius tamen & hirſutius. flos aureus, radix parua, (ex Theophraſto 9.12. ubi tamen non μικρὰ, id eſt, parua, ſed μακρὰ, id eſt, longa legit, ut Gaza etiã legit, quod nõ probo. nã Dioſcorides quoq; radicẽ ei λεπτὴν καὶ οὐ βαθεῖαν, id eſt, gracilem & non profundam attribuit.) Naſcitur pinguibus locis huius flos efficaciſsim⁹, eoq; amplius q̃ ſupradicta poteſt. Theophraſtus etiã foliũ lapathi huic ſtirpi tribuit. Dioſcorides uerò & Nicander amaraci. Quod ſi apud Theophraſtum quoq; amaraci legendũ eſt, ut Ruellio placet, monuerim Theophraſtũ amaraci nomine ſampſuchum intelligere, (non parthenium, ut cęteros Gręcos interdũ) nam in libro de odoribus amaracinũ unguentũ deſcribit: quod à parthenio herba minimè grati odoris nequaquã denominari poſſe uidet. Vtuntur ea (radice, inquit Theophraſtus) aduerſus uiperas & phalágia, & cætera reptilia ex uino data, et uncta oleo. Valere aiunt & ad ulcera ex uino & oleo, & ad naſcentia ex melle. Eſt & Chironis inuentũ ampelos (id eſt, uitis) quę uocatur chironia, de qua diximus inter uites, Plinius. ait autem eſſe uitem nigrã dictam.

Dioſcorides quoq; uitem nigrã Chironiã cognominat, quam eaſdem habere facultates ait cũ alba: Scripſerat autem de alba, Folia, fructus & radicem eius acrimoniam habere: ideoq; chironijs, & in gangrænam phagedænamq; tranſeũtibus, & putreſcentib. tibiarũ ulcerib. cũ ſale utiliter pro cataplaſmate imponi.

Lycium præſtantius è ſpina fieri tradũt, quam & pyxacanthon chironiam uocant, Plinius. Et alibi, Lycij ſpinam in Græcia pyxacanthũ chironium uocant.

CL. GAlenus poſt Hippocratem facile medicorum princeps, cum omnem medicinam tum Chirurgicam quoq; lucubrationib. aliquot ſuis illuſtrauit. Extant enim ipſius ſcripta:

De tumoribus præter naturam liber.

De curatione morborum per uenæ ſectionem, per hirudines, reuulſionem, cucurbitulas & ſcarificationem.

De compoſitione medicamentorum generali libri 7. quibus ea medicaméta cõponere docet, quæ foris applicant ad quamuis unionis ſolutionẽ: ut ſunt uaria emplaſtra quorũ alba in primo libro, alia diuerſorũ colorum in ſecundo tra-

duntur.

duntur. Tertius totus neruorũ uulnera curat. Quartuſ maligna & ægrè ducẽtia cicatricẽ ulcera. Quintus emplaſtra habet polychreſta,quæ multis cõueniũt affectibus,& prẹter cẹtera ulcerib.curatu difficilibus opitulant̃:ſed omnia particularia,nihil uniuerſale. Sextus etiam emplaſtra polychreſta habet, quæ ſimul ad alia multa ſingulatim faciũt,tũ ad particulas putreſcẽtes: quæ differũt ab ulceribus quæ Græci dyſtherapeuta propriè.i. curatu difficilia uocant. Vltimus eſt de malagmatis quæ duras partes emolliunt:de chalaſticis,quæ tenſionem relaxãt.poſtremò de acopis & myracopis, quæ ad laſsitudines neruorũq; affectus conueniunt. Nos pleriſq; particularib.medicamentis relictis (præter paucas præſtantiores & à Galeno laudatas) uniuerſalem componendi methodum ſeorſim ædi curauimus Lugduni olim apud Frellonios in 8.

In lib.10.de cõpoſitione medicamentorũ ſecundũ locos,chirurgica hæc reperio. In primo libro, De alopecia, caluicie & ophiaſi,de capillorũ affectib.uarijs,de furfuribus,phthiriaſi,achorib.& puſtulis in capite. In tertio, Ad auriũ quoſdã affectus,ut ulcera,inflammationes cũ exulceratione,fœtorẽ,& nomen ſiue ulcus depaſcẽs,ad aures exulceratas,purulẽtas,cõtuſas. Ad parotides. Ad nariũ affectiones,ut ozænas & polypos. Ad eruptiones ſanguinis è naribus. In quarto, De uarijs oculorũ affectibus,lippitudine præſertim & ulceribus. In quinto, De hypopio,id eſt,ſuggillatione ſub oculis,de ęgilope,de uaris,de ficoſis tumoribus,de lichenoſis in mento tumoribus,de menti eruptionib9,de furũculis,de dentiũ affectionibus,de gingiuarum curatione. In ſexto, Ad affectiones in ore,cruſtas & ulcera,& ad gurgulionem. In nono, De uitijs ſedis,hæmorrhoidibus,pudendorum & uteri affectionibus.

a Commentarij tres in Hippocratis librum de fracturis, ſeu fractis & luxatis oſsibus, & eorum repoſitione. b Commentarij iiij.in librum de articulis. Cõmentarius in librum Hippocratis de ulceribus. Commentarius in librũ eiuſdem de uulneribus capitis. c In librum de officina medici, uel de medici uulnerarij munere commentarius triplex. a.b.c. Vide infra in Hippocrate,& Vido Vidio,& Io. Bernardo Feliciano.

*De faſcijs liber, Vido Vidio Florentino interprete, cum figuris q̃ plurimis. Ex præfatione interpretis. In eo codice cuius mentionẽ fecim9 in epiſt.ad regẽ, tres ſunt auctores de faſcijs, Galenus, Soranus, & Heliodorus. è quibus ego Latinũ feci Galenum duntaxat.nam qui hunc nõrit,reliquos planè nõrit. Hũc autem librum germanum eſſe Galeni uel ipſo procemio conuincit.atq; hic eſt ille liber quẽ ille pollicit9 eſt in ſecũdo Cõmẽtario de officina medici. Verũ deſiderantur in Gal. quædã, q̃ placuit accepta à Sorano in hunc librũ inſerere:ne qua ſupſit humani corporis pars cui9 uiculũ in hoc ope nõ repias probabile eſt ea q̃ ſuppleuimus intercidiſſe neq; uериſimile eſt Galen.tã Sorano q̃ Heliodoro poſteriorẽ,qui ab utroq; multa alia de faſcijs mutuat̃,quę nũc deſiderant̃,omiſiſſe.

E 14. libris methodi Therapeuticæ, tertius in genere docet de quaq; ulceris differentia,oſtẽdens,quales medicamentorũ,quib.illa curent̃,uires eſſe conueniat,& q̃ ad curationẽ ſoluti cõtinui cõmunis indicatio ſit unitio. Cæterũ quæ ex hoc rurſus ĩ partes diducto particulares cõſiſtũt,hæ quatuor libris huius tractatiõis 3.4.5.& 6.ſcriptæ ſunt. Et eiuſdẽ opis liber 13.de tumor.præt.nat.& primo de phlegmone in uniuerſum,deinde glãdularũ,iecoris,oculorũ. Liber 14. de eryſipelate,œdemate,ſcirrho. De tumorib. p̃ter naturã inter ſe cõplicatis. De ĩflatiõib. De liuidis tumorib. De cãcro,carbũculo,ſtrumis,abſceſsib. Method9 curationis tumorũ p̃ter naturã,inter quos & ſteatomata habent̃,& acheromata,et meliceridès,et myrmecię,et acrochordenes. De hypochemate,de herpete

Artis curatiuæ ad Glauconem totus liber ſecundus tractat de tumorib.pręter naturam,ulceribus,abſceſsibus,inflationibus.

Omnium Galeni librorũ compendia utiliſsimè diligentiſsimeq; Andreas Lacuna cõſcripſit:ex quib. Chirurgus ea q̃ ſuæ ꝓfeſsionis fuerint ſeligere poterit.

CL. Galeno attributus liber de oculis, (Demetrio Græco interprete, Græcum tamen exemplar nondum eſt inuentum,) & uarijs eorum affectibus curãdis, habetur in æditione operum Galeni in magno fol. Venetijs apud Iuntas, anno 1550. Claſſe vij. Chartæ ſunt quatuor & dimidia.

CONSTANTINI Afri, monachi Benedictini, Caſsineñ. cœnobij, inter alia ſcripta medica (quæ Hen. Petri Baſileæ excudit pleraq;) extant etiam chirurgica hæc. De morborum cognitione & curatione operis liber ſeptimus poſt præſcriptas febrium curationes, poſtq; alexipharmaca & theriaca, medicatur abſceſsibus, uerrucis, elephantiaſi, morpheæ, alijsq; continui ſolutionibus. Reliquit & compẽdium huius operis, cui titulus Liber aureus de remediorum & ægritudinum cognitione.

Liber de chirurgia: & primùm de phlebotomia, arteriarum inciſione, ſcarificatione, cucurbitulis, oſsium reſtitutione et fractorum conſolidatione: deinde de uarijs alijs chirurgiæ operibus. Chartæ ſunt 4. & dimidia, impreſſæ in Tomo primo.

De elephantia liber, in Tomo 2.

In Viatici etiam medicinæ, quod an hactenus publicatum ſit neſcio, parte poſtrema tractat de morbis exterioribus, abſceſsibus, ſcabie, &c.

CRITONIS cataplaſmata æſtiua citantur apud Aëtium libro 8. cap. 7. Remedia ad ephelides cap 11. ad papulas menti cap. 15. Eiuſdem plurima paſsim apud Galenum in libris de generali & locali medicaminum compoſitione ad uerbum deſcripta leguntur. Libro quidem primo cap. 2. de compoſ. ſecundũ locos librum primum Exornatoriorum ipſius citat Galenus. Et eiuſdem libri capite 3. Quæcunq; (inquit) pharmaca comptoriæ ſpeculationis Heraclides & Cleopatra & alij poſt ipſos medici ſcripſerunt, ea omnia Crito (qui in imperatorijs ędibus eſt medicatus) coaceruauit, in quatuor de ornatu libris qui in omnium manibus uerſantur. Et mox ſingulorum librorũ capita ſubiungit, quò (inquit) facile inueniri queant ſingula talium pharmacorum. Ea nobis quoq; hìc apponere uiſum eſt, ut uel ex illis quænam coſmetica illa medicina ſit, quã Chirurgiæ ſubijcimus, appareat.

Primi libri Critonis de ornatu capita.

Coſmetica medicina quæ nã tractet ſingillatim.

Conſeruantia capillos. Augentia capillos. Præſeruantia capillos. Tincturæ canorum. Tincturæ flauos & auricolores capillos reddentes. Smegmata capillorum. Illitiones præſeruantes. Faciem erugantia. Illitiones faciem nitidam reddentes. Cataplaſmata faciem nitidam reddentia. Superciliorum illitiones. Supercilia denigrantia. Oculorum illitiones. Illitiones ex ſtibio. Ad graueolentiam narium. Dentifricia. Manducationes. Ad fœtorem ſub alis affrictiones. Manducationes ad fœtorem oris.

Secundi libri capita.

Quæ nigredines colli repurgent. Illitiones ad exudationes ſub alis. Illitiones mamillas conſeruantes. Ventrẽ purgantia. Smegmata manus nitidas reddentia. Ad nigredines à partu. Ad rugas à partu. Ad fiſſuras à partu. Illitiones ad eminentes umbilicos. Quæ pueros impuberes cõſeruant. Quæ uirginitatem conſeruant. Ad humectas & frigidas mulierculas. Ad cicatrices nigras. Pſilothra capillorum. Smegmata attenuantia pilos omnis generis. Illitiones capillos diſperdentes. Smegmata totius corporis. Repurgatoria nitorẽ inducentia omnigena. Conſperſiones aromaticę ueſtium. Odoratæ tincturæ ueſtium. Aſperſiones thalamorum & ambulacrorum. Suffimentorum

mentorum omnigenorum compoſitiones. Illitionum & unguentorum omnis generis cōpoſitiones, uidelicet amygdalini, balanini, nucum, ſeſamini, myrtei, &c.

Tertij libri capita.

Ad furfures omnigenos. Ad capitis eruptiones. Ad achôras, hoc eſt ulcera manantia. Ad pediculos & lendes. Ad alopecias. Ad ſcabioſas faciei affectiones. Ad lentigines. Ad maculas à Sole prouocatas. Lotiones faciei. Ad ſtigmata. Ad liuentia. Ad ſugillata. Ad uaros. Ad puſtulas nocte erūpentes. Ad menti tubercula. Ad menti lichenes. lichenum illitiones. Epithemata excoriatoria. Emplaſtra uiridia quæ ab excoriatione imponuntur. Emplaſtra alba ad cicatricem inducendam. Pharmaca emollientia quæ lichenibus affricantur.

Quarti libri capita.

Ad alphos, id eſt, uitiligines nigras & albas. Ad cicatrices nigras. Ad leucas, hoc eſt, uitiligines altius inſidētes. Ad lepras. Ad ungues ſcabioſos. Ad pruriginoſas affectiones. Ad pſydracas, id eſt, tubercula parua: & ad excoriata. Ad ſerpiginoſas affectiones. Ad ſcabies. Ad thymos uerrucæ genus. Ad uerrucas. Ad formicarias uerrucas. Ad umbilici inflationem. Ad inteſtinorum delapſionem. Ad hydrocelas. Ad apellas. Ad procidentes anos. Ad chimetla hyemis tempore oborta ulcera. Ad rimas pedum. In his quatuor libris Crito (inquit Galenus) diligentiſsimè omnia fermè exornatoria pharmaca ſcripſit, appoſitis etiam comptorijs, quæ ſpuriam pulchritudinem, non ueram inducunt: Quapropter etiam ego ea relinquam, ſolúmq; mentionē eorum faciam (ex Critone) quæ pulchritudinem ſecundū naturā conſeruant. Quanquàm enim uel maximè cognita habeam ſmegmata corpori nitorem inducentia, itemq; quæ in uirginibus mamillas conſeruant, & quæ impuberū puerorum teſticulos ad multum tempus paruos conſeruant, & ſimiliter & quæ pilorum exortum cohibent, uerecundor tamen eiuſmodi ſcribere: atque multò magis eas quas Crito tradidit conſperſiones ueſtium aromaticas, odoratáſque ueſtium infectiones, & aſperſiones thalamorum ac ambulacrorum: ſuffimentorum item omnis generis uarietates, illitionúmq; & unguentorum. Extra enim medicinæ documenta talia exiſtunt. Coſmeticæ pars inhoneſta, uel curioſa

D.

DAMOCRATIS uel Democratis non paucas compoſitiones affert Galenus in libris de compoſitione medic. ſecundum genera, & ſecundum locos. item libro 2. de antidotis.

DAMOXENI compoſitiones aliquas recitat Galenus in libris de compoſitione medicamentorum ſecundum genera.

DINI (Florentini puto, cognomine Garbi) liber de Chirurgia impreſſus eſt.

DIOCLES condidit libros περὶ τῶν κατ᾽ ἰατρεῖον, ſiue de officina medici, ut refert Galenus.

E.

EVCHARIVS Rhodion medicus Francfordienſis librum de partu hominis & obſtetricatu condidit, qui Germanicè impreſſus eſt, & Latinè etiam.

EVELPISTVS à Celſo libro libro 7.cap.1.numeratur inter inſignes Chirurgiæ profeſſores Romæ,qui paulò ante ipſius tempora quibuſdam in melius mutatis, aliquantum & diſciplinæ adiecerunt. Euelpides ætate Celſi inſignis chirurgus & medicus ocularius,author collyrij quod Trygôdes inſcribitur,& alterius, cui nomen Memigménon, quorum compoſitionem Celſus libro 6. tradit.

EVONYMVS Philiatrus in Theſauro de remedijs ſecretis,excuſo Tiguri apud Geſneros fratres, liquores quoſdam deſtillatos, aquas (ut uocant) & olea deſcribit, quibus non alij ſolum morbi, ſed etiam nonnulli à chirurgis curandi oppugnãtur:ut cum alibi,tum ſub titulis iſtis: Aquæ deſtillatæ coſmeticæ,hoc eſt,ad ornatum pertinentes. Aquæ ad tingendos capillos & ceteros pilos. Dentibus purgandis. De oleo terebinthinæ ſiue larignæ reſinæ. De oleo tartari & alijs diuerſis. Balſametæa ſeu antibalſama, tũ intus tũ extra tantum uſurpanda. De aqua forti. De argento uiuo præcipitato, eodemq́ & arſenico ſublimatis. Rurſum de oleo ex tartaro:item de oleis ex uitellis ouorum,lumbricis,ſcorpionibus,&c.

F.

FRANCISCI Valleriolæ medici Arelatæ in Gallia noſtro tempore præſtantiſsimi Enarrationum medicinalium libri 6.& Reſponſionum liber j.æditi ſunt Lugduni apud Seb.Gryphium, anno 1554.in fol.in Enarrationibus Chirurgica hæc tractantur.

Libro 2.Enarratione 3.Vulnus capiti inflictum cuidam illuſtri mulieri ſecundum occipitis initium,quà ſe inuicem ſuturæ contingunt,minimè lethale fuiſſe,aſſertio medica.

Libro 3.Enarratione 3.Conciliatio diuerſorum locorum Galeni de Eryſipelate,cum 1.& 2.de morborum differentijs & cauſis,tum 13. Methodi,& 14.item libro de tumoribus præter naturam,à bili fieri dicat: Secundo uerò ad Glauconem à ſanguine tenui bili admixto. & ꝙ natiua bilis ſit ſanguis tenuis ex Galeni ſententia.

Enarratione 8.De uulnerum lethalium ratione:& quæ uulnera lethalia,quæ non iudicanda ſint: & quónam pacto pro teſtimonio dicendum ſit medicis in iudicium uocatis.

Libro 4.Enarratione 6.Cucurbitulas in lippitudine,etiam ante totius corporis uacuationem in corpore uari habitus & minimè plethorico,probè conuenire.

Libro 5.Enarratione 3.Pueris acuto aliquo morbo tentatis, & habitioribus commodè ante annum decimumquartum mitti ſanguinem poſſe. Enarratione 6.De ſcirrhoſo tumore ex craſſa pituita & atra bile inuicem mixtis ſecundum imum uentrem ad ilium ſiniſtrum in utero fixo,unà cum doloribus tenſiuis & acrimoniæ interdum ſenſum inferentibus ſpirituque plurimo flatuoſo.

Libro 6.Enarratione 4.Num Galeni ætate diſtincti eſſent à medicis pharmacopœi ſeu unguentarij,item & chirurgi,ut nunc ætatis:an contrà ijdem eſſent: & an medico horum munia obire quandoq́ liceat. Enarratione 5.De annua: Elephanticorum apud Arelatam probatione, uetere Senatuſcõſulto inſtituta: deq́ nonnullis ad eam rem pertinentibus.

G.

GARIOPONTI medici ueteris libri 8. de morborum particularium à capite

capite ad pedes,& febrium quoq; curationibus,excuſi Baſileæ apud Hen.Petri, anno 1536.in 8. In ijs etiam Chirurgica hæc reperio. In libro 5.De elephantia cap.5. De phlegmone 31. De bubone 32. De phlegmone & eryſipelate 33. 34.35.36. De bubone,phymate & phygetlo 37. De herpete 38.39. De carbunculis 40. De tumore 41. De ſcirrhoſi 42. De apoſtematib.43. De gangrænis 44. De cancris 45.

GORGIAS uir celebris reperit quædam in chirurgia,Celſus 7.1.

GREGORII Flügufz Chirurgi Argentoratenſis,libellus Germanicus de experimentis quibuſdam Chirurgicis, unguentis alijſq;,impreſſus eſt olim Argentorati ab Egenolfo cum parua Chirurgia Lanfranci Germanicè reddita.

GVIDO Cauliacus,uide in Io.Tagaultio infrà.

GVILHELMI Placentini qui claruit circa annũ 1270. ſcripſit Chirurgiã, quæ impreſſa eſt Venetijs anno 1502. apud Octauianum Scotum,unà cum libro eiuſdem authoris.De ſcientia medicinali, qui inſcribitur Summa conſeruationis & curationis,& uulgò Gulielmina,chartis 85. Ex præfatione autho„ ris in ſuam chirurgiam. Rectum eſt in hac doctrina procedere ſecundum ea, „ quæ mihi per uiſum & operationes longo tempore manifeſta fuerunt, & per „ exempla ut plurimùm currere in ſermonibus, in quibus proprijs manibus la„ boraui. Tractatus primus erit de ægritudinibus quæ ſunt in manifeſto cor„ poris à capite uſque ad pedes ab intrinſeca cauſa. Secundus de omnibus uul„ neribus & contuſionibus,quæ fiunt in omnibus membris à capite uſque ad pe„ des. Tertius erit de algebra,id eſt, de curatione conuenienti circa fracturam „ & dislocationem. Quartus de anatomia in communi,& de formis membro„ rum & figuris,quæ remanendæ ſunt in inciſione & cauterizatione. Quintus „ de cauterijs,ſecundum quod in membris poſſunt fieri,& de formis inſtrumen„ torum,& de medicinis neceſſarijs ad hanc artem & utilibus penes unamquan„ que operationem.

GVILIELMI Varignanæ Secretorum liber impreſſus eſt Lugduni anno 1526 in 8. ſtylo barbaro.chartis xj. & dimidia. Sunt autem ferè nihil quàm collectanea remediorum ex ueterum libris. Liber tertius eſt de ſoluta continuitate & apoſtematibus.quintus de decoratione. Capita breuitatis gratia non enumero.

H.

HELIODORI de faſcijs liber.Vide in fine CL.Galeni operum chirurgicorum.

HERACLIDAE compoſitiones aliquas recitat Galenus in libris de cõpoſitione medic.ſecundum genera.

HERAClides Tarentinus multa & probata pharmaca comptoriæ ſpeculationis ſcripſit,ex quo mutuatus eſt Crito: ex Critonis uerò libris quæ utiliora honeſtioraq; uidebantur Galenus deſcripſit in ſuum de compoſitione med.ſecundum locos uolumen,ut ſupra in Critone ſcripſimus.

HERAE Cappadocis multæ compoſitiones extant in Galeni libris de cõpoſitione ſecundum genera.

HIERON in Chirurgia quædam reperit,Celſus 7.1.

HIERONYMI Brunſuicenſis patrum noſtrorum memoria,chirurgi Argentinæ,de Chirurgia liber Germanicus impreſſus eſt in eadem urbe ab Alexãdro Vueiſſenhorn in 4.chartis 31.anno 1539.

HIERONYMVS Cardanus Mediolaneñ.medic⁹ & philoſophus hac ætate inſignis,librũ cõdidit de malo recentiorũ medicorũ medendi uſu,qui centum

errores illorum cōtinet. Hieronymus Scotus cudebat Venetijs an 1545. in 8. In ijs Chirurgica hæc reperio.

Capite uel Errore 28. Quòd in bubonibus extrinſecis uenam incidunt.
37. Quòd in morbi Gallici dignotione, cauſis & cura peccant.
50. Quòd in diſtillationibus ex igne cauteria exhibent.
64. Quòd non audent ſcalpere in cucurbitulis abſq; purgatione.
71. Quòd dereliquerunt uſum inciſionis arteriarum.
75. Quòd in uulneribus capitis terebrationem oſsis fruſtra moliuntur.
79. Quòd inſtrumenta plurima ad chirurgiam neceſſaria ignorant.
91. Quòd loco ſectionis & cauterij eſcharotica emplaſtra exhibent.
93. Quòd in capitis uulneribus & ſuperiorum partium nō purgant ualidis medicamentis.
98. Quòd in hydrope aſcite aberrant ſecando uentrem.

In eiuſdem libro qui Contradictiones medicorum continet centū & octo, in ſex tractatus diuiſo, nihil Chirurgicum inuenio, niſi Tractatu 3. cap. 9. Argentum uiuum ſi in aurem cadat an plumbo extrahendum. & Tractatu 5. cap. 3. De coratio an ad medicum pertineat.

HIPPOCRATEM Celſus omnis medicinæ parentem appellat, & ab eodem eam medicinæ partē quæ manu curat magis quàm à prioribus excultam ait. Scripta eius q̄ extant omnia ex translatione Iani Cornarij ab authore emē data anno 1554. Baſileæ in officina Frobeniana excuſa ſunt. Ex eis Chirurgica hæc ſunt.

De uulneribus capitis liber.

a.b.c. uide infra in Io. Bernardo Feliciano.

a De uulneribus letalibus ſiue pernicioſis & periculoſis, uerſus tantum quinq; reperio.

b. De fracturis liber, quos Vidus Vidius etiam Latinos fecit, & Galenus tribus commentarijs expoſuit. De articulis liber, in quem quatuor Galeni commētarij extant. perſequitur autem in hoc libro Hippocrates & addit illa quæ in libro de fracturis relicta erant. Mochlicos uel de luxatorum fractorumq; oſsium repoſitione. De ulceribus. De fiſtulis. De telorū extractione uerſus quinque. De hæmorrhoidibus.

c De medici uulnerarij munere liber, uel de medici officina, quem Vidus Vidius quoq; tranſtulit, & Galenns triplici commentario explicauit. In hoc libro (inquit Galenus) Hippocrates primum docet ex quibus Chirurgia perficiatur, deinde deligationis exercitia exequitur, &c.

Leguntur & aphoriſmi aliquot eius chirurgici.

HVGO de Luca, uide in Theodorico epiſcopo Ceruienſi.

I.

*IACOBI Hollerij Stempani medici Pariſienſis præſtantiſsimi de materia Chirurgica liber.

IACOBVS Rüff chirurgus & lithotomus in urbe noſtra celeberrimus, nuper ædidit librum de conceptu & partu hominis, in quo & grauidarum curam, & quæ ad obſtetricatum pertinent, & alia multa diligenter perſequitur. Chriſt. Froſchouerus excudit Tiguri in 4. anno 1554. Conſcripſit etiam librum de oculorum natura, & uarijs eorum morbis curandis, qui nondum æditus eſt.

IESV filij Hali tractatus tres de oculis. chartæ ſunt vij. impreſſæ Venetijs per Andr. Aſulanum in folio, anno 1499. cum Chirurgia Guidonis, &c. Traductio eſt planè barbara neſcio cuius interpretis.

IOANNES Almenar Hiſpanus reliquit librum de morbo Gallico, barbaro, ſed tolerabili ſtylo. chartæ ſunt iij. impreſſæ Baſileæ apud Io. Bebelium, anno 1536.

no 1536.in 4.cum alijs eiuſdem argumenti libellis,& Lugduni anno 1539.in 8.

IOANNIS Diurij aphoriſmi Argentorati impreſsi ſunt,inter quos & chirurgici quidam leguntur.

IOANNIS Bauerij de Bauerijs Imolenſis(Ioãnis prænomen ab alijs omittitur) in Gymnaſio Bononienſi olim medicinæ profeſſoris Conſiliorum liber, impreſſus Argentinæ apud Balthaſſarem Piſtorem in 4.anno 1546.ex quibus ad Chirurgiam pertinent quæ ſequuntur.

Conſilium 16.De morphea alba. 18.Ad lepram cum uarijs eius ſymptomatib. & rurſus 22.& 91.

24. De rubore faciei puſtuloſæ. 29.De cancro ulcerato in matrice.

42. De deſcenſu matricis chronico. 46.De remotione ſpondylorum ad exteriora dorſi.

47. De leuandis pilis ne iterum naſcantur. 55. An cauteriũ conueniat in doloribus iuncturarum.

61. Ad rubedinem faciei. 62. De diſpoſitione propinqua lepræ,& de ungula quaſi totum oculum comprehendente.

64. De ulcere pectoris. 72.De hęmorrhoidib. 76.De fiſtula lachrymali oculi.

78. De ſephiros (ſcirrho) non puro circa partem dextram ſtomachi, amplectente partem muſculi ſecundũ longũ & tranſuerſum. 79.De uaricibus.

IOANNES Bernardus Felicianus Hippocratis quoſdam libros unà cum Galeni commentarijs Latinitate donauit,ut librum de ijs quæ in medicatrina fiunt,& libros de fracturis et de articulis,qui ab eo recogniti et nouis quibuſdã picturis illuſtrati,excuſi ſunt cum reliquis Galeni operib. latinis Venetijs apud Iuntas,in fol.anno 1550.Claſſe vij.

IOANNIS Charetani cuiuſdam, & aliorum experimenta continentur in libello quodam de chirurgia neſcio cuius authoris,Germanicè impreſſo Francfordiæ apud Egenolfum,anno 1534.in 4.chartis 4.

IOANNIS Gerſzdorfij chirurgi Argentinenſis liber de chirurgia caſtrenſi,Germanicè æditus eſt Argentinæ apud Io. Schottum anno 1540. unà cum libellis de chiromantia,phyſiognomonia,& de hominum temperamentis,&c.in folio,chartis 97.

IOANNIS Langij Lembergij illuſtriſſ. principum Palatinorũ Rheni &c. medici doctiſsimi, Medicinalium epiſtolarum Miſcellanea excuſa ſunt Baſileæ apud Io. Oporinum in 4.chartis 49.anno 1533. * Ex his medicinalia Themata xj. cæteris de chirurgia ſcriptoribus per nos adiuncta ſunt.

IOANNIS Manardi medici Ferrarienſis eruditiſsimi Epiſtolarũ medicinalium libri uiginti Baſileæ ab Iſingrinio impreſsi anno 1540.in folio,chartis 158. Inter ea chirurgici argumenti animaduertimus quæ ſequuntur.

Libri 6.epiſtola 1.Vulnera capiti cuiuſdam inflicta non fuiſſe letalia. Epiſtola 2.De præſeruatione & curatione uariarum affectionum, ſcilicet dolorum in artubus exanthematum, pruritus narium, cruſtarum & ulcuſculorum oris, & lippitudinis.

Libri 7.epiſtola 1.Ad Chirurgum quendam de nominibus morborum in exterioribus corporis partibus euenientium,prolixè & eruditiſsimè. 3.Ad quendam laborantem præuio quodam ad elephantiam affectu.

Libri 10.epiſtola 3.Conſilium pro infante coxendicis laxatione laborante.

Libri 17. epiſtola 2. De puerorum morbo lactumen uocato, qui ad achôras, ceria,pſydracia,exanthematá ue pertinet. Epiſtola 14.De ulcere palati cũ tuſsi ſputo ſanguinis & febre.

Libri 18.epiſtola 2.Ad quendam ex gingiuis laborantem.

Libri 20.epiſtola 3. Pro adoleſcente tumore rubro modo unius modo alterius cruris plerunq; uexato.

IOANNIS Pariſienſis Chirurgia de uarijs modis curádi uulnera, quoquo modo corpori inflicta, ſectione, punctione, tormentorum globis, contuſione, &c. à capite uſq; ad pedes, Germanicè impreſſa Argentinæ apud Iacobū Cammerlander in 4. chartis 4.

*IOANNIS Tagaultij Ambiani Vimaci, Pariſienſis medici noſtro tēpore clariſsimi, de Chirurgica inſtitutione libri quinq;, quib. totū GVIDONIS Cauliaci Chirurgicū uolumen continetur: ſed multò copioſius, & pro barbaro obſcuroq; iā Latinū, elegans & expeditū. Sanè Tagaultius (inquit Baſsianus Lan- » dus uir magni iudicij & rei medicæ hoc tēpore profeſſor doctiſsimus in Aca- » demia Patauina) methodū curandi tumores prçter naturá, uulnera recētia, ulce- » ra, fracturas, luxationes, mea quidem ſentētia, perinſignem & eruditá ſeruat: in » ordine aūt medicandi ſingulos, mira diſpoſitione mihi uti uidetur. Differentias » nanq; multiplices determinat: nomina interpretatur, & diſtinguit: cauſas cum » euidentes tū abditas, hoc eſt, antecedentes & proximas inueſtigat: ſigna tā pro- » pria perpetuá ue, q̄ cómunia & fugacia notat: locos etiamnum unde ipſa depro- » mi poſsint, apertè oſtendit: iudicia diligenter profert, ad extremū curationem » inchoat & perficit. Ex his Tagaultij libris Leonhartus Fuchſius pleraq; in ſu- » os eiuſdem argumenti libros tranſtulit. »

IOANNIS de Vigo Genuenſis chirurgi primùm Iu ij 2. Pontif. max. deinde Sixti Cardinalis, &c. practica chirurgiæ quæ inſcribitur Copioſa, & Compendioſa, quæ ſuperioris ueluti compendium eſt, publicatæ ſunt Lugduni circa annum 1519. in 14. Compendioſæ libri ſunt 5. chartæ 10. & dimidia.

Copioſæ libri ſunt 9. chartæ 49. quorum argumenta ſubieci.

1 De anatomia chirurgo neceſſaria.
2. De apoſtematibus in uniuerſali & particulari à capite ad pedes.
3 De uulneribus in uniuerſali & particulari: de modo curandi ea, & corū accidentibus ſuccurrendi.
4. De ulceribus in uniuerſali & particulari à capite ad pedes.
5. De morbo Gallico, & dislocatione iuncturarum.
6. De fractura & dislocatione oſsium.
7. De natura & facultatibus ſimplicium medicamentorum.
8. De natura compoſitorum: ſiue Antidotariū de reſoluentib. maturantib. repercutiētib. ſimplicib. & cópoſitis, ac nónullis alijs ſecretis ſuis Chirurgicis.
9. De quibuſdam additionibus pro operis complemento.

L.

LANFRANCI Mediolanenſis Chirurgia magna (chartis 23.) & parua (chartis duabus & dimid.) impreſſæ in folio Venetijs, anno 1499. cum multis diuerſorum Chirurgicis ſcriptis, & Lugduni apud Paganum.

Ex prçfatione authoris in Chirurgiā magnā. Ad utilitatem cómunem & pro- » prij filij magnū opus aggredior, quod ars completa uocabitur Chirurgiæ, per » quod intendo tradere doctrinā plenam ad inſtrumentum Chirurgicū pertinē- » tem, ſecundū doctrinā ſapientum acceptā, ueterumq; ualentiū magiſtrorū meo- » rū, & meis certis experimentis & rationabilibus ex longo tempore roboratam. »

Ex prçfatione in paruā Chirurgiā. Súmariè pono probatas medicinas & mo- » dum curationis breuem uulnerū & apoſtematū, ulcerū, cancrorū & fiſtularū, » & quaſdā oculorū curas, & de algebra parū, ſecundū quod me ratio docuit ope- » rari, & experimēto ſunt per me lógo tēpore roborata. Cóiuro te tamē p Deū nę » aliquibus idiotis tradas, ne per ignorantiam illorū opus meum noceat alicui. »

Paruā Chirurgiā Lanfrāci ab Othone Brunfelſio in linguā Germanicā trāslatā Egenolphus impreſsit Argentinæ, añó 1518. in 4. chart. 6. cū libello Gregorij Flug-

Flügusz Chirurgi Argentoratenſis de experimentis aliquot chirurgicis, unguẽtis alijſq́;.

LEONARDI Bertapalia, (aliâs Prædapaleæ) Paduani Chirurgia ſiue Recollectæ habitæ ſuper quarto Auicennæ. Chartæ ſunt 15. excuſæ Venetijs, anno 1499. in fol. cum uarijs aliorum Chirurgicis operibus.. Ex præfatione authoris.
» Ego Leonardus plura mei canonica Chirurgiæ experimenta in ſcriptis ad
» æternam memoriam redegi, quæ uero experimento & ratione theorica habui,
» Auicennæ proſequendo ueſtigia, & ordinem 3. ſuper Fen Canonis quarti.

LEONHARTI Fuchſij medici, Scholæq; Tubingenſis profeſſoris publici de curandi ratione libri 8. impreſsi ſunt Baſileæ nuper apud Io. Oporinum in 8. chartis 49. Ex his octo libris quintus inſcribitur, De medendis tumoribus præter naturam. Sextus de medendis uulneribus. Septimus de medendis ulceribus. Octauus de medendis fracturis & luxationibus. Ex præfatione
» authoris. Quinque libris (bis anteà æditis) tres alios chirurgicos (in hac tertia
» æditione) adiecimus. Quorum unus quidem de uulnerum, alter de ulcerum,
» & tertius de fracturarum ac luxationum curatione tractat. Qui ſanè, ut reliqui
» omnes, ex Galeni potiſsimũ, Pauli, Aetij, & Guidonis quoq; Chirurgi recentio-
» ris ſcriptis ſunt conflati. Et in ijs quidem conſcribendis nos plurimum iuuit Io
» annes Tagaultius, qui ſingula quæ ad hanc rem ſpectant, ante nos è prædictis
» authoribus deſumpta, in ordinem digeſsit.

LVDOVICVS Bonaciolus medicus Ferrarienſis inter cætera quæ de hominis conceptu partuq; ſcripſit, etiam obſtetricalia quædam affert. Impreſsi ſunt libelli eius in Italia olim in fol. & Argentinæ in 8. chartis 17. apud Henricũ Sybold.

LVDOVICVS Cœlius Rhodiginus in magno uolumine ſuo Antiquarũ Lectionum, Chirurgicorum aliquot uocabulorum ſignificationes explicat. nã libro 3. cap. 22. uaria inſtrumenta chirurgica enumerat: quid ſint Auliſci, Encopei, Phacota, Abaptiſta. Et libro 7. cap. 31. de cauterio aliquid ſcribit. Et libro 4. de inſtrumentis medicis, metrenchyta, cathetêre, clyſtere & otenchyta.

M.

MACHAON medendi artem à maioribus ſuis accepit tanquam Aſclepiades, ut uerò & ipſe & AEſculapius eius pater diuina nati proſapia exiſtimarẽtur, artis medicæ præſtantia & utilitas effecit, Euſtathius. Et rurſus, Duo celebres Græcorum in bello Troiano medici fuerunt, Podalirius, qui diæta, id eſt uictus ratione magis medebatur: & Machaon (ipſe etiam princeps Triccæ urbis Theſſaliæ) uulnerum curator: ambo Aſclepiadæ ſiue filij AEſculapij ἀμύμονος ἰητῆρος, ut inquit Homerus. Et alibi Podalirius & Machaon ambo Neptuni filij feruntur apud poëtam Troiani excidij conditorem: alter in alio ſcientiæ genere præſtantior. Machaoni enim Neptunus κουφοτέρας χεῖρας πόρεν, ἔκ τε βέλεμνα σαρκὸς ἑλεῖν, τμῆξαί τε, καὶ ἕλκεα πάντ' ἀκέσασθαι. Τῷ δ' ἄρ' ἀκριβέα πάντα ἐνὶ στήθεσσιν ἔθηκεν, Ἄσκοπά τε γνῶναι, καὶ ἀναλθέα οἴσασθαι, (lego ὠίσασθαι, quod eſt cognoſcere & iudicare, uel ἰήσασθαι, quod eſt medicari.) ὅς ῥα καὶ Αἴαντος πρῶτος μάθε χωομένοιο ὄμματά τ' ἀστράπτοντα, βαρυνόμενόν τε νόημα. Aeſculapij duo filij Podalirius, & Machaõ bello Troiano ducem Agamemnonẽ ſecuti, mediocrẽ opẽ cõmilitonibus ſuis attulerũt: quos tamen Homerus nõ in peſtilentia, neq; in uarijs generib. morborum aliquid attuliſſe auxilij, ſed uulneribus tantummodo ferro & medicamentis mederi ſolitos eſſe propoſuit. Ex quo apparet, has partes medicinæ ſolas ab his eſſe tentatas, eaſq; eſſe uetuſtiſsimas, C. Celſus.

MANTIAS ſcripſit libros περὶ τῶν κατ' ἰητρεῖον, ſiue de officina medici, Galeno teſte.

*MARIANI Sancti Barolitani Itali artium & medicinæ doctoris, & Chirurgi noſtro tempore in Italia celeberrimi, Compendium Chirurgiæ. Tractatus de capitis læſionibus à Chirurgo curandis. Libellus de calculo renum & ueſicæ, eiuſq; cauſis, ſignis & curatione. Libellus aureus de lapide ueſicæ per inciſionem extrahendo. Libellus de modo examinandi medicos Chirurgicos.

Eadem prius excuderant Iūtæ Venetijs anno 1543. unà cum Commentarijs eiuſdem authoris in Auicennæ textum de apoſtematibus calidis. De contuſione & attritione. De caſu & offenſione. De caluariæ curatione. Omnia chartis 83. & dimidia, in 4.

MEGES Chirurgiæ profeſſor non mediocris, quibuſdam in melius mutatis, aliquantum ei diſciplinæ adiecit, Celſus 7.1.

MICHAELIS Angeli Blondi Itali liber de partibus ictu ſectis, citiſsimè ſanandis: & de medicamento aquæ nuper inuento, (noxio alioqui, niſi uerba quædam concepta ſimul proferantur, ut author credidit.) Nos quidem totum hoc genus ſuperſtitionis damnamus.

Eiuſdem libellus de origine morbi Gallici, deq; ligni Indici ancipiti proprietate, aduerſus plurimorum opinionem.

N.

NICOLAI Maſſæ medici Veneti experientia clari, de morbo Neapolitano libri 6. impreſsi Baſileæ apud Io. Bebelium anno 1536. in 4. cum aliquot aliorum eiuſdem argumenti ſcriptis.

NICOLAI Poll de eiuſdem morbi per diætam Guaiaci curatione libellus chartæ unius, cum ſuperiore impreſſus eſt.

O.

ORIBASII ueteris Græci medici de laqueis liber ex Heracle, Vido Vidio Florentino interprete, cum picturis. Eiuſdem ex Heliodoro de machinamentis liber eodem interprete, cum picturis.

OTHO Brunfelſius Lanfranci Chirurgiam paruam Germanicè conuertit. uide ſupra in Lanfranco.

Eiuſdem Iatrion medicamentorum ſimplicium, continens remedia omniū morborum, ſecundum ipſos morbos ordine digeſta, excuſum eſt libris 4. in 8. Argentinæ anno 1533. Ex his liber tertius continet remedia quæ infernis corporis partibus accidunt: item ulcerum omnis generis & uulnerum.

P.

PAEON Marti inſperſo pharmaco uulnus conglutinat non tardius quàm iniecto coagulo lac cócreſcit, Iliad. ε. Balſami quidem liquor ut uulnera citiſsimè ſanat, ſic inter notas ueri legitur lac ab eo coagulari. Idem poeta Odyſſeę δ. AEgyptios medicinæ peritos, & à Pœone ortos celebrat. ubi Euſtathius, παιήων (inquit) deorū medicus eſt, ut Ilias quoq; fabulatur, alius quàm Apollo, quod Heſiodus etiam indicat dicens: Εἰ μὴ Ἀπόλλων φοῖβος ἐκ θανάτου σαώσῃ, ἢ παιήων, ὃς πάντων φάρμακα οἶδε. Nonnulli tamen παιήονα etiam hoc in loco eundem Apollini eſſe putauerunt. Dicebatur quidem & hymnus in Apollinem παιήων, (ὕμνος ἐπὶ καταπαύσει κακῶν,) quem poſteriores Homero pæâna uocant. Et alibi, παιήων dicitur à uerbo παίω, quod eſt ſano: & quòd παιάων quoque efferatur per ſyſtolen, & παιὼν per ſyncopen: quódque aliâs Apollinis epitheton ſit, aliâs nomen

men

men propriũ medici deorum: deniq; παιήων dici pro παιάων (α mutato in η.) ὃ δηλοῖ τὸν θεραπευτικόν.

PAVLI AEginetę liber ſextus Chirurgiã tractat, tum quod ad ſolutam carnis continuitatem, tum quod ad oſſa fracta & luxata.

PETRI Andreæ Matthæoli Senenſis medici doctiſsimi de morbi Gallici curatione liber, excuſus Baſileæ à Bebelio, anno 1536. in 4. chartis nouem, cum diuerſis aliorum de eodem malo libris.

PETRVS Aponenſis (de Abano) in conciliatore ſuo pauca quædam Chirurgica attingit, qualia ſunt: Quæſtione 181. An ſolutio continuitatis penetrans ad interius cerebri poſsit ſanari.

207. An omne ulcus egeat exiccatione, cum appendice. 208. Cauterium ex auro ne an argento præſtet. An cauterium potentiale ſit laudabilius actuali, Ibidem.

PETRI de Argelata (uel de Largelata, uel de la Cerlata) Bononienſis, artium & medicinæ doctoris de Chirurgia libri ſex, impreſsi Venetijs, anno 1497. apud Octauianum Scotum in folio, cũm indice, chartis 68. Ex præfatione au-
» thoris. Rogauerunt me ſocij mei, ut ſecundum quod legeram eis tertiam &
» quartam ſen quarti Canonis Auicennæ, receptas ordinarem, &c. In primo li-
» bro proſequar de capitulo in capitulum, ut Auicenna procedit, ipſius ordi-
» nando Rubricas, & alias aliorum antiquorum ponam, dimittens tamen empe-
» rica Yameri, Roſæ Anglicanæ, & aliorum empericorum: & ſemper ad ſimpli-
» cia aliqua me extendam, penes etiam theoricam cum ſignis. 2. De omnibus
» apoſtematibus à capite uſque ad pedes, de quibus Auic. in 4. non fecit mentio-
» nem, & ponam ſemper ſigna. 3. De uulneribus à capite uſq; ad pedes, dãs mo-
» dum curandi, & accidentibus ſuccurrendi. 4. De omnibus ulceribus particu-
» laribus à capite ad pedes, omnium etiam membrorum de quibus Auic. non fe-
» cit mentionem. 5. De decoratione à capite ad pedes. 6. De dislocatione & fra-
» cturis oſsium breuiſsimè, cum aliqua anatomica explicatione.

PETRVS Toletus medicus noſtro tempore domus Hoſpitalis Lugdunenſis ex Latinis Gallicos fecit, ſextum Pauli AEginetæ de Chirurgia: Galeni de tumoribus contra naturam libellum, & alium eiuſdem de ratione curandi per phlebotomiam Impreſsi ſunt Lugduni anno 1540. in 8.

PHILOTIMVS ædidit libros περὶ τῶν κατ' ἰητρεῖον, ſiue de officina medici, ut teſtatur Galenus.

PHILOXENVS (in AEgypto) hanc medicinæ partem quæ manu curat pluribus uoluminibus diligentiſsimè comprehendit, Celſus 7.1.

PODALIRIVS, uide ſuprà in Machaone.

Q

Q. SERENVS Samonicus inter remedia ſua carmine deſcripta, nonnulla Chirurgica refert, ut capite 3. Porrigini depellendæ. 4. Capillo tingendo. Phthiriaſi arcendæ. 6. Prurigini, papulis ac ſcabiei arcendis. 10. Elephantiaſi propellendæ. 11. Cutis & faciei uitijs depellendis. 14. Ad dentium & oris uitia & dolores. 20. Mammis ſanandis uel ſtringendis. 34. Ad profluuium ſanguinis è naribus, utero, undecunque. 35. Pili palpebrarum moleſti uel quiuis alij euulſi ne renaſcantur. 38. Furunculo medendo. 39. Carboni tollendo. 40. Pano uomicæ & ſtrumæ depellendis. 41. Ad ignem ſacrum. 43. Vulneribus ferro aut uerberibus factis. 44. Vulneribus quibuſcunque caſibus factis. 45. Hominis ac ſimiæ morſui. 46. Ad morſus ſerpentium & uiperarum. 47. Ad ictus ſcorpij & morſus aranei & muris cæ-

cæ. 53.Fracturis & luxatis ſanandis. 54.Neruis inciſis & dolentibus atq; contractis. 60. Aduſtis igne uel frigore. 63. Vulneribus uel ulceribus inueteratis curandis. 64.Verrucis tollendis. 65.Hæmorrhoidibus medendis.

R.

RASIS Tractatus ſeptimus ad Almanſorem inſcribitur. De aggregationibus & ſummis artis Chirurgiæ, & uulnerum & apoſtematum.

ROGERII cuiuſdam liber de phlebotomia uenarum omnium eiúſque uſu ac utilitate impreſſus eſt Baſileæ ab Henrico Petri. Vide in Rolando.

Rolandus Capellutus Chryſopolitanus philoſophus Parmenſis, circa annū Domini 1468.ſcripſit libellum de curatione peſtiferorum apoſtematum, qui alicubi in Italia publicatus eſt in 4.ſequicharta ferè.

Eiuſdem libelli de Chirurgia. chartæ ſunt ſex impreſſæ Venetijs anno 1499. cum diuerſis aliorum Chirurgorum ſcriptis. In omnibus (inquit) ſenſum & literaturam Rogerij ſum ſecutus : nec mirum ſi imperitia mea hoc egerit, cum penè omnes ſapientes hoc egiſſe noſcantur. Eoſdem libros 4. Henricus Petri excudit Baſileæ cum uarijs inſtrumentorum picturis, cum Albucaſi, &c. in folio.

S.

SEBASTIANI Aquilani tractatus de morbo Gallico, impreſſus cū practica Marci Gatinariæ.

SOCRATES Chirurgus citatur apud Cælium Aurelianum libro quinto capite J.

SORANVS de faſcijs ſcripſit. uide ſuprà in fine Claudij Galeni operum Chirurgicorum.

SOSTRATVS uir celebris quædam in Chirurgia reperit, Celſus libro ſeptimo, capite primo.

T.

TERTII Damiani Viſſenaci Decipolitani Theorica medicinæ & Chirurgiæ, cum libello de morbo ſudorifico (ſic opinor appellat illum , quem alij Anglicum ſudorem ,) excuſa Antuerpiæ ab Antonio Idumæo, anno Salutis 1541.

THEODORICI epiſcopi Ceruienſis, ordinis Prædicatorum, Chirurgia ſecundum medicationem Hugonis de Luca, ſermone barbaro, impreſſa Venetijs, chartis 19. anno 1499. in folio , cum diuerſis aliorum Chirurgorum ſcriptis.

THEODORVS Priſcianus author uetus ſcripſit libros quoſdam medicinales Baſileæ impreſſos in officina Frobeniana, anno 1532. in 4. chartis nouendecim.

In eo qui Phænomenon Euporiſton inſcribitur Chirurgica tractantur hæc.

Capite 2. De infectionibus capillorum. 3. De capillis cadentibus. 7. De alopeciosis. 9. De parotidis.

10. De

10. De ferbunculis ubiq; naſcentibus. 11. De chœradis de reuma collectis.
12. De oculorum cauſis diuerſis. 14. De fluxu ſanguinis narium.
15. De labijs crepantibus. 16. De dentium cauſatione.
17. De uitijs faucium & oris.
18. De minutis papulis quas ionthos dicimus.
19. De uſtionibus calidæ uel ignis. 20. De carbunculis.
21. De uulneribus & neurotrotis.
22. De ulceribus ſponte naſcentibus.
23. De igne ſacro.
24. De percuſsis apum uel ſcorpionum, aut ſerpentium.
25. De ſtirpibus uel oſsibus infixis.
26. De teſtium indignationibus uel uitijs.
27. De ueretri hoc eſt naturæ cauſatione.
28. De herniofis maiorum aliarúmue ætatum.
29. De umbilicis infantum eminentibus.
30. De diuerſis uitijs in ano naſcentibus.
31. De ſyringijs. 32. De pernionibus prurientibus.
33. De rhagadijs pedum uel digitorum.
34. De paronychijs. 35. De pruritu uel ſcabie totius corporis.
36. De maculis in corpore naſcentibus. 37. De elephantioſis.
38. De luxationibus.

Et in libro Gynæciorum.

Capite 1. De mamillis poſt partum dolentibus.
4. De atretis, id eſt ijs quibus uterus clauditur.
7. De fluxu ſanguinis. 8. De ulceribus matricis.

THEOPHRASTVS Paracelſus noſtro tempore uixit, qui ueterum omnium placitis contemptis multa noua in artem medicam inducere conatus eſt, & medicinam per diuerſas Heluetiæ, Germaniæ & Poloniæ regiones uagabundus exercuit, dum pecunia careret, qua modica acquiſita uino & ludis deditus (ut conſtans fama) eſt nemini medebatur. dæmone utebatur familiariari, ut ex eius diſcipulo audiui, uir natura & eloquentia quàm literis & ſtudio doctior: prorſus inconſtans, nunc theologus, nunc medicus, nunc magus, ſæpe compotator & aleator inter ruſticos. Audio tamen multos paſsim ab eo in morbis deſperatis curatos, & ulcera maligna ab eo feliciter ſanata. callebat enim chymiſticam artem, qua liquores (ſuccos, olea, (de antimonio præcipuè,) & alia mirabilia medicamenta parabat. itaque in ſcriptis ſuis obſcurus eſt, tum aliàs, tum ſua quædam remedia & ſuis nominibus ſæpe nominans. Latinè nihil ædidit, ob imperitiam linguæ: Germanicè uerò impreſſa eſt Chirurgia eius magna in folio, Vlmæ, anno 1536. chartis 30. & ſequente anno etiam Auguſtę. Ea in tractatus tres diuiditur, quorum primus agit de uulnerum cognitione, & de præſenti eorum ſtatu, & quid de eis expectandum, cum accidentibus eorum. Secundus de omni genere curandi, &c. Tertius de ictibus & morſibus animalium uenenatorum, de oſsibus fractis, de combuſtionibus &c.. In hoc opere meminit etiam paruæ Chirurgiæ à ſe conſcriptæ.

Eiuſdem liber de Gallici morbi curatione, impreſſus eſt nuper Norinbergæ in 4.

THOMAS Philologus Rauennas ſcripſit de Guaiaco & morbo Gallico, libellus prodijt Venetijs in 8. anno 1545.

TRPYHON pater Romæ nuper, non mediocris Chirurgiæ profeſſor, quibuſdam in melius mutatis aliquantum huic diſciplinæ adiecit, Celſus 7.1.

V.

VIDVS Vidius. Florentinus, ſummus & regi⁹ Chirurgiæ noſtro tempore profeſſor Lutetiæ, (cuius in epiſtola nũcupatoria Chirurgiæ ſuæ Io. Tagaultius meminit) Hippocratis, Galeni & Oribaſij Chirurgicos quoſdam libros Latinos è Græcis fecit: & Hippocraticos etiam commentarijs illuſtrauit. Ex his in Galeni operum æditione Venetijs apud Iuntas publicata anno 1550. ab hoc authore translata, hæc habentur: *Galeni liber de faſcijs, Oribaſij de laqueis ex Heracle. Eiuſdem ex Heliodoro de machinamentis liber. Eidem tres libri Lutetiæ impreſsi ſunt apud Petrum Galterium, anno Domini 1544. in magno folio, unà cum libris Hippocratis de ulceribus, de fiſtulis, de uulneribus capitis, adiectis Vidij in ſingulos commentarijs. Item Hippocratis libri de fracturis, de articulis, de officina medici, ſinguli cum commentarijs Galeni. Omnia à Vidio Latinitate donata. Audio etiam promiſſa ab eo gloſſemata in omnes Galeni & Hippocratis libros.

GRAECI aliqui ſcriptores de luxationibus & alijs quæ ad rem Chirurgicam faciunt, extant Florentiæ in Medicea Bibliotheca, ut Ferdinandus Balamius in nuncupatione translationis ſuæ è libro Galeni de oſsibus teſtatur.

FINIS.

Series chartarum.

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

a b c d e f g h i k l m n o p q r ſ t u x y z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Ss Tt Vu Xx Yy.

Omnes ſunt terniones.

Tiguri per Andream Geſsnerum F.& Iacobum Geſsnerum fratres.
Anno Salutis M. D. LV. Menſe Martio.



INDEX RERVM ET VERBORVM TOTO HOC OPERE MEMORABILIVM.

PRAETER PAGINAS AVTEM AVTHORES quoq; nominati ſunt (præſertim vbi copioſius vel ex profeſſo aliquid tractauerunt: vbi vero breuius, & in ijs quæ per margines annotata ſunt, authorum nomina omiſimus) vt quiſque de re quauis apud quem voluerit authorem inquirat. Sunt enim ſanè alij alijs alicubi præferendi.

A

ABluendorum apoſtematum ratio 135.a
de Abſceßibus quas excreſcentias phlegmaticas uocãt, Tagau.lib.1.cap.13.pag.36.a.earundem cauſis, ſignis, indicijs 37.b
abſceſſus 145.a.197.b
abſceſſus qui dicantur Galeno 13.a
abſceſſus quid 8.a
abſceſſuum notæ & indicia 14.b
in Abſceßibus quæ inueniantur 13.a
abſceſſuum curatio uide Tumorum præter naturam curatio 16.a
abſceſſuum pituitoſorum enumeratio 36.a
abſceſſuum pituitoſorum curatio 38.a
abſceſſus, ſi naturæ permittuntur, ſponte rũpuntur 262.b
abſceſſus qui facile concoquantur, per reſolutionem maxime terminentur 14.b
abſceſſus ex qua neceßitate diſſecandi 262.b
abſceſſus quando potißimum ſecandi 17.a
abſceſſus quomodo ante perfectam ſuppurationem incidantur 262.b
in Abſceſſus ſuppurati apertione quæ ſint cõſyderanda 17.a
abſceſſus in oculorum angulis orti, ante ſuppurationem ſecantur, & quare 262.b
abſceſſuri oßis notæ 261.a
abſceſſus ani ante ſuppurationem inciduntur, & quare 262.b
abſceßibus non ſuppuratis diaphœnicinum utile eſt 263.a
abſceſſuum ſcroti curandorum ratio Alfon. Ferr.li.de carunc.cap.11. pag.310.a
abſceſſus ſcalpello tutius quàm ruptorio aperiuntur 14.b
abſceſſus lanceola potius quàm falcato inſtrum.ſecandi 262.b
abſceſſus diſſecti quomodo curandi 262.b
abſtergentia 281.a
abſtergentis medicam.compoſitio 271.a.b
abſtergens inſtrumentum 189.b
abſterſiuum ſaniei in cõtuſione capitis 172.a
abſterſiuum ſorditiei in ulcere 169.a
abſterſiuum ſine mordicatione 158.a
Accipiter vincul.ad naſum ex tribus faſciolis, Gal.de faſc.pag.328.a. ex binis ibidem.
accipiter Menecratis, faſc. Gal.de faſc.pag.329.a
acetum 128.b.130.a.145.b
aceti vſus 131.b
aceti vſus in uarijs ſcirrhoſis partibus 44.b
aceti, vini, & lixiuij collatio 34.b
achillea herba 395.b
acrochordones 10.a
acus Alfonſi figura 294.a
acus cum cannulla depicta 286.a
acus ſuendi vulneris qualis eſſe debeat 59.b
Adeps 128.b.131.a
adipes 44.b.143.a
adeps ſalſus 131.a
adeps vetus vt recens fiat 131.a
adipis ſuilli mira vis 131.a
adustioni ignis, aquæ feruentis, & ſimilium cõferentia Iac.Don.li.de ſimpl.medicam.cap.3. pag.379.b.
aduſtio maiorum bellic.fulminum Alf. Ferr. de ſclop.vuln.lib.2.cap.19. pag.299.a
aduſtionis eſcharas auferentia Iac.Don.li. de ſimpl.medic.cap.3. pag.381.a
AEris ſquama 101.a
aëris temperies in curandis vulneribus ſpectanda 74.a
aëris ambientis nomine quæ intelligantur 74.a
æger quomodo collocandus in fractis artubus 114.b
ægyptiaca 135.b
ægyptiacum vnguentum 23.a.40.b.97.a.161.a.167.a. & eius vis 24.b
ægyptium Andromachi 146.a

a

ægyptiacum ex intentione Auicennæ 154.a
ægyptiacũ ſinubus conſolidandis aptiſsimum 272.b
æquinoctialis 185.b
ærugo 100.b
ærugo quid 31.a
ærugo, vel æris ærugo, eſt viride æris 101.a
æſtas 186.a
Agentia quot in medicina 202.b
Agrippa aceto liberatus ab intolerabili pedũ cruciatu 130.a
Albara 10.b
album ceratum 145.b
album è ceruſa 138.b.139.a
album è ceruſa Actnarij 139.a
album commune 282.b
album Galeni 138.b
album è Lithargyro 138.b
album Raſis 139.a
album vnguentum communitatis 139.a
album vnguentum Pauli 282.b
alcali 142.b
alchymiſtarum aqua 108.b
Alfonſinum inſtrumentum 292.a.b
alienatio quid, eiusq́; ſpecies 202.b
alimenta euchyma, hoc eſt, boni ſucci 43.a
alimenta ſanguinem adurentia 43.b
almiſmar 30.b
alterántia Mich. Aug. li. de Orig. morb. Gall. pag.237.a.b
aloë 136.b.140.a
alphi 10.b
althæa 110.b
alumen 100.b
aluminoſa aqua 105.b
aluminoſæ aquæ vis 38.b.103.a
aluus quando in vulneribus ducenda 62.a
aluus qua ratione ducenda ſit in vulnerum ſclop. curatione Alfon. Ferrus de ſclop. vuln. lib.2. cap.11. cap.295.b
Amyntæ thorax, vincul. Galenus de faſcijs pag.332.a
Amyntæ vallum, vincul. Galenus de faſcijs pag.328.b.329.a
ἀμυντικὰ 142
Anacampſeros 396.a
anatomia Iudæorum 319.b
anatomia viuorum ac mortuorum neceſsitas 312.a
Andromachi emplaſtrum ad vlcera dyſepulota 101.a
Andromachi viride 135.b
Adronis Trochiſcus 23.b
ἄνθραξ 22.a
ani abſceſſus ante ſuppurationem ſecandi, & quare 262.b
animalis venenati morſus calidus eſt 265.b
animalia parua diſcerpta & venenato morſui admota 80.a
annulatum ſpecillum 292.a.b
anus 186.a
anthera 182.a
anthraci conferentia Iaco. Don. li. de ſimplic. medic. cap.1. pag.366.a
antidotarium 126.b
antimonium 100.b
antiſpaſis 62.b.81.b
antiſpodium 136.b
ἀνώδυνα 143.a
Apellidis triſpaſtum Oribaſius de machinamentis pag.350.b
aperiens 188.a
aphoriſmorum duorum Hippocratis interpretatio 122.b
aphronitrum 34.b
Apollonij iunioris ἡμικεραύνιος. Galenus de faſcijs pag.333.a
Apollonij Thirij paruum templum, vincul. Galen. pag.333.a
ἀποσκήμματα 13.a
de Apoſtematibus, Tractatus Mariani Sancti Barolitani pag.150.a, &c.
apoſtema 197.b
apoſtema quid nominis 197.a
apoſtema quid rei 197.a
apoſtema quid 150.a.197.a. vide Tumor præter naturam
apoſtematum cauſa 150.b.197.a
apoſtemata occulta quomodo cognoſcuntur 199.a
apoſtematum genera 197.a
apoſtematum nomina 150.b
apoſtematum differentiæ 198.b
apoſtemata vētoſa Tagaul. li.1. ca.11. pag.33.b
apoſtema in calido capite et eius cauſæ 173.b
apoſtema aquoſum 35.a
apoſtema ſanguineum & eius accedentia 150.b
apoſtemata vlceroſa 199.a
apoſtemata vulnerum 312.a.b

apoſtema in vulnere quot modis prohibeatur 201.a
apoſtematum tempora 151.a.197.b
apoſtematum dolores ſedantia Iac. Don. li. de ſimpl. medic. cap.1. pag. 361.a
apoſtemata mortalia 199.b
apoſtemata prohibentia & tardantia Iaco. Don. lib. de ſimpl. cap.1. pag.361.a
apoſtematis abluendi ratio 135.a
apoſtemata quot modis aperiantur 199.b
apoſtemata principijs conferentia Iac. Don. libro de ſimplicibus medicamentis capit.1. pag.361.a
apoſtemat. curatio 151.a.b.165.b. item Marianus Sanctus Barolitanus lib. Quitidat. de modo examinandi medicos pag.198.a. item Ang. Bolog. de curatione vlce. exte. li.1. cap.10. pag.212.b
apoſtema quot modis terminatur 197.b
apoſtematibus conferentia Iac. Don. de ſimpl. medic. cap.1. pag.1. pag.359.a
apoſtematũ maturatiua Iac. Don. li. de ſimpl. medic. cap.1. pag.362.a
apoſtematis calidi curatio 151.b
apoſtematibus calidis & acutis conferentia Iac. Don. li. de ſimpl. medic. cap.1. pag.362.b
apoſtematib. ſanguineis conferentia Iac. Don. li. de ſimpl. medic. cap.1. pag.362.b
apoſtematibus melancholicis conferentia Iaco. Don. li. de ſimpl. medic. ca.1. pag.373.b
apoſtematib. ex percuſſione conferentia Iac. Don. li. de ſimpl. medic. cap.1. pag.368.a
apoſtematibus fluxilibus ac mollibus conferentia Iaco. Don. de ſimplic. medic. cap.1. pag.369.a
apoſtematis ex aduſtione cõferentia Iac. Don. de ſimpl. medic. cap.1. pag.381.a
apoſtematib. { malignis, pernicioſis, peſtilentialibus, fraudulentis, ambulatiuis, canceroſis } conferẽtia Iac. Dõ. li. de ſimplic. medicam. cap.1. pag. 368.b
apoſtematibus duris conferentia Iac. Don. li. de ſimpl. medic. cap.1. pag.371.a
apoſtematibus antiquis conferentia Iac. Dõ. li. de ſimpl. medic. cap.1. pag.373.b
appij ſuccus 169.a
Aqua calida 79.a
aquæ dulces & earum proprietates Mich. li. de Orig. morb. Gall. pag.236.b
aquæ fortes 142.b
aqua fortis & quomodo hac in vlcere vtendum ſit 266.b.267.a
aqua alchymiſtarum 108.b
aqua articulorum ineptiſſ. recentiorum chirurg. vocabulum 312.b
aqua aurum ab argento ſeparans 170.a
aqua aluminoſa 105.b
aquæ aluminoſæ vis 38.b.103.a
aqua aluminoſa vlceribus depaſcentibus cõmoda 270.b
aqua ex ſarmentis diſtillans 31.a
aqua vitis 140.a
aqua vitæ 72.a
aquæ in morbo compoſito, vel Gall. adhibendæ Mich. Ang. li. de Orig. morb. Gall. pag. 238.b
aquoſum apoſtema 35.a
Arabum quædam laus 126.a
Archimedis triſpaſtum Oribaſius de machinamentis pag.350.b
arenulæ quid 177.b
arenularum cauſæ 178.a
argentum viuum ſublimatum 108.b
aridi medicam. proprium 304.a
arietis ſigni cœleſtis primus gradus 186.a
ariſtolochia 136.b
arſenicum 22.b.41.a.103.b.108.b
arſenicum ſublimatum 24.b.82.b.104.a 109.b
arſenici legitimi effectus notæ 109.b
arteriarum inciſarum notæ 265.a
arteriæ diuiſæ interdum coëunt 54.a
arteriarum inciſioni conferentia Iac. Don. li. de ſimpl. medic. cap.3. pag.378.b
articuli inſtaur. exercitium laudatur 319.b
artuum ſiue extremarum partium vlcera 95.a
Aſcachylos 202.a
aſcachilos quid 204.b
aſcia, vincul. Galenus de faſcijs pag.337.a
aſcites hydropis ſpecies 35.b
aſij lapidis flos 97.a
in Aſtringentibus cautio 127.a
Atheroma 37.a
atheromatis curatio 41.b
de Attrahentibus Hole. li.6. ca.2. pag.128.a
attrahentium materia 128.a
Auertentia medicamenta 81.a
Auguſtini Niphi præſidia aduerſus morbum Gall. Mich. Ang. li. de Orig. morb. Gall. pag.237.b

Auicennæ emplaſtrum 98.b.104.a
Auicennæ puluis 83.b
Auicennæ ſcarificatio 97.b
Auicennæ vnguentum longè optimum 101.a
aureum Meſue 137.b
auriculæ, laqueus. Oribaſius de laq. pag.340
auriga vincul. Galen. de faſcijs pag.333.a
authores tum recentes tum veteres qui de venenatis vulneribus ſcripſerunt 78.a
authumnus 186.a
axungia, id eſt, ſuilli adipis mira vis 131.a

B

Balneæ ex oleo & hydrelæo 66.a
balſamum 140.a
balſamitis liquoris Meſue dotes 69.a
barbara 140.b
barbara emplaſtra 106.a
baſilicum 163.b.172.a
baſilicon maius 218.a
Bezoarticum medicamentum 290.a
Bilis 25.b
bilis atra exquiſitè, vnde 42.a.b
bilis æruginoſa 26.a
bilis crocea 26.a
bilis flaua duplex 25.a
bilis peccans quibus medicamentis purgetur 269.b
bilis porracea 26.a
bilis vitellina 26.a
Bocium 37.a
bolus Armena 103.a
bothor 8.b
Brachij caput 121.b
breune 313.b
bronchocele 37.a
Bruni medicamentum 83.b
bryoniæ radix 30.b
Bubo 37.a
bubones 95.a
Bucaſis forpices non aptæ ad ſinus dilatandos 273.b
buclon inſtrumentum 189.b

C

Cacochymia 16.a.99.a
cadmia 100.b
caliditas ab æqualitate exiens 178.b
callus 53.b
calli 10.a.30.b
callus quid 141.b
calli, vel, pori generatio 116.a
calli, ſubſtantia unde naſcatur 114
calli concreti ſignum 146.b
calli in vlcere contracti, nota 276.b
callus ceruicis veſicæ 306.a
callus conueniens 146.b
callus minor 146.b
callus mollior 147.a
callus durior 147.a
callus diſtortus 147.a
calli mediocritas 114.
callum firmantia 146.b
calli curatio 141.b
callos exterentia medicamenta 108.a
calloſæ carnis curatio in vlcere Bartholom. Magg. li. de vuln. ſclop. curat. pag. 276.b
calore aduentitio trahentia 128.b
calx 139.a
calx elota cum roſaceo 87.a
canabil 98.b
cancer 10.a
cancer quid 205.a
cancri nomen ad duo morborum genera pernet 45.b
cancri nomen cur tumori cancroſo inditum 45.b
cancrum inducentia Iac. Don. li. de ſimpl. medic. cap.1. pag.373.b
cancer ex quo humore gignatur 45.b
cancri radices 46.a
cancri euidentis et non vlcerati notæ, indicia 45.b. curatio 46.a
de Cancro exulcerato Tagaul. lib.3. capit.20. pag.109.b
cancri exulcerati 26.a
cancri exulcerati vacuatio 109.b
cancer exulceratus, peſſimus affectus 46.a
cancer vlceratus cur quibuſdam lupus appelletur 110.b
cancri exulcerati ſigna 109.b
cancroſi tumoris deſcriptio 45.b
cancro conferentia Iac. Don. li. de ſimpl. medic. cap.1. pag.373.a
cancri non vlcerati adhuc incipientis curatio 47.b
cancri exulcerati curatio 109.b
qui nam Cancri vlcerati vſtionem aut ſectionem deſyderent 110.a
in Cancris chirurgia non eſt temere adhibēda 47.a

quibus Cancris duntaxat adblandiendũ, vera curatione omiſſa 110.a
qui Cancri radicitus tolli debeant & qui non 46.a
cancer vinculum capitis Galen. de faſc. pag. 323.b
cancer pro inguine vincul. Gal. de faſcijs pag. 334.b. ad utrinq; inguen 335.a
caninum cerebrum 146.a
canis ſæpius rabie corripitur 78.b
canes quibus notis rabiem ſuam teſtentur & prodant 78.b
canis rabioſi morſus 78.b
canis rabioſi morſus probatio ex Oribaſ. 79.a
cantharides 109.b
cannulæ forma picta 284.a
cannulæ cum terebello forma picta 284.a
de Capitis læſione Tractat. Mari. San. Barol. pag. 170.b
capitis luxatio 121.a
capitis contuſio 171.b
capitis contuſio cum vulnere 172.a
capitis vlcera 95.a
capitis ægritudinum genera 171.b
capitis rimulæ & ſciſſuræ 173.a
capitis emplaſtrum 172.a
capitis ſciſſura curatio 174.b
capitis commiſſuræ 175.a
capitis uena rariſsimè à iugulari oritur 250.b
capitellum 142.b
capparis cortex 101.a
capiſtrum dimidiatum, vincul. Gal. de faſcijs pag. 325.a
capiſtrum ad vtranque partem, vincul. Gal. de faſcijs pag. 325.b
capiſtrum obliquum ad alteram partem Galen. de Faſcijs pag. 326.a. ad vtranq; partem, ibidem
caprillum ſtercus vetus 39.b
capſula machinaria, Oribaſius de machinamentis pag. 343.b
carbunculus 22.a
carbunculi ſpecies, notæ 22.a
carbunculi iudicia 22.a
carbunculi curatio 22.b
carbunculis conferentia Iaco. Don. li. de ſimplic. medic. cap. 1. pag. 366.a
carcinoma 10.a
carcinoma mitiora contemnit remedia 109.b
carcinomatis extincti nota 109.b
caricarum decoctio 133.a
caries 137.a
carnem generare quid 169.b
carni producendæ medicamentum idoneum 73.a
carnis in vulnere cauo regignendæ ratio 73.a
in carnis generatione duplex excrementũ prouenire ſolet 73.a
caro rectè ſe habet, ſi proprium ſeruet temperamentum 96.a
carnis putridæ contactus depaſcens vlcus efficit 270.b
carnis vnctuoſæ remotiuum remedium 157.b
carnis mollitiei curatio Ang. Bolog. de curat. vlcerum exter. li. 2. cap. 12. pag. 213.b
carnis oſtrocatæ, ſeu calloſæ & duræ curatio Ang. Bolog. de curat. vlcer. exter. li. 2. cap. 11. pag. 213.a. Item Bartholom. Magg. li. de vuln. ſclop. curat. pag. 276.b
carnis ſuperfluæ curatio Ang. Bolog. de curat. vlc. exter. lib. 2. capit. 13. pag. 213.b. & Bartholom. Magg. li. de vuln. ſclop. curat. pag. 275.b
de Carne in vlceribus ſupercreſcente tollenda Tagaul. li. 3. cap. 10. pag. 97.a
carnem ſuperfluam in vlceribus minuentia et auferẽtia Iac. Don. li. de ſimpl. medic. cap. 4. pag. 388.b
carni immodice excreſcenti quæ ſint adhibenda medicamenta 256.a
caro in vulnere capitis addita, & eius curatio 175.a
carni ſuperfluæ remouendæ, ſi cauſtica deſint, ferrum aut ignis adhibendus 276.a
carnem corruptam remotam eſſe, quibus cognoſcatur 265.b
carpentaria 395.b
caruncula ceruicis veſicæ & quid per eam intelligatur Alfonſ. Ferr. li. de carunc. cap. 2. pag. 306.a
caruncula ceruic. veſic. quibus de cauſis innaſcatur, augeatúrque Alfonſ. Ferrus libro de carunculis capite tertio pag. 306.a
carunculam ceruic. veſic. innatam eſſe, quib. iuditijs demonſtratur Alf. Ferr. li. de carunc. cap. 4. pag. 306.
carunculi curatio quo anni tempore præſtet, Alfonſ. Ferrus lib. de carunc. cap. 7. pag. 307.b

ante Carunc. curationem quæ præparatio adhibenda ſit Alfonſus Ferrus libro de carunc. cap. 6. pag. 307. a
carunc. ſiue callus ceruic. veſic. quibus medicam. præmolliendus Alf. Ferr. li. de carũc. cap. 8. pag. 307. b
poſt Caruncula dimminutionem qua ratione interne partes exulcerata atque inflammata curentur Alfonſus Ferrus li. de carunc. cap. 10. pag. 309. a
carunc. quibus medicam. tollatur Alf. Ferr. li. de carunc. cap. 9. pag. 308. a
caruncula ſiue callus ſanatus quibus conſeruetur Alf. Ferr. li. de carunculis capit. 12 pag. 310. b
caſeus putris 132. a
caſida vlcera 94. b
κάτεγμα 111. a
cataphracta, vincul. Gal. de faſc. pag. 331. b
cataplaſmata 86. b. 133. a. 181. a
cataplaſma commune 20. b
cataplaſma Galeni 19. b. 44. a
cataplaſma ex orobi farina & oxymelite 23. a
cataplaſmata carbunculo idonea 22. b
cataplaſma leniens 313
cataplaſma ad putrefactionem 154. a
cataplaſmata ſuppuratoria 97. a
catapotia ex cynogloſſo 303. a
καθαρτικά 134. b
catharticum quid 201. b
catheretica 75. a. 141. b. 256. a
καθολκιὺς Gal. de faſc. pag. 323. b
κάῤῥος Gal. de faſc. pag. 323. b
cauerna quid 204. a
cauſonis ſpecies 313. a
in Cauſonis curatione chirurg. temeritas Joann. Lang. pag. 313. a
cauſticum medicamen ex calce & ſapone pag. 41. a
cauſtici paſtilli 103. b
cauſtica callos remouentia 276. b
cauteria 134. a. 399. b
cauterizatio quid 199. b
cauterium potentiale 152. b
cauteria actualia & eorum figura 167. b
cauterij actualis commoda 267. a
cauteria vbi periculoſa 133. b. 134. a
cauterium ſine dolore 394. b
cauterij cum cannula forma depicta 285. b
κίγχος 28. b
Cenchria 28. b
centaurium 87. a
centaurij minoris radix 87. a
cephalica 137. a
cera 128. a
cera viridis 135. b
cera virginea 128. a
cerata 130. a
ceratum 27. b
ceratum ex coriandro 128. a
ceratum ex œſipo 34. b
ceratum è pſyllio 127. b
ceratum roſaceum 127. b
ceratum de ſpuma argenti 283. a
ceratum album 145. b
ceratum humidum 115. b
ceratum humidum Gale. oſſium fracturis & luxationibus accommodum 260. a
ceratum picatum 132. b. 145. b
cerata magis aſtringentia 128. a
κεράννι& Soſtrati, vincul. Galen. de faſcijs pag. 333. a
κηρέλαιον 131. a
cerota 127. b
ceruix veſica & eius examinatio Alf. Ferr. li. de carunc. cap. 1. pag. 305. b
ceruſa 139. a
cherades 10. a
chœrades Græcorum 36. b
χαλαστικὰ 132. b
chalcanthum 100. b
chalcitis 100. b
charcheſius ſimplex Oribaſ. de laq. pag. 339. a
charcheſius duplex ibidem b
χιαςὸς laqueus 338. b
chironia vlcera 99. a
de Chirurgica materia præfatio Tagan. lib. 7. capit. 1. pag. 126. a
chirurgica medicina quid, et quottuplex pag. 149. b
chirurgica materia interpretes 126. a
chirurgica materia vnde petenda 126. a
in chirurgica materia naturæ fertilitas 126. a
in chirurgia mors & vita 256. a
in Chirurgia fiunt monſtra 258. b
ad Chirurgiam exercere volentes exhortatorium Mari. Barol. lib. de Lap. veſic. extrahen. cap. 23. pag. 193. b
chirurgorum examinandorum modus, Marian. Barol. lib. Quidditatiuo pag. 196. etc.
chirurgus medicus qualis 150. a

chirurgi noſtræ ætatis taxantur 126.b
chirurgicorum audacia, faſtus & tyrannis 319.b
chirurg. glidwaſſer 312.b
chirurgicorum in curanda vulnerum apoſtematione imperitia Ioann. Lang. pag. 312.a
chirurgos temere vng. popu. venam incidendam inungere 315.b
chirurgi quare phlebotomatos ſanguinem ſorbere cogunt Ioann. Lang. pag. 315.a
cholera quid 203.b
cholerici 150.b
cholerici doloris ſedatiuum 154.b
chryſocolla 101.a
Cicatricis inducendæ methodus 74.b
cicatrizantia medic. Iac. Don. lib. de ſimplic. cap. 4. pag. 391.a
cicatricibus & ueſtigijs vlcerum conferentia Iac. Don. lib. de medic. ſimpl. capit. 4. pag. 391.a
cicatrizata aperientia medic. Iaco. Don. li. de ſimplic. medicam. cap. 4. pag. 391.b
cicatrices oleo ex cera pulchræ redduntur 277.b
de Cicatricibus reparandis in vulneribus 75.a
cirrha emplaſtra 106.a
Claudicantium variæ cauſa 319.a
claui 30.b
clauiculæ luxatio 121.b
clauis 10.a
Coagulum 129.a
cochlea 129.a
cochlearum caro 140.a
cochleare, inſtrumentum 189.b
cochlea quadrata quomodo teſtudinem moueat Oribaſ. de machinamẽtis pag. 342.b
coctio omnis à calore naturali fit 252.b
coctio in vulneribus fit per puris generationẽ 253.a
coctionem adiuuans Drageta 34.b
collectionibus conferentia Iac. Don. li. de ſimplic. medic. cap. 1. pag. 360.b
colli vlcera 95.a
colophon 137.a
color flauus eryſipelat. puro proprius eſt pag. 269.a
coluri 135.b
comitialis morbus 65.b
complexio quid 202.a
complexio quomodo mutetur 150.a
complexionis malæ ſedatiuum 158.b
complexionis malæ in vlcerata parte curatio Aug. Bolog. de curat. vlcerum exter. li. 2. cap. 7. pag. 211.a
concoquentia 280.b
concoquentia medicamenta vlcus reddũt ſordidum 254.a
congeſtio 12.a
conſerua 146.a
conſolida maior 23.a
conſolidare vulnus quid 202.b
conſolidantia medicamenta Iac. Don. lib. de ſimpl. medic. cap. 4. pag. 389.b
continui ſolutio quot modis fiat 150.a
continuitas ſoluitur quadrupliciter 165.a
contuſio, fracturæ ſymptoma 117.b
contuſio in vuln. ſclop. quid & qualis Alfon. Ferr. de ſclopetorum vulner. lib. 1. capit. 6. pag. 290.a
contuſiones maiorum bellicorum fulminum Alf. Ferr. de ſclop. vulner. lib. 2. capit. 18. pag. 298.
contuſionis in vuln. ſclop. curatio Alf. Ferr. de ſclop. vuln. li. 1. cap. 7. pag. 290.b
contuſioni conferentia Iac. Don. libro de ſimplicibus medicamentis capit. 2. pag. 373.b
conuulſionis genera 65.b
conuulſio vulnerum 64.b
Cornelij Celſi locus emendatus 108.a
cornua 10.a. 30.b
corpora ſicca quæ 203.a
corporis humani oſſa parte anteriori expreſſa 124.b
in Corpori quicquid eſt præter naturam, illud remouendum eſt 256.a
corroſio quid 205.a
corroſio cancri exulcerati 109.b
corroſio vlceris 166.a
corroſionis curatio Angel. Bolog. de curatione vlcerum exter. libro ſecundo capite 15. pag. 214.b
corruptio propter quid accidat 204.b
coſmetica medicina quæ nam tractet ſigillatim 402.b
coſmetica pars inhoneſta, vel curioſa 403.a
coſmographorum laus 126.b
Cranei cæca fractura, & in illa curanda, chirurg. cæca amentia Ioannis Lang. pag. 313.b
cranei fracti malæ aut bonæ notæ 112.b
cranei fracti curatio 173.a

craſsion 201.a
criſtallus 137.a
crocum 21.a
crocus 133.a
croceum 137.b
cruoris extergendi ratio 139.b
cruris faſciati forma depicta 286.a
cruris infaſciati forma depicta 286.a
cruſtam detrahentia 142.a
cubitus in quatuor partes luxatur 121.b
cubiti luxati reſtituendi machinamenta. Oribaſius 346.a.b.348.a.355.b
cubitus in alam prolapſus quomodo reſtituantur, homine iacente Oribaſius de machinamentis pag.347.a.b
cucurbitula 80.a.143.b
cucurbitulæ vſus quis 77.b
curatio quid 198.a
curatio vera quando fiat 264.b
cura per ſe 198.a
cura per accidens ibidem
curatio fit per contraria 96.a
cuſpis, vincul. Gal. de faſc. pag.332.b
cutis quid 202.b
cutis multum facit ad celeritatem glutinationis 139.b
ad cutem, carnemq́; ſine dolore diſſecandam, ſepticum mirabile 274.a
cutem rumpentia medicamenta 261.b
cutis quæ carni in ſinubus adhærere non poteſt, diſſecanda eſt 273.b
cutis eadem ſpecie cum ea quæ periit, regigni non poteſt 74.b
Cynogloſſæ ſuccus 69.a

D

Dactra Gallica 11.b
Decocti deſcriptio 275.b
decoctum caricarum 133.a
decocti exiccantis deſcriptio 273.a
defenſiua 128.a
defenſiuum humoris frigidi 163.a
delirium quid & vnde naſcatur 70.a
delirium vel deſipientia ex vulnere 70.a
delirii ex vulnere curatio 70.a
dendromalache 44.b
deſudationes Auicennæ 11.a
detergentia 17.b
Diabroſis 81.a
diæta quid 196.b
diacademia epuloticum ex Galen.ii.catag. 283.
diacalcitis Gal. 282.a
diacarthu Gal. 283.b
diachathu 273.a
diachylon 39.b.40.b
διάχυλῶν 132.a
Διαλθαῖον veterum 131.b
diapalma 40.b.47.a.87.b
diaphœnicinum non ſuppuratis abſceſsib. vtile eſt 263.a
diapompholygos 47.a
diapyritis 283.b
diapyritis Gal. præſtans ad durities molliendas 278.a
de Digerentibus & Reſoluentibus medicam. Galeni præceptum commune 103.a
digeſtio quid 203.b
digeſtiua 280.b
digeſtiuum lotum & eius compoſitio 253.b
digeſtiuum vulneri imponendum 76.b
digitus comprimens 82.b
diphryges 97.a.100.b
διπλᾶ μίξις 142.a
diſciſſa quæ Hypocrati dicantur 54.a
de Dolore Hole. libro ſexto capite duodecimo pag.143.a
dolor quid 202.a.205.a
doloris cauſa 143.a.205.a
dolor ex defluxu quomodo deprehendatur 263.a
dolor ex oſſe pungente quomodo cognoſcatur & remittatur 262.a
dolor etiam fracturas ſequitur ſimplices 262.a
dolor ex fortibus medicinis, & eius nota 262.a
doloris vis attractiua 312.a
dolor in vuln. ſclop. remed. 297.b
dolor clamoſus 211.b
dolor quietus 211.b
doloris cura Ang. Bolog. de curat vlcerum exter. li.2.cap.8. pag.211.b
doloris remotiuum 158.b
doloris cholerici ſedatiuum 154.b
contra dolores frigidos 143.a
Draco laqueus Oribaſ. de laq. pag. 339.a
Draconis ſanguis 140.b
dracontii radix 135.b
dracunculi 10.a
drageta coctionem adiuuans 34.b

δρώπαξ 141.a
dubelet 197.b
ductores duo 188.a
durities quid 204.a
duritiebus membrorum cõferentia Iac. Don. li. de ſimpl.medic.cap.1. pag.371.a
duritiei quæ in iuncturis remanet poſt vulneris vel vlceris conſolidationem, curatio Barthol.Magg.lib. de vulne.ſclop.curat. pag.277.b
durities oleo ex cera emollitur 277.b
Dyſepulota vlcera 99.a

E

de Echymoſi ſeu Echymomate, id eſt, ſanguinis ſubter cutem effuſione & coitu. Tagau.li.2.cap.10. pag.76.b
ecchymoſis quid 76. b. vnde excitetur ibidẽ.
ecchymoſis nota, ſpecies, iudicia 77.a
ecchymomatis ex cõtenſione vel ruptione excitati curatio 77.a
echini 97.a
ecliptica diuidens zodiacum ſecundum latitudinem 186.a
ecthymata 11.a.29.a
ἐκπυητικὰ 132.b
ἐκτυλωτικὰ 142.b
Electuarium 182.a
elephantiaſis 10.a
elephantiæ ſigna 392.b
elixir 179.a
elleborus 141.b
Embiegma 217.a
emphyſema 9.a
emplaſtica oportet eſſe malactica 131.b
emplaſtrum 181.b
emplaſtrum Andromachi ad vlcera dyſepulota, Galeno probatum 101.a
emplaſtrum Auicennæ 33.a. 40.a. 98.b 104.a
emplaſtrum Auicennæ infixa ſtatim extrahens 57.b
emplaſtrum Auicennæ ex malo Punico dulci 64.a
emplaſtrum Bruni & Theodorici ad ſtrumas 40.a
emplaſtrum Galeni pagin.20.a & 85.b.
emplaſtrum Galeni ad ulcera chironia in mollibus corporibus 102.a
emplaſtrum Guillelmi à Saliceto 25.a
emplaſtrum Haly Abbatis 39.b
emplaſtrum præceptoris Guidonis ex Limacibus 40.a
emplaſtrum Razis 33.a
emplaſtrum Theodorici 64.a
emplaſtrum de arnogloſſa 22.b
emplaſtrum ex malis Punicis 22.b
emplaſtrum ex melle 87.a
emplaſtrum capiti quare imponendum 174.b
emplaſtra Barbara 106.a
emplaſtra cirrha 106.a.b
emplaſtrum nigrum 72.a
emplaſtra phæa 106.a
emplaſtrum vulgare optimum quod vſurpatur in Pariſiorum Noſocomio 23.a
emplaſtrum cicatrizatiuum 158.a
emplaſtrum cruſtas reſoluens 23.b
emplaſtrum diaſyritidis Galen. præſtans ad durities molliendas 278.a
emplaſtra barbara enæma Ioann.Lang. pag. 18.a
emplaſtrum eſcharæ remotiuum & doloris ſedatiuum 165.a
emplaſtrum mollitiuum 152.b
emplaſtrum ad deſperata vlcera admirandum, cui, Galeno authore, cum propter alia, tum quoniã longo experimento probatum eſt, multum confidere oporteat 102.a
emplaſtrorũ vſus diuturnus fugiendus 253.b
empyrici latronibus priores 317.a
Enæma 106.a.181.a
ėnæma emplaſtra barbara Ioann.Lang.pag. 318.a
eneruatis conferentia Iac.Don.lib.de ſimplic. cap.2. pag.373.b
Epangyloius laqueus. Oribaſius de Laq.pag. 340.
ėpinyctides 11.a
ad Epinyctides conferentia Iac.Don.li.de ſimplic.medicam.cap.1. pag.365.b
epiſpaſticum Gal. 283.b
epiſpaſtici vires 273.a
epithymum 46.b
de Epuloticis Hole.li.6.cap.9. pag.138.a
epulotica medicamenta & eorum facultas 74.b.75.a
epulotica medicamenta qualia debeant eſſe 255.b

epuloticus pulnis 139.a
epulotici vſus ratio 139.a
Eques lapide in temporibus leuiter vulneratus, obijt 316.b
Eroſio metallicis per combuſtionem edomatur 100.b
eroſio venarum 81.a
eruptionibus conferentia Iac. Dō. li. de ſimpl. medicam. cap. 1. pag. 360.b
de Eryſipelate Tagault. libro primo capite. 8. pag. 25. b. & Marian. Sanct. Barolitan. pag. 172. a. item Barthol. Magg. li. de nuln. ſclop. curat. pag. 268.b
eryſipelas quid Latinis dicatur 317.b
eryſipelatis deffinitio 25.b. 268.b
eryſipelat. cauſa 26.a. 269.b
eryſipelat. notæ & indicia 262.a.b
eryſipelas motum ſequitur tertianæ febris 26.b
eryſipelas exquiſitum 25.b
eryſipelatoſi tumores 9.b
eryſipelas in vtero prægnantis fœtum enecat 26.b
eryſip. phlegmonodes 25.b
eryſip. phlegmonoſum extra vlcus quibus notis dignoſcatur 269.a
eryſip. in vulnere cognitio 269.a
eryſip. puri flauus color proprius eſt 269.a
in Eryſip. puriſsimo rubedo non eſt 269.a
eryſipelas verum 26.a
eryſipelata illegitima 26.a
eryſip. curatio 26.b
de Eryſipelate aphoriſmi ſeptem 28.b
eryſip. conferentia Iac. Don. li. de ſimpl. medicam. cap. 1. pag. 362.b
eryſipelatibus nullis conuenit ſanguinis miſsio 269.b
eryſip. vitioſi & bilioſi curatio 269.a
eryſipelata circa caput curatu difficillima 26.b
eryſip. exigui curatio 269.b
eryſipelatum ſcroti curandorum ratio. Alfo. Ferr. li. de carunc. cap. 11. pag. 310.a
eryſip. falſa curatio Ioann. Lang 317.a
Eſchara quid 243.a
eſcharam inducentia medicamenta 266.a
eſcharotica 141.b. 142.a. 144.a
eſcharas aduſtionis auferentia Iac. Don. li. de ſimpl. medic. cap. 3. pag. 381.a
eſſere ſanguinea 197.a
eſthiomenus 202.a. 205.a
Euacuatio quid 201.b
de Eunucho hiſtoria 144.b
eunuchi quare non caluеſcant 316.a
euphorbium 128.b
Exanthemata 11.a. 29.a
exarthrema 121.a
exciſio Galeni 97.b
exciſio cancri exulcerati 109.b
exiccatiuum in vlcere 168.b
exitura 197.b
exituræ 8.b
exituras rumpentia & aperientia Iac. Don. libro de medicamentis ſimplicibus cap. 1. pag. 367.b
exituras mundificantia Iac. Don. li. de ſimpl. medic. cap. 1. pag. 367.b
exituris conferentia Iac. Don. li. de ſimpl. medic. cap. 1. pag. 366.b
exituris duris conferētia Iac. Don. li. de ſimpl. medic. cap. 1. 367.a
exituris putridis conferentia Iaco. Dond. li. de ſimpl. cap. 1. pag. 367.a
exploratorium 187.b

F

Faba inuerſa 396.a
Fabri organum. Oribaſius de machinamentis 351.b
fax vini vel aceti 128.b
farina ordeacea 132.b
faſciæ quando & quomodo perforandæ 260.b
faſcia vulneri deligando aptiſsima 59.a
faſcia longa ad frontē et regionem, quæ inter ſupercilia eſt, Galenus de faſcijs pag. 329.b
faſcia glomerata ad labrum inferius, Galenus de faſcijs pag. 330. a. ad labrum ſuperius ibidem
faſcia, ſeu iunctura ad mentum ex Sorano Galen. de faſcijs pag. 330.b
faſcia ad mammam aſſuta, Gal. de faſc. pag. 333. b. ad mammam glomerata, ibidem
faſcia glomerata ad cubitum Galen. de faſcijs pag. 335.b
faſcia ad calcem Gal. de faſcijs pag. 337.b
faſcia ad talos ibid. b. ad plantas, ibid.
faſcia ſi fieri poteſt, nullo modo remouenda 261.a
faſcia glomerata Galenus de faſcijs pag. 328.a

faſcia

faſciaturæ vſus 261.a
fauſtini paſtilli 97.a
Febris quid 202.a
febris, ab eryſip. vel ab humorum agitatione excitatæ, curatio 269.b
Federicus Carrapha 186.a
femur in quatuor partes luxatur 121.b
femoris luxati reſtitutio Oribaſ. de machinamentis pag. 349.a. 357.b
fermentum 129.a
ferrum candens 87.b
inferri vſu animaduertenda 133.b
ferri ſquamma 101.a
ferulæ in fracturis 116.a.b
ferulæ in fracturis quando circumponendæ 116.a
ferulis leuioribus membrum, in quo fractura cum vulnere ſit, eſt ſuffulciedum, ſi globulus retineatur intro 262
ferulæ in quibus fracturis prohibeantur ab Hippocrate 261.a
ferulæ quando fracturis remouendæ 261.a
Fibula quibus corporis partibus conueniat 140.a
fides quid 206.b
figurationum membrorum tres ſcopi pag. 260.a
filamenta ſicca oſſi detecto imponenda 261.b
de Fiſtula Tagaul. libro tertio capit. 19. pag. 107.a
fiſtulæ definitio 104.a. 107.a. 204.a
fiſtularum differentiæ, ſigna, & indicia 107.a.b
fiſtulæ ſpecillo maximè exploranda 107.b
fiſtulæ ſinus ampliatio 108.a
fiſtularum curandarũ ratio uniuerſalis 107.b
particularis 108.a
fiſtulæ curatio Alf. Ferr. de ſclop. vuln. lib. 3. cap. 2. pag. 301.b
fiſtulis conferentia Iac. Don. li. de ſimpl. medic. cap. 4. pag. 387.b
ad Fiſtulas medicamentum longè optimum 109.a
fiſtulis potiones idoneæ 107.b
ad Fiſtulas puluis ocl. 136.a
fiſtulas incarnans medicamentum 109.a
fiſtulæ mortificatæ ſignum 108.b
fiſtula tentatiua 187.a
fiſtularis figura 207.b
Flagellatis conferentia Iac. Don. lib. de ſimpl. de medic. cap. 2. pag. 373.b
flos Aſij lapidis 97.a
fluxio 12.a
fluxio quibus prohibeatur 18.b
fluxum humorum ad apoſtemata prohibentia Iac. Don. li. de ſimplic. medicam. cap. 1. pag. 361.b
Fomentum aqua calida 116.a
forceps 188.b
forcipis anſerinæ forma depicta 286.b
forcipis concauæ forma picta 285.a
forcipis dentatæ forma picta ibidem
forfices ignitæ 214.a
de Formicis & alijs verrucarum differentijs Tagaul. lib. 1. cap. 9. pag. 30.a
formica quid 205.a
formicæ Auicennæ 28.b
formicæ conferentia Iac. Don. li. de ſimpl. medic. cap. 1. pag. 364.b
forpices Bucaſis non aptæ ad ſinus dilatandos 273.b
forpices in globuli extractione, quæ faciant incommoda 257.a
flatulenti tumores & eorum curatio 34.a
de Fractura Tagaul. li. 4. capit. 1. 2. 3. pag. 111. a. b. &c.
fracturæ definitio 88.a. 111.a
fracturarum cauſæ ibidem. b
fracturarum notæ, & indicia ibidem
fracturæ differentiæ 111.a
fractura alphitidon, id eſt, farina inſtar 111.a
fractura κατ' ἀπόθραυσιν facta 111.a
fractura ἐς ὄνυχα, id eſt, inſtar vnguis 111.a
fractura ſchidacidon, id eſt, aſſeris more facta 111.a
fractura vulgaris 111.a
fracturæ in quadrupedibus præſertim veterinarijs prognoſtica 112.a
fractura vulnerum ſclopetorum quid et qualis Alfonſus Ferrus de ſclop. vulner. lib. 1. cap. 8. pag. 291.a
fracturæ vuln. ſclop. curatio ibidem
fractura cranei cæca, & in illa curanda, chirurgorum cæca amentia Ioannis Lang. pag. 313.b
fracturam comitantia ſymptomata 116.a
fracturæ cranei occultæ ſymptomata 313.

fracturis phlegmon ſuperueniens quibus medicamentis prohibeantur 262.b
fracturas ſimplices etiam dolor ſequitur 262.a
fracturæ curandæ generalis methodus Tagaul.li.4.cap.3. pag.114.a
de Fracturæ reductione præcepta quædam Guidonis 114.
fracturis conuenientia Iac.Don.li.de ſimplic. medic.cap.2. pag.373.b
in Fracturis cum vulnerib. quid faciendum primo, quid ſecundo 261.b
frangens, inſtrumentum 189.a
Fugille 37.b
fuligo 137.a
funda, vincul. Gal.de faſc. pag.328.b
funda ad naſum ex quatuor capitibus Gal.de faſc.pag.327.b.ex tribus, ibidem. ex binis pag.328.a
funda ad labrum inferius ſciſſa in partes quatuor, Gal.de faſc.pag.330. ad labrum ſuperius ibidem
funda ad occipitium, ſciſſa in quatuor partes Gal.de faſcijs pag.330.b
funda humerum complectens, Galen.de faſc. pag.331.a
de Fungis qui fracto craneo & alijs vlcerib. adnaſcuntur. Ioan.Lang. pag.314.b
furunculis ſecundum plurimum conferentia Iac.Don.li.de ſimpl.medic.cap.1. pag.368.a
fuſcedo, chirurg. ineptum morbi nomen 313.a
fuſcum Nicolai 137.b

G

Galea gladiatoria Perigenis. Galenus de Faſcijs pag.316.b
Galeni exciſio 97.b
Galenus notatur 394.b
Galeni de Locis affectis, locus obſcurus declaratur, de fungis capitis 314.b
galla combuſta 83.b
galla omphacitis 101.a
Galliarum & Angliæ regibus diuino quodam munere data eſt facilis ſtrumarum curatio 38.b
gallinarum pulli 80.a
gamaut, inſtrumentum 200.a
ganglium 10.a
ganglium quid 36.b
ganglij nota 36.b
ganglij medicamentum mollitorium 39.b
gangliorum per chirurgiam curatio ibid.b
ganglij curatio ex philagrio 39.a
gangræna 22.a.23.b.202.a
gangræna quid 263.a
gangrænæ cauſa 263.a.b
gangr.ex arteriar. & venar.ſectione 263.b
gangr.propter malignas ſordes ab vlcere defluentes facta, & eius nota 265.b
gangr.ex materia uenenoſa 263.b.264.a.eiuſdem ſigna ibid.
gangr.ex magna refrigeratione 263.b
gangr.ex materia venenoſa criticè ad membrum delata, eiuſdemq; cognitio, & curatio 265.b
gangrænæ ſigna, indicia 24.a
gangr.ex inflammatione nota 265.b
gangræna quando ſyderationis nomen ſortiatur 264.a
gangræna in quem affectum deſinere ſoleat 263.a
gangræna fracturæ ſymptoma 117.b
gangrænæ curatio 264.a.b
gangrænis conferentia Iac.Don.li.de ſimplic. medic.cap.1. pag.373.a
gangr.facile curatur, ſi ſtatim medicina adhibenda 264.a
curationis Gangrænæ & ſphaceli capita 25.a
gangrænæ locus affectus quibus poſt caprificationes lauandus ſit 264.a
gangræna ex venenati animalis morſu curatio 265.a
gangræna ex attritione vel compreſſione curatio 265.a
gangrænæ ex arcta faſciatura curatio 264.b
gangræna ex magnis inflammationibus genita curatio 24.a.264.a
gangrænæ ex frigore curatio 264.b
gangr.à ſeptico medicam.facta curatio 265.a
gangrænæ ex venarum arteriarumq; inciſione curatio 265.a
Generalitas ſpecialitatem antecedit 13.b
gentiana ad vlcera dilatanda præſtantior eſt cæteris 278.b
genu in tres partes luxatur 121.b
genu luxati reſtitutio Oribaſius de machinamentis pag.349.a.358.a
geranis Hipp. vincul. Gal.de Faſc. Gal. 231.a
geranis in ſpeciem fiſcellæ, vincul. Galen. de faſcijs pag.332.a

geranis in ſpeciē fiſcellæ, uincul. in priori parte ſe oſtendens Gal. de faſcijs pag.333.a
de Gladiatore in femore vulnerato hiſtoria 87.a
de Glandulis Tagau. li.1.cap.13. 36.a
glandulæ Auicennæ 36.b
glandula Guidonis 36.a
glandulis & apoſtemat. eorum conferentia Iac. Don. li. de ſimpl. medicament. capit.1. pag.369.b
glaucy vinculum Galen. de faſcijs pag.324.a 325.a
glaucij vinc. valde iunctum Galen. de faſcijs pag.326.a
glaucy ſpica, faſcia. Gal. de faſcijs pag.330.b
Glidwaſſer chirurg. 312.b
globulorum diuerſitas 256.b
globuli interdum omnes partes corporis, excepta cute perforant 258.a
globuli quomodo rectè explorari & perquiri poſsint 257.b
cum Globulo ſi quid in corpore retineatur, uidendum diligenter 257.b
præter Globulum ſclopetarium nunquid aliud in corpore retineatur, quomodo ſit dignoſcendum 256.a
globulus plumbeus qua ratione diu quandoque ſine noxa in corpore retentus ſit Alfonſ. Ferr. de ſclop. vuln. li.3.cap.4. pag.303.b
globuli quando faciant abſceſſum 256.b
globuli plumbei & ſtannei non impediunt, quo minus coaleſcat vulnus 256.b
ante Globulorum extractionem quæ conſyderanda 296.a
in Globuli extractione, vbi ſalutis & mortis incertus euentus ſit, quid faciendum pag. 258.b
globulus dupliciter extrahi poteſt 257.a
globuli ſunt prima die euellendi 256.b
globulus in oſſe fixus, quo inſtrumento poſsit extrahi 258.b
globulus in ſinu contentus, quo inſtrumento facilius extrahatur 257.b
globulus extractus ægro oſtendendus 257.b
globuli, aut quæcunque præter naturā in corpore detenta, ſi neque ſtylo neque digito percipi poſſunt, naturæ ſunt permittenda 257.b
glockfeur 317.b
gloſſocomi inſtrumenti, ad gignendum callum in fracturis, idonei formula 121.b
gloſſocomum machinamentum. Oribaſius de machinamentis pag.343.b
gloſſocomum Nymphodori. Oribaſius de machinament. pag.349.b
glutinantia Hole. li.6. cap.10. pag.139. a. & Mich. Ang. pag.231.a. item Iaco. Don. lib. de ſimpl. medic. cap.4. pag.389.b
glutinandi ratio 139.b
Græcorum præſtantia 126.b
Gramen vulnerarium 395.b
granula pulueris ſclopetarij carni infixa quibus modis remoueantur Bartholo. Magg. lib. de vuln. ſclop. curat. 277.a
gruinum roſtrum, inſtrumentum 293.a
guaiacum lignum ſanctum 108.a
gutturis dolorem ſedantia Mich. Ang. libr. de orig. morb. Gall. pag.237.a.b

H

Habitus definitio 196.a
de Hæmorrhagia Hole. li.6. cap.13. pag.143.b
hæmorrhagiæ ſiſtendæ modi 81.a
hamuli forma picta 284.a
hamuli globulis extrahendis inſtrumenta idonea 257.a
hamus, vincul. Gal. de faſcijs pag.332.b
Hebræi 173.b
HELVETIORVM thermæ 318.a
hemina pondus 102.a
Herba Robertina 62.b.11.b.
Herba Achillea 395.b
Herculei nodi ratio Oribaſ. de Laq. pag.339.a
herpes exedens 26.a
herpes miliaris 28.b. eiuſdem curatio 29.b
herpetis cauſa, curatio 270.a
herpeti eſthiomeno conferentia Iac. Don. lib. de ſimpl. medic. cap.1. pag.366.b
Hippocratis vinculum adducens Gal. de faſc. pag.329.a
Hippocratis ſcamnum Oribaſ. de machinamentis pag.354.a
hiſtoria de ſymptomatibus fracturæ cranei occultæ 313.a
hiſtoria 146.a
hiſtoria oculi vulnerati à Galeno curati pag. 315.a
hiſtoria oculi vulnerati à Langio curati pag. 315.a
hiſtoria pueri in fractura cranei per Langium curati 314.a.b.

β

hiſtrionis cuiuſdam funambuli robur in geſtanda trabe, Anguſta 316.b
humerus fractus ſimul & prolapſus, illiusq́; reſtituendi ratio. Oribaſius de machinam. pag.348.a
humeri comminuti reſtitutio. Oribaſ. de machinamentis pag.355.b
humeri caput in alam prolapſum. Oribaſius de machinamentis pag.344.b. vel in priorem, aut poſteriorem partem elapſum pag. 345.b.347.b.354.b.355.b
humiditates ſecunda 161.a
humores quoe 197.a
humor naturalis quis 12.b
humor non naturalis 12.b
humor fluens 12.a
ex Humore puro rariſſimè fit morbus 269.a
ex humoribus craſſis corrupti membri curatio 264.b
humores ſemper poſſunt fluere ad vulnera pag.251.b
humorum fluxum ad apoſtemata prohibentia, Iac. Don. li. de ſimpl. medicamen. cap. 1.pag.361.b
humores corrupti coctionem non admittunt pag.266.b
Hybiſcus 146.a
hydraleum 28.a.128.a
hydrophobia, id eſt, aquæ metus ac horror, morbus ex canis rabioſi morſu pagin. 78.b
hydrophobia vnde 79.a. *eiuſdem nota* ibidem
hydrophobia laborantium pauci ſeruantur pag.79.a
hydrops Leucophlegmatias 10.a
hydropis ſpecies hypoſarca 10.a. *aſcites* 35.b *tympanias* ibidem
hyems 186.a
hyoſcyami virtus admiranda 21.a
hypoſarca hydropis ſpecies 10.a
hypoſarcuſis 75.b
ad Hypoſarcoſeis maximas medicamentum 97.a

I

Iecinoris vitium 99.a
in Ignis vſu animaduertenda 133.b
ignis commoda in abſceſſib. aperiendis 274.b
ignis ſancti Antonij 24.a
igni ſacro conferentia Iac. Don. li. de ſimplic. medic. cap.1. pag.365.b
Impages 61.a
impetigo & ſpecies eius quatuor 10.b
Ictus ſcorpionis quæ ſymptomata afferat pag. 78.b
Incarnantia medic. Iac. Don. li. de ſimpl. medic. cap.4. pag.389.b
inciſio quid 199.b
inciſorium quid 200.a
incidendarum partium cõmemoratio Mich. Ang. pag.230.a
in Inciſione facienda quomodo reprehenſionẽ fugere poſſimus 199.b.200.a
inciſionis dolorem mitigantia Iac. Don. li. de ſimpl. medic. cap.1. pag.367.b
Indicum lignum 235.b
infantium vlceribus conferentia Iac. Don. li. de ſimpl. medic. cap.4. pag.383.b
inflammationum quatuor ſpecies 270.a
inflammationi remouendæ à vulnere medicamentum præſtantiſſimum 255.a
de Inflationibus Tagaul. libro.1. capit.11. pag. 33.b
inflationum cauſa 34. a. notæ, prognoſtica, curatio ibidem
inflationis & œdematis differentia 33.b
inflationes ſedantia & diſſoluentia Iac. Don. li. de ſimpl. medic. cap.1. pag.359.a
inflationi ex aduſtione conferentia Iac. Don. li. de ſimpl. medic. cap.3. pag.381.a
informatiua virtus & energia eius admiranda pag.316.a
inquietudo in vuln. ſclop. quomodo curetur 297.b
inſtrumenta medicorum ad incidend. 200.a
inſtrumentorum chirurgicorum inuentio, eiuſdemq́; modus 55.a
inſtrumentum Alphonſinum 292.a.b
inſtrumenta ad ſinus diſſecand. depicta pag. 285.b
inſtrumenta ad ſinus in aduerſa parte ſecandos apta 273.a
inſtrumentum aptum ex duobus foraminibus ad vnum foramen conſtituendum pagin. 275.b
inſtaumenta chirurgica telis atq; infixis alijs rebus extrahendis accommoda 55.b.57.b 58.a
inſtrumenta ad globulos ſclop. educendos idonea 257.a.284.b

inſtru-

inſtrumenta, quibus in carunc.curatione vtẽdum eſt Alf. Ferr. de carunc. capit. 5. pag. 307.a
intemperies ex acribus medicamentis contracta quomodo curanda 266.b
inuolucrum 46.b
Ioannis Tagaultij operis laus 126.b
iouthi 11.a
Iſatis ſatiua 140.a
iſchæmos 395.b
iſis cephalicum 273.a
iſis detectis oßibus amicum 278.b
Itinerarium 187.a
Iudæorum anatomia 319.b
iuncturis amputatis diligenter obſeruandũ vt os contegatur 268.b
iuncturas ad malas ex tribus faſcijs Galen. de faſcijs pag.329.b
iunctura ad cubitum in orbem Galen. de faſcijs pag.336.a
iunctura ad primam palmæ partem Galen. de faſcijs pag.336.a
iunctura ſeu faſcia ad inguen tuendum Gale. de faſcijs pag.335.a
iunctura ſeu faſcia ad alterum inguen Galen. de faſcijs pag.334.a. ad vtrunque inguen ibidem a.b.
iunctura ad ſcrotum ex tribus faſcijs Gal. de faſcijs 335.b
iunctura ſeu faſcia ad anum aſſuta Galen. de faſcijs pag.335.a
iuris conſultis in pleriſque cauſis medicorum iudicio egent 314.a

L

Lacertæ caput 31.a
ladanum 136.b
læſio melior quàm mors 64.a.67.b
lamina plumbea 110.a.118.b
lana Mich. Aug. pag.229.a
lana ſuccida 34.b.86.b
lanceola quid 200.a
lancetta 201.a
lapis quid 179.b
lapis duplex 179.b
lapis lenis 190.b
lapis Mylites 46.a
lapis pyrites 45.a
lapis renalis 180.a
lapis quomodo agglutinetur in renibus 176.b
lapidis renalis ſigna 180.a
lapidem renalem qui facile patiantur pag. 179.b
lapidis renalis curatio 180.b
lapis ſpinoſus 190.b
de Lapide renum ac veſicæ Tractat. Marian. San. Barol. pag.176.a
lapis veſicæ 180.a.182.a
lapidis veſicæ ſigna 182.a
lapidis alterius in veſica manentis, ſignum pag.191.b
de Lapide à veſica per inciſionem extrahendo libellus aureus Mariani Sancti Barol. pag.184.a
in Lapide veſicæ incidendo, medici præparatio Mariani Sancti Barolitani libro de lapid. veſic. extrahendo capite 17. pagin. 190.b
lapidis veſicæ incidendi inſtrumenta Maria. Sanct. Barolitan. libro de lapid. veſic. extrahendo cap.4. pag.187.a. &c.
lapidis veſicæ incidendi ſitus Marian. Sanct. Barol. lib. de lap. veſic. extrahendo cap.15. pag.190.a
in Lapidis veſicæ inciſione quis ſit iacendi modus 192.a
lapidis veſicæ incidendi tempus Marian. San. Barolit. lib. de lapid. veſic. extrahendo capite 3. pag.185.b
quomodo in Lapide veſic. extrahendo mulierum cura ſit habenda Maran. Barolitan. libro de lapid. veſic. extrahendo capite.22. pag.193.a
lapidis veſic. extractio quomodo exequenda, Marian. Sanct. Barol. lib. de lap. veſic. extrahendo cap.18. pag.190.b
lapidis ueſic. inciſio quomodo à nocumentis cuſtodiatur. Mari. Barol. li. de lap. veſic. extrahendo cap.19. pag.192.a
lapide veſic. extracto quæ ſymptomata accidant & eorundem curatio Mari. Barolit. lib. de lap. veſic extrahendo capit. 21. pag. 192.b
in Lapidis veſicæ inciſione facta quæ diæta ſeruanda Marian. Barolitan. libro de lap. veſic. extrahendo capite viceſimo pagina 192.a
laqueus attollens, & quæ ipſius ratio ſit. Oribaſ. de laqueis pag.338.a
laqueus χιαστὸς quomodo implicetur. Oribaſ. de laqueis pag.338.b

laqueus draco qua via inijciatur. Oribaſius de laqueis pag.339.a
laqueus epangylotus. Oribaſius de laqueis pag.340.a
laqueus nauticus quomodo debeat adhiberi. Oribaſius de laqueis pag.338.b
laqueus paſtoralis quomodo inijciatur. Oribaſius de laqueis pag.338.b
laqueus duos habens ſinus. Oribaſius de laqueis pag.340.
laqueus ὑπέρβατος. Oribaſ. de laq. pag.340.b
larigna 138.b
latera duo inſtrumenta 189.a
lemnium ſigillum 100.b
lepra 10.a
lepra 10.b
leproſorum examen innominati authoris pagina 391.a
lepus ſine auribus, vinc. cap. Galen. de faſcijs pag.324.a
lepus auritus vincul. Galen. de Faſcijs pag. 326.b
leuce 10.b
leucophlegmatia 35.a
leucophlegmatias hydrops 10.a
Lichen 10.a
lienis vitium 99.a
ligamentorum vulnera 83.b
ligamentorum vulnera tolerant valentiſſima remedia 84.a
ligandorum artuum ratio 115.a.b
ligatura quid 200.b
ligatura in vulneratis oſſibus 89.b
ligatura in lapidis veſic. inciſione, Mari. San. Barolit. lib. de veſic. extrahendo, capi.16. pag.190.a
lignum Guaiacum 108.a
lignum Indicum Mich. Ang. li. de orig. morb. Gall. pag.235.b
liquoris balſamitis Meſue dotes 69.a
linamenta, eorundemque vſus ac formandorum ratio 60.b
linimentum 33.a
linimentum mire roboratiuum totius corporis 222.a
linitionis modus 221.a
linteolum vulneri ſuperponendũ quantum eſſe debeat 253.b
linteum ſciſſum ad ſummum caput & in proximam regionem. Galen. de Faſcijs pag. 323.a
linteum ſciſſum ad totum caput. Galenus de faſcijs pag.323.a
linteum ſciſſum ad frontem & partes quæ iuxta ſunt. Galenus de faſcijs pag.323.a
linteum ſciſſum ad naſum. Galenus de faſcijs pag.327.b
linteum ad aures ſciſſum in quatuor partes. Galenus de faſcijs pag.329.a. partes ſex, ibidem.b
litharg. nutrita Raſis & Auicennæ. pagina 139.a
lixiuij, vini & aceti collatio 34.b
lixiuium ficulneum 142.b
Lotio cicatrizatiua 162.b
Lues Hiſpanica 11.b
lumbrici in roſaceo decocti 87.a
lupia 36.b
lupiæ curatio 39.a
lupinus 135.b
lupus morbus 36.b
lupus, laqueus. Oribaſ. de laqueis pag.339.a
luxatio quid & quæ eius differentiæ & quot modis oſſa luxentur. Tagaul. lib.5. capite.1. pag.121.a
de Luxationum cauſis et ſignis in vniuerſum. Tagaul. lib.5. cap.2. pag.121.b
de Luxationum iudicijs & prognoſticis. Tagaul. lib.5. cap.3. pag.122.a
luxatio capitis 121.b
luxatio maxillæ inferioris 121.a
luxatio vertebrarum ſpinæ 121.b
luxatio claniculæ 121.b
luxationis ſymptomata 121.a
luxationis curatio vniuerſalis. Tagaul. lib.5. cap.4. pag.122.b
luxata inſtaurandi recta methodus Ioannis Lang. pag.318.b
luxata quibus modis reſtituantur. Oribaſius de machinamentis pag.341.a
luxatorum victus 319.b
Lythargyrum 128.a

M

Macedonicum 133.a
malactica quomodo differant à pepticis pag. 132.b
malagmata & eorum natura 130.b
malicorium 101.a
maluæ 110.b
malum Punicum dulce 96.b
mandibulæ lucij 182.a

manna

manualis operatio in medicina 196.b
manus in quatuor partes luxatur 121.b
manus luxatæ reſtitutio. Oribaſius de machinamentis pag.348.b.355.b
in Manibus facinoroſorum hominum amputandis, quem morem obſeruent lictores Venetorum 268.b
mammæ vſus & vires poſt inciſionem 17.b
materia oſsium vitijs vtilis 144.b
maturatio quid 198.a
maturatiua 153.b
maturatiuum Auicennæ 23.a
maturitatis ſigna 152.b
maxillæ luxatæ reſtitutio. Oribaſius de machinamentis pag.354.b
maxilla inferior quî luxetur 121.a
Medicina quid 196.a.201.b
medicina eſt æquiuoca nominis ſignificatione non autem appellatione 196.b
medicæ artis primum opus eſſe, vt cognoſcas an ſperari poſsit quod deſtinas pag. 50.a
medicina eductiua quotuplex 201.b
medicina præcipiens 196.b
medicinæ πολύχρηστος 253.a
medicinæ inſtrumenta quæ 196.b
medicina chirurgica quid & quotuplex ibid.
medicus quid 196.a
medicus vnde dictus 196.a
medicorum denominationes 196.b
medicus chirurgus qualis 150.a
medici chirurgici proprium quid 202.b
medici opera quæ ſit 202.b
medici operatio vna eſt 150.a
de Medicis præſtantiſsimis, & eorum doctrina. Mich. Ang. Blond. pag.225.a
de Medici ſolertia Mich. Ang. pag.229.a
medico quædam negantur 276.a
medici nonnulli taxantur 259.b
medicaminum diſcrimen Mich. Ang. pag. 232.a
medicamentum Appollonij 47.a
medicamentum Bruni 83.b
medicamentum ex charta combuſta 105.b
medicamen cauſticum ex calce & ſapone pag.41.a
medicamentum ex Pompholyge 87.a
medicamentum Topica 81.b.83.a
medicamentum idem diuerſos ſcopos reſpicit pag.253.a
medicamenta abſceſſus maturantia 40.a
medicamenta per halitum digerentia pituitoſos abſceſſus 38.b
medicamenta acria 226.b.270.b
medicamenta adurentia 23.a
medicamentorum agglutinantium facultas pag.105.a
medicamenta vacuantia per aluum 38.b
medicamentum aridi proprium 304.a
medicamentum auertentia 81.a
medicamentum callos exterentia 108.a
medicamenta callum exterens & incarnans pag.109.
medicamentum carni producendæ idoneum pag.73.a
medicamenta carnem minuentia 75.b
medicamenta catharetica 75.a
medicamenta concoquentia, ſeu maturantia pag.33.a
medicina conſolidatiua quæ 202.b
medicamenta cutem rumpentia 262.b
medicamenta detergentia 16.a
medicamentum deterſorium 87.b
medicamenta epulotica 75.a
medicamentum epuloticorum finis pagina 106.a
medicamentum epuloticum mitiſsimum ac leniſsimum 101.b
medicamentum epuloticũ, imbecillius autem, quàm vt cacoëthe perſanet 101.b
medicament. eſcharam inducentia 163.a
medicamentum valde exedens abſque morſu pag.41.b
in Medicam. fortiorum vſu adhibendo, ægroti temperamentum conſyderand. & partis affectæ natura 266.a
medicamentum Oribaſij mollitorium ad ganglia 39.b
medicamenta incarnantia, glutinantia, conſolidantia, Iac. Don. libro de ſimplicibus medicament. cap.4. pag.106.a.389.b
medicamenta humectantia & lenientia 66.a
medicamenta acria humores attrahunt 266.b
medicamentum ad maximas hypoſarcoſeis 97.a
medicamẽta mordacia, & quid efficiũt 99.b
medicamẽ Barbarorum aduerſus morb. Gall. Mich. Ang. li. de orig. morb. Gall. pagina 237.b
medicam. neruis purgandis amicum 136.a
medicam. Galeni in curandis neruorum puncturis 58.b

medicam. neruorum vulneribus accommoda, qualia in vniuerſum eſſe debeant 86.b
medicamentum pus euocans 136.a
medicamenta putridis conſecrata 24.b
medicamenta refrigerantia 27.b
medicamenta repellentia 103.a
medicamenta repellentia propria 16.a. *repellentia communia* ibidem
medicamenta reſolutiua domeſtica, ſeu moderatè digerentia 77.b
medicamenta tendinibus detectis idonea 259.a
medicamenta ſimplicia ſanguinem reprimentia pag. 212.b
medicamentum Galeni ſanguinem ſupprimens pag. 83.b
medicamenta in extrinſecis & ignobilibus membris ſanguinem ſupprimentia. Alfonſus Ferrus de ſclopet. vulner. lib. 2. cap. 5. pag. 293.b
medicamenta ſarcotica 75.a
medicamentorum ſarcoticorum facultas pagina 106.a
medicamenta ſcirrhis accommoda 44.a
medicamentum Raſis ad ſcirrhos emolliendos & diſcutiendos 44.a
medicamen ex aqua conueniát ne ſectis partibus. Mich. Ang. pag. 226.b
medicamenta ſeptica 75.b
medicamenta ſiccantia 103.a
medicamenta deſiccantia, & qui illorum gradus in vulnerum curatione ſint ſtatuendi pag. 75.a
medicamentum Pauli Aegynetæ ad ſtrumas maturandas 40.b
medicam. dolorem vlceris remitteentia 267.a
medicam. mediocre ad moderatè maligna vlcera idoneum 101.b
medicamentum epuloticum optimum, calloſis, veteribus, et curatu difficilibus vlceribus apprimè idoneum 101.b
medicam. validius ad chironia vlcera 101.b
medicam. acria efficiũt vlcus depaſcens 270.b
medicamenta vrinam cientia 38.b
medicam. labijs vulneris adhibenda 261.b
medicamentum cruentis aptum vulneribus pag. 71.b
medicament. ex Pompholige præſtantiſſimum ad inflammationem in vulnere remouendam 255.a
medic. digerentia & dolorẽ lenientia in vuln. ſclop. Alf. Ferr. de ſclop. vuln. li. 2. capit. 7. pag. 294.b
medicam. venenum in vuln. ſclop. reprimẽtia Alf. Ferr. de ſclop. vuln. lib. 2. capite octauo cap. 295.a
medicam. locis vulne. ſclop. adiacentibus conuenientia, ad ſecuritatem abſceſſus Alfon. Ferr. de ſclop. vuln. li. 2. cap. 6. pag. 294.a
medicam. abſceſſibus & dolori in vuln. ſclop. ſubuenientia. Alf. Ferr. de ſclop. vuln. li. 2. cap. 14. pag. 196.b
medicamentum vnum idemq́; non poteſt omnibus corporibus mederi 100.a
medicamentum intẽperatum quomodo cognoſcatur 255.b
medicamentum frigido corrupti membri curatio 264.b
medulla 128.b. 131.a
medullæ 44.b
mel anacardinum 141.a
melancholia quid 203.b
melancholia naturalis 41.a
melancholia non naturalis & eius differentia 42.a
ex Melancholia quatuor fieri tumorum præter naturam differentia 42.b
meliceria 93.a
meliceris 37.a
meliceridis curatio 41.b
melinis vlceribus conferentia Iac. Don. lib. de ſimplic. medic. cap. 4. pag. 383.b
melicratum 105.b
melligo paſſæ vuæ 133.a
mellis virtutes 174.a
membrorũ motus tripliciter amittitur 277.b
membra quare et quomodo conforeentur pag. 198.b
membrorum in vulnerum curatione figurandorum ſcopi tres 260.a
membrorum à vuln. curatione contractorum curatio. Alfon. Ferr. de ſclop. vuln. li. 2. capit. 21. pag. 300.a
membri ſclop. aduſti curatio Alfonſ. Ferr. de ſclop. vuln. li. 1. cap. 3. pag. 288.b
membri propter frigidum medicamentum corrupti curatio 264.b
membri ex craſſis humoribus corrupti curatio pag. 264.b
membrum perfractum, prorſus immotum ſeruandum 115.a
membrum, in quo fractura cum vulnere fuerit, qua figura ſit collocandum pagina 260.a

membrum fractum cum vulnere non vniuerſum ligantes medicos damnat Hippocrates 260.b
membri cum fractura vulnerati faſciendi modus alter 261.b.
membrorum extenuatorum inſtauratio pag. 146.b
membrorum mortificatio 24.a
membri ſphacelo affecti & corrupti exciſio Bartholo. Mag. lib. de vuln. ſclop. curat. pag.267.a.
membrum, ſi de curatione deſperemus, excidendum eſt pag.267.a
membrum ſit nè in ſana parte, ac inter corruptam & ſanam partem præcidendum pag.268.a
membri ſectio & quid poſt ſectionem faciendum 267.b
membrum non ſemper in ſana parte præcidendum pag.268.a
membrum præciſum quomodo locandũ pag. 267.b
membri inciſione facta, quid faciendum tertia die 267.b
in Membris excidendis recentiorum medicorum modus damnatur 267.b
membrum ſyderatum confeſtim reſecandum pag.24.a
membri demorſi aut icti amputatio 80.b
mendicus lue venerea curatus 128.b
Menecratis accipiter, Galenus de faſcijs pag. 328.a
Menecriti vinculum ad partes extremas. Galen. de faſcijs pag.336.a
mentagra 11.b
Meſuæ aureum 137.b
metallica 137.a
metallicis lotis vti tutius eſt quàm non lotis pag.100.b
metallicorum combuſtorũ vſus ac vis 100.b
metallica tenuiora qua ratione trahant pag. 192.a
μιξοσυνκριτικά 141.a
Minium 135.b.142.b
miniſtri in lapide veſic. extrahendo, & eorum officium 190.b.191.a
miſy 100.b
mitridatum 67.b
Mnaſeæ ſecundi ordinis 131.b
Mechanica materia ad oſsium vita vtilis pag.144.b
mœroris incogniti, qui Gallico morbo contingit, remedium. Mich. Ang. lib. de orig. morb. Gall. pag.230.a
de mollientibus Hole. li.6. cap.4. pag.132.b
mollitina 152.a.154.b
in Mollientibus adhibendis leges 130.b
morbilli 11.a.29.a
morbi qui ex quibus ſuccis naſcantur Mich. Ang. de orig. morb. Gall. pag.234.a
morborum omnium qui adhuc in gignendo ſunt, duplicem eſſe indicationem 12.a
morborum differentiæ nouem 234.b
in Morbis plurima propter expectationem contingunt 53.b
in Morborum omnium curatione cauſa morbi prius inuenienda & auferenda pagina 263.a.268.b
morborum verus curator quis 50.a
in Morbis vires non eſſe augendas ſed duntaxat fouendas & ſeruandas 63.b
morbus ex canis rabioſi morſu qualis oriatur 78.b
morbus ex canis rabioſi morſu comparatus, nullum præſcriptum & conſtitutum tempus habet 78.b
morbus comitialis 65.b
morbus compoſitus 234.b
morbus Gall. Michaeli Angelo morbus compoſitus dictus 234.b
morbi Gallici origo Mich. Ang. li. de morbi Gall. orig. pag.234.a.b.&c.
morbi Gall. curatio ſecundum Hippocratem & Galenum Mich. Ang. li. de orig. morb. Gall. pag.235.a
morbi Gall. remedia Auguſt. Niphi. Mich. Angel. libro de orig. morbi Gallici pagina. 237.b
morbi Gall. remedium familiare Mich. Ang. li. de orig. morb. Gall. ibid.
morbi Gall. medicam. præſtãtiſſ. Mich. Ang. li. de morb. Gall. 238.a
morbus Neapolitanus 11.b
morbus Venereus 11.b
mors homini triduo appetenda 121.b
mors præſtrenua 121.b
morſus ferè omnis quoddam habet virus pag. 61.a.78.a
morſus oris ventriculi conuulſionem excitat pag.67.b
morſus vel ictus venenatorum 67.b
morſus rabioſi canis probatio ex Orib. 79.a

morſuum ac punctuum venenatorum nota pag.78.b
morſus ac punctus animalium venenati, non venenati 78.a
morſus venenati & non venenati in quibus conueniant, & differant 78.a
morſus canis rabioſi per initia nihil moleſtiæ affert præterquàm ex vulnere dolorem pagina.78.b
morſuum venenatorum communis curatio pag.79.b
morſibus venenatis primis ſtatim diebus adhenda medicamenta, poſtmodum enim fruſtra adhiberi 79.b
morſui canis rabioſi ſal optimum eſt medicamentum 79.b
ad Morſus & ictus venenatos magnos & uehementes medicamentum 80.a
morſus à vipera vinitor ſibi digitum amputauit pag.78.b
mortificatio membrorum 24.a
motus membrorũ tripliciter amittitur 277.b
motus membri propter vulnus aut corruptionem amiſſus, non reſtituitur 277.b
motus ex duritie cicatricis vel ex humore exiccato amiſſus, reſtitui poteſt, & quibus medicamentis 277.b
Mulierum vlceribus conferentia Iac. Dou. li. de ſimpl. medic. cap.4. pag.383.b
mulſum 105.b
mundificatiuum remedium 157.b
mundificatiuum ex apio 23.a
muſæ Trochiſcus 23.b
muſculi temporalis propago 316.b
muſcus 146.a
Mylites lapis 45.a
myrmecia 10.a.30.a
myrrha 89.a

N

Nata vel Napta 10.a.37.a
natura Pronœa potius chirurgos quàm epicurea dicenda eſt 126.a
natura tripliciter operatur in chirurgia, pagina 50.a
naturæ fertilitas in chirurgorum materia pagina 126.a
natura nuſquam magis luxuriat quàm in rebus chirurgicis 126.a
naturæ quædam negantur 276.a
non Naturales res 19.a
nauicula vincul. Galen. de faſcÿs pag.326.a
nauticus laqueus 338.b
Neapolitanus morbus 11.b
necepſonis è cupreſſo 129.a
nepotes quare auis & non parentibus aliquando aſsimilentur 316.a
neruoſarum partium natura eſt vt multa excrementa emittant 275.b
nerui caſim vulnerati 86.a
nerui per tranſuerſum caſi 86.a
neruorum contuſio 87.b
nerui diuiſi interdum coẽunt 54.a
neruorũ diſtentio & conuulſio in vuln. ſclop. & quomodo miranda. Alſ. Ferr. de ſclop. vuln. li.2. cap.17. pag.298.a
nerui nudati curatio 87.a
neruus nudatus vehementem medicamenti uim ferre nequit 87.a
neruo nudato nihil acre, nihil frigidum admouendum 87.b
neruo vulnerato & nudato, oleum non imponendum 87.b
neruis punctis frigidum aduerſatur 85.b
neruis purgandis medicamẽtum amicum, pagina 136.a
de Neruis ſectis Mich. Ang. pag.232.b
neruorum vulnera & quomodo curanda pagina 84.b
nerui ac tendines quibus remed. à putredine ſeruentur Alſ. Ferr. de ſclop. vuln. li.2. capit.15. pag.297.a
neruoſis partibus vulneratis robur addens medicamentum 275.b
neruis vulneratis aqua calida infeſtiſsima, pagina 85.a
Nigrum ex litharg. & oxelæo 140.a
nigrum Aſclep. 146.a
nigrum Moſchionis 146.a
Nilei plinthium. Oribaſius de machinamentis pag.343.b
nitri loco fæx cremata vini vel aceti pagina 128.b
nitrum putredinibus reſiſtit 304.a
de Nodis Tagaul. lib.1. cap.13 pag.36.a
nodi Auicennæ 38.b
nodis, ac nodoſitatibus conferentia Iaco. Don. li. de ſimpl. medic. cap.1. 369.b
nodi Herculei ratio. Oribaſius de Laqueis pag.339. a
nodus ſimplex. Oribaſ. de Laqueis pag.335.a

nome vlceris affectus 94.a
νομὴ vulnus depaſcens 270.a
nominibus parum videndum 10.b
de Nominibus non eſſe contendendum 92.a
nouacula 187.b
Nucis auellanæ medulla carbunculos maturat 22.b
nux rancida 130.a
Nymphodori gloſſocomum. Oribaſius de machinamentis pag.349.

O

Oculi diſciſsi viſu illæſo curatio Ioann. Lang. pag.315.a
oculus ſimplex, vel tenue vinculum ocularium. Gal. de faſcijs pag.326.b
oculus duplex vincul. Galenus de faſcijs pag.326.a
oculus rectus vincul. Galenus de faſcijs pag.327.a
de Oedemate & tumoribus frigidis, pituitoſis, & flatuoſis. Tagau. lib.1. cap.it.10. pag.31.b
de œdemate. Bartholom. Magg. lib. de vulne. ſclop. curatio. pag.275.b
œdematis definitio 31.b.275.b
œdematis cauſæ 32.a
œdematis ſigna, indicia 32.a.275.b
œdematis ſpecies 31.b
œdematis & inflationis differentia 33.b
œdema ſæpe accidit vulneri 275.b
œdematis curatio 32.a.275.b
œdematis curandi capita 33.b
œnelæum 145.b
œſipus 34.b
Olea 143.a
oleorum ratio 127.b
olea factitia 127.b
oleum ſabinum 44.b.85.b
oleum ex cera quomodo paretur 277.b
oleum liliorum cum croco 130.a
oleum melinum 103.b
oleum myrteum 103.b
olea ex reſinis 129.a
oleum ricininum 44.b
oleum è floribus roriſmarini 143.b
oleum terebinthinum 143.b
oleum adeps 40. annorum 102.a
oleo venam incidendam veteres inunxerunt pag.315.b
oleum vulnerum dolorem ſedat 253.a
oleum ex cera durities emollit, & cicatrices pulchras reddit 277.b
olea ad trahendum commoda 129.a
olea refrigerantia & aſtringentia 103.b
olea anodyna quæ refrigerant 143.a
olea ecſilotica 142.a
olea malactica 130.b
oleum nudato & vulnerato neruo non imponendum 87.b
olei vulneribus contuſis ſalubris deſcriptio pag.252.a
Omen cuiuſdam medici fabuloſum 61.b
ὠμὴ λύσις 28.a
omphacium 127.b
Operculum ſciſſum in partes octo, ad caput. Gal. de faſcijs pag.323.b
operculum ex faſcia lata trium capitum. Galen. de faſcijs pag.323.b
oppilantia 127.b
opponere quid 173.b
Organa chirurgica ex qua materia ſtruātur. Oribaſius de machinamentis pagina 341.a.b
organorum chirurg. partes, earumque vſus. Oribaſius de machinamentis pag.341.b
organorum chirurg. differentiæ. Oribaſius de machinamentis pag.341.a
organa tractoria & illorum motus. Oribaſius de machinamentis pag.344.a
organum Fabri. Oribaſius de machinamentis pag.351.b
oris odor grauis & eius remediū Mich. Angeli. de orig. morb. Gall. pag.238.a
oris ſuctio 79.b
Os 303.b
oſſa carnis ſunt fulcimenta 279.a
quæ Oſſa inter ſe dehiſcant 121.a
oſſa humani corporis parte anteriori expreſſa pag.124.b
oſsis abſceſſuri notæ 261.a.b
oſsis in ſuperficie alterati notæ 278.a
os alteratum ſi ſcalpello nequit remoueri terebro vtendum 278.b
oſsis carie affecti cognitio 278.a
oſſa carne cooperientia remed. Iaco. Don. lib. de ſimpl. medic. cap.2. pag.375.a
os comminutum & à ſede propria remotum, quibus notis cognoſcatur 260.a
oſsibus conuulſis, & ruptis conferentia Iaco. Don. li. de ſimpl. medic. cap.2. pag.274.b

os corruptum 167.a
oſſa quibus corrumpi & alterari poſſint pag. 278.a
oſſium corruptorum curatio. Angel. Bolog. de curatione vlcerum exter. lib.2. cap.17. pag.215.b
oſſa non corrumpuntur aliúque contuſione et colliſione 260.b
os corruptum quam diu abradendum 278.b
oſſibus corruptis conferentia Iac. Don. lib.de ſimpl.medic.capit.2. pag.375.b
de oſſe detecto & corrupto Barthol. Magg. li.de vuln.ſclop.curat. pag.278.a
oſſi detecto filamenta ſicca imponenda pag. 261.b
oſſa circumquaq; carne denudata, rurſus carne contegi non poſſunt 279.b
oſſium contuſionibus, luxationibus, fracturis conferentia Iac. Don. lib. de ſimplic. medic. cap.2. pag.374.b
oſſis fracti in capite, ſigna 173.b
os non ſolum in ea parte, quam globulus percuſſerit, ſed in alia quoque parte frangi poſſe 259.a
os totum eſſe fractum primis diebus non facile cognoſcitur 359.a
oſſa fracta, ſi fieri poteſt, componenda ſunt pag.260.a
os fractum quare non coaleſcat 53.b
quorum Oſſa non coaleſcere poſſunt, & quorum poſſunt 114.a
oſſa puerorum fracta coaleſcunt pag.54.a 88.a
oſſium fractorum euulſio à Galeno prohibetur 259.b
oſſium fragmenta educentia remedia Iacob. Don. lib. de ſimplic. medic. capite. 2. pag. 375.b
oſſa fracta reſtaurantia remedia Iac. Don. li. de ſimplic. medic. cap.2. pag.375.a
oſſis fracti aut reducti rectus ſitus 319.a
oſſis fracti rectè commiſſi notæ 113.b
oſſibus fractis denuò cōpoſitis & in propria ſede collocatis, quod nam medicamentum ſit membro imponendum 260.a
os tranſuerſum fractum, & corruptum ſerra diſſecandum 279.b
quæ Oſſa propriè luxentur 121.a
oſſa luxata in ſede propria, ſi fieri poteſt, ſunt reponenda 260.a
os ſi ad medullā vſq; ſit læſum, quid faciendū 279.a
ex Oſſe pungente, quomodo cognoſcatur dolor, & remittatur 262.a
oſſis diſſecti contegendi ratio 268.b
oſſium ſquamma, quibus remedijs facile excidant cap.98.b
ad Oſſium deſquammationem puluis idoneus pag.279.a
oſſium ſyderatio 23.b
oſſis vitiati notæ 98.b
oſſis in vniuerſum vitiati notæ 279.a
oſſium vulneratorum curatio 88.b
oſſa in vuln. ſclop. Alf. Ferr. de ſclop. vuln. li. 2. cap.20. pag.299.b
de Oſſium vitijs curandis. Hole. lib.6. cap.14. pag.144.b
oſſibus celeriter medicandum 144.b
oſſibus oleum aduerſatur, & quare pagin. 261.b
os, quando totum excidendum 279.a
os eodem tempore detegendum & diſſecandū 279.b
oſſium extirpatio quando magis cauenda pagin.259.b
oſſa quando euellenda 259.b
oſſa forcipibús ne vel volſella extrahēda ſint videndum pag.259.b
oſtrea viua 129.a
oſtreum quid 205.a
oſtracodermorum teſtæ combuſtæ 101.a
oſtracatæ, ſeu calloſæ & duræ carnis curatio Ang. Bolog. de curat. vlcer. exterum lib. 2. capit.11. pag.213.a
oſtracoſorum labiorum vlceris curatio pag. 164.b
oſtracatis vlceribus conferentia, Iaco. Don. lib. de ſimpl. medic. cap.4. pag.387.b
Oui albumen vulneribus contuſis maximè commodum 249.a
oui candidum cum roſaceo 145.b
oui candidum quare vulneribus admoueatur pag.71.a
ὀξάλμη fit ex aceto & ſale 43.b
oxelæum 86.b
oxycraton 19.b
oxymeli 105.b

P

Palma habena vincul. Gal. de faſc. pag.336.b
palmus, tremulus in muſculis & alys membris motus 315.b

palmus

palmus cordis ibidem
παλμὸς 315.b
panalithes 146.a
panis optimus 43.b
papula Celſi 11.a
papularum eruptiones 29.a
papulis ſecundum plurimum conferentia Iac. Don. libro de ſimplicibus medicament. capit. 1. pag. 368.a
paralyſis deffinitio 68.a.202.a
paralyſis cauſæ 68.a.202.a
paralyſis ſigna, notæ, & iudicia 68.a
paralyſis à ſyderatione quid differat 263.a
paralyſis ſpecies 202.a
paralyſis vniuerſalis 68.a
paralyſis particularis 68.a
paralyſis affectus conuulſioni cõtrarius 68.a
de Paralyſi ex vulnere 68.a
paralyſis ex quibus uulneribus excitetur pagin. 68.a
paralyſis ex vulnere curatio 69.a
pararthrema 12:.a
παρηγορικὰ 143.a
paracheteuſis 81.b
παρωμία 74.b
πάρυγρον 131.b
paſtilli & eorum vſus 87.b.144.a
paſtilli cauſtici 102.b
paſtilli ex charabe 302.b
paſtilli Fauſtini 97.a
paſtilli Ioannis de Vigo præſtantiſſimi 283.b
paſtillus polyidæ ſphragis 23.b
paſtilli ex ſtella 303.a
paſtilli ex terra ſigillata 302.b
paſtoralis laqueus 338.b
Pecten ſeu vinculum ſuſpendens ad colem Galen. de faſcijs pag. 334.b
pecten, ſeu vincul. ſciſſum ex faſcia ac zona Galen. de faſcijs pag. 334.b
pectinis dolor & eius remotio 182.a
pellis membro affecto ſubſtrata prodeſt pag. 260.b
penicilla 60.b
penicilli in vulnere relicti 275.a
percuſſioni conferentia Iac. Don. li. de ſimpl. medic. cap. 2. pag. 373.b
perfuſiones 145.b
Periculi nomen quid Hyppocrati in vulnerib. ſignificet 51.a
Perigenis galea gladiatoria vincul Galen. de faſcijs pag. 316.b
Phæa emplaſtra 106.a
phagedena 26.a
phagedena vlceris ſpecies 94.a
phaleræ vallum, Galen. de faſcijs pag. 328.b
pharmacum quid 201.b
pharmacum vehemens & mitigatorium ad vlcera cacoëthe, Adromachi 102.a
phlegma quid 203.b
phlegmone & illius generatio 15.b
de Phlegmone vera Tagaul. libro primo cap. 6. pag. 17.b
phlegmones cauſa 18.a
phlegmones ſpecies 18.a
phlegmone eryſipelatodes 25.b
phlegmones ſigna 18.a
phlegmones iudicia 18.a
ad Phlegmonen pertinentes tumores 9.b
phlegmones tempora 18.b
phlegmones dolor, quibus remedijs leniatur pag. 21.a
phlegmone quibus ſit vrenda 20.b
phlegmones ex defluxione concitatæ curatio pag. 18.b
phlegmoni fracturis ſuperuenienti quibus medicamentis occurri poſſit 262.a
phlegmonis ſcroti curandæ ratio Alfon. Ferr. li. de carunc. cap. 11. pag. 310.a
phlebotomia 143.b.144.a
phlebotomia quid 201.a
phlebotomia quotuplex 201.b
phlebotomia cur fiat 201.b
in phlebotomia chirurgus nihil attentare debet citra periti alicuius medici cõſiliũ 27.b
phlebotomia in capite curando 173.b
phlebotomati cur à chirurgis ſanguinem bibere cogantur, Ioann. Lang. pag. 315.a
phlebotomum 201.a
phlyctænæ 35.a
phœnigmus 141.a
Picatum ceratum 132.b
piloſella 395.b
pilus 303.b
pituita quid 31.b
pituita in humorum generatione ſanguini proxima 25.b
pix 132.b.137.a
pix liquida 86.b
pix ſecundum caloris gradum excedit 252.b
plagis conferentia Iac. Don. li. de ſimpl. medic. cap. 3. pag. 376.b
planta noctis 11.a

platyſma 101.b
in Pleuilunio omnium humiditatũ fit augmentum 275.a
plethora 99.a
plethora quid 16.a
plinthium Nilei Oribaſius de machinamentis pag.343.
plinthij,ſeu quadruplex circulus, Oribaſius de laqueis. pag.339.b
plumbi natura 304.a
plumbi vis mirabilis in cancroſis tumoribus 47.a
plumbum cum carne hominis aliquam ſimilitudinem an habeat 304.a
plumbum per annos triginta in corpore retentum ſine dolore 275.a
plumbum combuſtum 101.a
plumbi ſcoria 101.a
plumbea lamina 39.a.103.a.110.a.138.b
plumbeum verticillum 39.b
Poli 185.b
πολύχρηστα medicina 253.a
polyide ſphragis paſtillus 23.b
porcelliones 182.a
porra 10.a.30.a
porus ſarcoides 53.b
poſca 30.a.95.b
poſca aquoſa 33.a
potio quid 196.b
potiones fiſtulis idoneæ 107.b
potio Guidonis urinam ciens in abſceſsibus pituitoſis 38.b
de Potionibus quæ vulneratis exhiberi ſolent 62.b
Præcipitatus puluis 169.a
praxis communis in curando vulnere 74.b
prohibens quid 204.b
propellere quid 198.b
propolis 86.b.128.b
propulſiuum quid 198.b
protractio rei agendæ,in ſequentem diem uetatur 257.b
pruritus à quibus colligatur, & quibus medicinis ſanetur 262.a
pruritus fracturæ ſymptoma 117.b
prurigo ſine vlceribus qua ratione remoueatur 269.a
pſera 10.a
pſora 10.b
pſoricum 129.a
pſydraces 11.a
pſylli 23.a
πτύγματα 141.a
pudendi vlcera 136.b
puella pugno ad tempora cæſa facta epilectica 316.b
pueri quare non caleſcant 316
pumex 137.a
punctura nerui & tendonis 52.b
in Punctura nerui vulnus diu apertum ſeruãdum eſt 84.b
puncturam nerui ſymptomata comitantia pagin.84.b
puncti nerui curatio 84.b
puluilli,eorundemq; vſus, & conficiendorum modus 60.b.83.a
puluilli vnde dicti 60.b
puluillorum materia 60.b
puluiſculi quomodo parandi 137.b
puluis Auicennæ 83.b
puluis capitalis 172.b.174.b
puluis carnem à putrefactione vindicans pagin.253.b
puluis ad carnem vuctuoſam remouendam è vulnere 157.b
puluis combuſti chalcanthi 267.b
puluis cicatrices inducens Galenus 5. catag. 283.a
puluis cicatrizatiuus 162.b
puluis corroſiuus 164.b.165.a
puluis epuloticus 139.a
puluis exiccatorius 103.a
puluis Oct.ad fiſtulas 136.a
puluis incarnatiuus 160.b.163.b
puluis pretioſiſsimus pro curando lapide pag. 181.b
puluis optimus 72.a
puluis ad oſsium deſquammationem idoneus pag.279.a
puluis præcipitatus 169.a
puluis Raſis 137.b
puluis ruber 140.b
puluis rubeus & eius conficiendi modus pag. 169.b
puluis ſclop.ac tormentorum Alf.Ferr. in coroll. pag.304.a.&c.
puluis ſclop.ac tormentorũ veneno non caret 205.a
puluerem ſclop.venenoſum eſſe Alfo.Ferr.de ſclop.vuln.li.1.cap.4.pag.288.b
pulueris ſclopetarij granula carni infixa,quibus modis remoueantur Bartholo.Magg.

li.2.cap.9. pag.295.a
ſaniei ſubtilis curatio Ang. Bolog.de curat.vlcerum exter.li.2.cap.3. pag.209.
ſanitatem retardantes cauſæ Mich.Ang.pag.232.a
ſapa 34.b
de Sarcoticis Hole.libro ſexto capite octauo, pag.136.a
ſarcotica 75.a.281.b
ſarcotica improprie 136.b
ſarcotica mixta 137.b
ſarcotica medicamenta qualia eſſe debeant 254.b.255.a.278.b
ſarcotica antequam admoneantur, quid ſit cõſyderandum 255.a
ſarcoticum immodice exiccans quibus notis dignoſcatur 255.a
ſarcotica nõ æquè in corporibus omnibus carnem generant 255.a
ſarcotici medicament. imbecillitatem indicantes notæ 255.a
ſarcotici imbecillioris & acrioris ſigna pag.136.b
Sçabies 10.b
ſcabiei curandæ nobile vnguentum 170.a
ſcabioſa 23.a
ſcala præparata ad humerum reſtituendum in alam prolapſum. Oribaſius de machinamentis pag.344.a
ſcamnum Hippocr. Oribaſius de machinam. pag.354.a
ſcapha vinc.ad caluariam Galen. de faſcijs pag.324.a
ſcarificatio 19.a.143.b
ſcarificatio Auicennæ 97.b
σκελετὸς ſiue oſſa humani corporis expreſſa ab anteriori parte 124.b. à tergo 125.a. à latere 125.b
σκεπάσμα Galenus de faſcijs pag.323.b
ad Scere vel Scyre ſecundum plurimum conferentia Iac.Don.li.de ſimpl.medic. cap.1. pag.365.b
ſcientia quid 196.a
ſcirrhus 147.a
ſcirrhus proprie dictus quid 43.a
ſcirrhi genera 130.b
ſcirrhus duplex 42.a
ſcirrhus cancroſus 43.a
ſcirrhus cancroſus irritatur malacticis pag.130.b
ſcirrhus phlegmonodes, œdematodes, eryſipelatodes pag.42.b
ſcirrhus verus non exquiſitus 42.b
ſcirrhus exquiſitus 43.a
ſcirrhus exquiſitus curationem non admittit pag.44.b
ſcirrhi legitimi cauſæ, ſigna, indicia 43.a
ſcirrhi veri ac legitimi non tamen exquiſiti et in tophaceam duritiem omnino inſenſibibilem concreti, curatio 43.a
ſcirrhi illegitimi non exquiſiti generatio, ſigna, indicia 44.a. eiuſdem curatio ibidẽ. b
ſcirrhi incurabiles 44.b
ſcirrhus deſperatus 130.b
ad Scirrhos emolliendos & diſcutiendos medicamentum Raſis 44.a
ſcirrhoſorum tumorum curandorum capita pag.45.a
ſciſſuræ capitis 173.a
σκληρὸς ἀκριβὴς 43.a
ſclop.pulnis Alfonſus Ferrus in Coroll.pagin. 304.a. &c.
ſclop.puluerem venenoſum eſſe Alfon.Ferr.de ſclop.vuln.li.1.cap.4. pag.288.b
ſclopomacherion 31.a
ſcopuli 11.a
ſcoria plumbi 101.a
ſcorpio 129.a
ſcorpionis ictus 78.b
ſcroffulæ 10.a.36.b
ſcroffulis & ſtrumis eorum conferentia Iaco. Don.li.de ſimpl.medic.cap.1. pag.369.b
ſcroti abſceſſus, eryſipelat. phlegmon & eorum curand. ratio Alf. Ferr.li.de carun. cap.11. pag.310.a
Sebum 131.a
ſectarum partium prognoſtica Mich. Ang. pag.229.b
ſectio membri & quid poſt eam faciendum pag.267.b
ſectio in ſuppuratis bubonibus cur fiat per tranſuerſum 17.a
ſectio, in parte ſana facta, quibus in locis periculoſa 267.b
ſectiouum amplarum noxæ 17.a
ſedum tertium 396.a
ſemirhombus vincul. cap.Gal.de faſcijs pag.324.a
ſenum et corporum durorum vlceribus conferentia Iac.Don.lib.de ſimplic.medi. capite 4. 383.b
ſeptica medicamenta 75.b.141.b

ſeptica recentiorum 142.a
ſepticum mirabile ad cutem carnemq́; ſine diſſecandam 274.a
ſepticum medicamentum ad ſinus aperiendos aptum 273.b.274.a
ſerpentum ac viperarum vſus in curandis ſtrumis mirus 40.a
ſerpiginis, ſeu pruriginis, in circuitu vlceris contingentis curatio Ang. Bolog. de curat. vlcerum exter. li.2.cap.14. pag.214.a
ſeua 44.b
Siccum à ſtyptico quomodo differat pagina 198.b
de Sigillantibus Mich. Ang. pag.231.b
ſigillum Lemnium 100.b
ſigna zodiaci 186.a
ſimplicia ſunt regula compoſitorum pagina 36.a
ſimplex nodus. Oribaſius de laqueis pag.339.a
ſimplex charcheſius. Oribaſius de laq. pagina 339.a. duplex ibidem.b
ſinapiſmus 141.a
ſinus propriè quid in chirurgia 107.a
ſinus degenerat in fiſtulam 107.a
ſinus quibus liquoribus abluendus 105.b
ſinus nondum adhuc calloſi curatio 104.b
ſinus & eius curandi ratio Tagau. li.3.cap.1°. pag.104.a.b. &c.
ſinus curatio 272.b
ſiraon 131.a
Solani ſuccus 47.a.110.a
ſolani proprietas 199.a
ſolutionem conſolidare quid 167.b
ſordities quid 169.a.204.a
ſordes vlceris & uulneris excrementum pag. 73.a
ſory 100.b
Soſtrati vinculum rectum ad alam et pectus Gal. de faſcijs pag.331.b
Toſtrati parua ara, vincul. Gal. de faſc. pag. 333.a
Soſtrati κεραὺνι@, vincul. Galen. de faſcijs pag.333.a
Soſtrati paruum templum, vincul. Galen. de faſcijs pag.333.a
Sparadrapum 146.b
ſparadrapum heriſipellæ 172.b
ſpaſmi deffinitio 64.b.202.a
ſpaſmi cauſæ 202.a.64.a.65.a
ſpaſmi materia 202.a
ſpaſmi genera 65.b.202.a
ſpaſmus ab epilepſia quid differat 65.b
ſpaſmi ſigna 65.b.66.a
ſpaſmus quibus modis fiat 64.65.a
ſpaſmus quomodo fiat Galeno 64.b
de Spaſmo vulneri accidente 64.b
ſpaſmi ex vulnere cauſa 52.b
ſpaſmus ex vulnere crebro letalis 52.b
ſpaſmi curandi methodus 66.a
ſpaſmi et compatiendi ſocietate curatio 67.b
ſpaſmi ex plenitudine curatio 66.b
in Spaſmo omni cerebrum eſt roborandum pagina 67.b
ſpatulæ forma depicta 286.b
Specillum in ſinum immittẽdum quale eſſe debeat pag.105.b
ſperma quid 315.b
ſpermatis pererudita Zenonis Stoici definitio pag. 316.a
ſpermatis vaſa 316.a
ſphacelus 22.a.23.b
ſphacelos quid 204.b
ſphacelus quid Galen. 263.a
ſphaceli ſigna, iudicia 24.a
ſphaceli ex gangræna creati extirpatio pag. 24.a
ſpica Glaucij Galen. de faſcijs pag.330.a
ſpica duplex, vincul. Galen. de faſcijs pagina 331.b
ſpina dorſi veluti carina nauis 69.b
ſpinæ ex punctura dolori conferentia Iacob. Don. libro de ſimplic. medic. capite tertio pag.379.b
ſpina luxatæ reſtitutio. Oribaſius de machinamentis pag.348.b.355.b
ſplenes magnorum abſceſſuum 145.a
ſpongia 144.a
ſpongiæ vſum in dilatandis vlceribus quæ ſequantur incommoda 278.b
ſpongia in curandis ſinuoſis vlceribus qualis eſſe debeat 107.a
ſpongia lixiuio imbuta 33.a
Squamma æris 101.a
ſquamma ferri 101.a
ſquammas detrahentia 145.a
Steatomata 37.a
ſteatomatis curatio 41.b
ſtella, vincul. Gal. de faſcijs pag.332.a
ſtella, vinculum à poſteriori parte ſe oſtendens. Gal. de faſcijs pag.332.
ſtercus bubulum 31.a
ſtercus caprillum vetus 39.b

ſtibi vel ſtibium 100.b
ſtiptica corroborant 251.b
ſtrangulans laqueus. Oribaſ. de laqueis pag. 340.b
ſtrigmenta gymnaſiorum 44.b
Struma 10.a
de Strumis Tagaul. libro primo capit. 13. pag. 36.a
ſtruma Cornelij Celſi 36.b
ſtrumas incidendi & euellendi modus ex Albucaſi & Leonida 40.b
ſtrumas curare Galliarum & Angliæ regibus diuino quodam munere datum pagina 38.b
ad Strumas maturandas Pauli Ægynetæ medicamentum 40.b
ſtruma incidenda ſi vena annexa ſit, quid faciendum 41.a
ſtruma ligatura & euulſio 41.b
ſtupa arida 76.b
Succi qui propter humores dicantur 12.b
ſuccorum diſcrimen oppugnantia vniuerſalia Mich. Ang. lib. de orig. morb. Gall. pagina 237.a
ſuccorum vſus 127.b
ſuccus apij 169.a
ſuccus cynogloſſæ 169.a
ſuccus ſolani 47.a.110.a
ſucci ex quibus morbi naſcuntur Mich. Ang. de orig. morb. Gallici pag. 234.a
ſuccio oris 79.b
ſudamina 11.a
ſuilli adipis mira vis 131.a
ſulphur 130.a
ſumach 29.b
ſuperfluitates duæ ſemper à corpore reſoluuntur pag. 254.a
de Suppurantibus Holer. libro ſexto capite 5. pag. 132.a
ſuppurationib. conferentia Iac. Don. li. de ſimplic. medic. cap. 1. pag. 366.b
ſutura quid 200.b
ſutura quibus in partibus corporis conueniat 140.a
ſutura ſanguinem coërcens 81.b
ſutura neruos caueat 157.b
ſutura in neruis tranſuerſum cæſis cur altæ eſſe debeant 87.a
ſutura vulnerum 59.b
ſutura in vulneribus ratio 156.b
ſuturam quæ vulnera, & quando dedignentur pag. 156.b
ſutura vulneri remouendæ tempus & modus pag. 60.b
Syderatio 23.b
ſyderatio à paralyſi in quo differat 263.a
ſyderatio imperfecta quomodo curetur 263.a
ſyderatio ob medicam. non opportuno tempore admota, vel non valida 265.b
ſyderatio abſque membri amputatione non curatur niſi cum adhuc perfecta non eſt pag. 263.a
ſyderatum membrum confeſtim reſecandum pag. 24.a
ſymphyton 83.b
ſymptomata vlceris 91.b
ſymptomata fracturam comitantia 116.a
ſymptomata vulneribus accidentia 158.b
ſymptomata quæ vulneratis accidunt 63.b
ſymptomata interdum vulnerum curationem peruertunt 63.b
ſyncope quid 60.b.202.b
ſyncope quibus remedijs anteuertatur & curetur 50.a.69.b
ſyncope proximè inſtantis nota 69.b
ſyncope ex vulnere 69.b
ſyncope in vulneribus vnde 69.b
ſyncope parua mors 69.b
ſynereſis quid 206.a
ſyraon 133.a
ſyringa 187.a
ſyrion 133.a
ſyrupus 185.a
ſyrupus longus 182.b

T

Tali luxati reſtitutio. Oribaſius de machina. pag. 349.b.358.a
talpa 10.a.37.a
Telorum differentia ſex 55.a
tela ſpiculata & eorum diſcrimina 55.a
telorum omnia genera qua ratione è corpore extrahenda. Tagaul. libro 2. cap. 4. per totum pag. 55.
tela extrahendi modus duplex 55.b
in Telis extrahendis conſilium Celſi. pagina 56.a
in Telis extrahendis communia quædam ſedulo obſeruanda 55.b
telephium herba 396.a
telephia vlcera 395.a

temporum arteriæ ſoporales 316.b
temporum venæ iugulares 316.b
temporum vulnera quare periculoſa Ioann. Lang. pag.315.b
temporalis muſculi propago 316.b
temperatura cuiuſq; membri particularis in medicament. applicandis conſyderanda eſt pag.273.b
temperatura totius corporis in omnibus medicam. adhibendis conſyderanda 273.b
tendinibus detectis medicam. idonea pagina 259.a
tendonum & ligamentorum ſcirrhoſorum curatio pag.45.a
tente cannulæ 61.a
terra eretrias 98.b
terebelli chirurgici forma picta 284.a
terebinthinæ vſus in vulneribus 252.b
terlinum, inſtrumentum vrinæ producendæ idoneum pag.182.b
terminthi 11.b
teſtudo 10.a.37.a
teſtudo, vincul. Gal. de faſcijs pag.337.a
tetrapharmacum 16.b.97.a.133.a.137.b
Thais vinc. ſine authore. Gal. de faſcijs pag. 624.b.325.a
thais Perigenis vinc. ad caluariam. Galen. de faſcijs pag.324.a.b
thapſia 128.b
Themiſon ab hydrophobia liberatus 79.a
theriace 23.b.35.a.67.b.137.b.180.b
thermarum feruor & eius cauſæ veriſsimæ 318.b
thermæ HELVETIORVM pagina 318.a
tholus Dioclis, ſeu Glaucij, vincul. ad caluariam Gal. de faſcijs 324.a.b
thorax Amintæ vincul. Gal. de faſcijs pagina 332.a
thus 136.b
thuris in quibuſdam vulneribus carnis producendæ vis 73.b
thymion 10.a.30.b
thymia in obſcœnis peſsima 30.b
Topica remedia 81.b
topica eryſip. conuenientia frigida eſſe debent pag.269.b
tormenta igne eiaculatoria 311.b
tormentorum puluis Alfon. Ferr. in Coroll. pag.304.a.&c.
Trahentia aduentitio calore 128.b
trahentia occulta qualitate 129.a
tribuli 182.a
trigener 137.b
triſpaſtum Apellidis ſeu Archimedis. Oribaſius de machinamentis pag.350.b
trochiſci 170.a
trochiſcus Andronis 23.b
trochiſci de Arſenico 142.b
trochiſci aſphodelorum 108.b
trochiſci è calce 142.a
trochiſci cauſtici 24.b
trochiſcorum Ioannis de Vigo deſcriptio pag. 276.b
trochiſcus Muſæ 23.b
tropici 185.b
Tumefactio parua in vulnere ſignum bonum 156.a
tumorum noua quadam apud recentiores medicos nomina 10.a
tumores aquoſi 35.a. eorũ cauſæ 35.b. notæ, iudicia, curatio ibidem
tumoris aquoſi curandi capita 36.a
tumores à bile creati 25.b
tumores calidi 9.a
tumoris cancroſi deſcriptio 45.b
de Tumore cancroſo quem vulgò cancrum apoſtematoſum vocant Tagault. li.1. cap.15. pag.45.b
tumor cancroſus cur cancri nomen ſortitus ſit pag.45.b
tumor crudus qui dicatur Hippocrati pagina 84.a
tumores complicati pag.9.b
tumores eryſipelatoſi 9.b
tumores qui cum eryſipelate ſocietatem habent pag.28.b
de Tumoribus flatuoſis Tagaul. li.1. ca.10. pagina 31.b
tumores flatulenti & eorum curatio pagina 34.a
tumorum flatulentorum curandorum capita pagina 35.a
tumores frigidi 9.b
de Tumoribus frigidis Tagaul. lib.1. capite 10. pag.31.b
in curãdis Tumoribus qui ex humorum influxu fiunt, tres ſunt ſcopi 15.b.16.a
de Tumoribus in morbo compoſito vel Gall. delendis Mich. Ang. libro de orig. morb. Gall. pag.239.a
tumor in neruorum vulnere 84.a

tumor præter naturam quid & multiplices eius definitiones pag.8.a
tumoris præter naturam diuiſio 8.b
tumorum præter naturam differentiæ 9.a
tumorum præter naturā quatuor fieri ex melancholia differentias 42.b
tumorum præter naturam quatuor tempora diſtincta pag.13.b
in Tumoribus præter naturam curandis canon generalis 16.b
tumorum præter nat. curand. principium eſt occaſionis inuentio 15.b
tumorum præter nat. & abſceſſuum curatio Tagaul.li.1.cap.5. pag.15.a
tumores præter naturam quatuor modis terminantur pag.14.a
de Tumoribus præter naturam qui inflationes dicuntur Latinis, vulgò autem apoſtemata ventoſa Tagaul.lib.1.cap.11. pagina 33.b
tumorum præter naturam extrinſecorum cauſæ. Tagaul.li.1.cap.3. pag.12.a
tumorum præter naturam extrinſecorū ſigna & indicia. Tagaul.li.1.cap.4. pag.13.b
tumores pituitoſi 9.b
de Tumoribus pituitoſis Tagaul.li.1.capit.10. pag.31.b
tumorum differentiæ ex pituita 31.b
tumores ad phlegmonem pertinentes 9.b
de Tumoribus à ſanguine procreatis 17.b
tumorum ex ſanguine differentiæ 18.a
tumores ſcirrhoſi 10.a
de Tumoribus ſcirrhoſis ex atra bile creatis Tagaul.li.1.cap.14. pag.42.a
de Tumore à ſeroſa ſubſtantia creato quod aquoſum apoſtema nominant Tagaul. li.1. cap.12. pagina 35.a
tumor ſuppuratus tutius ferro quàm medicamentis adurentibus aperitur 17.a
tumores diſſoluentia & ſedantia Iac. Don. li. de ſimpl.medic.cap.1. pag.359.a
tumorum { diſſolutio, ſuppuratio, coruptio, induratio, regreſsio et deliteſcētia } & eius notæ 14.a
turbith puluis 38.b
Turcæ cuiuſdam hiſtoria 259.b
turundæ 60.b.86.a
turundæ & linamenta quibus vulneribus adhibenda 60.b
Tympanias uel tympanites, hydropis ſpecies pag.35.b
typha quid 43.b

V

Varices 94.a.167.b
varicum in crure curatio 98.a
varicum in ulcere curatio Tagaul.li.3.cap.12. pag.97.b
varicis vſtio 98.a
varicis euulſio 98.a
variolæ 11.a.29.a
Vena capitis rariſsimè à iugulari oritur pag.250.b
venæ ſecandæ electio à laborante particula indicatur pag.19.b
venam incidendam veteres oleo iuunxerunt pag.315.b
venam incidendam vug.popu. inungere ſtultum eſt pag.315.b
venarum in temporibus ſectio quare ſteriles faciat Ioann.Lang. pag.315.b
vena ſemper è directo ſecanda 19.b.22.b
venæ iuxta aures diſſectæ 316.a
venarum incisioni conferentia Iac. Don.li. de ſimpl.medic.cap.3. pag.378.b
venæ diuiſæ interdum coëunt 54.a
venarum inciſarum notæ 265.a
venis vel arterijs globulo ruptis quid faciendum 258.b
veneni propria 289.b
venena non guſtu, ſed in vulnere nocent pag. 57.b.79.b
venenum ſemper cor petit 78.b
venenum veneno nonnunquam curatur pag. 304.b
venenati animalis morſus calidus eſt 265.b
venereus morbus 11.b
Venetorum lictorum in manibus facinoroſorū hominum amputandis mos 268.b
ventus meridionalis officit vlceribus 95.a
ver 186.a
verberatis conferentia Iac.Don.li.de ſimplic. medic.cap.2. pag.373.b
vermes terreni 140.b
verriculum, inſtrumentum 189.b
verrucæ 10.a.30.a
verrucarum indicia 30.b
verrucæ penſiles 10.a

verrucæ ſeſsiles 30.b
verrucæ quomodo urendæ ſint tuto 31.a
verrucarum curatio 30.b
vertebrarum ſpinæ luxatio 121.b
verticillum plumbeum 39.b
veſica 305.b
veſicæ anatomia Mari. San. Barol. lib. de lap. ueſic. extrahendo cap. 2. pag. 185.a
veſicis conferentia Iac. Don. lib. de ſimpl. medicament. cap. 1. pag. 365.b
Victus ratio in vulneribus obſeruanda pag. 63.a
victus ratio in uuln. ſclop. curatione Alf. Ferr. de uuln. ſclop. li. 2. cap. 13. pag. 196.a
victus rationi uſu eſcharoticorum 141.b
victus ratio in cancro vlcerato obſeruanda pag. 110.a
victus poro gignendo aptus 116.a
victus luxatorum 319.b
vigilia in morbo compoſito Mich. Ang. lib. de orig. morbi Gallici pag. 238.b
vigiba in uuln. ſclop. quomodo curetur 297.b
vinculum ocularium. Galen. de faſcijs 326.b
vinculum in ſpeciem literæ X. ad alam & pectus Gal. de faſcijs pag. 331.b
vinculum ſimplex ad ceruicem Gal. de faſcijs pag. 332.b. uincul. duplex ad ceruic. ibid.
vinculum, à fulmine κεραύνιος dictum Gal. de faſcijs 332.b
vinculum ſuſpendens ſex habens capita Gale. de faſcijs pag. 333.b
vinculum ad alterum inguen Galen. de faſcijs pagina 334.b
vincul. ſciſſum ad ſcrotum Gal. de faſcijs pagina 335.b
vincul. in manu, ut in palæſtra ductum Galé. pagina 336.a
vincul. in manu oppoſitum Galen. de faſcijs pagina 336.a
vinum 96.b
vini, aceti, & lixiuij collatio 34.b
vinum auſterum 139.b
vinum ſubauſterum 105.b
vinum nigrum 139.b
vini ſliptici lauacrum 160.a
vinum optimum ulceri medicamentum pag. 71.b
vinum pro ætatis ratione diuerſa pollet facultate pag. 72.a
vini vſus interdicendus uulneratis uſq; ad decimum diem 63.b
vini uſus in morbo compoſ. uel Gallic. Mich. Ang. li. de orig. morbi Gallici pag. 239.b
vinitor à uipera morſus, ſibi digitum amputauit pag. 78.b
viperarum ac ſerpentum uſus in curandis ſtrumis mirus 40.a
viride Andromachi 133.a. 135.b
viride Anſerini 140.b
viride Bonantini ibidem
viride è centaurio ibidem
viride Galeni 136.b
viride Dini 140.b
viride ex herbis 136.a. 140.b
viride è uermibus 140.b
virus quid 240.a
virus attrahendi auxilia 22.b
viſcum 128.b
viſum geminati cauſa 315
vitiligo 10.b
vitrum combuſtum 101.a
Vlcerationes ex morſu uirulento in longũ tempus prorogandas eſſe 80.b
de Vlceribus uide Tractatum Mariani Sancti Barol. pag. 159.a. & idem Mari. San. Barol. li. Quidditat. de modo exami. medic. chirurg. pag. 202.b
vlcus quid 159.b. 203.a. 207.a
vlcus quid Auicennæ 91.a
vlcus quid ſit uulgo apud chirurgos & eius definitionis interpretatio Tagau. li. 3. cap. 1. pag. 91.a
vlceris nomine quid intelligatur in chirurgia ibidem
vlcus quid chirurgis uulgaribus dicatur ibid.
vlcerum nomina 203.b
vlcera unde nomina ſortiantur 161.b
vlcerum cauſæ Tagault. li. 3. cap. 3. pag. 92.b
vlcera unde generentur 203.a
vlcerum prognoſtica ſiue iudicia Tagaul. li. 3. cap. 5. pag. 94.b
vlcerum excrementa 134.b
de Vlcerum proprijs, ac (ut loquuntur) magis famoſis differentijs Tagaul. li. 3. ca. 16. pag. 102.b
vlcerum differentiæ & à quibus ſumantur Tagaul. lib. 3. cap. 2. pag. 91.b
vlcerum differentiæ quibus notis uel ſignis dignoſcantur Tagaul. libro tertio capit. 4. pag. 93.b
vlcus quo à uulnere differat 91.a
vlcerum diuiſio 161.b. 205.a

vlcerum

vlcerum genera quinque capitalia 160.a
vlcera colli & capitis 95.a
vlcera artuum ſiue partium extremarum pagina 95.a
vlcera pudendi 136.b
vlceris labra calloſa 99.a
de Vlcere cum tumore particulæ Tagaul. lib.3. cap.8. pag.96.b
vlcera in quibus partibus periculoſa 94.b
vlceris ſymptomata 91.b
vlcerum accidentia 160.a
vlcera annua & diuturna 94.b
vlcus ἀπερίστατον 136.a
vlcus apoſtematoſum 94.a
vlcerum apoſtemat. prohibentia Iac. Don. li. de ſimpl. medic. cap.4. pag.384.a
vlcus cacoëthes 94.a
vlcerum calidorum ſigna 159.b
vlcera canceroſa 135.b
vlcus canceroſum 94.a
vlceribus cancroſis conferentia Iac. Don. li. de ſimpl. medic. cap.4. pag.387.a
vlcera capitalia 203.b
vlcera caſida 94.b
vlcus cauernoſum 94.a.169.b
vlcera circunglabra 94.b
vlcera totius corporis colorem repræſentantia ibidem
vlcus compoſitum 163.b.205.b
vlceris compoſiti curatio 205.b
vlceris contumacis duplex genus 136.b
vlceris corroſio 166.a
vlcus corroſiuum, ſiue ardens 94.a.169.b
de Vlcere corroſiuo Tagau. li.3. cap.16. pagina 102.b
vlceribus corroſiuis conferentia Iac. Don. lib. de ſimplic. medic. cap.4. pag.387.a
vlcus crucians 94.a
vlcus cruſtoſum 22.a
vlceri cruſtoſo quid imponendum 23.a
vlcerum cruſtas reſoluentia ibidem
vlcus cuniculoſum 94.a
vlcus depaſcens ibidem
vlceris depaſcentis medicamenta qualia eſſe debeant pag.270.b
vlcerum durities 166.a
vlcera dura 94.b
vlcerum duritiei conferentia Iaco. Don. lib. de ſimpl. medic, cap.4. pag.384.a
vlceris cum duritie & decoloratione labrorũ curatio Tagaul. li.3. cap.11. pag.97.b
de Vlceribus dyſepulotis inueteratis & ijs quæ cacoëthe, & chironia dicunt Tagaul. libro 3. cap.15. pag.99.a
vlcus δύσκρατον, id eſt, intemperatum 94.a
vlceris dyſcrati, id eſt, cum intemperie iunctæ, curatio Tagaul. li.3. cap.7. pag.96.a
de Vlcere exedente Tagault. li.3. cap.16. pag. 102.b
vlceris exedentis cauſa 102.b
vlceris exedentis curatio ibidem
vlcus fiſtuloſum 94.a
vlcus fraudulentum 103.b
vlcera frigida 94.b.163.a
vlcerum frigidorum ſigna 159.b
vlceris humidi cauſæ 272.a
vlceris humidi ex imbecillitate notæ pagina 275.a
vlceris humidi ex intemperie notæ 275.a
vlceris humidi curatio 272.a
vlceribus humidis iuncturarum quibus medicinis ſuccurrendum pag.275.a
vlceri humido propter medicam. debile, vel propter peccantem ſanguinem quomodo ſit ſuccurrendum 275.a
vlcera mala 206.a
vlcerum mortalium ſigna 205.b
vlcerum malignorum cauſa 206.a
vlcera letalia & ſordida quomodo abſtergenda pag.271.b
in Vlceribus malignis & contumacibus curandis ſummus ſcopus 99.b
vlcera morituri cur ſicca liqueſcunt 312.b
vlcera nigra 94.b
vlcus putridum 169.b
vlcera putrida candenti ferro inurenda 267.a
vlcus putridum quandiu inurendum ibidem
vlceris inuſti dolorẽ remittentia medic. 267.a
de Vlcere profundo et cuniculoſo quod et ſinus Latinis dicitur, eiuſdemq; curatione Tagaul. li.3. cap.18. pag.104.a.b.&c.
vlcerum rebellium cauſa 138.a
vlcus rheumaticum 94.
vlceris rotunditas 168.b
vlcera rotunda 94.b
vlcus ſanioſum 163.a.205.a
vlceris ſanioſi curatio 162.b.205.b
vlcus ſimplex 205.a
vlcus ſinuoſum 104.a.b.&c.
de Vlcere ſinuoſo ac ualde humido Bartholo. Magg. li. de uuln. ſclop. curat. 271.a
vlcus ſordidum 94.a.169.a.217.b

de Vlcere ſordido Bartholom. Magg. libro de uulu. ſclop. curat. pag.271.a
vlceris ſordidi cauſæ ibidem
vlceris ſordidi curatio ibidem
vlceris ſordidi & putris curatio Tagaul. lib. 3. cap.17. pag.103.b
vlcera ſpaſmoſa 205.b
vlcera Telephia 395.a
vlcus varicoſum 94.a
vlcera uermiculantia 135.b
vlcus uerminoſum 94.a
vlceris uerminoſi curatio Tagaul. li.3. cap.13. pag.98.a
vlceribus verminoſis conferentia Ia. Don. li. ſimpl. medic. cap.4. pag.387.b
vlcera uiridia 94.b
vlcus uirulentum 93.b.168.b.217.b
de vlcere uirulento Tagault. libro 3. capit.16. pag.102.b
vlcerum curatio in uniuerſum Tagault. lib.3. cap.6. pag.95.a
vlcerum curatio in quibus conſiſtat Ang. Bolog. de curat. ulcerum exteriorum li.1. ca.1. pag.207.a
vlcerum curandorum regulæ generales Ang. Blolog. de curat. vlcerum exteriorum li.2. capite.1. pag.208.b
vlceribus conferentia Iac. Don. li. de ſimpl. medic. cap.3. pag.376.b. cap.4. pag.381.b
vlceris ſanatio mediocris ſiccatio eſt 95.b
vlcera curatu facilia 203.a
vlcus paruum non negligendum 139.b
vlcerum ſalubrium ſigna 205.b
vlceri quæ imponenda 17.b
vlceris digeſtio 168.b
vlcerum abluendorum ratio 135.a
vlcus quibus aquis ſit lauandum 267.a
vlceris mundificatio 104.a
vlcera mundificantia & abſtergentia remed. Iac. Don. li. de ſimplic. medic. cap 4. pagina 383.b
vlcera omnia perſanans medicamentum 137.b
vlceri vinum eſt optimum medicamentum pagina 71.b
vlcus dilatari tribus modis poteſt 278.b
vlcus omne exiccari deſyderat 30.a
vlceribus exiccandis quæ ſimplicia idonea pagina 272.b
vlceribus infantium & mulierum conferentia Iac. Don. li. de ſimplic. medic. cap.4. pagina 383.b
vlceris in uena curatio 83.b
in Vlcerata parte malæ complexionis curatio Ang. Bolog. de curat. ulcerum exter. lib.2. cap.7. pag.211.a
vlceribus ex aduſtione conferentia Iac. Don. li. de ſimpl. medic. cap.3. pag.381.a
vlceris contuſi curatio Tagaul. li.3. cap.9. pag. 97.a
vlceris dirupti & cum oſſis corruptione complicati curatio, Tagau. li.3. cap.14. pag.98.a
vlcerum forma fiſtularis curatio Ang. Bolog. de curat. vlcerum exter. lib.2. capit.2. pag.209.a
vlceribus melinis conferentia Iac. Don. lib. de ſimpl. medic. cap.4. pag.387.b
vlceris phlegmonoſi curatio 96.b
vlceribus { malignis, fraudulentis, antiquis, ambulatiuis, difficilis conſolidationis } conferentia Iaco. Don. li. de ſimpl. medic. cap. 4. pagina 384.b
vlceribus oſtracatis conferentia Iac. Don. li. de ſimpl. medic. cap.4. pag.387.b
vlcerum periculoſorum ſigna 159.b
* vulnera facilem uel difficilem curationem habentia 54.b.92.b.159.b.160.a.203.a
vlceris non ſaneſcentis variæ cauſæ 99.a
vlcerum conſolidationem quæ impediãt Ang. Bolog. de curat. ulcerum exteriorum lib.1. cap.2.3.4. pag.207.a
vlcera quæ non permanent in cicatrizatione pag.203.a
in Vlceris cauitate carne replenda quæ ſint cõſyderanda 255.b
vlcus ante morbum vel in ipſo morbo reuaſcens 94.b
vlcus ſe renouans ibid.
vlmus & è folliculis aqua 140.a
Vnguenta quot & quæ ſint in communi prą̃cticantium vſu Ang. Bolog. li. de unguent. cap.1. pag.216.b
vnguentum Ægyptiacum 23.a. 40.b. 97.a 161.a.229.a
vnguentum Apoſtolorum 219.a
vnguentum Auicennæ longè optimum pagina 101.a
vnguenta communia 216.b
vnguentum Damaſcenum 219.a
vnguentum Dini 80.a
vnguentum Rogerij 39.a.67.a

vnguentum Saturninum 218.b
vnguenti de alabaſtro vtilitas 315.a
vnguentum album communitatis pag.139.a 162.b
vnguentum album Pauli 282.b
vnguentum aureum 8.a
vnguentum camphoratum 169.a
vnguenta capitalia 216.b
vnguenta cap. Ang. Bolog. li. de vnguent. capite 5. pag. 219.b
vng. de ceruſſa coctum 216.b
vnguentum citrinum 282.a
vnguentum colophoniæ 283.a
vnguentum Diapompholygos Theodorici pagina 47.a
vnguentum gloriæ 140.b
vnguenta Merculia 216.b
vnguenta Mercurialia Ang. Bolog. li. de ung. cap.6. pag.220.b
vnguenta de Molybdena 283.a
vnguenta de minio 218.b
vnguentum nigrum 218.b
vngenta de plumbo 218.b
vnguentum reſinatum 218.a
vnguentum de tutia 283.a
vnguentum venereum 219.a
vnguentum ex vermibus 86.a
vnguentum ad cancros vlceratos 110.a
vnguentum carnis vnctuoſæ remotiuum pag. 157.b
vng. carnoſæ & molli particulæ conueniens 255.b
vnguentum incarnatiuum cum abſterſione pag.163.a
vnguentum cicatrizatiuum 153.b.163.a
vnguentum corroſiuum 164.b
vnguenta defenſiua Ang. Bolog. li. de vnguẽt. cap.2. pag.216.b
vnguenta digeſtiua Ang. Bolog. li. de vnguẽt. cap.3. pag.217.a
vnguenta eryſip. conuenientia 269.b
vnguenta mundificatiua Ang. Bolog. li. de vnguent. cap.4. 217.b
vnguentum nobile aduerſus ſcabiem pagina 170.a
vnguenta ſuper tumorem iam apertum applicanda 17.b
vnguenta ulceribus depaſcentib. idonea 270.b
vnguenta vulneribus adhibenda, mollia eſſe debent 253.b
vnguentum vulnerum neruorum 158.a
vnctuoſa medicamenta vlcus reddunt ſordidum pag.254.a
vnio in partibus organicis ſemel diuiſis eſt impoßibilis pag.53.b
Vomica 197.b
de Vomica aperienda Hole. libro 6. cap. 6. pag. 133.b
vomitus in uulneribus utilis 62.b
Vrinæ retentio 182.a
vrinarij meatus adeò tenella eſt ſubſtantia, ut erodentia medicamenta ferre nequeat pag.308.a
Vſnea quid 33.a
vſtio Arabica 394.a
vſtio cancri exulcerati 109.b
vſtio infantium 393.b.394.a
vſtionis locum ulcerari prohibentia Iac. Don. li. de ſimpl. medic. cap.3. pag.381.a
vſtio expeditißimum contrà morſus uenenatos remedium 80.b
vſtionis dolorem mitigantia Iaco. Don. lib. de ſimpl. medic. cap.1. pag.367.b
Vuæ paſſæ melligo 153.a
de Vulneribus Tractat. Mariani Sancti Barol. 155.a. &c.
Mar. San. Barol. li. Quidditat. de modo examinandi Medic. chirurg. pag.200.a
vulneris deffinitio Tagau. li.2. cap.1. pag.94.a & Mich. Ang. pag.225.b
vulneris alia deffinitio 155.a.200.a
vulneris deffinitionis examinatio Tagaul. li.2. cap.1. pag.225.b
vulnus quid Galeno 70.b
vulnus quid apud recentiores chirurgos 70.b
vulnus & ulcus apud eos qui Græcorum libros in Latinum ſermonem converterunt pro eodem ſumuntur 49.b
vulnus ſaniem faciens ulcus dicitur pagina 203.a
vulnerum generalis diuiſio 48.a
vulneris ſpecies 155.b
vulnerum diuerſitas Mich. Ang. Blond. pag. 225.b
vulnerum differentiæ 48.a.b.49.a.b
vulneris atque ulceris propriæ differentiæ pag. 91.b
vulnera trifariam magna & grauia reddi pag.50.b
vulnerum cauſæ Tagaul. libro 2. capit.2. pag. 50.a.b
de Vulnere ex morſu vel ictu animalium

tum venenatorum tum aliorum non ita noxiorum illato. Tagaul.lib.2.cap.11. pag. 78.a
vulnus an à globulo vel alia re factum ſit, quomodo dignoſcendum 256.b
vulnerum ſigna et indicia. Tagaul. li.2.cap.3. pag.50.b
vulnerum notas & indicia cognoſcere apprimè eſt vtile & neceſſarium 51.a
vulnerum figura 134.a
vulnus ſimplex 71.a.155.b.200.a
vulnus non ſimplex 71.a
vulnus compoſitum 200.a
vulnus μέγα 139.b
de Vulnere magno percuſſim diuiſo in ſuperficie corporis accepto & minime profundo 71.a.b.eiuſdem curatio ibidem
de Vulnere cauo cum amiſſione ſubſtantiæ cutis vtriuſq; & carnis ſubiectæ tantùm non etiam oſſis. Tagaul.lib.2.cap.6. pag.72.b
in omni Vulnere cauo duo ſpectanda 73.a
de Vulnere impleto, ſiue æquali Tagaul.lib.2. cap.7. pag.74.b
vulneris ſeu vlceris finis 91.a
vulnera quando membris impotentiam afferunt pag.53.a
vulnerum ſymptomata 158.b
vulneris accidentia 201.a
vulnerum apoſtemata 312.a.b
vulnera apoſtemari prohibentia remed.Iaco. Don.li.de ſimplic.medicamentis capite tertio pag.379.a
vulnera apoſtemati & dolori conferentia Iaco. Don.lib.de ſimplic.medicament.cap.3.pagina.379.b
de Vulnere ſupercreſcentem carnem habente, Tagaul.li.2.cap.8. pag.75.b
in Vulneris calidi contrectatione minor dolor percipitur quàm in frigidi 256.b
vulnerum conuulſio 64.b
de Vulnere contuſo, & quibuſdam præter naturam tumoribus implicito. Tagaul. lib.2. cap.9. pag.76.a
vulnerum dolori & inflammationi conferentia Iac.Don.li.de ſimpl.medic.cap.3. pag. 379.b
vulnus ἐπίκαιρον 139.b
vulnus eryſip. laborans ſenſibilius redditur pag.269.a
ad Vulnus ſemper humores poſſunt fluere pagina.251.b
quæ Vulnera inflammationem patiantur pag. 64.a
vulnera mortalia 200.b
vulnera letalia quæ 155.b
vulnera quæ ex neceſſitate letalia 51.a
vulnera magna ex parte letalia 51.b
vulneri ſæpe accidit œdema 275.b
vulnera penetrantia 52.b
vulnera periculoſa 54.b.155.b.200.b
vulnera praua 51.a
de Vulnere cum profuſione ſanguinis ex venis aut arterijs, Tagaul.libro 2.capite 12. pag. 80.b
vulnerum ſpaſmus 64.b
vulnera non ſecus ac alij morbi, ſua habent tempora 253.a
de Vulnere profundo & occulto ſine amiſſione ſubſtantiæ in carne accepto pagina 72.a
de Vulnere partis carnoſæ, vel alterius partis, cum globuli ſclopetarij vel alterius rei præter naturã retentione Barthol. Magg. li.de vuln.ſclop.curat. pag.256.a
de Vulnere in carne accepto, Tagaul.li.2.cap. 5.pag.70.b
vulneris in carne accepti diuiſio 70.b
vulnera in articulis cacoëthe eſſe 50.b
vulnera membrorum particularium quando ipſis mortalia 52.b
de Vulneribus ligamentorum, Tagault. libro ſecundo capite decimotertio pagina 83.
vulnera ligamentorum tolerant valentiſſima remedia 84.a
ex Vulnere neruorum quæ oriantur ſymptomata pag.84.a
vulnerum neruorum vnguentum 158.a
de Vulneribus oſſium, Tagaul.lib.2.cap.14.pagina 88.a
ex vulnere oſſium praua oboriuntur ſymptomata 88.a
vulnera venarum & arteriarum an ſuenda pag.82.a
vulnera in capite muſculorum 52.b
vulnera cerebri 51.a
vulnera cerebri cur letalia 51.b
ex vulnere cerebri adoleſcẽs quidam reualuit pag.51.b
vulnera in temporibus quare periculoſa Ioã. Lang. pag.315.b
vulnera manus ſunt periculoſiora pagina 157.b

vulnera venarum iugularium 51.a
vulnera Trachia arteria 52.a
vulnera pulmonis 52.a
vulnera œſophagi 52.a
vulnera ventriculi 52.a
vulnus cordis cur letale 51.a
vulnus cyſtis fellis 52.a
vulnera diaphragmatis quando incurabilia 52.a
vulnus epatis 51.b
vulnera inteſtinorum 52.a
vulnus inteſtini ieiuni 52. a. & cur inſanabile ibidem b
vulnera lienis 52.b
vulnera renum 52.a
vulnus veſica 52.a
vulnus matricis 52.a
de Vulnere depaſcente vel ſerpente Bartholom. Magg. li. de vulu. ſclop. curat. pagina 270.a
vulnerum curatio Mari. San. Barol. li. Quidditat. de modo exami. Medic. chirurg. pag. 200.b. &c.
vulnerum curandi ratio vniuerſalis. Tagaul. libro 2. capite 4. pag. 54. & Mich. Ang. pag. 226.a
de Vulneribus ſanandis ſecundum antiquam methodum Mich. Ang. pag. 230.a
in Vulnere curando communis recentiorum chirurgorum praxis 74.b
de Vulneratis ferendi iudicium ex ſcripto formula .53.a
vulnera vt plurimum ſanabilia, pagina 53.a
vulnera tutiorem curationem habentia pag. 53a. & 54.b
vulnerum curandorum intentio prima pag. 54.b
vulnerum curandorum intentio ſecunda pag. 58.b
vulnerum curandorum intentio tertia pagina 58.b
vulnerum curandorum intentio quarta pag. 61.a
vulnerum curandorum intentio quinta pag. 63.b
in Vulneribus ſanandis à quo incipiendum pagina 254.a
vulnerata membra blandiſſimè contrectanda pag. 252.a
de Vulnerum dolore ſedando 63.b
in Vulneribus quomodo tollenda intemperies quam diſcraſiam vocant 64.a
vulnera maiora in demorſis à rabioſo cane minus verenda quàm minora 80.b
vulneris purgatio 157.b
vulneris ligandi ratio 58.b
vulneris ligaturæ triplex genus 58.b
vulneris deligatura expulſoria 59.a
vulneris deligatura retinens 59.a
vulneris deligatura incarnatiua ſeu agglutinatoria 58.b
vulneris ſuendi modus 157.a
vulnera quæ ſuturis indigent, periculo non vacare 50.b
vulnerum ſutura triplex 59.b
vulneris ſutura agglutinatoria 59.b
vulneris ſutura ſanguinem ſupprimens pagina 60.a
vulnera ſuturam fugientia 201.a
vulneris caui curatio 72.b
vulneris contuſi recta curandi ratio pagina 76.a
vulneribus cum contuſione primis diebus non apponenda fortia medicamenta 259.a
aduerſus vulnerum inflammationes & abſceſſus curatio 64.a
vulnere cum fractura affecti, eodem modo quo ij qui in capite vulnus accepêre, tractandi ſunt pagina 261.b
vulneris labris ne quid intercidat cauendum pag. 71.a
vulneris labijs quæ medicamenta adhibenda pag. 261.b
vulnerum ſimplicium in carne ſummo tenus acceptorum curatio 70.b
vulneris ſimplicis, carnoſi, & profundi curatio pag. 156.a
vulnerum in neruoſis partibus curatio pag. 84.b
vulneris in vena curatio 83.b
vulneribus cruentis aptum remedium pagina 71.b
vulnus quando per effluxiones curandum pag. 72.a
vulnera venenatis telis inflicta quomodo tractanda pag. 57.a
vulnera eiaculatorijs igne tormentis facta, citra methodum à chirurgis temere curari Ioann. Lang. pag. 311.b
vulnerati non ſunt relinquendi ſine auxilio pag. 53.b

vulnus conſolidare quid 202.b
vulneris compoſiti vnionem impedientia pag. 201.a
vulnus cum ſymptomate ſanari nequit pag. 262.a
vulnera quæ Celſo ſunt incurabilia 54.b
vuln. ſclop. deſcriptio Alf. Ferr. de ſclop. vuln. li.1. cap.1. pag.288.a
vulnus à globulis ſclopetarijs acceptum quibus notis dignoſcatur 249.a
vulneris ſclop. globulo facti foramen quandoq; occultatur 257.a
vuln. à ſclopetis vel bombardis factorum curatio Bartholom. Magg. li. quem de vulneribus huiuſmodi inſcripſit pag.248.b
vulneris ſclop. curandi rationes Alf. Ferr. de ſclop. vuln. li.1. cap.10. pag.291.a
vuln. ſclopet. curandorum canones obſeruandi pag.292.a
vulneribus ſclopet. extrinſecis medicamenta conuenientia Alf. Ferr. de ſclop. vuln. lib. 2. cap. 4. pag. 293.a
vulnera à ſclopet. illata ſint nè veneno infecta Bartholom. Magg. lib. de vulne. ſclop. curat. pag.247.b. &c.
vulnera ſclop. in membris principalibus accepta, quomodo ſint tractanda 258.b
vulneris ſclop. aduſtio 288.a
vuln. ſclop. aduſtio quid & qualis ſit Alfon. Ferr. de ſclop. vuln. li.1. cap.4. pag.288.a
vulnera à ſclopet. globulis illata non eſſe aduſta Bartholom. Magg. li. de vuln. ſclop. curatione pag.243.b. &c.
vuln. ſclop. contuſio 290.a
vuln. ſclop. fractura 291.a
vulneris ſclop. in neruoſa parte accepti curatio 258.b
vuln. ſclop. ex contuſione venæ aut arteriæ ruptæ, difficile coaleſcunt 258.b
vulnus ſclop. quando difficillime ſanetur pag. 258.a
de Vuln. ſclop. internis Alf. Ferr. de ſclop. vulne. li.3. cap.1. pag.301. a. curatio eorundem cap.2. pag.301.b
in Vulneribus ſclop. internis curandis victus & medendi ratio Alf. Ferr, de ſclop. vuln. li.3. cap.4. pag.303.a

Y

ὑπέρβατον laqueus. Oribaſius de laqueis pagina 340.b
ὗλοι 30.b

Z

Zambana 140.a
Zodiacus 185.b
zodiaci ſigna 186.a

FINIS INDICIS.

Errata quædam lector ſic emendabit.

Numerì foliorum 227. & 228. præteriti ſunt, ſed ita vt nihil omiſſum ſit. Folio 360.b. inſcriptio ſit, IACOBI DONDI. Foliū 390.a. inſcribatur REMEDIA CHIRVRGICA. Cætera leuioris ſunt momenti, quàm vt poßint remorari Lectorem.

Cc. Tab. V n° 6.

Digitized by Google